COMMENTARIA

MORALIA IN EVANGELICAM HISTORIAM.

AVTHORE PATRE DIDACO DE BAEZA, Ponferradiensi, SOCIETATIS IESV, *Theologo, è Prouincia Castellana,*

TOMVS SECVNDVS.

Complectens vocationes, & conuersiones à Iesu Domino peractas, insuper omnia illius miracula, & nobiliores prophetias adimpletas.

AD ILLVSTRISSIMVM D.D. F. GREGORIVM de Pedrosa, Legionensis Ecclesiæ Episcopum, Regiumque Ecclesiastem.



Del collegio de la compª de Jesus de Soria

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VALLISOLETI

Per HIERONIMVM MORILLO Almæ Vniuersitatis Typographum. Anno M.DC.XXVII.

COMMENTARIA

MORALIA IN EVANGELICAM HISTORIAM.

AVTHORE PATRE DIDACO DE PAEZA,
Ponferradiensi, SOCIETATIS IESV, *Theologo*, *è Provincia Castellana*,

TOMVS SECVNDVS.

Complectens vocationes, & conuersiones à Iesu Domino peractas, insu per omnia illius miracula, & nobiliores prophetias adimpletas.

AD ILLVSTRISSIMVM D.D. T. GREGORIVM de Pedrosa, Legionensis Ecclesiæ Episcopum, Regiumque Ecclesiastem.



VALLISOLETI

Per HIERONIMVM MORILLO Almæ Vniuersitatis Typographum. Anno M.DC.XXVII.

ILLVSTRISSIMO D.D. F. GREGORIO DE PEDROSA, LEGIONENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO, CLARISSIMOQVE REGVM ECCLESIASTÆ.

IN *Aſsiduilaboris mei fructibus non munera, ſed hoſtias meditor. P.I. & ſtatim mihi venit in mentẽ vetuſta illa Romanorum lex:* Quibus Dijs hoſtijs: cui maioribus, cui lactantibus prouidento. *Lactantes debentur parẽtibus, qui infantiles filiorum ſales, in pretio, & delicijs habent. Ex quo ego primos, & tenellos ingenij fœtus parẽti meo, humaniſsimo ſane numini dicaui: verum poſt infantilia illa prima crepitacilia, dum adultum magis opus exero, paternos fugio amplexus, & de Iacob exemplo lapidem erigo in titulum, ſub quo triumphent ſtudia mea. Et quidem P.I. ſi quid ingenij, ſi quid acuminis, celſaque doctrina hoc ſaculo excogitatur, tunc ſolum triumphos egit, cũ mẽtis tuæ lima excultum, & oris tui põpa illuſtratum eſt. Hoc ego toties notaui, quoties te audiens meminì illud, Pſalm.* 103. Super illos volatilia cœli habitabunt, de medio petrarum dabũt voces. *Te, nomenq; tuum ſpecto, dũ per medias petras alitum voces audio reſonare: niſi de medio petrarum; niſi per te nihil ſublime volat, nihil dulciter canit. Quàm ad rem verba facit D. Aug.* Quid mihi dicis de Platone? Et de Cicerone, & de Virgilio. Habes ante te petras montium, de medio petrarũ mihi da vocẽ tuam. *Vbi Petroſam linguam ſortita Hiſpania eſt, & de petra melle ſaturauit nos, tacent veterũ oratorũ lumina, ſilent prophanæ ſapiẽtiæ alites; ab vno ore tuo P.I. pluſquã à Virgilio, pluſquã à Cicerone, pluſquam à Platone mellitũ, & ſonorũ, & pennatũ parturitur examẽ. Pergit Aug. aiens.* Nihil ſuauius tali voce alitũ, illæ ſonant, & petræ reſonant. *Fallor ſi ſacrarum alitum voces ſublimius, & dulcius ſonant, quã dũ petræ reſonãt; illæ ſonant iam diu pro concionibus, ſed de tuo habent dulciter, apud noſtrates reſonare. Et dum petræ reſonant, dũ verba ipſe facis, nulla iam percipitur vox, quæ alitum nõ referat perpetes volatus. Cum multos doctores è ſugeſtu audiebã, viſus ſum mihi cõuiuio intereſſe, in quo pater familias rediuiuo filio vitulũ ſaginatũ mactat: verũ cũ ad te redeo nuptiali Regis interſum cõuiuio, in*

quo nõ ſolum vituli, nõ ſolũ tauri pingues, ſed ãltilia occiſa ſunt, quibus regum ſaporentur, & ineſcentur palatus. Altilia excogitaſti, vt ſublimes mentes capias; & vt præclarus Chriſti piſcator Euangelij hamum, non vermiculatũ, ſed pennatum exhibes, vt magnatum, principũq; piſces è mundiali pelago ad prunas Saluatoris trahas. De ſummo piſcatorũ magiſtro dicebat Cant. Comæ capitis tui purpura regis vincta canalibus, ſiue vt Septuag. aiũt: Rex ligatus in tranſcurſibus; quidquid enim in doctoris Euangelici capite naſcitur, laqueus eſt, quo reges, & principes poſſint Chriſto illigari. Quis numeret principes, & reges à tuo pendẽtes ore, tua pennata mẽte illigatos, & dolo bono Chriſto captos? Ambitioſa erat nimis Herculis Galli effigies, à cuius ore mille tracta catenæ innumerã multitudinem prendebant auribus. Fidẽ accepit fabuloſa ambitio, dũ vera & ſolida tua laus hamatũ promit ſermonẽ, quo Reges, & Principes illigati Chriſti in canalibus appareant. Nonne te oratore apud Hiſpaniarum Monarchas binos Philippos, principũ vitia obliterata efficaciã oris tui, verbaq; hamata mõſtrabant? Tunc libenter noto illud Iſaiæ, c. 33. Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatẽ, qui proijcit auaritiã, & calũniã, & excutit manus ſuas ab omni munere. Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinẽ & claudit oculos ſuos, ne videat malũ. Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorũ ſublimitas eius. Et recte horum ſublimitas à munimẽtis ſaxorũ prædicatur profecta; quia petroſum munimentũ à Deo in regali ſugeſtu poſitũ in cauſa fuit, quod deiectis palatiorũ vitijs, principũ virtutes extollerẽtur. Sed age, & tolle illud, munimẽta ſaxorũ. pro quo Hebraice legitur: & retia ſaxorum ſublimitas eius: quaſi iam dudum petroſæ linguæ retia annũntientur, quibus ſæculare mare verritur: & magni piſces ab imo profundi in ſublimes virtutum thronos videãtur aſſerti. His dũ ego retibus implicor, quæ ex Sanctis Patribus altilia congeſſi, timui deberi tibi horũ ſtudiorũ Principi: immò Sanctorũ ſtudioſum tibi gratũ putaui ſciens in petra etia parari, refugiũ herinaceis, hoc eſt, puſillis animalculis. Quapropter Imperatorũ Principumq; ſæcularium protectionẽ faſtidiens, dũ inſtar Dauidis imparia deuito Saulis arma, limpidiſſimã petrã mihi in te paro, qui opprobria obloquentiũ tua authoritate retundes, & qualecumq; hoc opus meum ſub vmbra tua viuere facies. Vale Illuſtr. Præſ. & qui per Leoninos gradus ſcandere incipis, ſupremum à Salomone ſapientibus paratum thronum occupabis. Valliſoleti. Die 13. Septembr. Ann. 1625.

PRO-

PROVINCIALIS LICENTIA.

EGo Didacus de Soſſa Societatis Ieſu in Prouincia Caſtellæ præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mucio Vitelleſchi præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus Secundus inſcriptus. *Commentaria Moralia in Euangelicam Hiſtoriam.* Auctore Patre Didaco de Baeça, Ponferradenſi, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur: In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus Valliſoleti in noſtro D. Ambroſij Collegio, die ſeptima Februarij, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto.

Didacus de Soſſa.

CENSVRA ET IVDICIVM R.P.F. LVCAE Montoia prædicatoris primi Conuentus Deiparæ Mariæ Victoriæ Curiæ Regis, ſacri Ordinis Minimorum S.P. Franciſci Paulæ.

COmmentariorum moralium in Euãgelicam Hiſtoriã, volumen ſecundum, nec à priori ab ſimile; profundis, nec in fœcundis diſcuſum conceptibus, ab egregio ſimul, ac pio viro R^do P. Didaco Baeça Societatis Ieſu alumno benemerito, communi vtilitati apprime elaboratum, Regij ſenatus ſupremi iuſſu, diligenti recognitione perpendi: nihil ſanè in eo Catholicis dogmatibus diſſonũ, integritati vè morum alienum offendi. Verum vndequaque mirandũ opus aureum, opere ſaphirino exornatum, re, verè, & nomine morale; opus in-

quam Doctoris eximij, vt eloquentia diſſertiſsimi, eruditione integerrimi. Harum æternitati mandauit munus, depinxit miniſterium, eleganti calamo, penicillo ſubtili Chryſologus, dum his verbis, ſermone 52. fatur. *Doctoris officium eſt, lecta diſſerere, & myſticis obſerata ſentibus, lucido aſtruere, & demonſtrare ſermone, ne minor intelligentia inde pernitiem generet auditori, vnde ſcientiã conferre debuit, & potuit ſalutarem.* Hæc ille. Aſt noſter author, veri docentis in ſemet ſcriptis adeò effigiem delineauit, vt ſi legas attente, nihil in elocutione incõcinnum, in ſcholaſticis apicibus debile, ſicut nec in Sacræ ſcripturæ oculcioribus arcanis innotatum inuenias. Theſaurum ex viſceribus ſacrorum voluminum, Sanctorumque Patrum enucleatũ medullis profert, vt cœleſtibus locupletatum diuitijs, dapidus ſpiritualibus refertum, &, quod iucundius mihi, ab inanibus ſæcularium vertiginibus, & ſciolis criticorum alienum prorſus. Itaque Doctoritio obſequendo muneri, infinita ferè quæ percalluit in patribus, ac ê myſticis obſcurata ſenſibus ſacræ lectionis hauſit, lucido aſtruit, & demonſtrat ſermone, adeô felici genio, vt nec pernitiem adiſcendo timeas, nec aptiora ad venuſtandos mores proſuggeſtu deſideres. Hoc tanti Doctoris iudicium fecimus, cuius (faxit Optimus Deus) vlterius in dies progrediatur calamus, verum interim præſens opus mandandum prælo, iure optimo, fore cenſeo, & ſubſcribo. Matrit. Kalendis Maij. Anno partus Virginei. 1625.

Fr. Lucas Montoia.

EL

EL REY.

POR quanto por parte de vos Diego de Baeza, Religioso de la Compañia de Iesus, en el Collegio de Valladolid, nos fue fecha relacio q̃ auiades cõpuesto el Segundo Tomo de la *Historia Moral sobre los Euangelios*, suplicandonos os mandassemos dar licencia para lo poder imprimir, y priuilegio por tiempo de veynte años, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo: por quanto en el libro del dicho Segundo Tomo se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone: fue acordado que deuiamos mãdar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad, para que vos, ò la persona que vuestro poder houiere, y no otra alguna, podays imprimir el dicho libro, Segundo Tomo de la *Historia Moral sobre los Euãgelios*, de quede suso se haze mencion, en todos estos nuestros Reynos de Castilla, por tiempo, y espacio de diez años, que corren, y se quentan desde el dia de la data desta nuestra cedula en adelante, so pena que la persona, ò personas que sin tener vuestro poder, lo imprimiere, ò vendiere, ò hiziere imprimir, ò vender, por el mismo caso pierda la impresion que hiziere, con los moldes, y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona q̃ lo acusare, y la otra tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo sentenciare: con tãto que todas las vezes que houieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiempo de los dichos diez años, le traygays al nuestro Consejo, juntamente cõ el original que en el fue visto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Martin de Segura Olalquiaga, nuestro Secretario de Camara, de los que residen en el nuestro Consejo, para que se vea si la dicha impresion està conforme el original, ò traygays fee en publica forma en manera que haga fee, de como por corrector nombrado por nuestro mandado, se vio, y corregio la dicha impresiõ por el original, y se imprimio conforme a el, y quedan impressas las erratas por el apũtadas, para cada vn libro de los que assi fueren impressos, para que se taste el precio que por cada volumen houieredes de auer. Y mandamos al impressor que assi imprimere el dicho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al autor, ò persona a cuya costa lo imprimere, ni a otra alguna, para efecto de la dicha correcciõ, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro este corregido, y tassado por los del nuestro Consejo: y estando hecho, y no de otra manera, podays imprimir el dicho principio, y primer pliego del, y sucessiuamẽte põga esta nuestra cedula, la aprobaciõ, tassa, y erratas: so pena de caer, è incurrir en las penas cõtenidas en las leyes, y pragmaticas destos nuestros Reynos. Y mandamos a los del nuestro Cõsejo, y a otras qualesquier justicias dellos, que guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y lo en ella cõtenido. Fecha en Aranjuez a treze dias del mes de Mayo de mil y seyscientos y veynte y cinco años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor,

D. Sebastian de Contreras.

TASSA.

YO Martin de Segura Olalquiaga, Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor de los que reſiden en ſu Conſejo certifico, y doy fee, que auiendo viſto por los ſeñores del vn libro intitulo ſegundo tomo de Vita Chriſti, compueſto por el Padre Diego de Baeza, Religioſo de la Compañia de Ieſus. Taſſaron cada pliego del dicho libro à quatro marauedis, el qual tiene ciento, y cinquenta y ocho pliegos, ſin principio, ni tablas, que a los dichos quatro marauedis, monta el dicho libro ſeyſcientos y treynta y dos marauedis, en que ha de vender en papel, y dieron licencia para que ſe pueda vender al dicho precio, cõ que mandaron, que eſta taſſa ſe ponga al principio del dicho libro, y no ſe pueda vender ſin ella. Y para que dello conſte, di el preſente. En Madrid a dos de Setiembre de mil y ſeyſcientos y veynte y cinco años.

Martin de Segura.

Correctiones Erratorum.

Quæ in nonnulla exemplaria irrepſerunt: præter alia minutiora; & quæ propter incuriam operarum præcipue in numeris locorum citatorum inueniuntur, quam incuriam tota diligentia adhibita præcauere non potui.

FOl. 3. interdui, interdiu, fol. 14. col. 2. virtuis, virtutis. 23. 1. ampleribus, amplexibus, 40. 1. terræ, terra. 41. detriumpharet, detriumphare. 49. 1 At volat, aduolat. 47 delectus, defectus. Diſcipula, decipula. 49. benecia. beneficia. 51. ſit, ſit. 60. illum, illud. 69. poſteruum, poſteram. 70. partuariat, parturiat. 73 his, hic, ibidem, culpa, culpæ. 82. fulgere, fulgore, 83. ſuſpectat, ſuſpecta. 84. manus, manu. 85. mutabilite, mutabilitate. 86. voltuantis, voluntatis. 89. ipſa, ipſe. 97. inſudit, infudit. 102. opera, operam. 104. Chriſti, Chriſto. 194. tremuerunt, fremuerunt. 264. victoris, victorijs, Domiuus, Dominus. 254. facit, facite. Mariſi, Mariam.

His mendis emendatis, liber correſpondet ſuo originali. Valliſoleti 20. Aug. 1625.

M. Fr. Raphael Sanchez.

LIBER SEXTVS,
DE CHRISTI DOMINI MIRACVLIS.

IAM NOS vocant Christi Domini miracula, quæ inter nos agens diuina virtute operatus est. Alius mirabitur tot cæcos donatos lumine; alius mutila membra redintegrata percensebit: multi dæmones eliminatos, leprosos mundatos obstupescent, plures ad vitam reuocatos canent. Ast quod in primis omnibus accidit maximè admirandum, illud est summæ potestatis insigne, quo liberas hominum mẽtes peccato quasi addictas in meliorem frugem reuocauit. Igitur Christi Domini facinora, quibus hominum mentes ad se traxerit, & à praua consuetudine in bonos mores conuerterit, ea nobis prima veniant examinanda, vt statim ad alia transeamus.

CAPVT PRIMVM.

Andreas, & Petr. Ioann. & Iacobus vocantur.

CVM primùm iustitiæ Sol illuminaturus mundum, cursum agit, vide qualem quadrigam sibi parat, in primis Andræam, & Petrum, deinde Ioãnem, & Iacobum, duplex par fratrum sub iugo ascisçit Christiano. In primis Andræas post designatum à Ioanne agnũ Iesum abijt, nec solus, sed cum illo socio, cuius nomen tacetur, forsam is est Ioannes Euangelista solitus suum nomen occultare. Vterq; apud Iesum diem consummũt, imõ potius de Saluatoris præsentia, dies festos noluerunt agere. Inde Andræas egressus inuenit fratrem Petrum, quem de Christo Domino adinuento à se, gratulatur. Simul ambo redeunt ad Iesum. Quid plura? Iesus statim Petro Christianæ reipubl. clauum deuiendum præfagit. Hæc semel: neç multum post cũ Iesus iuxta mare Galileç ambularet, duos videns fratres, nimirum Petrum & Andreã, illos ad capturam hominum vocauit, qui dicto citius relictis piscium retibus secuti sunt eum. Ab his ad alios duos fratres statim accessit: hi sunt duo filij Zebedæi Iacobus, & Ioãnes, reficiebant retia piscaturi, at vbi Iesu vocem percipiunt, & retia, & patrem valere iubent, & diuinum magistrum comitantur.

Ioann. 1. Reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.

§. I.

Innocentia, & ſimplicitas ſtabiliunt reges.

VBI Agnus à Ioãne oſtenditur, mihi ſtatim veniunt in mentem lætiſsimæ omnium acclamationes, quibus Apoc. cap. 5. occiſſo Agno fortitudinem, & virtutem, & gloriam, & poteſtatem, & imperium attribuebant. Denique ait Ioannes ibi: *Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas.* Dicitur Leo rex inter animalia, cuius fortitudini omnia facile inter animãtia ſe ſubiectant; at Agno non ſolum animalia, ſed vniuerſæ creaturæ, quæ in cœlo, & quę in terra, & quæ infra terram, auide, & gratulãter ſubijciũtur. Vndé Agno hæc vis, qua creaturas omnes voluntarias trahat in regnum? Agnus innocentiſsimus eſt, & ſimpliciſsimus, nec vlla virtus eſt, quæ magis regnum confirmet, & ſtabiliat, quam innocentia, & ſimplicitas regis. Accipite D. Irinæum lib. 4. ſic iuxta datum Apoc. locum diſſerentem. *Nemo alius poterat aperire librum paternum, nec videre eũ, niſi Agnus, qui occiſus eſt: qui omnia verbo fecit, & ſapientia adornauit, accipiens omnium poteſtatem, quando verbum caro factum eſt; vt quemadmodum in cœlis principatum habuit verbum Dei, ſic & in terra haberet principatum: quoniam homo iuſtus qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Is meritò ſibi terrenum, & cę leſte acquirit principatum, qui agni præſefert innocentiam, & ſimplicitatem, cui us in vita innocentia eſt, & in ore nullus dolus. Deut. 33. iuxta Lxx. lectionem apud D. Amb. infra, dicit Moyſes. *Date Leui veros eius, date Leui manifeſtos eius, date Leui ſortem ſuffragij eius, &c.* Vbi expendo illud, *manifeſtos eius*, quaſi ſingulare ſit encomium miniſtrorum Dei, quod eorum viſcera omnibus ſint manifeſta. Pro quo D. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. vlt. ait. *Illi ergo veri eius, & manifeſti eius, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent.* Non ſinus habeat gubernator Chriſtianus, non latebras, ſed totus ſit ſubditis patentiſsimus. Matth. 10. ſic aiebat Dominus Principibus Chriſtiani orbis: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* Sic ſerpentinam prudentiam docet, vt ſtatim caueat ſerpentis ſinus, ſerpentis tortuoſos proceſſus, & latebras, & clariſsimam columbæ ſimplicitatem indicet. Ex quo Tertull. lib. aduerſus Valent. fatur. *Ita facilius ſimplicitas ſola Deum, & agnoſcere poterit, & oſtendere; prudentia ſola* (nimirum ſine ſimplicitate) *concutere potius, & prodere. Abſcondat itaque ſe ſerpens, quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam euoluat, tortuoſe procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtra columbæ domus ſimplex, etiam in editis, & apertis, & ad lucem.* Non bona principis commendatio eſt illa, qua plurimi ſe iactant, quod nimirum minimè à ſuis agnoſci, & penetrari poſsint. Illa commendatio præſtantior eſt, quam de ſe affert Rex regum Ioan. 10. nimirum: *Et cognoſcunt me meæ.* Huc refero illud D. Syneſij lib. de Regno, quo regẽ inſtruit, ſatus: *Subditorum vnumquemque eperum communione, in viuam ſocietatem, amicitãque pelliciet, vt ne erga eos diſſimulator, aut cauillator ſit, dum commilitones vocauit, ſed in concione verba faciente cognoſcant, teſteturque re ipſa nomen illud ab eo comprobari.* Nihil enim ſic trahit ſubditos, quam ſimplex gubernatoris animus, quo, bona eius viſcera patent, notaque omnibus ſunt. Procul abſint à ſceptro aſtuciæ, & cauillationes; procul item ablit cordis duplicitas, qua in regentis mente, nihil niſi obſcuræ foueæ, nigræ ſpelunce videntur. Hinc peccabat illa ſummi Regis ſpõſa, cui dicitur, Cant. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorũ, &c.* Cur adeò egregiæ formæ, cui vel imperium debebatur, locus datur gregalis, vt inter greges abeat? Cur ſpõſæ regis dicitur, quod abeat poſt greges, & non potius illi datur gregum ducatus? Sanè cuius adeò ſunt præcordia caliginoſa, vt penitus ignorentur, is viuat inter greges, ſubditum agat, non ſperet regni cluũ. Ille Rex, qui agnus ſimpliciſsimus; cuius pectora à nemine ignorantur, ſed omnibus patent. Ideo verè Rex regum, & dominus dominantium Ieſus, qui omnia ad ſe trahenda ex cruce promiſit, vt promiſſum adimpleret, voluit ſibi latus aperiri lancea, & pectora perforari. Quo in vulnere ſuſcitatam gentium Eccleſiam nouit Auguſtin. tract. 20. in Ioann. nouit Rupert. nouit Tertullian. citati à nobis, lib. 4. c. 6. §. 4. nouerunt idem communiter Patres. Sed cur Eccleſiæ ſuſcitationem, & tractionem in pectoris apertione prędicant doctores factam? Tunc veri Regis agnina patuit ſimplicitas, cũ eius pectora omnibus ſunt patefacta: tunc ſe Agnũ oſtendit, cum à nemine voluit

Apoc. 5.

Irin.

Deut. 33.

Ambroſ.

Matth. 10.

Tertull.

Ioann. 10.

Sineſ.

Cant. 1.

præ-

præcordia ignorāri. Notate modo verba D. Athanasij serm. 3. contrà Arianos, vbi fatur. *Ex lateris vulnere per lanceam conficitur illud propheticum dictum Isaiæ; vt ouis ad occisionem ductus est.* Itaque cum Christi aperitur latus, tunc se se prodit agnum, nunc agninam ostendit & mansuetudinem, & simplicitatem apertis visceribus, ne miremur, quod ex tunc gentium Ecclesiam sibi statuat, populorumque sumat gubernaculum. Necnon ad hanc populorum tractionem refero illud Psalm. 58. *Conuertentur ad vesperam, famem patientur, vt canes.* Et meritò populi Christo Domino in fine subijciendi, canes vocantur; cui enim melius militant canes, quam agno? Ea est natura canis, quæ omnes sibi ignoratos oderit, & solum amet, & sequatur notissimos sibi viros. Vndè pulchrè D. Synesius lib. de Regno, vt persuadeat gubernatoribus, vt se se, quoad fieri potest, noscendos subditis tradant, ita fatur: *Et Plato ipse militare genus, custodes appellat, canique præsertim æquiparat, quod quidem animal amicos, atque immicos cognitione, atque ignoratione discernit.* Tunc trahitur canis, cum à sibi noto vocatur, ignotis enim potius oblatrat; tunc princeps omnium dominabitur cum studet à nemine ignorari, cum de agni indole innocentiam præseferat, & simplicitatem. Caueat dolum, caueat sinus, quibus ignorari affectet, his non subditos obsequentes, sed canes experietur oblatrantes.

Athanas. Psalm. 58. D. Synes.

§. II.

Benignitas, & dilectio Dei patentissima omnibus, non sic rigor iustitiæ.

INTVITVS Ioannes Iesum, id de illo ostendit, quod in Deo patentissimum est, & se se vndique prodit, nimirum eius benignitatem, & dilectionem, quando ait, Ecce Agus Dei. Equidem benignitas Dei, & dilectio nequit non in oculos exilire, seque creaturarum obtutibus præsentare. Meritò enim Apocalyps. 21. *Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.* Quippe vbi Deus agnum agit, benignitatis opera manifestat; nulla sunt necessaria luminaria, ipsa opera, ipsa agnina benignitas per se satis perspicua est, & oculis patet. Scienter dicebat D. Irenæus lib. 4. *Nemo inuestigauit altitudinem eius, nec veterum, nec eorum, qui nunc sunt. Secundum autem dilectionem cognoscitur semper, per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic verbum eius Dominus noster Iesus.* Quæ in Deo magnalia sunt, lucem habitant inaccessibilem, volucres quoque cœli latent, at benignitas eius, & dilectio in promptu omnibus est. Vbicumque se insinuat, vbicumque patet. Minus dixi, dum de patētissima benignitate Dei nō dico id quod de sua D. Ennodius prædicabat. Is lib. 2. epistol. 6. pientissima viscera sua sic commendat aiens. *Nescini occultare per charitatis tormenta, quod volui.* Et quidem satis eleganter dictum, vt enim iustitia humana tormentorum vi occultissima scelera facit manifestari: sic diuinę charitatis tormēta sunt, quæ illam latere vetant, sed benignissimis operibus ob oculos faciūt exilire creatos. Iam mirari desinet, qui Iesum mirabatur tam cito regni thesauros latroni reuelantem, eo præcipuè tempore, quo sub maledicto crucis latitabat. Vix enim semel locutus est latro, & statim Dominus ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur tam cito te te prodis Rex gloriæ? Sane non aliud licuit per tormenta charitatis. Accipite Chrysostom. homil. de cæco nato fantem. *Quoniam graue admodum, & incommodum silentium erat, iam respondit, atque latroni: Amen, Amen dico tibi: Hodie &c.* Ea erant tormenta charitatis Domino, quibus grauissimum esset silentium, ideo tormenta moderans rupto silentio suæ benignitatis manifestat thesauros. Huc semper spectat Dei in homines amor, & charitas ne lateat, vt se se omnibus, qui possibiles sunt, modis, & vijs prodat, & manifestet mentibus creatis. Sanè idololatria cæcus Nabuchodonosor, imò, & somno sepultus adhuc non potuit non videre Dei benignitatem, ait enim cap. 4. *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo, somnium vidi, quod perterruit me, &c.* Cuius occasione hæc verba dedit Tertullian. lib. de Anima. *Nabuchodonosor diuinitus somniat, & maior pene vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergo dignatio Dei, & in ethnicos, ita & tentatio mali in sanctos, à quibus nec interdui absistit, vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest.* Ecce tibi, quam amet Dei bonitas se se humanis oculis dare, quam amet, & præsentiri, & cognosci ab hominibus: siquidem studet, vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest. Apocalyps. 19. dicitur: *Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli, Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Nullibi enim melius, quam in Sole staret Angelus, ad Dei cœnam inuitans aues: quandoquidem benefica Dei munera clariora, & euidentiora sunt Solis radijs. Mirabar aliquando, quod defuncti Iesu è latere: *Exiuit sanguis, & aqua.* Ioann. 19. post modum mirabar magis, quod

Apoc. 21. Iren. D. Ennod. Chrysost. Tertul. Apoc. 19. Ioann. 19.

Euangeliſta ſe ãq̃ã illam vidiſſe diſtinctim fateatur. Ait enim: *Et qui vidit teſtimonium perhibuit.* Et quomodo fieri potuit, vt aqua ſimul cum ſanguine egrediens, ſic internoſceretur? Sic pateret oculis Ioannis? Pulchrè D. Cyrill. Hieroſ. Catech. 13. ait: *Tibi verò nunc credenti, per aquam ſalus.* Quando aqua ſalutis erat baiula, ipſa ſeſe oculis preſentabat, neſcit enim Dei pietas, & benignitas occultari. In ſole ſunt quæcumque charitatis facinora; nec innotatum relinquam, quod Ioannes cap. 13. & vſualem, & myſticam Saluatoris cœnam recẽſens, inſuper, & pedum lotionem, & verba, & facta amoris plena, poſt longiſsimam horum relationem, ad Iudam accedens ait. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam exiit continuo; erat autem nox.* Cur hucuſque nocturnas tenebras non meminit? Et cœna, & myſteriorum inſtitutio, & lotio pedum, & finalis amoris vniuerſa ſigna eodem tempore agebantur, cur interea noctis non meminit, & inter Iudæ exitum ſubito noctis memoriam agit? Sane vbi amor Dei extremus ſeſe in cœna prodebat, nihil nocturnum, nihil obſcurum ſentiebatur, omnia in luce clarebant: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Verum in Iudæ exitu, iam non diuinus amor operabatur, ſed ſtrictæ iuſtitiæ rigor cauſam parabat, & ideo cum Iudæ exitu ſubito nox notatur. Vt enim diuinæ charitatis facinora lucem, ſic diuinus rigor noctẽ, & occultationem amat. Id bene oſtendit diuinus ſermo Geneſ. 19. ſic loquens ad Lot de Sodomis egredientem: *Noli reſpicere poſt tergum.* Vetantur equidem viri iuſti oculos ad flammantem Sodomam conuertere, an ne flagellum Dei perſpicuis oculis videatur? Pulchrè Philo Epiſcopus in Cat. Græ. *Non eſt ratio rerum diuinarum ad mores hominum reuocãda; ſatis eſt nouiſſe Deum pœnas ſcelerum exigere; quæ verò illæ ſint, aut quomodo infligantur inquirere, temeritatis eſt.* Deus fontes flagellat, ſed nequit inter flagella videri; quaſi flagellandi opus diuinæ indoli exiſtat peregrinum. Inter beneficia ibi amat videri, adeo vt ſumat formã viſibilem. D. Paul. ad Gal. 9. *Miſsit filiũ ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret.* Homo fit viſibilis, qui carneis etiam oculis conſpiciatur, vt ſic veniat redempturus mundum, nunquam talis veniret, niſi inter beneficia. Quod tractans D. Auguſt. tract. 3. in Ioann. fatur: Venit Chriſtus, vt iam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia. Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit, & gratiam. *Sed legem per ſeruum miſit, cum gratia ipſe deſcendit.* Non ſe abſcondit gratiam largiturus, imò tunc ipſe venit manifeſtiſsimus.

D. Cyrill. Ioann. 13. Pſalm. Geneſ. 19. Phil. Epiſc. Ad Gal. 9. D. Aug.

§. III.

Chriſtiani ſupra legum præſcripta operari debent.

NON miror, quòd hi primi ad Chriſtum rapiantur Ioannis diſcipuli, in quibus Chriſtianæ ingenuitatis inſigne maximè illuxit, cum à magiſtro iuſsi videre agnum, ipſi vltra magiſtri præſcriptum & vident, & ſecuntur. Ex hoc rectè D. Paſchaſ. lib. 6. in Matth. commendat in Andræa decus Chriſtianũ. Ita enim de illo fatur. *Qui mox Ioanne inſonante: Ecce Agnus Dei, non ſolum videre, ſed & ſequi Chriſtum maluit, ad quem & fratrem ſuum perducere curauit.* Ea eſt Chriſtiana ingenuitas, id decus attulit Dei filius mentibus humanis, quo vltra præſcripta legis exiliamus operaturi. Quod pulcherrime docebat Romanos D. Paul. cap. 8. aiens. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus. Abba pater.* Iam Chriſtiani ſeruitutem exuimus, & libertatem nacti in filios adoptamur. Sed ſcire cupis, quæ ſit hæc differentia ſeruitutis, & libertatis filiorum? An quia liberi, & filij ideo exleges? Ideo minus ſubiecti? Abſit: ſerui, & filij ſub obedientia legibus cõtinentur, illi Domini ſui, hi patris. At ſerui ideo de ſeruitute notantur, quia intra legum præſcripta toti cõtinenter, quaſi intra ſtrictos carceres: non ſic filij, qui ſic patrem legiſlatorem amant, eaque libertate leges amplectuntur, vt minime intra earum obſeruantiam concluſi, vlterius quid intendant, & etiam faciant. Sit huius veritatis aſſertor D. Irenæus lib. 4. cap. 27. vbi commoda dominici aduentus numerans, ait: *Verbum autem liberans animam, & per ipſam corpus voluntarie emundari docuit, quo facto neceſſe fuit auferre quidem vincula ſeruitutis, quibus iam aſſueti erant, & ſine vinculis eſſe quidem, ſuper extendi verò decreta libertatis, & augeri ſubiectionem.* Ecce diuini Verbi miraculum; docuit nos rumpere vincula, carceres frangere, ſeruitutem abijcere, & ſimul docuit per decreta libertatis augeri ſubiectionem. Si liberi à carcere, à vinculis, à ſeruitute, quomodo magis ſubiecti? Quippe ſerui vſque ad legum adimpletionem ſubijciuntur, filij autem, & liberi, vltra præſcriptum patris, ea etiam operantur, quæ parenti iudicant fore iucunda. *Eam verò pietatem* (addit Iren.) *& obedientiam, quæ eſt erga patrem familiâs, eſt eſſe quidem eandem ſeruis, & liberis; maiorem autem fiduciam habere liberos, quoniam ſit maior, & glorioſior operatio libertatis, quam ea, quæ eſt in ſeruitutem obſequentia.* Semper intra legis cancellos tenentur hi, qui ſeruitutis iugo premuntur, horum operatio,

D. Paſch. D. Iren.

tio determinatã, finita, at filiorum operatio quo maior, eo glorioſior; quia vltra legem ad alia ſe ſe extendit facinora. Hinc Petr. Damian. in ſerm. de ſancto Alexio, eiuſdem ponderat facinus, quo ſemel, Dei halitu, relictis parentibus, paternas ædes repetit, ibique moratur, & decumbit. Sanè hoc fuit antiquis patribus ſanctiſsimum inſtitutũ, ne quæ propter Deum reliquerant, vllo modo repeterent. Abraham ſemel à ſuis abſciſſus, numquam ad ſua remeauit. *Alexius cum terrena quæque dimiſit, cum opes omnes, atque diuitias paterni iuris abiecit, ſuperna inſpirationis mandata compleuit: cum vero ad propria redyt abrenuntiator egregius, metam proculdubio diuinæ legis exceſſit.* Sic qui gaudent Chriſtiana libertate, nõ legum arctis obſtringantur cãcellis, ad altiora ſe extendant, vt dum vltra legum præſcripta facinus addũt, ſuam circa leges obſeruandas oſtendant libertatem, & ingenuitatem. Monebat dominus
Matth. 5. ſuos apud Matth. cap. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi alteram: & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo alia duo.* Cur hæc à Domino tuis impertantur? Equidem ne vnquam vim pati dicantur Chriſtiani, neque in ſeruitutem redigi; quando vltra id, quod patiuntur, vel vltra petita, adhuc ipſi à ſe progrediuntur ad alia. Id aſſerit D. Ire
Iren. næus lib. 4. cap. 27. dum ait: *Gaudeamus gratiam magis præſtantes in proximos, quam neceſſitati ſeruientes. Et ſi quis te, inquit, angariauerit mille paſſus, vade cum eo alia duo, vti non quaſi ſeruus ſequaris, ſed quaſi liber præcedas, ſeptum te omnibus, & vtile proximo præſtans.* Seruilis ſanè animus eſt ille, qui totus poſitus eſt in manibus domini ſui, hoc eſt, qui ſolum iuſſa curat implere: ille gratior multo eſt, qui ſponte accingitur ad virtutum ſubeundam viam. Adeò
D. Ennod. vt dicat D. Ennodius lib. 3. epiſtol. *prima res eſt ſancto conueniens propoſito, ſponte pro iuſtitia facere, quidquid alij ſolent monitis exhibere.* Is, qui vltra præcepta fecit, primatum virtutis tenet, qui intra præcepta ſe cohibet, quaſi inutilis habetur ſeruus. Dominus enim monet
Luc. 17. apud Lucam cap. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus.*
Rupert. Id quod expendens Rupert. lib. 1. de conſilio cap. 16. ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, & nihil amplius; quandiubet præcepta faciatis non mecando, non furando, & tale quid non faciendo, iam quidem euaſiſtis plenam, ſed nondum meruiſtis gratiam. Inutiles enim eſtis, quia nihil pro amore, vel gratia Domini veſtri ſupra debitum ſeruitutis penſum adijcere vultis.*

§. IIII.

Creaturarum placita non expectes, vt ſequaris Deum.

OSTENSVM Dei agnum ſecuntur Ioannis diſcipuli ſine vlla mora, nec ſpectant à tãto magiſtro interrogare, an ſecure abeant, an citra periculum illius diſcipuli poſſent fieri? Prudentia hinc confundatur humana, & noue rit creaturarum placita non requirere, vbi ſequendi Deum ſe offert occaſio. Præclare D.
Bernard. Bernard. in lib. de contemptu ſæculi, ait: *Vocat magni conſilij Angelus, quid opus eſt, vt aliena conſilia præſtoleris? Quis eſt enim fidelior? Quis ve ſapientior illo? Sedna me Domine, & ſedncar: fortior eſto, & innaleſcei*; &c. Veneficus ille Balaam ſemel à Deo imbutus benedictionem Iſraelitarum ſpeculatus à Deo iuſſus eſt populo benedicere. Tunc Numer. 24. dicitur. *Et vi-*
Num. 24. *dens Balaam, quia bonum eſt benedicere Iſrael, non abijt ex more in occurſum auſpicijs.* Vbi eleganter Origen. hom. 17. *Non abijt ex more in*
Origen. *occurſum auſpicijs. Non enim more ſibi ſolito, ſtultis, & inanibus ſenſibus rapietur, in animalibus mutis, & pecudibus Dei conſultans voluntatem.* Qui nec digitum exerere volebat, quin prius conſuleret, vel per pctes auium volatus, vel voces, vel exta animalium, vbi ſemel in ſe Dei halitum præſenſit, omnia deſpexit conſilia creaturarum. Quæribundus Iacobi ſocer Laban Geneſ. 31. hic generum à ſe fugientem ar
Geneſ 31. guit. *Cur ignorante me, fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio?* Quod ſi à ſocero non impediendus erat Iacob, imo potius de regionis more, in profectione honorandus, cur profectionem ſuam cum illo non conſulit? Pro Iacob ſtat D. Ambroſ. lib. 1. epi-
Ambroſ. ſtol. 2. alens. *Qui vir exercitio intentus, & quærens veram viam ad virtutem perſequi: non hominem deductorem, ſed oracula quæſiuit cæleſtia. Quæ me, inquit, hinc præceperant abire.* Cur humani reſpectus morarentur illum, qui oraculis mouebatur diuinis? Hoc debet homo ſolum prudẽti examine diſcutere, an vere à Deo vocetur: an Deus ſit, quem ſequi vocatus ſtudet? & hoc cognito, non ad creaturas reſpiciat, nullius morãla placita expectet, ſed poſt Deum ſe ſtinet. Ita Abrahamus vbi ad filij holocauſtum vocatur, Deique vocationem nouit, nihil
Geneſ. 22. cum familiaribus locutus, Geneſ. 22. *Surrexit Abraham mane, & ſtrauit aſinam ſuam, &c.* Ipſe ſuam ſtrauit, ipſe omnia parat, nulli cõmunicat vel conſilij vmbram, vt bene Origencait hom. 10. in Ieſu. *Origen.* *Non deliberat, non declarat, non communicat cum vllo homine conſilium, ſed ſtatim occupat iter.* Suſpecti ſunt nobis car-

carnei oculi, circa negotia diuina; bene discipulorum suorum definiebat prudentiam Dominus Matth. 10. dicens: *Estote prudentes, sicut serpentes.* Quæ est serpentis prudentia, nisi illa qua serpens homines suspectos habet in caput suum? Rupert. lib. 8. *Hic est effectus similitudinis serpentium, quem dicit, estote prudentes, sicut serpentes, scilicet, cauete ab hominibus, vt subaudias, ne homines percutiãt caput.* Sanè caput hominis Christus est, quem sic obseruare debemus, vt propter illum homines suspectos habeamus. Quid plura? etiam ab Angelis cauendum nobis est, iuxta D. Pauli monitum, qui ad Galat. cap. 1. sic scribit: *Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quam quod Euãgelizauimus vobis, anathema sit.* Quippe vult Paulus, quod sic Deo sufficienter nobis proposito adhæreamus, vt deinde ab omnibus cauea mus creaturis, etiam ab Angelis, vt ipsam etiã securitatem timeamus. Sic Bernardus meditatus Mariam pauentem ad Angeli affatum, ait. *Vis, ô homo in periculo esse securus? Time securitatem. Vis esse à dæmone liber? Angelos de cœlo time.* Vnus Deus est tibi aspiciendus, vnius Dei sequendus nutus, qui solus te in viam rectam deducet, & securum in patria locabit. Magi vbi stella duce Iesum natum viderunt, cum de redditu cogitabant ad patriam, nõ iam stellarum consulũt aspectum, sed nec Angeli quę- Matth. 2. runt ducatum, verum Matth. 2. *Accepto responso in somnis ne redirent ad Herodem, per aliã viam reuersi sunt, &c.* in somnis ab ipso Angelorum Rege Iesu docentur, & diriguntur in viam iustificationum suarum, ne post Iesum alia creaturarum vestigia sequantur. Accipite D. Pasch. D. Paschas. lib. 2. in Matth. fantem. *Non per Angelum vti ad Ioseph hæc responsio facta dicitur; sed sanctorum Patrum traditio est, ab ipso Domino diuinitus imbutos fuisse: quia neminem aliũ constat viam regressionis ad patriam vsque instituisse, præter eum, qui se viam præbuit imitabilem, vt per ipsum ad ipsum tendentes, quandoque patriam repetamus.* Vbi Iesus via nobis proponitur, hanc viam salutis arripiamus, necui aures prębeamus, qui nos viam flectere faciant. Raro enim ad rectam viam pertinet multorum magistrorum auscultatio; bene monebat Timotheum suum D. Paul. aiens: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacerbabunt sibi magistros prurientes auribus, &c.* Ecce tibi non obscura à via veritatis deflexio, quod magistros coacerbes, quod post Deum sufficienter propositum, adhuc pluriũ magistrorum audias placita, mirum erit, si post is non deuiare. Pulchro exemplo periculum hoc promit Clemens Alexand. lib. 5. Stroma- Clem. Alexandr. tum fatus. *Calices, qui à multis sumuntur per aures, hoc est, ansas, aures quidem amittunt, prætea ipsi excidentes confringũtur. Eodem modo hi, qui multis nugis fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem tandem surdescentes, & inutiles fiunt, & in terram decidunt.* Bene Ioannis discipuli post inuentum Iesum non dant operam scholæ Ioãnis, nec tu magistros coacerbabis, vt Iesum sequaris.

Textus. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis. Quid quæritis? Qui dixerunt ei. Rabbi, quod dicitur interpretatum, Magister, vbi habitas?

§. V.

Quam leuissima obsequia Deo accepta sunt.

PAVCOS hi discipuli post Iesum gradus fecerant, & non se continet Iesus, quin ad illos & gratus, & placidus conuertatur, illis pauculos illos passus acceptos referens. Nulli mihi crede, adeò paruum obsequium Deo offeres, quod ille præoculis non habeat, cordique iubeat esse. Id persuadebat Nazianzen. orat. 6. dicens. *Nihil adeò paruum est, si Deo fuerit oblatum, licet sit minimũ, licet paruo pretio dignum, cui penitus aditus denegetur, aut quod non suscipiat misericors ille, qui cuncta iustâ norit expendere statera.* De minimis rebus potest quis ingentem Dei misericordiam comparare, innumerisque calamitatibus eximi. Diues ille inter tormenta, Lucæ 15. fatur. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua, & refrigeret linguam meam.* Quid ais miser, quomodo digitulus tinctus aquæ potest tale incendium refrigerare? Est ne incẽdium istud, quod pateris, tale, vt possit aquę gutta extingui? Sanè ea sunt omnia reproborum mala, quæ paruis rebus, quæ munusculis, quæ vel mica panis, vel aquæ guttulis in tempore exhibitis depelli potuerint. Ita Chrysolog. serm. 5. *Ista gutta est, diues, quæ te facit crudelem; ista gutta, quæ os Lazari à te negata siccauit: quia ad refrigerium pauperis & gutta sufficit, & mica.* De micis posses placuisse Deo, cui leuissima quęque obsequia placent, quem etiam vilia munera demulcent. Iacob post cœli scalam visam, post ingentes Dei promissiones acceptas, Genes. 28. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit titulum, fundens oleum desuper.* Quasi benefactorem suum Deum parui olei effusione delinire vellet. Sed mirum, quod videns Deum cœli

cœli dominatorem, & Angelorum, audiensque eundem magnificum bonorum sponsorem: audeat ipse tanto Domino, tam diuiti parui olei munusculum offerre, & de adeò paruo munere Deum obligare sibi. Pulchrè Theodoretus, quæst. 83. inquit. *Cum erexit lapidem, inunxit oleo. Atqui non respuit etiam minima benignissimus Dominus, gratam habens operis intentionem.* Non multis machinarum aggeribus opus habes, vt Dei benignitatem expugnes, si vel capillum capitis dederis, vicisti. Ait enim Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui.* Ecce vnus crines pro validissimo telo æstimatur, cui se se deuictam Dei clementia fateatur: sic gloriatur Deus, quod percussus sit ab vno crine sponsæ, quasi à forti & splendenti machæra. Ne iam mireris, quod capilli iustorum in numero sint apud Deum, Matth. 10. *Capilli capitis vestri numerati sunt.* De quo Augustin. serm. 6. de verbis Domini, ait: *Videte, quia minima nostra non contemnit Deus. Nam si contemneret, nec crearet. Nam, & capillos nostros ipse vtique creauit, & numeratos habet.* Numeratos, inquam, habet capillos, qui in numero habet quæuis minima seruitia sibi exhibita. Hinc Ioan. 6. multiplici panum gratia satiatur us turbas, primo inquirit: *Quot panes habetis?* Vt ostendat, quam sibi placeant, etiam parua munuscula, quæ numerata voluit recipere. Quo spectatauit D. Basil. Seleu. orat. 25. fatus. *Qui fontis instar panes multiplicat, numerum sciscitatur.* Forsitan inter tantas panum segetes à Christi manibus ortas, euanescerent pauci discipulorum panes oblati Domino, quod damnum præcauens Iesus, non ante beneficentiæ suæ aperit fontes, quam numerum oblati panis faciat constare, vt & inter segetes, numeratos habeat paucos discipulorum panes.

Theodor. *Cant. 4.* *Matth. 10.* *August.* *Ioann. 6.* *Basil.*

§. VI.

Deus se se deiicit, & aptat, vt ab hominibus capi possit.

PVSILLI hi Ioannis discipuli à tergo Dominum sequebantur; nemo enim Dei attingere potest faciem, nisi Deus se se dejiciat, & aptet humanæ fragilitati. Quod & facit Dominus, quando ait textus: *Conuersus autem Iesus, & videns eos, &c.* Vbi notanter Beda fatur. *Conuertit se, & quodammodo de sua maiestate descendit, vt possint discipuli contemplari faciem illius.* Is sanè est Deus, qui nouit semetipsum exinanire, ne humana exiguitas summi illius boni permaneat inanis. Quod Petrus odoratus clamabat: *Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite, vt in eo crescatis*, videlicet, nullius infantiæ prætextu Dei sequelam deseratis, quãdo eum Deum habetis, qui se ad lactis dulcedinem temperauit, vt mulgeri possit ab infantibus. Hugo Vict. lib. 1. Miscell. titul. 25. ait: *Sapientia sursum panis erat, & versa est deorsum in lac. In diuinitate panis, in humanitate lac; & nutritus est paruulus sensus lacte humanitatis, vt crescens, & conualescens capere possit cibum diuinitatis.* Nec longé abest ab hac ipsa meditatione D. Irenæus libr. 4. cap. 74. fatus. *Quasi infantibus ille, qui erat panis verus, & perfectus patris, lac nobis se ipsum præstitit, quod erat secundum hominem eius aduentus; vt quasi à mammilla carnis eius enutriti, & per talem lactationem assueti manducare, & bibere verbum Dei, in nobis ipsis eum continere possimus.* O quam nouerat hunc Dei condescensum, seu conuersionem, noua illa sponsa, quæ Dei nuptialem ostensura gloriam, ait: *En lectulum Salomonis!* Expende illud diminutiuum, nimirum, *lectulum*, quasi summi Dei diminutionem notans, vt ab hominibus pertingi possit. De quo pulchrè Gilbertus, serm. 2. in Cant. loquitur. *Lectulus*, ait, *& dilectus, quia quiescit in illo, & deficit in ipsum. Miraris, quod dico lectulum? Audebo, & adijciam vilius aliquid, imò & sublimius super omnem gloriam laudis eius. Quanto enim pro me egit viliora; tanto bonitatis suæ dedit indicia maiora. Ipse paruulis lectulus; ipse pullis est nidulus. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* O quam se deijcit maiestas, vt possit capi! Quisquis paruulus es Deum ama, qui paruulus tibi nascitur; & ne ingenti eius magnitudine terrearis, sic se humanis modulis aptat, vt & lectulus, & nidulus pullis suis factus videatur,

Beda. *1. Petr. 1.* *Hug. Vict.* *Iren.* *Gilbert.*

§. VII.

Non statim euolandum ad summa.

PROH discipuli prudentissimi! summum magistrum nacti non de doctrinæ apicibus interrogationem instituunt, contenti si liceat, pro tunc, habitationem eius scire. Vtinam hanc mentem habuisset ille, qui vt Iesum vidit, quod sit mãdatũ maximũ inquirit, & spectãs maxima, sustineret se in paruis exercere quam primũ. Sũt enim qui perfectionis culmina, & pulchra, & plena diuitijs prospiciẽtes, prima rudimẽta, & dura, & arida fastidiũt, indigne ferẽtes se se paruis cõtineri exercitijs. Hos monebat Naz. orat. 6. inquiẽs: *Ne expecta, vt bonus fias, sed iam fieri incipias.* Quasi dicat, ne tibi

Nazianz.

ne tibi perfectionis culmen expectes, nisi iam initijs obtinendis insistas; hæc tibi sit prima cura, vt in paruis exercearis, quando per parua initia ad magnũ itur. Ecce viam perfectionis à Deo edoctam, Psalm. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* An quia dixit Deus, quod fiamus dij, statim ad diuinitatem euolaturi sumus? Continuo de sola diuinitate habenda acturi? Absit: imo, quia Deus nos ad deitatis vocat consortium, necessum est, vt nos intra morientium hominum leges contineamus, & quidquid est hominis, & principis cadentis adimplentes, capaces simus superioris deitatis. Hinc præclarè Ironæus, lib. 4. cap. 75. fatur. *Ingrati volentes primo esse hoc, quod facti sunt, homines passionum capaces, sed supergradientes leges humani generis, & ante quam fiant homines, iam volunt similes esse factori Deo: qui plus irrationabiles sunt, quam muta animalia. Hæc enim non imputant Deo, quod non homines fecit ea. Nos enim imputamus ei, quo niã non ab initio Dij facti sumus, sed primo quidẽ homines, tunc demum Dij: quamuis Deus hoc fecerit secundum simplicitatem bonitatis suæ. Ego, inquit, dixi Dij estis. Nobis autem potestatem diuinitatis haudiare non sustinentibus: Vos autem, inquit, sicut homines moriemini.* Itaque non subito, & in primis Dij, sed primum hominum ebibentes vitam, mortem tractemus, mortem meditemur, mortalium elementa ruminemur, vt per prima ad superiora deuenjamus. Non ante Dij velimus esse, quam homines morituri, ne proijciamur, vt ille, qui ante voluit esse Deus, quam Angelus. Aiebat enim cum primum creatus est, Isaiæ 14. *Similis ero altissimo*, in primo gradu ad altissima rapi curabat, vndé lapsus est. Ita D. Methodius de præuar. Ang. ait. *Deo se parificare volebat in illa parua morula, in qua creatus fuit vna cum alijs. Vnde scribitur Apocalyps. 12. & proiectus est Draco ille magnus.* Expende illud, *in illa parua morula*, quippe nihil moratus in primo gradu, statim ad summum perfectionis festinabat, & iam inde substantia festinata fit suspecta. Beatorum alitum supremos effingẽs volatus, ait Dominus, Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ.* Pulchrè meminit aquilam, quæ ante perpetes volatus, longam subit parentis disciplinam; dicitur enim Deuteronom. 32. *Sicut aquila prouocans, ad volandum filios suos, &c.* Quippe aquilarum pulli sub matris disciplina primos, eosque demissos edunt volatus, & post exercitia volandi quotidiana se se efferunt, & sustollunt in aera. Quo nos ita monet Gualricus Abbas sermon. in Ascens. *Quid putamus fratres, quando tunc repente de terris ad cælos euolare poterimus, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicimus? Num quid non Christus, sicut aquila prouocat ad volandum filios, quando super eos volitabat?* Equidem prouocat nos Christus ad volandum, sed sicut aquila prouocat pullos, ne subito ad sublimia feramur, sed per demissos volatus quotidie exerceamur, vt post modum possimus æthera scandere. Bene obtabat ille, sub parentis disciplina primos, & humiles edisce volatus, qui dicebat Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ.* Non adhuc perpetes aquilæ petit volatus, sed cum columba gemere, & inter Christianæ petræ caberuas amat volitare. Ita D. Ælredus lib. 1. speculi cap. 5. ait. *Plumescat interim Domine Iesu, plumescat, quæso, anima mea in nido disciplinæ tuæ, paulet in feraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* De hoc infra lib. 9. cap. 2. §. 7.

Psalm. — Iren. — Isai. 14. — D. Meth. — Matth. 24. — Deut. 32. — Gualric. — Psalm. 54. — D. Ælred.

§. VIII.

Domus Dei quam componit affectus humanos.

PRAECLARE discipuli Ioannis nõ prius Iesum alloquuntur, quam eius domum adeant, habent enim hoc proprium parietes domus Dei, quod componat affectus humanos. Sanè sanctissimus ille Petrus Damianus, non sine querela, & amaritudine forensibus Ecclesiæ negotijs operam suam nauabat. Qui tamen dese loquens lib. 6. epistol. 5. ait. *At post quam ad cellulam venum est; imò postquam in me ipse, qui fueram exclusus, intraui, mox æstuantis animi feruor extinguitur; contentiosi loquij querela sopitur; tumor, clamor, & indignatio præsto deponitur. & omne, quod in mris visceribus amarum fuerat, diuinitus obdulcatur. Nam velut ad tribunal in dicis contentiosus litigator adductus, querelam inutilem non sum ausus exponere ante districtæ cellulæ maiestatem.* Expendo, quod à querelis inutilibus abstineat, *ante districtæ cellulæ maiestatem*, est enim quædam sacris locis maiestas, quæ nihil permittat erumpi inordinatum, quæ prauis aduersetur affectibus, eosque nouerit coercere, ac frænare. Quo respiciens Psaltes aiebat 77. *Ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum.* Hoc est, excelsa est, & singularis loci sacri maiestas, non absimilis, & celsitudine, & singularitate vnicorni, sed magis similis illi in virtute aduersus malitiam. Ita enim vnicornis contrariatur venenis, vt positus inter dapes, nullum ferat venenum, imò si quod immixtum erat, statim hebescat, nec se prodere audeat. Hanc vim contra vitia templis inditam nouerũt veteres magistratus, qui post sacrificia publica etiam conuiuia in tem-

Pet. Dam. — Psalm. 77.

in templis instituebant. De quibus Philo,
Phil. lib. de Plantatione Noe fatur. Post sacra conuiuia faciunt: *Sed in templis, vbi sacra fecerant permanentes, vt & sacrificij memores, & locum reuerenti sacrosanctum, re vera celebrarent conuiuium, nec verbo, nec facto vllo peccantes.* Quid vnicorni similius? Equidem potens est templorum maiestas effrænes appetitus coercere, & pene erumpentia vitia frænare. Nullibi id
Ezech. 43. melius, quam apud Ezech. cernitur cap. 43. cui ita Dominus loquitur. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Vbi expendendum, quibus Deus vtatur medijs ad pœnitentiam ingerendam Israelitis peccatoribus, qua liberentur à peccatis, nimirum, vt illis templum ostendatur. Putassem dictum Prophetæ, quod clamaret, quod supplicia ingentia prædiceret, & solum dicitur illi: *Ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitate sua.* Quasi ea sit virtus templis indita aduersus vitia, & peccata, vt si tantum videantur, valeant illa penitus expugnare. Do huc respicientem Chrysostomum homil. contra Ano-
Chrysost. mæos, vbi sic: *Quotidie ad hanc congregationem confluamus. Nam si concupiscentia flagræs, poteris eam facile restinguere, tantum visa hac domo, & si irascaris, facilem bestiam domabis, iram inquam: & si aliqua alia affectione impeteris, tempestatem eam facile sedabis, reddesque pacem, & serenitatem animæ tuæ.* Expende illud, *tantum visa hac domo*, quasi domus Dei parietes, si videantur, vim habeant, vt vniuersa expugnent vitia, pacemque virtutum concilient.

§. IX.

Vnam Dei æternam habitationem acquirendam propone.

QVAM bene à Christo Domino de eiusdem habitatione queritur? Nullum enim negotium aliud prius, cum Deo tractandum, agendumve. Ita Alcuinus in Cat. *Cum*
Alcuin. *incarnationem eius ad mẽtem reducimus, sollicito corde eum rogemus, vt mansionem æterni habitaculi nobis ostendat.* Hæc vna sit nostra sollicitudo, & cura, vt Dei habitationem potiamur, quam dum non tenemus, in nullo alio quiescamus. Dauid inter victorias partas, inter regna subacta, inter cœlestium visiones, imò inter mille Dei dulcedines prægustatas, adhuc an-
Psalm. 41. xius, & inquietus aiebat Psalm. 41. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Equidem iuste vocat animam in examen, cur tot bonis oppleta non quiescat? Cur fauoribus, muneribusque diuinis cumulata nouas adhuc molitiones agat? Sed præstat in præsenti audire Augustinum sic fantem. Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ecce iam quadam interiori dulcedine lætati sumus: ecce acie mentis aliquid immutabile, etsi perstrictim, & raptim perspicere potuimus. Quare adhuc conturbas me? Quare adhuc tristis es? Et quasi responderet illi anima eius in silentio: *Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, vbi est dulce? Non vis, vt conturbem te posita in sæculo, & peregrina, adhuc à domo Dei mei?* Dum limina æternæ habitationis non teneo, in omnium bonorum culmine tristis, & conturbatus ero; pusillæ sunt cunctę gloriæ extra cœlestem patriam constitutis. Meministi ingentes Christi glorias in Tabore? Eas, vt æternaret Petrus, se se offert construendis tabernaculis tribus, aiens. Matth. 17. *Bonum est nos hic* *Matth. 17.*
esse; faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum. Cuius ignorantiæ os rectè obstruit vna Christi vox apud Timotheum *D. Timoth.*
Ierosol. orat. de Cruce, & Transf. vbi sic Petro respondit Dominus. *Hiccine habitabo, & extra paternum inuenar sinum?* Videbatur Petro ingens illa gloria sufficiens, vt posit Filiũ Dei æternum perfundere; sed dum extra patriam domum manendum erat, nulla gloria sufficiens erat, omnia gaudia fastidiuntur. Sanè, qui bene norunt cœlestem habitationem, non ferunt paulisper immorari extra illam. Vbi reuocandus fuit Abraham à sacrificio filij. Genes. 22. *Ecce Angelus de cœlo clamauit, di* *Genes. 22.*
cens: Abraham, Abraham. Verum vbi Maria expostulanda erat, & alloquenda, Luc. 1. *Luc. 1.*
Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Cur ibi non mittitur Angelus, sed ab ipso cœlo peragit negotium cum Abraham; hic mittitur Angelus ad Mariam, cogiturque cœlum deserere, vt Mariæ terat limina? In re tractanda cum virgine, omnis erat mora tollenda, summa celeritas expectabatur, & ideo cogitur Angelus cœlestem deserere domum, ne moram agat, sed quam celerrime redeat ad sua: non enim extra paternum solum sustinent morari cœlestes ciues. Id notauit Franconius to- *Franco.*
mo 6. de Gratia, inquiens. *Mittitur itaque, vt celerius eat, quia plenitudo temporis iam aderat.* Etiam medijs mũdi glorijs non sustinent paulisper inueniri extra paternum solum, qui aliquem illius gustum recipiunt.

Textus. Venite, & videte.

§. X.

In domo Dei sanctè, & deuotè agendum. Et quam vtilis templorum obseruatio.

VIDETE quos viros trahit Dominus in domum suam, nimirum eos, quos magna animi reuerentia, & humilitate accedentes notauit, depulsurus quoscumque alios. Apud Matth. 22. Matth. 22. cum ad nuptiale conuiuium quidã indecenter ornatus discubuisset, accessit Dominus, & indignans, ait illi: *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* Intrauerat ille, & federat ad conuiuium; & solum reprehẽditur, quod intrauerit, vt magno notetur dignus supplicio, qui vel limen domus Dei indig Chrysost. nè pertingit. Chrysost. hom. 61. ad Pop. *Non dixit, quare discubuisti? sed ante reclinationem, & ingressum, semetipsum indignum esse fatetur. Non enim dixit, quare recubuisti? sed quid intrasti? Hæc etiam nunc omnibus obloquitur impudenter, & procaciter astantibus.* Multum per omnem modum Deum offendit, quicumque irreuerenter terit sacræ habitationis limina. Qui verò nudis pedibus, hoc est, puris affectibus terram sanctam calcant, hi facili negotio pericula omnia euadunt. Pulchrum est illud Dauidis occinium, Psalm. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flenimus, dum recordaremur tui Sion.* Mirum videbitur, quod super flumina possit quis sedere, quippe solæ fluuiales auiculæ id habent proprium, quod insideant fluminibus. Ergo more alitum insidebant Hebræi super Babilonis flumina; sed illi Hebræi, quorum in animis durabat sanctissimi templi obseruatio. Qui captiui adhuc Sionẽ, hoc est, templum recordabantur, venerabantur: hi facti alites sic fluctibus insidebant, vt quouis sig Rupert. no dato facilé euolarent. Ita Rup. in Ieremiã, lib. 1. cap. 2. fatur. *Super flumina Babylonis illic sedimus. Illorum erat hoc dicere, qui recordabãtur Sion, vbi fuerat templum sanctum. Tales nimirum non sub aquis fluminis absorti erant: sed supersedebant similes auiculis, quas aquæ imperio Dei produxerunt, parati ad volãdum.* Equidem sacri loci obseruatio indit alas, quibus supernatemus tempestatũ fluctibus, & facilé à malis possimus euolare. Hucretulerim illud Isaiæ, Isai. 16. cap. 16. *Emitte agnum dominator terræ* (dominator enim legendus ex Hebræo) *de petra deserti, ad montem filiæ Sion: Et erit sicut auis fugiens.* Hęc mutatio dexteræ excelsi, qui modo agnus erat per desertum errabundus, mille ex positus lupis, subito auis fit, quæ laqueos rideat, & pericula fugiat. Sed hæc mutatio non fit nisi in his, qui per montem Sionis, nimirũ templum reuerenter gradiuntur. Veniat, qui errat in deserto, agnus, ad mõtem Sion, & auis fiet, & sicut auis fugiet pericula. Hanc Dauidi persuadebant doctrinam illi, ad quos ipse ait Psalm. 10. *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetrâ, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Psalm. 10. Is enim est mons Sion, qui indat alas, quibus vt auis possis securus à cunctis periculis auolare.

§. XI.

In domo Dei laborandum.

REQVISITAM habitationem suam ostẽdit Dominus, quod in maximam admirationem D. Chrysostomum rapit: etenim sic ipse addubitat. *Qualiter alibi, ait, filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet; hic autem dicit, venite, & videte vbi habito?* Et quidem si habitationem suam ostendit, iam videtur habuisse, vbi caput suum reclinaret. Verum non ea est domus Dei, non ea dominica habitatio, in quâ reclinetur caput, sed in qua impensè laboret, nullusque additus otiosæ quieti pateat. Bene aiebat Deuteronom. 11. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Deut. 11. Non ait. Omnis locus, in quo reclinaueritis caput, sed quem calcauerit pes vester, non otiosè sedentibus, sed laborantibus Deus habitationem parat. Fortis illa mulier, Prouerb. 31. *Dedit prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Prou. 31. Nil otiosum in domo permittit, quando cuncti domestici prædam capiunt, præda enim non sine labore, & opere acquiritur. Sed aptius Lxx. aiunt. *Dedit cibaria domo, & opera ancillis.* Lxx. Cibaria præbet ancillis, sed cibaria iuncta operi; quod memorans D. Ambr. ibi fatur. *Nũquid manducandum, & vacandum? Non vtique. Nam illa quæ dedit æscas domo, dedit & ancillis opera.* Ambros. Nusquam in domo Dei apparet otium; diuino Salomoni nec lectulus est nisi inter arma, inter bellicos fudores; *En lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Quo videbis, quam vani sunt, imò quanto iaceant sub periculo, qui domum Dei veniũt, vt lectisternia quærãt, vt caput reclinent, vt laborẽ fugiant. Monebat Paulus 1. ad Timoth. 3. *Qui Episcopatũ desiderat, bonũ opus desiderat.* 1. ad Tim. 3. Quasi in officijs domus Dei minime sedes spectanda fuerit, sed opus, sed labor amplectendus. Quod notat Hieron. in Sophon. cap. 3. inquiens. *Videte quid dixerit: bonum opus desiderat, non dignitatem. Si autem despecto opere, solam aspexerit dignitatem, cito corruit.* Sophon. Non sedes, sed

ope-

opera, & labor dant firmitatem domeſticis Dei. Eu, quot video in domum Dei intrãtes, ſolum vt caput reclinent, vt ab omni opere feriati, otioſi viuant. Hi vaniſsimi, & infeliciſsimi, perquam ſimiles ſunt fœminæ illi, quæ 3. Reg. 4. furata fuerat ſociæ filium. Agitur fœminarum cauſa apud Salomonem: ſiſtitur puer in medio; iubet rex puerum diuidi; vera mater reſiſtit, & mauult integrum aduerſariæ concedi. Cui falſa reſpondet: *Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Diuiſionem equidem muneris amat, quicumque vt fur ad domum Dei accedit, ſed eam diuiſionem, qua ipſe muneris honorem, & emolumentum habeat, operam, & labores alijs relinquat. Sic pulchrè Gualricus Abb. ſerm. 3. in Nat. inquit: *Illa nec mihi, inquit, nec tibi, ſed diuidatur; quia ſanctitatis cupit ſibi retinere honorem, & alijs relinquere laborem.* Fures iſti ſunt, non verè patres, non verè religioſi, non verè domeſtici fidei, qui ſolas ſedes cupiunt, vt caput reclinent, & à vigilijs, & laboribus abſtineant.

Gualric.

§. XII.

Rectè petentibus, & facilis, & liberalis Dominus.

PROH Deus immortalis, quam facilis, quã liberalis es illis, qui rectè petunt! Habitaculum diuinum ſibi demonſtrari petebant diſcipuli; quibus ſtatim Dominus ait, venite, & videte. Hoc enim maxime curat Deus, ne ſerui ſui honeſtæ petitionis denegatione triſtẽtur. Ideo vbi Philippus baptizauit Eunuchũ illũ Actor. 18. ſubito diſparuit, *& inuentus eſt in Azoto.* Et cur tam ſubito diſparuit, nec permiſſus eſt recẽti Chriſtiano vale dicere? Chriſoſt. hom. 19. *Vtiliter rapuit illum Spiritus, alioquin rogaſſet illum Eunuchus, vt ſimul cum illo proficiſcatur, quemille, cum nondum tempus eſſet, renuens, ac negans contriſtaſſet.* Adeò cauit Deus, ne ſuorum honeſta petitio fruſtrari videatur; tamque durum, & acerbum putat ſeruis ſuis aliquid denegare, vt ad incompoſitos ſuorum auſus deterrendos, non crucem, mortemque, ſed vnam ſolam negationem nouerit minitari. Quis magis incompoſite petebat, quam duo filij Zebedæi? Hi auſi ſunt etiam cum inuidia fratrum, primos accubitus in Chriſti regno expoſtulare: quos, vel ſupplicio deterrere volens Dominus, ait: *Non eſt meũ dare vobis.* Quæ verba meditans D. Cæſar. Nazianzeni frater, Dial. 3. fatur. *Non eſt meum dare vobis ait, per illos reliquos caſtigans, & accenſum in ipſis abſurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis.* Quaſi hoc terribiliſsimum à Deo ſupplicium foret, nimirũ quòd ſeruis ſuis aliquid videatur denegare. Adeo procerto habent Dei ſerui petitionum ſuarum adimpletionem; vt niſi pro magno ſupplicio non veniat illis vlla negatio; adeò Deus procliuis eſt, & facilis ad ſuorum rectè petita concedendum. Vis videre quàm ad id Dominus procliuis ſit? Memora orationem Dominicam, ſeptem in illa petitiones ingeſtæ ſunt breuiſsimis verbis compoſitę. Sed cur tot petitiones tam breui oratione conglomeratæ? Pulchrè, & elegãter Sedulius lib. 2. Paſch. cap. 11. rationem innuit. *Iudex piiſſimus breuiter vult rogari, quo citius annuat ſupplicanti.* Sic feſtinat ad concedendum, quod bene petitur, vt non ferat longas orationum clauſulas, vt honeſtarum rerum orationes, quam breuiſsimas faciat. Moleſtiſsimè equidem fert Dominus, quod ſuorum orationes moram in obtinendo patiantur. Hinc eſt, quod ipſe Dominus pauperum ſuorum moleſtias, & repulſas ſuas reputet. Dicet enim Matth. 25. ad eos, qui ſurdeſcunt ad vocem pauperum. *Eſurini, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui & non dediſtis mihi bibere, infirmus fui, & in carcere, & nõ viſitaſtis me.* Quare, ò Deus, eſuriebas, & alia in paupere patiebaris? Sane, quia videbam, ait Dominus, iuſtiſsimas preces pauperũ non exaudiri, imò contemni, id mihi omnes has moleſtias dabat, qui adeò ſum procliuis precibus audiẽdis, vt nequeam videre bonas preces fruſtrari. Sic apud D. Baſil. Seleu. orat. 22. ait Dominus: *Ego ad eorum orationes crucior.* Orant pauperes ad diuites, diuites ſurdeſcunt ad preces pauperum, & preces non exauditæ maximum Deo inferunt cruciatum. Qui quam citiſsimè ſuorum preces exaudiri amat.

Act. 18.

Chryſoſt.

Cæſar.

Sedul.

Matth. 25.

Baſil.

§. XIII.

Diuini habitaculi bonum nullis verbis poteſt explicari.

INTERROGATVS Dominus de habitaculo diuino, non illius ſitum deſcribit, nulla ſigna dat, per quæ cognoſci valeat: quaſi & ſigna, & verba minimè eius poſsint pertingere magnitudinem. Solum ait, *venite, & videte*: tunc enim diuinæ domus gloria clareſcet, quando hinc abeamus, & videamus. Sanè Ioãnes Apocal. 21. dicit: *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouã, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quis crederet, tũc nõ patuiſſe Ioanni Dei habitaculum? Et oblata oculis ciuitas eſt, & audita vox, quæ Dei habitaculum explicaret; his putarim patuiſſe domum Dei. Sed interea accedit Angelus, & ait

Ioan-

Ioanni: *Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo.* Expendo illud: *veni, & ostendam*, quasi dixeris, donec hic manseris, nondum percepisti Dei tabernaculum, abeundum tibi est hinc, vt illius magnalia percipias. Id quod acute notans Rich. Vict. lib. 7. cap. 3. sic fatur. *Mirum videtur quod Angelus sancto Theologo se hic sponsam vxorem agni ostendere promisit, quam ipse sanctus se vidisse paulò antè descripsit? Quid est ergo quod ille promisit ostendere, quam se dixerat iam vidisse? Nisi quod iam magna quidem viderat, sed adhuc tamen maiora visurus erat.* Id enim est tabernaculū Dei, quod nullis vnquam verbis exprimi queat; cuius gloria quantumuis auribus exprimatur, semper maiorem sui partem reliquit oculis manifestandam immortalibus. Nulla lingua, nullus sensus explicare valet ingētem gloriam diuini habitaculi, quæ oculis mentis nostræ paratur. De Salomonico curru, quo rex regum se visendum extra domum pandit, sic ait Cantic. 3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas: reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Quibus valde notandum est, quam multa sit sponsa in ponderandis prædicandisque ferculi diuitijs. Non sic vbi ad lectulum domi stratum ventum est, imo ibi solum ait. *En lectulum Salomonis septuaginta ambiunt, &c.* Nil de lectuli columnis, nil de reclinatorio, nil de eius pulchritudine, aut diuitijs, dicit, quasi diuini cubiculi diuitias prorsus ineffabiles habeat. Gillibert. Abb. serm. 16. in Cant. fatur. *Quid est quod de ipso nobis lectuli apparatu nihil dicit? Quod non eius, vel in modico depromit delitias? Et thronum lego Salomonis, & ferculum: sed vtrumque ambitioso structum apparatu, & sicut regias decet delitias. Nunquid lectulum intellegimus neglectū? Absit: sed sufficiebat, vt lectulū diceret: forte verbū hoc verbū ineffabile, quod non licet homini loqui.* Equidem quidquid ad cœlestis cubiculi delitias, & diuitias pertinet, ineffabile est. Inter Taboris glorias Matth. 3. quando Iesus apparuit pulchrior sole, vox patris intonuit, terra omnis repleta est maiestate, audet Petri lingua, & ait: *Bonum est nos hic esse*, præsentis gaudij magnitudine capta. Verum vbi rediuiuus Dominus ascendit in cœlum, & fores cœlestis patriæ tunc primum reserātur: ait Angelus ad Apostolos. Act. 1. *Viri Galilei, quid statis aspicientes in cœlum?* Non dicunt, quid statis loquentes de cœlo, sed quid aspicitis; nō enim ea est cœlestis gloria, in quā lingua audeat, solum oculi poterunt illā testari. Quo respiciebat D. Chrysost. serm. 4. de Ascens. aiens. *Tunc Petrus magna cū fiducia respōdit: Bonum est nos hic esse. Nunc verò, nec loqui quidem potuit aliquis discipulorum, nec os aperire.* Maior est omni laude, quā videbimus gloriam Dei in æternis habitaculis. Vt merito de illa diceret Isaias c. 60. *Tunc videbis, & affluues.* Dum oculis tuis cœleste penetrale non paret, dies non es; etiam si super omnia mundi regna constituaris, pauper & miser es. Princeps illo tenebrarum harum post omnium mundialium regnorum ostensionem aiebat Iesu: *Hæc omnia tibi dabo, si procidēs adoraueris me.* O magnificum spōsorem. Esto: daturus verè est omnia regna mundi: quid inde? Pulchrè Naziāz. orat. in S. Baptist. fatur. *Si per cupiditatem oppugnet, vno temporis momento, atque aspectu omnia regna mūdi velut ad se pertinentia ostendens, atq; adoratione à te exigens, illum vt pauperem aspernare.* Quippe pauper, & miserabilis est in omnibus mundi regnis, nihil in cunctis imperijs perituris inuenies, nisi paupertatem, tunc videbis, & affluues, tunc in Dei habitaculo videbūt oculi tui diuitias immortales, quibus æternum affluas.

Rich. Cant. 3. Gillibert. Matth. 3. Act. 1. Chrysost. Nazianz. Tertull. Matth. 2.

Textus. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt illo die. Hora autem erat quasi decima.

§. XIII.

In domo Dei is perseuerat, qui Deo ducente introiuit.

EXPENDO illud superioris versiculi nimirum: *Venite*, & illud in præsenti positū, nēpe, *manserunt*. Nisi enim Dominus illos secū traheret in domū suam, nequaquā ibi permansissent. Quod persuadebat Tertul. ad Martyres carceribus pro Christo detentos, his verbis. *In primis ergo benedicti nolite contristare Spiritū sanctum, qui vobiscum introiuit in carcerem. Si enim non vobiscum nunc introiisset, nec vos illic hodie fuissetis.* Habet hoc singulare diuinus impulsus, qui semel menti humanę impressus nouit diu durare, & perseuerare facere. Felices illi Magi à stella tracti, vt Deum adorarent, nec gradū faciunt sine illa stella; verum post adorationem diuini Infantis, Matth. 2. *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.* Non ducem requirunt, non stellam, nō Angelum, non columnam nubis, qua præeunte nouum iter arripiant, sed statim abeunt responso in somnis accepto. Cur venientes, nec gradum faciunt sine stella ducente, & abeun-

& abeũtes responso accepto abeũt nullo alio expectato ducatu. Sanè responsum in somnis acceptũ erat responsum Dei, à quo immediatè in nouam viã impellebantur, impulsus autem Dei semel impressus diu facit in recto itinere durare. Ad hæc Aug. ser. 64. ait. *Qui stellã duce venerant in Iudæam in patriam suã æterni Solis illuminati radijs reuertuntur.* Quippè stella illos in viam impulit, & semper comitata est, adeò vt paulisper abscondita cùm esset, statim illi cogerentur morari, & viam interrumpere. Sol autem iustitię illos semel in viã pellens, sic affecit, vt vsque in patriam pergere non cessarent. Profectò Sara audito Dei promisso de filio concipiendo, Gen. 18. *Risit*, & post aliquot menses inter partus dolores vi so puero, Gen. 21. iterum, ait: *Risum fecit mihi Dominus:* vsque adhuc Sara tuus risus durat? Etiã inter dolores, & molestias partus risum meministi? Vndè tanta hæc risus duratio? Iã ipsa explicat, dum dicit: *Risum fecit mihi Dominus*, quod enim à Deo habuit initium, etiam inter dolores, & præsuras durare nouit. Ita Acatius in cat. Græca fatur. *Huius lætitiæ firmitatem ostendens: mihi, inquit, fecit Dominus. Quidquid enim est à Deo, perpetuũ est.* Non dimidiũ, sed totũ se putet factũ habere, qui Deo duce cœpit: vix resilire poteris, si te ducat diuina manus. Dauid. Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es; si descendam in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Expende illud: illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua; quasi consequens sit, quod vbi quis à manu Dei deducitur, à dextera teneri debeat, ne valeat elabi. Rectè sanct. Brun. Carth. ait: *Etenim manus tua deducet me illuc, vt pennas summam, & in extremis maris habitem; & ibi tenebit me, id est, perseuerare faciet dextera tua; neque in his perseuerare potero, nisi misericordia tua tenente me.*

August. Gen. 21. Acat. Psal. 138. Brun.

Tex. Erat autem Andræas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum, inuenit hic primum fratrem suum, Simonem, et dicit ei, Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum.

§. XIIII.

Legitimi Christiani signum est, quod alios Christo acquirat.

ECCE Andræas diutius in Ioãnis schola fuerat, nec vnquã fratrẽ ad Ioannẽ deduxit: modo autẽ cũ primũ Iesum nouit, nil prius curat, quam fratrem Christo acquirere. Proh Christianorũ ingeniũ! hoc vnũ gemit Christianus, si solus sit, tunc lætus futurus, si plures habeãt fratres in Christo. Do Tertul. Apol. c. 9. fantẽ. *Quid deniq; singulares Christiani? Nõ erit, opinor, legitimus Christianus, nisi frater, aut filius.* Inde cẽsentur à multis Theologis Dei filij, si aliũ parturiant; inde censentur oues Christi, si sterilis non sit in eis; inde inter Christianos agnos legitimè numeraberis, si gemellus fueris, si non singularis, quin potius fratres tibi facere studeas. Nequã ille seruus de integritate sui talenti gloriabatur, Matth. 25. male tamen audit apud Principem, propter sterilitatem. Vnde Chrysost. orat. 1. aduersus Iudæos, sic monet. *Talentũ illud, quod acceperat, & defoderat seruus ille, reddidit integrum: attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem etiam si ipse purus, & innocens perseueres, caterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem reuoces ad salutem, eadem, quæ ille patitur, patieris. Quid magni postulo? Vnusquisque vestrum vnum mihi fratrem ad salutem reuocet.* Felix erit, qui fratribus stipatus accesserit ad Christum; qui in dominico grege nequiuerit esse sterilis. Quam bene aiebat illa, Cant. 1. *Trahe me post te, & curremus.* Etsi sola trahatur, non tamen sola ibit, socias itineris habere præsumit, dum trahatur ipsa: imò in eo est posita securitas, (si qua in hac valle datur) Christiani itineris, quod non sterilescat in nobis vocatio diuina, sed de voce Dei nos vocante parturiamus in Christo alios filios. O quam securus agit, qui Christi populum multiplicat! Matth. 25. de extremo die, dicitur, quod vt ferat sententiam iudex: *Statuet oues à dextris; hædos autem à sinistris.* Quibus verbis ea se imprimis offert ponderatio, quod videatur deficere tota pulchritudo contrapositionis, iuxta cuius regulas, deberet dicere, quod statuet oues à dextris, & capras à sinistris, nam & oues, & capræ, & agni, & hædi sibi correspondẽt. At maluit à sinistris hædos ponere, quia steriles, noluit ponere capras, quia fœcundæ, & cui inest fœcunditatis vmbra non male habebit apud diuinum iudicem. Id innuit Hieron. fatus: *Nõ dixit capras, quia possunt habere fœtus.* Saluantur Euãgelicæ matres per filiorum generationem; non enim Deus deserit eos, qui studeãt

Tertul. Chrysost. Cant. 1. Matth. 25. Hieron.

Psalm. 77. Ecclesiam ditare filijs. Notãter dictum est, Psal. 77. *Depost fœtantes accepit eum*: Et sane mirum est, quod Deus depost fœtantes pastorem tollat, etenim mansissent fœtantes, sine pastore multis expositæ periculis. Quæ præ-

Brun. cauens D. Brun. ait: *Cum vocat illos, quos prius regebat fœtantes, innuit quoniam eos non deseruit: iniustum enim esset, cum fœtantes essent, eos deserere.* Quippè per hoc solum, quod quis fœtans est, fœtuque nouo Dei populũ ditat, putat Bruno debere intelligi illum non fuisse à Deò desertum, ac derelictum.

§. XV.

Ad virtutis progressum multum interest, inter quos incipias.

MIRVM est, quàm profecerit Andræas in virtutis schola, heri in Iesu domo, vt discipulus audiebat, modo nec fratris sui congressu distrahitur, imò magister factus illum cœlesti doctrina informat. Quem caro, & sanguis à cœlesti disciplina non remoueat! Quem fratrum amor à proposito virtutis nõ separat? Timuissem virtuti tuæ, ô Andræa, si vidissem tibi à Iesu venienti fratrem occurrere. Verùm quæ incipitur virtuis via in Iesu habitaculo, nulli congressui nouit cedere, sed medijs contrarijs durat. Scimus Euam natam fuisse inter floridissimas arbores paradisi: Cainum natum inter tribulos, & spinas terræ maledictæ: vterq; peccat: hic vbi de peccato accusatur, negat delictũ, illudq; nouis culpis obtegere curat, dicẽs: *Numquid custos fratris mei sum?* Illa verò statim cõfitetur culpã: quippè ait: *Serpẽs decepit me, & comedi.* Sanè virtus in paradiso orta haud facilè vllis congressibus vincitur, etiam inter peccati ruinas emittit ra-

Ambros. dios suos. Vt dicat Ambros. lib. de parad. cap. 14. *Alia ergo ratio mulieris, quæ licet culpam præuaricationis incidérat, tamen de paradisi lignis habebat adhuc virtutis escam: & ideò dixit peccatum suum, & reputatum est ei ad veniam.* Expende illud: *De paradisi lignis habebat adhuc virtutis escam.* Etenim maximè interest, inter quos primos egeris gradus virtutis, si inter paradisi ligna, hoc est, apud præstantes virtute viros adoleueris, nunquam non retinebis virtutem inibi acquisitam. Quis sanctior Moyse in gubernando, & deducendo Israelitico populo? Tamen Moyse felicior extitit Iesus Naue. Ille non nihil popularis infidelitatis passus, non peruenit in terrã promissam: hic felici cursu, pede infenso in obtatum finẽ

Iosue 33. populũ meruit deducere. Vndè hoc accidit Iosue præ Moyse? Exod. 33. *Iosue filius Num puer Moysis non recedebat à tabernaculo.* Sanè Moyses pueritiã suã transegit in Pharaonis regia, inter Aulicos degens; verũ Iosue intra ipsum Dei tabernaculũ Moysis disciplina fruebatur, hinc feliciori processu vitæ cursum cõfecit, populum in terrã promissionis deducẽs. De quo bene Ambr. lib. 2. offic. c. 2. inquit. Ambros. *Nec exibat de tabernaculo inuenis, cũ seniores lõge positi diuina trepidarent miracula. Meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminũ cursus; diceret: stet Sol, & staret Sol, & quod Moysi negatũ est, solus eligeretur, vt populũ introduceret in terrã promissionis. Illius angustiora opera, huius prosperiora.* Multũ equidẽ interest, apud quos viã arripias virtutis: lõge felicius Iosue in itiatur in tabernaculo Dei, quã Moyses in Pharahonis palatio, inter aras, & viros sacros, quã inter aulicos. Mirabar quod medijs Sodomis sanctè, & pudicè viueret vnus Loth, cũq; inquiro tãti miraculi causam, audio Lothũ apud sanctissimũ Habrahamũ fuisse educatũ, ex cuius consuetudine habuit, quod virtutis semper inhæreret curriculo, vt dicat Chryso-

Chryso. hom. 43. in Gen. *Iustũ Loth in tantũ virtutis apicẽ erexit Patriarchæ cõsuetudo, quod effecit, vt vestigia illius sequeretur.* Vniuersa Sodomorũ vitia non potuerunt delere virtutis vestigia, quæ semel ex cõsuetudine Habrahæ, impressa Lothi animo fuere.

§. XVI.

Facilè cuique persuadetur fratrum, parentumque suorum virtus, & religio.

VIDES Petrũ adduci ad Christũ, sed adduci à fratre Andrea; quomodo talis frater nõ Christo Dño fratrẽ suũ representaret? Meritò Hieron. ep. 7. ad Lętã, parẽtis eius

Hieron. citã cõuersionẽ præsagijt, dũ ait: *Iã cãdidatus est fidei, quẽ filiorũ, & nepotũ credẽs turba circũdat. Ego puto etiã ipsum Iouẽ, si habuisset talẽ cognationẽ, potuisse in Christũ credere.* Hinc vanos Iul. apostatæ conatus, quibus D. Cęsariũ à Christiana religione auertere cupiebat, irri-

Nazianz. det eius frater Naziãz. dicẽs orat. 7. *Igitur, & Cæsariũ etiã multis tentare cœpit dolis. Proh dementiã, ac stultitiã, quod eũ, qui Cæsarius, ac meus frater esset, talibusq; prognatus parẽtibus, cõpilare speraret!* Vrbs est procul dubio munita frater, qui adiubatur à fratre; maximãq; cũ suauitate bibitur, quæ per atauorũ, & parentum cognationem venit, disciplina. Quid durius Christo meo, quã nefarissimi Iudæ osculum pertulisse? Tamen qui omnes aliàs carnificum contumelias, & opprobria patienter tulit, nihil locutus; Iudæ osculum his excipit verbis, vt videretur, maximè suauiari in illo, etenim ait: *Amice ad quid*

venisti

veniſti. Vndè Dominus ad nefarium oſculum ſuauior, & amicior apparet, quam ad alia opprobria? Equidē nefaria hominum labia ſuſtinere, habebat Dominus etiam à patre ſuo: ſic enim apud Matth. 15. loquitur Iſaias Dei nomine: *Populus hic labijs me honorat, cor autē eorum longe eſt à me*: & quæ per cognationem veniunt diſciplinæ, ſuauiter excipiuntur. Huc ſpectat Tert. lib. 4. aduerſus Marcionem ſatus: *Debuit etiam oſculo tradi propheticus Chriſtus, vt eius ſcilicet filius, qui labijs à populo diligebatur.* Expende illud, *debuit*, quaſi velit, quod aliqua nobis inſit neceſsitas ad amplectendas eas virtutes, quæ per cognationum calles ad nos perueniunt. Hinc pulchrè Magi, ſuſcepti itineris cauſam, vt puerum adorarent, illam prædicant, Matth. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum*; cùm aiunt: vidimus ſtellam eius in Oriente, domeſticū ſignū declarant, quod vſque ad illos, ab auis, & atauis profectum erat. Balaam enim, à quo ipſi genus habebant, de oriundo Iudæorum Rege vaticinatus, Num. 23. ait: *Orietur ſtella ex Iacob*, &c. Vndè eius nepotes, viſa ſtella, alacriter paternum omen ſuſcipiunt, id etiam negotiante Spiritu ſancto. Quod memorans Chryſoſ. hom. 1. in Matth. ex varijs inquit: *Ex genere Balaam originem duxerunt Magi, qui dixerat: orietur ſtella ex Iacob: & id circo viſo nouo ſtellæ ſigno crediderunt, quia authoris ſui prophetiam impletam nouerant.* Adeò in noſtra ſumus propenſi! adeò amamus, quidquid ex hæreditate capimus! adeò noſtris infigitur animis, quod per familiæ cenſum ad nos perue nit.

Matth. 15. Tertul. Matth. 2. Num. 23. Chryſoſ.

Tex. Intuitus autem eum Ieſus dixit: tu es Simon filius Iohanna, tu vocaberis Cæphas, quod interpretatur Petrus.

§. XVII.

Beneficia à Ieſu in ſeruos ſuos profecta adeo magna ſunt, vt indigeant nouis nominibus, quibus explicentur.

SOLEMNE fuit apud Dei ſeruos nouis appellari nominibus, quibus profectus ſuos ex Dei ſeruitio acquiſitos declararent. Sic Habraham, ſic eius vxor Sara, vocabuli nouitate, ingentem in Dei ſeruitio virtutem acceptam declararunt. Quo rectè conficit Diu. Iuſtinus aduerſus Iudæos, eundem Deum eſſe noui, & veteris teſtamenti, quando huius, & illius homines nouis nominibus ditabātur. Etenim ait: *Quod etiā dixit Simoni, qui Apoſtolorum vnus erat, ſe illum vocaſſe Petrum, & ſcriptum eſt factum in eius cōmentarijs, vnaq; appellaſſe duos Zobedæi liberos Boanerges, id eſt tonitrui filios, ſe illum eſſe declarabat.* Non enim ea ſunt lucra in Dei ſeruitio facta, quæ poſsint veteribus nominibus appellari. Imò vt noua, & inaudita ſunt lucra ſeruorum Dei, ſic nouis nominibus debent explicari. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculū candidū, & in calculo nomen nouum ſcriptū.* Ecce cū Dei dono ſimul nouū nomē porrigitur, quaſi dedeceat doni diuini magnitudinē veteraſcentibus nominibus vocitari. Sic Aretas, c. 5. ait: *Hoc autem nomen ſancti hæreditate aſſequerentur. Quī enim fieri poſſet, vt corruptibili notione incorrupti bilia apprehenderentur?* Hinc cēnaturus Ieſus mittens diſcipulos ſuos; vt pararent cænaculum, ait: *Dicite ad quendā*, nomen illius tacens; ſed cur illius nomen non exprimit? Sanè tacet vetus vocabulum: quia homo ille adeò felix, qui Deum recipiebat, nouis deinde nominibus erat appellādus. Ita Hilar. Can. 30. in Matth. aiens. *Hominē enim, cum quo paſcha celebratum erat, non nominat; vt cum eo Paſcha Domini Apoſtolos præparare ſciremus, cui in tempore Domini nouum nomen eſſet addendum.* Ea enim ſunt beneficia à Ieſu profecta, ad quæ explicanda nullam ſufficiat vetus vocabulū; noua imponendā ſunt nomina, eaq; plura, & ſplendida. Vincenti dicitur, Apoc. 3. *Scribā ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei noua Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouū.* Ecce quæ is nominibus inſignitur victor Chriſtianus! Multa equidem nomina, & noua, & ſplendida ſunt neceſsaria, vt ingentes victoris in Chriſto gloriæ exprimantur. Quò reſpiciens Dominus, Matth. 10. aiebat: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo:* diſtributiue cum ſingulis loquitur, & tamen vnicuique dicit: quod nomina habeat in cœlo exarata, quaſi inde inſinuet magnitudinem gloriæ, quæ multis, & nouis eſt explicanda nominibus. Ita Rup. in Exod. lib. 4. c. 39. dicit: *Multa ſunt nomina noſtra, de quibus Dominus nos agnoſcit. Hinc eſt, quod pluraliter dicit: in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo.* Quo enim plura ſunt Chriſti in nos facinora, eò pluribus nominibus cognominabimur. Simile in re diſsimili, imò contraria dicebat Ambroſ. lib. 5. epiſt. de quodam Auxentio, qui ab Scythia veniens in Italiam, nouum ſibi poſuit nomen. *Minora*, ait, *fecit in Scythia, & ita erubuit, vt mutaret ibi vocabulum: ſceleratiora auſus eſt, & velet quocumque perrexerit, nomine ſuo prodi?* Vt creſcebant ſcelera, nouis nominibus nuncupabatur,

Apoc. 2. Aretas. Hilar. Apoc. 3. Matth. 10. Rupert. Ambroſ.

ſic vt fidelium creſcunt gloriæ, noua accipiũt ex Deo vocabula.

Ex Matth. 4. Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andræam fratrem eius, mittentes rete in mare.

§. XVIII.

A Dei oculis maximus honor rebus creatis accreſcit.

QVos ad regni ſui clauũm præparat Dominus, in primis ſui conſpectus dignatione honorat, quando nulla res diuinis apparet ſub oculis, quæ inde maximo non afficiatur honore. Sic poſt mundi conditionem: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Id quod ponderãs Tert. lib. 2. in Marcion. *Tertul.* ait: *Vidit Deus cuncta bona, non quaſi neſciens bonum, niſi videret; ſed quia bonum ideò videns, honorans bonitatem operum dignatione conſpectus.* Quis neget maximè honorari res hominum, quod Dei dignentur conſpectu? Quod Deus ſuos in nos conijciat oculos? Iacebat puer mortuus. 4. Reg. 4. cui accedens Eliſæus: *Incubuit ſuper puerum, poſuit os ſuum ſuper os pueri, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius.* *4. Reg. 4.* Ita figurabatur Dei deſcenſus ad hominem mortuũ; nec miror Domine, quod os tuum ſuper me ponas, nec quod manus adhibeas, nõ enim ſuſcitabor, niſi imperes, niſi operi incumbas. Id ſolum miror, quod oculos tuos ponas ſuper oculos defuncti pueri! Non ſufficiebat verba facere, & manus imponere operi, cũr addis oculos? Credo quod non ſolum prætendis me ſuſcitare, ſed & ornare, non ſolum cupis mihi vitam elargiri, ſed & ornamentum, & dignitatem, & ideò & os, & manus imponis, inſuper *Bernard.* & oculos addis. Pulchrè Bernar. ſerm. 16. in Cant. *Oculis ſuis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans:* ſint Dei manus, & labia ad efficientiam; Dei autem oculi ſuper iuſtos ad honorem, & ornatum veniant. Hinc Greg. Nyſ. hom. 15. in Cant. putat ſponſæ in priſtinam dignitatem reſtitutæ *Cant. 6.* fuiſſe illa verba; Cant. 6. *Auerte à me oculos tuos, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quaſi dicat: nimis exaltor, & eleuor, cum oculis reſpicior diuinis. Apud Lucã, c. 15. inuenies Deũ paſtorem effectum, qui amiſſam ouiculam requirat ſummo labore, requiſitam inueniat, inuentam humeris imponat, & in caulem reſtituat. Item inuenies Deũm Patrem factũm, à quo diſcedit filius, & prodigit ſubſtantiam: & in ſummam paupertatem incurrit: pater verò nec requirit filium, nec pedem mouet, vt inueniat illum. Quid ergo iſte pater pro filio fecit? Ait textus: *Vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens,* &c. Quid multum, quod pater reuertentem videret filium, quando paſtor errantem adhuc requirit ouem, & inuenit, & ſe illa onerat? An patris viſus filio vtilior fuit, quam paſtoris paſſus? Equidem plus honorauit pater filium, cum ad aſpectum admiſit, quam ſi requireret, vt ouem paſtor. Inde eleganter Ambroſ. *Ambroſ.* elicit: *Malo ergo filius eſſe, quam ouis. Ouis enim à paſtore reperitur, à patre filius honoratur:* ouis quæ non reuertebatur, non oculis ſiſtitur, ſed humeris datur, tãquã indigna eſſet videri: filius autem, qui non requiſitus reuertitur, paternis oculis honoratur, ditatur. Sic etiam Zachæus meruit à Chriſto videri: ait enim Luc. *Luc. 19.* 19. *Cum autem Ieſus veniſſet ad locum, ſuſpiciens vidit eum.* Quod expendens Chryſol. ſer. *Chryſol.* 54. ait: *Deus quem videt, non vt ignorans agnoſcere cupit, ſed vt ſciens ad gloriam vult videre:* manant ſanè honore, & gloria oculi diuini.

§. XVIII.

Fraterna vnio Fdei Chriſtiana fundamentum.

ECce tibi quæ fundamenta iaciat Ieſus regno erigendo Chriſtiano, nimirum fratres, quaſi nequeat in Chriſto permanere, niſi qui fraterna fuerit fulcitus pace, & charitate. Ideò Chriſtianos athletas carceribus preſſos, ſic aduerſus diabolum præparat Tertul. *Tertul.* *Fugiat conſpectum veſtrũ, & in ima ſua deliteſcat contractus, & torpens, tanquam coluber excantatus, aut effumigatus. Nec illi tam bene ſit in regno ſuo, vt vos committat; ſed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax veſtra bellũ eſt illi.* Hæc ſunt arma Dei, quæ iubemur induere, vt ignita diaboli tela repellãmus, hoc fortiſsimum Eccleſię fundamentum: hoc ſingulare Chriſtianæ vitæ auſpicium: mortuo puero id adhibuit Eliſæus medicamentum, vt in vitam reſtituat, vt mortem, quam longiſsimè exſuflet, nimirum ſi in primis pacem inſpiret. Etenim, 4. Reg. 4. *Poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius,* &c. *4. Reg. 4.* Expende, quod in primis ponit os ſuper os mortui, & labia labijs defuncti infigit, ſanè vt per ſignum pacis, primum proferat vitæ auſpicium. Pulchrè Bernard. ſerm. 16. in *Bernard.* Cantic. *Ori meo iunxit ſuum, & mortuo*

ſignum

signum pacis impressit. Quid mirum, quod vbi Christianorum vita adumbratur, primum po natur fundamentum pacis, & concordiæ signum? Ibi semper vnitas struitur, vbi incipit Ecclesia Christi stabiliri. Apud Taborem tres apparuerunt sub gloria, nimirum Iesus, & duo eius laterones Moysis, & Elias, Luc. 9. & facta de nube voce, abeuntibus duobus, *inuentus est Iesus solus.* Non enim diuisa multitudo circa Iesum, sed vnitas manet, & viget. Id quod expendens D. Ambrosius ibi ait: *Itaque cũ tres essent, vnus factus est. Tres in principio videntur; vnus in fine. Perfecta enim fide vnum sunt. Hoc enim Dominus Patrem orat, vt omnes vnum simus.* Nec mireris, quod in fundamentis religionis Christianæ constituam animorũ vnitatem, & pacem; quandoquidem supra lib. 2. cap. 7. §. 5. hanc vnitatem, & fraternam vnionem comparaui cum insigni charitatis opere, quod est martyrium: quam comparationem non obscurè insinuat D. Paul ad Ephes. cap. 4. aiens: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni lenitate animi, cum patientia sufferentes inuicem in charitate, solicite seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Expende illud: *In vinculo pacis*: quippè cum ipse vinctus esset pro Christo, immensequeæstimaret sua vincula, adeò vt per ea inciperet exhortationẽ, aiens: *Ego vinctus in Domino*: de similitudine honoris voluit audientium delinire animos, memorans vincula pacis, quibus possent respondere vinculis catenarum: sicut enim catenæ Martyrum Ecclesiam ædificãt, vitã halãt: sic catenata fidelium corda de fraterno amore, longo replent Dei domum viuido fideliũ examine. Meritò Iacob Rubeni incestum detestans, illum sic afficit, Gen. 49. *Ruben primogenitus meus non crescas*; quasi velit familiã incestuosi penitùs perire de populo Dei. Melior Moyses in Rubenitas apparuit, Deut. 33. vbi Rubeni familiam ædificare nitens, ait. *Viuat Ruben, nec pereat.* Sed vnde in Ruben inuentum fuit tantum fundamentum, quo eius familia, & domus paterna ruens maledictione, potuerit fulciri, & subleuari? Equidè vnus Ruben inter odia fratrum seruauit vnitatem, & pacem cum Ioseph; quo fundamento subiecto, nõ mirum, quod eius familia cresceret, & extaret. Accinit Diodorus in cat. Græ. *Non poterat Iacob non maledicere intemperanti filio ad posterorũ deterrendos; debuit autem Moyses criminis illũ culpa liberare, qui fratri Ioseph semper pepercerat.* Adeò fraterna vnio valet ad Ecclesiam Christi fundandam.

Luc. 9.

Ambros.

Ad Eph. 4.

Genes. 49.

Deut. 33.

Diodor.

Tex. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

§. XX.

Qui sequitur Christum, se intra auitæ humilitatis fines continere curet.

QVISQVIS humili stirpe natus ad Christi vocaris sequelam, ne ambias de mũdiali gloria apud Christũ fulgere, qui sequacibus suis infimi muneris, seu stirpis cõditionem non aufert, sed vt piscatores ellegit, nulli permittit supra piscatorem gloriari. Id quod Beda insinuabat dicens, *nomen*, nimirum piscium, *mutauit, officium non abstulit.* Ne qui piscatorum penu in sæculo erant contenti, post Christum diuitum mundialium splendores ambiũt. Piscator à Christo vocatur, vt nõ miles fiat, aut Dynasta, sed vt fiat hominum piscator, vt intra piscatorum maneat mediocritatem. Puer ille Giezi nomen dederat Elisæi disciplinę, & 4. Reg. 5. quæ Principis Naamã præciosa munera Elisæus contempsit, infelix puer accepit, sed perenni Naaman lepra extitit multatus. Et cur tam acerbum supplicium accepit? Causam reddit Cassianus lib. 7. cap. 17. nimirum. *Giezi ea, quæ nec antea possederat, volens acquirere, æterna lepra, Elisæi maledictione, perfunditur.* Expende illud, *quæ nec antea possederat*: quandoquidem crimini datur, quòd homo naturalibus pauper, sub Prophetæ disciplina de mundialibus velit fulgere diuitijs. Crimen est verecundum, quod qui sub mundo locuplete nihil habuisti, in schola pauperis Christi personas velis agere diuitum. Filiæ Regis dicebat Psalm. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*: vtinã modo liceret dicere pluribus Christi discipulis, ne obliuiscaris populum tuum, nec domum patris tui: sic viue in schola Christi, vt non videaris paternæ mediocritatis oblitus. Hinc censebat Epaminondæ virtutem D. Synes. lib. de regno, dicens: *Epaminondas is erat, qui quoties ad conuiuium à ciuitatibus vocaretur, ad easdem ventitans (nec enim alia ratione criminis, apud magistratus (suspitionem effugisset) acre acetum potabat; ne, inquit, Epaminondas domestici victus oblitionem capiat.* Proh strenui ducis sapientiam, & virtutem! Metuebat inter imperij culmina, inter regias delicias, immemorem haberi pauperis victus, & conuictus, quo eũ paterna domus nutriuerat. Vtinam modo dominici exercitus duces, Christianæ perfectionis magistri, siue discipuli hanc

Bed.

Cassian.

Psalm. 44.

Synes.

hanc ſibi mentem retinerent, ne domeſtici victus obliti in Chriſti ſchola diuitum perſonas repreſentarent. His conuenit illud D. Iacob. epiſt. cap. 1. qui conſiderat: *Vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideraunt enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Feliciores ſi nunquam natiuitatis ſuæ vultum obliuiſcerentur. Si ſemper præoculis haberent qualis fuerint à natalibus. Hos rectè monebat D. Bernard. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*; ſic fatus: *Ecce ſpeculum veritatis: tantum ne quis conſiderato vultu conſcientiæ ſuæ prætereat, & qualis fuerit obliuiſcatur.* Hoc ſolo perfecti erimus, ſi natalis vultum non obliuiſcamur, ſi in domo Domini, quales fuerimus in ſæculo meminerimus, ne aliqui maiora appetant. Et qui vocantur à piſcatu, vt piſcatores fiant hominum, ipſi velint principum præſeferre delitias, & commoditates. In hos meritò retorquet, D. Bern. ſerm. ad illud: *Ecce nos reliquimus omnia*; illud Oſeæ pronuntiatum, cap. 8. vbi ait: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui*: non vocamur à Deo in domum ſuam, vt Reges agamus, vt nobilium more viuamus; nec vt pauperrimos natales de Chriſti ſanguine faciamus purpuraſcere. En quam multis ex his dicetur in extremo examine, neſcio vos; piſcatoribus enim ſuis, tunc Dominus thronos parat, non intruſis Dynaſtis.

Iacob. 1.

Bernard.

Idem.

§. XXI.

Dei potentia intra cuiuſq; fortunam, culmẽ nouit perfectionis porrigere.

VT piſcatores ad culmen perfectionis eueheret Dominus, minime illos extra piſcaturæ artẽ extraxit, ſed per piſcaturæ regulas, cœleſtem illorum vocationem ordinauit. Etenim is eſt Deus, qui intra cuiuſcũque fortunam ſciat perfectionis culmen demonſtrare. Nonne Dauid à pueris pulſandæ citharæ traditus? Nonne muſicæ innutritus? Hunc ergo qualiter Deus ad perfectionem duxit? Iuſſit ne citharam dimittere? Muſicæ valedicere? Abſit: imò regulis muſicę perſiſtens, vt illum ſanctum faceret, addixit componendis, cantandiſque Pſalmis. Ita Beda exclamat: *Qualis artifex eſt Spiritus ſanctus tetigit puerum citharœdum, & Pſalmiſtam fecit!* Tangit piſcatores, & facit eos hominum capientes euangelico hamo: ſic intra quamlibet artem, nouit Deus hominibus perfectionis indere artem. Aſtrorum obſeruatoribus, cum voluit veri Solis iuſtitiæ beneficentiam tradere Dominus, an iuſit priùs valedicere vaniſsimę Aſtrologię árti? An ab ſtellarum inutili obſeruatione auertit? Imò inter ipſam ſtellarũ obſeruantiam, ibi cœlorum Regem illis demonſtrauit. Aiunt enim Matth. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum, vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus*, &c. Gaudet equidem Magus, quod intra ſtellarum obſeruationes, verum Solem, mundi regem fuerit nactus; quod pulchris verbis docet Chryſol. ſerm. 5. in Epiph. fatus: *Quia ſe in cœlo diu cum aſtris errantibus erraſſe videt, gaudet in terra ad Deum duca tu vnius ſyderis peruenisse.* Magnum eſt, quod non eguerit Magus dediſcere artem ſuam, & nouam aliam inueſtigare, vt ſalutis lucrum faceret, ſed tantum artem meliorare ſuam, quãque mendacijs inuenẽdis dabat, dare veritati, vt ſic intra artem ſuam, culmen perfectionis tãgeret. Hinc ſuccenſendus eſt Phariſæorum error, qui de peregrinis artibus nitebantur Saluatorem demonſtrare: quando aiunt Matth. 26. *Volumus à te ſignum videre*, explicatius Euth. poſuit, *ſignum de cœlo*: quaſi cuperent per cœleſtia ſigna, nimirum per nouarũ ſtellarum apparitiones, viam ſalutis inueſtigare. Quid Phariſæus cum ſtellis? Meritò à Domino audit: *Generatio adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei.* Sed cur negat ſignũ Dominus, qui tam liberaliter ſigna faciebat? Cur offenditur, quod ſigna petantur, quando etiam importunè petentibus ſigna dabat? Sanè Gedeon. Iud. 6. multum importunus videtur in petendis ſignis. *Dixitque Gedeon à Domino: ſi ſaluum facis per manum meam Iſraël ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam liberabis Iſrael. Factumq; eſt ita: & de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore implenit.* Debuiſſet hoc ſigno contentus eſſe Gedeon, nec amplius pro ſignis inſtare, ſed non quieſcit Gedeon, adhuc rurſus ait: *Oro, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus*, &c. Cur ergo ſic importunè ſigna petentem Deus exaudit, & in Phariſæos iraſcitur, quod ſigna flagitabant? Sanè Gedeon in area erat, inter vellera, & oues, ſua negotia tractans, & ibi intra propria ſperat ſibi à Deo ſignum dari, nec offendit, quia non extra officium vadit: at vaniſsimi illi ſignum de cœlo quærentes, peregrinis ſtudent artibus, & per ignotas, & peregrinas vias Deum quærunt, qui amat intra cuiuſque officium communicari. Ideo enim ait D. Chryſoſt. quia Samaritanæ mulieris mos erat, ad fontem ire: *In aqua Dominus mulieris ſalutem deſignat*, ſic iuxta notiora hominum negotia, ſalutem illorũ Dominus meditatur.

Bed.

Matth. 2.

Chryſoſt.

Matth. 26.

Iud. 6.

Chryſoſt.

Tex.

Tex. At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.

§. XXII.

Quiſquis ſequitur Chriſtum etiam minutiſſima mundi bona dimittat.

BENE omnia relinquentium gloriam notat Euangeliſta, per id, quod etiam retia relinquant, nihil enim mundialium bonorũ adeò exiguum eſt, quod non dimittendum ſit ei, qui ſequitur Chriſtum. Adoleſcenti diuiti dictum eſt. Luc. 18. *Vende omnia tua, & da pauperibus.* De quo D. Nilus in Aſcet. ait. *Cur Dominus diuiti, vitæ ſecundum Deum perfectæ leges præſcribens iuſſit, vt omia venderet, & pauperibus daret, niſi quia quidquid excipitur, ita diſtrahit, vt omnia diſtrahebãt?* Minutiſsimum licet ſit, quod retineas, inde habet mũdus, quo te à Deo diſtrahat, & ad ſe captiuum reducat. Labam vbi ſenſit filias ſuas à ſe fugiſſe, ſtatim viam arripit, vt illas iterum in domum ſuam reducat. Sed qua id fiducia ſperabat? Pulchrè Diu. Ambroſ. lib. 1. epiſt. 4. ait: *Secutus ſanctum Iacob, & filias ſuas: ſi forte apud eas ſuorum vitiorum aliquid reperiret, & reuocandi ad ſe haberet authoritatem.* In eo ſolo fundabat ſpem, quod poſsit illũ à cæpto itinere auertere, & in ſuam reducere domum, ſi quid ſuorum in illis bonorum reperiret. Vt ergo omnem ſpem abſcinderet inimico ſanctus Iob, vbi audiuit omnia ſua bona conſumpta, ſtatim ipſe ſcidit & veſtimenta ſua. Cur quæ ſolæ ſupererant veſtes ab hoſtili incurſu, has & ſcindis? Sic apud Orig. lib. 1. in Iob. *Tollite, inquit, hanc veſtem, proycio etiam hanc vobis, nihil apud me remaneat ex his, quæ in poteſtate nequitiæ veſtræ data ſunt. Non ſit mihi ex vobis hoc beneficium, oleo peccatorum non vngetur caput meum.* Sic bonus athleta pertimeſcebat, aliquid ſecùm habere, ex his, quæ nouerat Principibus tenebrarum tributa. Nihil vult retinere, quod nouit eſſe datum principibus mundi, nec veſtem, nec veſtis filum. Odit enim Deus in ſuis, quidquid acceptum referri poteſt mundo, & eius principibus. Vnde natus in ſpelunca Bethlemitica omnimodam amauit nuditatem, omnimodam pauperatem, nolens ſibi retinere, quod ſuum diceret cenſor mundialis Principis. Ideò ait: *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Ad hæc eleganter Diu. Hieronym. de vera circunc. inquit: *Rogo vbi hic ſub Cirino cenſus inueſtigatio? Vbi edictum Cæſaris? Noua ratio, ibi habet nihil, quod deſcriptor inueniat, & verè. Nulla enim Dominum ſæculo mancipata delectant, nec ſibi vſurpat quicquam, quod vel Cæſari, vel mundo voluit eſſe captiuum.* Nec ſufficit, quod plura relinquas, quod multa à te abijcias, ſi quid adhuc in te retines Deo inuiſum. Vide enim apud Ionam, cap. 1. vt vehemens ſuboritur tempeſtas; furiunt venti, fremunt fluctus; quid nautæ interea? *Et timuerunt qui nauigabant, & clamauerunt vnuſquiſque ad Deum ſuum, & iactũ fecerunt vaſorum nauis in mare, vt allenuãretur nauis. Ionas autem deſcẽdit ad interiora nauis, & dormiebat.* Expende iactum vaſorum in mare; vi enim tempeſtatis moti omnia contemnunt, omnia bona abijciunt, merces vniuerſas dant mari, nec tamẽ nauis à periculo eximitur, quia medio in bonorum iactu, vnus Ionas Deo exoſus in fundo nauis ſepultus ſomno quieſcebat. Id notans Diu. Baſil. Sel. orat. 12. inquit: *Fruſtra onera in fluctus effundebant, cum tempeſtatis cauſam retinerent.* Quid intereſt, quod plura dimittas, quod omnia reliquiſſe, imò iactaſſe glorieris, ſi in fundo cordis aliquid obijciendum quietum adhuc retineas? Nihil in te dormiat Deo exoſum, nihil quieſcat, omnia remoue, & vento trade, ſi vis tranquille ad portum peruenire.

Luc. 18.

Ambroſ.

Origen.

Hieronym.

Baſil.

§. XXIII.

Bonorum terrenorum cupiditas à Sacerdotibus ableganda.

EOS in Sacerdotes vocat Dominus, qui ſciant temporalium bonorum cupiditates radicitus extirpare, qui ruptis retibus, cõquirendis pecunijs minimè ſtudeant. Aaronicum Sacerdotium florens virga ſignauit, ſed ea virga, quæ nullas agebat radices in terra. Inde Diu. Greg. Nyſſ. de vit. Moyſ. te Sacerdotem deſignat, *cum tibi germinauerit Sacerdotij virga non humiditate terrena, ſed à ſe ipſa nuces producens.* Iam radicitus euellitor à terrenis bonis, qui Sacerdotali apice cupis inſigniri. Quod quàm ſit neceſſarium Sacerdoti eleganter elicit Diu. Saluian. lib. 2. ad Eccleſ. Cathol. aiens. *Saluator Sacerdotibus, non vt cæteris voluntarium, ſed imperatiuum officium perfectionis indicit. Quid enim eum laico illi adoleſcenti dixiſſe legimus.* Si vis perfectus eſſe vẽde, quæ habes, & dà pauperibus. *Quid autem miniſtris ſuis?* Nolite, inquit, poſsidere aurum, neque argentum, neque pecunias in zonis veſtris, nec peram in via, &c. *Vide quanta ſit in vtroque hoc Dei ſermone diuerſitas. Laico dixit, ſi vis, vende quæ poſsides; miniſtro autem nolo poſſideas*

Greg. Nyſſ.

Saluian.

fideas. Interdicũtur Sacerdotes terrenarum poſſeſsionum curis; damnoſa eſt auri cupiditas omnibus popularibus: verum in Sacerdotibus eſt manifeſtum exitium. Vbi apud Ioſue 7. Ioſue cap. 7. aurum ſeruatum ab Achor fuit, ingentem cladem vniuerſus populus accepit; & inſuper ait Dominus, *non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſq; fugiet: quia pollutus eſt anathemate.* Sic parum auri abſconditi debilitabat Domini exercitum, vt nec in conſpectum hoſtium poſsit venire. De quo agens Rupert. Rupert. lib. 1. cap. 21. ait: *Vbi in Sacerdotibus, vel eis, qui præſident, auaritia regnat, & principatum obtinet pecunia, ſtare non poſſunt contra hoſtes libere repugnantes: quippè quos pecunia tuetur.* Munit ſanè, & confirmat hoſtes Sacerdotum auaritia; quæ omnia popularium facinora impedit, ſoliſque cladibus materiam Matth. 21 miniſtrat. Apud Matth. cap. 21. facto de funibus flagello eijcit Dominus de templo ementes, & vendentes. Quid plura? *Tunc acceſſerũt cæci, & claudi ad eum in templo, & curauit eos.* Tunc ſolum cum auaritiam è templo eliminas, fiunt à Deo virtutes in populo. Pulchrè Rup. vbi ſupra fatur: *Non prius cæcos, & claudos curauit, quam illos latrocinantes de ſpelunca eiecit: quia videlicet non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipſi Sacerdotes cum illo Deo ſuo de templo fuerint eiecti.* Hæc ille: & me tuo, ne tot cladium, quæ quotidie in Chriſtiana accidunt Republica materiam ſubminiſtret Sacerdotum auaricia. Equidem ſi hæc à Dei tẽplo eijceretur, ſi vel flagellis à Deo immiſsis Sacerdotes cum idolo ſuo pellerentur ab Eccleſia, non dubito quin & popularium vitia interirent, & plures in dies pullularent virtutes. Hæc erat quondam virtus in Sacerdote, quod pecuniarum ſtudium, quod retia libenter relinquerent, vt ſequerentur Chriſtum: modo vereor, ne veniat tempus, in quo de Sacerdote Dei dicamus illud Habacuc Habacuc. 1 cap. 1. *Immolauit ſagenæ ſuæ; & ſacrificauit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.* Cur non ſacrificent reti ſuo, illi quorum ſtudium totum erit de eligendis cibis, de precioſis ſeruandis vinis, vt fartis corporibus vitam ducant quietam?

§. XXIIII.

Qui Deum ſequitur nil prius dimittant, quam retia.

RECTE non exprimuntur alia, quæ relinquant Apoſtoli, præter retia; hæc ſi ſolum dimittas, perfectiſsimè Deum ſequeris. Etenim plures ſunt, qui relinquant omnia bona ſua, non tamen relinquant retia, ſed retibus onuſti Chriſto ſedeant. De his Pſalm. 89. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus.* Igitur qui hæc nouiſti, qui omnia peccata tua Deo manifeſta vides, qui te ſub Dei ira animaduertis, nonne mutas vitam? Nonne abiectis mundi vanitatibus ad Deum confugis? Confugit quidem relinquens vana vanis, ſed retia minime relinquit: ait enim ſtatim. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Aranea in conficiendis retibus, vt muſcas capiat, vitam, & operam abſumit. Sic de illa Titelman. Titelmanus loquitur. *Opus eius cum perfectum fuerit, non aliud, quàm laqueus eſt, quo muſca capiãtur.* En miſeram conditionem humanam. innata ſunt noſtris præcordiis retia; omnia dimittimus, vt ſequamur Chriſtum, ſed retia non dimittimus, etiam poſt Chriſtum, etiam in domo Dei retibus expendendis, vt quid capiamus, operam damus. Sed vide quales ſint ij, qui adhuc in Dei domo retia ſeruant, *anni noſtri*, ait, *ſicut aranea meditabuntur*: ſunt equidem araneæ, quæ totam Dei domum cõſpurcant, & horrere faciunt de retibus ſuis. Benè ergo ad comendationem ſequentium ſe, dicit Dominus, quod retia reliquerint: hæc enim ſi ſola relinquas, perfectus eris; & hæc vel in primis relinquenda ſunt ab his, qui Deo cupiunt reſpondere. Moyſi à Deo vocato Exod. Exod. 31. 31. id in primis dicitur, nimirum: *Solue calceamenta de pedibus tuis*: non dicitur illi, tolle vel abijce calceamenta, ſed notanter dicitur, ſolue, quaſi in primis inſtruendus eſſet, de laqueis ſoluendis, & abijciendis, qui in Dei ſequela maioris eſſe ſolent damni. Id notans Eucherius epiſt. de Eremo, ait: *Latenter enunciat, vt accedens priſtinis curarum obligationibus ſe abſoluat, & anterioribus vinculis expeditus incedat, ne locum polluat.* Et quidem ſollicitudines illæ, & meditationes acquirendi laqueifunt, vincula ſunt, retia ſunt, & aranearum retia, quæ domum Dei vehementer polluunt. Fædior aduenies domo Dei onuſtus his retibus, quam totus plenus mundialium bonorum. Etenim bene Bernard. ponderat illud: *Reliquimus omnia*: omnia ſane dixerim, non tantum poſſeſsiones: *Sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plus enim concupiſcentia nũdi, quã ſubſtantia nocet.* Plus retia offendunt, quam præda; & araneæ retia, quæ intimis ſunt inſeminata viſceribus, & omnia fædant. Pulchrè Sponſa Cant. 2. iuxta ſeptuag. ait, Cant. 2. *Ecce ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, eminens ſuper retia.* Quaſi ea ſit cura potior Dei, vt calcatum veniat humana retia

tia;& hoc in primis à nobis petat, vt sollicitudines,& machinamenta mundialia, quæ retia sunt, eius subijciamus pedibus, non aliter placituri Deo. Huc adest Orig.hom.2. fatus. *Ecce hic retro post parietem nostrum, emittens super retia: cũ verò eminuerit, dicit tibi. Surge, veni proxima mea, viam tibi feci, conscidi retia; sic veni ad me proxima mea;* expende illud: *Sic veni*: Hoc est post concissa retia, post retia exsibilata, potes venire & Deo appropinquare, aliter caue tibi: sed scire cupis, qui sint, qui & in ipsa Christi sequela, adhuc retia expandant? Quantum conijcio, hi sunt vilissimi, & rudissimi homuntiones. Memento illam parabolam propositam. Iudic. 9. nimirum: *Iuerũt ligna syluæ, vt vngerent sibi regem.* Ecce tibi, qui faciunt conuentus de eligendo rege, qui ambitionis retia expandunt, qui machinas struunt, vt suffragia captent, qui? ligna syluæ. Pulchrè Nilus in Ascet. ait: *Nec enim paradisi, sed syluæ ligna rectoris indigere dixit similitudo.* Et quidem & pulchræ, & fructiferæ erant in paradiso arbores, erat notissima vitæ arbor, & erat arbor scientiæ, sed hę sibi manent quietæ absque vlla regnandi memoria; verũ syluestres arbores, infructiferæ salices eunt, & reddeunt, nullumque non mouent lapidẽ, vt regnum, vt prælatura deferatur.

Origen.

Iudic.6.

Nil.

§. XXV.

Homines verò operum exemplo capiendi.

VT piscatores fiant, vocantur, & tamen abijciunt retia Apostoli: quò igitur itis, nũnquid sine retibus itis piscatum? Equidẽ qui piscari homines velit, relinquat retia, solis vtatur manibus: non enim retibus, sed operum exemplo homo capitur. Isai. de Apostolica captura, cap. 11. sic agit: *Simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa, & Moab præceptum manus eorum*; expende instrumentum piscationis, nimirum, *præceptum manum eorum*: nunquid manibus præcipimus, an ore? Nunquid manibus prædicamus, an sermone? Manus sunt, quæ in Apostolica piscatione inescant animos, & inescatos capiunt. Etsi mutus fias, etsi hoc solum agas, videlicet, vt manus bonis operibus applices, proculdubio eris homines capiens. Quot verba fecerunt tres illi pueri apud Babilonium Regem, nec eum capiunt? Quippè aiunt, Dan. 3. *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Hæc faciunt verba pietatis, & fortitudinis plena, neque his mouetur Tyrannus. Sed vbi ad opus ventum est, vbi in flammas sese pro Deo sustinent dari, medijsque illis viuũt, tunc Rex ait: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, videlicet, Misach, & Abdenago.* Ecce qui coccineis vittis labiorum restitit, operum exhibitione, & capitur, & ligatur. Id quod sic notat Chrysost. hom. 6. ad Pop. fatus. *Antea quando dixerũt dys tuis non seruimus, fornace fœtus accensus est: postquam verò per ipsa opera hoc ostẽderunt, non tantum nõ indignatus est, sed & laudauit, & admiratus est, quod sibi non obedissent.* Hi profecto sunt homines, qui plus manibus capiantur, quàm dictis; crediderim id esse ipsius hominis inseminatum naturæ; quando enim cæteræ creaturæ Dei dictis audientes fiebant: iam tunc hominis substantia sola, nõ dictis, sed manibus trahitur diuinis, vt discas, quo trahendi, & inescãdi homines sint. De Iesu præcursore noto duo: in primis Lucæ 3. dicitur. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto*: aliter inter eiusdem natiuitatis miracula; Luc. 2. *Posuerunt omnes, qui audiebant in corde suo dicentes: quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Hic Dei manus, illic Dei verbũ cum Ioanne dicitur, cur non vtrobiq; aut Dei verbum, aut Dei manus? Equidem vbi res agebatur in deserto, sufficiebat verbum Dei Ioannem implere; at in ciuitate, inter homines, qui inescandi erant, & trahendi ad diuinas laudes, non verbum, sed manus Dei ibi patet, quæ certius homines capiat. Inde Euãgelici piscatores sic apud Luc. 12. instruũtur, vt sint, *lucernæ ardentes in manibus vestris*: & quidem lucidum eloquium Domini est, sed humani pisces, nõ ad lucem, quæ ex eloquio, sed ad lucem prosiliunt, quæ est è manibus. Vt homines traheret, sic eloquebatur Dominus. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; quæ lingua efficacior ad trahendos homines? Quæ vox suauior ad inescandos? Et tamen pauciss imi homines trahuntur hoc Dominico hamo: veniunt post Dominum Apostoli, & totum orbem terrarum expiscantur. Sed vnde expiscantur? Sanè non aliunde, nisi quia præfata verba Domini non è labijs emittunt, sed è manibus. Id ponderans Basil. Sel. orat. 29. sic prædictæ Christi vocis vires exprimit aiens. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apostolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, cœlum hominibus peruium reddiderunt: terras integras peruasit ea vox*, &c. Expende illud: *Hanc in manibus habentes*: quandiu enim in ore Dominico fuit, etsi mille hamis plena, pauciss imos traxit; vbi ad Apostolorũ manus dilapsa est, totum sibi orbem rapuit.

Isai.11.

Dan. 3.

Chrysost.

Luc.2.

Luc.12.

Matt. 11.

Basil.

§. XXVI.

Conformes fieri debemus Iesu in omnibus.

ET si ad piscaturam vocantur, prudenter tamen Apostoli retia dimittunt: qualiter enim cum retibus sequi possent illum, qui absque vllis retibus illos vocabat. Talis enim Iesus sese nobis proponit, quales vult esse eos, qui sequãtur. Dicitur Cant. 2. iuxta Lxx. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, eminens super retia.* Quando super retia eminet Dominus, retia calcat: cur ergo se nobis ostendit retia calcans? Ne audeamus nos ad illum, qui vitiorum retia calcat, nisi eadem retia calcantes. Pulchrè Ambros. serm. 6. in Ps. 18. ait: *Is solus erat Iesus, qui cũ huius carnis se circundedisset vinculis, captus non erat, nõ erat alligatus, sed disrumpens ea, atque dissoluẽs, ad se magis vocauit Ecclesiam, prospiciens per laqueos, eminens super retia, vt & ipsa disceret vinculis non teneri.* Verecundum erit nos irretitos laqueis monstrare post Iesum, qui nullũ non fregit laqueum. Vbi Iesus sine laqueis adest, quis Iesum conueniat nõ dimissis prius laqueis? Memini à Lacedemonijs deos omnes armatos representari, *ne iuuenes*, inquiunt, *nisi armati deprecarentur*: sic Deo se debent cõformare precantes. Hinc diuino Sponso, qui, *gladium venit mittere in terram*, dicitur Psal. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime.* Quis nouit spõsum armatum? qualis hic spõsi habitus? Sanè talẽ se exhibebat, quales volebat esse amatores suos; cùm gladio apparebat, nec quis, nec ipsa sponsa illum sine gladio conuenire auderet. Vndè Paul. ad Ephes. 6. monet: *Gladiũ spiritus assumite, quod est verbum Dei.* Quibus Paschas. in Psalm. 44. sic ad sponsam loquitur. *Gaude sponsa, quia fortissimum duxisti sponsum, & armatum. Quinimò armare & ipsa gladio verbi diuini, de quo ait Apostolus, gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei; quatenus & ipsa tuo armata respondeas propugnatori, & defensori.* Non expedit, Iesum sequi, & eius non sese conformari habitui, qualem Iesum videris vocantẽ, talis sequere; hæc enim tota hominis felicitas, si cõformis Iesu fiat, hinc nostra vita procedit. Huc referre licet illud Elisæi facinus, quo 4. Reg. 4. sese aptauit defuncto puero, vt reduceret illum ad vitam. Rem ita narrat, & ponderat Basil. Seleu. orat. 10. inquiens. *Pueri ori suum os imposuit Elisæus, nasum naso aptauit, faciem facie fulcijt, cum pedibus pedes contendit; pectus imposuit pectori, oculos oculis admouit: paucis denique membris singillatim applicata Prophetæ mebra vitam conferebant.* Sic vt puer reuiuisceret, oculos, ora, & manus, & pedes Elisæus conformabat sibi. Cur hoc fiebat? Cur suscitaturus puerum non confugit ad orationis præsidium, sed tam nouum modum excogitauit? An illo monstrabatur, quod Christianorum vita in eo consistebat, vt omnes sensus tuos Christo conformares? vt non habeamus oculos, nec pedes, nec manus, nec ora, nisi vt oculos, & pedes, & manus, & ora Christus Dominus habuit? Huic quæstioni suffragatur Basil. reddens hanc causam, aiens. *Elisæus Christi figuram gerit. Populus autem gentium erat ille mortuus vi peccatorum.* Ergo quisquis vitam speras, sequere Iesum, sed per omnia te Iesu conformando, talem te exhibe, qualem videris Iesum vocantẽ, adeò vt nec in ictu oculi ab illo dimouearis.

Cant. 2.

Psalm. 18.

Ad Eph. 9.

Paschas.

Basil.

Idem.

Matth. 4. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, et patre secuti sunt eum.

§. XXVII.

Parentes in primis relinquat, qui sese Christo sequendo tradit.

HIC sit primus Christianæ perfectionis gradus, quod vniuersæ cognationi carnali dicas longum vale: nil primum tibi agendum est, quam vt exuas effectũ propinquorum, & parentum carnalium. Iam mihi in præsenti veniunt ponderanda verba illa, Cãt. 4. *Veni de Libano soror mea sponsa. Veni de Libano: veni coronaberis.* Qualis est ista tàm festina coronatio? dicis veni, & statim coronã prætendis, an primo passu arripienda corona est? Equidem Paul. 2. ad Tim. 2. ait: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*: & meritò, qui certat accipit coronam, & qui currit, brabium accipit. Et modo non petitur, quod certet sponsa, non petitur, quod currat, sed solũ aiunt, *veni, & coronaberis.* An in primo passu confectum intelligitur certamen? Equidem nemo ad perfectionẽ venit, qui in primo passu, non intelligatur debellasse iam affectum erga parentes, & propinquos carnales. Ita se in præsenti expedit S. Brun. dicens: *Ipsum igitur*

Cant. 4.

Paul. 2.

tur venire certare est: neque enim ei facile fuit patriam, parentesque relinquere, prisinos mores, antiquam cõuersationem, & eos, quos colucrat Deos, parentesque deserere. Cum primum pedem moueas ad Christi sequelam, iam tibi certamen est cum parentibus, qui relinquendi: iam tibi de dimissis parentibus, & cognatis corona debenda est. Meritò Moyses Leuitas armabat in vniuersos cognatos, dicens Exodi 32. *Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, occidat vnusquisque fratrem, &c.* Ecce gladius separãs filios à patribus, nulliusque consanguinitatis, aut necessitudinis vinculis parcens. Sed vndè gladius hic incipit? Expende locum, nimirum, *de porta vsque ad portam:* & supra ait, *stans Moyses in porta castrorum, &c.* Nec limen portę teras nisi stricto gladio aduersus cognationem carnalem; in ipso primo passu seruitutis Dei hæc arripienda sunt arma, hæc vincenda certamina, vt Dei coronam potiaris. De his Deuth. 33. dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis: ignoro illos, & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerũt, iudicia tua ò Iacob, & legem tuam ô Israel.* Hi strenuissimi, qui se se carnali parentum affectu nouerunt expedire propter Deum, hi sunt quibus Deus credit legem suam, & totius fabricam Ecclesiæ. Sic vbi de templi constructione agebatur. 3. Reg. 7. dicitur. *Misit rex Salomon, & tulit Hirã de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium plenum sapientia &c.* Vbi nota illud, quod à textu non otiosè notatum est, videlicet, *filium mulieris viduæ*, solent enim similes difficilius auelli ab amplexibus matrum. Sed hi sumuntur ad Dei domũ ædificandam, qui primò in passu, hunc validissimum in parentes affectum nouerint relinquere. Quibus putat Eucherius lib. 3. Reg. respondere illud Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*: quasi de dimissis parentibus premiũ spectẽt omnes, qui diuinæ fabricæ addicũtur. Nisi enim ab hoc pio certamine in parentes inceperis, vix aliquod facinus virtutis efficies. Dicebat ille Matt. 8. ad Iesum: *Puer meus iacet in domo paraliticus.* Inqua domo? S. Pascasius lib. 5. in Matth. ait, *In domo, inquam, de qua dictum lẽgimus ad animam: obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui. In hac quippe domo paralitica est anima.* Dum enim inter parentes agis, ea laboras paralipsi, qua nihil efficies insigne. Hinc ego Ionathæ facinora illustro, quod affectum in parentem nouit exuere, vt Dauidis innocentiæ seruiret.

Exod. 32.

Deuth. 33.

3. Reg. 7.

Psalm. 44.

Matth. 8.

Paschas.

§. XXVIII.

Euangelicis Heroibus in principio virtutum maiores difficultates proponendæ sunt.

CVR dominus vocaturus Ioannem & Iacobum, expectat tempus, quãdo illi cum patre suo erant? Non ne aptius vocasset post patris discessum? Hi erant duo fratres, qui ad magna facinora vocabantur, & sic in principio conuersionis maior & durior difficultas illis proponitur, quam amore Dei superent. Ad Habrahamum ait inprimis Deus Genes. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni interram, quam monstrabero tibi.* Ecce quam explicatæ proponantur omnes difficultates, nimirum egressio à patria, à cognatione, à domo patris; quod autem præmium offertur, nimis confuse proponitur, nec apparet, quid sit, sed veni interram, quam monstrauerò tibi, vt sic magis crescat tentatio, primoque impetu notę sint omnes difficultates, vt facilius vincantur. Innuebat id D. Aug. ser. 68. de tempore, fatus. Exi, ait, de terra tua. *Quis hoc sine fidei viribus libenter audiret? Leuius probaretur, si vel nomen loci, quo perrexisset, audiret.* Nil quod dolorem tẽperare possit, proponitur, solum difficultates explicãtur; ne ignoratæ à principio, post modum super venientes maiorẽ ruinam faciant. Heli Sacerdos 1. Reg. 3. accepit ex Samuele Dei oraculum, quo nouit domus suæ ruinã, filiorum mortem; quam cladem amore Dei animosus superauit, aiens: *Dominus est, quod bonum fuerit in oculis eius, faciat.* Non multum post conserunt Israelitæ manus cum Philistæis, euentum belli expectabat Heli, & ecce tibi cap. 4. nuntius ait. *Fugit Israel coram Philistæum, & ruina magna facta est in populo, insuper & duo filij tui mortui sunt Opthni, & Phinees; & arca domini capta est. Cumq; ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Nonne à principio vir bonus cladem nouerat? Non ne iam ruinæ dolorem Deo libauerat, cum primum à Samuele audiuerat? Cur ergo modò superatur magnitudine cladis? Audierat à principio cladem, sed non omnem; perceperat ruinã domus suæ, filiorum mortem, verùm non explicata fuit illi captiuitas arcæ, cuius insperatæ cladis dolore superatur. Accipite Iosephum lib. 5. cap. 12. sic fantem. *Cum audisset euentum prælij tam militum, quam filiorum cladem satis æquo animo tulit, vt qui Deo prænuntiante iam ante hæc præscinerat. Vt verò etiam arcam in hostiũ potestatem factam cognouit, insperato malo ictus, ac dolo-*

Genes. 12.

August.

1. Reg. 3.

Iosephum.

ac & doloris impatiens prolapsus è throno exhalauit animam. Equidem frangunt animos superuenientes tentationes, quas à principio minimé fuimus experti, nec superauimus. Magni que ponderis est, si vel à principio noueris, quascũq; postea difficultates inueneris. Hinc nouos in Christo fœtus primo suscipit baptismus: in quo quidquid agitur & mortis, & sepulturæ mentio est; ait enim Paul. ad Rom.

Ad Rom. 6 6. *An ignoratis, quod quicumq; baptizati sunt, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sunt? consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortem.* Et quidem rectè primo congressu mortis, & sepulturæ spicula nobis proponuntur, vt ad illa parati nullum nouum expauescamus

Tertul. periculum. Vndè dicebat Tertul. ad Scapulam, cap. 1. *Nos quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur; cum ad hanc sectam vtique susceptæ conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedemus.* Notæ sunt nobis à limine mortis vasa, iam primo in congressu duriora vidimus certamina, nil postmodum nouum Christiano, nihil inopinatum accidit. Vocaturus Ha-

Genes. 12. brahamum Dominus, Genes. 12. aiebat: *Veni in terram, quam monstrauero tibi.* Cur statim non explicat, quæ futura sit terra? Vt bonus athleta primo in limine sese ad omnem terram, etiam durissimam, etiam remotissi-

Chrysost. mam aptet. Chrysostom. lib. 1. de Prouid. *Habraham cum simpliciter, ac indistincte audisset in terram; non istam, vel illam, sed quam mõstrauero tibi; omnia mente circũibat, ac perlustrabat. Credi enim potest ad orbis terrarum fines, Occeanumque ipsum se profecturum expectasse. Itaque etsi non omnem perlustrauit terram, curam tamen huiusce perficiendi itineris sustinuit.* Quo itinere deterreri poterit, qui primo passu se ad orbis terrarum fines perlustrandos parat? Hinc notabis, quam desipuit Sathanas, vbi ad perdendum Iobum, in primis illi offert durissima omnium certamina. Equidem primo in congressu, & filios eius vna sepelit, & vniuersa bona illius perdit, quo factum est, vt inuincibilis redderetur Iob ad

Idem. omnia alia certamina. Ita Chrysostom. in cat. Græc. ait: *Cum tantorum bonorum possessione eum deturbarit, non solum bonis non spoliauit; verum etiam multo beriores virtutis opes illi conflauit. Nam vehementioribus contentionibus eruditus, atque exercitatus audacior postea fuit, atque paratior.* Sic qui in primis duriora vincit, inuincibilis manet.

CAPVT SECVNDVM.

Philippus, & Nathanael vocantur.

POSTQVAM Dominus Simonẽ Andreæ fratrẽ Petri cognomine insigniuit, sequenti die ad Galilæã digressus Philippũ Bethsaidæ natũ ad se vnius verbi potestate pertraxit. Is est Philippus, qui eã dominici verbi in se efficaciã fuit expertus, qua Nathanaelẽ de inuẽto Messia certiorẽ facere, quam primum potuit, curauit. Doctior Nathanael Philippo nõ adducitur, vt credat à Nazararet, quæ patria Iesu dicebatur, potuisse salutem gentiũ sperari. Verũ secutus Philippum, Iesum adit; cui vt vidit secreta sui cordis, arcanaq; actiones patere: ipsum & filiũ Dei, & Regẽ Israel protestatur. Nuperi Theologi post Rupertũ, vt Nathanaelis confessionẽ haud ingratã relinquant; volũt pro illa Bartholomæi nomine in Apostolorũ albũ illũ fuisse relatum. Sed quĩ humilia elegit, vt fortia cõfundat, doctissimũ Nathanaelẽ Apostolico apice minimè donauit. Sed vt verũ Israelitã præmonuit, sic magni Israelis somniũ de ascendentibus Angelis, & descendentibus per scalã, in se, qui petra viua est, diuinitatis oleo dilibuta, implendũ manifestissimè concionatur, quãdo Angelorũ ministerium & sibi, & Ecclesiæ suæ supra petrã fundatæ cuncti fuerint mortales conspicati.

Ioann. 1. In crastinum voluit exire in Galilæam, et inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus, Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ, et Petri.

§. I.

Verbi diuini efficacia absumit facilè quidquid Deo resistit.

BETHSAIDA ciuitas est, propter scelerũ magnitudinẽ penè à Deo deplorata, vbi ait væ tibi Bethsaida, cuius ciuẽ Philippum, vt ad se Dominus traiat, nõ alio vtitur instrumento efficaciori, quã verbulo diuinis prolato labijs. Etenim, ait: *Sequere me,* cui voci, vt Lazari Sepulchralia non potuere resistere, sic Philippus, etsi libentissimus, tamen statim paru-

paruit. Non sceleſta patria; non Bethſaida, nõ corrupti ipſius mores valuere Philippum â verbi Chriſtiani eripere poteſtate. Ea eſt cœleſtium verborum efficacia. Quando Ezech. cap. 3. mittitur ad populum, alato libro inmedium, dicunt ei: *Comede volumen iſtud, & vade ns loquere ad filios Iſrael.* Verũ Chriſti Apoſtolis non liber datur, ſed *apparuerũt diſpertitæ linguæ, quaſi ignis*: & tamen non ad populũ, ſed ad totum orbem terrarum mittebantur. Non enim occidens litera, ſed cœleſtis lingua potens eſt Chriſtianum facere totum orbem terrarum. Id ponderat Chryſoſ. ſer. 2. in Pent. fatus. *Cur igitur illic liber, & literæ, hic verò lingua, & ignis? Quod ille quidem abiret inſectaturus peccata, calamitateſq; Iudaicas ploraturus. Hi verò peccata orbis terrarum abſumturi erãt.* Vbi ergo peccata rememorãda, & ferreo notãda ſtylo ſunt, liber mandatur; at vbi totius orbis terrarum malitia extirpanda, vbi mundus in vitam trahendus eſt immortalem, vna cœleſtis lingua id ſola perficere valet. De hac Pſalm. 28. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condenſa.* Vbi Diu. Baſil. legit: *Vox Domini præparans, & abſoluens ceruos*: quaſi ea ſit diuinæ linguæ vix, cui nulla vincula, nullum poſsit reſiſtere ligamen. Omnia ſoluit, omnes explicat difficultates: *Et reuelauit condenſa.* Quid intereſt, quod ceruo ſis velocior, & expeditior ad ſagittas fugiendas, ad montium cacumina ſuperanda, ſi hinc inde denſiſsimę ſe offerant ſyluæ, quæ te, vel inuitum faciant morari? Verum ſiquidem Dei vox tuis perſonat in auribus, & vincula rumpit, & ceruorum pedes tibi parat, & ſyluas excindit, omnibuſque abſumptis impedimentis, te difficultatibus ſuperiorem, & cœlis viciniorem facit. Hic reſpicit, Gillebert. Abb. ſer. 14. in Cant. fatus: *Vox Domini, vox intimæ inſpirationis, mentis auribus ſuauiter illapſa. Illa eſt vtique, quæ ceruos huiuſcemodi præparat, quæ reuelat condenſa. Nam ſiqua condenſa ſunt, & crebris ſcandalorum, quaſi ſpinarum aculeis obſita; illis condenſa non ſunt, quorum Dominus perficit pedes, quaſi ceruorum, qui nullo iniuriarum obice tardari poſſunt.* Vna Dei vox eſt, quæ denſiſsima vinculorum agmina nouit rumpere, vt homines trahat. Sodomis innutritus Loth etiam ingentis ſupplicij minis ægre, & difficulter à populo diuellebatur; cur iuſtus vir à nequiſsima ciuitate exire retardat? Ait Gen. 21. *Cumque eſſet mane cogebant eum Angeli dicentes: ſurge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis; diſsimulante illo apprehenderunt manũ eius: eduxeruntq; eum*, &c. Expende illud: *Cogebant eum Angeli*: quippè difficilè erat Angelis hominem ab oppido abducere: quibus ille reſiſteret proculdubiò, & ſaltem, niſi multa vi, & coactione adhibita non exiſſet. Non Angeli, non poteſtas aliqua creata, niſi ſola Dei vox nouit pedes ceruorum præparare, vt vinculis omnibus, & retibus vitiorum ſuperatis, libenter ad meliora ſaltent. Per quadraginta dies vox Dei perſonabat in Sina legem Moyſi dictans; ſed tandem ait text. Exodi 31. *Dedit quoque Dominus Moyſi completis ſermonibus in monte Sinai duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.* Quid tunc? Immediatè ad hæc cap. 32. *Videns autem populus, quod moram faceret Moyſes congregatus aduerſus Aaron ait: ſurge fac nobis Deos.* Quibus id maximè ponderandum eſt, quod poſt completos Dei ſermones, poſt legem ſcriptis traditam, dicatur populus inſurrexiſſe in Aaronem: dum autem vox perſonabat Dei, nullum populi faſtidium, nulla reuellio erumpit, omnis prauitas frenatur, at poſt finitam Dei vocem ſtatim erumpunt populi peccata. Ambroſ. epiſt. 56. fatur: *Cum Moyſes in monte Sinai legem acciperet, populus erat cum Aaron Sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus: tamen quandiu lex dabatur, ſacrilegio erraſſe non proditur. Verum vbi deminum conticuit oraculum, peccatum irrepſit, vt peterent ſibi fieri Deos.* Si Deus conticuit, ſi vox diuina ceſſauit, cur non irreperent peccata, quæ Dei ſola voce cohiberi poſsint, & refrenari? Sonet Dei vox, & omnia videbis abſumi ſcelera, omnia perdi vitiorum ligamina. Ad Hierem. cap. 1. dicit Dominus: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, et ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes.* Ad regna deſtruenda, & ædificanda, vide quæ arma parentur, nimirum: *Ecce dedi verba mea in ore tuo:* vnico Dei verbo opus habet, qui vniuerſum mundum, & euertere, & conuertere cupit: ait enim Origen. hom. 1. in præſenti: *Qui ſic beatus eſt, vt regna multa, quæ Chriſto diabolus oſtendit, regna dæmonum, regna peccati eradicet, opus habet his, qui ei dati ſunt à Deo, ſermonibus.* De ſolo ſermone Dei armatus, omnia poterit facilè conficere.

Ezech. 3.

Act. 1.

Chryſoſ.

Pſalm. 28.

Gillebert.

Geneſ. 21.

Exod. 31.

Ambroſ.

Hierem.

Origen.

Tex. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.

§. II.

Scriptura fidelis Christi custos est.

VBI scriptura est, non perditur Christus: imò sic ab illa incolumis custoditur, vt qui candidè, & sincerè scripturas attendat, facilè ibi inueniat Christum. Vix in terram aduenit, & male ab Herode petitus fugit in Ægyptum. Cur in Ægyptum? Nonne, & ibi Iacobæum genus male habuit? Potuisset sanè in aliam minus sibi suspectam regionem fugere, & custodiri; sed apud Ægyptum diligentia Ptolomæi Regis seruabantur scripturæ per Septuaginta interpretes translatæ. Nulla ergo regio aptior ad custodiendum, & seruandum Christum, quàm Ægyptus sacris ditata scripturis. Sic Diu. Irinæus lib. 3. cap. 25. *Deus seruauit nobis simplices scripturas in Ægypto, in qua adoleuit, & domus Iacob, in qua Dominus noster seruatus est, effugiens eam persecutionem, quæ erat in Herode.* Vbi præ manibus Scripturæ sacræ erant, bene haberet Iesus, quem Moyses, & Prophetæ prædicant vbique. Nec mors, nec infernus Iesum offendunt, si adsint scrutandæ scripturæ. Vndè audenter dicebat Apost. 1. Corinth. 15. *Christus mortuus est propeccatis nostris secundum scripturas.* Mortuum prædicas, ô Paule, & confidis illum à gentibus non irridendum esse? Mortuum prædicat, sed notanter appositi illud, secundum scripturas, quia scripturæ si sciantur, nullam Christo sinunt ex morte, & ignominijs offensionem venire. Id quod notans Tertul. aduersus Praxeam dicit: *Sufficiat filium Dei mortuum dici, & hoc, quia ita scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuntians Christum mortuum adiecit secundum scripturas, vt duriciem pronunciationis scripturarum authoritate molliret, & scandalum auditori euerteret.* Quantumuis diabolus passionum nubila cõglomeret, etsi mortis, & inferni tenebras adijciat, minimè obscurauit Christum; dum solum scriptura loqui possit. Meritò Theodoretus Iudæorum dispersionem per vniuersam terram Christo suscipiendo proficuam nouit ex hoc capite, quod Iudæi secum deferunt legis, & Prophetarum libros, quibus necessum est, si excuciantur, Christum innotescere. Etenim ait ille, serm. 10. de Prouid. *Si quis diligenter rem excutere vellet, Iudæorum resistentiam gentium fidem plurimum adiuuisse inueniet. Disceptatio enim cum Iudæis, & à lege, & Prophetis desumpta demonstratio, manifestè illorum insaniam arguit: gentibus autem demonstrat Christianam politiam olim prædicatam esse.* Bene præmittitur lex, & scriptura, quæ tutiorem Christo excipiendo pareret aditum. Vbi enim Moyses bene habet, necessum est, vt Iesu diuina potestas pateat. Exod. 17. impetum fecit Iesus Naue aduersus Amalech: *Cumque eleuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Tunc Iesu clarebat victoria, cum Moyses manus non deiectæ erant, sed eleuatæ. Tunc verus Saluator mundi triumphat, & obturat inimicorum os, cum Moyses non abijcitur, sed omninò bene habet. Meritò Origen. hom. 1. in Iesue: *Tunc ergo inualescit Iesus magis, & tunc vincit, quando Moyses erigit manus suas. Victus est autem populus ille ab Amalech, quoniam iam non erigebat manus suas, sed erãt dimissæ deorsum. Illi enim sunt, quibus dicitur: si crederetis Moysi, crederetis vtique mihi.*

Irinæus.

Corint. 15.

Tertul.

Chrysost.

Exod. 17.

Origen.

§. III.

Christus in Moyse, & Prophetis, vt patentissimus est omnium.

MIRARE illam piscatoris hominis audaciam: semel Iesum viderat, & statim animosè fatur, *quem scripsit Moyses, & Prophetæ inuenimus Iesum.* Illiteratus homo erat Philippus, & tamen de Prophetarum, & Moysis suffragio gloriatur se inuenisse Iesum verum populi Saluatorem. Adeò enim perspicuus erat Iesus in Moyse, vt à quolibet possit inueniri facilè. Ecce tibi Moyses, ante omnia fatur, Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Quo in principio? Crediderim, quod in filio; etenim interrogatus Iesus, quis esset Ioan. 8. respondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Itaque ante omnia posuit Moyses notissimum filij Dei nomen, ante vniuersi historiam, ante Spiritum sanctum, ante Deum Patrem, prima voce filium exprimit, ne Iudæus tardet Saluatoris sui videre notionem. Acutè idnotat S. Brun. serm. 1. de Trinitat. inquiens: *In principio, inquit, fecit Deus cælum, & terram: & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Conueniens fortasse fuerat, vt nomen patris prius poneretur, qui vbique maximè ab ipso filio honoratur; sed noluit hoc Moyses; imò Spiritus sanctus, qui loquebatur in Moyse, prius nomen filij posuit, ne Iudæus quærendo erraret.* Adeò patens ponebatur Saluator in Moyse, vt à quocumque inueniretur; ne quis accederet ad Moysem, quin statim ipso in limine eius prosiliret in oculos Saluator. Ait enim sponsa, Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Expende illud: *Saliens*

Genes. 1.

Ioan. 8.

Brun.

Cant. 2.

liens in montibus: mons erat Moyſes, montes erant prophetæ, & meus ſaluator in his montibus non amat latebras, non apud tenebroſas ſpeluncas deliteſcit, ſed in montibus ſalit; dicere Hiſpanice, *lo que en la eſcritura mas ſalta à los ojos*, quod legenti Moyſem prius ob oculos
Orig. eſt, citius & facilius inuenitur. Sic Orig. fatur hom. 3. in cant. *Subito vides eum, in iſtis mõtibus, legis dum taxat voluminibus ſalientem; & in collibus ſcripturæ propheticæ pro euidẽti manifeſtatione non tam apparentem, quam exilientem. Verbi gratia: quaſi reuoluens ſingulas propheticæ lectionis paginas inueniat de ipſis exilientem Chriſtum, & per loca ſingula lectionum ebullire eum cernat, & mergere, atque euidẽti iã manifeſtatione prorrumpere.* A quo ignorabitur ille, qui ſic per legem, & prophetas ebullit, ſic ob oculos exilit? Vide Moyſem, vide prophetas, non equidem iuberis oculos ad remotiſsimos ſtellarum aſpectus tollere, ſed montes reſpice, qui à rudibus popularibus ſpectari ſolent, in illis tibi ob oculos ſtatim proſiliet Ieſus, qui amat inde vi
Iſaiæ 8. deri. Quo referã illud Iſaiæ dictum c. 8. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, &c.* Quis eſt ſtylus hominis? Stylus clarus, facilis, popularibus imeruditis accommodatus, in quo præuia ſint omnia, quæ ad Verbi incarnationem pertinent. Vndè Ezechiæ deſideranti videre diem Domini, oſtenſus eſt hic dies 4. Reg. 20. per Solem recurrentem decem gradus in horologio; vt Sole ipſo clariores paterent naſcituri domini greſſus in prophetis. Hinc Ioann. 1. interrogatus Ieſus ab Andræa de habitatione ſua, illum in domum vocat, & ſtatim notat Euangeliſta aiens: *Hora autem erat quaſi decima*, nec id otioſe notatur, ſed vt oſtendatur quam patenter, & perſpicue erant notati in Ezechiæ Sole greſſus Saluatoris noſtri. Id quod Stephan. expendit apud Tilmanni allegorias, inquiẽs. *Cum Andræas dixiſſet Domino: Rabbi, vbi habitas? Et Dominus: veni & vide: ibi ſic dicitur: Erat autem hora quaſi decima: vt memor ſis ſigni Ezechiæ facti.* Vt vel rudis piſcator Saluatoris greſſus agnoſceret Sole clarius herologio prophetico deſignatos.

§. IIII.

Deus non effingendus eſt pro noſtro cuiuſque placito.

MERITO gaudet Philipus, ſe inueniſſe Saluatorem, nõ qualem ipſe ſibi pro placito ſuo effingeret, ſed qualem Moyſes, & prophetæ pronuntiauerant. Vere in hoc Chriſtianus. Quid magis gentile, quam eum cupere Deum, quem iuxta placitum noſtrum gubernari videamus? Centurio ille Matth. 8. ſic Ieſum affatur: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & dico huic vade, & vadit, &c.* Expende, vndè auſpicetur virtutem diuinam; dic verbo, ait, nam & ego dico, quaſi ſolum cognoſciturus eſſet Deum, qui eius ſe accommodet placito, & ab eo procedendi regulas capiat. Pulchre huius verba expendit D. Baſil. Sel. orat. 19. fatus. *Mitte, vt ego militem, mitte contra morbum imperium; rebus paruis minores quoq; imitare: his oſtende pro nobis noſtra; Deus quo gratificetur hominibus, homines imitetur.* Hinc Deum cenſet gentilis, ſi hominem ſeruiat placito, ſi ſequatur præſcripta humana, ſi hominibus placeat. Sese Deus hominibus gratum præbeat, ſi ab illis Deus vult haberi, eorum ſuffragia captet ſeruiendo, adulando. Oſeę 2. aiebat populus nequam, *vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, & linum meum, & oleum.* Quid eſt vadam poſt amatores meos? Faciam mihi Deos, quos amabo, qui mihi magis ad palatum ſeruiãt, qui omnia mihi ſuppeditent. Sed expende illud, quod à dijs ſuis expetit, nimirum, *oleum meum.* De quo D. Hieron. fatur, *oleum, ait, de quo propheta dicit: Oleum peccatoris nõ impinguat caput meum.* Itaque, quod bonus Dauid horret ab hominibus fieri, hoc à Deo ſibi fieri optat impius, nimirum quod Deus illius caput adulationis oleo impinguet, & de paraſitorum more, dilinimentis captet fauorem humanum. Eget Deus, ſi is haberi vult ab hominibus, ſe hominibus exhibere officioſum, & ad illorũ placitum reformari. Quo gentes pungit Tert. in
Tert. Apolog. aiens. *Facit & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos, ac humano arbitratu diuinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit.* Vacent omnino prophetæ, Deumque halantia vaticinia penitus obmuteſcant, quando quidem impijſsimi homines nihil diuinum putant, quod nõ placet ſibi, quod non ſibi gratificetur, hominum mores imitans. Ait Pſal. 73. Pſalm. 73.
poſuerũt ſigna ſua ſigna, & non cognouerũt. Iuxta propriũ cuiuſque palatũ, ſibi Deum meditabantur, nõ qualem prophetarum exceſſus, ſed qualẽ guſtus humanus effigiabat, Deum adorabant. Vt doleat Hieron. in Micheam cap. 5.
Hier. *Infælix humana conditio, ſcit de ſuo ſenſu dogmata eſſe compoſita, non ignorat à ſe eſſe idolum ſimulatum, & pro Deo adorat.* Imò ideo adorat citius, quia de ſuo nata, quia quidquid in illis videt, ſuum noſcit, nihil ſupra hominem, nihil ſupra ſigna moris humani in Deo amant, quo in ſipiẽtiæ mergũtur bãrathro: etenim, ait *poſuerunt ſigna ſua, ſigna & non cognouerunt.* Cur cognoſcerent, qui nihil ſupra hominem meditantur? Huc ſpectat Paul. ad Roman. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam*

riam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Intra hominis conditionem, Deum adumbrabant; is Deus habeba
Iosue 24. tur, qui homini videbatur, hominūque moribus magis sese aptabat. Iosue cap. 24. post preclaram concionem beneficiorum Dei factā ad populum, sic finit. *Nunc ergo timete Dominū, & seruite ei perfecto corde: & auferte Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia.* Mirum est, quod iubeat Deos tunc auferri; an apud fidelem populum erant adhuc alieni dij? Fecerunt quidem vitulum in Oreb, sed is à Moysi in cineres redactus fuit; quos ergo auferrent Deos, qui nullum idolum habebant? Non habebant idolum externum, sed viri carnales, in corde suo Deum talem fingebant, & figurabant, qualem cupiebant proprij cuiusque affectus. Quam Dei notionem, vt erro-
Augustin. neam debet à se magnā diligentia excutere vir fidelis. Quod in præsenti notans Aug. q. 29. ait. Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo, & illas admonebat auferre. Quisquis enim talem cogitat Deū, qualis non est Deus, alienum Deum, & falsum in cogitatione portat. Quis est autē, qui sic cogitet Deum, quēadmodum ille est? *Ac per hoc relinquitur fidelibus, quandiu peregrinantur à Domino, auferre à corde suo irruentia vana phantasmata.* Qui enim proprijs credit affectibus, & cogitationibus, non verum Deum, sed vanū phantasma adorat.

§. V.

Religio quò vetustior, certior, & securior.

SVSPECTA est nouella religio, non vult Philippus assentiri, nisi vetustissimorum Prophetarū Deo, qui apud fumosos Moysis codices cantatur Deus, is placet Philippo. Velim, vt circa religionem, hæc sit prima semper disputatio, nimirū de antiquitate; & quæ nouitia probatur, eo ipso censeatur ridicula: Da-
Dan. 7. niel c. 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierū sedit.* Falsi dij noui, recētesque venerunt, vnus verus Dei Filius omnes antiquitate superat; nescit verus Deus aliter, quā antiquus dierum apparere. Vt pulchrè dicat
Rupert. Rupert. in præsenti. *Thronus vnus, & plures throni: vna enim est Ecclesia, & plures sancti, quorum in cordibus ille antiquus dierum sedit. Deus quippè recens in illis non fuit.* Oderint viri sancti Deos recentes, nouitiā religionem, de vetustissimis temporum finibus doctrinam sumāt: quādoquidē ea est Dei Ecclesia, cuius pretium de vltimis finibus sit. Et ille venit Filius Dei, cuius cani sunt sensus, cūius pulchritudo non aurea lanugine, sed veneranda splendet canicie. Nihil in se non canum à mane videri Dei Filius; quippè interrogās, qui vocetur apud vulgares, Matt. 13. respondent discipu-
Matth. 13. li: *Alij Ioannem Baptistā. Alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Sic se veteribus conformabat, vt nec suspitionē daret esse alium, quam aliquem ex his, quos vetustas probauerat. Tert. lib. 4. cōtra Marc. ait:
Tertul. *Nullū Deum nouū à Christo probatum illa opinio declarat: quia Christū Iesum alij Ioānem, alij Eliā, alij vnū aliquē ex veteribus Prophetis Herodi assenerabant.* Vtinā homines veterū semper insisterent vestigijs, quā longè abessent à nouitijs disciplinis, tā propè veritati essent vicini, illos sic pungit Paul. ad Rom. 1. *Mutauerunt*
Ad Rom. 1 *gloriā immortalis Dei in similitudinē imaginis corruptibilis hominis.* Expende illud, *mutauerunt*: etenim verā de Deo opinionē antiquitus homines ebiberunt, quā quia vetere, & fumosam, pro nouitij inuenti splēdore mutauerūt, & perierunt. Chrisost. ho. 3. *Qui mutat, tanquā*
Chrysost. *aliud habens mutat. Voluerūt enim amplius quidam inuenire, finibus sibi datis non contenti: quapropter, & ab ijs exciderunt, vt qui nouitatem appetierint.* Gloriemur non de nouis, sed de veteribus, non quod noua meditati simus, sed quod fumo senioq; obsoletis lucem, & splendorē dederimus. Quæ renda semper est in nouitio splendore grauitas & authoritas senectutis. Cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hin-*
Cant. 2. *nulo; cernorū;* ipse ipse puerulus Iesus, dum hinnuli formā præfert; & capreæ similis est, nimirum vetustissimorū patrū vmbris præfert lucē. Puer est Iesus, nouellus est Infans, sed ne nauseetur Iudæus de nouitio Deo, quādoquidem agnus hic, *occisus est ab origine mūdi.* Apoc. 13. Quid vetustius? Agnū vides, sed
Apoc. 13. qualē agnū retulerunt antiquissimi parentes tui ab ipsa mundi origine. Etsi agnus videtur, antiquus dierum est, à primis cōditoribus orbis veneratus, & notus: nō illū nouū facit leuitas, sed antiquissima seniorū vetustas. Acci-
Tertul. pe exemplū, quod considerat Tert. lib. de pal lio, vbi de militari machina, quā arietē vocāt, sic fatur. *Nā & arietē nemini vnquā adhuc libratū, illa dicitur Carthago asperrima belli prima omnīū armasse in oscilū penduli impetus, commentata vim tormenti de vili pecoris capite vindicantis. Cū tamen vltimarent tēpora patriæ, & aries iā Romanus in mūros quondā suos auderet: stupuere illico Carthaginenses, vt nouū extrancū ingenīū. Tantū æui longinqua valet mutare vetustas.* Itaq; quē prima Carthago inuenit arietē bellicū; post multa tēpora expauit illū videns apud Romanos, & eius vim experta, nouum tormentum reputabat. Sic agnus diuinus à

fun-

fundatoribus orbis notus, & adumbratus est, à Iudæorum priscis patribus maximè decantatus, & celebratus, ipsisque in primis à Deo datus. Verum cum vltimarent tempora, & agnus ipse Romanus factus in muros, & legem quondam suam ferat; illico miseri Iudæi expauent, & agni vim persentientes nouum Deum clamitant; quem sane nouum facit, nō leuitas religionis, sed longinqua vetustas, & scripturarum sensus cani.

Text. Et dicit ei Nathanael: a Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philipus: Veni, & vide.

§. VI.

Iesu bona tanta sunt, vt à nulla creatura queant in præsenti sustineri.

SCIEBAT doctissimus Nathanael ea esse bona Saluatoris, quę à nulla ciuitate; imò nec à toto mundo capi possent, ideò notanter non quærit, an omnia Iesu bona à Nazareth sint; sed an aliquid boni? Fortasse paruus populus aliquid Iesu posit sustentare, ingens enim eius gloria à nemine in præsenti sustineri potest. Moyses, vt Dei gloriam audiret, stetit in monte. Exod. 34. *Cumque descenderet de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Splēdentes radij gloriosam reddebant Moysis descendentis à monte faciem: verum Iesu Apostoli in Tabor Iesu gloriam viderunt, Matth. 17. *Et ceciderunt in faciem suam, & descendentes à monte, nihil gloriæ præsetulerunt.* Cur Moyses de Sina refert gloriam in vultu, & Apostoli de Tabor nihil gloriæ præseferunt? Adeò pusilla erat legis gloria, quæ ab vno homine circumferre posset; Iesu autem gloria tantæ erat magnitudinis, vt nec à tribus Apostolis ad breue sustineri poterat. Ita Remigius in 2. ad Corinth. cap. 3. ait. *Gloria Euangelij, quæ datur ministratoribus, & obseruatoribus eius, maior est gloria legis, quæ splēduit in facie Moysis, quia fuit temporalis, & quocumque ferri potuit, & videri ab illis: Ista autem æterna erit; nec potuit ferri ab Apostolis, quando à Domino ostensa est in monte, qua statim lapsi sunt in terra velut mortui.* Merito Moyses, & fert, & refert legis gloriam in vultu, quia quæ parua sunt, facile circunferuntur; Apostoli autem succūbentes oneri, & in faciem cadentes, Iesu bona in præsenti importabilia designant. Multum erit si quid de Iesu bonis capiat mundus. Ad primæuæ iustitiæ homines dicitur Genes. 2. *de omni ligno paradisi comede.* Non dicitur: omne lignum paradisi comede; sed de omni comede: quod quæstionem facit aliquibus, & putant, ideo dictum de omni ligno, quia in omni ligno paradisi exprimebatur Iesus, qui omnis minimè capi potest in præsenti, & sufficit, quod aliquid tanti boni accipiat, qui viuere cupit. Ab hac stat sententia D. Damascenus lib. 2. de fide ca. 11. inquiens. *De omni ligno, quod est in paradiso, escam comedite; nam ipse est omne, & per quem hoc omne, vniuersumque subsistit.* Equidem Iesus est omne, quandoquidem eius posteriora vocantur omne bonum, & quis est homo, qui in hac vita capiat omne bonum? Minimè capit omne Iesu bonum hæc miseriarum vallis, sufficit, si de omni aliquid capiat, vt in venturo sæculo omne suscipiat. Id Paulus insinuat 1. ad Corinthios capitulo 15. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Nunquam enim omnia Iesu bona capient singuli homines, nisi in consumatione sæculi; quod sic expendit D. Hieron. ad Amandum: *Dominus, atque Saluator noster nunc non est omnia in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia, in Salomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Petro fides, in Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cum autem rerum omnium fides aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt singuli sanctorum omnes virtutes habeant, vt sit Christus totus in cunctis.* Modo non omne bonum Iesu, sed aliquid boni potest in mundo teneri.

Tex. Vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

§. VII.

Qui Deo impletur neminem scivit lædere, neminem fraudare.

PER Israelis vocabulum is designatur, qui Dei conspectum fruitur, qui de Dei consortio gaudet, cuius hæc præcipua est notio, quod nihil dolose agat, quod neminem lædat. Apud Naum, cap. 2. *Quoniam auertit dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel.* Quasi diceret: facit dominus, quod Iacob nemini contumeliosus, nemini iniurius sit; sicut nemini iniurius, nemini contumeliosus fuit Israel. Et quidem Iacob supplantator erat, & pene ab vtero dolos meditabatur in fratrem,

fratrem, quem supplantaret, cuius benedictionem furaretur, sed postquam conspectum nactus diuinum, dolos cum lucta finiuit, & Israel appellatus est, vt cum nouo vocabulo, & simplices, & nemini nocentes mores in
Hieron. induerei. Ex quo Diu. Hieronym. sic loquitur: *Quæritur quomodo auersa fuerit iniuria Iacob, sicut auersa fuerat iniuria Israel? Postquam luctatus est Iacob cum Angelo, Israelis nomen meruit accipere, & quia vidit Deum, iniuriam facere cessauit.* Hinc censendus est, & diiudicandus quisque de Dei consortio gloriatur; si cui noceat, si dolos struat, vt decipiat, vt perdat aliquem, is nec Dei præsentiam est odoratus. Deus omnia nociua separat. Cum magnus ille pater Isaac benedictiones filijs impertiretur, sic ait ad Iacob
Genes. 27. Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cœli:* verum ad Esau non dicit, det tibi Deus, sed aliter locutus, ait: *A rore cœli erit benedictio tua, viues gladio.* Benedictionem capit Esau de rore cœli, sed quæ non exprimatur à Deo sibi data, quia vitam acturus erat sub gladio, hoc est, qui militaribus dolis prædas ageret,
Cath. Græ. vt sibi compararet diuitias. Quod notans Cathena Græca, ait: *Ille fructibus veteris soli, tritico, vinoque fruetur; hic in vbere quidem solo habitabit; sed ad victum comparandum gladio vtetur in prædis. Quo circa adijcere voluit; dabit tibi Deus.* Qui Deo studet; minimè prædis faciendis studet; & prædonum dolos, & laqueos venantium abiurat. Qui prædas exercet, totus est in parandis discipulis insidiarum, in struendis dolis, in retibus occultandis, in quibus maximè à consortio Dei distat, qui omnes laqueorum dolos in primis conculcat. Sic enim habes, Cant. 2. ex
Ambros. Diu. Ambros. serm. 6. in Psalm. 118. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, eminens super retia.* Cur eminens super retia? Profectò, quia nil prius inspirat Deus, quàm quod à retibus struendis, dolosisque laqueis parandis vaces. Sic Diu. Pe-
D. Petr. trus aiebat: *Quasi modo geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis ad salutem.* Abolitio enim doli adeo propria est renatorum, vt cum ipso lactes iugi habeat; non adolebimus in Dei domo, nisi ab vberibus dolos repellamus. Hinc columba placuit diuino spiritui, quia sola nemini iniuria est, nemini dolos parat. Quæ auicula non insidiatur alicui animali, & suos agit dolos, vt prædam faciat, qua vescatur? Sola columba ideò Deo placuit, quia nil sibi acquirit de dolo, siue alterius damno.
August. Præclare Diu. August. tractat. 6. in Ioan. ait: *Cum mitteret Spiritum sanctum, duobus modis eum ostendit visibiliter. Per columbam super Dominum baptizatum, & per ignem super discipulos congregatos. Ibi simplicitas: hic feruor ostenditur. Ergo ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est. Sunt passeres breuissimi, qui vel muscas occidant: nil horum columba. Non enim de morte pascitur.* Viuant alij gladio, viuant dolis, vt prædas faciant; qui Dei sunt, qui diuino consortio gaudent, hoc signum habent, necui sunt iniurij, nemini insidiantur, nemini dolosam discipulam parant. Quis dolosior diabolo? Is Matthæi, 6. volens Christum Dominum *Matth. 6.* inescare, ait: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Proh diaboli simplicitatem! lapides offert, vt capiat; vbi dolosi laquei? vbi hamata esca? vbi latentia retia? Sanè ea est Christi præsentia, & conspectus, vt si vel diabolus Iesum aspiciat, protinus omnes suos dolos obliuiscatur. Ita D. Petrus Chrysolog. ser. 11. *Chrysol.* *Miser malus vis esse, sed non potes: cupis tentare, sed nescis; esurienti tenera offerre, non dura debuisti; famem non asperis palpare, sed blandis; inediam non horridis debueras vrgere, sed gulosis. Ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas, tentator, intellige.* Ipse ipse dolorum artifex, vbi ad Christum accedit, nescit facere dolos; adeò de congressu Dei vniuersi pereunt doli. Ne miremur Ananiæ pœnam, qui Actorum 5. *Fraudauit de precio agri,* & *Act. 5.* morte mulctatus interijt. De quo Ambros. lib. 3. officiorum, cap. 11. ait: *Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset. Sed quia fraudem immiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exsoluit.* Sic immixtus dolus tam ingens liberalitatis opus odiosum Deo reddidit.

§. VIII.

Dolus inseparabilis comes eorum, qui terrenis bonis negotiandis dant operam, ab ingenuis viris quam longissimè abest.

ISRAEL apud Hieronymum dicitur Princeps Dei; cuius nobilitatis dignitatem ille vere habet, à quo dolus quam longissimè abest. Verè Princeps, verè nobilis, in quo dolus non est; hanc ingenuitatem, & nobilitatem animi ostendit Raguel ille apud Tob. c. *Tob. 7.* 7. à quo cum peteret Tobias iunior filiam in vxorem, ipse, *expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit, ne forte & huic similiter contingeret.* Nouerat nobilis vir filiæ suæ spõsis imminere calamitatem, & inde expauit dolũ facere tanto iuueni. Quod eleganter cõmentans

Diu.

Ambros. Diu. Ambros. lib. 3. offi. cap. 14. ait. *Raguel cum rogaretur filiam suam dare in coniugium, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire petitorem videretur tacendo; dedisse enim eam ait sex viris, & omnes eos esse mortuos. Iustus itaque vir plus alienis timebat, & malebat innuptam sibi manere filiam, quam propter nuptias eius extraneos periclitari. Quam breuiter absoluit omnes quæstiones Philosophorum; illi de vitijs tractant domorum tegenda, an prodenda à vẽditore videantur, hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est, & certè non ipse affectabat, vt eam traderet, sed rogabatur.* Tales sunt viri ingenui, qui nullius lucri prætextu simulationem amant. Vndè videbis, quam apte Gabaonitas seruilibus addixit operibus magnus Israelis Dux Iosue, cap. 9. Illi enim, vt indemnitatem à Dei populo obtinerent, dolum cogitarunt, & fraudem, qua adduxerunt
Iosue. Israelis Principes, vt sibi iurarent fœdus, & pacem; pro quo sic Iosue loquitur ad illos: *Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis, procul valde habitamus à vobis, cum in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis; & nõ deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domo Dei mei.* Vt enim dolus ab ingenuitate alienus est, sic est miseræ seruitutis socius, & perpetuus comes. Genes. 9.
Genes. 9. iratus Noe in sibi irridentem filium, ait: *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Chanaam primus ab ingenuitate filiorum desciscens, miseræ seruitutis maledictionem incurrit; sed fuit seruitus sine socio
Oseas 12. dolo? Pulchrè Oseas cap. 12. *Chanaam in manu eius statera dolosa; calumniam dilexit.* Vix seruitur sine dolo, vix datur opera terrenis lucris sine dolis, sine calumnijs. Terrena lucra, & officia hoc sibi proprium vendicant, vt minimè sine dolis existant. De fluuio paradisi secundo dicit Genes. 2.
Genes. 2. *Nomen vni Phison, ipse est, qui circuit terram Heuilach, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est.* Itaque Phison fluuius rigat aurum optimũ, & qui Phisonis etymon? Equidem Physon idem est Latinis, ac, *oris commutatio.* Id quod
Ambros. meditans Diu. Ambros. Psalm. 1. ait. *Meritò os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum.* Ecce quibus aquis bona temporalia rigentur, nimirum, dolis, fraudibus. Vbi aurum nascitur, & dolus adnascitur, vbi lucris seruitur, & dolis viuitur.

Tex. Dicit ei Nathanael: vnde me nosti? Respondit Iesus, & dicit: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidite.

§. IX.

Pœnitentiæ opera oculos diuinos alliciunt.

SECRETISSIMVM Nathanaelis factũ sub ficu peractũ, à Christo omnia sciente proditur, vt hinc eius diuinitatis oculos Nathanael percipiat. Sed quæstionem facit, cur specialiter à Deo, dicitur visum facinus sub ficu peractũ? Alia essent Nathanael secreta, quæ nouerat æque Dñs, cur maluit oculos conijcere suos in opus peractũ sub ficu? Sanè ad antiquã ficũ respiciebat Dñs; iam enim olim folia ficus reddiderunt hominem Deo conspicabilem: traxeruntque ad hominem oculos diuinos. Primus peccator Adamus verens diuinos oculos, ad ficus folia confugit, quorum aspero indumento contectus sese parabat diuinis obtutibus. Accipite Diu. Iræ-
Irinæus. neum lib. 3. cap. 27. vbi sic. *Foliis ficulneis semetipsum contegit, existentibus & alijs foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum, aduentum Dei expectans.* Et quidem radiaret Adamus ficulneo cilicio sub oculis diuinis. Iam ficus folia, vt pœnitentiæ instrumenta sunt, pulcherrima existunt stẽmata illorum, qui à Deo respici concupiscunt. Sub his folijs, & Nathanael, & vniuersi electi iam Deo placebant, iam parabantur in vitam. Pulchrè Rupert. lib. 2. in Ioan. fatur.
Rupert. *Cum esses sub ficu vidite. Vidit non solum illum, sed omnes electos, cum primus mandati transgressor consutis ficus foliis pudenda contegeret. Iam tunc vidit eos, & miseratus est, iam tunc disponebat, quo illos ordine liberaret.* Quicumque filij Adami sub ficulneo cilicio erant, hoc est, paternæ pœnitentiæ æmuli notabantur, mirum in modum oculos diuinos oblectabant, Deumque sibi tutelarem, & propitium reddebant. Nil sic Deum allicit, quam vindicta de peccatis sumpta. Stupescebant Angeli ad
Cant. 3. spõsę pulchritudinem. Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus?* Risissent, imo irrisissent homines pulchritudinem fumo comparatã; si rara sponsæ pulchritudo pingẽda erat, vbi soles? vbi lilia? vbi rosæ? vbi purpureus splendor? Vnde his fumus poterit existere gratior, &

Apoc. 9. fumus, qui ex ore pũtei exire ſolet, etenim legis Apoc. 9. *Aperuit puteum abyſsi; & aſcendit fumus putei.* Sed expende, de quo ſocio adeo pulchreſcat fumus, vt rapiat ad ſe oculos diuinos, quandoquidem notanter ait, quod ſponſa aſcendit, non ſicut fumus, ſed ſicut, *virgula fumi.* Quippe virga, hoc eſt, aſpera peccatorum caſtigatio, vel fumum ipſum facit tanta fulgere pulcritudine, vt Deũ alliciat. Fumus ſine virga, fumus putei eſt, & inferni fœditas; fumus cum virga, fumus
Gillebert. eſt pulcherrimarum ſponſarum Chriſti. Do huius cogitationis inuentorem Gillebertum Abb. ſerm. 15. in Cant. *Quaſi virgula, inquit, fumi ex aromatibus. Et fumum lego deputeo abyſſi prodeuntem, ſed non ibi virgulam, non aromata lego.* In fumo abyſsi non virga eſt, quia non eſt in inferno pœnitentia, nec ſalutaris peccatorum caſtigatio; in fumo ſponſę ibi eſt virga, qua fumus pulchrior ipſis floribus pa ret. Allicit procul dubio, & oblectat Dei oculos peccatorum voluntaria caſtigatio; vnde fœlix illa Iudith, quæ vt mundiales exercitus deuaſtaret, aureas veſtes, moleſque induit; poſt victoriam partam, iterum reſumpſit cilicium, ſqualidoque viduitatis habitu
Ambroſ. reſumpto, cap. 16. *Manſit in domo viri ſui:* de quo Ambroſ. lib. de viduis fatur. *Nec triumphorum ſuorum amauit ornatus, illos exiſtimans eſſe meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hoſtium arma vincuntur.* Vbi de Holophernis oculis triumphum agere cupiebat, cilicium exuit, aureaſque veſtes induit; verum ad Dei oculos alliciendos, bene reſumit
Apoc. 6. cilicium, quandoquidem & ipſe Sol prænotans examen diuini iudicis, fit Apoc. 6. *Niger tanquam ſaccus cilicinus*, quaſi ſola vitiorum caſtigatio oculos nouerit lenire diuinos.

Tex. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.

§. X.

Regium nomen hominibus ſalutare eſt.

FILIVM Dei nouit, & Regem Iſraelis fatetur, vt ex regio agnomine animum erigat; regium enim Dei nomen maximè homines erigit, vt ingentia bona à tanto rege expectent. Pſal. 46. *Dominus excelſus, terribilis,*
Pſal. 46. *Rex magnus ſuper omnem terram.* Cur poſtquã excelſum dixit, & terribilem; addidit illud:
Chryſoſt. *Rex magnus?* Chryſoſt. fatur: *Sic Propheta dicebat orbis ſalutem oſtendens.* Ne vt terribilis fugeretur; Regem vocauit, vt quid hominibus ſalutare. Quo enim regalior animus eſt, eo ad donandum prõptior: ſic Sap. 11. *Miſereris omnium, quoniam potes omnia.* Quaſi ſub Sap. 11. eadem mẽſura ſint, & regia poteſtas, & beneficentia. Ita Chriſoſt. ho. 4. ad Philipp. 1. *Si* Chryſoſt. *quis Principem laudare vellet, nihil illi adeo decorum aſcribet, atque miſericordiam. Principatus enim propriũ eſt miſereri.* Hinc Chriſti ſponſa Eccleſia Regina dicitur, vt hominibus exhibeatur ſalutaris. Pſal. 4. *Aſſitit Regina à dextris tuis.* Pſal. 4. Cur Regina? Reſpicitur ibi, credo, Æſter quæ regio ornatu fulgens ſeueriſsimo Aſſuero aſtat, ſe periculo opponens, vt populus fiat ſaluus. Cui Aſſuerus c. 5. inclinatus, ait: *Quid vis Æſther Regina?* Quippe Æſter. 5. nullibi melius dicitur Regina, quam vbi etiã cum ſuo periculo nititur populum à morte liberare. Ex quo ad Chriſti Eccleſiam ſermonem faciens Diu. Proſp. par. 2. de promiſ. c. Proſper. 38. fatur: *Sic ſe pro ſuis periculis opponit. Sic datis in mortem, ſuis laboribus vitam conferendo miniſtrat, vtpote Regina.* Scienter latro ille aiebat: *Memẽto mei Dñe, dum veneris in Regnũ tuũ:* nõ vtcũq; petit à Deo memoriã ſui, ſed quãdo à ſeruili forma exutus fuerit, & Regiũ ſũpſerit diadema, regniq; thronũ aſcenderit, tũc petit, quod miſelli hominis meminerit, quaſi à ſolo Dei Regio ſplẽdore ſuffragiũ miſer expectet. Cyril. Hier. Cath. 13. id exprimit. Cyr. Hier. *Nõ dico aliter, vt mei memineris, qua cũ veneris in Regnũ tuũ. Quæ te virtus illuminauit, ô latro? Ideò & iuſtè audit: cõfide, nõ quod opera tua digna ſint confidẽtia, ſed quia Rex adeſt, qui gratiã cõfert.* Nõ poterat à Rege Deo nõ parari miſero homini beneficiũ: felices eritis, qui tantũ Regẽ nacti ſitis, quorũ Rex meminerit; regij enim oculi mille manant in ſubditos delicijs. Sapiẽtes illi Magi, cũ nouo exortu Dei Filius naſcebatur in terris, indè peccatoribus, & miſeris hominibus, ſalutis dãt auſpiciũ, quo Regẽ meminerint. Matt. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex* Matth. 2. *Iudæorũ?* Cur nõ magis de Deo quærũt, quã de Rege? Suauius & ſalutarius erat Regiũ nomẽ miſeris? Chryſoſt. ho. 7. in Matt. ait: *Magi* Chryſoſt. *quidẽ nõ vbi eſt, qui natus eſt Filius Dei; ſed natus eſt, inquiunt, Rex Iudæorũ. Oportebat ſiquidẽ cõdeſcenſorio, & humiliore interim ſermonis ingreſſu inſtitui prædicationis exordia. Et idcirco ea magis, quæ ad ſalutẽ eorũ pertinẽt, prædicantur, vt ad ſuſcipiendũ interim Regẽ beneficio ſibi blãdiente concurrant.* Quidquid regiũ eſt, & ſalutare, & beneficũ hominibus eſt: inde de Regio nomine ineſcãtur homines, diſtrictionẽ deitatis vereãtur, ſed beneficijs Regijs deliniti magis accedant. Saulus Chriſtianorũ ruinas ſpirãs, ad terrã deiectus. Act. 9. vbi in tãto caſu ſe adhuc experiebatur viuũ, neſcio quid Regiũ, & principale in percuſore cognouit: etenim ait: *Quis es Dñe?* Cur non potius, ait,

quis

quis est carnifex, qui sic me perdit? Quis est Sathana, qui sic me colaphizat? Vnde regalis, & dominicæ potestatis meministi? Planè ex ipsa flagelli misericordia. Ita Diu. Chrysostom. hom. de repreh. fer. ait: *Agnoscit Dominum, virtutem didicit ab indulgentia, in cæcitate confitetur potestatem.* Quando flagellum misericordia plenum sensit, quando medicabile vulnus aduertit, non potuit non existimare se à regia manu fuisse percussum. Nihil magis regium, quàm clementia in subditos, etiam cum proprio ipsius Regis dispendio. Hinc thronum regale Iudas ascendit, qui damnatæ Thamaris innocentiam liberans, se condemnauit, dicens Genes. 38. *Iustior me est.* De quo Diu. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 48. ait: *Quoniam plerique delicta sua occultantes, alios condemnant; hic autem se ipsum condemnauit, eamque, quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuria regiam dignitatem adeptus est.* Hæc vna reges à natura facit virtus; quod proprijs etiam dispendijs, suos tueantur, & defendant subditos. An non Rex Iesus, qui se exinaniuit pro suis, qui toties sanguinem pro subditis fundit, quoties in Eucharistia sumitur? Ex quo præclare Diu. Valerianus ait, hom. 16. de bono Martyrij: *Discite ergo ex hoc Deum diligere, qui se quotidie cœlesti imperio sanguinis sui effusione commendat.* Verè nobilis Rex Iesus, qui quotidiana sanguinis effusione regnum firmat, subditos stabilit.

Chrysost. Isid. Pelus. Valer.

§. XI.

Maximè gubernatorem facit parentum, auorumq; nobilitas.

QVAM Bene sapientissimus Nathanael ait: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel:* quasi à parente Deo Regium nobis commendaret munus. Decet enim gubernatorem innata nobilitas, qua regem Israelis adornabat: Psalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio Regis.* Expende illud, *Regi, & filio Regis:* quasi dicat non tibi gregalem virum in regem propono, sed qui Rex sit, à Rege parente, cui nobilitas innata est, & perantiqua. Non illi per thalamos regnum venit, sed innatum est; quo suum commendabat Authenium Sidonius in paneg. fatus:

Psalm. 71. Sidon.

Sed non tibi venit
Purpura per thalamos, & coniux regia regno
Laus potius, quam causa fuit.

Iam antiquitus vilescebat tribunal, vel regius thronus, qui beneficio, siue dote vxoris habebatur. Is præclarus Gubernator, quem parentibus, & auis clarum Respublica susci piebat. Ecce tibi qualem dominatorem prænoscebat in Israele Iacob, capit. 49. *Catulus leonis Iuda, ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti, vt leo.* Non magnum, quod Iudas regnet, quod leo sit, inter omnes alios facilè Princeps; hoc in illo præstantissimum, quod catulus sit leonis, quod parentum, auorumque commendatione thronum ascendat. Præstantissimum Iosephum à neruo, & seruitute promouerat Pharao ad Ægypti thronum; penes illum iudicium, & regni potestatem posuerat, & sic Ioseph exaltato Genes. 45. *Venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao, & omnis familia eius.* Iam scire cupis, cur Pharaonis Regia adeo lætaretur in aduentu fratrum Iosephi? an quia omnes Iosephum amabant? Crediderim ideò Pharaonem lætatum fuisse, qui nouit sui regni gubernatorem tantis clarum parentibus. Ita Cathena Græca notat de Pharaonis lætitia: *Nec mirum agnouerat ille non seruum ignobilem rebus suis præposuisse; sed ingenuum ex antiqua prosapia. Alij verò, quod libentius tali Præfecto populus obtemperabit.* Hoc erat valde suspectum in Iosephi sublimatione, quod seruus cum fuisset, haberet Ægypti gubernaculum; hic erat non paruus eius gloriæ næuus; hoc vnum in Prorege suo verebatur Pharao, hoc Ægyptij secum musitabant. Porrò visis parentibus eius, omnis aboleuit suspicio, percrebuit per Regiam ingens gaudium, quod haberent Ægyptij Gubernatorem ab atauis commendatum, cuius imperio libenter deinceps vniuersi parerent. Itaque non incredibilis sapientia, non annonæ submini stratio tàm lætos faciebant Ægyptios in suo Gubernatore, quàm fecit lætos notitia eiusdem nobilitatis. De hoc supra lib. 1. cap. 7. §. 44.

Iacob 49. Genes. 45. Cath. Græc.

Tex. Respondit Iesus, & dicit ei: Quia dixit tibi: vidi te sub ficu, credis: Maius his videbis. Et dixit ei, Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.

§. XII.

Sanctis viris Angelorum visio promittitur.

NON cuiusuis hominis est, ad Angelorum visionem deuenire; Angelorum auxilium omnes sibi paratum habent, omnes experientur, verum Angelorum visio Nathanaeli, Apostolis, & similibus promittitur. Paralip. 1. cap. 21. inter Israelitarum cędes dicitur quod: *Vidit Dauid ferientem Angelum.* Vndè Dauidis sanctitas maximè apparet, quandoquidem inter peccatorum supplicia ad visiones Angelorum admittitur. Sed & Elisæi puer. 4. Reg. 6. visiones videt; cum enim valde hostes timeret, aperuit Dominus oculos pueri, vt phalanges videret sibi auxilium præstituras: *Et vidit currus, & equos.* Vndè ergo sanctitas Dauidis apparet, quando & puer, & seruulus visiones vidit? Sed Dauidi Angelus ostenditur, puero non Angelus, sed currus, & equi. Ita Ambros. in Psalm. 37. inquit. *Nec te moueat, quod persona vilior seruuli, quam Prophetæ, vel Regis, quia vilior & equorum, & curruum species, quam sanctitas Angelorum.* Non enim Angeli passim se produnt, nec popularibus sui copiam facilè faciunt; vile seruitium exuere debet, qui de Angelorum consortio gaudere cupit. Si animalis homo es, si sub iugo vitiorum seruis; in auxilium tuum videbis equos, & currus. Tui similia proferunt Angeli auxilia: ipsi autem, qui spiritus sunt, & sanctitate pleni, non dignantur se prodere, nisi sanctissimis hominibus. Isti erant custodes illi ciuitatis, qui inuenerunt sponsam, à quibus ipsa quærit, an viderint dilectum suum? At ipsi, nec verbulum dignantur respondere illi, qui quasi eius dèt rectassent consortium. Cur ministri sponsi, sic charissimam sponsam insalutatam dimittũt? Cur dissertissimi spiritus fiũt tanquam animalia muta, nec verbum respõdentes, Audi sponsam loquentem, vt causam discas; aiebat enim, Cant. 3. *Nunquid, quem diligit anima mea, vidistis?* Quem diligit anima mea, dicit, non quem diligit spiritus meus, vt bene notat Gillebert. Abb. quasi adhuc in quærendo sponso imperfecta esset, & animalis: anima enim sensitiuæ, & carnali vitæ concernit: tunc perfectè quæret, cum fiat cum sponso vnus spiritus, tunc linguas Angelorum audiet; dum animalis est, Angelos offendet, tanquam animalia muta. Vt deduceret Magos ad Christum, stella apparuit in Oriente: quandoquidem dicunt, Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente.* At quando post adoratum puerum in patriam erant deducendi, iam non stella muta, sed Angelorum colloquio in somnis instruuntur. Sic Euthim. *Antequam puerum vidissent, stella ducatum eis præstitit: postquam autem viderunt; Angelus deinceps, quasi iam sanctificatos alloquitur.* Nec offendatur quis, si aliquando videat Angelum colloquentem cum vili, & imperfecta fœmina Agar: dicit enim Genes. 21. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo.* Qui sponsam non alloquitur, cum vili seruitio sermonem interserit? Chrysostom. hom. 38. *Quia iusti semen intra se gerebat, ideò & Angeli aspectum videre meruit.* Non seruam Agar, sed iustissimi Habrahæ filium respice, nec miraberis, propter iusti prolem, Angelorum colloquium promereri.

paralip. 1. 21.

Ambros.

Cant. 3.

Matth. 2.

Euthym.

Genes. 21.

Chrysost.

§. XIII.

Præsentissimum Angelorum auxilium seruis Dei.

ECCE tibi verus Iacob, Iesus, qui non tam recumbens super lapidem, quam lapis angularis Ecclesiæ factus, ascendentes, & descendentes Angelos habet, omnibus suis membris ministrantes. Hæc vna nobis cura sit, vt Christi membra simus, vt Deo pareamus, & vbicumque fuerimus præsentissimum nobis Angelorum auxilium aderit. Magnus ille Christi auus solus omni destitutus auxilio in deserto agit, caput in lapide reclinans, & dum dormit, ecce tibi cœlestis scala, & ascendentes, & descendentes Angeli. Rem miratus Diu. Cyrill. Alexan. lib. 1. Glaphirorum, sic ait. *Ostendit enim, quod multitudo Angelorum vndequaque prosiliens facile liberatura sit eos, qui Deo subditi parent.* Quid requiris vbi Angeli ascendentes, & descendentes super filium hominis visi fuerint? Vbique locorum prosilit multitudo Angelorum, vt seruis Dei faueat. Non ad vnum locum arctatur auxilium Angelorum, vbique præsentissimum est; & quod mirere magis, expende illud: *Vndequaque prosiliens*, quasi à quouis loco, à desertis etiam, à syrtibus, & in hospitalibus parturientur Angeli, qui nobis auxilium afferant. Quo ibimus à diuinis spiritibus? Si ascendero in cœlum, ibi Angeli nostra negotia agunt, in terra à custodia nobis adsunt, in mari Angeli venti sunt Danieli 7. iux-

Cyr. Ale.

ta.

ta Hieronym. quòd si descendero in infernum, infernus ipse parturit bonorum Angelorum examina, quæ Dei seruis faueant. Matth. 28. resurgente Iesu, ecce ad sepulchrum Angelus, qui, *reuoluit lapidem, & sedebat supra lapidem.* Cur à sepulchro Angelus? Accesserant Iesu dilectæ fœminæ ad monumentum, pro quarum ministerio infernus ipse, & sepulchralis lapis præfert custodes Angelos. Quo respexit Chrysolog. serm. 75. *Factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra, qui à Iudæis ad triste silentium fuerat constitutus.* Igitur nulla est creatura, quæ nobis Angelorum non exhibeat officia, quando & infernus, & sepulchralis lapis sedes Angelorum fiunt, vt nobis prospiciant. Nondum hoc calluerat illa, quæ sic Angelorum euocabat cuneos, Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Sanè vocat, vt egrediantur Angeli, quasi aliquis sit locus, qui non scateat cœlestibus spiritibus. Et quò egredientur illi, quãdo nulla est creatura, quæ non pariat Angelos in ministerium illis, qui salui fiunt? Præclarè Gillebert. Abb. serm. 21. *Quid vos ad egrediendum inuito: qui ipsos etiam vbique præuenitis, & instruitis Apostolos? Vbique seduli estis, & admiratores, & annuntiatores*, &c. Quippè nullo perũenies, vbi non præuentus sis ab Angelorum myriade. Siue facturus iter per medias Syrtes, siue per in hospitalem Caucasum, vndequaque prosiliet auxiliatura tibi Angelorum multitudo. Hæc est cura, & sollicitudo Dei pro hominibus suscepta, vt nullũ patiatur in domo sua esse non solicitum hominum curatorem. Iob cap. 7. *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Apponit Deus erga hominem cor suum, quia omnia sua sollicita facit pro hominibus tutandis. Bernard. serm. 12. in Psalm. *Qui habitat.* Sic fatur. *Apponis erga eum cor tuum, geris pro eo solicitudinem, curam illius habes. Et mittis vnigenitum tuum, immittis Spiritum sanctum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ deputas nostræ, nostros iubes fieri pædagogos.* Nil Deo cor id est, quod pro hominibus non faciat militare.

Matth. 28.

Chrysol.

Cant. 3.

Gillebert.

Iob 7.

Bernar.

CAPVT TERTIVM.

De muliere Samaritana.

TRIGINTA à Ierusalem milliaribus distabat ciuitas nomine Sichar, olim Iacobi tempore Sichem dicta, & postea tẽpore Alexandri, quando is venit in Iudæam, totius Samariæ Metropolis facta. Sita erat Sichar in confinibus Ephraim, ad radices Hebal, & Gesarim, qui montes dicuntur montes Ephraim, Iosue 20. cap. vrbs celebris, propter Iacobi religionem ibi peractam, propter Dinæ historiam, siue tragœdiam: sed celebrior propter mulierem hanc, quæ immortalis regis nuptias ibi fuit nacta. Per illam Sichimitæ religionem Circuncisionis susceperunt, per hanc mores ebiberunt Christianos. Illa foras egressa à Principe Sichem rapta, illi mortem, populo suo peperit in columitatem. Hęc foras inuenta à Dei filio ipsius sanguinei poculi mysteria prægustauit, & in Christum affecit vniuersos Samaritanos. Sed excesserunt Christi magnalia mulieris prædicationem: vnde factum est, vt viso Domino plures Samaritani nomina sua illi darent.

Ioann. 3. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

§. I.

Non contemnendus est pulchritudinis hamus, qui faciat Christianos. Vbi de Mariana pulchritudine.

PER mũlierem volens Dñs Samaritanos viros ad se trahere, non improuide diuertit ad Sichar. Auspicatissima enim erat Sichimitis fœminarum pulchritudo, vt veram religionem biberent. Recolite ex cap. 34. Genes. historiam Dinæ, cuius amore captus Sichẽ Princeps, propter eiusdẽ nuptias se, & populum suum religioso circũcisionis cultro addixit. Proh vana religio! Nũ Deus optimus, & maximus religionem probat, ad quã trahit hamus libidinis? Do Diuũ Cyrillũ Hier. in

Cyril. in præfat. ad Catech. ſic ſantem. *Fieri poteſt, vt vir mulieri complacere cupiens Eccleſiam ingrediatur. Capio ineſcatum hamo; & recipio te, malo quidem propoſito venientem, ſpe autem bona ſaluatum.* Nouit etiam Deus ſub feminea pulchritudine hamum apponere, quo & homines ad ſe trahat, & tunc etiam accipio ineſcatum hamo, nec contemno pulchritudinē, quæ Eccleſię, & Chriſto filios parit. Hunc præ ſe ferebat hamum paulo inferius dominus quando Samaritanæ dicebat: *voca virum tuum, & veni huc*, acceptur us hominem, qui ad Deum veniret, fœminæ teneritudine ineſcatus. Ibi elegan

Chryſoſt. ter D. Chryſoſt. ait. *Recte quoque ex eadem regula Paulus ad Corinth. 1. cap. 9. dicebat. Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies?* Non adeo virulenta eſt pulchritudo, quæ aliquando nō poſſit ſaluti prodeſſe animarum. Quid non debent Iudæi pulchritudini Æſteris? Sane Iudęorum ſalutem, à qua mundi ſalus oritura erat, Eſteris pulchritudo ſaluauit: quando ferocien

Iudith. tem in Iudęos regem, hoc vno pulchritudinis laqueo obiecto dominus in manſuetudinem traxit. Sed & Iudith vt truncato hoſte populū ſuum ſeruaret cap. 10. *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mytram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ: cui etiam dominus contulit ſplendorem.* Ecce tibi pulchritudo cum omni ornatu ſuo à Deo ponitur in acie? Quis non pauebit ab hoc in curſu, & dæmonio meridiano? Quis non leuitatis dānet

Auguſt. fœminam, tali ornatu, tali ſplendore ſeſe militum oculis dantem? Sed eleganter ait D. Aug. ſerm. 229. *Non fuit leuitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Monilium tela pudori ſemper aduerſa, hoſtem ferire didicerunt.* Nemo damnet pulchritudinis cultū, qui nouit Dei hoſtes proſternere, qui capite inimico trūcato Dei gregem in ſalutis fontes minatur. Non leuis, non vanā, non fallax illa pulchritudo, ſed æternis concelebranda laudibus. Nouit aliquando pulchritudo prodeſſe; nouit & ſalutis ſpei oſtiū aperire: imō & cœlos ipſos no

Act. 6. uit pandere. Siſtitur Stephanus nefarijs iudicibus Act. 6. Cuius in facie mirabilis ſtatim pulchritudo apparuit, ait enim: *viderunt faciem eius quaſi faciem Angeli*: Quid tunc? Statim ipſe, *Ecce video cœlos apertos*. Iam nunc Angelica, & pulcherrima facies vere de cælis apertis gloriatur; vt dicat D. Fulgen. ſerm. de ſancto Stephan. *Ecce video cœlos apertos: tali miraculo angeli faciem decebat honorari.* Quod noſtra malicia cælo aduerſatur pulchritudo, & infernum aperit, vt mille perdat animas,

Fulgent. & ipſa perdatur, abuſus eſt; quando pulchritudo ex ſe amica eſt cœlorum, & adeo familiaris, vt noueritetiam ad cœlos apertos trahere, & ſignis de cælo honorāri. Nec prætereundæ in præſenti ſunt Marianæ pulchritudinis vtilitates in genus humanum; imò fœminarum pulcherrimę Mariæ acceptum refero, quod nobis peccatoribus cœlum pateat. Poſt ærumnas Iobi, natæ ſunt pijſsimo viro tres fi- *Iob. 42.*
liæ: de quibus cap. 42. *Non ſunt autem inuentæ mulieres ſpecioſæ, ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra.* Cur tanta pulchritudo in Iobi domo naſcitur? Vt pijſsimus vir ærumnarum, & laborum obliuiſceretur, videns coram ſe pulcherri

Græc. mas filiarum facies. Ita author cat. Græc. fatur. *Filias quoque liberali ſpiritu, atque egregia forma ſuſcipit, vt earum aſpectu, omnis ſuperioris ærumnæ memoria funditus interiret.* Igitur quando nos peccatis noſtris, & prauis moribus mille ærumnas, labores plurimos Deo cumulamus, quantum ē nobis eſt; eſt pulcherrima Maria in domo Dei, vt eius aſpectu, omnis peccatorū, fœditatumq; noſtrarum memoria funditus intereat, & cœlū pateat. Quid plura? Terribilem, & ferocem leonem Aſſuerum in miſeros iudæos vna Eſteris pulchritudo manſuefacit, qui ppe ait cap. 15. quod poſt ſententiam mortis latam à ſeueriſsimo rege, ingreſſa eſt tribunal Eſter, *ipſa roſeo colore vultum perfuſa & gratis, ac nitentibus oculis:* Cui pulchri- *Eſter 15.*
tudini ceſsit ſeueritas, & populus à morte liberatur, vt merito dicat Clem. Alex. 3. Pædag. *Cle. Alex.*
c. 2. *Eſteris pulchritudo inuenitur precium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.* Sic Mariana pulchritudo iraſcenti Deo obiectā, precium eſt, quo à morte quotidie liberamur.

Tex. Iuxtā prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob.

§. II.

Reliquiæ & Sanctorum oſſa Eccleſiam fulciunt.

IN hoc prædio quieſcebant oſſa Ioſephi, vt habes ex Ioſue cap. vltimo; vndè non miror ibi à Deo deductam Samaritanam fuiſſe in typo Eccleſiæ; quando mulieris caſus inde accidit, quod à viri oſſeo vigore emollita eſt in carnis teneritudinē. Perſeuerantior enim eſſet, & fortior muliere, ſi nō ab oſſe viri ad carnis molliciem deſcenderet, ſed ad oſſa reſpi-

reſpiciens, illis inniteretur, & ſe ſe fulciret. Stet Samaritana in prædio, vbi ſunt oſſa Ioſeph, reſpiciat Eccleſia ad oſſa virorum ſanctorum, illiſque deuota innitatur, maximaque inde capiet ſuę virtutis fulcra. Hinc totam coniugis fœlicitatem commendat Auguſtin. epiſt. 32. ad Paulinum dicens de ſanctiſsima eius Vxo-

Aguſt. re: *Ibi coniux excitatur, non dux ad mollicium viro ſuo; ſed ad fortitudinem reduxin oſſa viri ſui.* Mentem ad Martyrum oſſa reducamus, & eorum fortitudinem ebibemus, quandoquidem illis hęc Chriſtianæ Eccleſiæ machina ſuſten-

Iſai. 33. tatur. Iſaias 33. *Oculi tui videbunt Ieruſalem, ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum.* Qui ſunt claui iſti, qui tabernaculum Dei firmum æternant? An id efficiunt defoſſa humo martyrum oſſa? Ita

Theodor. Theodoret. apud Leonem à Caſtro in præſenti fatur. *Quemadmodum tabernaculum paxilli in terram adacti ſtabile faciunt tabernaculum, fixum, ac firmum, ſic illi habentes corpora in terram abdita, animos in ſe de beatorum apud ſuperos Eccleſiam habent innixam, firmam, ac ſtabilem.* Proh ſanctorum oſſa Chriſtianitatis fulcra! Proh robur Chriſtianorum ab oſsibus ſanctorum dimanans! Ad roborandam Eccleſiam ſuam propoſuit Deus Euchariſtiæ menſam aduerſus eos, qui tribulant nos; habet tamen cœleſtis menſa ad roborandum fideles, commilitones ſuos, Martyrum reli-

Apoca. 6. quias: Apocalyp. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum, &c.* Cur ſubtus altare martyres? an vt Euchariſtiæ conſortes ad ro-

Auguſt. borandum? Annuit D. Auguſt. ſerm. 10. de Sanctis. *Conuenienter, & quaſi pro quodam conſortio ibi martyribus decreta eſt ſepultura, vbi mors Domini quotidie celebratur.* Mos erat antiquus reliquias ſanctorum in altari ſacrificij abdere, ſed quanta conuenientia? Expende illud: *pro quodam conſortio*: habent enim martyrum oſſa maximum cum Euchariſtia conſortium: etenim quantumuis frangatur in particulas panis Euchariſticus, quælibet eius particula, etſi minima, integrum Chriſtum, eiuſque virtutem habet: ſic oſſa martyrum, etiam confracta, etiam in minutiſsimas parculas diuiſa, integram martyris prætendunt

Theodor. virtutem, & efficaciam. Pulchrè Theodoret. libr. 8. de Martyribus, ait. *Eorum corpora, non ſingula ſingulis monumentis conduntur, ſed ciuitates, oppida, paganique cōuentus hac interſe ſortito partiti ſunt, laborantibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri non ceſſant. Nihiloque ſecius vrbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur. Sectis itaque eorum corporibus, integra tamen vis, & gratia perſeuerat, tenueſq́, ac tantilla reliquiæ toti mul-laſque in partes Martyri diſſecto parem habent virtutem.* Quid pulchrius? Quid cœleſti pani conformius, quam vel in minimo fruſtro totam, & integram virtutem martyris habere. Huc ſpectabat D. Baſil. Seleu. orat. 38. vbi in puerorum innocentium martyrio, ſic fatur. *E quibus hæc mater forte manum, illa pedis fruſtrum, alia aliud, tamquam integro reportato filio deffugiebat.* Et bene in fruſtro martyris, integrā eiuſdem virtutem experirentur. Sunt equidē ſanctorum oſſa firmiſsimę Eccleſiæ ſuſtentacula, & quaſi Euchariſtica fulcra: vndè non miror quod prę omnibus theſauris ament cuſtodiri. Exodi c. 11. Iubętur Iudæi petere ab Ægy- *Exod. 11.*
ptijs aurea vaſa, vt egrediantur diuites; Moyſes autem, quid defert ex Ægypto? Sic habes c. 13. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Plebei homines aureis vaſis diteſcunt, pius Moyſes oſsibus, & cineribus iuſti viri. Vndè elegan ter Procop. inquit. *Hebræi, quia carnalia ſectabantur, iuſſi ſunt mutuo accipere aurea, & argentea vaſa; Moſes eligit viri iuſti oſſa, quæ proferet immenſis Ægyptiorum theſauris.* Et merito ſanctus vir, vt tanti itineris labores, & pericula ſuperet, non auri diuitias, ſed puluerulenta oſſa Ioſeph ſibi procurat, quibus incolumis, & ſecurus ibit. *Procop.*

Text. Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. Erat autem hora quaſi ſexta.

§. III.

Labores mea cauſa ſuſceptos pro quiete habet Ieſus.

SIc fatigatus ſedet Ieſus; nulla enim ſedes, nulla requies illi eſt, niſi vbi fatigatio, & labor pro hominibus ſuſceptus adeſt. Sic paſtor factus, Luc. 15. poſt mille montes ſuperatos, *Luc. 15.*
tandem inuenit errantem ouem. Quid tunc? *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* Bene hoc fecit, ſed ſediſſet antea pauliſper, & de itineris fatigatione quieſceret, vt quaſi reſumptis viribus poſſet facilius ouiculæ onus portare. Sed non ea erat diuini paſtoris fatigatio; quæ ſeſsione tollitur, ſed nouis pro ouicula ſumptis laboribus. Nulla quies Ieſu eſt, niſi in laborando pro nobis. Ita D. Baſil. Sel. orat. 26. ait: *Montes, & ſyluas obire non re-* *Baſil.*
cuſat, obit præcipitia, cumque deerrante venit in partem errationis, & ſubiiciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipſa fatigatione, ouiū inuentionem ratus laſſitudinis eſſe leuamentum. Non ſedes, ſed laborioſa

ouis inuentio, & sublatio fatigationem, & lassitudinem Iesu tollunt; & si videas sedentem, non putes leuatum; tunc eius fatigationis leuamen est quando ouis inuenta illius premit humeros; tunc si laborat, leuatur, & sub immenso onere gaudet. Hoc in Christo Domino prænouit Isaias cap. 57. iuxta Lxx. versionem dicens: *Erit in pace sepultura eius.* Quibus verbis communiter Patres antiqui expendunt summum bellum à Iudæis indictum Christo, etenim per illud: *in pace*, intelligitur nefarissima concordia Iudæorum in Iesum, qua omnes simul conspirauerunt, vt eum mille cruciatibus, tormentis mille à terra vorari facerent. Sic Hieronym. Cyrill. Procop. à quorum sententia stat Leo Castrius ibi. Quibus positis verborũ sensus erit, quod erit in nefaria cõcordia carnificum, qua Iesum percutiebant, excarnificabant, dehonestabant, blasphemmabant, Iesu sepultura. Sed præclara tunc exurgit quæstio, cur loquentes de carnificina, & tormentis Iesu, meminerint sepulturæ, & non potius crucis? An nõ crux amphiteathrum fuit, quo immanissimæ belluæ impetum fecerunt in Iesum? Sic Psalm. aiebat. *Tauri pingues obsederunt me.* Sepultura quies fuit, & sessio omni vacans tormento. Cur ergo in conflictu cruciatuum sepulturam meminit, & non crucem? Sanè inde exprimitur immensus Christi amor pro nobis, qui tunc potius videbatur cruciari, & fatigari, quando quietus in sepulchro sedebat, quandoquidem quies, & sessio non afferunt leuamen Iesu, qui magis laborat, & fatigatur, dum sedet requieturus ipsa pro nobis fatigatione suscepta. Huc voco Chrysologum sermonem 58. fantem. *Crucifixus in cruce, mortem suscepit. Sepulturam patitur.* In cruce laborum erat susceptio, mors grata, & accepta, nihil ibi meminit passionis, sed totum erat acceptabile Iesu, qui pro hominibus cruciatus suscipiebat. In sepultura ibi passio, ibi fatigatio, quando cruciatuũ cessatio erat. Et quidem in quiete manebant Domino fatigationes, & angustia; in bello autem, dũ cæditur ipse dum moritur pro hominibus leuamen est. Apud Luc. c. 12. dicebat: *Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Vsque dum sanguine sudet, vsque dum omnes sanguinis venas effundat, & exhauriat, omnia ad se ipsum trahens, nusquam non angitur, non angustiatur, quando solis pro nobis susceptis laboribus leuatur. Ita D. Ambrosius lib. 7. in Luc. ait. *Ostendit, quod in certamine passionis mors corporis, absolutio anxietudinis, non coaceruatio sit doloris.* Vni labores, & cruciatus ad expiscandos homines susceptis leuamen Domino afferunt.

Isai. 57.

Psalm.

Chrysost.

Luc. 12.

Ambros.

§. IIII.

Christi Domini passio efficacissimum omnium remedium, quo steriles animæ fœcundentur.

STERILEM, & pene deploratam Samaritanæ vitam renouaturus expectat diuinus Agricola, supra fontem sedens ab itinere fatigatus, non ex fonte, sed ex proprio sudore, & fatigatione fœcũdam rigationem parans. Memento infructuosam illam ficum bis, & ter à Domino condemnatam, tandem ad preces agricolæ relictam, vt stercore, & fossa adhibita reuiuiscere valeat. Ita & pro sterili peccatrice diuinus loquitur agricola apud D. Isidor. Peluse. pist. 312. fatus. *Sine autem eam etiam hoc anno; si per legem, & prophetas nihilo meliores facti sunt, nec pœnitentiæ fructus ediderunt; mea quoque doctrina, meisque cruciatibus irrigentur.* Incurabilis prorsus erit sterilitas, quæ tot diuinæ agricolæ sudoribus, tam salutaris vndę irrigatione nõ reuiuiscat, & fructum afferat. Potentissima est dominici sanguinis irrigatio, vt silices ipsos vertat in paradisos voluptatis. Quis magis silex, quam populus Iudaicus, populus sanè durę ceruicis, & incircuncisi cordis? Ab hoc tamen sperauit Dominus fœcunditatis fructus de sola irrigatione sui sanguinis. Isai. cap. 30. *Propterea expectauit Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Agnoscit D. Hieronym. in illo, *exaltabitur*, crucis exaltationem, dominicique sanguinis effusionem: quasi hoc totum esset diuinæ expectationis fulcrum, & sustentaculum, quod crucifixus, & mortuus deponendus erat ante oculos Iudæorum. Expectauit quidem Dominus Iudæos diuinæ misericordiæ capaces fore, ad cuius expectationis firmitatem exaltabitur, hoc est crucem subibit, & qui silices post talium vndarum rigationem durescent? Quæ sterilitas his circumcincta fossuris, nõ fœcũdabitur? Huc respiciebat Saluator, Ioan. 12. dicens: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Nullius salus desperanda est, quam excoluit diuini agricolæ sudor, quam dominicus sanguis irrigat. Apparuit sub aratro crucis Dominus, & ecce terra tremuit, quasi noua cultura reuiuiscens, vt dicat D. Leo serm. 8. de Pass. *Traxisti Domine omnia ad te, cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Nec miror quod de tantæ rigationis, & cul-

D. Isidor.

Isai. 30.

Hieron.

Ioann. 12.

Leo.

& cultūræ efficaciâ totus in flores abeat ſterilis mundus. Duas vobis proponite ob oculos floridiſsimas arbores, matrem filiorum Zebedæi, & latronem iuſtum. Vterque floridis virtutibus Chriſtianum agrum illuſtrat, vterque
Matth. 20. de regno agit cum Chriſto. Illa: *Dic, vt ſedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad ſiniſtram in regno tuo*: hic autem, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed crediderim fœminam laudabilius quid egiſſe, quę cum multo minori cultura, vſque in cœleſte regnū excreuit; in hoc illâ minus laudabilis latro, minus venerabilis, quia non meminit regnum, non creuit in fructum, niſi ex toto paſsionis ſtercore, ex in numeris Chriſti foſſuris ſibi adiunctis. Prius totus agricolæ ſudor fluxit; prius Saluatoris fontes amne pleno manarunt, circa latronem foſſa eſt terra Deifera, & de tanta cultura cur emortuus latronis animus non reuiuiſceret? Hinc exaltat fidem matris filiorum Zebedæi,
Baſil. Sele. D. Baſil. Seleu. orat. 24. inquiens. *Aduenerit, vt apparet, latronis voces hæc mulier. Ille in cruce orationes efferebat: memento mei in regno tuo; hæc ante crucem pro regno ſupplicabat: dic vt ſedeant, &c. O deſiderium paſsione maius.* Ideo illa ſuperior, quia ante foſſuram crucis, iam cœleſtis regni deſiderio florebat: quid mirum, quod latro eodem afficeretur deſiderio, quando circa illū tot foſſæ apertæ ſunt, quot Chriſti vulnera? eaq; de dominicis cruciatibus cultura adhibita eſt, quę vel ſaxa molleſcere po-
Iſai. 64. tuiſſet. Sic apud Iſaiam, cap. 64. *Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus: deſcendiſti, à facie tua montes defluxerunt.* Mirabilia Dei à multis cōtempta fuere, at vbi Deus deſcendit in mortem, in cruciatus, montium durities abijt in terram fluentem lacte, & melle. Nulla ſterilitas vbi Chriſti ſudores, & fatigationes propo-
Dan. 3. nuntur. Daniel. 3. *Abſciſſum eſt lapis de monte, ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Lapis autem factus eſt mons magnus.* Quibus
Rich. Vict. illud acute ponderat Richard. Vict. de Erudit. inter. homin. part. 1. cap. 28. Quod ſterilis lapis, vt inter pedes ferreos abiectus iacuit, non lapis, ſed mons amœnus fiat. *Quid eſt quod lapis ille non creſcit in rupem, ſed mutatur in montem; nec lapis in lapidem magnum, ſed potius mutatur in montem magnum, & eminentem?* Equidem vbi lapis viuus Ieſus deſcendit ad paſsionem, & velut botrus Cypri calcatus fuit in torculari crucis pedibus peccatorum, iam non ſteriles lapides, ſed montes amœniſsimos manantes lacte, & melle habet in regno ſuo.

§. V.

Nulli rei tam aſsidet Dominus, quam peccatori expectando.

AD puriſsimæ ſponſæ oſtium videbis aliquando Dominum pulſantem, ſed aſtantem, minime aſsidentem ibi: at modo peccatricem venaturus ſedet, & moroſus ſedet ſupra puteum. O immenſam Dei expectationem, vt peccatores accedant ad ſalutem! Qui morę impatiens eſt, vix ſtat, quo Dauid exprimebat dolorem morantis glorię, dicens: *Stantes erant* *Pſalm.* *pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem.* Sic feſtino ad Deum, vt in eius atrijs vix figam extremos digitulos, ipſi pedes ſtant, vt omnem moram excludant; qui ſedet, moras non timet, qui autem diſcumbit ad longiſsimas ſe ſe aptat moras ſuſtinendas. Dominus in alijs omnibus feſtiniſsimus; cum peccatoribus expectandis accedit, omnium eſt morarum patientiſsimus, tunc ſedet, tunc quaſi obliuioſus procumbit. Mulierem in ciuitate famoſam ad ſe expectabat venturam, & qualiter expectabat? An ſtās ad oſtium, & pulſans? non ſtans, nec ſolum ſedens, ſed recumbens. Sic Luc. 7. *Ingreſſus domū* *Luc. 7.* *Phariſæi diſcubuit: & ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.* Diu vult expectare, qui vt expectet, diſcubuit; nō moras faſtidit, non venientis tarditate frangitur, qui ſic ſe ad expectandum componit, vt diſcumbat. Iſaias *Iſai. 30.* cap. 30. ait, iuxta Lxx. *Et rurſus expectat Deus vt miſereatur veſtri.* Expende illud: *& rurſus*: nulla expectatione frangitur, ſemel, & iterum ſpe fruſtratus nō fugit; ſolent enim ab aliquibus præfiniri expectationis tempora; poſt quæ abituri ſunt, verum Deus etiam poſt præfinitum tempus, poſt fruſtratum terminum expectationis; rurſus expectat, rurſus decumbit infractus. Et ſane tota hæc Dei expectatio requiritur, vt peccatores ſalui fiant: dicebat enim illa: *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus* *Cant. 1.* *mea dedit odorem ſuum*: Expendo, quando peccator fit bonus odor Chriſti, non quādo Chriſtus ſtat ad oſtium, & pulſat, tunc enim non auditus ſtatim abijt, & ſponſa manet in luctu. Sed tunc cū ſponſus decūbit, nō abiturus, etiā ſi morā faciamus accedendi; ſed frequenter expectationis terminos inſtauraturus, renouaturus, tunc peccatrix anima fit bonus odor Chriſti. Hoc eſt enim hominū ingeniū, quod velit longanimiter expectari: quod pulchre depingit Iſai. c. 28. fatus. *Māda remāda, māda remāda, expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicū* *Iſai. 28.* *ibi, modicū ibi.* Ecce tibi hominū etiā in via mādatorū Dei currentiū, vita deſcripta. Quis prōptior ad mādata percurrēda, quā qui noua ſibi imponi cupit? Nōne ait; *māda remāda?* Qui ſic currit, nō miror, ſi omnes moras rūpere poſsit?

Aſt nõ hominis eſt, omnes morãs rũpere: cui vel in ambitione, vel in voluptate non aliquæ morulæ ſubrepunt, quibus detentus clamet: *expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi?* Ad hæc Richard. Victor. ait: *Dum quidem quotidie verba vitæ libenter audiunt, quid per hoc ſtudiũ, aliud dicũt, quam manda, remanda? Et dum quotidie peccata peccatis accumulant, quid aliud quam expecta, reexpecta, per deſideriũ clamant? quotidie ſpatium pœnitentiæ poſtulantes, & reſipiſcendi tempus prolongantes.* Huiuſmodi eſt hominum conditio, qui expectandi ſunt, & ſuſtinendi, vt poſsint ſalute donari. Nouit Deus hominum ingenium, quos, quia diligit, expẽctat, & reexpectat, & expectando ſedet, non leuaminis ſumendi cauſa, ſed fatigatus ſic ſedet, vt diuina tolerantia expectantis magis homines trahat. Impatientiſsimi illi, qui fatigatum dicebant: *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Nec hoc potuit Dei expectationem longanimem frangere, quæ ſola valebat homines trahere. Præclarè D. Auguſt. tract. 3. in Ioann. ait. *Pertulit inſultantes: nam crux non ad potentiæ documentum, ſed ad exemplum patientiæ ſuſcepta eſt. Ibi vulnera tua curauit, vbi ſua diu pertulit.* Expendo illud, diu pertulit, quaſi non tã doloribus & fatigationibus, quam in eis diutinæ, & longanimæ expectationi tribuatur hominum curatio. In qua expectatione crediderim Saluatoris potentiam ad trahendos homines maxime fulgere. Exodi cap. 9. dicit Pharaoni. *Idcirco poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in terra.* Sed quomodo Deus fortitudinem ſuam oſtendit cum Pharaone? Nonne, & Magi ſimilia Deo faciebant, in quo ergo Dei fortitudo reſplendebat? Sanè non tam in plagis immittendis, quam in expectando, & reexpectando peccatore. Sæpe promiſſerat Pharao ſe dimiſſurum populum, & ſæpe fallebat: Deus nihilominus ſemel, & iterum expectat, & decies reexpectat, in quo maximam ſuam fortitudinem manifeſtat. Ita loquitur D. Theodulus in epiſtol. ad Roman. cap. 4. *Ait enim ſcriptura Pharaoni. In hoc ipſo excitaui te, vt demonſtrarem in te potentiam meam. Potentia Dei eſt longanimitas, adeòque maxima potentia.* Non ne dicebat Pſalm. 26. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum?* Si ergo homo, vt Dominum ſuſtineat, & expectet, viriliter agere, & confortari iubetur; quas vires requiret Dominus, vt peccatorem expectet? Non expectatur Dominus, qui facilis eſt, & benignus, ſine ingenti expectantis robore, quomodo expectabitur peccator, qui fallax eſt, niſi expectationi omnipotentia ſit coniuncta?

Richard.

Auguſt.

Theodul.

Pſalm. 26.

§. VI.

Strictus iudicis rigor benignitatem, & beneficentiam præmittat, neceſsum eſt.

QVOD Ieſus ſedeat, iudiciariæ poteſtatis indiciũ eſt, quod fatigatus eſt itinere, hoc pietatem, & benignitatem oſtendit. Imõ crediderim, quod iudicis ſeueri poteſtas à Patre in filium profecta trahit filium in tot pietatis, & miſericordiæ itinera. Accipite Iſaiam, cap. 30. *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus.* Expende vndè veniat, & vniuerſa miſericordiæ itinera deſcendant, nimirum: *quia Deus iudicij Dominus*, quia ſtrictus iudicij rigor Domino eſt datus, ideo ab illo præmittitur amor, præmittitur miſericordia, perfecti iudicis comes, & iudicij ante ambulo. Huc eleganter ſpectat D. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos, vbi Incarnationis Verbi rationem reddens, ait: *Cæterum cum iam opera extarent, & neceſſarium erat ea alicuius adminiſtratione caſtigari: tum demum Verbum ſe ſe dedidit, vt condeſcenderet, & operibus ſimile efficeretur.* Ecce tibi vndè Dei deſcenſus, & condeſcenſus dimanauit, quia conditus creaturarum rationabilium orbis iudicem requirebat, à quo emendationem factorum, & correctionem caperet; ideo, qui ex natura iudex erat, ſe ſe quaſi obligatum inuenit ratione muneris ad condeſcendendum hominibus, milleque miſericordiæ vijs eorum animos ſollicitare. Equidem perfectum iudicem, non ſolum facit rigor ſtrictus, ſed miſericordia, ſed benignitas, ſed amor. De Ioanne Baptiſt. dicitur Luc. 1. quod venit, *in ſpiritu, & virtute Eliæ*; quod ſi Ioãnis videatur aduentus, prorſus videtur ab Elia contrarius. Ioannes enim non vt ſponſus venit, ſed vt amicus ſponſi, miſericordiam, & ſalutem omnibus proclamans; Elias totus igneus eſt, non ſponſum præfert, ſed iudicem comitatur, ideo extremo tempori reſeruatus eſt, vt rigorem examinis, & iudicij prædicet, & proclamet. Quid ergo habet commune amicus ſponſi cum præcone iudicis? Quid Ioannes miſericordiam prædicans, cum Elia, qui iudicium minitatur? Sanè eo ipſo, quod Elias iudicis præcurſor eligitur, ad Eliã attinet, quidquid ſtrictiſsimi iudicis eſt repreſentare. Verum cum Eliæ ardens zelus non poſsit repreſentare aliud, quam rigorem, & ſeueritatem, qui ſoli affectus iudicem non perficiunt; neceſſarius fuit Eliæ vicarius, qui illius munere ſatisfaciens, quod in perfecto, & rectiſsimo iudice deſiderabatur, videlicet, miſericordiam, & amorem repreſentaret.

Iſai. 30.

Athanaſ.

Luc. 1.

tet. Hinc præmittitur Ioannes in virtute, & ſpiritu Eliæ, vt in publicando iudice vices gerat Eliæ, iudicis miſericordiam, & benignitatem præmittens, cum ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hanc excogitationem mihi inſinuauit D. Auguſt. tract. 4. in Ioannem, vbi dicit. *Non Elias Ioannes, ſed in ſpiritu, & virtute Eliæ? Quid eſt in virtute, & ſpiritu Eliæ? In eodem Spiritu ſancto vice Eliæ.* Expende illud: *vice Eliæ*, in oſtendendo enim agno Dei, eiuſque bonitate, & beneficentia promenda, vices gerit Eliæ; Eliæ reſpondit muneri, cuius eſt publicare iudicem, & rigorem minitari iudicij. Hinc tam audenter, & confidenter peccator homo ad Deum loquitur, Pſalm. 6. *Conuertere Domine, & eripe animam meam.* Conuertere, ait, quaſi non deceat hominum vindicem ſemper ira flagrare; ſiquidem tibi iræ theſaurus eſt in diem iræ promendus, ſiquidē ſtrictus iudicij furor adeſt, ne modo iram, & furorem exeras; ſunt iudici duo latera benignitas, & furor, ſerua furorem, præmitte benignitatem. Conuetere, inquit, quia cum tibi iudicij furor ſit, non poteſt ſimiliter non adeſſe benignitatis amor. Ad hæc Chryſolog. 45. fatur. Conuertere Domine. Vndè? Vbi? *De Deo in hominem, de Domino in ſeruum; de iudice in patrem; vt pium conuerſio te demonſtret, quem poteſtas terribilem comminatur.* Expende illud, *vt conuerſio te pium demonſtret*; non enim ait, vt conuerſio te pium faciat, ſed pium demōſtret: eſt enim iudici innatus paternus amor, & ſimul cū ira benignitas, quę neceſſe eſt, vt proſiliat, & appareat etiam in furore flammanti, ſi pauliſper Dominus conuertatur. Sic Geneſ. 18. Irritatus Dominus aduerſus Sodomam deſcendit puniturus malos, ſed prius ingreditur domum Abrahæ, ibique conuiuio vacat, Iſaaci natiuitatem promittit, tunc pergit ad ſupplicium. De quo Rupert. lib. 6. cap. 1. *Bene ergo is, cuius in Euangelio ſuo ſimul ira reuelanda erat, & gratia, iam in præfiguratione aduentus ſui, dum præfiguratur in Iſaac, vtriuſque rei narranda præmittit exempla. Penes ipſa piorum tabernacula caſtis indulget delitijs, & ridentibus pene arridens, atque congaudens materiam multiplicat, cauſamque confirmat riſus æterni: ac deinde Sodomam diuertens terribilem ſuper impios pluit iram, in exemplum ignis æterni.* Hęc ille.

Auguſt.

Pſalm. 6.

Chryſol.

Geneſ. 18.

Rupert.

§. VII.

Laborum tolerantia efficaciſſima omnium, ad humana corda trahenda.

VIDE quos parat Dominus ad fontes, laqueos, vt mulierem trahat. Quos parat laqueos? *Fatigatus*, ait, *ex itinere ſedebat ſic ſupra fontē*, quaſi obiecturus fatigationes, & labores ſuos, qui validiſſima arma ſunt, ad cōuertenda humana corda. Quatuor erant in populo Iudaico Prophetæ eodem tempore ad populū cōcionantes, & vel nullos, vel raros concionis hamo expiſcantur. Vnus mittitur Ionas, qui opulentiſsimam Niniuem ad pœnitentiam trahat. Et vnus Ionas tanti populi conuerſioni ſuffecit, ſed cur non ſuffeciſſet vnus Ionas prius à cete voratus, innumeriſque periculis fatigatus? Ionas 1. *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare.* Mutabitur feritas maris ad conſpectum vel vnius Prophetæ, tot fluctibus iactati. Ibi D. Hieron. *Ionas in mari fugitiuus, naufragus, mortuus, ſaluat nauiculam fluctuantem; ſaluat ethnicos in diuerſas prius ſententias, mundi errore iactatos. Et Oſeæ, & Amos, Iſaias, Ioel, qui eodem tempore prophetabant, populum in Iudæa nequeunt emendare.* Validiſsima ſunt patientiæ ora ad hominum mentes expiſcandas; non ſic rhetorum flumina ad conuertendum mundum, vt valet patientia martyrum. Apocalyp. 12. fugienti mulieri cœleſti Draco emiſsit flumen, *vt eam faceret trahi à flumine*, ſed totius eloquentiæ flumina, nec vnam mulierem trahunt, verum rudes, & impoliti piſcatores perſecutionum fluctibus iactati hominum detriumphant voluntates. Actor. cap. 3. *Iniecerunt eis manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam, vſque in diem poſterum; erat enim veſpera. Multi verò eorum, qui audierant, crediderunt.* Apoſtoli ligantur, torquentur, mille afficiuntur probris, & ſic innumeros conuertunt; multi afflictorum hominum ſubſcribunt verbis: vt pateat efficacia patientiæ: Ita Chryſoſtom. homil. 9. fatur. *Quid hoc? numquid viderunt illos honeſtari? nonne conſpexerunt ligari, quomodo igitur crediderunt? Vides manifeſtam efficaciam.* Efficaciſsima eſt patientiæ vox, vel potens ipſa totum mundum ad ſe conuertere, & detriumphare. Nec eſt poteſtas vlla, quæ reſiſtere poſsit patientiæ ſeruorum Dei, quando, & tormenta ipſa, & mors, & ſepulchrum plus addunt eorum voci, efficaciæ. Nonne mors oppreſerat Abel? nonne terrę datus erat eius ſanguis? Nilominus ait Dominus: *Vox fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Viuus, ſicut agnus coram tōdente ſe obmutuit, vndè modo tanta vocis efficacia? Sanè & profuſſus ſanguis, & mors, & ſepulturæ terra dant efficaciam voci Martyrum. Ità de Apoſtolis inter ſæuiſsimos defunctis cruciatus, loquitur D. Baſil. Seleu. orat. 3. *Mortem excipiunt quidem, nec piſcatu tamen abſtinent obita morte. Quin etiam poſt fata, Domini faciunt imperata, nec preſsi ſepulchro prædationis obliti ſunt. Nā & ſepulchra volente gratia loquuntur.* Mors non obturat ora patientiæ imò

Ion. 1.

Hieron.

Apoc. 12.

Actor. 3.

Chryſoſt.

Baſil. Sele.

imò quot sudores immittit, quot præsuras trahit, quot vulnera infligit, tot linguas addit ad
Psalm. 103 conuertendum orbem terrarum. Psalm. 103. *Extendis cœlum sicut pelles.* Vt pelles post animalis mortem maceratæ, extendi solent, & percussæ clasicum insonant, & mire tonant: sic cœlestes homines, instar pelliũ, inter macerationes, & percusiones, ac inter ipsas mortes maiorem vocis efficaciam effingunt. Iuxta quod
Aug. D. Augustin. ait: *Ideo tenditur, sicut pelles, & magis tenditur, quia illi mortui sunt, nam post mortem plus innotuerunt Apostoli.* Dedit sanè afflictio, dedit mors, dedit sepulchri terra efficaciam illorũ dictis. Id eleganter exprimit Theo
Theodor. doretus lib. 8. de Martyr. ibi inquit: *Admirantur autem cuncti mortales, mortuos iam Apostolos, nunc quoque vertendis ad Christianam religionem populis, caeffsicere, quæ, cũ olim viuerent, faciebant, imò autem maiora, multoque clariora, post quam excesserũt è vita per eos facta conspicere.* Et cur modo maiora non efficient in conuertendis populis, quando eos mire iuuant exantlati labores, sanguineus sudor, & mors ipsa.

Textus. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam.

§. VIII.

Nulli se se offert salutis occasio casu, nisi ex diuino præscripto. Vbi quod salutis opera non faciamus ex casu.

CVM videas mulierem accedẽtem ad fontem, quando Iesus supra ipsum sedet fontem, ne putes illam casu venire, quin imo ideo venit, quia trahitur sedentis sistenda iudicio. Etenim vbi Iesus accumbit Pharisæi epulis, ingreditur peccatrix mulier tota illachrymans, crebra, & ardentia mittens suspiria, nimio dolore lacera. Vndè mulier tali habitu conuenit
Chrysol. Iesu? Pulchrè Chrysolog. serm. 93. ait: *Fratres non rogata venit illa, sed iussa intrauit exhibita, non præsumens: ipse sic fecit eam sisti sibi, qui illam cœlesti sententia iussit absolui.* Expende, *sic fecit eam sisti sibi*: non casualis fuit habitus Magdalenæ, non casualis ingressus eius ad discumbentem, omnia fiebant ex Dei præscripto. Dei fuit sententia, quod veniret ad discũbentem, quod manus vnguentum funderent, quod oculi flerent, quod capilli tergerent, nec vnus illius capillus motus fuit, qui ex diuini senatus cõsulto non veniret. Quid magis casuale videtur, quam Rebbeccæ occursus cum Abrahami seruo? Sedebat ille ad puteum dicens, Genes. 24.
Genes. 24. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Hęc secum loquebatur seruus, & ecce apparet pulcherrima virgo Rebbecca. Quid tunc seruus? *Occurritque ei seruus, & ait. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe Domine mi, &c.* Putas, hæc casu fiebant? Absit. Veniebat Rebbecca ad fontem, veniebat ad seruum Isaac, qualem, qui ex illa, & Isaac nasciturus erat, venire præscripserat. Venit equidem non fortuito, sed iussa, & eius gratia, sic eam fecit sibi sisti, qui illis præparabatur in filium. Ita Franconius Abb. tom.
Francon. 3. de Gratia Christi, fatur. *Ecce in hoc mysterio gratia affuit, ipsa seruum spiritu consilij imbuit, ipsa preces implenit: vxorem ipsa elegit.* Nihil ibi casu actum est, nec hydria sumitur, nec camelus bibit, nisi ex præscripto, & sententia moderantis omnia gratiæ diuinæ. Nemo ad Christum ex casu venit; nulli offert se se salutis occasio fortuito: & crediderim, quod à multis Bethlemiticis, siue egredientibus, siue ingredientibus ciuitatem, casu recens natus Iesus, & inuentus, & visus, sed etiam ab eisdem fuit ignoratus? An, & qui cognouerunt pastores, nõ erant casu in regione illa? Nõ casu vigilabant? Ita de illis loquitur, Luc. cap. 2. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes*: erant equidem pastores in regione eadẽ, prout casus pastoriciæ curæ ferre videbatur, sed non erant casu, sed alto Dei nascentis consilio ibi positi, non id ferebat pastoriciæ curæ casus, sed recens natus sic eos sibi sisti voluit. Pulchrè D. Ambr.
Ambros. lib. 2. in Luc. *Quod si ætas carnis ignara operis fuit, profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem. Qui etiã pastores faciebat in illa regione vigilare.* Nec gradum facit quis, quo appropiet Christo, nisi ex præscripto Dei, qui omnia suauiter disponit, & moderatur, vt electi sui salutem adipiscantur. Non enim hominũ salus relinquitur à Deo fortuitis casibus. Vndè hinc & nos discamus salutis nostræ opera casu, & fortuito minimè tractare; sed consulto, & ex præcipuo cordis affectu ea nobis agenda proponamus. Id maximè in Iephthe castigatũ fuit filiæ internetione: qui enim Abrahæ gladium à ceruice filij remouit, permisit Iephthe, quod filiæ inficeretur sanguine. Cur hoc permisit Deus? Meruit id Iephthe, qui votum Deo emissum ex fortuitis adimplẽdum reliquit casibus: quippe ait Iud.
Iud. 11. 11. *Quicumque fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon eum holocaustum offeram Domino.* Parum se Deo exhibet religiosum, dum materiam voti non de melioribus procurat, contentus illa, quam casus fortuito ministraret. Sanè quòd iste gratam offerret victimam, nõ eius animo

accep-

acceptum referret Dominus, sed potius casui, quando ille non magis vitulum, quam canem (si sors tulerit) offerebat. Ideo iuste à Deo punitus fuit, dum primo dilectam filiam offendit, quam trucidaret. Et meritò puniuntur, qui salutis negotia per occasionem, & forruito agunt. Simonis Magi stultitiam, qua pecunijs comparare volebat Spiritum sanctum, maximè reprehenderunt Apostoli; ipse verò de crimine admonitus, & de imminenti pœna, dum
Act. 8. abijt, dicit Act. 8. *Orate pro me ad Dominum, vt nihil horũ, quæ dixistis, eueniat in me.* Fuge nefariam hominis pœnitentiam, non enim consultò id dicebat, nec ex vero animi proposito, sed
Chrysost. quasi per occasionem, & obiter. Ita Chrysost. homil. 18. *Oportebat illum toto corde pœnitentiam agere, oportebat plorare. Ille autem obiter hoc faciebat.* Sic innumeri, quæ ad salutem spectant, ex occasione, & obiter faciunt, vt casus fert, non ex animi proposito, vndè nunquam Deo placent.

Textus. Dicit ei Iesus. Da mihi bibere. Discipuli enim abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

§. IX.

Christi sponsa misericordia in pauperes ornatur.

AVDIO Abraham seruum per aquæ petitionem iuxta fontem Isaaco sponsam perquirere, & sic Ecclesiæ, & Christi nuptias delineare. Vbi autem non per seruum, sed per se ipsum Dominus fonti assidet, & aquam ipse petit, non tam sponsas suas perquirit, quam conquisitas fulgenti illustrat ornatu, quo diuini
D. Max. Sponsi oculis placeant. Id animaduertit D. Max. homil. in vigil. Natiu. inquiens. *Ambiam, ait, ergo inueniri ante ipsum probati fide, compti misericordia.* Ecce totum ornatus apparatum: ecce Christianæ sponsæ mundum omnem muliebrem, quo adornetur, quo multum pulchrescat, quippe ait: *Compti misericordia.* O quam ornat Christi sponsas misericordia in pauperes, sanè ex hoc illam acquirunt pulchritudinem,
Psalm. 44. qua sponsi sui oculos rapiant. Psalm. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere procede, & regna.* Magna equidem vis pulchritudinis est, quæ facit prospere regnare; miror, si hanc pulchritudinem non ardenter inquiramus, & inueniemus facilè; quandoquidem tota posita est in misericordia pauperum. S.
Laur. Nou. Laurent. Nouar. hom. de Eleemos. *Quæ alia est pulchritudo, quam lacryma oculorum, & largitas eleemosynæ?* Hac vna pulchritudine sic ornãtur animæ, vt prosijs dignæ imperio videantur. Iam do Agapitum Diaconũ, ad Iustinianum Cæsarem sic fantem. *Agapit.* *Vestimentum inuetustabile est beneficentiæ amictus: & incorrupta stola est charitas in pauperes: quam igitur oportet, qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare: amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur.* Non vacat modo eleemosynæ regium stratum commemorare, sed eius regiam pulchritudinem, regium, & splendentẽ miror ornatum. De nulla, mihi crede sic pulchrescs virtute, quam de eleemosina, quo nihil tuum putas, sed quidquid habes, commune habes, vt ab egenis possit participari, eo in cultu ornatior, in decore floridior appares. Cãtic. 1. ait illa: *lectulus noster floridus*, verum post *Cant. 1.* modum cap. 3. ait. *In lectulo meo per noctes quæsiui, &c.* Cur modo suum vocat, modo nostrũ dicit? sanè cum non suum, sed nostrum nominat, virtutem exerit hospitalem, qua vt vera Abrahamides hospitium peregrinis parabat, & vt vera Sunamitis, & cubiculum, & sellam, & lectum Dei prophetæ componebat, nec vocat suum, quod pauperibus communicabat. Sed nota mysterium, in lectulo suo, ibi curæ, ibi vigiliæ, ibi noctes, ibi sollicitudines: at in lectulo communicato pauperibus, ibi flores sunt, ibi rosarũ pulchritudo, & venustas apparet. Quo spectans Gillibert. Abb. serm. 2. in *Gillib.* Cant. fatur. *Qui communis est, floridus est, vetustatis nihil habens, nihil corruptionis. Quando vero proprium suum lectulum dicit, nulla ibi fit mentio floris.* Habet hoc propriũ misericordia in pauperes, quod diuinarum sponsarum thalamos floribus spargat, quod floridos suos alumnos faciat, quod roseum splendorem, quod pulchritudines pariat. Parum dixi ab eleemosina flotidas fieri sponsas Christi; aurea enim est pulchritudo, quam eleemosina facit. Sic D. Chry- *Chrysost.*
sostom. hom. 61. ad Pop. persuadens plus pauperibus subleuandis, quam templis exornandis vacandum, fatur. *Tu hoc Deum honore, quem statuit, prosequere, diuitias expẽdens in pauperes, nec enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animabus.* Quippe pauperes subleua, & aureus esto, quo diuinos oculos trahas. Nõ possum in præsenti non meminisse pulcherrimos Machabæorum triumphos; in quibus fortissimos viros non tam Martios, quam Martinos stupeo. Hi *Math. 2.8.*
post victoriam, vbi ad spolia ventum est, lib. 2. cap. 8. *Prædas diuiserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.* Itaque magnam spoliorum partem afflictis, & pauperibus dederunt; quis ergo fortissimorum virorum ex hoc facto pulchritu-

dinem explicauit? Quis in illis præaureis vasis,& armis spoliorum aureas non æstimet animas? Iam refero huc verba, Psalm. 67. quæ sic sonant. *Rex virtutum dilecti dilecti speciei domus diuidere spolia.* O quãtam speciem, & pulchritudinem parit, ea spoliorum diuisio, quæ etiã debiles pauperes, & senio confectos, & calamitosos nouit replere. Insuper addit Propheta: *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in pallore auri.* Ecce iterum aurea pulchritudo, sed & in pauperum subleuatione fundata. Pro quo prima huius clausulæ verba, sic apud Hebræos sonant. *Si cubetis inter medios leuetes.* Quid in præsenti leuetes? Alijs alia significẽt; mihi ob oculos ponunt beneficentiam militarem. Video enim apud Hispanos, multorum nobilium stemmata leuetibus magnis insigniri, eorum, qui in priscis exercitibus, suis sumptibus pauperiores milites sustentabant. Non ergo tibi admirationem faciant militum arma aurea, quibus de triumphãt inimicos, sed eorum aureæ animæ, quibus curę sunt egenorum fames. Ab hac cura totus nobilium splendor, vniuersa ducum, & regum pulchritudo, non absimilis columbæ argenteum, aureum ve quid præseferenti. Et posteriora dorsi eius in pallore auri: nullibi ex pauperum datis muneribus pulchritudo non nascitur, & turpitudo abest. Allophili propter captiuitatem arcæ vehementer castigati à Deo sunt, imò conspurcati, & fœdati fœtida plaga in secretis naturæ orta, 1. Reg. cap. 5. quo respiciens Psalm. 77. ait: *Percussit inimicos suos retrorsum, opprobrium sempiternum dedit illis.* Quo dedecore, & turpitudine, vt liberarentur, moniti sunt, & arcam restituere, insuper & munera addere: sic enim vates caueant cap. 6. *Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam.* De quo pulchrè D. Prosper. de Promis. p. 2. cap. 14. fatur. *Nec valuerunt huius turpitudinis euadere vltimam pœnam, nisi arcam Dei, quam cæperant, donis appositis reddidissent.* Vide quibus fœtida turpitudo tollatur, nimirum donis appositis: quippe omne dedecus abest; & redit aurea pulchritudo, vbi Deo munera in pauperibus suis fueris largitus.

Psalm. 67.

Psalm. 77.

1. Reg. 6.

Prosp.

§. X.

Mundiales principes non sitiant suorum sanguinem.

HIc veri Regis Christi exactiones animaduerte, quas exigit à suis, nempe parũ aquę, vt ardentissimæ siti satisfaciat. Non ea est sitis tyrannorum mundialium, quam extinguat aquã, sed suorũm sanguis. Herodes ille rex inter prandij dapes, iussit sibi afferri in disco Ioannis Baptistæ caput. De quo D. Fulg. ait serm. 7. *Multorum iam capita piscium, pecudumque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Nihil actum, nihil procuratum esset, si defuisset regio prandio caput humanum.* Hæccine est mundialium tyrannorum cõditio, quod semper inhient sanguini humano: quod subditorum sitiant sanguinem. Quàm aliter bonus Rex Dauid sitiuit, cum esset in acie, & ardenter cupiuit aquam cisternæ Bethlemiticæ: non uerunt Regis desiderium tres nobiles milites, qui rege inscio se se dant per medios hostium confertissimos cuneos, aquam de cisterna hauriunt, & eodem periculo, vsque ad Regem tra hunt. Quid tunc Rex? 2. Reg. 23. *Libauit eam Domino,* timens sitim extinguere aqua periculo suorum comparata: Hoc boni Regis facinus laudans D. Ambr. in Apol. cap. 7. hanc reddit rationem facti, nimirum aiens: *Prospexit ne cui Regum bibendi vsus alienis periculis quæreretur.* Quam bonus Rex, qui nec aquam bibere vult, in qua suorum sanguinis periculum re presentabatur. An propter hoc displicuit Deo præstantissimus Israelitici populi gubernator Moyses? Huic dixit Dominus, Numer. 20. *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Verum ipse assumpta virga abijt ad petram, & *percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Hæc Moyses fecit, quibus terræ promissæ regnum amisit. Quid ergo egit Moyses perfectissimo gubernatore indignũ? Non loquitur ad petram, vt aquas det, iuxta præceptum Domini: sed virga semel, & iterũ percutit, quasi non libêret bibere, nisi de vulnere. Quid regio animo indignius? Longè aliter Rex ille, regum exemplar Iob cap. 31. aiebat iuxta Lxx. lectionem. *Si supra me aliquando terra gemuit, & sulci eius plorauerunt simul.* Quasi dicta sibi imprecetur, si vnquam, vel subditorũ lacrymas, vel sanguinem sitiret, sic subditos exando exactionibus, vt cogeret illos plus solito terram sollicitare, & vexare, quo possint persoluere tributa. Ita auctor Caten. Græc. quasi diceret. *Hæc patiar mala si causa mea, terra à suo Domino est aliquando gemitu debilitata: aut si sulci eius ab aratoribus, atque ab his, qui cam sciderunt, flere aliquãdo coacti sunt.* Quippe meritò tot sibi calamitates à Deo inflictas putaret bonus Rex, si quando libuisset de terræ vulnere, de subditorum sanguine bibere, eos sic premens tributis, vt ingenti labore ægre, & difficulter satisfacere vix possent. De hoc sic loquitur D. Synes. lib. de Regno. *Neque tributis ciuitates exhaurire regium est: bono enim Principi vbinam tantis pecunijs opus est? Cũ neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur*

Fulg.

2. Reg. 23.

Ambros.

Num. 20.

Iob 31.

Græc.

Synes.

liatur; nec temperati vſus loco inanem, atque ambitioſam magnificentiam affectet: neque iuuenili conſilio in ſcænicos ludos, gnauorum hominum labores perperam conſumet. Sanè paternum fuit illud Agamenonis ſuſpirium, quando pro felici nauigatione filiam litaturus, ait: *Vtros ſanguine emimus*: & regium valde erit, quod horreat ſubditorum ſanguine ludicras ſibi comparare delitias, & bonorum hominum ſudores, & lacrymas in ludis conſummere. Ioſeph Ægyptiorum moderator ſic à parente benedicitur, & à Moyſi, Deuteron. 33. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Cur non potius Leoni, aut Aquilæ regium Ioſephi ſplendorem cõparat? Cur tauro? Diogenes apud Dionem orat. 2. de Regno. *Taurus non ſolum ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine vtitur, quemadmodum Leo, & Aquila perſequentes cætera animalia, ſuique deuincentes cibi cauſa: quare potius quis tyrannidis eos dicat, quã regni exemplum eſſe. Taurus autem manifeſtè ad Regis imaginem factus eſt: cibus ei paratus, & facilis, vt nullũ, neceſſum ſit, vi opprimere illius cauſa, &c.* Pergit alia enarrare, & pulchra, & beato digna rege, nobis ſufficiat hoc, quod de nullius manducet ſanguine; pugnet, luctetur, vt taurus pro grege, non vt ampliora ſibi faciat paſcua. Hæc bella tribuebat Dauid noſtro Imperatori, Pſalm. 28. *Comminuet eas, tanquam vitulum Libani*: vbi aptius D. Hieronym. reddit: *Comminuet eas, tanquam vitulus Libani.* Tanquam vitulus, ait, opprimet gentes, non vt ſanguine veſcatur, ſed vt gregem tueatur.

Deut. 33.

Diogen.

Pſalm. 28. Hieron.

§. XI.

Nihil à nobis accipit Deus, niſi aliquo prctio emptum.

REFERT Euangeliſta petijſſe Dominum aquam à muliere, & ſtatim, quaſi pro ratione ſubdit: *Diſcipuli enim abierant, vt cibos emerent.* Quid intereſt, quod abijſſent diſcipuli emptum cibos ad aquæ petitionem? Sanè voluit Euangeliſta eadem mente Chriſtum aquam petijſſe, & diſcipulos miſsiſſe ad emendos cibos; vt nimirum oſtenderet nihil ſe velle accipere ex hominibus, niſi precio emptũ. Nihil dabis Deo, nec calicem aquæ frigidæ, quod immuneratum maneat, pro quo pretiũ à Deo non accipias. Probauit Dominus amicum ſibi hominem Iobum, qui facile, & bonis, & ſaluti, & honori ceſsit, vt Dei ſe ſeruum aſcriberet. Quid tunc Deus? Sic cap. 42. habes. *Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia.* Cur duplicia addidit? Non ſufficeret, vt eadem redderet, quæ auferri permiſit? Si eadem ſolum redderentur, videretur quidem plenaria facta eſſe reſtitutio: ſed nihil Deus daret de ſuo pro ſeruitio accepto; ideo præter bona prima, totidem alia reddũtur, ne quid videatur Deus accepiſſe, quod nõ de ſuo remuneret. Ita D. Baſil. conc. ne rebus temporalibus affixi ſimus, inquit. *Duplicatæ diuitiæ vndequaque in domum conſluxere, vt alteram partem, velut qui nihil amiſiſſet, haberet: alterà verò patientiæ merces inſolo eſſet.* Nullũ Deo obſequium, nullum exhibebis ſeruitium, proquo tibi à Deo merces non veniat. Monebat aliquando diſcipulos ſuos Dominus, Marc. 6. vt nihil ſecum ferrent in via. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, non peram, non panem, non in zonis æs.* Cur ſic nudos iubet eſſe diſcipulos? vt videas differentiam Domini, & aliorum mundialium dominorũ. Qui principibus mundi accedit ſeruiturus, de ſuo habeat neceſſum eſt, vt poſsit viuere, aut enim ſeruitiorum merces, non eſt præ manibus, aut ſæpe datur nulla. Verum dum cœleſti Domino ſeruimus, nihil de noſtris egemus, nullum enim obſequium præſtabimus, quod non ſequatur ſtatim retributio, & diaria merces in foribus aſsiſtat. Pulchrè D. Chryſolog. ſerm. 170. inquit. *Deum quantum credit inhumanum, qui ad opera eius inuitatus pera, pane pretio onuſtus incedit.* Qui mundialibus ſeruit, eorum retributioni parum fidens, procuret ſibi aliunde panes, & pecunias, quibus viuat: Deo autem iniuriã irrogas, ſi quid pretij aliunde cõ greges illi ſeruiturus, quando fideliſsimus in retribuendo, & ſine mercede nullum vnquam ſeruitium admittit. Apud Ezech. cap. 29. ait Dominus: *Fili hominis Nabuchodoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum, omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, proſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabucho donoſor Regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius. Et operi quo ſeruiuit aduerſus eam dedi ei terram Ægypti: pro eo quod laborauerunt mihi, ait Dominus.* Quis ſine mercede ab eo Deo abibit, qui nec patitur ſceleſtiſsimos homines, ſine illa aliquod ſibi offerre ſeruitium? Nullum ſane ſeruitium Deo facies, etſi minimum, etſi paruiſsimi ponderis, quod non remunerationem, & pretium accipiat: Dan. 5. aiebat Dominus Babylonio Regi, apud Chryſoſtom. in Pſalm. 95. *Librauit Dominus regnũ tuum, &c.* Quibus expẽdo illud, *librauit*, quaſi diceret, per libras, & vncias, & ſemiuncias põderauit: nihil enim tam paruum eſt, quod re-

Baſil.

Marc. 6.

Chryſol.

Ezech. 29.

Dan. 5.

Chryſoſt.

munerationem à Deo non recipiat. Sunt apud homines nonnulli mercatores, apud quos nullæ sunt rerum minutiæ, ideoque apud illos libra non est, quia ibi parui pretij merces non emuntur. Sunt sanè alij, quorum in atrijs præ oculis pendet libra, vt omnes intelligãt, quod minutissima quæque æra, ibi suam mercem acquirũt. Is est Deus, qui vt mercator nostris minutijs accommodatus præsefert libram, nihil, etsi paruum, sine mercede relicturus. Huc *Georg. Ve.* spectat illa Georgij Veneti obseruatio, in Armonia Cant. 2. ton. 7. cap. 13. vbi recolens Israelis exercitum ex duodecim tribubus constantem, docet, quod ternæ tribus castra figebant, ita vt tribus Iuda, & tribus Isachar, & tribus Zabulon versus orientem castrametarentur, sub ea cœli regione, é qua tribui Iudæ responderet, *Geminis*; iam tum duarum naturarum consortium designans in Christo à Iuda oriturũ. Tribui autem Zabulon, respondebat Aquarius, cuius mysterium alibi est datum. Verum tribui Isachar respondebat Libra: & cur Isachari respondet in cœlo Libra? Isachar idem est, ac *merces*, à quo oriuntur terræ operarij, qui sub mercedis spe operam dant agriculturæ. Rectè ergo operarijs proponitur é cœlo Libra, ne paruos contemnant labores: nullus enim erit tam paruus, qui irremuneratus abeat, quando apud mercatorem Deum per libras, & vncias, & semiuncias merces tractan- *Apoc. 6.* tur. Accinit Apocalyps. 6. *Ecce equus niger, & qui sedebat super illũ, habebat stateram in manu sua. Et audiui vocem in medio quatuor animalium, dicentium. Bilibres tritici denario, & tres bilibres ordij denario.* Per triticum intelligit D. Ambros. in præsenti splendida sanctorum facinora, per ordeum intelligit opera minoris pretij, & momenti; quæ omnia à Deo ponderantur, vt nec magnum, nec paruum sine mercede maneat.

Textus. Dicit ergo ei mulier Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

§. XII.

Legum sono literali non nimis hærendum est illi, qui errare nolit.

NON licebant commercia inter Iudæos, & Samaritanos, ea enim leges vetabant; non tamen ideo pietatis opera, imò & necessitatis inter illos ableganda erant. Absurdum enim est, & inhumanũ sic legali sono adhærere, vt nunquam per leges liceat benefacere. Seruilia omnia opera Sabbatis per legem vacabãt, nihilominus perfectissimus legum obseruator Iesus Sabbatis etiam infirmis ferebat incolummitatem; hoc vno confundens murmuratores, nimirum, si licet Sabbatis benefacere? Verum, vt notant Marc. cap. 3. *Obseruabant Pharisæi, si Sabbatis curaret*, quasi Iesum vellent ex eo accusare de Sabbato violato. Id *Marc. 6.* quod pulchrè expendens Chrysolog. serm. 32 ait. *Tali legis interprete, non dico laborat nimis, sed funditus expirat ægrotus.* Et passim mille spirant ægroti, cum eos curatores nanciscuntur, qui materiali sono legum addicti, non nouerunt latitudinem Christianæ charitatis. Seruilis proculdubio rigor est ille, qui salutem proximi contemnit, vt sono adhæreat legali. Nõne lex à leprosorum contactu arcebat? Cuius gratia Elisæus 4. Reg. 5. curaturus Naamam, *4. Reg. 5.* ita se se ab illius conspectu seruauit, vt seruum mitteret, qui diceret: *Vade, & lauare septies in Iordane.* Quid ad hæc ægrotus? *Iratus Naamã recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans innocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ.* Ecce tibi, quibus contentus iret ægrotus, si vel Prophetæ tangeretur manu; Elisæus autem potius illum abire incuratum sinebat; totamque Regis Syri indignationem aduersus Israelem contemnebat, ne legi derogaret, lepram manu tangens. Quã aliter verus legis interpres, & explicator Iesus, qui vt salutem daret, minime cauebat à lepræ tactu; quippe non seruili spiritu, sed tota via regia charitatis legem obseruabat. De vtroque D. Chrysost. hom. 26. in Matth. ait: *Elisæus ne-* *Chrysost.* *que videt Naamam, sed scandalizatum esse audiens, quia eum neque aspicere voluisset ipse, nec tangere; diligentiam legis obseruans nihilominus manet domi, eumque ad fluenta Iordanis mittit lauandum. At verò Christus ostendit, quia non vt famulus, sed vt dominus curet, ac tangat.* Seruili spiritu premitur, qui nunquam audit, quod præter legem suggerit charitas. In corporea legis literâ videndus est spiritus legis, & supra angustum sonitus literalis, magnum semper charitatis spatium est meditandum illis, qui regiũ spiritum sortiri amant. Deuteron. 11. ait Do- *Deut. 11.* minus: *Omnem locũ, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* Quæ verba sic ponit Origen. hom. 2. in Iosue: *Omnem locum, quem-* *Origen.* *cumque ascenderitis vestigijs pedum vestrorum, vobis dabo eum.* Quod si scire cupis, quæ sunt hæc loca, quæ ascensuri sumus, vt dominemur eorum: accipe ipsum Origen. sic disserentem. *Origen.* *Quæ sunt loca, quæ ascendimus vestigijs pedum nostro-*

noſtrorũ? Legis litera humi poſita eſt, & deorſum iacet. Nuſquam ergo aſcendit, qui legis literam ſequitur. Si ergo potueris à litera aſcendere ad ſpiritum, & ab hiſtoria ad intellectum conſcendere celſiorem, tunc vere aſcendiſti locum editum, & excelſum, quem à Deo in hæreditate percipies. Nõ humili, & repenti literæ legis nimis inhærendum tibi eſt, ſed dominante ſpiritu inquirendus eſt, & amplectendus eſt nucleus charitatis in cortice literali.

§. XIII.

Exceſſus in virtutum confinibus multum damnoſus eſt.

DVM fœminam video ſic Iudæorum obſeruantiæ legali irridentem, vt quaſi de zelo legis, nec aquam ſitienti Domino porrigat. Noto illorum exceſſus, qui de obſeruantia morali legum, ſummis ſe criminibus, & valde pernitioſis implicauerunt. Se ſe in primis offerunt duo Dauidis filij Amon, & Abſalon: ille dum nimis ſororem amat, incidit in barathrũ peccati, hic pro dilectę caſtitate ſollicitus perpetrat parricidiũ. Vtinã neuter operã legi adeo immoderatè obſeruandæ daret, forſam in tã execrabilia nõ corruiſſent delicta. Elegãter D. Ambr. Pſalm. 58. fatur de iſtis. *Alter ad inceſtũ accenſus de germanitatis affectu, alter ad parricidium armatus eſt, ſtudio caſtitatis. Quem admodum illos in grauiſſimis criminibus confinia Iuſere virtutum. Vtinam aut ille ſororem non amaſſet, aut hic non vindicaſſet.* Solet virtutum exceſſus maiora parturire mala, quam vitia parturiunt, & vt bene notat Cellenſis Abb. de Pan. cap. 5. *Quandoque grauius ægrotatur ex ſuperabundantia, quam ex inopia; facilinſque vacua corpora replentur, quam exinaniuntur.* Hoc & in corporali, & ſpirituali ſalute quotidie experimur. Pro quo accipe modo D. Petrum in prætorio Cayphæ, magiſtri negatione factũ imbecillem, & miſere ægrum ex amoris defectu. Sed vide quam facilè impletur, quam facile ſanatur: ait Luc. 22. *Reſpexit Dominus Petrum; & egreſſus foras fleuit amare.* Vel diuinorum oculorum nutu, Petrus ad priſtinam ſanitatem reducitur. Longè aliter apud Matth. cap. 16. cum verba faceret Ieſus de ſua morte, Petrus feruide ſeſe opponit, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quid tunc Ieſus? *Qui conuerſus dixit Petro: Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es.* Quid aſperius? Quid durius? Negatorem nutu oculi conuenit, & amatorẽ contumelijs plectit; vbi negat, erat amoris defectus, vbi à cruce arcet, erat amoris exceſſus, & grauius damnum timerur ex ſuperabundãtia, quam ex defectu; & ideo vehementius medicamen apponitur, vbi cernitur amoris exceſſus. Pulchrè Chryſolog. ſerm. 27. *Non tibi hoc erit Domine, dicens: Triumphum crucis vacuare contendit, cum feruere ſe nimio amore mentitur.* Expende illud: *Nimio amore*: vt videas, quam cauendus virtutis exceſſus, qui in Petro vacuare volebat dominicæ crucis triumphum, & à Deo tam acrem reprehenſionem inflictam ſubiuit. Vę qui excedit in virtutum culmine, nõ itur inde, niſi in maxima præcipitia. Quapropter ſic monebat perfectionis aſſeclas D. Baſil. de Vera virgin. inquiens. *Vbique diligenter intuens, quomodo caute ambules, non vt inſipiens, ſed vt ſapiens, quoniam in medio laqueorum ambulas, & ſuper pinnas vrbium tranſis, cautius prouide, ne forte dum negligis, injcias in laqueum pedem tuum, ne ruens à muro ciuitatis noſtræ malè pereas.* Expende illud, *ruens à muro*: qui enim in virtutis culmine cadis, ne reputes caſum communem, ſed quilibet caſus ibi eſt præcipitium, quaſi ab altiſsima turri. Vndè virũ perfectum frigeſcentem monet Apocalyps. 3. *Memento vnde excideris*; vndè dicit, vt altiſsima ſui præcipitij culmina meditetur, quod notans Victorinus, ait. *Qui cadit, de alto cadit, ideo dixit, vnde.* Ex virtutum confinibus qui excidunt, neſciunt meditari niſi præcipitia, ingentia flagitia. Veniat modo tibi in mentem Lucifer ille, qui mane oriebatur, vbi in paradiſo Dei erat omnibus ſublimis virtutibus, dum ibi excidit, quam audax, quam efrons fit? Iſaias 14. qui dixerat: *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero altiſſimo.* Hic, hic ipſe diabolus factus vitiorum omnium ſentina apud Marc. cap. 5. dicit Ieſu: *Mitte nos in porcos.* Inter Angelicas virtutes excidens audet, vel renuente Deo velle ſurripere thronum diuinum, inter diabolica vitia non audet intrare in porcos, niſi de licentia diuina. Quod notat Arnoldus Carn. de opere ſex dierũ, inquiens. *Qui dixerat: Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero altiſſimo; tamen neque in gregem porcorum audet intrare, niſi permiſſus.* Eu quam audaciores ſunt in crimina filij lucis, vbi excidunt, tenebrarum filijs! Quã maiora mala oriri ſolent à virtutũ exceſsibus, quam oriuntur à vitiorum ſentinis.

Pſalm. 58. *Cellenſ.* *Luc. 22.* *Chryſol.* *D. Baſil.* *Apoc. 3.* *Iſai. 14.* *Marc. 5.* *Arnold*

§. XIIII.

Cauenda eſt magis familiaritas cum hominibus peccatoribus, qui habent aliquam ſpeciem virtutis.

INTER omnes gentes vicinas, Samaritanos Iudei maximè abominantur, maximèque illos cauent, & crediderim non id odium acciſſe,

disse, absque mágna Dei prouidentia, qui in populo suo conseruare volebat veram religionem, & pietatem. Etenim Samaritæ specie aliquam Hebraicæ religionis habentes, magis damnosi existerent Iudæis; qui cum viderent illos sub libris Moysi gaudentes, de eodem patre Abraham gloriantes, eundem Messiam sperantes, facile eorum etiam biberent idololatriam. Hinc illos maximè auersabantur nutu diuino, ne colorata inæscarentur insania.

Deuter. 13. Sic Deus Leuit. 13. legem ferens de leprosis, iubet, quod is, qui totus à lepra candet, posset inter conciues suos versari: atqui non totus, sed ex parte solum candet, is debeat à conuictu hominũ separari. Cuius legis occasione quæstionem tractat Theodoretus, & est 16. Cur si lepra tota causa separationis est: ille solũ separatur, qui ex parte leprosus est, & qui totus lepra afficitur, is admittitur? Cui respon-

Theodoret. dens, ait: *Hoc continet figuram rerum spiritualium. Siquidem lex diuina, nec edere quidem permittit cum fidelibus peccantibus, cuius rei testis est diuinus Apostolus. Si is, qui frater nominatur inter vos, sit fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax cũ huiusmodi nec cibum sumere. Cum infidelibus autem ad conuiuium inuitantibus manducare nõ prohibet. Sic itaque Apostolus ait. Si quis infidelium vocat vos, & vultis ire, omne quod vobis appositũ fuerit, edite.* Magis equidem sunt nobis cauenda fidelium vitia; quæ de apparenti virtutum similitudine commendantur, & dum non fugiuntur, nocentiora sunt. Hinc illud Dei odiũ in tepidos oritur; quos à domo sua

Apoc. 22. confestim eliminat; Apocalyps. 2. *Vtinam calidus esses, aut frigidus; nunc autem quia tepidus es: incipiam te euomere.* Non sic pernicioli sunt in Dei domo, qui peccati gelu omnino obriguerunt, quam tepidi: frigus enim peccati per se solum ab omnibus cauetur, & sic pene nullam perniciem affert; at frigus peccati, calore aliquo virtutũ temperatum, vt in tepidis est, non fugitur, non cauetur, imo de calore commendatum ad se allicit innumeros, & in perniciem trahit. Pulchra id similitudine aucupij

Cæsar. explicat D. Cæsar. hom. 35. fatus. *Tales tepidorum animas ad inobedientiam, vel superbiam praparat as diabolus omni lumine veritatis, & charitatis excæcat, & quasi venator robustissimus, & auceps callidissimus, velut indices sibi ad capiendas etiam sanctas animas aptat, & præparat. Quo modo aucupes facere solent, qui columbas, quas prius ceperint, excæcant, & surdas faciunt: vt dũ ad illas reliquæ columbæ conuenerint: præparatis retibus capiantur: ita hostis antiquus de tepidis exercere cõsueuit: vt cum eis oculos patientiæ clauserit, ignemque compunctionis, vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit gloriari, ad aliorum perditionem, & velut indices, eos in exemplũ proponit, ac præparat.* Pereunt quotidie aues indicis similitudine tractæ, & captæ: quisquis ergo sapis, attende diaboli venationem; attende laqueos, caue tibi particulari cura, & diligentia à tepidis, hoc est ab illis peccatoribus, qui aliquid de virtutum calore habent, vtpote qui valeant sanctis perniciem inferre animabus. Hinc Augustinus ferm. *Augst.* de verbis Domini, secundum Matth. 8. cap. 16. fatur. *Quia membra Christi facti estis, admoneo vos; timeo de vobis, non tantum à paganis, non à Iudæis, non ab Hæreticis, quantum à malis Catholicis.* In illorũ enim vitia, qui alioquin nobis similes sunt, facilè trãsimus: quippe in omni etiam naturali conuersione dicit Philoso- *Phil.* phus lib. 2. de Generat. & corrupt. *In habentibus symbolum, facilius est transitus.* Ab his ergo fugiat, qui nolit mutari.

Text. Respondit ei Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitam petisses ab eo; & dedisset tibi aquam viuam.

§. XV.

Electorum in Christo signum in perfecta charitatis vnione consistit.

MALE noũerat promissum in lege Saluatorem, & Redemptorem, quæ Iudæorum, & Samaritanorum discrimina prætendebat, ne vel in aquæ potu communicarent. Etenim vbi quis nouerit donum illud Messiæ à populo expectatum, & venisse, & mulieri Samaritanę adesse, plane sciet in Christo Iesu nõ esse distinctionem Iudæi, & Græci, quando conspicuum electorum signum consistit in vnione perfecta charitatis. Hoc signum precabatur Dauidi Abigail 1. Reg. 23. quando ait: *2. Reg. 23.* *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum tuum: Porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.* Quibus verbis electorum, & reproborum signa elicit, vel ab vnione, vel à singularitate. Vt meritò dicat Eucherius. *Iustos* *Eucher.* *fasciculo, reprobos lapidi fundæ assimilat. Fasciculus enim constringitur, vt integer maneat, & conseruetur: lapis in funda expeditus ponitur, vt abjiciatur.* Quid pulchrius? Lapis in funda est, nõ fundæ assutus, nec alligatus, quia inde proijciendus: virga in fasciculo est fortiter alligata, ne possit inde separari. Sic qui cęlestibus

asser-

asseruatur, in viuentium fasciculo est, mille vinculis cum fratribus alligatus, sed qui proijciendus est, diuisus est, & ab omnibus separatus. Paul. ad Ephe. 4. *Studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Vinciatur necesse est, qui regno asseruatur: sed vinculo charitatis. Merito dicit Psalm. 13. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quippe in vnitate bonorum signum explicatur. Ita D. Bernard. serm. 5. in Assumpt. Mariæ, aiens. *Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo, qui vnus est, acceptum profecto non erit. Scriptum quippe est: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vnitas bonorum insigne; vnitas vni Deo placet: vnitas nescit esse sine Deo. Matth. 8. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum.* Nulla est mora, & vnitas est, & ibi Deus assistit. Origen. in cat. *Non dixit in medio eorũ ero, sed sum. Mox enim vt aliqui consenserint, Christus inuenitur in eis.* At volat Christus ad eos, qui vinculo charitatis vniuntur, qui enim diuisi sunt, tenebrarum auibus escam subministrant. Genes. 15. sumuntur pecora ad sacrificium, & Abraham: *Tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Quid plura? Ecce tibi funeste mille volucres ad diuisas carnes festinant. *Descenderuntque volucres supra cadauera, & Abraham abigebat eas.* Nullo sic inescantur aues malignæ, quam diuisione. Id notat D. Isidorus in Genes. cap. 12. inquiens: *Per volucres descendentes super corpora, quæ diuisa sunt, spiritus immundi significantur, pastum quendam suũ de carnalium diuisione quærentes.* Vbi diuisio est, ibi esca paratur auibus malignis, nec tam occior venit vultur ad morticina, quam spiritus maligni veniunt ad diuisos. Pascuntur diuisionibus immundi spiritus: verum vbi est concordia, & vnitas ibi diuinus spiritus cubat, qui antiquitus super congregationes aquarum cubabat. Act. 2. de Spiritus sancti Aduentu dicitur. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* Linguarum omnium congregationem ibi audio: de spiritu aduenient̃e vbi dicitur? Pulchrè D. Leo serm. 1. in Pent. ait *Nec dubium sit in illo omnium humanarum vocum conuentu; maiestatem Spiritus sancti fuisse præsentem.* Et adeo diuinus Spiritus inest vnitati fidelium, vt eos in se mediante vnitate transformet, & faciat diuinos. Quo pungebat Apostolus Corinthios se se diuidentes, quasi per diuisionem à diuinitate excidissent. Etenim ait, 1. ad Corinth. 3. *Cum enim dicitis: Ego sum Pauli, ego Apollo, nonne homines estis?* Quasi homines vilipendit Apostolus eos, qui se diuidebant: quod notans August. tract. 1. in Ioann. ait. *Quid eos volebat facere; quibus exprobrat, quia homines erant? Vultis noscere, quid eos facere volebat? Audite in Psalmis. Ego dixi dij estis.* Dij sunt, qui vnitate vigent: à qua vbi excidunt, in hominum miserias incidunt.

Ad Eph 4.
Psalm. 13.
Bernard.
Matth. 8.
Origen.
Genes. 15.
Isidor.
Genes. 22.
D. Leo.
Act. 2.
Corinth. 3.
D. Aug.

§. XVI.

Diuina dona excitant nos ad alia, & alia petenda.

EO ipso, quod quis ab homine plura beneficia obtinuit, & dona recepit; & erubescit, & timet amplius petere, veritus ne benefactori suo ingerat molestiam. Sic dona humana coarctant, & angustant animum plura petendi. Longè aliter diuina dona, quo plura aduenium, eo efficacius excitant homines, vt alia petant. Adeò vt, qui nouit in se diuinum donum, quasi securus reddatur, quod reliquæ suæ petitiones sint audiendæ. Ita D. Ennod. lib. 5. epist. 16. post beneficiũ acceptum orat: *Deus bone, indulta custodi, auge successibus, quod dedisti. Percipio spe futura, quæ deprecor; nescit in foribus hærere, quæ cælo auctore tribuuntur, semper incrementis ad culmen ascenditur, vbi superuus fauor præstat exordium.* Ne dubites, quin si scires diuinum donum, & alia petere, & obtineres plura, quando diuina beneficia nesciunt hærere in foribus; sed quæ prima veniunt, te vrgent, vsque dum vltima obtineas. Nouerat diuinorum donorum naturam Dauid Psalm. 4. vbi inquit. *Cum inuocarem, exaudiuit me:* & post pauca iterum ait: *In tribulatione dilatasti mihi, miserere mei, & exaudi orationem meam.* Dixerat se exauditum, quod sane nouerat ex accepto iam beneficio: & statim se dilatatum ostendit ad noua petenda, no uiterque clamat, exaudi orationem meam. Quod notans Hesychius in Cat. Græca, ait. *Quia non semel, sed assiduo Christum orare opus habemus: non enim eius in nos simul dona proficiscũtur, sed ea singillatim, ac ordine quodam accipimus.* Bene Dauid de donorum diuinorum affluentiam agens, vocauit. *Stillicidia stillantia super terram*, quasi Hispaniæ diceret; *vna perpetua gotera.* Etenim ait, Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Et quidem pulchra similitudine Dei benignitas ibi exprimitur: pluuia enim se se totam prius effundit, deinde effuso pluuiæ impetu, non subito aqua cessat, sed manet stillicidium, quo tectorum canales guttatim aquã stillant. Sic Deus vbi beneficiorum suorum venas aperit, in primis nos perfundit beneficijs, nec primo beneficiorum impetu cessat, imò semper manet, sicut stillicidium alia, & alia concedens. Huc voco illud Machabæorum 2. cap. 8. vbi re-

D. Ennod.
Psalm. 4.
Hesych.
Psalm. 11.

Machab. 8. censitâ victoriâ, quàm Iudas Machabæus de Nicanore reportauit, interficiens super nouem millia hominum, & pene immensum exercitum dissipans, ait. *Sabbatum agebant, benedicentes Dominum, qui liberauit eos in illo die, misericordiæ initium stillans in eos.* Notanter ait, *misericordiæ initium stillans*, quasi misericordiæ diuinæ exhibitionem nolit referre ad pluuiam, quæ vnico præterit impetu, sed ad stillicidiũ, quod guttatim, & sæpe cadendo se se multiplicat: in quo quasi catenatæ guttæ vna aliam trahit. Sic beneficia à Deo in nos proficiscuntur, vnum post aliud, primum semper quasi catenatum affert secũdum, adeo vt ex hoc cognosci possint virtutis munera, si alia alijs succedant, vt nulla reputentur fuisse, quæ non habuere secunda. Ester, cap. 6. dum historiæ legerentur Assuero, ventum est ad Mardochęi fidelitatem, qua regi suggessit Eunuchorũ insidias: *Quod cum audisset rex, ait. Quid pro hac fide honoris, & præmij Mardochæus consecutus est? dixerunt ei serui eius, ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.* Quæstionem hoc facit Chartusiano, quomodo nihil mercedis dicatur Mardochæus recepisse, præcipue cum cap. 12. vbi istius fidelitatis mentio fit, etiã & merces ponatur pro illa data, ait enim. *Præcepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Itaque commoratio Mardochæi ad fores palatij, de munere regis venit pro delatione rebellium. Cur ergo dicitur Mardochæus, nullam mercedem accepisse? Equidem non censebatur regium donum, quod pro tanta virtute exhibitum primo in limine hæsit, nec secundum habuit, nec vllum incremẽtum accepit. Quippe adduxit virum fidelem ad fores palatij, sed nihil vlterius dedit, ideoque meritò censetur tam angustum virtutis præmium, quando verum est, quod *nesciunt in foribus hærere, quæ cœlo auctore tribuũtur, semper incrementis ad culmẽ ascenditur*; vt vel ex augmẽtis cognoscatur iam munus diuinum. Sapienter enim Aman consiliarij, vbi inopinatè Mardochæum honorari à Rege viderunt, eius gloriæ Aman seruienti aiunt, cã. 6. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, antequam cadere cœpisti, nõ poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.* Quippe nobis Israelitarum Deum pulchrè definiunt, cuius misericordiæ nesciant inhærere foribus; cuius beneficia catenata veniãt, nec fieri potest, vt vnum non habeat secundum.

Ester 6.

Cartus.

§. XVII.

Quæ Deus petit à nobis, eadem se se obligat præstare, imò potiora.

SI scires, ait, quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu petijsses ab eo, & daret tibi aquã viuam; se enim quasi obligatum recognoscit Deus, vt quę à nobis accipit, eadem largiatur. Quod in præsenti notat D. Chrysost. aiens. *Bibere poscit, non viuere volens, sed potum dare; da mihi bibere, vt tibi dem bibendam aquam immortalitatis.* Huc spectant petitiones, seu exactiones diuinæ, quod homines ius habeant, vt eadem à Deo possint sperare. Nunquam, mihi crede, à suis hominibus aliquid Deus sumeret, vel postularet, nisi eadem voluisset ipse præstare. Ioann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est.* Et carnem accepit, & filius hominis factus est, sed non prius, quam dedisset potestatem hominibus, vt se se Dei filios ipsi faciant. Pulchrius Genes. 22. dixit ad Abrahamum. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac: & offeres eum in holocaustum.* Quæ durior exactio? Aparente petitur vnicus, & dilectissimus filius: & petitur vnicus filius, vt morti tradatur. Verum non duritiem exactionis, sed immensam exactoris largitatẽ debemus põderare, quando idem, quod petit, parat ipse hominibus præstare. Chrysostom. in præsenti, ait. *Ait Deus ad Abraham, da mihi filium tuum dilectum Isaac dilectum, non quod accipere filium vellet, id dixit, sed quod proprium filium orbi terrarum largiri vellet. Da mihi vnigenitum; immola filium, non vt immoles, sed vt filiũ meũ vnigenitũ immolem.* O immensæ charitatis ingenium! Petitiones præmittit, vt dona exerat, simulat requirere nostra, vt nobis largiatur sua. De similitudine dati, & accepti immẽsum gloriatur, quando à nobis sumit, quod ipse largitur. Luc. cap. 2. de Iesu, inquit. *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* Et Patribus semper fecit quæstionem, quod filius Dei voluisset nasci de coniugata, quando nascebatur de Virgine, si virgineus partus astruendus erat, & publicãdus, cur requiritur maritus? Voluit equidem Deus matri virgini esse maritum, vt adoptionem filij à matris viro quæreret, qui filiorum Dei adoptionẽ præstabat hominibus. D. Anselm. in præsenti dicit. *Vt putabatur filius Ioseph. Meritò & adoptionis originem ipse accepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei.* Sic vult recipere, quod largitur; sic à nobis petit, quæ ipse tractat munera effundere. Minus dixi, à

Chrysost.

Ioann. 1.

Genes. 22.

Chrysost.

Luc. 2.

D. Anselm.

nobis

nobis petit, quæ ipse tractat munera effundere. Minus dixi, à nobis enim parua petit, vt præstantissimæ suæ charitatis dona nobis effundat. Petit aquam putealem, daturus aquâ viuam salientem, imò salire facientem in æternam vitam; petit adoptionem filij hominis, pro filiorum Dei adoptione, quam nobis communicat, vt D. Augustin. fatur, serm. 64. de verbis Domini. *De suo filius Dei, de nostro filius hominis. Quod minus est, à nobis suscepit, quod plus est, nobis dedit.* Quam longissimè superantur humana obsequia muneribus diuinis. *August.*

§. XVIII.

Orationes nostræ nunquam à Deo exeunt vacuæ, de quarum efficacia non dubitandum.

EXPENDO illa verba, *tu forsitan petisses ab eo, & daret tibi*, non enim ait, & forsitan daret tibi, sed absolutè inquit, & daret tibi. Quippe dubitari posset, an oratio futura sit, sed minime dubitandum est, quod oratio ex Deo donum impetret. Per oraculum acceperat Rebbecca, Genes. 25. quod è duobus, quos in vtero habebat filios, *maior seruiet minori*; tamen notans maritum propensum in filium maiorem, summo studio curauit illius benedictionem furari minori filio. Sed cur Rebbecca sic sollicita est de promouendo filio minori, quando eius promotionem certam sciebat ex diuino oraculo? An non adeò fidem plenam oraculo adhibebat? Absit: credebat sanè oraculo, sed timebat plurimum mariti orationes, ne pro solita efficacia omnia turbarent. Ita Gennadius in Cat. Græc. fatur. *Si oraculum, quod à Deo acceperat, pro certo habebat, cur tam sedulo in patris benedictione laborauit? An, quia certior esset, quantum momenti inesset in iustorum benedictione? Quorum preces, vel propositum Dei rescindere possunt.* Quasi facilius credi posset verbum Dei, quam sanctorum orationes frustrari. Indubitata est orationis efficacia, quæ vel Dei propositum posset rescindere, ne vacuâ maneat. Quis vnquam orauit, & vacuus sine dono mansit? Nec mirũ, quod oratio adeò efficax sit, quando & ipsa orationis intentio, & solus ad orationem gressus, iam de futura oratione miracula patrat. Actor. 3. dicitur. *Tunc Petrus, & Ioannes ascendebant circa horam orationis nonã. Et quidem vir, qui erat claudus, &c.* Vbi claudi istius curatio fusius narrarur. Nec mysterio vacat, quod notetur orationis hora, imò inde insinuatur orationis efficacia, de qua venit, vt qui ad orandum ibant, in ipso gressu salutem claudi impetrarent. De quo pulchrè D. Basil. Seleu. orat. 21. ait. *Orationis appendix erat claudi curatio, & captus ad orationem cursus iacenti claudo inopinatum cursum attulit.* Quis de orationis impetratione dubitauit, quando vel ad orandum cursus salute manat? Multus est Deus in ostendendo, quam sit efficax oratio, quam certũ sit, quod oratio iusti pertingat cœlos, quam indubitatum, quod penetret vsque ad solium Deitatis. Hinc post Iobi luctas accedente Domino, ait cap. 40. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit*: quę verba sic referuntur in Caten. Græc. *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes* Non solum Deus se sistit Iobo, sed & nubes sistit, vt è nubibus loquatur, in quo multum Iobi precibus existimo datum. Admonuet enim Deus thronum suum oraturo, nequa dubitatio oriri possit, quod oratio iusti Deum tangat. Accipite Chrysostom. in Cat. Græc. fantem. *Puta, quod cœli symbolum, ac nota sit nubes. Quando igitur cœlum ipsum vult Iobi vertici imminere, ferme solium suum prope Iobum admouet, quo mentem eius erigat, nec vocem ferri superne ambigat.* Procul esto ab oranti omnis dubitatio; penetrat cœlos dubio procul iusti oratio; is est Deus, qui totum cœlum inclinat ne suorum vox deficiat inanis. Et quasi nullum sit medium certius, nec securius ad diuinam voluntatem sollicitandam, quam oratio; sic nullum lapidem non mouet Deus, vt nostra ad illum oratio dirigatur. Cum ob Dauidis peccatum, pestis Ierosolymis grassaretur, misertus Deus populi, ait percutienti Angelo 1. Paralipom. 21. *Sufficit, iam cesset manus tua.* Quid tunc? Nonne satis erat secura, & certa populi sanatio, de imperio Dei quid amplius expectatur? Expectatur autem populi oratio, quæ vt fiat, omnia molitur Deus, ferientem Angelum oculis Dauidis apparere facit. *Leuansque Dauid oculos suos vidit Angelum Domini stantem inter cœlum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem, & ceciderunt tàm ipse, quàm maiores natu vestiti cilicijs, proni in terram. Dixitque Dauid ad Deum. Nonne ego sum, qui iussi, &c?* Quando iam à Deo decreta erat sanitas, quando iam Angelus iussus fuerat cessare, cur adhuc apparet Angelus? Et cur feriens apparet? Quid his molitur Deus? Omnis hic apparatus sit, vt oratio extorqueatur, qua posita non amplius diuina dona morantur. Ita Ambros. in Psalm. 37. ait. *Si mandauerat Dominus Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Nisi quia Dominus, cùm vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur, operatur. Nec vidisset homo Angelum ferientem, nisi Dominus eius oculis Angelum reuelasset.* Itaque

Genes. 25. *Gennad.* *Act. 3.* *Basil.* *Iob 40.* *Græc.* *Chrysost.* *1. Paral. 21* *Ambros.*

Dei operatio fuit, vt Angelus ãppareret Dauidi, quo viſo procumbens Dauid, & orationi vacans, ſine mora, ſine dubio obtineret miſerationis gratiam. Iam non miror, quod Paulus, gentium doctor, & electionis vas tantum tribuat fidelium orationibus, vt earũ quærat erga Deum ſuffragium. Ad Coloſſ. 4. ait. *Ad orationem incumbite vigilantes in ea, in gratiarũ actione, ſimul etiam pro me orate.* Hæc verba no tans D. Chryſoſtom. orat. 2. de Precatione, ita loquitur. *Quid ais? tantam nobis audaciam preces tribuunt, vt Deum pro Paulo ſupplicare audeamus? Quis miles regem pro ſummo duce audeat ſupplicare? At nullus dux regi ita charus, & amicus, vt Paulus Deo. Sed tamen preces tãtum nobis afferunt dignitatis, vt diuinum auxilium Paulo implorare non dubitemus.* Quid pro orationis & efficacia, & dignitate amplius poteſt excogitari? De orationis noſtræ virtute, etiam Paulus, dum in terra ageret, potuiſſet ſperare. Nec minus valet oratio ad depellenda omnia mundi tela, quam ad Dei dona expiſcanda; imò quę ad trahendum hamus eſt, ad protegendum pro inſuperabili aſylo valet. Turbæ à Ieſu ſaturatæ ſurgunt à prandio, vt rapiant Ieſum, vt regem faciant: prænouit id Dominus; & cauens ambitionis hæc tela, Ioa. 6. *Fugit iterum in montem ipſe ſolus*; qui fugit in montem ſolus, ad orandum ſe recipit, quaſi oratio hæc iacula depellere valeat. Ita Gualricus Abbas ſerm. 3. in Ramis, fatus. *Cum vellent eum rapere, & facere regem, & ipſe & refugit, & in ſolitudinem ad orandum aufugit.* O quam ſecurus degit ſub orationis armis ab omnibus mũdialibus iaculis.

Coloſſ. 4.
Chryſoſt.
Ioan. 6.
Gualric.

§. XIX.

Exigua, & parua dona noſtra, perennem bonorum affluentiam ex Deo acquirunt.

AQVAE poculum Deus petit, vt viuidiſſimam cœleſtis aquæ venam tribuat; ſic exiguis, & paruis donis noſtris ingentes comparamus à Deo bonorum ſcaturigines. A Sareptana illa vidua petit Elias: *Da mihi pauxillum aquæ in vaſſe, vt bibã: & buccellam panis in manu tua.* Parua hæc obtulit felix mulier, ſed audiamus, quid retribuerit Propheta. *Viuit Dominus, quia hydria farinæ tuæ non deficiet, & vas olei non minuetur.* Ibi eleganter Eucherius. *Facta eſt igitur manus viduæ perenne torcular & mola iugiter fundens.* Ecce tibi, quid vaſculum olei, quid parum farinæ prophetę Dei exhibitum proferat, quid parturiat: accepit manus mulieris parum olei, parum farinæ, vt porrigat Eliæ, & facta eſt mãnus viduæ perẽne torcular, facta eſt mola iugiter fundens. Imprimit Deus paruis munuſculis noſtris pauperi exhibitis ineffabilem quãdam perennitatem, viuidam quandam virtutem, quã nunquam deficiant. Prouerb. 13. *Subſtantia feſtinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Pulchrè Hebraica lectio ſonat, ita dicens. *Cõgregans vſque ad manum multiplicabitur.* In quibus expendo illud, *vſque ad manum*, non quæ vſque ad marſupium, vt ibi incarcerentur, ſed quæ ſolum ad mãnum perueniunt, ſemperque ſunt præ manibus, vt dentur pauperi; hæc non cures quantula ſint: nam, vt viuidi fontes, ſemper de ſuo creſcũt, & multiplicantur. Millia quinque hominum expectabant à Ieſu alimoniam; cui ſolum quinque parui panes erant in penu. Quid plura? *Cũ accepiſſet Ieſus panes, &c.* Ioann. 6. accepit in manu panes Ieſus, & augmento profluo panum cophini replebantur. Facit D. Chryſoſt. queſtionem, vbi hęc perẽnis panum ſcaturigo fiebat, an in Ieſu manibus, an in cophinis? Crediderim factam fuiſſe in ipſis Ieſu manibus, quippe in manu porrecta ad donandum Deo, parua munuſcula affluentem recipiunt perennitatem. Pulchrà in præſenti dat verba D. Baſil. Sel. orat. 33. *O quas tunc res videre fuit! Panes pariebant panes; & menſæ alimento extemporario differtæ erant, panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu effloreſcebant.* Vacat ruſticanus ſudor, vacat aratrum, vbi extenditur manus pauperi, vbi extenditur manus, vt aliquid Deo offerat; hæc manus efficitur vena iugiter fundens; in hac manu paruulum munuſculum nobilitatẽ acquirit pariendi, qua ſeſe in immenſum multiplicat. Promiſſum erat Abrahæ ſeni à Deo filiorum examẽ, quod de numero poſſet cum ſtellis contendere. Ait enim Dominus, Geneſ. 15. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei, ſic erit ſemen tuum.* Factus eſt igitur Abraham in ſenectute pater Iſaaci, ſenilibus vlnis portabat promiſſionis filium, lætabatur de iuuene floreſcenti, & ecce tibi cap. 22. ait Abrahamo Dominus. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Proh Deus immortalis! Hęccinê eſt illa promiſſio de multitudine filiorum? Nonne Iſaac eſt in quo filiorum fundantur examina, quæ exortu nouo quotidie repleant mundum? Cur ego Iſaac iubetur offerri in holocouſtum, nonne ſic peribit promiſſio? Nonne ſic viuida parturitionis vena prorſus exſiccabitur? Abſit: imò tunc maxime indefectibilis generationũ vena aſtruitur, cum Iſaac offertur Deo, tunc firmius fundatur promiſſio de multiplicatione filiorum, quan-

4. Reg. 6.
Eucher.
Prou. 13.
Ioann. 6.
Chryſoſt.
Baſil.
Geneſ. 15.

quãdoquidem grande omne augmentũ perẽnitatem accipit in rebus, quæ Deo Optim. & Maxim. offeruntur. Nouerat hoc ſanctus ſenex Abraham, qui nunc primum legitur vocaſſe Iſaacum filium, & paucis verbis bis illum filium vocat, *Dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi: At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: vbi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Dominus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* Ecce tibi, quam paucis verbis interpoſitis oblaturus Iſaac Deo, bis illum filium nominat; duplicat ſane tunc filij vocabulum, quaſi de oblatione filij, multiplicationem filiorum certiùs ſperet. Ita D. Ambroſ. in Cat. Lyppom. fatur: *Vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis ſoliditate fundatus, & hoc ſibi in perenne manſurum iudicauit filium, ſi eum immolaret Deo.* Habent hoc quæcumque Deo offeruntur, vt inde perennitatem acquirant, adeo vt tunc maxime offendas Deum, ſi munus ei offeras, cui augmentum repugnet. Vniuerſa bona de Amalec decreuerat Dominus, vt perirent: Saul autem 1. Reg. 15. vt expugnauit Amalec, pinguiora pecora reſeruari iuſſit, vt Domino offerret: ſic enim ait. *Pepercit populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino.* Quo facto iram Dei ſibi acquiſiuit, & amiſsionem regni; ſed mirabere, quod tantam Dei iram meruerit Saul, ſolum quia Amalecitarum pecora Deo offerebat. Vndè tam grandis hæc culpa? Sanè, qui Deo offerebat munera perditioni deſtinata, quibus nullum augmentum poterat euenire, ſed ruina, ſed perditio, non cogitabat Deo oblata munera poſſe gloriam perennitatis, iugiſque affluentiæ accipere, ſed ſicut alia, funditus interire: quo ſibi ingentem Dei iram acquiſiuit. Sic Samuel Sauli dixit apud Ioſephum lib. 6. antiq. cap. 7. *Quibus oculis putas Deum inſpecturum ſacrificium ex rebus perditioni deſtinatis; niſi forte idem eſſe putas perire, & immolari Deo? Qua propter expectabis amiſsionem regni.* Sic offendit, qui in Deo oblatis, profluum non ſperat augmentum, quo ſemper durent, & ſeſe multiplicent.

Geneſ. 22.

Ambroſ.

1. Reg. 15.

Ioſeph.

§. XX.

Cui ſemel benefecit Deus, iam quaſi ex conſuetudine ſemper benefacit.

RVRSVS nota illam conſequentiam; ſi ſcires donum Dei, peteres, & daret; quaſi manus Dei ſemel aliquid donantes, iam inde aſſuetæ ſemper ſimiliter dabunt. Poſt creatũ hominem Geneſ. 2. dicit textus, quod *Tulit eũ Dominus, & poſuit in paradiſo voluptatis.* Hoc notantes antiqui Patres, cum poſtea audiunt Enoch, & Eliam à Deo fuiſſe ſublatos, ſimiliter putant poſitos eſſe in paradiſo voluptatis; manus enim Dei ſemel ibi conſtituentes homines, cum iſtis non diuerterent aliò. Pulchrè D. Irenæus lib. 5. fatur. *Et plantauit Dominus in Eden paradiſum contra orientem, & poſuit ibi hominem. Qua propter dicunt preſbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos, qui tranſlati, illuc tranſlatos eſſe. Aſſuetæ enim erant in Adam manus Dei baiulare ſuum plaſma, & ponere vbi ipſe vellet.* Inde eſt, quod volens Deus interſeuientem iram, multa hominibus donare, poſt effuſas veris temporis & delitias, & diuitias, parat immediatè effundere mortale diluuium: vt vel ſic manus aſſuetæ effundere terræ fructus, & dare mortalibus beneficia, etiã inter effundendum diluuium, quaſi non poſſint, non alia etiam beneficia elargiri. Id meditans D. Ambroſ. lib. de Noe cap. 4. inquit. *Simul veniam temporis ratio promittit, quod etiam iratus admoneatur, tam præcedentibus cauſis beneficiorum ſuorum.* Etenim vbi præcedebant tot beneficia à diuinis manibus exhibita, quaſi non poterant, non rapi diuinæ manus ad alia præſtanda. An Deus ignobilior eſt homine? Abſit. Sed & Dauid toties ad mortem petitus, hoſtem ſuum dormientem poſſet lancea tranſfigere, ſed illi parcens arrepta ſolum lancea, & aquæ vaſſe, aufugit, neſciens mortem inferre illi, quem ſemel à morte, & infamia occiſſo Goliathe liberarat. Sic D. Athanaſ. in vita Antonij, ait. *Victor ille Goliathis ſe in fugam dedit, non de vindicta inimici cogitans, ſed nolens contra eum, quem beneficio affecerat, gladium mouere.* Sic manus etiam humanę ſeſe aſſueſcunt beneficijs præſtandis, vt cui ſemel benefecerint, neſciant iam non benefacere, imo ſemper quaſi ex conſuetudine benefaciant. An non idem ſperandum à Deo? Equidem ſapienter Tertullianus lib. de carnis reſurr. vt ingens reſurrectionis beneficium perſuadeat, illud ſuggerit Ioelis 2. quo dicit: *Effundam de ſpiritu meo in omnem carnem*, quaſi ex eo, quod ſemel Dei ſpiritus affectus ſit erga carnem, iam inde carnis illuſtrationem, & reſurrectionem præſagit. *Quoniam*, inquit, *Deo magis congruit in ſalutem redigere, quod reprobauit interdum, quam in perditionem dedere, quod etiam approbauit.* Solet enim Deus ſæpe colapſa, & colliſa redintegrare, à malo auertere in bonum manus, at quæ ſemel beneficijs præſtãdis manus incubuere, ſic ſeſe aſſueſcunt, vt quaſi ex conſuetudine ſolum nouerint beneficia præſtare. Nec is eſt Deus, quem beneficia ab illo profecta vel exhauriant, vel laxent. Quis dicat dona, quæ in prima orbis conditione congeſsit, vt homini

Irenæ.

Ambroſ.

Athanaſ.

Tertull.

Ioel 2.

præstáret? Fecit cœlum, & terram, & mare, addidit cœlestia omnia luminaria, insuper tot animantium genera, tot fructus arborum, tot camporum segetes, tot auri, gemmarumque thesauros, omnia hæc vni homini fabricauit. Quid plura? Post orbem homini conditum, post cœlestia omnia homini dicata, adhuc studet muneribus ampliandis, & quasi nihil fecerit, nouum hortum delitiarum omnium plenum meditatur. *Tulitque Deus hominem, & posuit illum in paradiso voluptatis.* Pro quo eleganter D. Basil. Seleu. orat. 2. ait. *Velut parturiens magnificentiæ suæ munera; & habere clausum penes se thesaurum impotens, non est contentus prioribus, neque rebus ante dilargitis sua munera circumscribit: neque donatoris desiderium vniuersa terra, & concessum mare satiauit: sed extructum manu sua paradisum, delitiosam sedem dilecto concesit.* Quo plura donat Dominus, eo magis properant ad alia, & alia donanda, munificentissimæ illius manus: adeò vt inde dies furoris, & iudicij moras faciat, quod iudicis manus nesciant ad virgam ire, dum donis exhibendis occupantur. Pulchrè D. Iustinus Mart. Dialogo aduersus Iudæos, meminit Eliæ ad Deum querelas, & Deum à supplicio impiorum abstinentem, quia ait, 3. Reg. 19. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua Baal.* Hæc, inquam, verba tractans Instinus sic in rem nostram fatur. *Quemadmodum igitur propter septem millia illa virorum non sumpsit tunc supplicium Deus; sic etiam his temporibus nondum iudicium profert, quod sciat, quotidie nonnullos in suo nomine informari, qui etiam dona, & munera percipiunt, pro sua quisque dignitate. Alius enim sapientiæ spiritum accipit, alius roboris, &c.* Quibus expendenda est maximè ratio, ob quam dicat iudicij diem dilatari, nimirùm, quia quotidie sunt, *qui dona, & munera percipiunt*; & diuinæ manus assuetæ benefacere, præcurrentes ad dona præstanda, dum horum se offert occasio, minime ad virgam, & flagellum leuantur.

Genes. 2. Basil. 3. Reg. 19. Iustin.

§. XXI.

Sola Dei dona vitam vndequaque inferunt: hominum autem dona non nisi è mortis vena prosiliunt.

DARET, ait Dominus, aquam viuam: & quid à Deo non viuidum existeret? Equidem vnus Deus è vitæ venis nouit sua educere beneficia; homines autem nihil præstant, nisi è mortis exhibitum faucibus. Stat in primis Herodes, qui, vt puellam saltantem muneraret, iussit illi afferri caput Ioannis. Id quod vehementer pungens D. Ambros. lib. de Nauuthe cap. 5. ait. *Dives erat, qui sibi ad mensam caput prophetæ pauperis iussit afferri: & aliud, vnde saltatrici premium solueret, non inuenerat, nisi vt pauperem iuberet occidi.* Ecce quas venas terræ fodiat mundus, vt suas congerat diuitias. Quas venas? Venas pauperum fodit, & de solo sanguine nouit habere, quæ præstet munera. Pulchrè Ecclesiasticus cap. 14. aiebat. *Hoc est testamentum mundi, morte morietur*; & bene omnia dona mundi sunt ex testamento, quæ nesciunt habere firmitatem, nisi de morte. Nil nouit dare mundus, quod non spiret mortem. Ioann. 19. clamabant Ierosolymitani Principes aduersum Iesum, dicentes. *Nos habemus legem, & secundum hanc legem debet mori.* Quę verba eleganter aptat cuilibet creaturæ D. Antonius de Padua aduersus singulos cultores suos. Ecce tibi ò pulchritudo hominem, qui diu, noctuque, æstu, & gelu, tuis aris astitit, pro te omnia bona consumpsit, quid huic dabis? Respondet pulchritudo; Nos habemus legem, & secundum hanc legem debet mori. Ad diuitias appello; Quid dabitis ò diuitiæ homini, qui se se vobis totum impendit? dicunt illico diuitiæ: nos legem habemus, & secundum hanc legem debet mori. Quid plura? Nullà est creatura, quæ similem legem mortis non ferat in hominem. Vnus Iesus Deus Opt. Max. vitam spirat homini. Nil à Iesu non spirans vitam. Threnorum 3. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus in gentibus, sub vmbra tua viuemus.* Quid non viuificans homines in Iesu, quando, & eius vmbra vitam dedit mundo? Ita D. Paschas. lib 4. in Thr. ait. *Quid igitur putas, quantum nobis aperta conferre poterit claritas eius virtutis, & sol iustitiæ, cum refulserit, si tantum contulit humilitas carnis, & exinanitio diuinæ maiestatis?* Quantum de Deo habes, tantum habes de vita; vita est, quæ Dei munera designat; siue ipsa diuinitatis claritas, siue vmbra vitam spirant, vt bene fateatur Ioann. 1. quod omne, *quod factum est, in ipso vita erat.* Oriente corporali sole, omnia mundialia reuiuiscunt, ita tamen, vt cadentibus vmbris, quasi iterum emoriantur, nigroque se colligant in sepulchro. Non sic de sole iustitiæ, cuius luce viuis, cuius vmbra etiam viuis. Vtinam vel vmbra tangaris Iesu, & in ipsius mortis faucibus auras potieris vitæ. De Iona in mare iactato, à pisce deuorato dicitur, cap. 2. *Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.*

Ambros. Eccles. 14. Ioann. 19. Threnor. 3. D. Pasch. Ion. 2.

Ecce

Ecce hominem in faucibus, imò in ventre beluæ viuentem, quis ibi potuit spirare vitam? Vmbra Iesu; vbi enim dicit tribus diebus, & tribus noctibus, iam ibi erat vmbra Iesu quiescentis in corde terræ totidem dies. Accipite D. Hilarium can. 16. in Matth. sic dicentem. *Hilar.* *Post triduum viuus emissus Ionas, non retentus à monstruo, non cibi conditione confectus, sed contra humani corporis naturam integer, & illæsus in auras superas virtute dominicæ præfigurationis euasit.* Expende illud: *virtute dominicæ præfigurationis*: non enim Ionas secum Iesum habebat, sed præstabat figurã, sed referebat vmbram, quæ valuit ipsum in ventre piscis viuum seruare.

Text. Dixit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vndè ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

§. XXII.

Suspecta sint dona vltro oblata, & ideo examinanda, ne forsan sub illis damnum lateat. Et quòd dona turpent fœminas.

DISCANT viri multis notam fœmineam prudentiam, quæ cum genus sint auidissimum munerum, & nimis promptũ ad promissis credendum; tamen sæpe inuenies in sacris voluminibus mulieres viris prudentiores in examinandis vltro oblatis donis. Nonne satis videretur ad trahendam fœminam illud superius dictum, nimirum, *& daret tibi aquam viuam*? Vbi dona præmittuntur, quis fœminam iam captam non credat? Sed sanè de sapiẽtiæ incarnatæ colloquio hanc ebiberat iam Samaritana prudentiam, qua de promissis dubitat, & acurate examinat eorum qualitatem, & possibilitatem. In his prima fœminarum fax Maria, vbi de filio Dei concipiendo nuntium accepit, statim donum examinans addubitat: *Luc.* *Quomodo fiet istud?* Quod rectè notat D. Greg. *Greg. Thau.* Thaumat. serm. 1. dicens. *Neque prius sanctissima virgo donum admisit, quam quis illud mitteret, & quod nam donum esset, ac quis ferret, addidicisset. Quæ dum secum velut anceps loqueretur, ait ad Angelum: Vnde sic nobis benedictionem apportasti? Ex cuiusuis thesauris verbi margarita nobis emissa est? Vnde nobis promissum materiam parauit*? Maxima sanè prudentia est, quæ non capitur splendenti donorum vultu: quæ nouit oblata dona cauere, & examinare. Antiquitus hæc erat virtus fœminis, cum iustitia originali indita; vt enim muliebre genus ad dona propensis est: sic sanctę mulieres hoc donorum cauto examine floruerũt præ viris. Ecce tibi Eua primęuo sanctitatis splendore imbuta, non statim adducta fuit, vt fructum comederet, sed serpenti suggerenti esum præceptum diuinum opponit, Genes. 3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus.* *Genes. 3.* Verum Adamus nihil tale obiecit, nec dum meminit, sed viso vxoris dono statim in escam ruit. *Deditque viro suo, & comedit.* Nihil examinas Adam? Nihil caues in dono? Non quęris, vndè fructus decerptus sit? Non recolis præceptum? Nihil tale fecit, sed viso dono continuo comedit. Hinc meritò Anastasius Synaita in Exameron cap. 10. fatur. *Anasth.* *Virilior Eua apparuit in transgressione mandati. Ipsa enim & sola restitit serpenti, & cum quadam obiectione, & cõtentione (calliditate superata) comedit ex ligno. Adam autem cum nihil omnino pugnasset, aut contradixisset, fructus fuit particeps dati à muliere.* Nihil in dono timuit, nihil cauit, nihil examinauit, vel hinc vxore sua infirmior, & imprudentior. Nec miror, quod fœminæ sibi plus caueant à muneribus accipiendis, quando in fœmina, vel donarij vmbra turpitudinem halat. Video Cant. 6. Angelos mirabundos de speciosо, & inculpali gressu Sponsæ, aiunt enim: *Cant. 6.* *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis*? Sed cur tam mirabilis, tã noua accidit Angelis pulchritudo, & speciositas sponsæ in calceamentis? Fallor, nisi insinuetur aliquid de amatorijs donarijs, quæ in ambitione calceamentorum refundi solebat. Id quod mihi indigitat lectio Lxx. Vaticana, iuxta quam non filia principis dicitur, sed *filia sponte dantis*. Mirantur ergo Angeli, & plurimum mirantur fœlicitatem diuinæ sponsæ, cui dilecti sui donaria pulchritudinem, & speciositatem afferunt, quando amatorum mundialium donaria, vel donariorum vmbra fœminas omnes fœdant, maculant. In hanc me coniecit mentem Clemens Alexandr. lib. 2. Pędag. cap. 11. fatus. *Clem. Alexandr.* *In calceamentis quoque superbæ, arrogantesque fœminæ magnam ostendunt mollitiem. Verè ergo turpia sunt illa sandalia: in quibus sunt aurea veluti donaria.* Expende illud, *in quibus sunt aurea veluti donaria*. Nõ enim donaria solũ, sed veluti donaria, sed donariorũ suspicio, & vmbra honestę fęminę turpitudinẽ, & maculã faciũt. Nullũ honestatis testimoniũ est, quod

non vincãtur vel à ſolo filo ãcceptõ ex homi
Geneſ. 39. ne. De Ægyptia illa dicitur Geneſ. 39. *In argumentum ergo fidei retentũ palliũ* (Ioſephi) *oſtendit marito reuertenti domum, & ait: Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi: cumque audiſſet me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras. His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis iratus eſt valde, tradiditque Ioſeph in carcerem.* Cuius quæſtionem facit, quòd maritus dicãtur nimis credulus verbis vxoris, cur nimis credulus eſt? Credit proculdubio vxori aduerſus ſeruum, credit vxori, vſque tunc ſibi maximè probatæ, credit inſuper vxori pallium ipſum ſerui præmanibus habenti, & proſe oſtentanti. Is nimis credulus eſt, qui tantæ vxori, tam probatæ, pallium præferenti ſerui credit? Vtique nimis credulus eſt, & barbariſsimus iudex, quando non pallium, ſed filum à viro acceptum in fœminæ manibus inuentum vniuerſa alia teſtimonia honeſtatis infamat. Quid fœminam excuſet, cuius in manibus viri pallium
Baſil. clamat? Præclarè aiebat D. Baſil. Seleu. orat. 8. *O inexpectatam maledicentiam! O inſaniam barbaricam! Cum pallij, quo manus accuſentur, ſit geſtatrix, linguæ accuſanti creditur: & in carcere Ioſeph habetur.* Vana omnia pudicitiæ teſtimonia ſunt, vbi de manu fœminæ loquitur iuuenis pallium. Ineuitabiliter accuſat pudicitiam quidquid ex viris accipiunt fœminæ in manibus. Quid acceptum munuſculum nõ clamaret in fœminæ manu, quando vel raptum pallium ſic clamat? Inſana eſt, quæ donarijs inhians, vel virorum pallia deprædatur, & nihilominus cupit de honeſtate prædicari. Non enim impudicitia eſt, quæ difficilè à fœminis auertitur, ſed auaritia, cupiditaſque mu
Apocal. 17 nerum. Inſignis illa meritrix, Apocalyp. 17. *Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Itaque in poculo erant luxuriæ vniuerſæ voluptates; cur voluptatum poculum aureum fit? ſanè in fœminę manu non duraret luxuria, niſi illi immixtum eſſet aurum. Quam cito fœmina faſtidiret inanes voluptates, quas ne vnquam faſtidiat, ſed quotidie plus ſitiat, plus appetat, intermiſcetur laſciuiæ aurũ. Pul-
Ambroſ. chrè D. Ambroſ. in Pſalm. 1. *Calicem auri Babylonis excogitauit, vt quicunque biberint, plus ſitirent, & quia potus placere non poterat, auri precio illiceret ad bibendum.* Proh aſtum diaboli! nouit voluptates diu placere non poſſe, nouit luxuriam faſtidiri poſſe à fœminis, ideo immiſcuit aurum, vt ſitis peccati in fœmina fieret immortalis.

§. XXIII.

Vniuerſi Patriarchæ vileſcunt ad Chriſti Ieſu comparationem.

IAM Patriarcharum facinora vileſcebant mulieri, quæ vel odorabatur Chriſti latentem virtutem: etenim ait, nunquid tu maior patre noſtro Iacob? Nonne magnus Moyſes? Nonne magnus Elias? ſed vbi cum Ieſu apparent in Tabor, cœlum intonat, Pater clamat, Prophetæ aufugiunt, nec amplius ſuſtinent à diſcipulis aſpici. Cur ita? D. Am- *Ambroſ.*
broſ. Pſalm. 45. *Vbi gloria Domini reſurgentis oſtenditur, ſeruulis ſplendor abſconditur. Namque ipſos ſtellarum globos ſol exortus obducit; & omnia eorum lumina mundano ſub ſole vaneſcunt. Quomodo ſub æterno ſole iuſtitiæ, atque illo ſplendore diuino videri poterant ſtellæ carnales?* Sanè vileſcunt Iſraelis lumina in præſentia Ieſu, & iam prudens Samaritana de Iacobi maioritate dubitat, vbi (licet à longè) Chriſti Domini præſagit magnalia: non enim poterant non videri inferiores Patriarchæ, quando ſuperior omnibus Chriſtus irradiat. Abraham miſſurus ſeruum, vt ſponſam afferat filio ſuo, ait, *Pone* Gen. 24.
manum tuam ſub femore meo, & iura per Deum cœli &c. Vbi maximè expendendum eſt, quod iurantis ſerui manus ſub femore Abrahami iubeatur poni: cur enim id agitur? Pulchrè D. Eucher. lib. 2. in Geneſ. ait. *Euch.*
Nec ſuper femur, ſed ſub femore manum ponere iubetur: quia ex illo femore deſcenſurus erat, qui homo quidem, ſed ſuper omnes homines, veniret. Vndè dignum non fuit, vt manum ſuper femur poneret, quia nulla caro ſuper illam carnem eſt, quam in redemptionem noſtram ſibi vnigenitus patris vniuit. Quid pulchrius? Merito non ſuper femore, vndè naſciturus Ieſus erat, ſed ſubter humana manus admittitur, quando ſanctiſsimi quique inde maximam ſibi gloriam acquirunt, ſi vel requieſcant ſub vmbra illius. Qui ſanctiores illis, qui ſanguine fuſſo à mundi tyrannis reportarunt triumphum? Hos in maxima ſublimitate gloriæ videns Ioann. Apocalyp. 6. ait. *Vidi ſub-* Apocal. 6.
tus altare animas interfectorum, &c. Non in regio throno, ſed ſubtus altare viſuntur, pro ſumma enim gloria eſt illis, quod ſubijciantur Chriſto, quod ſub illo altari ſint, in quo eſt Ieſus victima. D. Aug. ſerm. 10. de ſanctis. *D. Aug.*
Quid reuerentius? Quid honorabilius dici poteſt, quam ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ! Hic eſt ſupremus ſanctiſsimorũ hominum honos, hęc eſt ſumma veterũ prophetarũ dignitas, q

Ieſu

Ieſu ſeruiant; illiquè acceptas referant, quaſcumque in ſe fuerint experti virtutes. Sic canit
Pſalm. 43. Dauid Pſalm. 43. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Non ſibi, ſed auxiliatori Chriſto omnia referebant Patres veteres,
Ambroſ. vt ſic vincere poſſent. *Ipſi*, ait Ambroſ. in Pſalm. 43. *Moyſes, ipſi Aaron, ipſi etiam patres ſacrabant vniuerſa, quæ geſſerant, vt de hoſtibus triumpharent.* Quidquid enim expectabile faciebant vniuerſi magnates Iſraelitæ, non à ſe, ſed à ſuperiori Chriſti virtute inter eos latitante, faciebant. Quod adumbratum eſt Geneſ. 25. vbi natiuitatem Iacobi memorans, textus ait: *Alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Itaque manus præmittitur, capite adhuc in vtero latente, ſed manus præmiſſa de virtute latentis capitis pendebat, & ſupplantabat fratrem. Quid veteres Patriarchæ ad Chriſtum? Puto quod manus ad caput. Nondum caput viſebatur, adhuc Chriſtus latebat, & iam manus, iam Prophetæ mira operabantur in terra, ſed ſane non de ſua, ſed de virtute capitis. Accipite Eucherium lib. 2. in Gen. fan-
Euch. tem. *Dominus Ieſus, antequam ex vtero ſecreti ſui ad hominum oculos procederet, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus, præmiſit in Patriarchis, & Prophetis quandam ſui corporis partem, quæ velut manu populum ſuperbe procedentem ſupplantat.* Manus Ieſu fuere omnes veteres, qui de tanto capite roborati mira facinora patrabant. Videre cupis hoc diuiniſsimum caput
Exod. 17. robur indens manibus? Ecce tibi Exod. 17. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*, tandiu victoria durabat, quandiu manus Moyſes leuabantur, ne ergo Moyſes deficiat manibus, ſuppoſitus eſt lapis, cuius vi Moyſis laſsitudo leuabatur: de quo Lyppomanus in Cat.
Lyppom. ait. *Petra vera, quæ Moyſi fatigato ſupponitur, Chriſtus eſt. Is noſtra firmitudo, & ſoliditas eſt, quo cõfortante omnia poſſumus.* Itaque, quod nõ deficiat Moyſis manus, à petra venit, nimirum à Chriſto in omnibus Moyſem confirmante, corroborante. In cuius typo datus eſt Moyſi Ieſus Naue perpetuus, & inſeparabilis comes, qui etiam Moyſi in montem aſcendenti adhæreat, vt pulchrè Origin. homil. 1. in
Origen. Ioſue fatur. *Ieſus verò ſequitur Moyſem in montem, cum quadam adiectione verbi mirabilis, in eo quod dicat, quia aſsidebat Moyſi. Quomodo aſsidebat? Non vt ſecundus, non vt inferior, ſed vt adiutor protegens.* Nihil eſſet Moyſis, niſi de Ieſu adiutorio, nihil poſſet manus, niſi de virtute capitis.

Text. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet inæternũ. Sed aqua, quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã.

§. XXIIII.

Quidquid carnale eſt, finem habet, ſola diuini ſpiritus dona æternari ſciunt.

QVIS potus mundialis ſitim in æternũm aufert? Sanè bene poti iterum ſitiunt, & melius poti tandem moriũtur, & reſurgent æterna corporis cruciandi ſiti. Nihil enim habetur carnale, quod finem non habeat. Famelici Iſraelitæ apud deſertum receperunt coturnicum pluuiam, eodemque die matutino tempore habebant mana, veſpertino autem coturnices. Quod ſi quæras, cur coturnices veſpere darentur? Id explicat D. Iſidor. in
Iſidor. Exod. cap. 23. dicens: *Veſpere dantur, quia cũcta, quæ carnaliter conceſſa ſunt, finem erant habituræ.* Neſciunt carnalia bona ſemper comitari poſſeſſorem ſuum; quem ſaltem morientem deſerent. Verum Spiritus ſancti bona, quæ per Chriſtum dantur, in præſenti ſæculo hominem diſponunt, & præparant ad æternam ſaturitatem; & in diſceſſu eũdem cõmitantur, vt de eorum virtute reſurgat, nullo amplius eſtu, nulla ſiti, nulla fame cruciandus. Id in Iſraelitico populo notabat Paul. 1. ad Co-
Corinth. 10 rinth. 10. aiens. *Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Itaque Spiritus ſancti dona per Chriſtum exhibita, nullibi ſtagnantur, cum manentibus manent, cum euntibus eunt, nec in vllo diſceſſu eorum deſideratur efficacia. Prædictum locum explicans D. Ambroſ. in Pſalm. 39. dixit. Petra erat
Ambroſ. Chriſtus. *Petra, eo quod ſitientes ſequatur, confirmet labentes, ne ſitientibus aqua deſit, labentibus firmamentum.* Bibe, ò Chriſtiane de ſpirituali gratiarum abyſſũ, & habes, quite diſcedentem è ſeculo fons ſequatur, vt in ventura vita, nullius indigentiæ materiam habeas. Neſciunt perire, quæ de Spiritus ſancti fontibus manant. Ieſus, qui in prætorio, qui in cruce rumpi potuit, in ſepulchro clauſus corrumpi non potuit; ait enim: *Non dabis ſanctum tuum* *Pſalm.* *videre corruptionem.* Cur qui viuus tot ſciſſuras ſuæ carnis, tot ruptiones ſuſtinuit, mortuus refugit corruptionem, & qui amplecti-

tur ſepulchrum, cauit ibi reſolui in cineres? An qui de integro corpore reſurrectionem parauit, non poſſet parare de corrupto? Poſſet, ſed non erat diſſoluenda caro illa, quæ Spiritus ſancti virtute in Mariæ vtero fuit coalita. Sic
D. Thom. D. Thom. opuſculo 2. cap. 234. aiens. *Corpus Chriſti materiam ſumpſit de natura hominis, ſed formatio eius non fuit virtute humana, ſed virtute Spiritus ſancti, & ideo propter ſubſtantiam materiæ, ſubterraneum locũ, qui corporibus mortuis deputari ſolet, voluit pati. Sed diſſolutionem corporis per Spiritum ſanctum fabricati, pati non voluit.* Veretur corruptio Spiritus ſancti manus, quæ vita vndequaque manant, & æternitate, adeò vt, cum Spiritus ſanctus reuelaret Antichriſtum futurum, eius nomen tacuerit, ſed eius loco numerum ponit Apocal. 13. *Et numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex*: meminit numerum nominis, & non meminit nomen, ne ab ore Spiritus ſancti aliquam acquireret pe-
Iren. rennitatem. Ita D. Irenæus lib. 5. ſatur. *Numerum nominis oſtendit, nomen autem eius tacuit: quoniam dignum non eſt præconari ab Spiritu ſancto. Si enim præconatum ab eo fuiſſet, fortaſſis & in multum permaneret.* Quidquid de Spiritu ſancto venit, quandam ſpeciem æternitatis, & perennitatis induit. Sic ſunt Saluatoris Ieſu fontes, qui de Spiritus ſancti auris perpetuo ſcaturiant, vitamque propinent. Quidquid in creaturarum fontibus eſt, fluxum eſt, & mortem inde ſpirans. Pro quo merito ab Ieremia cap. 2. vocatur hic mũdus, *terra ſitis*, cuius quo plus epotæ, plus ſitiuntur, aquæ, & cum perpetuò voluuntur fluxu omnia creata, non ſaturæ vitæ, ſed famelicæ mortis ſpeciem influunt.
Gillib. Pulchrè Gillibert. Abb. ſerm. 15. in Cant. *Terra*, inquit, *ſitis. Cupiditates enim mundanas magis irritat, quam ſatiat. Infructuoſa eſt iſta plenitudo; & ſi quid eſt fructus id fluxum eſt, & mutabilitate ſua mortis præfert imaginem. Quomodo, vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ ſentire te reputas? Odorem vitæ Chriſti ſpirat vbertas.* In ſolo Chriſto, in quo ea inuenitur vbertas, quæ nõ ſinit ſitire, inuenitur etiam & ſpiraculum vitæ; quo è puluere homo reuiuiſcat.

§. XXV.

Chriſti munus neſcit ſterileſcere, ſemper proprio ſtudet augmento:

PETEBAT dies ille ad immenſi ardoris refrigerium, in extremo digiti vel guttulã aquæ; nec petit refrigerium paruum, quando aqua per Chriſtum data neſcit non fieri fons in eo, cui datur. Machabæorum 2. cap. 8. Nicanoris exercitum fudit Iudas interficiens ſuper nouem millia hominum, pro quo benedicebant Dominum; *qui libcrauit eos in iſto die, miſericordiæ initium ſtillans*: Expende illud, *ſtillans*, non fundens miſericordiam, ſed ſtillans, quod guttatim fit, vt pateat, qualis ſit Dei miſericordia, cuius ſolum ſtillata gutta valet ardentes furore bellico exercitus extinguere. Sanè miſericordiæ diuinæ guttula neſcit finiri, ſed largis meatibus ſe ſe in dies multiplicat. *Mach. 2. 8.*
D. Ennod. Huc reſpexit D. Ennod lib. 2. epiſtol. 12. inquiens. *Largis meatibus cæleſtium munerum vnda procurrit: tranſeunt haurientis ambitum, quæ à Chriſto veniunt fluenta donorum. Sola vena eſt, quæ macies neſcit, & defectus abiurat, tantum curſibus ſuis ſuggerens, quantum meretur pectus ſitientis accipere.* Hinc cenſenda eſt gratia Chriſti, quod nunquam non fluat, nullibi ſtagnari nouit, vbicumque ſuperfluit, & omnia rigat ſemper de fontis more nouos latices reparturiens. Supra dicebatur de Ieſu, quod fatigatus ex itinere, *ſedebat ſic ſupra fontem.* Cur ſupra fontem, & non ſupra puteum, ſiquidem à muliere Samaritana puteus vocatur, cũ dicit; *& puteus altus eſt.* Puteus erat, ſed & in puteo fons erat, hoc eſt vena viua aquarum, maluit Euangeliſta fontem meminiſſe, quando illi Chriſtus aſſidebat, cuius miſericordiæ vel guttula neſcit, non fieri fons iugiter fundens. D.
Ambroſ. Ambr. Pſalm. 45. *Dominus Ieſus ſedebat ad puteum, erat autem ibi fons Iacob. Fons ibi eſt, vbi Chriſtus eſt. Fons eſt, vt aquæ ſupereffluant requirentibus: quo & vniuerſa carnis, vel flagitia diluantur, vel reſtinguantur incendia.* Semper miſericordiæ diuinę aquę ſupereffluunt, nullo tẽpore nobilitatem pariendi dimittũt; modo flagitia abſtergũt, incendia carnis extingũt, adeò vt abſorueri videantur, & ſtatim nouo gurgite ad alios noſcuntur abullire. Quid tale in alijs
Tertull. dijs? Merito Tertull. Apolog. 11. irridet Deitatem gentium, vt anguſtam, quæ ob belli gloriam in primis beauit Martem, ob ſapientiam Appollinem, ob eloquentiam Mercuriũ &c. hiſque iam in ſuperos cooptatis, & cœlitũ ſellis occupatis, relicti fuerunt multi alij viri inclyti, qui iam non habebat, vnde crearentur in diuos. Accipe Tertullialum: *Sed vt ommittã huius indignationis retractatum: probi, & integri, & boni fuerint; quot tamen potiores viros apud inferos reliquiſtis, aliquem de ſapientia Socratem, de iuſtitia Ariſtidem, de militia Themiſtoclẽ, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Policratem, de copia Cræſum, de eloquentia Demoneſtenem? Quis ex illis dijs veſtris grauiores, & ſapientior Catone? Iuſtior, & militatior Scipione? Quis ſublimior Pompeio? Felicior Sylla? Copioſior* Tertul.
Craſſo?

Craſſo? Eloquentior Tullio? Quanto dignius iſtos Deos ille aſſumendos expectaſſet, præſcius vtique potiorũ? Properauit, opinor, & cælum ſemel clauſit, & nunc vtique melioribus apud inferos muſsitantibus erubeſcit. Et quam digne erubeſcere poteſt diuinitas, cuius gratia adeò anguſta eſt, vt ſtagnatà in primis electis, cogantur reliqui præſtantiſsimi æternum ſitiri! Non ſic veri Dei gratia, quæ, vt vena eſt maciem neſciens, vt viuidus fons eſt, non exhauritur. Et in primis, & modo, & in fine ſalit in vitam. De Spiritus ſancti enixu in die Pentecoſtes, ait Ioel 2. *Super ſeruos meos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* Et cum audio effuſionem, non ideo mihi perſuadeo, quod venturi poſt dies illos maneant ſitibundi, & ſicci; poſtea enim venit Paulus, & nunc veniunt plurimi, in quibus ijdem ſpiritus fontes ebulliunt, & in diuorum album cooptantur. Parum dixi, quod plurimi de diuinæ miſericordiæ vena viuant in æternum, illud etiam addè dum putaui, quod & ipſi plena, alijs etiam cõmunicant de ſuperabundantia. Huc ſpectat illud: *Et fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, qui enim aſcendunt de hoc Ieſu lauacro, omnes gemellis fœtibus ſunt, & ſterilis non eſt in eis, quando diuina gratia non fiat in eis ſtagnum, ſed fons, qui extra fluens mille germina parturiri faciat. Hinc præclarè orabat ad Dominum Iudith cap. 9. primorum beneficiorum memorans; *Subueni, quæſo te, Domine Deus meus, mihi viduæ. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti.* Expende, *& poſt illa cogitaſti*, iugis eſt, & perennis beneficentia diuina, nunquam ſiſtit, poſt vnum beneficium ſemper pergit ad aliud.

Ioel 2.

Iudith 9.

§. XXVI.

Spiritus ſancti gratia per Chriſtum impellit terrena corpora in vitam æternam.

CVM hoc habeat Chriſti gratia, vt ipſa in vitam æternam ſaliat, ſimiliter eos, quos implet, in æternam vitam ſalire facit. Et licet verum ſit, quod corpus, quod corrũpitur, aggrauat animã: tamen, dum corda humana hac perfunduntur gratia, etiam intra grauedinem corruptionis, inter puluerem mortis experiẽtur gratiæ impulſus, quibus in vitam efferantur immortalem. Quod eleganter expreſſum eſt ſub aquæ metaphora: etenim, vbi Chriſtus Dominus explicare voluit, quam facile à mortis faucibus eruendus erat, dixit Matth. 20. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Vbi expẽdo, quod mortem ſuam baptiſmo cõparat, ſeu ſubmerſioni in aqua. Quæ huius rei cãuſa? Reſpondit Chryſoſt. ſerm. de Petit. filiorum Zebed. fatus. *Propter reſurrectionis facilitatem. Vt enim, qui baptizantur, ex aqua multa cum facilitate aſcendunt, ab aquarum natura nihil impediti, ſic & ille cum in mortem deſcendiſſet, multa cum facilitate aſcendit.* Equidem immerſum aquæ põdus facilime extrahitur, propter aquæ naturam, quæ iubat; deorſum enim vergens, illud quodammodo impellit, vt aſcendat ſuperius. Sic aqua à Saluatoris fonte procedens, nimirum Spiritus ſancti gratia, quem receperit, faciet ſalire, & aſcendere in vitam æternam. Huc reuoco illud Iſaiæ 26. *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Quibus aſſentior Procopio docenti ſignificari vniuerſalem omniũm reſurrectionem, tam eorum, qui in peccato, quam qui in gratia defuncti ſunt. Sed nota diſcrimen: de his, qui in peccato mortui ſunt, dicit, *viuent mortui tui*, vbicumque fuerit peccator vitam accipiet, nihil de illis poterit aliud dici, niſi quod viuunt: verum, *interfecti mei*, martyres Chriſti, iuſti viri, qui in gratia decedunt, *reſurgent*: reſurgere plus eſt, quã viuere: poteſt enim fieri, vt quis ſic proſtratus iaceat viuus, vt nec vim, nec impulſum admittat, quo ſurgat ab humo. Sic impij vitam accipient, qua iaceãt miſere: iuſti autem non ſic, ſed reſurgẽt, hoc eſt è medio mortis puluere impellentur, vt ſurſum ſurgãt, & aſcendant in ſublimia, vbi ęternũ viuant. Sed ſcire cupis, hãc èpuluere in ſublimia aſcenſionẽ, vnde acquirãt iuſti? Iam ſtat Iſaias, fatus, *quia ros lucis, ros tuus*, quia diuinæ gratiæ fluxus inſtar roris lucidi, ſiue chryſtallinæ aquæ procedens in ſublime aſcendere facit, & ſupernatare, quos perfundit. Habent hoc aquarũ ſcaturigines, vt ſurſum impellant, & ligna, & lapillos; ſic Chriſti ſcaturigines interfectos ſuos in ſublimia facit ſalire. Cum rapiendus eſſet Elias 4. Reg. 2. ibat cum Eliſeo loquens, & ventum eſt ad ripas Iordanis. *Tulitque Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramq; partem, & tranſierunt ambo per ſiccum.* Quid plura? *Cũ pergerent incedentes, & ſermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerũt vtrumq;: & aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Sed cur ante hanc aſcenſionẽ Elias Iordanem tanto miraculo tranſit? An, vt aſcenderet, & raperetur in ſublime, contulerũt aliquid Iordanis aquæ? Annuit Orig. in Ioa. c. 1. inquiens. *Aptior ad raptum factus eſt, poſtquã ablutus eſt in Iordane, &c.* Fœlices nos, quos abluit Chriſti vnda, qui ſaliente in vitã ęternã aqua tingimur, qua proculdubio aptamur, vt facilius ſaliamus, & aſcendamus in immortalem vitam.

Matth. 20.

Chryſoſt.

Iſai. 26.

Origen.

4. Reg. 2.

Tex-

Textus. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc hàurire. Dicit ei Ieſus: Vade, & voca virum tuum, & veni huc.

§. XXVII.

Non alienum eſt à viro religioſo, etiam in temporalibus, iuuare familiares ſuos, & deuotos.

PVTARETVR fœmina tota temporalibus commoditatibus inhians omnino repellenda eſſe à Chriſto Domino, qui ſolam ſpiritualium bonorũ æſtimationem venerat perſuaſurus. Sed tamen dum Samaritana hæc aquam petit, nihil quærens, niſi temporale commodum, *ne veniam*, ait, *huc haurire*, adhuc accepta eſt Domino, quam non repellit, imò ſpe cõceſſionis delinit, dum ait: voca virum tuum, & veni huc, quaſi poſt viri aduentum daturus, quidquid ipſa petiuerat. Religioſum enim eſt, quod viri ſpirituales, etiam in temporalibus fa-
4. Reg. 4. ueãt deuotis ſibi, & amicis. Ecce vobis 4. Reg. 4. diuiniſsimus vir Eliſæus Propheta hoſpitæ ſuæ Sunamitidi, ſic ſuam operam promittit. *Numquid habes negotium, & vis, vt loquar regi, ſiue Principi militiæ?* Quod eleganter ponde-
Theodor. rans Theodoretus, quæſt. 14. in 4. Reg. ait. *Cuius officij vicem rependens propheta, eam rogauit, an eſſet aliquid, quod vellet dici regi, aut duci exercitus: & cum poſſit ei diuinum exhibere auxilium, vult eam etiam humanam aſſequi curationem.* Non enim religioſus pater, paterque religioſorum à ſe alienum putauit, coram rege agere negotia viduæ familiaris ſibi. Quod ſi in
Ambroſ. hoc errare nolis, accipe D. Ambroſ. cõſilium, qui lib. 1. Offic. cap. 50. ſic præceptum de officijs proximo præſtandis expendit. *Pulchrum eſt, vt gratiã tuam, atque officia in ſocietatem humani generis conferas: ſed primum illud decorum eſt, vt quod habes pretioſiſsimum, hoc eſt mentem tuam Deo deputes. Cum ſolueris auctori debitum, licet vt opera tua in beneficentiam, & adiumenta hominum conferas, atque opem feras neceſsitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiam quocumque munere.* Sic poſt Deum proximorum temporalibus neceſsitatibus poſſunt viri ſancti occurrere, præcipue ſi ita inæſcatos eos in ſalutem animæ impellunt.

§. XXVIII.

Confeſsio humilis efficaciſsimum remedium ad expurganda peccata.

SCIEBAT Dominus Samaritanam non habere virum, & tamen ait: *Vade, voca virum tuum*, illam ad humilem confeſsionem peccatorum adducens. Etenim nil ſalubrius ſuggeritur peccatori, quam ſi confeſsionem ſuggeras. Obduratiſsimum proditorem ſic excipit Dominus, Luc. 22. *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Cui Domine ſpurciſsimi hominis nomen ore ſummis? Cur nominas iam deletum de libro vitæ? Ideo præmittit Iudæ nomen, vt vel tunc memoriam confeſsionis ingerat, qua poſsit veniam obtineri tanti criminis. Luc. 22.
Ita D. Cyrill. Hieroſ. Catech. 2. inquiens. *Ferme hoc ad ipſum dicit, admonens eum per nominis appellationem (Iudas enim vocatur confeſsio.) Intelligc: accepiſti argentum: confitere cito.* Hoſtis Cyrill.
nomen pronuntiat, non quod tanti hoſtis placeat nomen, ſed vt in nomi is ſignificatione, memoriam confeſsionis ſuggerat, qua ſola de tanta fœditate poſsit exire, & diuino conſpectui haud ingratus adeſſe. Pſalm. 95. *Confeſsio, & pulchritudo in conſpectu eius*, quaſi de confeſ Pſalm. 95.
ſione ſocia naſci poſsit ea pulchritudo, quæ meritò placeat diuinis obtutibus. Meritò D. Bernard. epiſt. 103. inquit. *Confeſsioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. Et confeſsio, & pulchritudo in conſpectu eius. Re vera in confeſsione, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata ſunt, in confeſsione lauantur. Si bona opera ſunt, confeſsione commendatur.* Spurciſsimo cuique, & maculas Bernard.
aufert confeſsio, & miram pulchritudinem indit. Quis magis fœtidus, & ſpurcus, quam adoleſcens ille prodigus? Subſtantiam patris diſsipauit viuendo luxurioſe: inſuper in tantam deuenit miſeriam, vt inter porcos agens, cuperet de porcorum ſaturari cibis. Quis os illum fœtidiſsimo cibo porcorum ſquallens ſuſtineat? Interea ad ſe reuerſus, Luc. 15. aiebat. *Pater, peccaui in cœlum, & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus.* Audiuit Pater, & continuo in Luc. 15.
occurſum filij feſtinat; *Cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eũ*, oſculatus, abdubiũ, quin os eius. Deus bone oſcula das eius ori, quod porcorum cibis hærebat? oſcula infigis labijs, quæ conſpurcatis porcorum ſiliquis inhiabãt? Sed quidquid fœtidus cibus maculârat, iam confeſsio abluerat: confeſsio os aureum fecerat, quo Deus ipſe ſuauiari poſſet. Argute D. Chryſoſt. hom. 4. in Luc. ait. *Oſculatur os eius, per quod emiſſa de corde confeſsio pœnitentis exierat, quã pater lætus excepit.* Quid cõfsione pul- Chryſoſt.
chrius, quę immũdũ os miſeri hominis reddit

dignum

dignum diuinis oſculis? Fœtidus ille latro in peccatorum conſtitutus ſupplicio, non audet ad ſe euocare diuinos oculos, ſed prius ad
Luc. 23. ſocium dicebat Luc. 23. *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus*: qua confeſsione præmiſſa ſic afficitur, vt ſtatim nihil dubitans ad Dominum dicat. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ecce ex confeſsione eum decorem, & pulchritudinem induit, qua non dubitat in regnum poſſe aſciſci. Chryſoſt. hom.
Chryſoſt. de cruce, & latrone, ait. *Non eſt auſus dicere: memento mei, niſi confeſsione peccati ſarcinam remiſiſſet.* Cum confitetur, tuberoſas peccati molles deponit, quibus depremebatur in ima, & erecto collo audet ſperare ſublimia. Quanta eſt virtus confeſsionis, quæ vel ſolum meditata, antequam exhibita nouit etiã
Luc. 15. cœleſtem placare Patrem? Luc. 15. prodigus ille dicebat intra ſe: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei. Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Solum meditatur confeſsionis verba, & quem iudicem poterat timere, audet
Nyſſen. iam Patrem nominare. Nyſſenus in Cat. *Confeſsionis meditatio placauit ei Patrem.* Nõdum confeſsionem faciebat, ſed ſolum intra ſe miſeriam ſuam voluebat, & qualiter confiteretur, excogitabat, quòd ſuffecit, vt è iudice inueniret Patrem.

Tex. Reſpondit mulier: Non habeo virum. Dixit ei Ieſus: Bene dixiſti; Quia non habeo virum: Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, nõ eſt tuus vir: Hoc vere dixiſti.

§. XXVIIII.

Qui ab vno Deo deficit, in multitudinem tyrannorum incidit.

PECCATRICIS animæ miſeram ſeruitutem Dñs prætendit, dum Samaritanæ miſeram conditionem euulgans, ait: *Quinque viros habuiſti.* Eu, dolenda ſors peccatoris, quot Dominis affligitur? Vbi à Deo deficis neceſſum eſt in tyrannos venire pene innumeros. Ille apud Luc. c. 14. quinq; iugis boum præpeditus, ad dominicũ non accedit conuiuiũ; ait enim. *Iuga boũ emi quinq;, & eo probare illa.*
Bernard. De quo argute Ber. ſer. in illud ecce nos, inquit. *Quid eum iuga ſubiiſſe cauſamur? Arguamus magis emiſſe: illud enim ſtolliditatis eſt miſeranda, iſtud extremæ dementiæ. Quid ergo miſer proiungo boum diſtrahis animam tuam, qui iugum Chriſti ſuſcipiens emere poteras regnum Dei, mercari vitam? Vides excuſationem hominis, qui propterea Chriſtum non ſequitur, propterea ſe excuſat à nuptijs, quia iuga boum emerit quinq;.* Hũc habent egregium mercatum, quicumq; ſuaue, & leue Dei iugum à ſe excutiunt: dum à iugo rationali abhorrent, in plura iuga incidunt, quæ etiam fortiſsimas boum premerẽt ceruices. Quæſiturus Eliſæum pergit Elias, 3. Reg. 19. & tandem inuenit eum. Sed qualem inuenit? Id põderat textus ſacer, inquiẽs: 3. Reg. 19.
Profectus inde Elias reperit Eliſæum arantem in duodecim iugis boum. Et ipſe in duodecim iugis boum arantibus, vnus erat. Eu miſera hominis conditio! Vnus homuntio duodecim iugis boum ſe ſe premit. Nec aliud accidere poteſt his, qui ſuaue Dei iugum à ſua ceruice expellunt; neceſsũ eſt, vt qui à Deo deficiũt, in multitudinẽ tyrannorũ deueniant. Exodi 32. dũ Iſrael ageret in deſerto, coegit Aaronẽ, vt abſente Moyſe, ſibi vitulum in Deum efformaret, efformatũ ſubſtollunt clamantes. *Hi ſunt dij tui Iſrael.* Quibus id maximè notandum, quod cum ſolum vnicũ vitulum efferant, nihilominus clament, hi ſunt dij tui, quaſi à Deo vero deficientes, non poſſent non deuenire in multitudinem tyrannorum; & pro excuſo Dei iugo, neceſſario boum iuga quam plurima patiantur. Ab hac ſentẽtia ſtat Chryſoſ. ho. 5. de pœnit. fatus. *Vnus factus eſt vitulus, & clamat ingratus populus: Hi dij tui Iſrael; Hi dij tui vnum reſpiciens. Quare igitur dij? Sententiam interpretatur, non, quod videtur, indicat, ſed & Deorum pluralitatẽ annuntiat.* Expende illud, *ſententiam interpretatur*: quippè eo ipſo, quod à vero deflectebat, etiãſi vnum idolũ oſtentabat, iã ibi implicita erat pluralitas Deorũ, ſeu tyrannorum, quàm vt explicet, & interpretetur, ait, hi dij tui, quando neceſſum eſt, quod receſſus à Deo ſit acceſſus ad multiplices tyrannos. Præclare D. Petr. Act. 10. vbi reptilia, & quadrupedia ſibi ad eſum Act. 10.
è cœlo oblata, reſpicit, aiebat. *Numquam manducaui commune, & immundum.* Erant reptilia illa peccatorum imagines, quę rectè vocãtur communia, quando nullus eſt peccator, qui pluribus Dominis, & tyrannis non ſubdatur. Ità Orig. hom. 5. in Leuit. ait. *Qui ſanctus eſt ſolus Dei eſt, & cum nullo ei communio eſt. Qui autem peccator eſt, & immundus, & multorum eſt. Multi enim dæmones poſsident eum, & ideò communis appellatur.* Origen.
Hæc eſt miſera conditio eorum, qui à Deo decedunt, quod premantur ſub dominorum multitudine; vt videas, quam aſinina ſit amentia peccatorum, dum ſuam multiplicem ſeruitutem non vident. Diſcipuli miſſi à Domino, Luc. Luc. 19.
19. ſunt vt ſibi afferrent pullum ſubiugalem: *Soluentibus autem illis pullum dixerunt Do-*

mini eius. Vide peccator miseriam tuam in hoc pullo asini, cui non vnus Dominus, sed plures Domini assistunt, ne soluatur à Christo. Et quidem asinus debuit esse, qui non gemeret sub tam multiplici seruitute. Quod eleganter ponderat aliter datus D. Athanas. ser. in illud: *Profecti in pagum.* Vbi inquit. *Dixerunt Domini istius pulli discipulis. Quid soluitis pullum? Nonne si mente præditus esset sufficeret, si ei vnus Dominus assideret? Nunc autem plures sunt eius Domini.* Asinina dementia laboras, si ab vno Domino ad plures confugis, multiplicibus præmendus iugis.

Athanas.

§. XXX.

Coniugalis castitas continentiam vidualem inducit.

CREDIDERIM à Domino taxatam esse Samaritanæ incontinentiam, tàm in nuptijs, quàm extra nuptias: & idcirco ait, quinque viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir. Meminit incontinentiam, cuius argumentum erat in muliere, tot fuisse copulatam viris: ex qua sicut ex causa educit vidualem lasciuiam: castitas namque nuptialis facit viduas continenter viuere. Accipite D. Fulgentium ep. 2. ad Gallam cap. 7. sic fantem. *Ad hoc diuina gratia animum tuum coniugali castitate nutriuit: vt quæ dediceras illo vno viuente, alterum non quærere: disceres ab omni viro vidua continere.* Sanè quæ vni viro fidem integram seruauit, illoque contenta fuit, facilius viduitatis continentiam subiuit. Vidualis enim castitas de coniugali temperantia maximè fulcitur. Miraberis Iudith pulcherrimam fœminam, castissimam viduam, quæ multis potens diuitijs, ætate florens, pulcherrima facie, sic vidua vixit, vt pro miraculo suspiceretur eius castitas. Quid plura? Hæc formosissima vidua, hęc splendens puella se se dat turpissimorum hominum exercitibus, nec vitreo pudicitiæ splendori timet media inter florentes iuuenes, inter principis obsequia, & amores. Sed quo se muniuit vidua puella, vt tot pudiciciæ discrimina vinceret? Ait cap. 10. *Induit se vestimentis iucunditatis suæ.* De cõ iugij pristini penu vestes sumpsit, quibus firmauit pudicitiam vidualem etiam inter confertissima pericula. Do Ambros. lib. de viduis sanctem. *Bene coniugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monumenta coniugij arma sunt castitatis.* Equidem adeò valet casti connubij temperantia, vt ipsa sufficiat pro vidualis castitate tutanda; etiam cum illi pericula adsint. Iam hinc discant nuptæ fœminæ ea tẽperantia connubiũ agere, quæ illas etiã in viduitate poterit confirmare. Quæ temperantia erit, quando præter vnius viri coniugis sui vultus, alios etiam Angelicos, siue oderint, siue vereantur. Quam se vallabat viri sui memoria Vasthi apud Æster cap. 1. In diuitiarum ostentationem fecit Assuerus cõuiuium tàm principibus, quàm popularibus suis, ad cuius imitationẽ vxor eius Vasthi fecit conuiuium fœminarũ, sed quia inter pocula pudicicia labat, honesta fœmina tunc præcipuè modo quo potuit mariti præsentiam suo infinxit animo. Sed qualiter infixit animo? Notãte pudiciciæ coniugatæ ingenium. *Vasthi quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palacio vbi Rex Assuerus manere consueuerat.* Notanter factum conuiuium recensetur, vbi Assuerus manere consueuerat, vt fœminæ astrueruetur castitas, quæ vel de mariti vmbra confirmabatur. Sic honesta fœmina vnius viri sui amabat speciem; sic ad solum suum virum attendebat, vt eius etiam fugeret conspectũ, quando non solus erat. Hinc post conuiuium Assuerus iussit eunuchis: *Vt introducerent Reginam Vasthi coram rege posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem illius; erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad regis imperium venire contempsit.* Et Regis, & mariti iussa contemnit, vbi non solius mariti oculis iubebatur placere. Id quod ponderat Diu. Seuerus Sulpitius in lib. 2. historiæ sacrę, inquiens: *Vasthi verò stulto Rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere iussa, abnuit.* Honestatem proculdubio æternant fœminæ, quæ vnius mariti oculis placentes, aliorum virorum, imò & Angelorum expauent præsentiam. Inde censenda est Æsteris castitas, quæ cap. 15. ad Assueri perueniens præsentiam, vt vidit è regione coniugem aureis fulgentem vestibus exanimis, & pauida corruit. Illam Rex blandis consolatur verbis, pauoris causam quęrit. Tunc Æster ait. *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & turbatum est cor meum.* Expende pulchram vxoris indolem, quæ dũ pro marito vidit Angelum expauet, & corruit exanimata. Non sustinet prę marito honesta coniux videre Angelum, nedum hominem alium. Vndè vxor illa Leuites Iud. 19. tota nocte multorum congressum passa, *recedentibus tenebris venit ad hostium domus, vbi manebat Dñs suus, & ibi corruit.* Post iniuriã, post vim veniẽs ad hostiũ viri interijt, nõ sustinẽs viri sui cõspectũ, quẽ licet inuitã fœdauerat. Nõ vis illata, sed verecundia ex cõspectu offensi viri profectã illã interfecit, ita D. Seuerus Sulpit. lib. 1. historiæ fatur. *Illa stupri iniuria, & verecundiæ viso viro animã efflauit.* Digna quæ castitatis nomen æternaret, quã verecũdia iniuriæ in conspectu mariti interfecit.

Fulgent.

D. Seuer.

Æster. c. 1.

Æster. 15.

Iud. 16.

D. Seuer.

Tex.

Tex. Dicit ei mulier: Domine video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: Et vos dicitis, quia Ierosolimis est locus, vbi adorare oportet.

§. XXXI.

Proprium hæreticorum ingenium est, cum alicuius articuli veritate premuntur, ad alia continuo transuolare.

QVORSVM hæc Samaritana? Colloquiū erat de viris, quibus copulata fuisti, simul & de illigitimo præsenti toro, id audis, & subito quæstiones de vera adoratione ingeris? Quorsum hæc? Sanè vt colloquiū inceptum interrumperet, cuius veritate multum premebatur. Sic veritatis refugæ hæretici, vbi in disputationibus argumentatrice veritate vrgentur, subito alias quæstiones miscent, quibus propositę veritatis vim effugiāt. Sanè diaboli filij, verè & in hoc patrissant. Etenim cum Iesus ageret in eremo longissimum illud ieiunium, quod adeò superabat humanas vires, virtutemque in eo diuinā adesse persuadebat: accessit diabolus, & ostensis lapidibus, ait: *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Quorsum hæc Sathana? Iam filius Dei ostendebatur ieiunio, si veram diuinitatem nosse cupis, fiste paulisper, expende prodigiosum illud ieiunium, ex quo tàm filiū Dei cognosces, quàm si panes faciat ex lapidibus. Verum non veritatem quærebat diabolus, sed veritatis euidentissimum argumentum, nimirum ieiunium, quo premebatur, volebat interrumpere, aliud longè diuersum miscens. Id expendit Chrysol. ser. 13, *Quid est, quod ieiunante Christo, deitatis signa tota in sola panis promissione perquirit? Et quem Dei filium continua ieiunij significatione præsentit, esse Dei filium de promissione panis desiderat approbare? signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum, signum panis petit, qui signum ieiunij pertimescit. Panem malus ingerit, vt virtutem mutet.* Hoc ingenium habent veritatis osores, plura miscent, ab hoc in illum statum transeunt, omnia infecta relinquunt, ne cogantur veritati assentiri, in diuersissima se subito transmutant, ne vllis veritatis capiūtur vinculis.

Chrysol.

§. XXXII.

Hæreticorum doctrina ex eo falsitatis conuincitur, quod non excedit muliercularum, & homuntionum captum. Vbi pulchra de Iesu doctrina.

ECCE vobis totū Samaritani erroris argumentum ab hac fœmina propositum: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolimis est locus.* Et sanè ea est hæreticorum doctrina; quę non è pulpitis, nō è cathedris, sed in tabernis, & in mulierculārum lauacris plenè, & integrè audiatur. Rideres magnitudinem Principis, cuius magnalia rudis, & elinguis homo posset & numerando consequi, & percensendo numerare. Et non rideas religionis Deificæ doctrinam, à Grāmaticis, ab vxoratis, à mulierculis plenè, & integrè & capi, & tractari? De his agens Ecclesiæ magister. Cant. 7. ait. *Capite nobis vulpeculas parvas.* An Lutherus vulpecula parua? An Caluinus, & similes alij vulpeculæ, & paruæ? Cur non potius magni elephantes? Rectè D. Iustus Orgilit. ibi. *Quos vulpes paruulas dicit, quia nihil magni secundum rectam fidem intelligendo cōtinent: omne enim, quod sapiūt, exhibent.* Nemo non amens credat cælestem doctrinam hauriri, imò exhauriri ab illiteratis omninò hominibus, à mulierculis, à sutoribus. Nec vnquam mirari desino, cum audio Principes viros, & alioquin in humana policia sapientes, sic cæcutire ad diuina, vt eam probēt religionem, cuius commentaria, & scholia, & lucubrationes æque in macellis, ac in pulpitis explicentur. Pulchrè D. Hier. ep. ad Paul. circa medium, ait: *Quod medicorum est, premittūt medici; tractant fabrilia fabri, sola scripturæ ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophistæ verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alij discunt à fœminis,* &c. Quis non rideat has Theologiæ interpretes? Quis non irrideat nasutis alioquin viris, qui tales venerantur, & suspiciunt religionis suæ Prophetas? Irridebat D. Cyril. Alexan. lib. 6. de seruit. & charit. in Deum, vanissimos Gentiles, qui de occinio, & garritu auiū suam religionem ebibebant, dignos templis fatebatur Deos: *A quibus ad nos præclari Prophetæ legantur, arguta cornix, perpes accipiter, & cæteræ aues, dignos scilicet talibus dij legant Prophetas. Vos felices, ac beatos, qui tales Deorum interpretes nacti sitis.* Nihil

Cant. 7.

D. Iust.

Hieron.

Cyr. Alex.

feliciores ſunt nũperi hæretici, quorum religio, cum fere tota conſiſtat in vocibus conſtruendis, vt à fœmina, ſic tota à Pſitaco capi poteſt. Quam aliter diuina, & vere religionis ſapientia, in cuius comparatione omnia Philoſophorum lumina ſunt tenebræ. *Cant.1.* Cant.1.ait ſponſa: *Meliora ſunt vbera tua vino*: in vino flauenti omnes prophanæ diſciplinæ deſignãtur, in vberibus doctrina cœleſtis, quę adhuc infantibus communicatur, non quæ perfectis iam magiſtris offertur, & hæc longiſsimè ſuperat mundialium ſapientium ſciẽtias. *Greg.Nyſſ.* Sic Diu.Gregor. Nyſſ. in Cant.hom. 1. fatur: *Eſt lac nutrimentum infantiæ, vinum datur fruendum perfectioribus; ſed tamen, quod eſt perfectum in externa ſapientia, minus eſt, quam diuini verbi infantilis doctrina.* Habent mundiales ſapientes, quo refocillare poſsint humanam mentem, non quo implere. *Iudith. 7.* Sic apud Iudith.cap.7. dicitur de Bethulia, cũm ab Holopherne premebatur. *Erant autem non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quam ad potandum.* Vbi anguſtias ſapientiæ mundialis *Tilman.* meditatus Gotfridus Tilmanus in allegoriis, ait: *Erant non longè à muris fontes, dogmata philoſophorum, qui ſcientiæ, & honeſtatis aliquod conferunt ſolatium. Ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quã ad potandũ. Nota, furtim, & ad refocillandum.* Datur equidẽ externa ſapientia, quæ refocillare, nõ quæ ſatiare poſſet. Sunt omnes diſciplinę ſapiẽtũ fontes ad refocillandũ, fontes inquã, nõ abſimiles Siloę fontibus, qui vadunt cum ſilentio. Sola Chriſtiana, & Catholica Theologia pleno currit amne ad ſatiandas, & implendas mentes fidelium. Huius vox aquarũ multarum, quæ vniuerſum intonat orbem. *Ioan.1.* Ioan.1. *Ego vox clamantis in deſerto.* Notanter dixit, *clamãtis*: nulli enim clamor tributus eſt, *Theophyl.* niſi Chriſtianæ legi. Vbi Theophyl.ait: *Omnes, qui ſub lege erãt ſubmiſſe, & humiliter ſonabant, vtpote qui non dum peruenerant ad tẽpus Euangelicæ veritatis. Chriſtus autẽ cũ ſit veritas ipſa, & annũtiet nobis omnia, quæ Patris, clamãs eſt. Ideò Ioannes ait: Ego ſum vox verbi clamantis.* Expendo vnde ſignet clamorẽ Chriſtianę veritatis, nimirũ ex eo, quod nuntiet omnia, quæ Patris: nõ ex eo, quod paucas, ſine Grecanicę, ſiue Hebraicæ ſcripturæ notas trutinet. Hoc dixerim propter nuperos Septẽtrionis Myſtas, qui de lectione Græca, ſiue Hebraica ſaturi, prorſus ieiuni, & inanes Theologicarũ diſputationũ de Deo trino, & vno, de incarnatione, de vitijs, & virtutibus humanorũ actuum, de veritatis inuẽtione gloriantur. Ille veritatis magiſter eſt, qui è pulpitis, è cathedris poteſt enuntiare omnia, quę ſunt patris; hoc nõ poteſt Chriſtus Anglicus, nec germanicus, ſed ſolus Chriſtus Romanus, de ſub cuius aris quotidie effluunt doctrinarũ flumina, quæ repleant orbem terrarum. Videte interpretum Catholicorũ ſcholas, Thomiſtas, Scotiſtas, Societatis Ieſu Magiſtros, apud quos quidquid de Deo, de Angelo, de homine excogitari poteſt, plenis cõmentarijs explicãtur, dũ hęretici magiſtri paucula Grãmaticę vocabula mandũt. Exodi 17. *Dixit Moyſes ad Ioſue. Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech.* *Exod. 17.* Vbi enim electi viri, & ad bella doctiſsimi inſtruendi erant, non Moyſes, nec vlla alia lex id potuiſſet, quod vni Ieſu vero reſeruatũ erat. Pulchrè Orig.ho.1.in Ioſue, inquit: *In hoc primũ nomen diſcimus Ieſu, vbi eum primo videmus ducem exercitus: nõ cui Moyſes iniunxerit principatum, ſed cui ceſſerit principatũ. Non poteſt Moyſes eligere viros potẽtes. Tu, inquit, elige tibi viros potẽtes.* *Origen.* Nulli ſectę dati ſunt viri potẽtes electi; ſolus Catholicus Ieſus hos viros habet, viros è millibus electos, virtute probatos, & doctrina, & ad bella doctiſsimos. Cæcum vult eſſe, qui ab his viris, qui omnia, quæ ſunt Dei, annuntiãt, veritatẽ non quęrit, & credit illã inuentã eſſe ab his, qui nihil de Deo ſciũt, aut ſi quid ſciunt, fœminarũ captũ nõ ſuperat. Ex poteſtate ſuper omnes vocem Ieſu poteris cognoſcere. Cant. *Cant. 5.* 5. *Vox dilecti mei pulſãtis, aperi mihi ſoror mea.* Expende illud, *vox pulſantis*: non in Ieſu vox ſola, ſed vox iuncta manibus, dum vox ſonat, manus monet, & penetrat intimum animæ. Gillebert. Abb.ſer.42.in Cant.ait: *Vox inquit, dilecti pulſantis. Quæ talix vox, qualis Ieſu? Nũquid Philoſophorum? Numquid hæreticorum? Num legis? Num Prophetarum? Valida vox eius eſt, ſi ultam fecit huius mundi ſapientiam. Lex & Prophetæ neminem ad perfectum adduxerunt, vox Ieſu conſummationis ſummam complectitur. Vox, inquit, pulſantis. Pulſat enim, & penetrat efficax inſtar ancipitis gladij, leniter illabitur, & blandè perſuadet, quod nulla potuit alia doctrina obtinere.* *Gillebert.* Hæc ille, quæ aptius alibi examinabimus.

Tex. Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolimis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod neſcitis; nos adoramus, quod ſcimus. Quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adorabunt Patrẽ in ſpiritu, & veri-

veritate. Nam et Pater talis quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.

§. XXXIII.

Fidelium oratio ipsa sibi vbicumque templum efficit, quo Deus adoretur.

SAMARITAE idololatriæ imbuti mēdacio erāt; Iudęi vmbratili corporaliū figurārū cultu gloriabantur; ambo certis alligati locis, extra illa Deo putabant haud gratā esse posse holocausta. Felix Christianus est inter omnes, qui vbi fidei veritate imbuitur, sic rebus spiritualibus intētus est, vt nulli alligatus loco, eas sciat orationes ad Deū mittere, quæ orationes simul, & templū sint. Huc respiciens Paul. ad Ephes. 3. ait: *Propterea flecto genua mea ad Patrē Dñi nostri Iesu Christi, vnde omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur: vt per fidē Christus cordibus nostris inhabitet.* Itaq; vt Christus per fidē habitet in cordibus nostris, orat Paulus. Sed quomodo habitabit Dñs, vbi non est eius habitaculum? Prius, ô Paule cōstrue in corde tuo habitaculū Deo dignū, & tunc pete ab eo, vt ibi inhabitet. Sanè ea est fidelis oratio, vt simul templū efficiat, & Deum alliciat ad inhabitandū. Accipite Chrysost. to. 6. orat. 2. de precatione sanctē. *Vides quantū viriū habeat precatio? Templa Christi homines efficit. Quæ maior precationis laus esse possit, quā quod ex illa Christi tēpla fieri soleāt? Quē nō capiūt cœlestes orbes; is animo, qui in precatione vitā ducat, continetur. Qualē domū ædificauit Paulus? Flecto, inquit, genua mea ad patrē, vt Christus per fidē in cordibus vestris inhabitet.* Nulli alligata est tēplo fideliū oratio, nullis cōstricta est aris, ipsa sibi vbicūq; & aras, & tēplū parat, quo Deus adorādus & orādus inhabitet. Huc alludit Nazian. orat. funebri pro patre; vbi parentē suū morbo impeditū, ait, ne lecto surgat, tēpliq; cū populo oratu rus astet: non tamē ideò ab oratione vacabat, imò in lecto orās ibi & tēplum, & aras oratione essingebat. *Languidis, inquit, manibus ad orationem compositis, vel cum populo, vel ante populum mysteria celebrabat, pauciſq; atque infirmis, quibusque poterat verbis: cæterum mente, vt mihi videtur integerrima (rem miram!) sine sacrario, in sacrario, sine altari sacrificus, sacerdos pro cul à mysteriis remotus.* Non eget oratio fidelium templo, neque aris: ipsa sibi templum est, ipsa aram ex se construit Deo haud ingratam. Iudith Holophernem debellatura ingressa est oratorium suum, vt Deo orationem faceret, cap. 10. vbi Græcus orationis tempus designans notanter dicit: *Et erat tam, cum offerri solet Ierosolimis in domo Dei incensum vespertinum.* Cur orante Iudith Bethuliæ, memoratur hora, & tempus orationis in templo Ierosolimitano factæ? Equidem mundi cordis oratio nunquam non comparari potest cum orationibus in templo factis, nunquam non exijt & ipsa à templo, cum & ipsa orantis animum templum faciat Deo præ alijs templis materialibus gratius. Apocal. 6. dicit Ioan. *Et vidi ſuptus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimoniū, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: vsque quo Domine,* &c. Quibus miror, quod animæ à corpore exutæ, diuinæ ciuitatis iā accolæ dicantur adhuc clamare ad Deum de subtus altare; præcipuè cum cap. 21. dicat ipse Ioan. 21. de ciuitate Dei: *Templū non vidi in ea.* Si non ibi tēplum, quomodo sanctorum animæ clamant de subtus altare? Sanè sanctorum orationes vbicumque sunt ipsa sibi templum, & altare sunt, & instar orationis templi odorem suauitatis exhalant. Nec absre dicitur Apoc. 21. quod templum supernæ ciuitatis sit agnus, quando in supernam ciuitatem ascendit, vt pro nobis oraret. Matth. 14. de Iesu dicitur: *Ascendit orare.* Vbi Diu. Anselm. ait. *Ascendit orare, quia iuit ad patrem pro nobis interpellare; non enim in manufacta sancta introiuit, in exemplaria sanctorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quam verè templum est, à quo tam feruidæ orationes pro nobis ad Patrem diriguntur.

Ad Eph. 3.

Chryſoſt.

Nazianz.

Iudith. 10.

Apoc. 6.

Ioan. 21.

Matth. 14. Anſelm.

§. XXXIIII.

Filius & Spiritus sanctus de Patre habent, quod creaturis prospiciant.

VBI toties patrem adorandum suggerit, iam mentes humanas ad Trinitatis indiuiduæ notitiam eleuat, quasi solis illis, qui à corporalibus, & carnalibus remoti spiritu liter sciunt viuere, sacrariū augustissimū generationis, & processionis liceat intrare. In solo Christiano cultu nō solū absolutè Deus adoratur; sed etiam distinctè Pater, Filius, Spiritus sanctus, & tres adoramus in vna deitate personas, quod nec Iudæus, nec Samaritanus fecit. Quod cū ita sit, cur à Dño solus suggeritur Pater orandus, & adorādus, & nō etiā proponitur Filius, & Spiritus sanctus, quos &

adoratione ſolliciremus, & propitios reddamus? Sane Filius, & Spiritus Sanctus qua participant eamdem naturam, & ſubſtantiam patris, ex patre habent, quo creaturis proſpiciant ſuis. *Ioann.6.* Aiebat dominus Ioann.6. qualia ſacinora in terris fecerat poſt cœlum pacificatum. Etenim poſt confirmatos Angelos, proſiliuit in terram durus debellator, vt homines & defenderet, & promoueret: id quod non factum aſſerit ex propria aliqua voluntate ſuæ perſonæ, ſed ex eo, quod in ſe paternum habebat, quo ferebatur in creaturas ſuas tutandas. *Fulg.* Quibus eleganter ponderans D. Fulg. lib. 2. ad Traſim. Reg. cap. 3. eamdem ſubſtantiam Patris ineſſe filio, ſic ait. *Qui hoc in ſe naturaliter habet eſſe, quod pater eſt, & ideò potuit, & Angelum in ſuperioribus ſtabilire, & pro reparatione hominis ad inferiora deſcendere: ſicut ipſe teſtatur, dicens: Deſcendi de cœlis, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me patris.* Ecce tibi quo fundet totã ſui aduentus œconomiam, totos ſuæ pietatis effuſos fontes circa homines, & angelos, nimirum in eo, quod in ſe naturaliter habet, quod pater eſt. *Cant.1.* Cant. 1. *Cum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit ſuauitatem odoris.* Non antea ego odorus, & patiens Deo extiti, quàm tunc cum rex erat in accubitu ſuo, ſed qui eſt iſte regis accubitus mihi tam ſalutaris? D. Bernard. ſerm. 43. in cant. *Accubitus regis ſinus eſt patris, quia ſemper in patre filius eſt. Nec dubites regem hunc eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paterna benignitatis diuerſorium.* Non poteſt filius non ſaluator eſſe hominibus, vtpote qui ſemper in patre eſt, & in ſe naturaliter habet, quod pater eſt. Non Filij, aut Spiritus Sancti propriæ per ſe ſolæ notiones, ſed paterna in vtroque exiſtens ſubſtantia hominum, creaturarũque excogitauit ſalutem, & per id quod ex patre habebãt, generis humani bonum operabantur. Quod à Patre in Fi- *Luc.a.15.* lium, & Spiritum Sanctum venit, nos in vitã & ſpem ſalutis facit euolare. Prodigus ille Luc. 15. aiebat: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Nequit præ nimia imbecillitate pedibus ſtare, & ait, ſurgam. Nequit repere vt paruas ſiliquas capiat, & dicit, ibo. Qua id fiducia? Meminit Patrem, paternum quid in Deo exiſtens iam veneratur, cui non dubitat *S. Thom.* ſe debiturum ad ſalutis volatum. S. Thomas in cat. *Poſt quam dixit, ibo ad Patrem meũ, quod ei attulit cuncta bona, non manſit, ſed totum iter tranſiuit, ſequitur enim, ſurgens venit ad patrem.* Non enim paterna Dei viſcera ſuſtinerẽt facturam ſuam ſic iacẽre conſumtam fame. Vbi vel in eius mentem venit Pater, & alas addit, quibus poſſit imbecillus homo in ſalutẽ euolare. Quid plura? Venientem excipit amplexu pater; *& cecidit ſuper collũ eius, & oſculabatur eum.* Cur, quem excipis tam amanter, ô Pater ſic premis, imbellicis eſt filius iſte, cur ſuper eius humeros ruis? Vix te ſuſtinẽt cæleſtes columnæ, qualiter tantum pondus ſuſtinebit homo miſerandus? Pulchre D. *Chryſol.* Chryſolog. ait. *Cecidit ſuper collum, vt amoris onus onus tolleret peccatorum. Quia filius inuatur iſtius patris onere, non grauatur.* Equidem quidquid patris eſt, non grauamen, ſed leuamen creaturis ſuis halat. Semper paterna Dei viſcera in noſtram inclinant ſalutem, & vtilitatem. Ex quo lucem capit illud Ioann. 5. *Ioan.5.* *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio:* Quod ſi filius iudicat, quo modo iudicium non tribuendum eſt & Patri? Filius enim in ſe naturaliter habet, quod pater eſt: ergò quidquid facit de eo, quod de patre habet, facit; & ſic de eo, quod de Patre habet, iudicabit, condemnabit. Rurſus cur etiam iudicium non datur Spiritui Sãcto, ſed ſoli filio? Cum in filio ſit natura duplex, diuina ex Patre, humana ex matre, iuxta hanc poteſt aliquid exercere, quod non exerceat pater; inde eſt, quod pater in hominum ſalutem inclinans peccatorum vindictam a ſe abegauit, nec illam dedit Spiritui Sancto, qui in ſe naturaliter habet, quod Pater eſt, ſed dedit illam filio, qui habet etiam aliam naturam, quæ non eſt natura Patris, ſed natura matris, ſecundum quam poterit rigoroſè caſtigare peccata. Sic Ioan. paulo poſt dicta fatur. *Poteſtatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Quippè quæ perſona in ſe naturaliter habet ſolum, quod pater eſt, nõ caſtigat, ſed parcit: non punit, ſed miſeretur; quæ vltra id habet aliam naturam, de hac poterit tribunal iudicij aſcendere.

Tex. Dicit ei mulier: ſcio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus: cum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum.

§. XXXV.

Tunc facile perſuadentur miſteria fidei, cum prius peccata expurgata fuerint.

VIDE nobile Saluatoris noſtri intentum; cupiebat ſeſe mulierculę reuelari, aduentũque ſuum facile perſuadere, & ideò ad puteũ fatigatus ſedet, colloquia miſcet, laſciuos mores fœminæ ob oculos ponit. Hoc ſit primum Euangelici miniſtri telum, peccata è latebris extrahat, impugnet, debellet, & poſt-

mo-

modum facili negotio, vel verbulo fidei suscipientur mysteria. Apud D. Clem. Roman. li. Recog. disputaturus Princeps Apostolorum cum Simone Mago, prius diligenti examine vitam, & mores hominis perquirit, quales fuerint: eius vitia examinat, & in lucem nititur edere. Cur, ô bone, id agis, & tempus absumis in peccatis aduersarij quærendis, vbi de
Cle. Rom. diuinis mysterijs instat bellum? Digna Petri responsio est: *Si enim sciam, quia in his, de quibus non potest dubitari, quod bona sint, emendatus est, & inculpabilis: hoc est, si sobrius sit, si misericors, si iustus, si mitis, & humanus, quæ vtiq; bona esse nullus ambigit: tunc consequens videtur, vt ei, qui obtinet bona virtutum; etiam quod deest fidei, & scientiæ conferatur. Si autẽ in his, quæ palam sunt peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis diuinæ scientiæ proloqui: sed magis protestari, & conuenire eum, vt peccare desinat, & actus suos à vitijs emendet.* Hoc primũ homines sibi persuadere debent, nimirum quod pie, & iuste viuant, si velint rectè diuina mysteria trutinare, & veritatis percipere radios. Deus optimus maximus, perfectissimus mundi conditor prius ait: Genes. 1. *Germinet*
Genes. 1. *terra herbam virentem*, &c. Deinde sequenti die, dicit: *Fiant luminaria in firmamento.* Prius terram virentibus nobilitat partubus, floribus ornat, ditat fructibus; & terræ ornatæ, & compositæ addidit luminaria. Sic prius mẽs hominis ornanda est virtutibus, operibus bonis, & post hæc lumine veritatis illustranda.
Isid. Accipite Diu. Isidorum, quæst. in Genes. c. 1. *Quare primo terra germinauit: deinde facta sunt luminaria? Nisi quia post opera bona venit illuminatio lucis ad contemplandam speciem virtutis.* Eradicẽtur vitia, expurgetur nigra peccatorum rubigine anima, & tunc protinus in illa mysteriorum diuinorum lumen radiabit. Vanus est, qui de abstrusis veritatis mysterijs quærit, antequam ab anima extergat peccata. Amantissima sponsa. Cant. 3. dilectum inuenire cupiens, ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem, & quæram, quem diligit anima mea.* Ecce ei bi diligentia sponsæ in quærendo sponso, dũ ait, quæram; quæstiones parat, studia proponit, quibus solet veritas abscondita indagari, & quibus secretiora mysteria trutinãtur. Quã
Luc. 15. aliter prodigus ille filius. Luc. 15. solum ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Ibo ad patrẽ, dicit, non quæram, quia in quærendo iam aliquod studium circa mysteriorum indagationem explicatur. Ergo sponsa iam Christo per gratiam copulata, de quærendis mysterijs tractat; miser autem peccator nõ de quærendo; sed de surgendo à vitijs, & acquirenda gratia patris. Virtutum via omnibus patens est, & manifesta: mysteria autem Fidei arcana sunt, & recondita, & latibulis gaudent. Ideò ille dicit, surgam, & vadam, tanquã ad nota, & proxima: hæc dicit, surgam, & quærã, hoc est, veritati quærendæ operam, & studia dabo. Quomodo subtilia caperet, qui peccatorum pondere grauabatur? Peccatori quærenti fidei quæstiones, pulchrè respondit D. Isidor. Pel. epist. 104. fatus: *Tuis literis pudore suffundor,* *Isid. Pel.* *ac rursus ob parum honestas actiones te aduersor. Atque, quid nam tibi respondeam, ancipitis animi sum. Non quod id, quod quæris explanare nequeam; Verum quod auribus tuis indignis parcam. Neque enim sancta canibus dare licet. Si autem insanire desinas, & quæ à me quæsijsti, exponam.* Vtinam ad veritatem indagandam accederemus, non tàm mentis luminibus, quàm voluntatis delicijs, hoc est, non tàm scientiarum, doctrinarumque copijs, quàm virtutum sensu. Psalm. 38. *Nox illuminatio mea in*
delicijs meis. Ecce vnde illuminatio oriatur, *Psal. 38.* nimirum à delicijs affectuum, hoc est, à virtutum sensu. Hinc Gillebert. Abb. serm. 1. in Cant. *In delicijs, aut, nõ in scientijs. Ita & tu nolens si non potes scientijs, pertenta illuminare de-* *Gilliber.* *licijs.* Vbi enim sic te composueris, vt ex virtutibus delectationem capias, vitia abomineris, summũ in scientijs mysterijsque fidei incrementum accipies.

Tex. Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: quid quæris, aut quid loqueris cum ea.

§. XXXVI.

Rigidum sese, et austerum exhibeat homo in fœminis colloquendis.

NOVVM, & mirabile in Christi schola visum fuit, familiare, & humanum cũ fœmina colloquium, id semel tantum in magistro suo discipuli viderunt, à quo semper dicerant vna in re supercilioſos, & absteros se monstrare, nimirum, in fœminis colloquendis. Quis Iosepho mitior? Quis humanior? Is tamen, vbi ad fœmineum colloquium ventũ est; Gen. 39. ait Dominæ suæ, *nec quicquã est,* *quod non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es.* Nec Dominæ meminit: humanitatis & comitatis verba obliuiscitur; ibi solum austerus, *Genes. 39.* & grauis. Id quod meditatus Diu. Isid. Pel. epist. 79. fatur. *O virtutem, quæ cæteris quidem omnibus regium in morem; sola autem voluptate tyrannice vsa est.* Necnon patientissimum Io- *Isid. Pel.*

bi animum miraberis, quod cum malos amicos, & furentes diabolos humanissimè ferat, in solam consulentem fœminam scandescat, aiens: *Loquuta es, quasi vna ex insipientibus.* De quo Diu. Augustin. Psalm. 130. Conc. 9. ait: *Ille autem, qui caput obseruabat serpentis, repulit omnem suggestionem. Respondit & mulieri, sicut dignum erat respondere mulieri. Loquuta es, inquit, tanquam vna de insipientibus.* Minimè auscultanda sunt fœminea murmura; sed tãquam hostilia verba excipienda, refutandaq; sunt. Deut. 23. in Ammonitas, & Moabitas æternare cupit Dominus odium Israelitarũ, sic præcipiens. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Sed scire cupis, quo medio vsus sit Dñs, vt hanc inimicitiam, & odiũ æternum Israelis ad Ammonitas, & Moabitas firmaret? Id facilè noscet, qui originem voluptuosam Moabitarum, & Ammonitarum sciuerit. Deus enim, vt æternum odium inseminaret Israelis in Moab, permisit filias Loth parenti ebrio commisceri, ex quo concubitu nascerentur Ammon, & Moab, vnde quasi necessario Israel pacem illorum abominaretur, quãdo pius populus hostiliter se gerere debeat, aduersus lasciuiæ populum. Ita Theodoretus loquitur. Cat. Græc. ad cap. 19. Gen. *Quo magis Israelitæ affinitatem eiusdem impietatis deuitarent, incestum permisit, cauens postmodũ per Moysem, ne Ammonitæ, Moabitæque in Ecclesiam Dei admitterentur:* Imò cauens, ne vnquam pacem haberet Israel cum illis, nec loqueretur verba pacifica in æternum. Adeò cauenda est, & repellenda vel suspicio lasciuiæ, vt nunquam non hostilis habeatur congressus fœmineus: *Non facies cum eis pacem omnibus diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Non finiat mors bellum hoc, sed in sempiternum duret. Erat Legione regia iniũcta Diu. Isidori tẽplo, vbi per fenestram respiciens sacros sancti Doctoris cineres, eius dicta sponsa obincredibilẽ deuotionem prudentissima virgo Sanctia Regina crebras Deo preces fundebat. Quid plura? Ecce tibi dum Sanctia orat, adest è cœlo Isidorus ingenti lumine amictus, petit enixe à Sanctiã, vt quam primum Regiam mutet, in locoque à templo suo separato sedes figat. Cur hoc petis Isidore? Cur deuotissimam virginem è vicinio fugas? Accipe verba tanto Doctore digna, relata à Luca Episcop. Tudẽsi, in histor. mirac. Isid. cap. 35. vbi inquit. *Quamuis ipsa virginitatis votute Deo sacraueris, & ego Deo deuotas semper dilexerim fœminas, tamen nunquam acceptam habui earũ mecum diutinam residentiam corporalem.* Iam Isidori animus in cœlis agebat, iam ossa arida in altari quiescebant, & tamen non pacem facit cum fœminis, sed consortium, & vicinitatem illarum fugit.

August. Deut. 23. Theodor. Luc. Episc.

Tex. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus. Veni te, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci, numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

§. XXXVII.

Suspectæ tibi sint promissiones de futuro, vbi opera statim potes exhibere.

OVera peccatricis conuersio, non procrastinat, non promittit postea factura, nõ se se longis promissionibus deludit, statim inceptum etiam opus abrumpit, relictaque ipsa hydria, oblita domus suæ in hoc incumbit, vt omnibus innotescat Christus. De forti illa muliere dicitur Prou. 31. quod, *digiti eius apprehenderunt fusum*, quasi non fideret promissis; sed exhibitis operibus vellet inniti. Huc accedit Diu. Ambros. ibi dicens: *In colo est, quod facturus es, in fuso, quod fecisti. Vide ergo si aliquid habes in fuso, ibi firmentur digiti tui. Ibi sit fortis conscientia tua. Ibi securus eris.* Digitos ad fusum applica, hoc est, operi statim insiste, quisquis cupis Deo satisfacere, inspirationibusque respondere diuinis. Sanè perfidus ille Anthiochus omnia in cœlo reponebat, nihil habebat infuso, se multa facturũ promittebat, & inter tot promissa, faciebat nihil. Sic lib. 2. Machabæ. cap. 9. vbi graui morbo corripitur, Iudæos æquales tunc Atheniẽsibus facturum pollicetur. *Templum etiam sanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: super hæc, & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.* Ecce quot promissiones in futurum: sed qui tot, tantaque pollicetur in posterum, tunc cum instaret exactio diuina, nihil facit; promittit omnium sacrificiorum sumptus in posterum, & tũc nec agnum quidem meminit offerri in sacrificiũ. Promittit se Dei præconem futurum omni loco; sed tunc nec minimum religionis actum facit in domo sua: satius equidem, & sibi vtilius faceret, si quid in præsentiarũ verò cor-

Prou. 31. Ambros. 2. Mach. 9.

de

de præstaret, si vel instante morbo, instaret ipse operibus pijs, quæ facile posset, difficultatibus ruptis quam multa, & magna in posterum promittere. Deludunt sæpe promissiones futurorum humanas mẽtes: illis enim homines se consolantur, & dum respicientes ad futura, præsentia non curant, miseram inueniunt ruinam. Eccles. 11. Pulchre Eccles. 11. ait. *Qui obseruat ventum, non seminat*, vbi preclaram indigitat similitudinem agricolæ, qui cum tempus expurgandi tritici instat, ipse labores minuere cupiens suos, de die indiem expectat, & obseruat, qui ventus flauerit, promittens sibi in posterum, flaturum Fauonium, qui optimus sit expurgationi faciendæ, & quo flante ipse temporis momẽto omnia perficiat. Quid tunc? Interea præteruolat æstiuum tempus, instat iam tempus seminandi, & cum non sit expurgatum triticum, omnia, bruma occurrẽte, perduntur. Do Collumelæ verba lib. 2. ca. 21. *Vbi paleis immixta sunt frumenta, vento separentur. Ad eam rem Fauonius habetur eximius: quem tamen operiri, lenti est agricolæ, quidum expectatur, sæua nos hyems deprehendit. Itaque in area detrita frumenta sic sunt aggerenda, vt omni flatu possint excerni. At si pluribus diebus vndique silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiem, vasta tempestas irritum faciat totius anni laborem.* Suspecta sit melioris venti expectatio agricolæ, qui securius rusticari cupit, cum primum tempus instet, nil moretur, nullus melioris venti expectatione tardet, sed statim det operam expurgationi quolibet vento; si nullus est, addat brachiorũ in cribando laborem. Ecce tibi tota economia humanæ salutis, siue perditiones; felices homines, cum primum occasionem vident, nulli parcunt labori, quouis vento flante siue reflante, vel ruptis catenis, vel in sudore vultus sine mora instant salutis operi. In felicissimi alij meliorem occasionem expectantes, maiora promittentes, instantia prætereunt, & mille præoccupati ruinis pereunt. Iam componite vobis Samaritanam mulierem, & quinque millia hominum à Christo refecta panibus. Illã sitibunda venit ad fontem vbi est Christus, hi famelici Christum per desertum secuntur. Illam alloquitur dominus, & sese illi manifestat, & abeuntem expectat; hos decumbentes in fœno, & cibo pastus non alloquitur dominus, sed illos fugit. Cur illam expectat, & ab his fugit? Illa vt nouit Iesum statim oblita fontis, oblita sitis, hydriam relinquit, vt obsequium deferat Iesu, & nuntiet populo salutẽ. Hi autem humi decumbentes cibis dant operam decernentes in posteruum suum obsequium exhibere Christo. Et merito, qui cum posset statim suum aliquale obsequium exhibere domino futuri seruitij spe decipiuntur: & occasionẽ amittunt. Ita Ioãn. 6. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum, &c.* Expende, illud, *quia venturi essent*, & nota quã facile deluditur spes obsequij futuri, dum illius prætextu nihil in præsenti efficimus. Prodigus ille Luc. 15. *In se reuersus dixit: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui &c.* De quo eleganter D. Ambros. lib. 7. ait. *Hæc apud se dixit. Sed non satis est dicere, nisi ad patrem venias.* Nõ saluat, quod facere disponis, sed quod facis.

Ioan. 6.

Luc. 15.

Ambros.

Tex. Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebãt ergo discipuli ad inuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius.

§. XXXVIII.

Is bene egestati, & esuriei corporali occurrit, qui primum Deo seruiendo dat operam.

CVM iã allati cibi per discipulos adesset, dominus paulo ante sitiens, & egens nihil prius faciendum sibi putat, quam Samaritanorum prospicere saluti. In quo Saluatoris opere illud in primis notandum venit, nimirum, cur cibi sui nomine vocet curam hãc, & operam, quam posthabito corporali cibo, dat conuertendis Samaritis? Quid habet Samaritanorum salus à Christo domino elaborata cum cibo, & refectione corporali? Equidem inde monstratur causa, & viã, per quam homines per ciborum, bonorumque temporalium copiam occurrant egestati, & fami, si nimirũ posthabitis omnibus istis, primum Deo, & ijs, quę Dei sunt, nitantur seruire. Hæc cura primum Deo seruiendi radix est omnis saturitatis, causa est nunquam deficientis cibi. Iã venit ob oculos paupercula illa vidua. 3. Reg. 17. cuius extrema inopia illis satis exprimitur verbis: *viuit dominus tuus, quia non habeo panẽ, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria: & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna*

3. Reg. 17.

ligna, vt ingrediar, & faciam illo filio meo, vt comedamus, & moriamur. Quis hac pauperior? Sed videre licet, quid ſuggeſſerit Propheta Dei mulieri, quo poſsit venturæ fami ſuccurrere, & perennes acquirere cibos. *Ad quam Elias ait: noli timere: vade, & fac, ſicut dixiſti: veruntamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem,* &c. Ecce tota ſpes famis depellendæ: ecce tota fiducia cibi æternandi, ſaturitatis indefectibilis fundandæ, quod nimirum poſthabito cibo tuo, prophetæ Dei cibando incumbas, primum Deo operam nãues. Pulchrè Rupert. in lib. Reg. lib. 5. cap. 7. *Vt timere non debeas, vt meritò ſpem habeas, vt in æternum viuas de ipſa farinula: mihi primum fac ſubcinericium panem. Hæc autem dicit Deus Iſrael; hydria farinæ non imminuetur,* &c. Nunquam deficiet, imò abundauit ſemper ille, cuius ſtudium præcipuum, & primum eſt circa ea, quæ Dei ſunt. Audio Matt. 21. quod vna ficus maledictionem ariditatis acceperit à Ieſu, à quo etiam veſtis fimbria benedictionem ſanitatis habebat. Cur ficus adeò infelix? Antiquum erat ficus ingenium in fructibus ſuis Deũ non meminiſſe, ne miremur, quod areſcat ficus, & quod ſuccus eius deficiat, quãdo inde bonæ arbores ſuam abundantiam æternant, quod Dei in primis meminerint. Quod ne putes à me gratis dictum, recole Apologum illum propoſitum, Iudic. cap. 9. *Iuerunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem: dixerũtque oliuæ. Impera nobis. Quæ reſpondit. Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum. Veni & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis. Numquid poſſum deſerere dulcedinem meã, fructuſque ſuauiſsimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Loquuta ſunt ligna ad vitem. Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis: numquid deſerere poſſum vinum meũ, quod lætificat Deũ, & homines?* Expende, quod olea, & vitis primo in fructibus ſuis Deum meminerint; ficus verò ſola Deum oblita, tantum fructuum ſuauitatem reminiſcitur: iam inde ventura ficus ariditas, & infæcunditas pronuntiabatur; ſicut & oleę, & vitis indeficiens fœcunditas, & benedictio, vtpote quæ fructus ſuos in primis Deo, & religioni dicent. Hinc Apoc. 6. dicitur Angelo famis: *Vinum, & oleum ne læſeris.* Non enim poſſunt non ſuppetere fructus, qui Deo in primis offeruntur. Luc. 11. aiebat Dominus. *Quis veſtrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte: & dicet illi: amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.* Noto in præſenti, quam promptus erat iſte ad recipiendum hoſpitem, quam antę omnia colebat hoſpitalitatem, ſed qui primum ſtuduit hoſpiti recipiendo, cur ante lucẽ pro panibus cœleſtes fores pulſat? Ibit ante lucẽ, quia putabat Deo verecundum fore, ſi videretur quęrens panes ille, qui ſua in primis hoſpiti exhibuit. Huc ſpectat Chryſolog. ſerm. 40. dicens: *Plus hic iubentis Dei, quam non habentis hominis verecundia nunc laborat.* Equidem plus verecundaretur Deus, quod ſubſtãtia deficeret homini illi, qui ſic primo amplexatus fuit iuſtitiam, quam verecundaretur homo in ipſa panis penuria

§. XXXVIIII.

Obedientiæ fructus multiplex.

NIHIL Ieſu gratius, quàm ſe ſe voluntatiſubdere patris; illi Patris obedientia cibus ſuauiſsimus eſt; & quis tantæ obedientiæ fructus? Iam ipſe ſignat, aiens: *videte regiones, quoniam albæ ſunt ad meſſem.* Præclare poſt obedientiam oſtenſam, meminit meſſes, vt innuat, quod obedientia eos fructuum proventus habeat, qui integram ſegetem conſtituant. Apud Luc. cap. 8. ait Dominus, *ſemẽ eſt verbum Dei*: & quidem verbum Dei à fidelibus prompta obedientia exauditum, ſemen eſt, quod adeò fructus multiplicat, vt integras ſegetes partuariat. Sic Arnold. Carnot. tract. de opere ſex dierum, inquit: *Futurum erat per verbum Dei, quod verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt fructificaret crucifixa pœnitentium caro, & de ſemine obedientiæ virtutum ſegetes creſcerent.* Non enim contenta eſt obedientia quolibet fructu; ſic amat multiplicare fructus, vt ipſa ſola ſegetes integras efficiat. Et quod obedictia multiplicet fructus, videre licet, 4. Reg. 2. vbi raptus fuit in cœlũ Elias pallium cilicinum diſcipulo Eliſeo dimiſit. Cui Eliſeo? Illi, qui petierat: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Dimiſſum itaque eſt Eliæ ciliciũ Eliſeo, qui efficiendus erat duplex; ſed cilicium, quod Eliam ſimplicem ſolum fecerat, qualiter datum Eliſeo faceret duplicem? Equidem Eliſeus cilicium à magiſtro accipiens fit duplex, quia opera, quæ de magiſtri obedientia veniunt, nouerunt ſemper duplicare, imô multiplicare fructus. Hinc lucem capit Chryſoſt. hom. 8. ad popul. inquiens de Eliæ cilicio, *Heliæ melotes gratia diſſoluit: hæc Iordanem diuiſit; hæc Eliſeum duplicem Eliam fecit.* Non in Elia, ſed in Eliſeo cilicium multiplicat fructus; quia Elias propter ſuam voluntatem cilicium habebat: Eliſeus de obedientia magiſtri, & de obedientiæ ſemine plurimum creſcunt virtutes. D. Hieronym. epiſt. ad Helio-

dorum

dorum ſic Nepotianũm commendat. *Referet alius, quod in Palacij milicia ſub chlamyde, & candenti lino corpus eius cilicio tritum ſit; quod ſtãs ante ſeculi poteſtates lurida ieiunijs ora proſtrauerit; quod adhuc ſub alterius rudimentis alteri militauerit, ad hoc habuerit cingulum vt viduis, populis, orphanis, miſeriſque ſubueniret. Mihi non placent dilationes iſtæ imperfectæ ſeruitutis Dei. Veruntamen velut incunabula quædã naſcẽtis fidei comprobemus, vt qui ſub alienis ſignis debotus miles fuit, donandus laurea ſit, poſtquam ſuo regi cæperit militare.* Ecce tibi ciliciũ, ieiunia, elemoſinæ â Nepotiano factæ vocantur à D. Hieronimo dilationes imperfectæ ſeruitutis Dei; vocantur incunabula quædam virtutum, quę de obedientia poſſent in ætatẽ perfectam plenitudinis Chriſti peruenire. Obedientia virtus eſt, quæ omnium virtutum fructus duplicat, quæ maximè placet oculis diuinis. Poſt conſumatam hominis effectionem, nil audio à Deo in operis commendationem dictum; nihil loquitur Deus; verum poſt effectam lucem, ſtatim ſubditur, *vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* An lucis creatio gratior Deo extitit hominis creatione? Vndê lux habuit, quod magis placeret, quã homo? Lux in hoc excedit, quia iuſſa fieri, quã prõptiſsime obediuit, & Dei imperio audiens profiliuit in medium. Ita notat Theodoretus in cat. Græc. dicens. *In rebus, quas fecit ex imperio Deus, vtitur hac veluti comprobatione, & vidit, quod eſſet bonum. Id circo in Adam, quem ſuis veluti manibus conformauit, nil opus fuit his verbis.* Rapiunt præ alijs diuinos oculos res, quæ imperio diuino quam citiſsimè obediunt, & inde maximè probantur, & cõmendantur Deo.

Hieron.

Theodor.

§. XL.

Omnes perfectioni acquirendæ nitantur.

SVVM cibum dicit dominus eſſe, vt faciat voluntatem patris, & perficiat opus eius: Totius enim ſanctitatis perfectio cum Chriſto domino aſſeruatur. An quia Chriſti ſolius cibus eſt omnimoda virtutis perfectio, nos nec eius guſtum aliquando vel ſaltem extremis labijs prælibabimus? Abſit: immo omnes in ſe deificę perfectionis obtinẽdę aliquale experimentum faciant, quod ſine Dei vocantis cõtemptu difficile prætermitti omnino poterit. Paruus erat Dauid, & magis paruus ſi compararetur Sauli, qui ab humero, & rurſum excedebat omnes populares, tamen vbi iuſſus eſt induere regia arma, induit quidem loricam Saulis, & impoſuit galeam æreã ſuper caput ſuum, 1. Reg. 17. &, *cæpit tentare ſi armatus poſſet incedere. Dixitq; Dauid ad Saul non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo: & depoſuit ea.* Vel primo aſpectu viderat Dauid ſe inferiorem eſſe illis armis, & tamen illa induere non recuſauit. Similiter cum primum ea indutus eſt, animaduertit, ſe nimis grauari, & occupari, & tamen cæpit tentare ſi armatus poſſet incedere, credens omnia hęc experimẽta à ſe exhiberi debere, ne in Saulis contẽptũ videretur armorum neceſſaria depoſitio. Ita Rup. in Reg. lib. 2. cap. 5. Sciens Dauid Saulis ſibi imparia arma, *quare ſic fruſtra tentauit? Videlicet, quia ſic pulchrius facto ſuam ſpem regi oſtenderet, quàm ſi oblata regis arma mox voce, aut verbo præcipitij, quaſi cum contemptu depelleret.* Non regium contemnebat imperium, qui poſt experientiam, quod armatus non poſſet incedere, deponit arma. Sic omnes fideles ad Chriſtianam perfectionem vocati, vt induant iuxta D. Paul. *armaturam Dei*, non antea à Dei armis abſtineant, quam probent, an ſic armati poſsint incedere. Fateor armaturam Dei, qua Principes tenebrarum debellauit, ingentem eſſe, & ſuperiorem viribus humanis, quis homo Chriſti nuditatem ſuſtineat? Quæ caro tormentorum ſegetes metet? Quis excellentiæ eiuſdem charitatis in Deum, & proximos etiam inimicos attinget? Quis incredibilem patientiam ad ſuſtinenda oprobria æmulabitur? Hæc ſunt Dei arma aduerſus inuiſibiles hoſtes, hęc iubemur induere, vt vincamus, ſic enim ait Paul. ad Epheſ. 4. *Induite vos armaturam Dei*, & arctius D. Athan. quęſt. 13. addit. *Induite vos totam armaturam Dei*, quaſi in nullo nobis parcat, ſed, vt cunctis Dei armis coruſcemus, flagitat. An fieri poterit, vt omnes cõmuniter fideles his Dei armis veſtiantur? Et quia id minimè fieri poteſt, ideo relinquenda communiter ſunt ea arma? Abſit: ſed ab omnibus probanda, & experienda. Quiſquis fidelis eſt, experientiam aliqualem faciat, an his armatus incedere poſsit; ne videatur cum contẽptu dimittere Dei arma. Qui nunquam ieiunauit, qui nunquam macerationem carnis expertus eſt, non excuſabitur apud regem cœlorum, quod eius armis non vſus fuerit. Hoc igitur fixum fidelium animis ſit, quod vbi ad Deum accedunt, armaturã Dei ſumãt, & luctentur cum Deo, eius congreſſus imitãdo, & probando an ſic incedere poſſent. Cum Iacob in patriam rediret Geneſ. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Quæ hæc lucta? Lucta hęc erat, qua Iacob ſub Dei armatura exercebatur, & probabatur, ſi diuinarum virtutum poſſet æmulator incedere. Vndè Diu. Ambroſ. monet vniuerſos epiſt. ad Irineum fatus. *Ad Deum qui venit, luctetur cum Deo, vt ad imitationem eius ſeſe exerceat, ad humilitatẽ Chriſti, & paſsiones eius congrediatur.* Nullus à Chriſti

1. Reg. 17.

Rup.

Epheſ. 4. Athanaſ.

Geneſ. 32.

Ambr.

Christi virtutibus propter ingens earum pondus abstineat, sed probet, sed totam eius armaturam induat, curetque eius perfectiones imitari, ne ante experientiam videatur cum contemptu deponere Dei armaturam. Hanc probationem iam præteriuisse insinuat Diu. Paul. 1. ad Corinth. cap. 9. *Sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo*, &c. Quæ verba mihi quæstionem faciebant, cur Paulus suas macerationes dicit, nõ esse aeris verberationes? Quis crederet, quod tantus Apostolus se affligeret, quasi aerem verberans? Quis tantùm splendorem virtutum auderet conferre cum vanõ aeris verbere? Crediderim ergo non ibi de vano aeris verbere agi, sed de prudentissima exercitatione armorum, qua quis experitur si rectè armis vti posset, aera feriendo. Ait Apostolus pugnas suas non esse iam ad experiendum quid posset, sed similes esse his, quibus Dominus confregit tyrannidem inferorum.

1. ad Cor. 9.

Tex. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iã ad messem.

Ioan. 5.

§. XLI.

Deus labores omnes viribus hominum commensurat.

QVIS Deinõ miretur, & bonitatẽ, & sapientiã, qua sic humanos labores distribuit, vt possint facilè à quoquã sustineri? Sũmus agricolarũ labor est, sed ita per tẽpora, siue seminũ, siue frugũ distributus, vt nõ excedat carnei hominis mensuram. Sic D. Isid. Pel. lib. 3. ep. 170. inquit. *Vide quẽadmodũ non vno, eodẽq; tẽpore frumentũ, & vinũ, & oleũ, & poma, varijq; flores existant: prata quidẽ antecedunt; sequuntur segetes, quas deinde vinea excipiat: ac denique agricolam racemus ad oleam transmittat: anni videlicet partibus, tãquam optimum quẽdã chorũ agitantibus. Nã si cuncta cõfestim ad vigorẽ suũ peruenirent, profectò agricolæ industria ob temporis breuitatẽ, in angustias veniret.* Nũquã à Deo in homines veniant labores, qui nõ veniant viribus humanis cõmensurati. Imò nũquã Deus adeò est iratus, sic suã iracũdiã effundit, vt nõ meminerit mensurã, & staterã, qua laborum, & flagellorum põdus trutinet, & semel, & iterum reducat ad examen. Dan. 5. iratus Deus in Babilonium Regem scripsit in pariete sententiam capitalem, cuius inscriptionis verbum è tribus erat, *Thecel*, quod iuxta Danielis declarationem sonat, appensus es in statera, vbi Septuag. apud Chrysost. legunt: *Librauit Deus regnum tuũ*, quasi non aliter iram Deus infunderet, nisi prius libræ meminerit, & laborum cumulos mensuraret. D. Chrysost. in Ps. 95. ait. *Librauit, inquit, ac mensus est, nihil enim ab illo sit absque mensura, nihil sine pondere, sed iustam mensuram vindictam iniigit, cumque punit, trutina librat vltionem.* Non aggerat laborum cumulos, non conglomerat pœnas, vt obruat, quos castigat, sed omnia trutinat, certaque mensura, non tã effundit, quã inclinat. Quod si aliquãdo nefarissimus Iudas vltra omnem mensuram puniendus fuit, vindictam illam non Deus intulit, sed ipse scelestissimus sumpsit. De illo Matth. 27. dicitur: *Proiectis argenteis in tẽplo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Id quod meditatus Diu. Leo serm. 3. de passione sic loquitur cum ipso, reddens rationem, cur eius manibus permissa sit vindicta. *Vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Expende illud: *quia facinus tuum omnem mensuram excesserat.* Vbi enim labor, & ærumna, sine mensura inferenda erat, non ibi Deus iudicem agit, id munus scelestissimo Iudæ creditur, qui solus supra mensuram supplicia sibi conglomerare potuit. Bonus Deus nullam nouit infligere pœnam, sine parua, & certa mensura. Ad superbissimum tyrannum dictum est. Daniel. 4. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum transijt à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus.* Expende mensuram in tanti peccatoris supplicio, nimirum septem tempora: cur solum septem tempora castigatur, qui æterna merebatur supplicia? Pulchrè Diu. Prosper. part. 2. de promis. cap. 34. inquit. *Sic præsumptores cadantur, sic superbi castigantur ab eo, qui potat in lachrymis in mensura, quia sunt iudicia eius suauia.* Sic sunt suauia profectò iudicia eius, vt nec supplicia ab eo illata certæ mensuræ modum excedere videantur.

Isid. Pelus.

Dan. 5.

Chrysost.

Leo. 3.

Dan. 4.

Prosper.

§. XLII.

Errant qui in præsenti sæculo virtutum triticum omninò absque paleis requirunt.

GAVDEAS nobilis agricola Christus de prouentu frugum nõ horrea cribratis

tis granis plena, ſed meſsium manipulos, ſed areas oſtendit, vbi adhuc, & grana, & palleæ viſuntur mixtæ. Ait enim: *Videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem:* & quidem in præſenti ſæculo non requirit ſapiens agricola iam munda frumenti grana, quando id non ferrent humanæ vires, quæ nec granum emittunt ſine palleis. Qui generis humani perditioni ſtudet, his vt primam Eccleſiæ meſſem omninò perderet, eam munditiem ne ceſſariam ingerebat, qua nec minimam ſuſtineret palleam. Sic Dominus. Luc. 22. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Vbi pro maxima ſuorum tentatione ponit Dominus, quod illi ab hoſte expeterentur ad cribrum, quando per tempus vix fieri poterat, vt eſſent ſine palleis. Non enim eſt huius temporis ſic velle homines cribratos, vt nec ad pallulam conuiuere velis, id ſolum requirendum, cum iam grana munda horreis cœleſtibus aſſeruentur. Quô ſpectat illud Auguſt. ſerm. 107. de tempore aientis. *Modo Corpus Chriſti, quod iuſtis area eſt, poſtea erit horreum; tamen cum area eſt, non recuſat palleas ſuſtinere, cum tempus aduenerit, reponet triticum, & à palleis ſegregabit.* Scit optimus agricola diſtinguere tempora, nouit, nec cauſatur, quod in areæ tempore palleæ ſint mixtæ granis frumento. Imò iuxta temporis exigentiam patitur in ſuis palleas, nec propter illas triticum contemnit. Apud Luc. cap. 15. mulier drachmam perdit, quæ non ideò reijcitur à Domino, ſed laudatur, quod accenſa lucerna perditam recuperet. Eleganter Tertul. lib. de pudicitia, ait: *Iuxta drachmæ exemplum, etiam intra domum Dei Eccleſiam licet eſſe aliqua delicta, proipſius drachmæ modulo, ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta ſtatim ibidem cum gaudio emendationis tranſigantur.* Non enim huius temporis eſt carere omninò peccatis, ſed ibi eſt vera ſanctitas, vbi etſi peccata dentur, inuenitur eorum vltio. Iacob ad patriam rediens acceſsit Sichimorum vrbem, in qua rapitur eius filia Dyna, & raptus gladio Simeonis, vindicatur acerrime. Geneſ. 34. Quod memorans Diu. Ambroſ. epiſt. ad Irinæum, ſic nos omnes monebat. *Ad Deum, qui venit, Sichimam precioſam illam, atque actuoſam inhabitet virtutum officinam, vbi læſæ caſtitatis grauis eſt vltio.* Magnam omnibus quæſtionem facient hæc Ambroſij verba, quibus monemur omnes inhabitare Sichimam, vbi læſæ caſtitatis grauis eſt vltio. Non ne melius eſſet ire ad Deum per viam, in qua nullam incurramus offenſam? Hæc via non inuenitur in mundo, hæc puritas non eſt in area, & ideò hanc quærat homo viam ad Deum, vbi peccata caſtigantur, vbi culpa puniantur, non vbi nullæ culpæ dentur, quod nequit fieri. Puta in quolibet homine non horreum, ſed aream eſſe, in qua ſimul omnia opera bona, & mala ſunt congregata, neque aliter inſpiciendus homo eſt in hac miſeriæ valle. Eſaias cap. 66. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum, venio, vt congregem.* Cur non potius dicit Dominus ſe venire, vt diſcernat opera noſtra? An non magis ad Deum ſpectat, quod noſtra diſcernat, bonaque à malis ſeparat, cur potius dicit ſe venire, vt congreget? Vult Dominus docere, qualiter homo inſpiciendus ſit in hoc mundo à proximo ſuo: inſpiciendus eſt homo, vt area inſpicitur ab agricolis, in qua ſunt omnia permixta, & congregata, & frumentum, & palleæ, & tamen illa congregatio propter frumentum incluſum, & placet, & æſtimatur. Similem in homine congregationem inſpice, & nullus erit, qui te offendat peccatis. Accipite Diu. Baſil. concione de humil. ſatus. *Si proximum peccantem videris, ne hoc ſolum ipſius conſiderabis, ſed & quæ fecit, aut facit probe animaduerte, per omnia expendens, & non particularia contrectans. Neque enim Deus particulariter hominem expendit. Ego enim, inquit, opera, & cogitationes ipſorum venio, vt congregem. Et cum increpaſſet aliquando Ioſaphat propter propinquum peccatum, meminit eorum, quæ rectè perpetrata ſunt ab eo, dicens: verum boni ſermones reperti ſunt in te.* Sic omnia hominis opera inſtar areæ ex palleis, & granis congregatæ inſpicienda ſunt, ne palleis offendamur, quando illis tantum frumenti precium adiacet. Accinit Diu. Auguſt. in Pſalm. 80. vbi illam inſcriptionem, *pro torcularibus*, explicans ſatur. *Vultis noſſe vim torcularium noſtrorum? Vt vnum dicam, vnde & ipſi murmurant, qui ea faciunt. Quantæ, inquiunt, rapinæ temporibus noſtris, quantæ præſſuræ innocentium, quantæ expoliationes rerum alienarum? Ita ſanè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis, quia dantur & propria? Non habebat antiquitas tales raptores rerum alienarum, ſed habebat antiquitas tales datores rerum ſuarum? Adiunge omnia, & videbis patrisfamilias tui plenas apothecas; vides raptorem, qualem nũquã vidiſti, vide contemptorem rerum ſuarum, qualem nunquam vidiſti.* Sic congreganda ſunt omnia, nec magna virtutum lucra contemnenda, propter minora peccata. Illi tyranno dicitur. Dan. 5. *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Non proijcitur, quia peccata haberet, ſed quia bona facta longè minora erant, quam ſcelera,

Luc. 22.

Auguſt.

Tertul.

Geneſ. 34.

Iſai. 66.

Baſil.

Auguſt.

Tex. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

§. XLIII.

Virtutis præmia citissima.

FELIX, qui in area Domini laborat. Non longis itineribus, non post longa tempora mercedem accipiet; sed & nunc in præsenti mercedem accipit, & postea in futuro sæculo de bonorum operum fructu ditatus ęternum viuet. Diuinus enim Paterfamilias non tardat mercedem seruis suis. Memini multis dubium fuisse, cur Deus prius condiderit vniuersas orbis creaturas; & eas, quæ ad delitias, & diuitias hominum conducunt, ante homines fecerit parturiri. Pro cuius solutione Diu. Ambros. epist. 38. ad Horont. fatur. *Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminum? Qui igitur agonem suscipit in hoc sæculo, nonne omnia præparat, quæ agoni sunt necessaria, & tunc athletas vocat, paratis præmiorum infulis, certaturos ad coronas, ne moram patiatur, qui vicerit, sed præmio donatus recedat? Præmia igitur hominis terrarum fructus sunt, & cœli lumina. Illa ad vitæ præsentis vsum, hæc ad spem vitæ æternæ.* Adeò enim refugit Deus tardare seruorum suorum mercedes, vt præter cælestes thesauros, terrenos fructus præmisserit, ne victor moram patiatur, sed statim pręmio donatus viuat. Imò ea est pię seruitutis mercedi adnata natura, vt ipsa se se merentibus, quam facilimè, & citissime offerant debita munera. Danielis 5. cum cœnaret Rex Balthasar, vidit sententiam damnationis suæ scriptam in pariete, proponit ingentia præmia expositori. Adest Daniel, legit scripturam, prædicat iam in foribus esse Regis mortem, & finem regni. *Tunc iuuente rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno. Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Caldæus.* Meritò miraberis, quod post nuntiatam mortem in foribus, media adeò calamitosa nocte, vbi auditur sententia, hostes occupant regiam, Rex perit, locus, & tempus fuerit, quo Daniel tantis donis, & præconijs honoraretur. Vnde purpura, vnde torques aurea, vnde pręco, inter angustias mortis, inter incendia, inter milites furentes venire potuerunt? Pulchrè D. Isidor. Pelus. epist. 97. lib. 2. ait. *Non enim dubium, quin sapientiæ præmia in promptu essent.* Sunt, sunt in promptu virtutis pręmia, & adeò in promptu sunt, vt nullis concurrentibus, imò pręcurrentibus malis impediri queāt. Venit aliquando citissima, & inopinata mors, venit pennata calamitas velocior aquilis cœli, sed longè velociora veniunt virtutis præmia, quę nulla malorum pernicitate possunt anteuerti. Bethuliæ ciues hostili cincti exercitu, sic properabant exire de tribulatione, vt decernerēt, quinque tantùm diebus expectare auxilium diuinum. Hanc impiam festinationem obijciens illis pijssima fœmina Iudith cap. 8. *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assirijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius, qui iram excitet.* Hęc Iudith, vt impiam, & nimiam populi properantiam obtundat, sed & suam offert industriam pro patriæ salute, se seque deuouet, vt illud à ciuitate depellat periculum. Et cum iam portę ciuitatis appropinquaret, vt in arenam cum nefario hoste prosiliret, ait ad ciues suos: *Orate, vt sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum.* Expende illud, sicut dixistis: non enim iam solum tempus adiutorij diuini præfinit, sed insuper addit, quod sit istud quantum à nimia, & temeraria festinatione antea præfinitum erat. Cur bona fœmina eosdem, quos reprehendisti præfinitos dies expectationis, modo tu tibi præfinis? Sciebat prudens fœmina, quod tantæ virtutis, qua se pro patria deuouebat, pręmia sic in promptu erant, & properabant venire, vt nimias etiam properationes, & temerarias possent, & deberent vincere.

Text. In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, alius est, qui metit. Ego misi vos metere, quod vos nō laborastis; alii lāborauerūt, & vos in labores eorum introistis.

§. XLIIII.

Christi Domini passi exemplum maximè suorum leuat labores.

VIDE veteres Prophetas, & vide Christi Apostolos, hi missi sunt in mundum vniuer-

vniuersum predicare Euangelium omni creaturæ in frigore, & nuditate, in periculis multis, in fame, & siti, in verberibus, & morte: quare ergo dicuntur minus laborasse, quam illi? Quia nimirum Apostoli laborum suorum habebant præ oculis exemplum Christum, quo necessarium erat maximè labores imminui. Paupercula fœmina. 3. Reg. 17. ad Eliam
3. Reg. 17. fatur. *Viuit dominus tuus, quia non habeo panẽ, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho*: Quid intanta paupertate mulier faceret? *En colligo*, (ait) *duo ligna, &c.* Quasi extremę famis solatium, & le
Rup. namẽ putat colligere duo ligna. Quod istud leuamen est? Quæ ligna hęc? Ruper. in Reg. lib. 5. cap. 7. inquit: *En colligo duo ligna, en meã consolor inopiam, amplectẽs crucis ligna, vt comedamus, & moriamur.* O mors, ò inopia de crucifixi memoria, plena consolationis, & leuaminis? Fallor nisi hucrespiciat illud Psal. 118.
Psal. 118. *Fiat misericordia tua, vt consoletur me.* Non enim petit, vt præbeat misericordiam ad consolandũ, sed vt ipsa misericordia consolãs fiat; quippe tunc cum Iesus cruci affigebatur, tunc maximè ea misericordia fiebat, quæ leuamen afferret, & consolationem tribulatis.
Amb. D. Ambros. super hunc Psalm. lit. 10. legit, *fiat misericordia tua, vt exhortetur me.* Misericordia, enim quæ in cruce fiebat, simul & calcar erat, quo ad similia perferẽda incitabamur, & in labore imitationis consolationẽ, & leuamẽ
Amb. afferebat maximum. Vndè Ambros. ait. *Magna est ergo misericordia Dei, quæ non solum remissionem tribuit peccatorum, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne suscepti certaminis passiones in belli formidine derelinquant.* Potens equidem est tantę misericordię exemplum in cruce exhibitæ, & calcaria adhibere, & leuamen addere, ne in quotidianis duellis deficiamus. Sapientissimus ille rex, qui in ferculo suo, vel lectica, laborantibus, deficientibusque, *aureum reclinatorium*, aptauit, quo leuamem aliquod in tribulationibus capiãt, de Christi sanguine vniuersos ascẽsus gradus, purpurauit, vt constet omnibus, quod solus Christi sanguis valet collaborãtibus requiem
Cant. 3. & leuamen præstare. Fecit enim Cant. 3. *ascensum purpureum*. De quo eleganter Gillib.
Gellib. Abb. serm. 18. in Cant. ait. *Hæc tibi purpura sufficiat ad fastum, sufficiat ad ascensum, sufficiat ad gloriam, vt non glorieris nisi in cruce domini tui Iesu Christi: Ascensus te purpureus reclinatorium perducet ad aureum.* Nullibi pedem figas, quin dominicus sanguis tibi semitam aperiat, & pandat, quo viso, nullus ascẽsus arduus, nulla paupertas inhonora, nulla tribulatio in gloria, nulli tibi erunt dolores, qui consolationem non habeant maximam. Sanguis enim Christi viatorum dum comes est, non finit eos fatigari, sed declinationes laborum vbique parit. Hinc felix sponsa, ne fatigaretur huius temporis erumnis, labores domini sui sibi ob oculos ponit, Cãt. 1. aiens. *Cant. 1.*
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Vbi myrrheus est ipõ sus, hoc est, vbi mortis, crucisque præsefer faciem, inter vbera sit, ob oculos versetur, vt minores nostras angustias faciat. Dicit namque
Bern. serm. 43. in Cant. *Si enim ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videtes angustias domini, leuius vestras portabitis!* Quod in Martyrum victorijs animaduertens Petrus Blesensis, ait opusculo in Iob. *Strat Martyr afBlesen. flictus quidem sed inuictus, videnſque sanguinẽ suum ex diuersis corporis partibus ebullire: non sua, sed redemptoris vulnera attendit. Dolores corporis lacerati non sentit. Non fidem vbi Eupor, sed amor, nec deest dolor, sed pro Christo contemnitur.* De hoc infra lib. 8. ca. 3. §. 15.

§. XLV.

Prophetia de Christo facile, & illaboriosum iter facit, vt nationum fides ingrediatur.

MVLTVS est Irinæus lib. 3. cap. 25. in prouando, quàm facilitarit patriarcharum prophetia Nationum fidem de Christo. Sane Prophetæ laborabant noua, & inaudita annuntiantes, quæ ægre, & difficulter credi poterant, vel ab ipsis conciuibus prophetarum. At post impletas prophetias illarum veritate armati apostoli facilem, & amplum fidei præseferebant callem. Indè vbi Dei mors annuntiatur, statim vt facilè, & sine labore credatur, additum est illud, *secundum scripturas*. Id quod notat Tertullian. aduersus *Tert.*
Praxeam, fatus. *Sufficiat filium Dei mortuum dici: quia ita scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronũtians Christum mortuum, adiecit, secundum scripturas, vt duriciam pronuntiationis scripturarum authoritate molliret, & scãdalum auditor auerteret.* Quis persuaderet hominibus Deum aduenisse moriturum? Maximus in hoc labor fuisset inendus esset; difficilis enim erat, & dura annuntiatio de Dei morte, sed vbi prophetia accesit, eam prædicans, facilè creditur. Mirabar facilitatem qua Eunuchum Candacis Reginæ ad fidem adduxit Philippus
Actor. cap. 8. Iterille faciebat, cui subito Phi- *Act. 8.*
lippus adest, homo illi ignotus, & habitu parum commendabilis, explicat totam æconomiam Christi, prosilit â curru Eunuchus & baptizatur. Vndè tam facilè vir prudens fidem præbet homini ignoto? Cau-

ſam textus inſinuat, aiens. *Accurrens autẽ Philippus audiuit eum legentẽ Iſaiã Prophetã: locus autem ſcripturæ, quam legebat, erat hic: tãquam ouis ad occiſionem ductus eſt*, &c. Itaque prophetiæ lectio ſic diſponebat fidei aditum, vt abſque difficultate crederentur res admirabiles. Ita D. Irinæus lib. 4. capit. 40. fatur. *Philippus, cum inueniſſet Eunuchum Reginæ Æthiopum legentem ea, quæ ſcripta ſunt, quemadmodũ ouis ad victimam ductus eſt, facile ſuaſit ei credere, eum eſſe Criſtum Ieſum, qui ſub Pontio Pilato paſſus eſt, quæcumque dixit Propheta, eumque eſſe filium Dei, qui æternã vitam hominibus dat. Quapropter non multum laborauit circa eum Philippus, qui erat in timore Dei præparatus à Prophetis.* Quæ difficultates non vincuntur à prophetia? Qui error non deuaſtatur? Sanè ea eſt prophetiæ virtus, quæ, ſi attendatur, facili negotio fidei regnum ſtabiliat, innumeros de hoſtibus agens triũphos. Debbora illa prophetes Iud. 4. meritò innuitur, quod, *ſedebat ſub palma*. Vide quàm debitam habeat ſedem prophetia, ſub palma ſedet, quia omnia nouit vincere. Sic D. Iſidorus in Iud. quæſt. cap. 2. ait. *Sub palma, inquit, ſub palma ſedem habet prophetia, quia quos ſuis inſtitutionibus erudit, ad palmam ſuperna vocationis adducit.* Tũc certiſsimos agit fides triumphos, quando præmittitur prophetia. Angelus, qui mulierum fidem firmare volebat Matth. 2 3. ait de Domino, *ſurrexit, ſicut dixit*, quaſi & viſibilem reſurrectionem decoraret prophetia; & tanto reſurrectionis ſigno adhuc prophetia robur inderet. Quod notans Chryſol. ſer. 8. fatur. *Gemina virtus eſt, & redire à mortuis, & futura præſcire.* Similiter anxum Ioſephum de intumeſcẽte Mariano vtero, ſic Angelus affatur Matth. 2. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Sed quomodo ad tantum myſterium credendum adducetur homuntio? Pergit Angelus, vt adſtruat fidem. *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem. Ecce virgo in vtero accipiet.* Prophetiam exerit, & Ioſephum deuincit ob ſequio Mariæ. Ita Irinæus lib. 4. cap. 40. inquit. *Quapropter ſine dubitatione ſuaſus Ioſeph, & Mariam accepit, & in reliqua Domini educatione Chriſti gaudens obſequium præſtitit.* Adeò prædicationis difficultates mollit, imò tollit prophetia. Vbi enim illa facẽ præfert, victoria de omnibus venit cita.

D. Irinæ.

Iud. 2.

Chryſol.

Irinæus.

Text. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis. Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.

§. XLVI.

Sermo, qui ad ſalutem conducat, à quouis audiatur, accipiendus eſt.

NON Parũ cõmendatur Samaritanorũ prudẽtia, & ſalutis auiditas, quod vel in ore mulieris, nõ deſpicerẽt ſermonẽ ſalutis, ſed illi fidẽ tribuerent. De eloquijs enim diuinis notãter canebat Pſaltes, quod, *ſint dulciora ſuper mel, & fauum.* Cur ſaui meminit, vt eloquia diuina promulgaret? An, quia vel ex mortui cadaueris ore haurienda? Placet ea ratio; rurſus crediderim ibi nos doceri diuinis eloquijs ſtudere, vt ſtudẽt apes fauis efformandis. Sanè ab apibus nullus floſculus, etiã humilis, etſi deſpectus, etſi in agrorũ receſsibus nutritus cõtẽnitur, ne ab illo liquorẽ ſuũ emendicent, & hauriant. Ita & tu ſalutis eloquia, vt haurias, nullius contẽnes ora ſpirantia pietatẽ. Accipe D. Paulinũ ep. 4. ſic fantẽ. *Vbi que captemus cibũ vitæ, vbiq; aucupemur verbũ Dei; de omniũ fidelium ore pendamus, quia in omnẽ fidelẽ Spiritus Dei ſpirat, & neceſſe eſt à minimo Dei ſeruo, vel gutta cœleſtis ſapientiæ diſtillare.* Nemo ſibi tã ſapiẽs videatur, qui cæteros contẽnat, qui nolit verbũ ſalutis etiã de illiterato hominis, ſiue mulieris ore capere. Sapientia ædificauit ſibi domũ: inſuper addit. *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcẽ, & ad mœnia ciuitatis.* Sæpiſsimè vocatio Dei non à pulpitis, nõ à cathedris, nõ à diſertis hominibus, ſed ab ore ancillulæ, vel etiam mancipijs diaboli datur. Nõ ſemper ſapientia Dei doctrina, & religione præcelſos viros exerit, vt ad cœleſtẽ euocet ciuitatẽ, ſed & viles homines, & ab hoſtili agmine tractos captiuos ducit, vt miniſterio ſeruiant animarũ. Ecce Iud. 8. ſapiẽtes omnes Ieroſolimitani, imò, & Ozias ſacerdos pẽdens ab ore fœminæ, cui aiũt. *Omnia, quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. Nũc ergo ora pro nobis, quia mulier ſancta es.* Nõ dedignãtur ſapiẽtes viri, verbũ Dei ab ore fœminæ expectare, quo præclarũ auſpiciũ dederunt ſuæ incolumitati. Hoc nos ſatis docet ſponſa Chriſti, quæ dũ ſponſum quærit, quoſcũq; offendit, ſine delectu quærit de illo, Cant. 3. *Inuenerũt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatẽ. Nũquid, quem diligit anima mea, vidiſtis?* Miror, quòd prudentiſsima virgo ex militibus illiteratis reſpõſum ſperet vitæ. Scit milites, ſcit pro murorũ

Pſal.

D. Paul.

Prouer. 8.

Iud. 8.

Cant. 3.

robore

robore positos, scit plus armis, quam literis operam dedisse, & nihilominus non de dignatur ab illis aliquid de Deo suo inquirere. Gil-
Gillebert. leb. ser. 7. in Cant. ait. *Videte fratres, quid proficiat consultatio custodum? Deuotam, sed vagam animam ad inuentionem dilecti perducit. Vtilis quidem consultatio, & frequenter, quod non cõfert eorum, qui consuluntur eruditio, consulentis meretur humilitas.* Itaque non de dignata prudentissima sponsa à nocturnis custodibus murorum, à militibus verbum salutis accipere, paululum cum eos pertransisset, inuenit dilectum suum. Non tamen facilè adducuntur sapientes mũdiales, vt de quolibet ore accipiãt verbum vitæ, hinc est, quod aliquando Deus ad hos trahendos, nõ ab humiliore, sed ab alto cœlorum fastigio in illos verbum salutis
Psal. 103. stillet. Sic Psal. 103. *Rigans montes de superioribus tuis.* Humiles enim colles de quolibet riuulo humorem accipiunt, verum alta montiũ culmina non nisi de cœli nubibus. Quod
Augustin. in rem præsentem D. Aug. de Pauli exemplo expendit. *Cum Paulus petra adhuc esset in infidelitate aspera, volens eam rigare de superioribus suis, vt flueret aqua in conuallem, clamauit. Saule, Saule, quid me persequeris? Non ei legit Prophetam, non ei legit alterum Apostolum: omnia enim ista contemneret mons magnus, rigat eum de superioribus suis.* Caue tu, ne expectes sic rigari, sed vt conuallis humilis de quocũq; expecta guttas, vt excludas æternam siccitatem. Sero enim sapiens ille diues non dubitabat de pauperis Lazari digito guttam accipere, quæ resisteret æternæ flammæ.

§. XLVII.

Diabolus totus est in deaurandis peccatis, ne appareant.

ECCE vnde prudentissima fœmina diuinitati Christi fidem astruebat, *quia*, inquit, *dixit mihi omnia, quæ feci.* Quæ fecerat adulteria mulier ex ore Christi accepit, & inde illum Deum putat, & prædicat; nonne diabolus eadem posset nũtiare? Cur magis à Dei quam à dæmonis spiritu sibi putat ob oculos proposita turpiter facta? Solus equidem Dei Spiritus est, qui vt accedit ad animam illi ob oculos proponit nuda peccata; diabolicus autem spiritus non sic, sed totis viribus curat peccata, nescio quo fuco, colorare, & deaura-
Ier. 1. re, ne appareant. Ieremiæ ostensus est, cap. 1. miserrimus peccatricis animæ status, quando ait. *Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Quid aliud in peccatrice anima videre licebat, nisi ollam, in qua & flammæ, & sulphurei vapores ebulliant? Est anima peccatrix olla vitiorũ ardore succensa, ibi peccatorũ feces, ibi luxuriæ sulphur, ibi Aquilo perflans vt flãmas excitet, & de conturbatis vitiorũ fæcibus fœtores educat. Quid diabo-
Iob 41. lus ad hæc? Iob cap. 41. de illo, inquit. *Feruescere faciet, quasi ollam profundum mare: & ponet, quasi cum vngenta bulliunt.* Sanè profundũ mare ab Aquilone cõturbatur, & profundi feces nõ sine ingenti fœtore voluũtur: sed vide diabolicũ astũ, qui ab Aquilone conturbatas feces, sic facit apparere, quasi vnguenta placido calore soluãtur, & olores exalẽt: quasi Austri flatus aromatũ odores spargat. Polchrè Gillib. Abb. ser. 17. in Cant. *Qualis vngentorũ artifex, qui de mortis olla vitæ vapores exire* Gillibert. *simulat? Qualis artifex, qui ollæ succensæ faciem, quasi ab Austro feruere facit, per quã potius ab Aquilone malà exardescãt in terra? Aut filius Prophetæ est, aut certè Propheta, qui moriẽ in olla deprehẽdit, & vapores eius ab Aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla carnis tuæ succensa euomit, & tu in illis balsami tibi videris odores sentire.* Sic colorat diabolus animæ nostræ vitia, sic fucat, vt balsamũ putes, quod verè sulphur est: vt tibi olla sulphuris, quasi alabastrũ vnguenti existat. Et sic dũ vitia diabolico astu floridos, & suaues virtutũ vultus emẽtiuntur, festinare magis faciũt diuinã vindictã. Matth. 24. *Ab arbore fici discite parabo-*
Matth. 24. *lã: cũ ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè æstas.* Meritò putat D. Hilar. hęc non tã arbori conuenire, quã peccatori: quis enim ex eo, quod videat arbores pullulare, & frondescere, nouoq; vestiri decore, putet propè esse æstatẽ? Imò tunc rectè putatur æstas abesse: prius enim post flores fructus appare bit, crescet, placidoq; veris calore maturescet, & postmodũ venit æstas. At in peccatore, vbi nuditas viridãtibus folijs vestitur, & floribus cõdecoratur, tũc propè, & in foribus est æternus æstus. Accipite Hilar. Canone 26. de
Hilar. homine peccatore loquentẽ. *Qui cũ tenerescere cæperit, atq; frondescere, tunc proxima esse æstas sentietur. Erit enim flos criminosorũ, & honor fœnoroſorũ, quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in proximo est.* Vę tibi homo, cuius peccata, quasi viridantibus folijs tecta splendescunt; cui vitia florẽt, & honori sunt: tunc propè æstas est, tũc è vicino venit ignis æternus. Qui semel à Deo misericordiã cõsequuti fuerunt Niniuitæ, tandem funditus perierunt: quorum festinatissimæ ruinæ causam de
Naum. 2. signãs Naũ c. 2. loquitur. *Diripiebãt argentũ, diripiebant aurum, & non erat finis ornamenti eius.* Quid peccabant miseri homines, quòd aurũ, & argentum ad suum ornatum cumũlarent? Tantum nefas est, quod se adornarent auro, vt sic punirentur? Non ibi de ornatu

corporis loquitur; ſed de ornatu, quo errores ſuos decorabant. Eos enim Niniuitæ errores prædicabant, quibus adornandis, & condecorandis argenteas voces, aurea ora ſeruire faciebant, vnde meritò perijt, cui ferreus falſitatis
Hieron. error aurum tinniebat. Huc ſpectat Diu. Hieronym. *Diripiebant argentum, quidquid in mundo videbatur eloquij: diripiebant aurũ quidquid præclarum ſententiarum erat in doctrina ſæculi, vt dogmata ſua omni ſenſuum, verborumque flore componerent. Propter quod aggrauata eſt Niniue,* &c. Hoc de arte diaboli venit ſemper, vt peccata virentibus folijs opacentur, vt errorum fæces ſabæis nubibus, floridis ſplendoribus illuſtrentur, vt dum ſibi fucum faciunt in vitijs homines, miſere pereant. Quam aliter Deus, dum enim adeſt, ſtatim, quæ ſunt hominis, nudè, & ſincerè manifeſtat, vt dicat
Nazianz. Nazianz. orat. ad patrem ſuum. *Quemadmodum ſol oculorum hebetudinem, imbecillitatemque prodit, ita morbum animæ adueniens Deus coarguit.*

Tex. Cũ veniſſent ergo ad illũ Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mãſit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter ſermonẽ eius. Et mulieri dicebant: Quia iã non propter tuã loquelam credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Saluator mundi.

§. XLVIII.

Non parce petat a Deo, qui exaudiri cupit ab eo.

MERITO cenſet Maldonatus, quod Samaritani certi Ieſum Meſsiam eſſe, illum apud ſe in perpetuum detinere curabant, ab eoque enixe petebant, vt ibi moraretur, ibique ſuum ſtabiliret regnũ; magna quidem petunt, ſed inde plus placent, & obtinent, quod à Ieroſolimitanis non ſcimus fuiſſe obtentum, apud quos, vt notat Toletus non dicitur Ieſus pernoctaſſe vllo in tempore. Vt magnus eſt Deus, ſic gaudeat ſuis fidelibus magna peti: vnde Eliſæus placuit Deo, vt ad tãtarum virtutum gloriam eueheretur? Iubetur
4. Reg. 2. Eliſæus petere, 4. Reg. 2. & duplo ſuperat petitiones, imò deſideria magiſtri ſui: quippè ait. *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Videretur forſan audax poſtulatio, quod diſcipulus duplo maiores exigat virtutes, quã magiſter habebat. Imò fatuã poſtulatio videretur, quãdo à magiſtro petebat id, quo ſciebat illũ caruiſſe; ſed tantũ meruit animus ad ingentia, & magna ſpirans, vt inde placeret, vnde putaretur offendiſſe, & ex non habente bonorũ copias faceret redũdare ſibi. Ambr. ſer. 87. *De Eliſæi meritis quid dicamus, cuius hæc prima laus, quod patrẽ voluit gratia ſuperare, dũ dari ſibi amplius poſtulat, quã ſcit apud eũ eſſe, qui poſſidet? Dũ enim à patre plus exigit, quã habebat, facit eũ meritis ſuis plus præſtare, quã poterat.* Tãta ſunt merita generoſi animi, qui magna petit, vt etiã ex nõ habente faciant ſibi bonorũ affluentiã ſuppetere. Mirabar prodigũ illũ filiũ, etiã poſtquã ad ſe reuerſus fuit, tãdiu egere; cupiebat enim Luc. 15. ſaturari de ſiliquis, *Luc. 15.* & nemò illi dabat, & ad ſe reuerſus, ait: *Quãti mercenarij in domo patris mei abũdant panibus, & ego hic fame pereo?* Iã in ſe reuertitur, iã patrẽ ſibi cariſimũ meminit, iã errores deflet, & adhuc fames, & adhuc miſeria. Rurſus ait: *Surgã, & ibo ad patrẽ meũ;* nec dũ patrẽ audio miſerentẽ. Inſuper addit. *Pater peccaui in cœlũ, & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus. Fac me ſicut vnũ ex mercenarijs tuis.* Quid plura? In de retardat auxilium parentis, quia ſic parcus extitit in petendo, vt ſe mercenariũ poſtulet fieri. De illo Gillib. Ab. ſer. 3. in Cãt. *Nimis exilẽ, & macilentã ſpẽ repoſuerat in ſinu ſuo, mercenariũ conditionẽ patrẽ rogaturus. Modeſtè quidẽ pro meritis, ſed de paternæ miſerationis copia humiliter nimis, & iniurioſe ſentiens.* Felicior latro, cũ primum in ſe reuertitur, ad prima cõuerſionis verba, ſtatim audit, *hodie mecũ eris in paradiſo.* Vnde tãta iſta diuerſitas? Prodigus loquitur, plorat, multiplicat gemitus, patrẽ bis, & ter meminit, & adhuc nõ audit ſalutis verbũ: latro autem vix aperit os, & excipit diuinũ de ſalute reſponſum. Ille mercenarij ſorte contẽtus, parce petebat: hic in cruce degit, & regnum ſpeculatus Chriſti, iã inhiabat regno cœleſti. Arnol. Carnot. de ſeptẽ verbis *Arnol.* Dni. *Iã ſpes ſubintrabat cõuerſo, quia inhiabat cœleſtibus, dilatatuſq; charitate, quaſi cõſputis, repudiatiſq;, quæ inferiora ſunt, cũ Chriſto tractabat de regno, affectabat ſuperiora.* O quã feliciter negotiãtur, qui à magno Deo magna petunt, qui nihil nõ magnũ à Deo obtinere prę ſumunt. Parat enim Deus ſuis ſeruis, & amicis, nõ parua, ſed ingẽtia munera. Ioa. 11. accẽ *Ioan. 11.* pit nũtiũ, quod referebat Lazari infirmitatẽ; & vt audiuit Lazarũ infirmari, *mãſit eodẽ loco.* Cur mãſit? Cur nõ properauit, vt ab infirmitate liberaret? Cur expectat, vt infirmus moriatur? Noluit amico paruum ſanitatis donum largiri, maluit paulliſper expectare, vt magnum reſurrectionis munus elargiatur. Chryſolog. ſerm. 63. *Eius amare illud*

est, non vt dilectum alleuet, sed ab inferis vt reducat: dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox parauit. Is est Deus, qui semper magna vellet præstare, & ideo â paruis abstinet, & plus gaudet, quando maiora cernit postulari.

§. XLIX.

Christi Domini gustus in fidei veritatem communem omnibus trahit.

VIDE, quam sapiant isti Samaritani, non iam de adoratione in monte facta, priua tam sui populi prædicant salutem: sed ad totius orbis communitatem redacti, communẽ omnibus salutis fontem recognoscunt, & amplectuntur. Aiunt enim, *hic est vere Saluator mundi.* O quam salutaris extitit Dominicus aduentus ad fontem Sichar! De Sarmacidis fonte hæc verba facit Vitruuius lib. 2. Arch. *Vitr.* *Cum Melas, & Areuanias ab Argis, & Trazene coloniam communem eò loci deduxerunt; Barbaros Caras, & Lelegas eiecerunt.* Hi autem ad montes fugati se congregantes discurrebant, & ibi *latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de Colonis vnus ad Sarmaticis fontem propter bonitatem aquæ quæsitus causa tabernam omnibus copijs instruxit, eamque exercendo eos barbaros allectabat. Ita singillatim decurrentes, & ad cœtus conuenientes, è duro, feroque more commutati in Græcorum consuetudinem, & suauitatem, sua voluptate reducebãtur.* Quid in rem præsentem aptius? Samaritæ in montem orationis & adorationis causa confugientes, inde Hierosolimitanos persequebantur, & omnes Israelis populos. Quid plura? Verus Israelita Iesus ad fontem Sichar sedens, gratiarum in vitam æternam salientium fontes aperit, quibus Samaritanos allexit. Hi vbi Christum gustarunt, & montem & templum obliti, communem omnibus populis, & nationibus salutem sapiunt: nec de priuato suo bono, sed de communi fide gaudent. Vtinam omnes ad Saluatoris fontes currant, non ad proprij cerebri scaturigines, hi diuisiones, & mortem pariunt, illi vnitatem, & veritates omnibus cõmunes propinant, quibus indiuisi, & adunati fideles vitam æternarẽt. Gen. 3. dicitur, *& fons ascendebat in medio Paradisi.* De quo fonte pulchre D. Aug. in Psal. 103. con. 2. fatur. *Aqua media, aqua quodãmodo publica, sine fraude, sine labe, sine fræno currebat. Si ipsa aqua sẽper bibere tur, sẽper viueretur. Venit Angelus lapsus de cœlo, factus serpens, emisit venenũ, de proprio locutus est, de suo, & miseri audiendo dimiserunt quod commune erat, vnde beati erant.* Habet hoc Saluatoris fons, vt si ipse sincere bibatur, in vnitatem fidei, omnes, & si efferatissimos trahat. Perdunt vnitatem priuati fontes, & efferos homines faciunt, vt videre est in hæreticis, qui sic efferantur, vt pene ab ipsa natura desciscant. Vtinam ad Saluatoris fontes sincere accederent, de illiusque doctrina gustarent, & morum suauitatem induerent, & de communi omnibus gauderent fidei vnitate. Hinc maximè vera Christi scaturigo probatur, si diuisiones horreat, si amet, imo halet vnitatem. 3. Reg. 3. vt veram matrem vnius pueri nosceret Salomon, iussit puerum gladio diuidi; quę vera mater erat, diuisionem filij expauescens æmulæ vt daretur integer, & indiuisus, suppliCabat; è contra altera clamat; *non mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Sic horret diuisiones fons veritatis, sic vnitatem amat, vt nulli ruinæ parcat, dum in suis vnitas & indiuisio permaneat. Præclare D. Hier. ad Ruffinum tractat hunc locum fatus. *Sinagoga, quæ nolebat Ecclesiæ filiũ in gratia viuere, libenter habet diuidi puerum, nõ vt possideat, sed vt interficiat. Ecclesia, quem scit suum esse, libenter concedit æmulæ, dum viuat saltem apud aduersariam, ne inter legem diuisus, & gratiam Saluatoris mucrone feriatur.* Hæc prima virtus est illius, qui gustum habet doctrinæ Christianæ, qui de fontibus Saluatoris potauit, vt omnia patiatur, ne diuisio fiat in corpore Christiano. Quid non cedat æmulæ verus Christi populus, vt vnitas fidei & integritas viuat, saltem apud aduersarios? Hoc fonte potus D. Paul. ad Rom. c. 9. ait. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secũdum carnem.* Qui adeo efferus erat, qui ignem, crucemque spirabat, sic de Saluatoris gustu mollescit, sic studet cõmunioni, & vnitati, vt vellet ipse carere Christo, dum integra, & vna esset omnibus fides, & iam ex tunc cępisset fieri vnum ouile, & vnus pastor. Pharisæus apud Luc. c. 18. diuisionem enixe procurabat, dum ait, *non sum sicut cæteri homines*, & vnde tam fastuosus se se ab omnibus alijs diuidebat? Ipse ait: *ieiuno bis in Sabbato*, adhuc in ieiunijs suis Sabbatisabat, adhuc ieiunus à Christo, Saluatoris gustũ nullũ habebat, & inde cõmunionẽ, & vnitatem abominabatur. Vtinam aliquid de fontibus Saluatoris prælibasset, statim studeret vnitati. Iuxta Ruperti mentẽ prophetans Ioel de effusis Saluatoris fontibus in Pẽtecoste ait. *Canite tubã in Siõ sanctificate ieiuniũ, vocate cœtũ, cõgregate populũ, &c.* Ex pẽdite modo Pharisæi ieiuniũ, & hoc à Ioele prohetatũ, ab illo ieiunio diuisio fastuosa procedit: ab hoc cœtus, & populorũ congregatio, & adunatio. Cur hoc ieiunium præ illo inducit vnitatẽ, & coniũctionẽ? Illud ieiuniũ Sabbati erat, hoc est Sinagogæ, hoc ieiunium Ecclesię, descendens a Sione, vbi Saluatoris fontes patefacti, qui ferociss̃imos quosque ad communionem, & vnitatem trahunt.

Genes. 3. *Augusst.* *Luc. 18.* *Rup.* *Hier.* *Rom. 9.* *3. Reg. 3.*

§. L.

Creatura quæuis non tam ſaluat, quam condemnat peccatores.

PVLCHRE de Ieſu dicunt Samaritani, ſcimus, quia, *hic eſt verè Saluator mũdi*: quæcũq; enim creaturę tam ſpiritualis, quã corporalis non tam ſaluant, quam condemnant, quam puniunt. Non ne datus eſt Angelus Iſraelitico populo, qui eum de ſeruitute eriperet, qui eum duceret, & præcederet? Equidem Angelus præcedebat populum, ſed de illo pul-
D. Zen. chrè D. Zen. ſerm. 4. in Exod. ait. *Angelus tua caſtra præcedit, necubi crimen excuſes.* Itaq; qui erat Iſraelis ductor Angelus, ſimul erat peccatorũ obſeruator; ſimul alta mente reponebat crimina populi, ne vnquã poſsint negari, ſiue excuſari. Sunt equidem creaturæ humani criminis obſeruatrices, imò ſic noſtra crimina in ſe fixa habent, vt nihil citius oculis oſtendant immortalibus. Iudas oſculo filium hominis tradidit apud Gethſemani hortum, & quid hortus? Occultauit facinus? Poſt excidium vrbis, poſt vaſtationem arborum, vbi iam nec ſeps manſit, nec planta manet, quæ hortum ſignaret, deleta etiam ſunt Iudæ perfidæ veſtigia? Abolita ne memoria tanti peccati? Porrò Gethſemani amiſit hortum, non tamẽ veſ-
D. Cyr. tigia Iudæ amiſit, illa hodie, quaſi recentia proponens. Accipite D. Cyril. Ieroſ. Cath. 10. fantem. *Multa ſunt de Chriſto teſtimonia. Teſtatur Pater de cœlo, de filio teſtatur Spiritus ſanctus deſcendens in ſpecie columbæ. Gethſemani teſtatur, modo non monſtrans Iudã adhuc conſiderantibus.* Itaq; ſic recentẽ habet Getſemani Iudã hodie, vt tantũ non monſtret illũ cõſiderantibus. Et in quo potuit hortus totus eradicari, nõ potuit tanti facinoris memoria, vel deleri. Pſallebat Dauid apud Saulẽ. 1. Reg.
1. Reg. 18. 18. *Tenebatq; Saul lanceã, & miſit eam, putans, quod configere poſſet Dauid cũ pariete: & declinauit Dauid à facie eius*, &c. Declinauit Dauid ictum, ſed lancea in ipſo pariete infixa eſt. Fuit ne fortuito factũ, quod paries ictum excideret? Imò ſic ſe ſe æternauit tanta ſceleris accuſatio; paries enim, qui lanceam excepit, æter-
Basil. nus adeſt accuſator Saulis. Pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 15. inquit. *Ictũ verò paries excepit, omnibuſq; facinus indicat. Ita Dauid periculo exẽptus eſt, & lapis funeſtæ manus munumentũ, teli ſuſtinuit impreſsionẽ, atq; audacis facti accuſator in natura ſẽſus expertẽ cædis tulit ſymbola.* Hoc eſt vniuerſis creaturis inſitũ, vt humana crimina obſeruẽt, illaq; perpetuo teſtẽtur, ſolus Deus eſt qui nouit miſereri ſemper, & parcere. Quò aliquis plus de miſericordia habet, eò plus ad diuinitatẽ accedit, dicẽte Chryſoſ. in Pſ. 142. *Magnũ quid eſt homo, propter quid? Et*
Chryſoſt. *precioſũ, inquit, vir miſericors. Iſtud enim eſt homo miſericors, imò miſereri eſt eſſe deũ.* Adeò, vt propriã ſibi diuinitas miſericordiã vendicãt; tã alienũ eſt à creaturis, quod delictis parcat, vt ex hoc cẽſeatur Deus, ſi miſericordiã impẽdat. Quãdo Angelus mittebatur ad Mariã Luc. 1. ſic mitti putat D. Greg. Taum. ſer. 3. *D. Greg.* de Annũt. vt dicat Deus Pater ad Angelũ. *Tu illud Aue gratia plena, dicito; vt ego erũnoſæ, atq; afflictæ miſerear Euæ.* Quibus põderandũ eſt, quod munus miſerãdi, nec Angelo legatur, ſed illud vni ſibi reſeruat Deus; tu, ait, annũtia, ego miſerear. Quã prudẽter ille publicanus, vt vidit Phariſæũ orantẽ, & gratias agentẽ, Luc. *Luc. 18.* 18. percutiẽs pectus ad Deũ aiebat. *Propitius eſto mihi peccatori.* Dũ condẽnatur à creatura, ad Deũ confugit, cuius ſtrictiſsimũ iudiciũ nunquã obliuiſcitur miſericordiã in peccatores. A Phariſæi ergo iudicio, ad Dei tribunal ſtat peccator, dicẽs apud D. Baſ. Sel. orat. 35. *D. Baſil.* *Noli, ò Iudex Phariſæi de me ſententiã ſequi: iuſtũ agnoſco procreatorẽ; eum nolim iudicem.* Ego omniũ creaturarũ iudiciũ abnuo, expuo; ſolius Dei tribunal aſcendo libens, apud quẽ ſolũ in peccatores clementia demoratur. In creaturis enim nihil prius, quã peccatorũ cuſtodiã cerno. Mat. 23. *Veniat ſuper vos omnis ſan-* *Matth. 23.* *guis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terrã, à ſanguine Abel iuſti, vſq; ad ſanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter tẽplũ, & altare.* Cur tã vetuſta crimina memorat Dominus in dãnationẽ Iudæorũ? Cur tam antiqua ſanguinis effuſio adhuc in memoriam vocatur? Sàne non miror, quod nefarij criminis memoria ſic vigeat, quãdo audio perpetratum fuiſſe illud apud templi marmores; ſemper enim apud creaturas manẽt hominum peccata, quaſi inſcripta ſilicibus. Hucreſpicit Ter. aduerſ. *Tertul.* Gnoſt. inquiens. *Zacharias inter altare, & ædem trucidatur, perennes cruoris ſui maculas ſilicibus aſsignans.* Silici inſcribitur peccatum, creaturis aduerſus hominem inſcriptum.

CAPVT QVARTVM.

De vocatione adoleſcentis cuiuſdam.

VOCATVR ad Chriſti ſequelã adoleſcens, qui inducias petijt, dum patrẽ ſepelit; ſed quẽ implet Dei verbum, fletus negotijs miniſtrare dedecet. Nec funus paternum potuit detinere illum, quẽ vita vocabat, vt faceret æternũ.
Luc. 9.

Luc. 9. Ait autem ad alterum: ſequere me.

§. I.

Felix ille, qui non ex proprio cerebro, ſed ex Dei imperio, quodcumque munus ingreditur.

NIL petebat adoleſcens iſte, ſed tacitus admirabatur Chriſti virtutes, & dum tacet, audit ſe vocari ad Chriſti ſequelam, in hoc feliciſsimus, quia non ex cerebri proprij affectu, ſed ex Dei imperio talem ſalutis viam ingreditur. Nunquam ſatis celebrandus Habraham ſe ſe aptat, vt filium litet Deo. Similiter, & Iepthe filiam ſuam Deo litaturus accedit. Stringit ille gladium, & hic exerit; ſed Deus ictum ab Habrahamo venientem cohibuit, ne tantum orbaret parentem. Nil tale facit cum Iepthe, ſed ſinit, vt filiam iugulet, domumque ſuam triſti lamentatione repleat. Cur id à Deo permiſsum? Cur qui tenuit Habrahami dextram, non tenuit dextrã Iepthe? Sanè Deus non conſuluit illi, qui ex proprio ſuo cerebro ad tale ſacrificium acceſſerat; cõſuluit verò Habrahamo, qui non niſi vocatus, & iuſſus talia auderet. Huc ſpectat D. Proſper. de promiſ. poſt. 2. cap. 20. vbi ſic. *Deus non popoſcerat à Iepthe tentando eum, ſicut ab Habraham. Sed ille ſponte vouit.* Non qui iuxta proprium cerebrum, ſed qui ex certa vocatione, & imperio Dei ad cœleſte officium accedunt, hi habent Deum in omnibus vijs ſuis protectorem, & defenſorem. Fauet enim Deus ſemper votis, quæ inſpirat ipſe, alia prorſus deſpicit, & cõtẽnit. Iſaias. 58. *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti. Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Nõ tenetur Deus votis illorum, qui carnali voluntati ſuæ ſeruiunt, qui non tam ſe trahi ad Deum, quã Deum ad ſe trahere ſtudent. Iuſſus erat Loth à Sodomis recedere. Gen. 16. & montem vicinum aſcendere, ille autem voluntatis ſuæ precibus à Deo contendit, & extorquet, vt in Segor liceat viuere. Annuit Dominus, omnimodamque illi in Segor promittit ſecuritatem. Sed cum in Segor eſſet, & Sodomorũ vidiſſet excidium, timet & ibi manere: *Aſcenditque Loth de Segor, & manſit in monte, duæ quoq; filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor.* Cur timet Loth manere in Segor? Cur in monte maiorem ſibi ſecuritatem promittit? Non ne Dominus illi Segor oppidum dederat, vt in illo ſecurè viueret? Cur ergo timet? Crediderim bene timuiſſe Loth manere in loco, quem ipſe ſibi arbitratu proprio elegerat, à Deoq; extorſerat, & prudẽter maiorẽ ſibi ſecuritatẽ promittit in monte, ad quẽ prius ex Dei voce iubebatur abire. Lyppon. in Cant. ait. *Videmus male ceſsiſſe Loth electionem ſuam. Qui iuſſus montẽ conſcẽdere, elegit ciuitatulã, ideo vxorem perdidit, ibi diu ſubſiſtere non potuit. Sic ruunt, qui contra Dei verbum proprio ſuo ſenſu bona etiam intentione ſe ſe regere præſumunt.* Vt enim ſecuriſsimus eſt locus, ad quẽ me Deus vocat, me trahit iuſsione ſua, ſic ſuſpecta mihi ſint omnia loca, & munera, & vota, ad quæ voluntati meæ precibus traho Deũ ipſum. Fideliſsimus Habrahã vbi iuſſus litare filium, nõ ſolũ cauit reſiſtere voci diuinæ, ſed etiã cauit, ne vllis ſuorũ precibus adduceretur Deus, vt nollet expoſtulatũ ſacrificiũ. Gen. 22. *Habrahã de nocte conſurgens ſtrauit aſinũ ſuum*, &c. De nocte conſurgit, ne vxor ſentiat abſentiã filij, facinuſq; parentis odoretur. Et cur ſic cauet ab vxore? Pulchrè apud D. Baſil. ſel. orat. 7. ait. *Vereor ne Deo vim afferat, ne mente infracta, rei tã ſtupendæ gratiã ſpoliet.* Expende illud, *ne Deo vim afferat*, quippè ſæpè precum vi Deũ trahimus in ea, quæ cupimus, nõ quod nobis ſalutaria ſunt, ſed quod Deus nos noſtræ voluntati permittit, quod maximè infelix eſt hominẽ. Num. 22. perfidus ille Balaã iuſſus erat à Deo, ne abiret cum Balach militibus, vt malediceret populo Dei, ipſe autẽ in primis Deo obtẽperans milites dimittit, ſed poſtmodũ videns illorũ munera, & illis captus volebat ire, ſed non audebat Dei imperium infringere. Ait enim: *obſecro vt hic maneatis etiã hac nocte, vt ſciam quid mihi rurſus reſpondeat Dominus.* Quid plura? Ecce reſponſum diuinũ: *ſi vocare te venerint homines iſti, ſurge, & vade cũ eis.* Abijt ille, & in Angelorũ gladios incidit. Cur Angele, gladiũ ſtringis aduerſus vatẽ iſtũ? Cur viã impedis à Deo præceptã? An ille Dñm non conſuluit? An Dñs non iuſsit, vt abiret? Cõſuluit equidẽ Dñm, cupiens Deũ volũtatem trahere ad ſuã. Nec Deus iubet, ſed tractus carnali hominis petitione hominẽ proprijs deſiderijs permittit. Ita Gloſſa interlinealis inquit. *Cedit Deus cupiditati, dimittit eũ in deſideriũ cordis ſui.* Quid mirũ ſi in gladios incidat, qui deſiderij ſui ambulat vias? Hinc deridendi ſunt illi, qui dum deſideriorũ ſuorum vias terunt, in magnis ambulantes, in honoribus, in dignitatibus, in mirabilibus ſuper ſe tamẽ ſe cõſolantur de Dei imperio, de maiorũ obedientia, quã deuenerũt ad illa. Hos elegãter pũgit Petr. Dam. Apolog. de contẽptu ſæculi, c. 21. Eſau exẽplo dicẽs. *Eſau venatũ prodiẽs paternis iuſsionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere. Quiſquis enim rem, quæ ad vitium pertinet, conſuetudine ductus propriæ volun-*

Proſper.

Iſai. 58.

Lyppon.

Gen. 22.

Geneſ. 22.

Baſil.

Num. 22.

Gloſ.

Petr. Dam.

voluntatis inſtinctu libenter exequitur, peccat, etſi aliens imperijs ſpecie tenus obtemperare videatur. Nil magis Eſau cordi, quàm venatio, hęc enim erat tota illius voluptas, quid ſi de patris imperio abeat ad venationem? Quid quod munus accipias iuſſione maiorum, ſi eò ſpectant omnia deſideria tua, imò & officia?

Tex. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum.

§. II.

Magna eſt Dei miſericordia vocare hominem, quando impedimenta minorem vim habere poſſunt, ad retardandum.

CVRRENTI ad Chriſtum iuueni Pater eius obijcitur, ſed pater iam vita functus, vt minus poſsit & detinere, & impedire: magna in eo Chriſti apparuit miſericordia, qui tunc vocauit ad ſe iuuenem, quando impedimenta imbecilliora eſſe vidit. Accedenti ad Deum animæ dicitur Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgēs?* In aurora, ſubobſcura illa lux prima notatur, adueſperaſcenti ſimilis, qua nondum res perfectè apparent, non dum agri pulchritudo facit oculis lenocinium. Ecce tibi Chriſtianæ mentis ingens beneficium, quod nimirum ad Deum incipiat ire, ſicut aurora, hoc eſt, quādo minora ſunt rerum mundialium impedimenta, & lenocinia. Ita D. Laurentius Iuſtinianus de ſpirituali animę reſurrect. lib. 2. inquit. *Surgenti quippè auroræ comparatur, propter veſpertinam lucem, quæ exteriorum omnium talem præbet notitiam, vt ab eorum minimè valeat ſubuerti blandicijs.* Tunc vocatur is, quē bonus amat Deus, quando eum illi præbent aſpectum res mundiales, quem facilè deſpiciat, quando omnia obſcura, vana, tranſitoria caduca apparent, quorum blandicijs potius irrideat, quam arrideat. Similiter vocabatur ſponſa Cant. 2. *En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit.* Tunc vocatur, tunc iubetur venire, quando tota figurā huius mundi in hyemali, & nebuloſo tranſitu exhibetur. Surge, ait, & veni, & vt venias velociter reſpice tibi omnes vitæ huius laqueos reciſos, vita hæc obſcura eſt, nebuloſa eſt, hyems eſt, & quod amplius expaueas, in tranſitu eſt, & operta mortis caligine. Pulchrè D. Greg. Pap. ibi: *Iam ſponſa ſurgat, quia hyems tranſit; quia præſens vita recedit: tranſit, enim dicitur, quia in proximo tranſitura eſſe non dubitatur.* Quis vitæ hęreret, quam fugacem videt? Quis teneretur rerum aſpectu, quas mortis vmbra deturpatas videt? Sanè dum mundus floret: dū diuitiarum pulcer aſpectus viget; dum viuidiores cognati florentes paſsim coronas efficiunt; dum hinc inde mille deliciarum fontes ebulliunt; mirum in modum obturantur aures vocibus diuinis. In florentiſsima vrbe Sodoma excepit Loth Angelos hoſpitio, nouit Angelos Dei eſſe, audiuit vocem, qua iubebatur exire de Sodomis, ne cum ciuitate periret. Quid tunc? Exiuit ne Loth? Nil minus, imò, *diſsimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarū eius, eo quod parceret Dominus illi. Eduxerunt que eū,* Florentes adhuc Sodomitarum res ſic obturabant aures viri iuſti, vt non ſufficeret Angelorum vox, ſed neceſſario adhibenda fuit vis, vt extraheretur ab vrbe, ad quærendam ſalutem. Heu quot Dei voces contemnūtur, perſtrepente mūdo infulgere ſuo! Magna eſt profectò Dei miſericordia, quę tunc vocat, cùm mundi irritamenta emortua ſunt, aut fallunt minus, cum laquei magis infirmi; cum vanitatis fulcra decidua noſcuntur. Huc referrem illud Pſal. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.* Et poſt Libanum vaſtatum, poſt cedros humi ſtratas, & verſas in fauillas, pergit inſuper. *Vox Domini concutientis deſertum, & cōmouebit Dominus deſertum Cades.* Quorſum tanta ruina montium à Dei voce peracta? Cur deſerta loca commouentur, cur Libanus ſucciditur, cur cedri in puluerem rediguntur, & fauillas? Iā explicat, aiens. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Sanè pro ceruis trahendis, & vocandis, tota illa ruina montium fuit peracta. Si vaſtiſsimæ deſerti ſolitudines quietæ omninò eſſent, quietaſq; cauernas, & ſpeluncas haberent, ſi condenſa montium extarent, ſi Libanus proceriſsimis cedris frequens eſſet, quis ceruos caperet? Qui, tantum abeſt, vt ſe querentur vocem vocantis, vt vel ad ſibilum aurę ſe ſe montium cauernis, & arborum ſpiciſsitudine abderent, & defenſarent. Sed cū ſolitudines eremi commouentur, cū condenſa arborum exciduntur, cum vniuerſę cedri iacēt, omni ſuffugio, & lenocinio ablato, tūc. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit cōdenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Facilimè cerui, hoc eſt, infirmi homines trahūtur, & cuiuis Dei vocantis voci obedientes Domini templum ſuis implent laudibus.

Cant. 6. *Laur. Iuſt.* *Cant. 2.* *Gregor.* *Geneſ. 19.* *Pſal. 28.*

§. III.

§. III.

Quæuis à Chriſto ſeparatio ſuſpectat ſit.

NOTANTER dictum eſt illud, *permitte ire*, quaſi iam notaretur, quàm pernicioſa homini ſit abſentia à Chriſto: vbi enim ſola Dei permiſsio intercedit, ſemper in deteriùs itur. Et quidem in deteriùs abeat, neceſſum eſt, quicumque ſe elongat à Deo. Exod. 4. cum Moyſes in manu ſua haberet virgam, dicitur. *Proijce eam in terram, proiecit, & verſa eſt in colubrum.* Meritò fit ſerpens, quę virga à tanti legiſlatoris manu abſcedit paulìſper: id quod homini à Deo diſcedenti minatur D. Cyrill. Alex. hom. Paſchali, 4. inquiens. *Vbi è manu legum conditoris exciderit, tunc morum ſalutate, & manſuetudine abiecta ſerpens venenatus exiſtit.* Non meliorem euentum expectet, qui à Deo ſe elongat; dum ſub eius legibus viuis, dum eius agis ſub iugo, quaſi virga exiſtis, quæ de tanti Domini cultum in flores abeat, & fructus. Vbi Dei manum fugis, & diſciplinam, fœtidi, imò venenati, & ſerpentini mores te expectant, ſerpens reptantibus moribus fies. Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui in paradiſo Dei ſui conditus eſt, vbi à Deo defecit, ſerpens factus apparuit primis hominibus. Non ne ſcire cupis, cur diabolus prius in ſerpente apparuit Euæ, quàm in alio animali quocumque. Rationem ſic reddit Syriæ Epiſcopus Moſes Bercepha lib. de parad. par. 1. cap. 27. *Vt ſuueniret Sathanæ, quod filio illi prodigo. Is enim poſtquam ſummo honore excidiſſet, in eas redactus eſt vitæ miſerias, vt porcos paſcere cogeretur: ſic Sathana ex ſua dilapſus gloria in anguem ſe inſinuauit.* Sic vniuerſi, qui à Deo ſeparantur, mores induunt ſerpentinos, & cur in ſerpentē non abeat, qui à Deo deficit? Quæ ab igne aqua feruorem concipit, vbi ſeparatur ab igne; ſtatim in eam, quam à natura habet, frigiditatem redigitur. Sic homo vbi à Patre luminum ſeparatur, in quo diuinis floreſcebat virtutibus; ſtatim in ſerpentinos halitus redigitur, quos à principio trahit humana natura. Quid bonum in diſceſſu ſperare poteſt, qui diſcedit à Chriſto? In diſceſſu à Chriſto omnium infirmitatum eſt cumulus, nil ſupereſt, niſi mors, & ſepulchrum. Bene qui abire volebat, nil aliud, quam funeralia memorat, cui inſuper Chriſtus, ait. *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Mortuos vocat eos, quicumque abſunt à Chriſto, quia in tali abſentia, ſolum mors tractatur, & funus. Chryſolog. ſerm. 19. inquit. *Recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt: diſcedente Deo confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis ſepulchro viuo funus animæ in ſepulchro.* Eu, quot mala expectant diſcedentem à Chriſto! Nouiſtis Dinæ filiæ Iacob tragedias, eius raptum, ſtrupum, Sichimitarum ruinas, quæ omnia traxit mala vnus à domibus paternis egreſſus. Ait enim Tex. Gen. 34. *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret,* &c. Vbi ſtatim author Catenæ Græcę ſic cauet. *Caueat quicumque peccandi occaſionem declinare velit, ne ex ædibus ſui patris, id eſt, longius à Deo euagetur.* Quippè qui à Deo ſe elongant peribunt.

Exod. 4.

Cyr. Ale.

Moſes.

Chryſol.

Gen. 34.

§. IIII.

Chriſti Spiritus nil prius proponit ob oculos, quam mundialium rerum occaſum.

ET parentem, & omnia oblitus adoleſcens hic totus erat in ſpectandis operibus, facinoribuſque Chriſti: vbi autem Chriſti verbo excitatus in ſe redit, ob oculoſque ponit ſua, vide quo habitu in eius memoriā ſui occurrant. Etenim ait: *Permitte mihi ire ſepelire patrem meum*: nunc meminiſti parentē? Nunc tibi in mentem venit pater defunctus? Faciebat hoc in eo intrinſecus tactus Chriſti, vt nihil videret, quod in occaſum non vergeret, & ſepulchrum. Mar. 8. vbi cæcus homo diuinæ manus tactum ſuſtinuit, ſtatim inquit: *Video homines, vt arbores ambulantes.* Quid eſt video homines, vt arbores ambulātes? Non firmā ſtantes radice, ſed ad ſepulchrū tranſire. Nil enim prius videmus poſt Chriſti tactum, quam mundialium omnium rerum fluxum, hominū que tranſitum in ſepulchra. Pulchrè Chryſol. ſer. 176. *Et quare vidit ſicut arbores, non vt columnas, neque ſtantes, ſed ambulantes? Quia poſt curam Chriſti viderat, quòd homines velut arbores tranſirent in hoc ſæculo, non manerent.* Hoc in primis nobis proponit ob oculos Spiritus diuinus, nimirum rerum omnium fluxum; frequentē hominum tranſitū in ſepulchra; viam vniuerſæ carnis in finē. Geneſ. 2. *Plantauerat Dñs Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominē, quem formauerat.* Quæ verba ex Hæbreo ſic ſonant apud Aug. lib. 8. de Gen. ad literam. *Et plātauit Deus paradiſum in Edem ad Orientē, & poſuit ibi hominem, quem finxit.* Ecce tibi poſt perfectum hominem, vbi ad illum accedunt manus diuinæ, conſtituunt eum in Oriente. Cur in Oriente potius, quam in meridionali plaga? Ea ſolum ratione, vt nihil oculis exciperet, quod perpetuo motu, & recta via

Mar. 8.

Chryſol.

Geneſ. 2.

via non vergeret in occasum, vt magistris luminibus cœli disceret semper ob oculos habere sepuchrum. Quo spectabat Seuerianus in
Seuer. cat. Græca fatus, *Deus hominem ibi primum habitare voluit, vnde principium lucis exoriretur: nam quemadmodum syderа ab ortu tendentia ad occasum rursus apparent: sic & hominem oportebat à vita properare ad mortem, & occidere.* Cõstituunt hominem in oriente manus diuinæ, vt vniuersi splendoris creati vias notet in occasum ire; & ductus omnium syderum cursu nil citius ob oculos habeat, quàm occasum, & finem peccatori posse obuenire. Nec mirum, quod ita curet Deus in suis mortis excitare memoriam, quando vna illius obliuio ingen-
Apoc. 18. tia pariat damnationis pericula. Apoc. 18. de Babylone damnata dicitur: *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.*
Ambr. Expende illud, *vidua non sum, & luctum non videbo*: quibus vt ibi putat D. Ambros. omnimodam mortis obliuionem ostendit, quæ illi
Isai. 47. tota damnationis ratio videtur extitisse. Quo similiter spectans Isaias cap. 47. aliud quid notat, dum inquit, de eadem Babylone, quod diceret: *Ego sum, & non est præter me amplius. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die vna sterilitas, & viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.* Multi sunt doctores in explicando, quæ sit illa vehemẽs duritia incantatorum, quæ Babylonem tenebat; sed vbi mortis obliuio Babyloniorum præcordijs insita erat, luce clarior apparet vehemens incantatio, quæ faciat duritiam cordis, & animos humanos lapidascere. Et quidem
Virg. sapiens illa venifica apud Virg. Egloga 8. vbi ad supremum, & omnium vehementissimum veneficium accedit, quo humana aggrediatur corda, post figuram hominis combustam sic docet.

Fer cineres Amarilli foras, riuoque fluenti
Transq; caput iace: ne respexeris: his ego Daphnin
Aggrediar, &c.

Nullum mihi crede vehementius veneficium; quam si humani cineres trans caput iaciantur, quam si mortis monimentum omnino ab oculis dimoueatur, hoc vno veneficio incantator diabolus duritiam cordis inseminat, & homines velut lapides facit rigêre.

Text. Dixitque ei Iesus: sine vt mortui sepeliãt mortuos suos. Tu autem vade, annuntia regnum Dei.

§. V.

Scientibus Deum omnes peccatores mortui sunt.

SVNT mortui, qui sepeliuntur, & sunt mortui qui sepeliunt; illos omnes norunt; hi solum cognoscuntur ab his, qui Deum sciũt, paulumque segregantur â rerum mũdialium fumo. Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum,* *Psal. 36.* *& eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat.* Expende illud, *transiui*, nimirum parum à rebus mundialibus discessi; me eripui aliquantulum à mundi tumultu, me ad Deum mente collegi, & cùm inde oculos conuertissem, deprehendi omnia impiorum decora instar cinerum, & fauillarum esse, nihil in illis viuidę perfectionis permanere. Ita D. Zen. in Psal. 118. fatur: *Quem admiratus in sæculi rebus est, quem in corporeis operibus manens excelsum, eleuatumq; conspexit: hunc transiens, id est peregrinus sæculo factus, & in cœlestem cognitionem excedens pro nihilo habuit, etiam non esse duxit, & mõstrum deputauit.* Sic oculos acuit cœlestium rerum cognitio, ne fallantur mendace impiorum aspectu splendẽt diuitiæ, fulgorem suum emittit honor, arridentdiliciæ, quibus omnibus videtur impius exaltari, gloriosam vitam agere. Sed age, dimitte hæc paulisper â manibus, cœlestia contemplare, & impiorum glorias emortuas, imò penitus nõ esse iudicabis. Sapitiẽssima Esther, & florentis- *Esther 14.*
sima regina, vbi paulisper coronam, & regiã ornamenta deposuit, & tota cinere conspersa Deo accessit, quales putauit impios mũdi tyrannos? Quippe ait ca. 14. *Ne tradas domine sceptrum tuum his, qui nõ sunt.* Sane quamuis timida de Tyranni iracundia, & potestate, vbi ad Deum accessit, non potuit non videre nihil esse impios tyrannos. Ille solũ est, qui ab impietate mundus est. Magnus ille Isaias c. 6. vbi *Isai. 7.*
ante conspectum diuini throni adest, vehemẽter metuit labiorum suorum coinquinationẽ. Tunc ait: *volauit ad me vnus de Seraphin, & in manus eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meũ, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ mundabitur.* Quid plura? Vix se vates nouit peccatis liberum, cùm Deo quęrenti ministrũ audet dicere. *Ecce ego mitte me.* Qua verba apud Septuag. argutius sonãt hoc modo. *Ecce* *LXX.*
ego sum, mitte me. Expẽde illud, *ego sum*, quippe nomen est propriũ entis increati æternũ viuentis: vnde ergo tãta fiducia prophetæ, quod audeat dicere se vere esse, & viuere? Ex eo crediderim, quod se vidit peccatis mundatum. D. *Basil.*
Basil. ibi ait. *Id autẽ dixit, expurgatis prius labijs. Qui autẽ in iniquitatibus iacet, necdum eius*

agnitio-

agnitione illuſtratus, qui eſt: non poteſt proſe ipſo teſtimoniũ hoc reddere: Ecce ego ſum. Vndè prę-
clare ait Hieron. epiſt. 144. *Propheta purgatus à vitijs audet dicere: Ecce ego ſum.* In eo eſt vera vita, veraque ſubſtantia, qui liber eſt à pec-
Act. 5. cato: verum qui peccato ſeruit, is mortuus eſt. Meritò doctiſsimus Gamaliel Act. 5. exaggeransimpij cuiuſque ingentem ambitionem, ait. *Ante hos enim dies extitit Theodas dicens ſe aliquem.* Inde eius inſolens, & veſana publicatur ambitio, quod ſe aliquem diceret, cum impius ſit, qui omnino eſt nihil. De impijs lo
Naun. cutus Naun cap. 1. ait. *Conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena.* Miraberis, quod dicantur impij ariditate pleni; quando plenitudo rerum copiam, & abundantiam ſignificat; ariditas autem omnimodã vacuitatẽ importat. Quomodo ergo interſe conueniunt vacuitas, & copia; inanitas, & plenitudo? An, quia omnis impiorũ proſperitas apparens, verè nihil eſt?
Rupert. De hoc eleganter diſſerit Rup. ibi. *Mire dictũ ariditate plena. Quid enim eſt ariditas, niſi vacuitas? ergo ſtipula hic dicitur ariditate plena, non abſque ſenſus graui pondere ſic dixit, ſciens ſpiritus, qui hunc mundum arguit, diuitum huius mũdi falſam plenitudinem veram eſſe maciem.* Inania ſunt, & vacua, & penitus emortua omnia impiorum decora; videbuntur fortaſsis pleni, dum diuitiarum glorijs ſplendent, ſed ſi pauliſper ad Deum accedis, in veritate comperies, illos omnes eſſe ſub mortis ſterilitate, & macie. Iacob magnus de mundanis diuitijs neſcio quem odorem plenitudinis exhalabat: ait enim ſenex pater eius Gen. *Ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni:* ſic cenſebat calligãs ſenex mundiales agros plenos vbertate. Quam ali-
Cant. 3. ter Cãt. 3. dicitur. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* illic agri pleni dicuntur mundiales agri; hic deſerta, & ſterilia loca apparent! Iſaaco pleni videntur, ſponſæ vt deſertus, ſterilis, & vacuus: vndè tanta diuerſitas? Iſaac iam calligauerat, ſponſa à mundialibus erecta Deo approximabat, & ſic in veritate comperit omnes impiorum plenitudines vere eſſe vacuas,
Gillibert. & inanes. Præclarè Gillibert. Abb. ſerm. 15. in Cãt. ait. *Infructuoſa eſt iſta, quã putas, plenitudo; & ſi quid eſt fructus, id fluxum eſt, & mutabilitate ſua mortis præfert imaginẽ. Quomodo vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ ſentire te reputas? Odorem vitæ Chriſti ſpirat vbertas. Ipſe enim eſt ager verè plenus, ager fertilis, ager cui benedixit Deus Pater. Alium præter iſtum agrum ſponſa neſcit, ſed deſertum reputat, & terram ſalſuginis.* Et quidem hoc pro certo habe, quia vbi Chriſtus non eſt, vita nõ eſt, vbertas non eſt: mortui omnes cum mortuis agunt, vbi ſeparãtur à Chriſto. Ille verè viuit, ille verè putatur exiſtere, qui diuinis legibus vinit ſubiectus.

Gen. 12. *Tulit vniuerſam ſubſtantiam ſuam, & animas, quas fecerat in Haran.* Et quas animas fecerat Habrahamus? Explicat Caldæus, aiens. Gene. 12.
Cald. *Et animas, quas ſubiecerat, legi.* Quaſi tũc aliquis de nouo fieret, cum legem diuinam ſeruandam ſuſcipit; alioquin cenſetur, quaſi non ſit. Ioſue 11. dicitur. *In illo tempore venit Ioſue & interfecit Enacim de montanis, &c.* Et cum Ioſue erat ingens multitudo populi pugnãtis, cur ſolus Ioſue recenſetur veniſſe. Chryſoſt. hom. 26. ad Pop. *Ieſus Naue filius in pugnã deſcẽdit, & ſolus omnia geſſit; alij verò nil profuerũt. Et potes videre, quod multa turba, cũ Dei volũtatem nõ faciat, nihilõ ab his, qui nõ ſunt, differat.* Ioſue 11. Chryſoſt.

§. VI.

Mors Chriſti potens, vt ſuorum animas excitet in vitam.

SINE mortuos, ait Dominus, ſepelire mortuos ſuos, nec miror, quod mortui maneat, qui cum ſuis tractant mortuis, vtinam ad Dei mortuum accederemus, ex quo ſolo ſtatim concepimus vitę ſpiritum. Cant. 3. dicebat ſpõſa: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Cum nocturnum audio tempus, mortis tempus exiſtimo, & in lectulo totum crucis contemplor myſterium. Non enim Saluator alio quærendus erat, niſi in lectulo crucis, cum extra crucem non habeat, vbi caput ſuum reclinet. Sed cur ſponſa tam ſedula lectulum crucis inquirit? Cur non potius ad reclinatorium aureum cœleſtis ciuitatis accedit? Cur tota cum mortuo, & de mortis negotijs, agit? An commoriendo in Chriſto cupit ſepelire mortuum ſuum? Imò, quia Dei mortuum reputat, ad mortui loculum accedit, vt inde ſpiritu reuiuiſcat ſuo. Gillib. Abb. ſerm. 2. in Cãt. Cant. 3.
Gillibert. inquit. *Durus lectulus illud crucis tuæ lignũ. In hoc ego naſcor, & nutrior, creor, & recreor, & ſuper paſsionis tuæ altaria memoriæ mihi nidum libenter recolloco.* Proh vitalem mortuum Ieſum! Non ſinimur mortui ſepelire mortuũ Ieſum, è cuius mortis vel vmbra mirũ erit, ſi in nobis maneat peccati mors. Tertul. lib. de coro-
Tertul. nà militis, ab ethnicorũ exercitibus Chriſtianos abducit, eo quod non poſsint ſeruire vitijs, qui vel Chriſti paſsi vmbra tangũtur. Ait enim. *Excubabit pro templis, quibus renũtiauit? Et quos inter diuexciſmis fugauit, noctibus defenſabit incũbens, & requieſcens ſuper luncho; quo perfoſſum eſt latus Chriſti?* Abſit, vt prodæmone excubias agat miles Chriſti, reçũbẽs ſuper haſta: nõ patietur id ipſa haſta, vel quia lancea perfoſsũ fuit latus Chriſti. Impoſsibile eſt, quod, vbi adſit quilibet paſsi Chriſti memoria, ſeu vmbra, non arceat militem ſuum á peccatorum morticinijs. Sinister ille latro nihilominus morienti Ieſu affixus, Luc. 23. *Blaſphema Luc. 23.*

bat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum. Cur miser homo salutiferæ mortis medicamina sic blasphemas? Et cur pene exanimis saluator misero homini permittit passionis suæ cărere beneficio? Non homo, sed diabolus est, & penitus à morte absortus, qui Saluatoris morti vicinus, nec cognouit vitæ
Laur. Iust. donatorem. S. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone, cap. 18. ait. *Iam illum diabolus absorbuerat, & in corpus suum traiecerat. Ideo, nisi quod ille volebat, agere nõ poterat. Inter mortuos computatus erat, propterea vitam, quam habebat iuxta se, minime cognoscebat.* Prorsus enim à diabolo, & à morte absortus est, quem vel vmbra diuini mortui non meliorat. Imminedicabilem prorsus putâ mortem illius, qui mortem nõ eruit, sed in illam incurrit ad vitam spirantis sepulchrũ Saluatoris. Quando enim sepulchrum concutiebatur vitali illo terremotu, quo Iesus viuendi spes mundo præstabat,
Matth. 28. Matth. 18. *Exterrui sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Mortui fiunt apud sepulchrum, ex quo hominũ nascitur vita, ex quo regenerationem funduntur copiosissimi fontes de visceribus Saluatoris. Eu miseri, qui apud tale sepulchrũ perseuerant mortui!
Chrysol. Chrysolog. serm. 74. *Miseri, quos tunc peruenit pauor mortis, quando securitas redditur vitæ.* At in tale Christi sepulchrum, qui mortuus accedit, & mortuus manet, nõ solum mortuus est, sed omnino possessus à diabolo, quando Saluatoris mors potens erat, & mortuos à lapideis monumentis peccatorum in vitam suscitari. Huc reuoco illud Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahami.* Non ne de lapidibus suscitat sibi filios Dominus, quando peccatores vitiorum mole sepultos in vi-
Laur. Iust. tam trahit? Laurentius Iustinianus, de triumphali Christi agone, cap. 20. ait. *Tanti erat meriti dominici corporis effusus cruor, vt virtute sua valeret infidelium populorum conuertere animas, & ipsas peccantium mentes delictorum mole sepultas ad emendatiorem vitam, veluti de sepulchri prodire gremio.* Beati mortui, qui ad hunc accedunt diuinissimum mortuum, à quo spiritum vitæ capient.

Tex. Et ait alter: Sequar te Domine; sed permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.

§. VII.

Summa vitæ humanæ incertitudo, nec minimam morulam admittit, qua tardes ad Deum festinare.

QVID agis homo? Deum sequi vis, & prius domum abis? Vndé scis, an reuertendi tempus aderit? Vt credo, animus tibi est domesticas res disponere, sed non placet ille dilationis prætextus in eo, qui certo non habet diem crastinum. Permissum fuit Ezechiæ pijssimo regi, quod domestica omnia disponeret: erat bonus rex in arcto positus vnũ solum curauit, vt placaret Deum, Isaias 38. *Hæc*
Isai. 38. *dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum.* Iubetur domui disponere propter instantẽ mortem, ille autem domum oblitus, hoc agit, vt ad Deum oret. Quid agis bone rex, amplissimam domum habes, regnum habes, cui disponere iuberis; mors instat, & non meminis regni dispositionis, & Deo exorando vacas totus? Et quidẽ vbi mors instabat, sapiẽtissimus rex ad Deum prius, quam ad domesticam dispositionem confugit. Nõ patitur præceps mors vel minimam morulam, qua tardes ad Deum festinare. Pulchré ait Dominus. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* Non inquit, & abiens retro, seu fugiens retro, sed respiciens retro, quia vel in ictu oculi præceps mors poterit prærripere nobis salutis occasionem. Hinc Iob Deum
Iob 7. vrgebat, vt festinaret salutem, cap. 7. *Memento, quia ventus est vita mea: & non reuertetur oculus meus, vt videat bona. Neque aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, & non subsistam.* Expauenda omnis morula in salutis negotio est illi, cuius vita in ictu oculi potest finiri. Et talis est humana conditio; quam luculentius exprimit Græca lectio, dicẽs. *Non circum-*
Græc. *spiciet oculus videntis me: oculi tui in me, & vltra non sum.* Cõcijciet in me oculos quisque, & ante quam bene me videat, iam non ero; sic Olympiodorus in Cat. *Sæpe numero acciderit,*
Olymp. *vt dum in me forte quispiam figit obtutum, abeã ipse, atque decedam: estque ita vitæ nostræ velocis exitus, vt qui nos hodie viderũt, cras non sint visuri omnino. Siquidem sub tuo volũtatis nutu, vno oculorum conjectu, cũ me nõ amplius in vita morari volueris, statim interimes.* Quis ergo audebit retro respicere, quando nec vnus oculi ictus est illi certus, & securus? Quis morulã statuet: quando in ictu oculi potest finiri? Hinc quẽdã Thomã præpositũ de Beuerle tardãtẽ Deo respondere, pungebat D. Bern. ep. 107.
Bernard. *Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor; prædia, palatia, immensa supel-*

ſupellex, inſulæq; dignitatũ, adde & mũdi ſapientiam, de mundo ſunt hæc, & mundus, quod ſuum eſt, diligit. Sed quouſque? Non ſolum enim non ſemper, vtpote qui non ſemper erit, verum nec diu quidem. Diu ſiquidem iſta in te mundus habere non poteſt, & te quippe ipſum in breui non habiturus. Nam breues dies hominis ſunt. Mundus quidem tranſit, ſed te prius emittit, quam ipſe pertranſit. Quid te ſine fine delectat amor mox finiendus? Miſerum eſt vbi finis inſtat, negotijs hærere vitæ; vbi omnia nos in mortem præcipitant, morulas effingere, quæ & cum temporalibus bonis Deũ etiam nobis prærripiant. Ad Loth dicebant Angeli: *Saua animam tuam: noli reſpicere poſt tergum.* Nec otioſa eſt tanta celeritatis commendatio, in via adeò præcipiti, quãdo & in ictu oculi poſſumus finiri. Nonne in ictu oculi perijt ipſa Lothi vxor? Geneſ. 19. *Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuã ſalis.* Non diu ſtetit, non longas fecit moras, oculos ſolum coniecit, & in ictu oculi amiſit ſalutem. Gen. 19.

CAPVT QVINTVM.
De Matthæo.

MATTHAEVS, qui & Leui à telonio ad cœleſtem menſam; à pecuniæ ſacculis ad diuinos euolat conquirendos theſauros. Verbum enim Chriſti, qui Lazarũ à ſepulchro, Matthæum à telonio retraxit. Sed vide ordinem: ſedenti ad telonium adeſt Dominus, verum adeſt pertranſiens inde, minime ibi manens: at ſedenti ad menſam Chriſtus iam aſsidet, & ibi cum diſcipulis manet. Quid murmuras Phariſæe? Dominus eſt, qui opera miſericordiæ ſacrificijs præfert: qui à pertuſis ſacculis ad eos trahit, qui non veteraſcunt: qui genus auaritiæ docet haberi, quo cœleſtibus inhiemus theſauris: qui infirmis adeſt, non contracturus infirmitates, ſed referens ſanitates.

Matth. 9. Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum.

§. I.

Auaritia ſecuriſsima diaboli catena eſt ad tenendos homines.

QVAM ſecuros, quam ſedentes in perditionis barathro habet diabolus eos, quos amor pecuniæ tenet! Alios peccatores ſemper ſtudet ligare nouis vinculis; id videre poteris in illo iumento, quod iuſsi ſunt diſcipuli ſoluere Matth. 21. erat enim ligatum à Dominis ſuis. *Etenim dixerunt Domini eius ad diſcipulos, cur ſoluitis pullum?* Vbi peccatoris miſeriam deflens D. Athanaſ. non ſolum dolet, quod plures tyranni ei cuſtodiendo inuigilent, ſed inſuper quod, *omnes non in aliud occupati ſunt, quam vt aſſellum alligent.* Sic timent perdere peccatores, vt nouis vinculis inijcien dis demones ſtudeant. At vbi auarũ nacti ſunt hominem, adeò lucris inſidentem vident, vt ſecuri de illo ab alijs ſuperſedeant vinculis. Quod ſi quæras, cur homines pecuniæ dediti, ſæpiſsimè alijs careant vitijs, caſti ſint, & bene morati? Pulchrè in rem præſentem reſpondet S. Anaſthaſ. Nyzæn. quæſt. in ſcripturam, vbi ait. *Caſti ſunt aliqui à Deo protecti, aut cum ſint frigidæ naturæ, aut ſuperbiam, aut auaritiam habentes, & deſpecti à Sathana, vtpote quod auaritia ſufficiat ſupra omnia vitia ad eos reddendos obnoxios æterno ſupplicio.* Matth. 21. Anaſth.

Nihil eſt, quod timeat diabolus in auaris; de alijs peccatoribus ſollicitus eſt, numquam illos quiete poſsidet, imò nec poſsidet, ſolum habet quaſi ius ad rẽ, ideoque multus eſt in meditandis vinculis, quibus illos irretiat: verum in auaris ſic quieſcit quaſi in propria poſſeſsione, nullum ab eis effugium timet. Sanſon blanditijs fœminæ correptus mille vincula fruſtra perpeſus eſt. In primis nerueis funibus ligatus eſt, vt teneri poſſit à Philiſthiim, quos ipſe facilè diſrupit. Inſuper ligatur funiculis nouis, nec ſic capitur. Rurſus eius crines cum licio plectuntur, & clauum his circumligatũ in terra figit aſtuta fœmina, ſed vana redduntur omnia ligamina. Quid tunc? tolluntur laquei, raduntur crines, vocãtur Philiſthiim Iud. 16. *Qui aſcenderunt aſſumpta pecunia, quam promiſſerant, &c.* & ſic accipiunt in manibus inimicum. Ecce tibi cũ pecunia interuenit, vniuerſi abſunt laquei, & tamen Sanſonis ruina fit certa, & miſer ab inimicis poſsidetur. Ita D. Proſper. lib. de Promiſs. p. 2. c. 22. *Antequam hæc fierent mittit mulier ad viros dicens: Afferte argentum, iam enim mihi omnia veraciter confeſſus eſt. Fit certa traditio, quam ſuppleuit Iudas, percepto argento.* Expende illud: *Fit certa traditio percepto argento:* quam non certam fecerunt tot laquei, tot forti ſſima vincula, fecit certam argentũ. Quippe tunc ſecure, & certò poſsidetur ab inimicis diabolicis homo, cum interuenit auaritia. Diues auarus apud Lucam cap. 12. aiebat. *Quid faciã? Quod nõ habeo quo cõgregẽ, &c.* Solus in lecto erat, & de diuitijs augendis, cumulãdis quæſtiones mouet. ſed à quo interrogat? Audite Chryſol. ſerm. 104. ſantem. *Quid faciam?* Iud. 16. Proſper. Luc. 12. Chryſol. interro-

interrogantis vox est: & quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat. Nullibi est auaritia, quin diabolus quietam possessionem habeat talis hominis mentis. Sedet diabolus securus, & quietus possessor in corde auari; hinc Pharaoni cor induratum est, ne à diaboli fugeret potestate, ne tot plagis acceptis incalesceret, sed quotidie magis rigeret, & lapidasceret. Quod notans Hildebertus episcop Cænomiensis ait epist. 47. *Pharao cum esset feruenti plagæ proximus, hoc frigore tamen induruit, quia labores manuum Israel indebite vsurpauit.* Vbi auaritia intercedebat, non mirandum, quod esset, & duricies cordis, & impenitentia finalis. Fallor si habeat diabolus certius telum, & efficacius ad perdendas animas: tria in Iesum contorsit tela in deserto, Matth. 4. & vltimo ait. *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Exerit vltimo loco auaritiæ telum, in quo præ omnibus confidebat, non enim redire solet vacua sagitta pecuniarum. Chrysostom. hom. 1. in præsenti, sic fatur. *Quasi omnibus vitijs fortiorem pecuniarum cupiditatem locauit: extremum illud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret.* Hinc tam anxie Dauid auarissimum hominem cupit à mundo eliminari, ne tantum auaritiæ malum serpat, vsque ad cognatos, & omnes in perditionem certã agat. Psalm. 107. *Fiant filij eius orphani.* Filios cupit parente auaro orbari, non quod filijs malum velit orbitatis, sed quod eis bonum salutis præoptet, quã ægre, & difficulter habebunt, si communicẽt parenti auaro. Sic D. Basil. in cap. 1. Isaiæ fatur. *Votis apprecatur filijs Iudæ sterilitatem orbitatis, dum dicit fiant filij eius orphani; ne habeant malignum sceleratæ vitæ doctorem, nempe morbum impotentis auaritiæ.* Sic cauenda hæc lues à mentibus humanis.

Hildebert. Matth. 4. Chrysost. Psalm. 107. Basil.

§. II.

Mundialia bona impiorum mentibus hærent, cœlestia inde quantotius elabuntur.

VIDE Matthæum nũmorum assidentem mensis, & Iesum inde transeuntem; non enim in mente impiorum hominum cœlestia bona morantur, sed omnino transeunt, & elabuntur. Iesus non habet ibi sedem, sed transit, nummi sedes habent, & permanentiam in corde impij. Pharao Ægyptiorum rex vidit somnium Genes. 41. quod mane commemorans, ait. *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem bobes de amne cõscendere pulchras nimis, & obesis carnibus; quæ in pastu paludis virecta carpebãt.* Similiter & Nabuchodonosor, somnium vidit; etenim vidit statuam aurei capitis, argentei pectoris, ferrei cruris, lutei pedis, quem lapis sine manibus decissus à mõte percutiens, vniuersam statuam cõtriuit, & ipse in montem vsque excreuit. Hoc erat Nabuchodonosoris somnium; sed expergefactus rex, nihil somni meminerat, quod Diuinis narrare posset. Sic apud Dan. 2. *Vidi somnium, & mente cõfusa ignoro, quod viderim.* Cur à Nabuchodonosor tam cito elapsum est somnium? Cur non magis illius meminit? Cur penitus ab illo euolauit, in Pharaone autem & somnium, & memoria eius perseuerauit? Nabuchodonosoris somnium erat de regno Dei, quod contriturum erat omnia alia regna; Pharaonis verũ somnium erat de Ægyptiarum segetum abũdantia temporali, & in mente impiorum terrenæ opimitatis copia, alta mente reposta manet; cœlestium autem bonorum memoria facilè elabitur. Rup. lib. 6. de vict. verbi Dei, c. 12 *Quomodo anima stulti, & impij continere posset rem tanti sacramenti, quam viderat? Nec somniũ Pharaonis, præsagium futuræ saturitatis pertinuit vllo modo ad somniũ Nabuchodonosor, quod præsagium fuit æterni regni Dei.* Hærent equidẽ & sedem habent temporalia bona in mente impiorum, non sic æterna, non sic cœlestia, sed quam occissimè pertranseunt inde, & penitus elabuntur. Notaui sæpe discrimen corui, & columbæ à Noe arca in mundum emissæ. Ait enim Genes. 8. *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur. Emisit quoque colũbam post eum, vt videret, si iam cessassent aquæ super faciẽ terræ. Quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Non inuenit columba, vbi pedem figat in terrenis mentibus; accedit illo, sed euolat statim: coruus manet, & ibi sedem habet. De quo Amb. ibi c. 18. Coruus, vbi remaneret, inuenit, colũba autem non inuenit: *Quia malitia inquietis passionibus quasi cognatis, & domesticis delectatur, ibique commorationem suam locat, virtus autem prima statim specie visionis offensa regredi festinauit.* Nõ diu manet in terrena mẽte virtus, sed occior euolat inde, solũ vitiosa ibi cubant.

Genes. 41. Dan. 2. Rupert. Genes. 8. Ambros.

§. III.

Oculi diuini dant homini, quod ipse in se referat Deum, ipsius imitator, & æmulus.

VIDE cæcum à natiuitate à Iesu sanatũ, & Matthæum pecuniæ cupiditate cæcũ ab eodem illuminatum. Vt autem illum sanaret, lutum applicuit oculis, & vt Matthæum illuminet, quid fecit? *Vidit*, ait, *hominem Matthæum nomine.* Illi lutum, huic suos oculos dedit, vt ille de luto, luteum meminerit ortum;

ortum; hic de diuinis oculis haberet Deum aſpicere, & in ſe imaginem illius ſummi boni
Chryſol. æmulam referre. Ita Chryſol. ſerm. 30. ſatur. *Vidit illum Deus, vt ille videret Deum.* Quid aliud facerent oculi diuini in hominem coniecti, niſi vt homo diuinis oculis adornatus Deũ in ſe videndo referret? Hæc eſt viſi à Deo hominis ſumma gloria, quòd oculos accipiat videntes Deum, à quibus neceſſum eſt, vt fiat di
Ioann. uinæ virtutis imitator, & æmulus. Dicit Ioan. in Can. epiſt. 1. c. 3. *Similis ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt.* Vndè eleganter D. Bernard.
Bernard. ſerm. 1. de verbis Iſaiæ ait, nobis Chriſti imitationem ſuggerens. *Eximanitum vides? Non ſit otioſa iſta viſio, quia ex aitatum otioſe videre non poteris. Similis eris illi, cũ videris eum, ſicuti eſt; eſto & nunc ſimilis ei videns eum, ſicut propter te factus eſt.* Neſciunt oculi videntes Deum otiari; vt Deum vident, ſic in ſe Deum imitatione exprimunt. Quis vnquam ad conſpectũ Dei acceſſit, qui in Deum non ſit transfiguratus? Omnes id à Dei oculis habemus, vt ad Deum tendamus, & Deum aſpiciamus in omni opere, & in Dei transformemur imaginem. Ita D.
2. Corint. 3. Paul. 2. ad Corinth. 3. ſatur. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Quid eſt à claritate in claritatem?
Anſelm. D. Anſelmus, *ab vna clara viſione, in aliã.* Itaque, quæ nos transformant in Dei imaginem: quæ nos faciunt ire in ſimilitudinẽ Dei, viſiones eiuſdem Dei ſunt. Sed vnde habemus tam claros oculos, qui Deum intuentes, nos Deo ſimiles faciant? Id exprimebat Apoſtolus, dum ait, *gloriam Domini ſpeculantes*, ſpeculantes, inquit, non ab ſpecula, ſed ab ſpeculo, vt D. Chryſoſtomo, & alijs communiter placet. In quo aptiſſima ſimilitudine explicatur, vndè efficaciſſima viſionis noſtræ virtus ortũ habeat. Vt enim in ſpeculo illius exprimuntur oculi, qui accedit: nec aliunde ſpeculum bonos oculos habet, niſi ex eo, qui ad illud accedit; ſic nos inſtar ſpeculi Deum referentes, clariſſimis Dei oculis inſignimur, quibus Deum videntes, crebra viſione in Dei imaginem tranſformamur. Suſtinemus, vt ſpeculũ, Dei faciẽ, Dei oculos, & inde in nobis oculi excitantur, non otioſi, ſed qui nos Deo faciant aſſimilari,
Pſalm. 31. & in eius ſimilitudinem properare. Quo ſpectat Pſalm. 31. canens. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.* Equidem ſuper nos, vt ſuper ſpeculum firmans Deus oculos ſuos, intellectũ dat, hoc eſt, mentis oculos dat, qui faciant nos currere ad obtinẽdã diuinam imaginem. Dei
Cant. 2. ſponſa, Cant. 2. ait. *Ecce ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Et dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea.* Vndè filia Adami tam cito, & dicitur, & eſt formoſa, & pulchra? Quibus vnguentis, quæ à ſole decolorata erat, in tantam pulchritudinem potuit peruenire? Ipſa ſignabat, dum ait. *Ecce ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras.* Vbi prius ipſe Dominus oculos ſuos vertit ad animam, illa quaſi ſpeculum totam recepit Domini venuſtatem, qua eos acquiſiuit oculos, quorum vnus dilecti precordia potuiſſet tranſuerberare. Pulchrè D. Greg. Nyſſen. homil. 5. in Canticat. *Pulchra redditur, columba nominatur. Quomodo potuit fieri, vt in ſpeculo pulcher ſit aſpectus, ſi non pulchræ alicuius formæ acceperis ſimulachrum? Ergo humanæ naturæ ſpeculum, non prius euaſit pulchrum, quam pulchro appropinquauit, & informatum fuit imagine pulchritudinis. Aſpicit autem ad primariam, & exemplarem pulchritudinem, propterea, cum luci appropinquaret, lux efficitur.* Ita que de pulchra Dei facie in nobis, quaſi in ſpeculo expreſſa, habemus pulcherrimos illos oculos, quibus in Dei imaginem transformamur.

Greg. Nyſ.

§. IIII.

Naturæ humanæ cognatio facit Ieſum hominibus propitium.

NON otioſe dictum eſt, quod viderit Ieſus hominem, ſed vt inde ratio monſtraretur, quæ ipſum Ieſum alliceret, vt Matthæo propitius fieret. *Non dixit*, ait Chryſologus, *vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberarat.* Natura hominis eſt, quæ Ieſum affi-
Chryſol. cit, ad quam ipſe tanquam ad cognatam inclinatur. Antiqua erat excitata quæſtio, cur Chriſtus naturam noſtram ſupra Angelos glorificauit, & dilexit? Cui Anaſtaſ. Nyzæ-
Anaſtaſ. nus reſpondet quæſt. 78. his verbis. *Naturali quadam ratione ad id, quod ſibi cognatum, & conſubſtantiale eſt, propendet, illudque impenſius diligit.* Vndè prudentiſſimus ille latro, cum Saluatoris animum in ſe ſollicitare cupiebat, nihil aliud obijcit, quam communem naturam. Etenim ait Luc. 23. *Memento mei*: quæ
Luc. 23. verba ſic eleganter verſat D. Cyrill. Ieroſoly-
Cyrill. mit. Catech. 13. *Non dico, vt memineris operum meorum: hæc enim metuo: ſed omnis homo afficitur ad comitem ſuum.* Equidem, ſi quid hominis circa pectus habes, eo continuè ſollicitaris, vt hominibus proſpicias. Id quod notauit Tertul.
Tertull. in Domitiani perſecutione: qui aliquando ſecutus rabiem Neronis omnino ſeralem; poſt modum in Chriſtianos manſueſcit, non ob aliam rationem, niſi quia aliquid hominis in eius

in eius animo insederat. Sic de illo Apolog. cap. 4. ait ille: *Tentauerat & Domitianus, portio Neronis decrudelitate; sed quia & homo, facile captum repressit, restitutis etiam, quos relegauerat.* Quasi necessum sit hominem in homines inclinari, eorũque affici miserijs. Fera est, diabolus est, qui nescit hominũ misereri; qui enim homo est, propitius fit hominibus, Psal. 99. *Intrate in conspectu eius in exsultatione.* Ante quem tremunt columnæ cœlorum, iubemur homines exsultare: vnde tanta præsumptio? An quia, qui Deus erat, homo factus est? sic Chrysol. serm. 6. *Vnde est, quod propterea hoc vos debere facere sic præsumit? Vnde est? Ex eo quod sequitur. Scitote, inquit, quod Dominus est Deus. Quia Dominus ille est Deus, qui fuit in carne nostra pusillus.* A susceptо homine Deus in hominem inclinat, vbi carne nostra vestitus est, nescit despicere carnẽ suam. Adeòque homo sibi deuinctum, & affectum Deum habet; vt Angelici spiritus cupiant magnalia hominũ introire. D. Petrus, 1. can. cap. 1. ait. *In quem desiderãt Angeli prospicere.* Expendo illud, *inquẽ*, cuius loco alij plures legunt, *in quæ desiderant Angeli prospicere.* In quę? in multa hominum à Deo accepta priuilegia. Ita Philippus solitarius lib. 3. Dioptræ, cap. 3. inquit. Opinor desiderare Angelos, vt in ipsorũ natura, quemadmodum in nostra carne, secundum substantiam suam Deus verbum ipsorum conditor in habitaret. Desiderãt rursus, vt in ipsorum natura à nobis adoretur, & glorificetur in throno Cherubico, & in sinu Patris sedens, quemadmodum nostra natura in Christo ab ipsis adoratur. Desiderant habere claues regni cœlorũ, & sedere super duodecim thronos cum Christo iudicantes, sicut in die iudicij piscatores cũ eodem iudicaturi sunt. Desiderant tanta apud Christum potiri libertate, quanta potitus est, qui supra pectus eius recubuit. *Dicam quod maius est. Affirmat Christus, cum venerit in die iudicij, virtutes cœlorum commotum ire præ timore. Iustos autem homines faciet discumbere, & transiens ministrabit illis. Hæc, & similia à Christo data sunt nobis, in qua Angeli prospicere, id est, intrare desiderant.*

Tertull.

Psalm. 99.

Chrysol.

1. Petr. 1.

Philipp.

§. V.

Humanam fragilitatem Deus præ oculis habet, ne ira eius in nos scandescat.

ECCE oculis diuinis primò obijcitur, id quod in creatura sua fragilissimum est, ni mirum hominis conditio, vt sic de fragilitate affectus ad Matthæi peccata cõniueret. Quo spectauit Chrysol. fastus: *Vidit hominẽ, vt peccata hominis non videret. Vidit opus suum, ne videret opera peccatorum.* Expende illud. *Vidit hominem, & vidit opus suum:* quasi enim non satis appareret fragilitas ex hominis iam facti consideratione, simul ad illius primum opificiũ oculos Dominus extendit. Ibi prima operis lutea stamina cernens, nescit ad scelera perpetrata scandescere. Hunc semper tenorem seruant diuini oculi, vt prius luteũ hominis opificium meminerint, quam humanos excessus contemplentur, vt de fragilitate ediscant misericordes esse. Nefarissimi accusatores Ioann. 8. obijciunt Domino mulierem in adulterio deprehensam. Quid tunc Dominus. *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Mulieris adulterium prædicatur, accusatores clamant; & Dominus aures, & oculos ab scelere auertens, ad terram inclinatus, eodem digito, quo hominem è terra formarat, modo in illa terra scribit delicti veniam. Nec à terra oculos auertit, donec accusatores abscederẽt. Pulchrè D. Ambros. lib. 9. epist. 76. inquit. *Vide lector, diuina mysteria, & clementiam Christi: cum accusatur mulier, caput Christus inclinat; eleuat autem vbi defecit accusator.* Mysteria Christi hæc sunt, tandiu oculos fixos habere in luteum hominis opificium, quandiu peccata hominem accusantia rigorem iustitiæ petunt: vt sic de lutea fragilitate affectum peccata fragilitatis non nimis offendant. Hinc Iob conueniebat Deum cap. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Quasi cum memoria lutei hominis opificij stare in Deo non posit rigor ad uersus homines; & eo ipso, quod tam vili fundamẽto vsus est Deus ad ędificium humanũ, quasi tenetur ædificio prospicere, eiusque reparare ruinas. Quo accinit Isaias 64. *Nunc Domine Pater noster es tu; nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manum tuarum nos omnes. Ne irascaris Domine.* Quis fictor irascitur, quod luteum vas mille expositum ictibus confringatur? Et sane qui nescit fractiones sustinere, non fiat figulus; vbi enim Deus in construendo homine figuli opus arripuit, nil prius agnouit, quam fractiones tolerare. Nouerat id D. Paul. 1. ad Corinth. 4. cum enim creaturarum iudicium effugisset, non iam ad Cæsarem, vt alibi, sed ad Deum appellauit, dum ait. *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Terribile Dei iudicium non vereris Paule? An putas, quod iudice Deo erit salua caro? D. Ambros. Psalm. 38. *Pulcherrime eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum neque occulta prætereant, nec infirmæ cõditionis lapsus offendant, quia fragilitati nouit ignoscere.* Aude ad Dei tribunal stare, quisquis lutum originis

Chrysol. serm. 29.

Ioann. 8.

Ambros.

Iob 8.

Isai. 64.

1. Corint. 1.

Ambros.

nis tui recolis, & Deo obijcis. Sub puluere fragilitatis tuæ non pauebis ad ſtrictum gladium Dei in peccatores. Ecce tibi Salomonis thronum, vnde iudicia faciebat in populo

2. Paral. 9. 2. Paralipom. 9. *Fecit quoque rex ſolium eburneum grande: & veſtiuit illud auro mundiſſimo. Sex quoque gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium: & ſcabellum aureum: & brachiola duo altrinſecus: & duos leones ſtantes iuxta brachiola. Sed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper ſex gradus.* Sæpe ego miratus ſum, cur in ſapientiſſimi, iuſtiſſimique iudicis tribunali ſtare, imo & effingi leones poſsint? Veniſſent forte leones, ſed viſo ſtrictiſsimo tribunali, *nõne leo quaſi bos palleas comedet?* Annuit Iſai. c. 15. & quidem ad primam ſtrictionem gladij, quo Salomon meretricum filium iudicauit,

3. Reg. 3. ſcindi medius, 3. Reg. 3. *Audiuit omnis Iſrael iudicium, quo iudicaſſet rex & timuerunt.* Si tantus timor à iudicio Salomonis oritur, ſperaſſem ad eius tribunalis obtutus leones conuertendos in ceruos. Cur ergo ibi adhuc leones? Aliquid de iudicio Dei ibi auſpicor, cuius ſtrictum gladium non timent, qui de leonum more puluerem fragilitatis ſuæ prætendunt. Aiunt enim, quod leæna, ne ſtrictos venatorum gladios expaueat, puluerem ob oculos ponit, & ſic filios audacter propugnat; & ſane, qui puluerem ſuũ ob oculos habent, imperterriti ad ſtrictum Dei pergunt tribunal, qui noſcit fragilitati parcere ſui opificij.

§. VI.

Diuitiarum contemptu peccati regnum corruit.

IN nullo Chriſtiani regni poteſtas, & peccati principatus ruina oſtẽditur manifeſtius, quam vbi ſedes thelonij deſpicitur, vbi aurum,

Exod. 4. & diuitiæ contemni videantur. Exodi 4. ſic iubet ſermo diuinus: *Poſtulabit mulier à vicina ſua, vaſa argentea, & aurea, ac veſtes, ponetiſque eas ſuper filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptũ.* Cur auri ſpolia, & diuitiarum iuberet Dominus auferri ab Ægypto, niſi ex ablatione auri iam regnum peccati ibi inciperet labare? Equidem nutat peccati regnum, & facile cadet, ſi diuitiarum fulcra tollantur. Vnde merito Lyp

Lyppoma. pomanus ibi putat aurum ab Ægyptijs auferri: *Vt amota ſede Mammonæ, ſeu Iouis Ammonij Ægypto præſidentis, facilius ipſe collideretur.* Suſtentat peccati ſedem thelonium, fulcit nequitiæ principatum aurum, quod dum nobilis imperator Ieſus à cordibus ſuſtulit humanis, totam conterit fortitudinem peccati. Quis ergo potentiam Ieſu ſuſtinere audeat, cum ſub eius vexillis, ſede Mammonæ contẽpta, viderit militare publicanos? De illo in cunis agente canebat Iſaias cap. 8. *Ante quam ſciat puer vocare* Iſai. 8. *patrẽ, aut matrem; auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Quod adimpletum putat D. Auguſt. ſerm. 3. de Epiph. quo tempore Ma- D. Aug. gi apertis theſauris ſuis obtulerunt regi ſeculorum aurum, thus, & myrrham, contẽptiſque gazis, ſe tanti ducis milites deſignarunt. *Debellaturus enim,* ait, *Dominus regnũ diaboli hac prima puer ſpolia idololatriæ dominationi detraxit.* Hic tota fortitudo Damaſci contrita eſt, dum aurum pro Chriſto didicerunt potentes ſeculi aſpernari. Hic in primis ablata auri fortitudine adimpleuit nobilis dux nomen illud, *feſtina, prædare,* quãdo diuites homines ad eius pedes deponunt aurũ, quaſi illo ablato iam iam caſurum ſit regnum peccati: & his militibus, qui ſciant aurum contemnere, Chriſtianę victoriæ auſpicium datur. Pulchré Francon. Ab- Francon. bas lib. 8. de Gratia, fatur. *Multum bellator iſte accelerat, multum feſtinat: qui in cunis vagiens arma robuſtorum, imo robuſtorũ robuſtiſſima corripit, bellum ſpiritualiũ nequitiarum principi indicit: ac dum Magos in caſtris ſuis militare imperat, electis tyrannum armis ſpoliat.* Qualis, rogo, erit de peccati regno triũphus Chriſtianus, quando Magis aurum aſpernantibus addũtur publicani? Quando non ſolum aurũ pro Chriſto, ſed thelonium ipſum Mammonæ ſedes abijcitur, & contemnitur? Hinc nobilis triumphator Ieſus regnum debellaturus peccati, ſpoliaturus principatus, & poteſtates, latronem primo in triumphum agit, dicens Lu- Luc. 23. cæ cap. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cur primus diuinæ victoriæ latro es? Iam facile conterendum oſtendebatur regnum peccati. D. Ambroſ. in Pſalm. 39. diabolo irridet. *Tri-* Ambroſ. *pudiabas draco, quod Apoſtolum ſubſtraxeras Chriſto. Plus amiſiſti, quam ſubſtuliſti, qui latronem vides in paradiſum eſſe traſlatum. Nemo eſt, qui poſſet excludi, quando receptus eſt latro.* Quid vectes ferrei? Quid æreæ portæ poſſunt aduerſus Ieſum, quando latrones ſaluantur? Sane facili negotio æreæ portæ confringentur, & cadet regnum peccati, vbi æris alieni ſtudioſi, relicto ære, & argento, ediſcũt Chriſto militare.

§. VII.

Vel minimus Ieſu radius potens eſt omnium ad ſe rapere animos.

AD tranſeuntis vocem Matthæus, dimiſſis ſacculorum theſauris, rapitur, quem leuitatis inſimulabit ille, qui neſcierit Ieſum fuiſſe, qui vocaret. Quis Ieſu efficaciter

vocanti reſtiterit? Rapidiſsimus ipſe ſol, vbi vel Ieſu vmbra tangitur, quam numquam nouerat in curſu; moram facit, neſciens Ieſu non obtemperare. Nō enim ſtetiſſet ſol ad vocem hominis, nec Ioſue cap. 12. auderet eius rapidiſsimos equos frenare, niſi de Ieſu noſtri efficacia. Ita D. Ambroſ. Pſalm. 43. *Nec enim in ſua confidentia dixit Ieſus Naue, ſtet ſol cōtra Gabaon, ſed quia præſumebat in Chriſto, quem ducem militiæ cœleſtis agnouit, & ſuppliciter adorauit, & ideo gentes feras eradicare promeruit.* Mirarer ſolem ſtantem, & magis mirarer gentes feras eradicatas, niſi ſcirē id Ieſu halitu fuiſſe patratum, cui vniuerſa ad nutum famulantur. Quō in preſenti ſpectat etiam D. Iuſtinus Mar. quæſt. 45. ita fatus. *Ieſus Naue filius, eum pro iure ſuo Soli, & Lunæ imperaturus eſſet, Ieſus nominatus eſt, dum hoc nomen à creata natura præcepti obedientia honoratur.* Vnus Ieſus eſt, qui nouit ad ſe omnia trahere, cuius vel nutui nulla creatura reſiſtit, ſed ſeſe illi properat cōformare. Mirabar rudes paſtores ſubito gregum oblitos ad puerum Bethleem cucurriſſe; quis hoc ſtudium iniecit menti hominum rudium? An Angelus eis appareas? Ait Lucas cap. 2. *Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Expende quod Angelus iuxta affuit, ſed Dei claritas illos omnino penetrauit, intrinſecus illuſtrauit, ne Angelus, ſed naſcentis Dei claritas videretur illos traxiſſe. Ita D. Bernard. ſerm. 70 in Cant. *Bene Dei, quia non Angeli, ſed lilij candor ibi aderat, ſed illuc micabat ab vſque Bethleem. Agnoſce lilium, & ex odore, quo & longe poſitis innotuit Magis. Et quidem ſtella apparuit, ſed eam minime vi rigraues ſecuti fuiſſent, niſi intima quadam ſuaueolentia orti filij traherentur.* Non Angelorū militia, non totus ſtellarum exercitus valet, quod vel vnicus Ieſu naſcentis radius ad expugnandas, & trahendas humanas voluntates. Soli Ieſu didicerunt parēre omnia creata. Vbi Ieſus eſt, vbi Ieſus ſonat, ſic illigamur omnes, vt vix ſit aliquis, qui reſiſtere valeat, & extra caules ſaltare. Prius acceſsit ad Ieſum Andreas Ioan. 1. & poſtmodum inuenit fratrem ſuum Petrum, cui ait. *Inuenimus Meſsiam: Et adduxit eum ad Ieſum.* Vide efficaciſsimum hamū, inuenimus, ait, Meſsiam, & nullo dato effugio continuo traxit ad Chriſtum fratrem. Pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 25. expendit. *Dicit Andreas Petro: inuenimus Meſsiam, & ad vocem Petrus auribus ligabatur.* Pro laqueis mille erat vox Chriſtum ſonans; vbi Ieſus inſinuabatur ineuitabiles mittebantur laquei, quibus traherentur humanæ voluntates. Hanc vim in meo Ieſu cognouit Pſalm. 103. dicens. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.*

Ambroſ.

D. Iuſtin.

Luc. 2.

Bernard.

Ioann. 1.

Baſil.

Pſalm. 103.

Qui videbat ingentem Dei virtutem intō obnubilari humano, iam cum Ieremia, de Dei pulchritudine caneret: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo?* reputans ex tunc Deum amatoribus viduari. Sed abſit; imò cum Deus homo fit, iam Ieſus factus eum decorem induit, qui fortior ſit ad trahendos, & debellandos humanos animos. Ita Theodoretus orat. de Charit. fatus. *Nec enim humana veſtis diuinam operuit pulchritudinem, ſed ea quoque indutus ſplendores emittit, ex ſpecie, adeò, vt vim afferat videntibus, & alliciat ad amorem.* Expende illud: *vim afferat*, quaſi Ieſus prō vi, & poteſtate ſua humanas mentes in ſui ſequelam captiuas agat.

Theodor.

§. VIII.

Conſultationis neceſsitatem in ſolo ſequendo Chriſto ponunt mundiales, quaſi ſolum Chriſtum ſibi ſuſpectum habeant.

EVRIVNT ethnici cum imperatore apoſtata videntes Matthæum à thelonio ſemel vocatum currere ad Chriſtum: an nō prudentius moram faceret: facinus ponderaret, vires expenderet? Quis rex iturus committere bellum, non prius ſedens cogitat, ſi cum decem millibus poſsit occurrere ei? His etiam ſefallunt, qui diuina, vt ablegent, longiſsima conſultationis ſpatia trahunt. Vniuerſos pungit D. Clem. Alexand. in adhort. vbi fatur. *An iniuria ſit facienda, non valde eſtis ſolliciti, ſed quam primum iniuriam facitis. Solum autem, an Deus ſit colendus, quæritis, & an Deus, & Chriſtus ſit ſequendus, hoc conſultandum, & conſiderandum eſſe cenſetis.* Occaſiones quærit à Deo deficiendi, qui conſultationis terit ſpatia; ſi quæ res in conſulto arripienda eſſet, is eſt vnus Deus; qui adeò bonus, & cuius bonitas adeò euidens, vt miſeri ſint, qui ad eum ire cūctantur. Prudentiſsima ſponſa Cant. 3. vt quærat Dominum, domo egreditur, per vicos, & plateas quærit illum, & tunc ait: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num, quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Diſce, qualis ſit prudentiſsimæ fœminæ conſultatio, vt Deum quærat; in primis nemine conſulto, domo egreditur ſua, quærit ſponſum, inter quærendum obiter offendit vigiles, quos etiam inter quærendum, &

Clem. Alexandr.

Cant. 3.

obiter

obiter consulit. Non enim consultatio adeò est necessaria ad Deum sequendum, sed inter sequendum bona est consultatio, non qualis est consultatio mulierc ularum, quæ integrũ diem consumere vellent ante pedes Patris spiritualis, nescio an spiritu, an carne alligatæ; sed qualis est consultatio prudentissimæ sponsæ obiter, & trãsitu. Id docebat Gillibertus Abb. serm. 7. in Cant. aiens. *Vtilis quidem consultatio, & frequenter, quod non confert eorum, qui consultantur, erudito, consulentis meretur humilitas. Bonum est, vt sis ad quærendum sedulus, non tamen assiduus. Nam & sponsa, non tam studio, quam occasione custodes interrogat, & id in transitu.* Itaque inter virtutum studia vtilis est aliqualis consultatio, imò plurimis necessaria, at ut absolute Deum sequaris, quæ consultatio expectanda? Cui iuuis consultationis moras in his, quæ ad Deum pertinent, suspectas habe; & fuge quam plurimum cõsultationem prudentiæ carnalis. De qua eleganter aiebat Tertullian. *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi, de gaudijs, & de fructibus seculi metuit amittere?* Sed age, videamus prudentis sæcularis orationem aliquam pro virtutibus à-ctam. Ita D. Max. Taurinensis serm. 93. fatur. *Quibus cum ieiunium indicitur, de intemperie sæ temporis semper excusant. Dicunt enim, æstiuis mẽsibus dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre nõ possumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tepore, graue frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. His autem ipsis hominibus cum dixeris, vt aliquid pauperibus largiantur, statim tibi obijciunt: necessitates infinitæ sunt, tributa sunt grauia, fiscalia explicare non possumus; & tanta ingerunt, vt quasi reum te statuant, cur hoc ipsum illos volueris commonere.* Huc expectant omnes consultationes prudentiæ humanæ, vt te à virtutis vijs arceant.

Gillibert. Tertul. D. Maxi.

§. IX.

Totum diuinæ gratiæ ascribere debemus, quod sequamur Iesum. Vbi, quàm gratis cœlestia acquirantur.

CVR tam celer Matthæus respondit Iesu vocanti, an quia eo tempore vocatus est, quo ex se aptior, & paratior erat ad respondendum? Absit: imò ideo de telonio vocatur, quãdo ipsi operi sedens incumbebat, quando magis feruebat opus, ne videretur Deus expeditioris, & paratioris egere; sed illius esse gratiæ homines, & aptari, & expediri, & viam capere, & cursum consumare. Sic Tyrium Regem, siue deciduum Angelum monet Dominus apud Ezech. 28. fatus. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onix, & beryllus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Quibus expendo, quod non solùm fuerint Dei dona, tot pretiosi lapides, sed quod etiã ipsa foramina, hoc est aptitudo, & capacitas recipiendi illos, à Dei prouenerint gratia. Ait enim, *& foramina tua præparata sunt*: non te ipse aptasti recipiendis lapidibus, sed qui dedit ornatum, dedit & aptitudinem, & capacitatem. Huc adest Franconius Abb. tom. 1. de Gratia, dicens: *Huius ergo foraminis, in die conditionis non à se ipso, sed manu eoditoris sunt præparata: per quæ diuinitus infusa sapientia, Tyrium principem erudiret, diuina sibi gratia collatum esse, quod ad similitudinem Dei refulgeret.* Non laboris tui, nõ expensarum tuarum est, quod diuina, & cœlestia possis emercari. Humani equidem sumptus non est, quod possimus negotiari diuina, id muneris est diuini nos vocantis, excitantis, allicietis. Vt peccato seruias, multis id efficis pecunijs tuis, multis bonorum dispendijs, multis fæpe salutis, & vitæ incommodis: verum vt Deo apteris, & cœlestia obtineas, id ex Deo gratis habes. Compone modo tibi Synagogę principes volentes perdere Iesum, ad hoc pecunias exhibent, nec antea de habendo Iesu tractant, quam de pretio traditori dando. Sed bonus ille Ioseph ab Arimathęa. Matth. 27. *Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* Petijt vtique sibi dari gratis. Cur illi pecuniam spondent pro Iesu, hic Iesum sibi gratis dari efflagitat? Iudæi perdere Iesum cupiunt, & quisq; is perditioni studet, multis pecunijs, multis bonorum suorũ sumptibus id agit. Ioseph volebat æternam sibi salutem negotiari, ideo petit corpus Iesu sibi gratis dari, quia talis negotiatio in gratia debet fundari. S. Laurentius Iustinian. de triumphali Christi agone, cap. 21. ait. *Illud sibi donari popposcit, sperans locupletem meritorum cumulum, se in sublimibus cælorum mansionibus posse mereri.* Etsi dines, etsi possessionibus mũdi plenus, nõ diuitijs, non pecunijs exhibitis, non pacto pretio fundamentum, quo mereri possit æterna, quærit, sed id expectat gratis sibi dari. Componite modo ex Luc. cap. 18. Pharisęum orantem, & publicanum pœnitentem. Pharisæus ait: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Publicanus nihil dat, nihil offert, sed solum inquit. *Propitius esto mihi peccatori.* Cur ille decimas bonorum datas à se meminit, hic nihil à se datum meminit, ipse postulat sibi indulgentiam? Equidem ille vanitatis ventos emebat, in qua emptione magnum erat bonorum dispendium

Ezech. 28. Franco. Matth. 27. Laur. Iust. Luc. 18.

faciẽ-

faciendum: hic vitam æternam negotiatur, & Dei gratiam procurat, in quo negotio nihil perditur, nihil insummitur, sic omnia nostra seruantur in thesauris æternis, vt omnino gratis videantur nobis obuenire cœlestia. Huc spectat D. Basil. Sel. orat. 35. fatur. *O publicanum clementiæ mercatorem! O publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit! Docuisti vectigalium redemptionem, iustitia valentiorem; nõ desijsti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.* In cœlestium negotijs non tam damus, quam accipimus; potius exactoris, quam mercatoris munus fungi videmur; mercator data pecunia accipit merces; exactor totus est in accipiendo: sic homo nihil habet à Deo, quod non acceperit, & præacceptis vix reperitur, quod dederit.

Basil. Sele.

Tex. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.

§. X.

Diuina gratia è reprobis sceleratorum moribus dulcissimas Deo sciuit conficere dapes.

VIDISTI paulò ante Matthæum amarulentis diuitiarum curis deditum; vide modo ab ipso dulcissimum Deo parari conuiuium. Dixi ab illo conuiuium Deo parari, dixissem satius ex illo; etenim non tam Deus vescitur dapibus, quam redditu peccatoris. Pulchrè D. Chrysolog. serm. 29. *Discumbebat Iesus plus in Matthæi mente, quam stigmate; & epulabatur non cibis, sed redditu peccatoris.* Quid magis felleum, quam peccatum? Quæ amarior myrrha inueniri Deo potest, quã est peccator? Hanc, cum gustasset in cruce, noluit bibere; reprobans ex tunc eos, qui amarore sunt repleti peccati. Et nihilominus diuina gratia, sic nouit coquere per pœnitentiam peccatores, vt ex depraũatis, & reijctitijs fœcibus, melle manantes dapes Deo paret. Bona illa mater Rebbecca, vt parentis benedictionem filio suo Iacob acquireret, sic filium suadet, Genes. 27. *Affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.* Hoc mystice acceptum de cibis Deo ab Ecclesia paratis, maximam mouet quæstionem, cur promittat se ex hędis facturam escas, quibus Deus libenter vescatur. An hædus potest placere Deo? Nonne Deus hædos à sinistris positos, & diris, & maledictis prosequitur? Ea tamen est, & potestas, & sapientia diuinæ gratiæ, quæ ex hædis, & depraũatis hominibus, dulcissimum epulum paret, quo Deus libenter vesci gaudeat. Accipite Franconem Abb. tom. 3. de Gratia. *Verè sapiens mulier, quæ sic nouit hædos coquere, sic condire: vt gratiã ceruorum coæquent, aut etiam superent. Gaudium enim est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. Sic, sic fatagit gratia.* Sic nouit hædos parare, vt ex illis eos cibos Deo faciat, quibus Deus libenter vescatur. Iam olim de gratię condimento cinis Deo sapiebat super frumenti adipem, cur etiam hędus si à gratia condiatur, pro pretiosis escis non sapiat? An erat Dei vox illa, Psalm. 101. *Cinerem tamquã panem manducabam?* Accinit D. Bernard. sermon. 71. in Cant. fatus. *Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat? Ego autem, quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor, cum arguor, glutior, cum instituor, digeror, cum transformor, vnior, cum conformor.* O diuinæ gratiæ ingenium? Hædos inuenit, & gratissimas Deo ex illis conficit dapes: cinerem inuenit, & apponit Deo pro frumenti adipe. Sicque omnia immunda condit, vt non solum his Deus vescatur, sed & illa, vt gratissima sibi obsonia amicis suis offerat in pabulum. Esuriebat Petrus, Act. 10. *Et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram. In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.* Ecce tibi quale ferculum amico suo paret Deus ex serpentibus terræ; expauit Petrus ad ferculi aspectum, aiens. *Absit Domine, nũquam manducaui omne commune, & immundum.* Escæ immunditiam abominatur, dum non videt diuinæ gratiæ condimentum; nouit diuina gratia ex serpentibus conficere Deo pretiosas dapes. Vndè cœlestis vox ait. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Nõ est immundum, non est reprobum, quod cœlestis condit gratia, ipsa dum hædos decoquit, dum serpentes lauat, dum immunda condit, ex illis conuiuia Deo digna parat. Ideo post Petri fastidia: *Statim receptum est vas in cœlum.* Bene cœlesti conuiuio reseruatur, quidquid Dei gratia fuerit purificatum.

Chrysol.

Genes. 27.

Franco.

Psalm. 101

Bernard.

Act. 11.

§. XI.

Nusquam intempestiuum est studium salutis acquirendæ.

ETIAM inter manducandum Saluatoris nostri opera in excipiendis peccatoribus elu-

elucent; vt doceamur nullum esse tempus, vel opus acquirendæ saluti intempestiuum. Da-
Psalm. 118 uid Psalm. 118. vt suũ de salute studium commendaret, inquit: *Præueni in maturitate*, quasi nulla præuentio quantumuis festinata possit esse non matura. Explicatius id docet Græcus, dicens: *Præueni ante horam*: hoc est, vt saluti studerem meæ, non obseruaui tempus, sed quodlibet tempus habui tempestiuum. His
Eccles. 3. obstat illud Ecclesiastes cap. 3. vbi fatur: *Omnia tempus habent, & suis spatijs transcunt vniuersa sub cœlo.* Obseruandum ergo est tempus in omni studio? Vana ergo erit quælibet præuentio ante horam? Equidem vana erit ante horam præuentio rei, quæ sub cœlo est; at cum Christus Dominus hominum saluator sit supra cœlum, nullus illi tempestiuior accedit, nisi cui nullum tempus, & opus intempestiuum est.
Ambros. Audite D. Ambrosium ibi sic loquentem. *Præueni ante horam nesciens in obseruationibus Domini tẽpus esse aliquod, sed semper in ipsis sum: siue manducamus, siue bibimus Christum annuntiemus, Christum rogemus, Christũ cogitemus: sed forte dicas, quomodo scriptum est; tempus omnibus, & tempus omni rei sub cœlo est? Sed Dominus Iesus supra cœlum est, nullo circumscriptus est tempore.* Sanè si tempus aliquod obseruandum esset, vt Christi lucrum fieret; latroni illi omne penè effluxerat tẽpus salutis, & paululum, quod supererat multum erat acerbum, & immaturum. Quo respectum fuisse crediderim
Ierem. 3. illo prouerbio Ierem. 31. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Acerbissimus, & maximè acidus erat Iudæis botrus Cypri Iesus pendens à Cruce, cuius sanguis super filios eorum cecidit, quando vastata à Romanis concidit vrbs. Eo igitur tempore tàm acido, tàm immaturo accedit latro ad Iesum, & tamen perfectã obtinet salutem. Quod
Athan. miratus D. Athanas. hom. in Paras. ait. *O latro fidei parturitionem non egere tempore ad partum, manifestans.* Felix fidei parturitio, quæ quouis tempore matura est: in omnibus rebus, quę sub sole sunt, dantur partus immaturi, abortiui fœtus; sola fides est, quæ dum pariat, semper maturè parit. Nullum tempus intempestiuum, nullus partus immaturus, quando omnia tempora virtuti data sunt, nulla ma
Matth. 8. litiæ. Nefariissimus ille apud Matth. 8. obijcie bat Christo: *Venisti ante tẽpus torquere nos*, quasi esset tempus destinatum perfidiæ, quo Domini aduentus esset intempestiuus. Erant miseri in monumentis clausi, & offendebantur præmaturo aduentu dominico; quos elegan-
Chrysol. ter pungit, & arguit Chrysol. ser. 16. *Tempus abscindit, præuenit mortem: sepelit viuos crudelitas immatura: & de tempore queritur, quasi ante tempus habere debuerit: & non vt exorta est mox puniri.* Nullum tẽpus est, quo malitia non debeat expungi; numquam non tempestiue expugnantur vitia, non nouit fidei partus nouem mẽsium fastidia; non longas moras expectare. De fidei partubus quam verè dicerent obstetrices Ægyptiæ, Exodi 1. *Non sunt* *Exod. 1.*
Hebreæ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & prius, quam veniamus ad eas, pariunt. Sanè non est Dei gratia, vt cæteræ matres, ipsa nihil indiget expectare, ante horam præuenit in maturitate, & omni præuento tempore tempestiuè parit. Chrysostom. apud Damascenum lib. 2. Paralelorum ait. *Tempore non est opus ei, qui salutis suæ desiderio tenetur.*

§. XII.

Periculosum est sola victus corporalis causa Christi adesse altaribus.

MVLTOS publicanos audio venisse ad Christum occasione conuiuij, non veritatis amicos, sed mensæ: quo non possum non meminisse, & cum dolore meminisse, quam plurimos Christianos, qui sola victus causa nõ tam vadant ad Christum, quam inuadant altaria Christi. Scribæ, & Pharisæi receptis aureis, quibus traditus fuit Christi sanguis, Mat- *Matth. 27.*
thæi 27. *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum*, quasi totum pretium diuini sanguinis ad solam corporum tutelam trãsferre mallent. Quod virus Christianos etiam pertingens putat D. Anasth. Synaita lib. 4. de *Anasthas.*
rectis fidei dogmat. his verbis: *Pretio quidem æstimatæ libertatis, quod penes se quisque nostrũm receperat, sumus abusi. Pretium autem appretiati eius, qui erat liber, factum est peregrinis in sepulturam, vt eorum seruet corpora.* Abutitur Christi sanguine, qui altari seruit, qui sequitur Christum sola causa temporalis victus. Vtinam talis abusus non prębeat occasionem finali repulsæ. Hoc periculum ostendens Dominus, Luc. 13. fatur. *Tunc incipietis dicere:* *Luc. 13.*
Manducabimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: nescio vos vnde sitis: discedite à me operarij iniquitatis. Quod ne innotatum transeamus, clamat D. Ambros. lib. *Ambros.*
de Cain, & Abel, cap. 5. *Audistis, quid de manducantibus dixerit?* Hanc metuant mercedem sui laboris, nimirum finalem repulsam, qui de tota Christi sequela hoc habent solum, quod de altari, de Christi pretio, manducant, & bi-
bunt. Accipite querimoniam D. Bernard. in *Bernard.*
Psalm. *Qui habitat*, serm. 6. *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transire, neque salus animarum,*

marum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter quæ tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant. Pro epiſcopatibus, & Archidianatibus, Abbatijs, aliiſque dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt Eccleſiarum redditus in ſuperfluitatis, & vanitatis vſus diſſipentur. Supereſt, vt reueletur homo peccati, filius perditionis, &c. Et merito ex Bernar. nemo proximior filio perditionis eſt, quam qui ſanguinis Chriſti pretio ſic abutitur, vt illo ſolum corpori ſtudeat curando.

§. XIII.

Anni multi docent miſericordiam in peccatores.

SEVERISSIMVS vltor eſt peccatorum iuuenilis ardor: & nimius erroris plectendi rigor ſemper nouitius eſt in diſciplina Chriſtiana. Ieſus meus, vt adoleuit ætate, publicani menſis accumbit, & recipit publicanos, & peccatores. An non ille eſt Ieſus, qui puer, nec naſci, nec portari patitur, niſi ex Virgine Maria, à iuſto Simeone, à prophetiſſa Anna, à Ioſeph ſanctiſsimo putatiuo patre? Cur modo non ſolum à iuſtis, ſed & peccatoribus patitur tractari? An hoc illi dederũt, quoad nos, aucti anni? Sanè D. Bernard. ſerm. 1. de Purificat. notans Ieſum infantem inter ſanctos, & pios virgineis portari manibus in templum; & adultum, & proiectæ ætatis virum ſedentem aſſelo, popularibus frequẽtem, intrare in ſanctam ciuitatem, ſic fatur. *Nullum ibi locum peccator habuit, omnes fuere perfecti, omnes iuſti, omnes ſancti: ſed numquid hos tantum ſaluabis Domine? Creſcit corpus, creſcit & miſeratio, homines, & iumenta ſaluabis, cum multiplicaueris miſericordiam tuam, Deus. In ſecũda iam proceſsione præeunt turbæ, turbæ ſecuntur, nec virgo portat, ſed aſſelus. Neminem itaque dedignatur, nec ipſos, qui computruerunt, tanquam iumenta in ſtercore ſuo.* Perfectiſsimus erat Ieſus à primo conceptionis ſuæ inſtanti: tamen quo ſenſu verum eſt, quod Ieſus creſcebat ætate, & ſapientia, ſic & creſcebat miſeratione, quaſi de augmento annorum haberet, quod peccatoribus conniueret, & parceret. Etenim quo plures viuimus annos, difficiliorem noſcimus innocentiam, & tot ſcatere naturam humanam peccatis, vt ſi de omnibus eſſet vindicandum, nullus eſſet ſaluandus. Adulteræ accuſatores Ioann. 8. ſic conuenit Dominus: *Qui ſine peccato eſt veſtrũm, primus in illã lapidem mittat.* Nonne monet, quod vbi innocentia quæritur, omnes ſuperſederint â rigore iudicij, & abiuerint? Sed illud expendo; quod notanter addit textus, nimirum: *Vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus.* Ecce tibi ſeniores incipiunt diſsimulare legis rigoroſam vindictam. Cur ſeniores? Pulchrè D. Ambroſ. epiſt. 58. *Quod ipſe plura haberent crimina, qui diu vixerint.* Eam enim oſtendunt multi anni multitudinem criminum, vt neceſſum ſit multiplicari miſericordiam, niſi velint omnes perditum ire. Monſtruoſa res eſt nimia ſeueritas, & rigor in eo, qui diu vixit, quãdoquidem multi anni nil citius docent, quàm miſericordiam eſſe neceſſariam. Daniel cap. 7. ait. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum, quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda.* Quæſtionem multis facit, cur cani tanti iudicis comparentur lanæ mundæ? Vbi & throni, & iudicij aſpectus, & fluuius igneus ab ore egrediens ſeueritatem, & rigorem halant, cur capilli ſenectutis ſedes multorum annorum indices ſimiles dicantur lanæ mundę? Pulchrè reſpondet Rupert. in Apocalyp. cap. 1. *Videlicet, quia verba illa ſancta ſunt, & munda. Vndè & illud: Lex Domini immaculata conuertens animas. Conuertens, inquam, animas, & lauans illas ab omnibus peccatis.* Et quidem nullibi certior eſt remiſsio peccatorum, quam inter canos; inter albentes præ ſenio capillos manſuetudo, & benignitas in peccatores candicat.

Bernard.

Ioann. 8.

Ambroſ.

Dan. 7.

Rupert.

§. XIIII.

Peccator, qui Chriſto accedit, iam deſinet eſſe peccator

PECCATORES venientes ad Ieſum diſcumbebant cum eo, & diſcipuli eius; ergo & peccator Ieſu aſsidet? Papę, qui peccator eſt, vbi Ieſu aſsidet, iam deſinet eſſe peccator. Luc. 15. dicitur, *Erant appropinquantes Domino publicani, & peccatores, vt audirent illum: & murmurabant Phariſæi, & ſcribæ, dicentes; quia hic peccatores recipit, & mãducat cum illis.* Malè aiũt, recipit peccatores: eo enim quod ad Chriſtum veniat, quod appropinquent Chriſto, & recipiantur ab illo, iam peccatores eſſe ſinunt. Sic Chryſolog. ſerm. 168. *Recipit peccatores Deus, ſed Deus peccatores eſſe non ſinet, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatores ſanctificat.* Is eſt Deus noſter: is eſt Ieſus, qui ſecum non patiatur eſſe peccatores, quin exuant pecatorum vincula. Aiebat vtique aliquando Dominus: *Ego ſum via*; via inquam, in qua nullus ambulat, qui non ambulet in luce, in qua omnes maneat ſalus, & vita. Quo ſpectans Iſaias cap. 35. ait. *Et erit ibi ſemita, & via; & hæc via ſancta vocabitur, non tranſibit pollutus per eam.* Expende illud, non tranſibit, non

Luc. 15.

Chryſol.

Iſai. 35.

ait, nõ veniat pollutus ad illam: admittit enim hæc via pollutos, admittit peccatores, sed vt peccatores, & polluti desinant esse, vbi gradum
Gualric. faciunt in illa. Gualricus Abb. serm. 5. de Adventu. *Veniat quamlibet pollutus ad eam, non trã sibit pollutus per eam, quia cum transierit, iam pollutus nõ erit. Admittit sane via sancta pollutum, sed statim abluit admissum.* Non permanet peccator, qui accedit ad Christũ, qui est vera via vitæ; via, inquam, quæ mundat statim gradientes simul. Vbi Matthæus patres recenset, per quos Iesus ad nos venit, ait: *Dauid autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*, quasi me
Luc. 3. moret Dauidis homicidium, & adulterium; non sic Lucas: imò cap. 3. prætermisso Salomone, ait: *Qui fuit Natham, qui fuit Dauid*; in Natham nomine Prophetæ nomen memorans, qui Dauidis adulterium, & homicidium castigauit, & obiurgatione sua fecit expũgi. Cur ergo Matthæus peccata obijcit, & Lucas peccatorum abolitionem memorat, nisi vt pateat, quam desinãt peccatores esse, vbi Christo accedunt? Suscipit equidem Christus peccatores, vt sanctos reddat: suscipit peccatores, ne am
Anselm. plius peccatis hæreant. S. Anselm. in verba dicta Lucæ fatur. *In generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Christo Domino; in generationibus autẽ Lucæ designatur nostrorum abolitio peccatorum. Proinde Matthæus à Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit; Lucas verò ad ipsum Dauid per Natam ascendit, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit.* Vbi enim susceptos à Iesu dicunt peccatores, necessum iam erat similiter poni & abolitionẽ peccatorum. Quippe in tantum durant peccata in cordibus hominum, in quantum non suscipiũ-
Cantic. 1. tur, vel saltim aspiciuntur à Christi oculis. Cãtic. 1. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia*
Ambros. *decoloranit me Sol.* Longé aliter ait D. Ambr. in Apolog. Dauid cap. 8. vbi sic: *Quia non est intuitus me Sol*, quasi totam causam nigredinis suæ refundat anima in absentiam diuini Solis, si enim Sol diuinus vel aspexisset nigerrimos peccatorum vultus, in fulgentem candorem transmutaret, vt qui vel intuitu potens sit
Idem. Æthyopes dealbare. Ita Ambros. *Ergo fuscamur quando non videmur à Christo, sed quando videmur, albescimus.* Non potest peccatorum nigredo permanere, vbi fulgentissimus Christi Sol adest.

Text. Et videntes Pharisæi dicebãt discipulis eius. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?

§. XV.

Nemo peccatori durior est, quam alius peccator.

IESVS bonus, & impeccabilis Deus ad se peccatores recipere dignatur; quos acriter dedignantur, & mordent Pharisæi omnibus pleni peccatis. Nemo durior, nemo immanior aduersus peccatores existit, quam qui est ipse peccator. Dauid, vt se peccati reum nouit, vehementer cupiuit Deum sui esse vltorem peccati; ait enim Paralip. 1. cap. 21. *Melius mihi est,* 1. *Paral.* 21
vt incidam in manus Domini, quoniam multa sunt miserationes eius, quam in manus hominum. Quod ponderans eleganter D. Ambros. in *Ambros.*
Psalm. 37. fatur. *Misereatur enim, qui nescit errare, non misereatur, qui erroris est particeps.* Vbi peccatum regnat, ibi immisericordia, ibi inclemẽtia, ibi crudelitas. Ionam fugitiuum à Deo voluit Deus simul duriter castigare, & simul per mare incolumen ducere in Niniuem: pro vtroque Dei consilio implendo, ecce tibi hinc adsunt nautæ cũ nauigio; illinc immanis Ballena paratur. Quæsierim modo à te, cum & supplicium dirum Ionæ immineat, simulque incolumitas nauigandi asseruetur, vter supplicium dabit nauta cum nauigio paratus, an Ballena præparata? Nonne incolumitas satius speraretur à nauigio nautæ, quàm á Ballena? Nonne supplicium timeretur amplius à Ballena, quàm à nauta? Proh hominum impiorum mores! Nauta in nauigio accipit Ionam, & audiens Deum iratum, sic peccantem castigat, vt mari, & belluæ tradat. Bellua autem vorans Prophetam, illi nauigium extitit, quo incolumis asseruatur. Præclaré Sedulius li. 1. Paschali cap. 15. ait. *Nauta feritatem præbuit, fera nauigium minstrauit.* Nemo ferior, quam peccator ad peccatores castigandos. Hinc Dominus
Ioannis 20. *Veniens ad discipulos: insufflauit eis,* *Ioann. 10.*
dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Cur non antea peccatorũ susceptionem illis permittit, quàm eorum animis immittat Spiritum sanctum? Sanè, & illis in cœna corpus suum manducandum exhibuit, nec prius insufflauit, vt acciperent Spiritum sanctum, & modo vt commendet peccatorum susceptionem, prius communicat Spiritum sanctum? Cauet sibi Dominus à natura labili in negotijs peccatorum tractandis, & ideo nulli hominũ credit remissionem peccatorum, nisi prius diuinum, & verum remissorem Spiritum sanctum eorum imprimat animis. Ita Chrysolog. serm. 84. fatur. *De-* *Chrysol.*
dit potestatem remittendi peccata, qui in sufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissorem. Non antea commisit homini-

bus peccatorũm remiſsionem, quàm eorum animis inſertus eſt verus, & diuinus remiſſor, de cuius virtute haberent, quod proſpicerent peccatoribus. Nec myſterio vacat, quod illi ipſi Petro, cui tradidit regni cœlorum claues, di-
Matth. 26. cat Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum ſuum*, quaſi vna manu tradat claues, & alia gladium claudat, & teneat in vagina, vt ſciat claudendum eſſe gladium ab eo, qui peccatoribus
Bernard. proſpicere habet. Vndè D. Bernard. lib. 4. de Conſid. *Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos: ſed verbo, non ferro. Quid tu demum vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam?* Canet ſibi Deus ab hominibus, ne illis peccatores tradat, quin prius & recondat, & claudat gladios, & Spiritum illis infundat ſanctum, qui neſcit percutere, ſed parcere.

Textus. At Ieſus audiens ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.

§. XVI.

Indulgendum eſt aliquid peccatoribus, vt inde ad ſalutem trahantur.

QVo quis infirmior eſt, eo ibi magis monſtranda medicorum ſapientia, non ſolum cædendo, ſed etiam indulgendo; ſæpius enim indulgẽtia, & permiſsio, quæ extra medicinæ regulas videbatur, deploratum penè in firmum adſanitatem traxit. Vndè crediderim numquam magis neceſſarium eſſe medicum peritũ, qui ſciat optime vti, & abuti medicinæ arte, quam vbi infirmus eſt deſperatus. Ita ſimiliter diuinus medicus animarum noſtrarum nullibi magis floret, quam inter nefariſſimos peccatores, inter quos manducans, & bibens, per indulgentiam videtur quaſi abuti ſalutis arte; ſed in hoc abuſu apparẽti maxima ponitur medendi ars, qua peccatores ad ſalu-
Chryſoſt. tem trahit D. Chryſoſt. epiſt. 5. ad Theodorum lapſum ſic fatur. *Quemadmodum optimi medici difficili, diuturnoque morbo decumbentes, varijs medicinis adſanitatem reſtituunt, non ſemper vtentes arte: interim enim non nihil cupientibus diuerſa, obſecũdant: Sic Deus vehementer corruptos non impellit magna vi ad virtutem; ſed manſuete, & ſenſim promouet, imò plerumque portat, ne immanior ſciſſura fiat, aut error productior.* Expende illud magnorum medicorũ ingenium, cum deploratis, nimirum, *non ſemper vtentes arte*: imo ſæpe ſeruientes infirmorũ cupiditatibus, ad quod maximè requiritur medici prudẽtia. Et quidem vbi deſperati infirmi, & vehementer corrupti peccatores curandi erant; ibi maximè neceſſarius diuinus fuit medicus, qui ſummâ prudentiâ, dum videtur ſeruire diuerſa cupientibus, & indulgere humanis cupiditatibus, arte ſine arte illorum ſalutem procurabat. Duo erant vterini fratres, Eſau, & Iacob; ille homo ferus, & ſuis ſeruiens cupiditatibus, hic mitis homo, virtutisque ſtudioſus erat. Iſaac autem vtriuſquè pater plus in Eſau inclinabat fauores ſuos, adeò vt Geneſ. 27. dixerit illi: *Affer mihi de ve-* Geneſ. 27.
natione tua, & fac cibos, vt comedam: & benedicam tibi coram Domino. Ecce totum benedictionis ſuæ fauorem bonus pater in deteriorem filium inclinat. An ignorabat illum eſſe deteriorem, quando ſic illi indulgebat? Abſit; imò, quia nouerat deteriorẽ eſſe, ideo indulgentius in illum inclinabat, cupiens fauoribus
mederi tantæ plagæ. Ita Philo epiſc. in Cat. Phil.
Græca fatur: *In deteriorem filium deflectit pater benedictionem, non quia meliori præferret; ſed præuidens alterum ſua virtute ſemper felicẽ fore: alterum ſuis moribus prolabentem in eius benedictionis pedamento indigere.* Bonus pater, qui toto cordis affectu currit ad deteriorẽ filiũ, vt fauorũ, & indulgentiarũ eſcâ ad frugẽ trahat meliorem. Bonus medicus, qui ſcit per indulgentiam, & expectationem ingraueſcẽtibus cedere morbis, vt nactus occaſionem ad medelam vocet. Electus ille mundi reſtaurator Noe poſt diluuium emiſit columbam ab arca, quæ non inueniens, vbi quieſceret pes eius, reuertitur in ſedem priorem. Tunc ille
Gen. 8. *Expectatis autem ſeptem diebus alijs, rur-* Geneſ. 8.
ſum dimiſit columbam. Expende viri expectationem, & indulgẽtiam; emortuam vidit terram, & ſepultam aquis, & nihilominus inſtat remedijs præſtandis; ſed id quomodo facit? De modo peritiſsimi medici, qui ingraueſcentibus morbis indulget, & expectat, vt ſanet. Pulchrè D. Ambroſ. ibi cap. 18. in-
Ambroſ. quit. *Non deſperat profectum. Sicut enim bonus medicus, etſi tempus medicinæ non ſit, tamen viſitationis ſpeculam ante præmittit; deinde non negligit iuxta expectationis excubias; & pauliſper paſſionibus cedens operitur facultatem medendi, quæ cum fuerit oblata, ſuum nõ intermittit officium.* Accedit equidẽ medicus ad ægrotum ardenti febri correptum, & prorſus ineptum remedijs, nec ideo illum deſerit medicus, imo tunc viſitationes frequentat, aſſidet infirmo, tẽtat linguam, pulſum explorat, notat ſigna morbi, expectat, & reexpectat indulgens ſemel, & iterũ affectibus, interea vbi occaſio tulerit, artem exerit, & applicat remedia. Sic bonus animarũ medicus cum indulgẽtia, & expectatione conuentus peccatorum frequentet, & quaſi nihil curans notet morborũ ſigna; & occaſionem nactus, officium non prætereat.

Text.

Text. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & nō sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

§. XVII.

Cordialis virtutis affectus is maximè Deo gratus est.

CHRISTO Domino publicanos, & peccatores excipienti opponunt Pharisæi cultus illos Iudaicæ religionis, qui ab immundorum communione arcent: quasi hi omni tē pore, & occasione præferendi essent, omnibus alijs operibus, & virtutum factis. Satius iudicarent exteriores homines, si legis interpretes prophetas habere voluissent; quorum vnus Oseas aperte docet, quam longè gratiora sunt Deo, quæ ex misericordia interna veniunt opera, his ritibus, & externis mundationibus populi Iudaici. Omnium enim gratissimum Deo est, quicquid intimam cordis virtutem sapit. Princeps ille Synagogæ, cuius filia penè agebat animam, quam officiosus Christo Domino accessit; illumque longis salutationibus adorauit: interim mulier hemorrhoisa dicebat intra se, si tetigero fimbriam eius, salua ero: hæc secum cogitans tangit, & statim consequitur sanitatem. Princeps pro filia rogabat, adorabat; hæc nihil dicens extitit Deo gratior, siquidem diuina virtute statim sanatur. Tā potens est cordialis affectus animi ad Deū expiscādū. Pulchrè Sedul. lib. 3. Pasc. c. 11. *O quam rebus arduis impetrandis, plus est cōsidere, quā rogare! Quippe venit ex corde fiducia, preces ex lingua: preces sæpius sine corde funduntur, fiducia sine corde non nascitur.* Quid ad Deum exteriores Iudæorū obseruantiuncula, quando & preces, & adorationes externæ minus placent, quam cordialis affectus animi? Quid plurà? Mulier Chananæa mille buccis clamabat post Dominū: *Miserere mei, fili Dauid*; & tamen semel & iterum repulsam patitur. Consultior illa peccatrix accumbenti Domino in domò Simonis adest, illius ingeritur plantis, ore tacet, sed rigat lacrymis, & Dominum propugnatorem, & peccatorum remissionem statim habet. An, quia cor efficacius ad Deum loquitur, quam labia? S. Chrysost. hom. in peccatricem, & Pharisæū fatur. *Chananea fortiter clamabat: Miserere mei, fili Dauid. At peccatrix hæc non clamorem edebat, sed considerans, quod ipse omnia, vt Deus nosset, silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur, & plorans deosculabatur pedes, atque Dominum ad sui compassionem, indulgentiamque induxit.* Vnus cordialis affectus potentior est ad mouendū Deo præomnibus externis sacrificijs, indeque misericordia plus placet, quia plus de corde habet, imo, quia eius sedes in corde sita est. Hinc apud Danielem cap. 3. in fornace Babylonis positus Azarias, sic orat. *Non est in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorū; & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, vt placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde.* Dan. 3. Expende, quid pro vniuersis sacrificijs, & oblationibus offerat, nempe sequelam ex corde: vbi enim cordialem affectum Deo tradamus, is gratior est præ omnibus sacrificijs externis, & oblationibus legis. Exodi 35. iuxta Origen. hom. 13. ait: *Sumite à vobis ipsis redemptionem Domino, omnis, qui concepit corde, offerat initia Domino aurum, & argentum.* Exod. 35. Super quæ verba eleganter addubitat Origenes. *Quid est quod dicit Moyses, offerte à vobis ipsis, & vnusquisque sicut concepit corde? Numquid intra me aurum nascitur, aut argentum?* Origen. Sanè non aurum quærit Deus materiale, sed aurum cordis humani, vt nimirum, quis offerat, quidquid magis sibi cordi est, quidquid pretiosius habet in corde. 2. Paralipom. 11. *Sed & de cunctis tribubus Israel quicumque dederāt cor suum, vt quærerent Dominum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandas victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. Et roborauerunt regnum Iuda.* 2. Paral. 11. Qui corda sua dant Deo, ij possunt, & Deum placare, & regna roborare.

§. XVIII.

Quidquid Dei est misericordiam docet.

BENE ait Dominus, *Euntes discite misericordiā volo, &c.* Quoquo enim te vertas, si quid Dei attigeris, misericordiam docebis. Latro ille totus homicidijs deditus, vbi dominicæ astitit cruci, & ipse sublatus cruce sic blasphemum socium monebat Lucæ 23. *Neque tu times Deum?* Luc. 23. Quo circa D. Chrysostom. homil. de cæco nato ponderat. *Qui foris occidebas, hic timorem doces? Cognosce Christi crucē, vt vox ista te doceat pietatem.* Docent equidem omnia, quę Dei sunt, misericordiam; crudelissimosque homicidas videbis in clementissimos, & pissimos conuersos. Sed cur crux Christi non doceat misericordiam, quando & ipsa

in florentiſsima Chriſti ſchola ſuprema extitit cathedra miſericordiæ? Accipe, quod mireris amplius, coruum miſericordiæ magiſtrum: coruus, inquam, in filios proprios duriſsimus, datur à Deo Eliæ magiſter miſericordiæ, vt vel docēte coruo addiſcat Elias parcere peccatoribus, contra quos famis ſupplicium contoſeret. Nota eſt hiſtoria apud 3. Reg. cap. 17. vbi poſt adductam famen ſuper terram latitabat Elias obduratus in peccatores: *Corui quoque deferebant panem, & carnes mane, &c.* Quod meditatus Chryſoſtom. hom. de Elia ait. *Per coruos illos filiorum oſores, apud Eliam, qui Iudæis, vt filijs malefrugis ſuccenſebat, Deus intercedit, quaſi ad eum ſilenter diceret. Ne tanto filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos ſuos corui. Et ecce illi nunc conuerſi ſunt, vide vel eorum miſericordiam.* Itaque in vniuerſa creatura ſua aperuit Dominus ſuæ miſericordiæ ſcholam, vt de omni re ediſcerēt homines & ipſi miſereri, & à Deo expectare miſericordiam. Sic Ionas in Niniuitas durus, dum fugit à Deo, voratur à piſce. Quid plura? *Et orauit Iona de vētre piſcis ad Dominum Deum ſuum.* Ante quam voraretur, non orat ad Dominum, imò ipſe ſe ſe condemnat, ipſe nautas adducit, vt abſque vlla ſpe veniæ mittant eum in mare. Et vbi deuoratus à piſce eſt, vbi in vētre piſcis agebat, iam orat, & incolumitatem petit, & miſericordiam expoſcit: an à piſcis viſceribus didicit miſericordiam? Rupertus ibi, ait. *Poſtquam in ventre piſcis ſe ſoſpitem eſſe ſenſit, non deſperat de Domini miſericordia.* Quis miſericordiam ignorat, quando & venter piſcis docet miſericordiam, & qui rebellem, & durum prophetam recepit, facilem, & diuinę miſericordię ſubiectum euomuit? Diues durus, & immiſericors Lucæ 11. cogitabat intra ſe, dicens. *Quid faciam? Quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam: deſtruam horrea mea.* Expende illud, *cogitabat intra ſe.* Quocumque ſe verteret, miſericordiam ediſceret: quare apud ſe cogitat, & ſe ſolum habet immiſericordiæ conſiliarium? Acute Chryſol. ſerm. 104. *Digno cōſiliario ſe vſus, qui mali animi non poterat habere ſolatium, non poterat habere collegam.* Quidquid extra ſe inueniret, miſericordiam doceret, prædicaret. Sed age redeamus ad Eliam illum ſeueriſſimum peccatorum vltorem; quot putas illi à Deo magiſtros oblatos eſſe clementiæ? Accepit coruos, accepit pauperculam viduam, accepit tandem viduæ filium emortuum. Moritur filius viduæ 3. Reg. 17. vocatur Elias, vt remedium afferat mortuò, tunc ille de iuuene defuncto queſtus, ſic ait ad Dominum. *Etiam ne viduam afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Expende illud: *etiam ne*, magnam enim energiam habet, & pōderationem, quaſi nouerit à Deo omnia tentata eſſe, vt addūceret prophetam ad miſerationem: illi populi obiecit famem, illi coruos miſerentes obiecit, & tandem etiam addit tanti hoſpitis mortem. Accipite D. Baſil. Sel. orat. 11. apud quē ſic fatur Elias: *Video, quo me machinamento petas Domine, ſentio quibus à te artibus circumretitus ſim. Humanitate me reſpondere poſtulas, vt quem pro viduæ filio ſupplicauero: libera ò conditor filium viduæ: occurras & ipſe mihi hac concluſione: libera igitur, & tu filiū Iſrael à ſiccitatis decreto. Sum tandem tuæ in homines charitatis diſcipulus.* Huc omnia Dei machinamenta ſpectant; vt fiamus diſcipuli eius miſericordiæ.

§. XIX.

Peccatores traxerunt Deum à cœlo in terram.

QVIS iam cōtemnat homines peccatores, quando videat Deum non ob alias cauſas in mundum deſcendiſſe, quàm vt ſuſciperet peccatores? Non paradiſi florens iuſtitia, non in corrupta virginitas, non vniuerſi virtutum chori Deum in terram allexiſſent; extitit peccator, & ecce tibi Deus adeſt inter peccatores. Geneſ. 18. ait Dominus: *Clamor Sodomorum, & Gomorræ multiplicatus eſt, & peccata eorum magna valde: deſcendam igitur, & videbo.* Vt videat peccatores, deſcendere vult Dominus: cur non potius abſcedere optat? cur non potius fugere à tanto malo tentat? An tot viderat mala ſponſa, & ait. *Fuge, fuge dilecte mi, aſſimilare capra, hinnulloque cernorum?* Sane Deus bone, ſicut anis transmigare debuiſſes in mōtem: quoniam ecce pecatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro te rectum corde? At tu ad peccatores deſcendis, vt videas opera peccatorum. Quam aliter Pſalm. 32. *De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Expende modo, & compone verba, illic ait, *deſcendam, & videbo*, in præſenti verò loquitur: *de cœlo reſpexit, & vidit*, nō deſcendit, vt videret, ſed de cœlo reſpexit; verū reſpexit de cœlo filios hominū, nempe illos, in quibus nō degenerarat natura, in quibus integra erant omnia. Vbi autem intrāte peccato, caro corruperat viam ſuam; & natura humana belluarum veſtigia ſequitur, non à cœlo reſpicit Dominus, ſed in terram deſcendit. Pulchrē D. Baſilius Magnus concion. 8. in Pſalm. ait. *Eos, qui manēt in propria dignitate, & humanæ naturæ conuenientia faciunt, ex ſupernis inſpicit Dominus: eos verò, qui ad extremam malitiam delati ſunt, aliter viſitat, per hoc quod ipſe deſcendit.* O felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem! O felix culpa, quæ quod non potuere

Baſil. Geneſ. 18. Pſalm. 32. D. Baſil.

tuere integræ naturæ virtutes, potuit è cœlo trahere ad nos dominum! Aiebat sponsa Cant.
Cantic. 5. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Quando, ait, in hortum suum, crediderim paradisum prætendere, ibique omnigenas delicias, & cupedias ob oculos sponsi ponere, quibus allectus descendat. Nonne paradisus hortus Dei? Nonne paradisus traheret Dominum? Apage, quasi non suum reputat Deus paradisum; paradi-
Genes. 3. sum hominibus dedit; *& tulit Deus hominem, & posuit in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Non paradisus vitalibus diues arboribus est hortus Dei; hortus Dei mundus est plenus peccatoribus, in hunc hortum suum non hominem legauit, sed ipse descendit, vt operaretur, & custodiret illum. Et quem non traxit paradisi nemus, traxerunt peccatores, quippe sui. Accipite modo Deum sic ad Isaiã
Isai. 58. loquentem, cap. 58. *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Populum suum vocat eum, qui peccatis plenus est, nec cum vidit peccatorem, negauit suum; imò tunc præcipue suum vocat populum, suum reputat hortum, quando peccatis scatentem nouit. Id meditatus D. Bernard. lib. 4. de consi-
Bernard. deratione sic loquitur. *Prudenter aduerte scelera tos perhiberi, & populum Domini: Etsi scelerati, etsi iniqui, vide, ne audias. Quod vni ex his meis non feceris, nec mihi feceris.* Peccatores suum populum, & sua toties Deus vocat, ne quando Deũ in sua venire audiamus, dubitemus quin illum traxerint peccatores. Luctabatur strenuus miles Iacob, luctabatur, inquam, cum Domino, crediderim, vt Deum ad terram dejiceret homo. Ecce tibi arena; ecce hinc, inde nobiles luctatores; hinc Iacob, illinc Deus, manus conserunt; se se complexibus implicant, brachiati pugiles se se frustra versant integra nocte. Quid plura? Ait Dominus ad Iacob:
Genes. 32. *Cur quæris nomen meum?* Sed cur non quæreret nomen tam validi luctatoris? Cur non quæreret nomen validissimi hostis? Nomen non dat, nisi prostratus, nisi humi deiectus hostis, non est cuiuscumque prostrati Dei accipere nomen; hæc victoria solis continget validissimis peccatoribus. Crescent peccata, &
Isidor. Pel. deiecti ad terras Dei videbunt clara nomina. Sic apud D. Isidorum Pelus. lib. 1. epist. 453. *Quid quæris nomen meum? quod nec legis est, neque eorum, quorum ætas legem antecessit, cognoscere: verum sero tempore, cum temporum plenitudo venerit, atque hominum scelera magnopere aucta fuerint, Iesus incarnatus nuncupabor.* Validissimis peccatoribus coniacet Deus, humique stratus illis suum nomẽ dat, quo sibi erigant trophæa, quo possint æternũ triumphare. Tunc deiecti ad terram Dei victoria claret penes peccatores, quãndo hominũm maiora sunt scelera, & peccata, quorum robur solum posit habere Deum, cum quo cõferat manus, vireſque suas, malitia, & bonitas metiantur.

CAPVT SEXTVM.

De Mariæ Magdalenæ conuersione.

ECCE tibi virginei Domini apparet insigne miraculum quo Cypri fructus ex vineis Enggadi legit; hoc est meretricem fœminam in castitatis exemplar transtulit. Ea fuit Maria Magdalena, soror Lazari; quę vbi accepit Iesum Bethanię apud Simonẽ diuertisse; occasionem nacta, ibi Iesum conuiuãtem adit. Tum ipsi in lectisternio discumbẽti retro astat, eiusdem pedes lacrymis lauat, capillis tergit, vnguento perfundit. Ne silentio obtegeretur facinus tantum, fecit Pharisæi murmur putantis Saluatoris ignorantiam, quod à tali fœmina talia vellet officia suscipere. Nam Pharisaicos contundens Dominus faustus, duos opponit debitores, ambos ære alieno oneratos, fœneratori obnoxios ambos. Alter tamen maioris debiti reus, pluribus amicitiæ officijs maiorem debiti condonationem coemit. Quod, vt deduceret Dominus, pro præterito vsus est futuro, dicens. *Quis ergo plus diliget?* se se accõmodans vsitatissimo modo, quo solemus tales efformare quæstiones, v. g. Ioannes fecit hoc, Petrus illud, quis sanctior erit? Tunc tamen non de futura, sed de præterita sanctimonia iudicamus. Similem perpendens quæstionem Pharisæus, solerter ex fœneratorum ingenio maiora putauit officia processisse in eo, cui plura animaduertit donata: non enim aliter fœneratores consueuerunt donare. Hinc Dominus ad illum; plurima mulieris officia recensет, quibus diuinum pectus iam iam emolliebat, imò ingentem debitorum solutionem sollicitabat, quam statim consecuta est, etsi multi condonatorem ignorantes ad murmurarent. Mald.

Luc. 7. Rogaret autem quidam ex Pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

§. I.

Principes ſæculi non ipſi ad crucem Chriſti ire, ſed Chriſtum menſis ſuis trahere, & habere malunt.

IAM hic adumbratur mundialium principum vanitas, qua ſe ſe fallunt, non ipſi ad Deum relictis ſuis ire cupientes, ſed Deum ad ſe euocantes, vt Deus eorum aſsideat menſis, eorum conformetur affectibus, & voluptatibus. Hoc vaniſsimum deſiderium, cum prima natum eſt cupiditate regnandi in Nenroth, qui primus regium ſplendorem procurauit. *Geneſ. 20.* De quo Geneſ. 10. *Nenroth robuſtiſsimus venator coram Domino.* Dabat opera venationi robuſtiſsimus homo, non ſolum delicias quærēs venādi, ſed inſuper volens ad ſuas delicias Dei oculos propitios trahere. Sic explico illud, *coram Domino*: quaſi vellet gratioſum ſibi Deum aſsidere, & arridere, dum ſuas voluptates ſecta *D. Ambr.* tur. Pulchrè D. Ambr. lib. de Noe, & arca, cap. 34. hæc verba explanans, ait. *Qui terrenas diligit voluptates, eas ſequitur, & putat his ſe poſſe ad Dei gratiam peruenire, & regnum cœleſte huiuſmodi erroribus deferendum.* Innata eſt mūdialibus principibus hæc ſtultitia, qua velint voluptates ſuas Deo ſanctas, & probatas eſſe, qûa talem cupiunt eſſe Deum, qui gaudeat rebus, quibus ipſi gaudent, & quibus maxime oblectātur. Sic fingebat mundialē regem ſomnus *Daniel. 4.* Nabuchodonoſoris, apud Dan. cap. 4. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cœlum, &c.* Quid cū cœlo habebat regia hæc arbor? Sufficiebat, quod in medio terræ eſſet, quod pulchritudine filiorum ſplendeſceret, quod fructibus ditaretur, quod & auibus, & animantibus vmbram, & eſcam præberet, quid neceſſum eſt cœlū pertingere? Sanè nihil reliqua omnia ad regiū faſtum eſſent, niſi & cœlū, & Deus ipſe arbori appropinquaret, eiuſque delicijs, & glorijs applauderet. Hoc enim præ omnibus, cordi eſt regibus, vt Deum ſibi in cupiditatibus ſuis fingant adgaudentem, & quaſi ſuis ipſorūm cupiditatū menſis accubantem. Id in iſtis animaduertit Ioſe- *Ioſeph.* phus lib. 6. cap. 14. his verbis. *Cum ad ſuperandam inuidiā maximè illis opus eſt pietate, ac iuſtitia; quidquid aut per inanem metum, aut odiū, vel fauorem decernunt, id tum hominibus ratum, tum Deo quoque ipſi probatū eſſe exiſtimant.* Vtinam id ſolum tyrannis, & principibus mūdialibus eſſet familiare; verum piſsimi etiam viri, ſi carnis ſuę vocibus parêrent, hoc etiam voluiſſent, vt Deus adderetur, & inſereretur proprijs illorum affectibus, & commodis temporalibus vitæ. Hæc horum omnium mens depicta eſt 1. ad Corinth. 5. *Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, nō nudi inueniamur. Nam, & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quod nolumus ſpoliari, ſed ſuperueſtiri.* Manifeſtus hic eſt humani ſanguinis affectus, quo noſtris ſpoliari, & exui horremus, ſed cuperemus, vt nihil noſtrum amittentibus Deus etiam adderetur, & Dei regnum immiſceretur iucunditati temporalis vitæ, eidemque menſæ accumberent caro, & ſpiritus. Non ita eſt ſpiritus Ieſu, qui hunc animum ſuis inſpirat, vt quamprimum proprijs cupiditatibus nudari, & ſpoliari feſtinēt. Matth. 9. de Ieſu vocante Matthęum, dicitur. *Matth. 9.* *Cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentē in thelonio.* Quod expēdens Chryſol. ſerm. 28 inquit. *Non dixit, cum ſtaret ibi, tranſiuit, & per tranſiuit Ieſus, ne Matthæus remaneret ibi.* Itaque non ſtat Ieſus in diuitis limine, ne diues putaret poſſe habere Ieſum ſuis aſsidentem lucris. Pertranſit inde Ieſus, vt diues ſciat omnibus renuntiare, & ire poſt Chriſtum. 1. *Corint. 5.*

§. II.

Caue, ne tu principum ſæcularium indigeas, ipſi tua opera egeant.

INFELIX eſt, qui ita ſe ſe principibus ſæculi tradit, vt ſine illis ſibi minime viuendū putet; eu, quot maledictis ſubiacebit. Adeſt ſanè Dominus principibus, eorumque menſis accumbit, ſed enixe rogatus, ſed maximè requiſitus, quaſi ipſe nihil eorum indigeat, ſed ſuam operam illis indigentibus præſtiturus. Indignè, qui in libertate Chriſti vocatus eſt, eique nomen dedit, ſæcularium principum fauoribus aereis inhiat. Maximus ille Dauid, etſi videretur viuere de fauore principis, aduerte tamen, quid de illo notet ſcriptura, 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ* *3. Reg. 16.* *Dauid.* Equidem tunc temporis Dauid à Saule petitus ſummè indigebat auxilio, ſimulque videbat Ionatham ſibi affectum: an ideo adhæſit filio principis, illiuſque pedibus ſe ſe illigauit? Abſit: is enim erat Dauid, qui Deo nitens, ſic principis vtebatur fauore, quaſi illius minime eſſet indigus, ſed potius ipſe neceſſarius eſſet ſaluti principis. Pulchrè D. Gregor. Taum. orat. in Orig. inquit. *Conglutinata* *Origen.* *eſt igitur non anima Dauid animæ Ionathæ: ſed cō tra, deterioris anima ſic affecta conglutinata dicitur animæ Dauid. Nec enim pars potior cum ſibi per ſe ipſam ſufficiat, deteriori ſe agglutinari cuperet.* Vtinam vniuerſi curiales Myſtæ ſic ſe gererent, vt ipſi principibus neceſſarij, omnino independentes eſſent à principibus. Cum

video

videō Apoſtolicos viros ad domum principis alicuius accedere, vt criminū capita ibi emergentia ſacramentorum gladio ſuccidant: illis opto illum ſpiritum, quo Iudith ad Babyloniū tyrannorum acceſsit. Quippe in primis c. 10. Iudith 5. itura ad Principē, *impoſuit Abra ſuæ aſſoperdim vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.* Sic refert cibos ſuos, vt nihil de principatus menſis indigeat ſumere. Sed quia hoc non omnes poſſunt, inſuper addidit religioſa fœmina, cap. 11. vbi ad conſpectum Holophernis venit, officium ſuū promiſit, ſtatuitque ſe oſtenſuram multa ad principis victoriam ſpectātia. Quid plura? Interea inquit. *Ego ancilla tua Deum colo, etiā nūc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum.* Expendant curiales religioſi ſingula hæc verba ponderibus plena, quippe ait: *Deum colo, etiam nunc apud te.* Non regius faſtus, non principis gratia, non fauor me à Deo meo alienabunt, etiam nunc inter principes Deus mihi præ omnibus cordi eſt, relinquenda hæc mihi ſunt, ne quid orationi eripiam. Hæc ait, & ſe ad fortiſsimum facinus parauit.

Text. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Ieſus accubuit in domo Phariſæi: attulit alabaſtrū vnguenti.

§. III.

Laſciuia acrius reprehendenda, & caſtiganda in perſonis nobilibus.

CVR luxuriantis fœminæ nomen tacetur? An, vt conſulat Deus nobilium pudori? Vel vt fœminæ nobilitati morē gerat? Imò nomen tacetur Magdalenæ, ne obſtupefacti hæreamus, videntes nobilem fœminam, laſciuia infamem ab ingenti ſupplicij mole liberari. Equidem ira diuina, nuſquam libentius deſęuit, quam vbi primarias perſonas luxurię cæno viderit volutari. Cum de laſciuis illis Numer. 25 à Phinee interfectis Num. 25. agitur, ſic ſubdit textus ſacer. *Erat nomen viri, qui occiſſus eſt, cum Madianitide, Zambri filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis: Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta eſt, vocabatur Coſbi filia Sur principis nobiliſsimi Madianitarum.* Vide vindictæ genus grauiſsimū, quo & rei interficiuntur; inſuper & eorum nomina, & cognationes notētur; quod ideo factum eſt, vt ſciamus, quam ſeuere vlciſcenda eſt laſciuia in perſona inſignis nobilitatis. Id docet Petr. Damian. epiſt. 6. ad Nicol. 2. aiens. *Sanè poſt digeſtam fornicationis, & dignæ vltionis hiſtoriā; quid opus fuit Moyſi, vt genealogiā fornicatoris vtriuſque contexēret: & alterum ducem, alteram nobiliſsimi principis filiam fuiſſe narraret; niſi vt doceret carnales illecebras in eminentioribus perſonis acrius perſequendas?* Voco in præſenti nuperos noſtri qui principes, illuſtres viros, qui fumoſis proauorum imaginibus, ignotum laſciuiæ ignem addunt quotidie, qui quo nobiliores, eo impudentiores in oſtentanda laſciuia. Mille priuati homines olim libidinibus inſeruiebant, Iudas ipſe Iacobi filius meretricem Thamarem æſtimans, cū ea concubuit: nec tamē ideo audio excitatā iram diuinā. Rāpitur nefario igne princeps Sichen, & ecce tibi à Deo venit gladius acutus inſimulatā Dei imperiū portāns, & omnia morte implet, Iudith 9. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt fœmur virginis in confuſionem. Et dediſti mulieres eorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem, &c.* Iudith 9. Sed in rem præſentē aptius indigitat Græcus eos, in quos ira Dei deſęuit, inquiens: *Dediſti principes eorum in cædem, & cubile ipſorum in ſanguinem, & percuſſiſti ſeruos cū dynaſtis, & dynaſtas ipſos in thronis ſuis.* Præcipuē enim caſtigatur à Deo libido in principibus populi, in viris illuſtribus. Hinc Apoc. 17. laſciuientis Babylonis irreparabilem ſtragem oſtenſurus Angelus, meretricem oſtendit ſub veſte purpurea; vt enim damnatis ad mortem, datur ſagus pullus, qui vbi datur, iam monet imminere ineuitabile patibulum: ſic vbi laſciuia ſub purpura fulget, quaſi ſub damnationis ſuæ ſago nō effugiet ſupplicium. Inde ait Angelus: *Veni oſtendam tibi damnationē meretricis magnæ.* Cū vocaris ad videndam alicuis damnationē, nonne expectas in primis funebrem pōpam, & tandem hominem damnatū ſub ſago pullo, ſeu cilicino, vt ex damnatorū habitu oſtendat imminens ſibi ſupplicium? Ergo qui vocatur ad damnationē meretricis magnę, qualē ſagū ſpectat, qualē præconē audit? *Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſupra beſtiam coccineam. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo.* Ecce tibi, quā ſupplicio traducit meretricem, veſtit purpura, nobilitatis ſtemmatibus ditat; eſt enim purpura, & nobilitas in laſciuia damnatorum ſagus, qui feſtiniſsimum oſtendit ſupplicium. Hoc meditatus Paulus Oroſius lib. 2. hiſt. c. 1. impe- Oroſ. rium Babylonis penitus deletum, & imperiū Romanum perſeuerans ſic componit. *Ecce ſimilis Babyloniæ ortus, & Romæ; ſimilis potentia, ſimilis magnitudo, ſimilia tempora, ſimilia bona, ſimilia*

Pet. Dam.

Apoc. 17.

lia mala, tamen non similis exitus, similis vè defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet; illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore secura est. Et hoc quare? Quoniam ibi in Rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis continentissima æquitas in rege seruata est. Expende illam Babylonici imperij ruinam, nimirum, *ibi in Rege libidinum turpitudo punita est:* vbi enim in Regijs libido grassatur, vbi sub purpura fulgurat luxuria, ibi in vicino est regnorum irreparabilis perditio. Purpuram induit luxuria in Hispania, & statim vindicta diuina Hispanorum regnum vilissimis barbaris tradidit. Accipite S. Saluianum lib. 7. de Gubern. Dei, fatus. *Quid? Hispanias non eadem vel maiora vitia perdiderunt? Quas quidem cœlestis ira, etiamsi alijs quibuslibet barbaris tradidisset, digna flagitiorũ tormenta tolerauerant, puritatis inimici. Sed accesit huc ad manifestãdam illic impudicitiæ damnationem, vt Vuandalis potissimum, ideſt pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quãtũ & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cũ & Vuãdalos ob solam maxime pudicitiã illis superponeret, & Hispanos ob solã maximè impudicitiã subiugaret. Quid enim? Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, imò nifallor, omnes. Sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit, vt ostenderet, scilicet, non vires valere, sed causam.* Sic regna perdit luxuries purpurata.

Saluian.

§. IIII.

Nobilis personæ luxuria totam inficit ciuitatem.

NOn otiosè dicitur Magdalena mulier in ciuitate peccatrix, quando in adeò nobili persona luxuries non poterat non inficere totam, & commaculare ciuitatem. Quod notans Chrysol. ait serm. 93. *Non peccatrix solum, sed totius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatũ.* Tota ciuitas, vniuersus populus fœdatur ex lasciuia nobilitata; nequit effrænis viri nobilis luxuries non vniuersum populum cõculcare. A solo Sichimorũ principe Dina rapta, & vitiata est, cuius criminis vindictam in vniuersam ciuitatem memorans Iudith cap. 9. ait. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fœmur virginis in confusionem.* Quibus expende in primis illud, *denudauerunt fœmur virginis.* An omnes Sichimitæ concubuerunt cum virgine? an multi illorum? Nonne solus princeps concubuit cum ea? Attamen ea est purpuratæ lasciuiæ pestis, vt omnem inficiat populum, & quasi totius ciuitatis peccatum prædicetur. Rursus expende: *Illud dedisti gladiũ in defensionem alienigenarum*; nonne satius dicere in offensionem, & vindictam, quam in defensionem? Scio defensionem pro offensione, & vindicta sumi à probatissimis viris Latinis, vt noster Serarius probat in præsenti quæst. 1. Verum non mysterio vacat, quod in re præsenti interpres vtatur tam equiuoco vocabulo, & puto hic vtrumque significari, & vindictam, & defensionem. Vbi enim princeps impudicus per gladij vindictam castigatur, & è uiuis tollitur, sane vniuersi alienigenę defenduntur, ne purpuratæ lasciuiæ contagio correpti vitam halent. Sic potens est nobilitata impudicitia inficere, & perdere vniuersas ciuitates. Infelix ille pulchritudinis princeps Absalon, vbi lasciuæ traditur cupiditati, videte, in quales se dederit præcipitium. 2. Reg. 16. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso populo.* Quasi non contenta esset purpurata luxuria, nisi esset peccatum totius ciuitatis, nisi inficeret vniuersos populares. Ita D. Saluian. lib. 2. de Gubern. Dei, fatur: *Scilicet, vt feralissimo crimina non pater tantum absens deformaretur, cum oculi etiam totius vrbis publico fœdarentur incestu.* Parum esset ad Principis lasciuiam si se intra paternam contineret & domum, & infamiã, vltro progreditur, vt nemo eius infectione liber sit in ciuitate.

Chrysol.

Iudith 9.

2. Reg. 16.

Saluian.

§. V.

Christi Iesu affulgente, statim carnalis concupiscentia euanet.

LAsciviae se Magdalena dedit, dum Iesum ignorauit, at vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, statim, nulla interposita mora, carnis operibus abrenũtians virgineis adhæsit plantis. Proh felix ille, cuius mentem Christus irradiat, occidunt illi statim tenebrosa opera carnis! Liceat hic cõmemorare ardentissimos Iacobi amores in Rachelem, quamuis castissimos; quos tamẽ perdidit, vbi Bethleem appropinquauit. Cum amoribus pergebat Iacob versus patriam, & dũ accedit Bethleem defuncta Rachele, amore suo viduatur. Quid miraris? Occidit carnalis amor, vbi Christus nascitur. Sic Hierony. lib. 1. in Iouinianum fatur. *Illa quondam dilecta cõiux, pro qua seruierat, iuxta Bethleẽ, in qua erat virginitatis præco Dominus nasciturus, à filio doloris occiditur.* Vbi casta Venus occidit oriente Christo, quomodo carnales tenebræ non euanuissent, vt vim senserunt tanti solis? Non equidem patitur Iesus adesse carnales delicias, quæ vbi sunt, absentem ostendunt Chri-

Hieronym.

Christum. Merito aiebat voluptas Prouerb. 7. vt caperet animas iuuenum. *Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima.* Necessum enim est, quod vir ille, qui à fœmina virgine circũdatus est, absit ab impudica; non potest non abesse Christus, vbi introducitur voluptas. Vt dicat D. Ambros. lib. 2. Apolog. Dauid cap. 3. *Meritò virum suum dicit absentem: quoniam non potest adultera omnis Christum habere præsentẽ.* Quæ de absentia Christi pullulat lasciuia, penitus interijt afflante Christo. Quippe Iesus totus pudicitiam halat, & eam pudicitiam, quæ omnem eliminat turpitudinem, si vel Christo Domino sistamur. Paul. 2. ad Corint. 11. ait. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Mirabar ego hoc fieri potuisse à Paulo in Corinthijs; in Corinthijs, inquam, illis, qui inauditæ luxuriæ sceno obuoluti iacebãt. Ecce tibi quales erant Corinthij, ad illos sic loquitur Paulus 1. epist. cap. 5. *Auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ergo populus fornicationũ plenus fiet à Paulo virgo? Et quomodo talis populus fiet virgo? Iam ostendit Paulus, dum non ait, aptaui vos virginem castam facere, sed exhibere Christo; per hoc enim, vt Christo exhibearis, Christo sistaris, sic de Christi afflaberis virtute, vt abolita lasciuia, puritas tibi insemineturr, virginibus non absimilis. Huc spectat D. Prosper. de Promissionibus parte 2. cap. 15. inquiens de fornicarijs Corinthijs. *Sed tales etiam sua gratia Iesus noster Dominus suscipit ad salutem; diuinitate illa potẽtiæ suæ fornicariam, virginem facit.* Ecce tibi de Christi afflatu qualiter abscedit luxuria, & castitas vigenea reuiuiscit. Dicebat Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum*, sed vbi Iesus ad vinum descendit, vbi speciem induit vini, iam vel ad eius odorem pullulant partus virginei. Zachar. 9. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinũ germinãs virgines?* Quid mirum quod vinum, in quo Christus est, generet virgines? Maius quid exprimunt septuaginta aientes. *Si quid optimum illius, & si quid bonum ab eo, frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines.* Expende illud, *vinum boni odoris ad virgines*, quasi sufficiat vel odor Christi, vt ferales voluptates aufugiant, & castitas reuiuiscat. Nihil tam contrarium est, & odiosum Christo, quam luxuria. Putabam summo esse supplicio dignum, quod Christianus abnegaret fidem Christi, & video in primitiua Ecclesia innumeros tali ob strictos crimine, in quos nulla Pauli epistola sic desæuit, vt desæuit in fornicarium Corinthium, de quo epist. 1. cap. 5. *Eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis, & vno spiritu cum virtute Domini Iesu, tradere huiusce modi Sathanæ, &c.* Cur maius supplicium in fornicarium, quam in abnegatorem fidei fulgurat? Cur spiritui Christi habitanti in Paulo magis odiosus fornicator, quã negator? Sanè sceleratior est negator, quam fornicator, sed quia negator vi tormentorum fertur, fornicator autem solis suis delicijs, ideo aliquomodo miseratione videtur ille dignior. Hoc sapienter dicebat Tertull. in stultissimo suo lib. de Pudicitia. *Nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa, nescit quolibet cogi. Negationem porro quanta compellunt ingenia carnificis, & genera pœnarum? Quis magis negauit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? Qui cum amitteret, doluit, an qui cũ amitteret, lusit?* Cum lasciuia ridens, & gaudens offendat Christum, nõ est mirum, quod sic Christus inimicetur lasciuiæ, vt vel odore suo illam propulset. Econtra nulla res magis fouet, & excitat lasciuiam, quam infidelitas. Loth accepit ciuitatem Segor á Deo, vt in ipsa saluaretur, sed ipse nõ credens posse ibi saluari, fugit in mõtem, vbi à filiabus delusus, cum illis concubuit; accessit ad nefarium concubitum, quia non credidit Deo posse saluari in Segor. Quod notans D. Hieronym. in trad. in Genes. ait. *Hæc occasio infidelitatis etiam in filias coitus dedit principium.* Semper enim infidelitas initiat luxuriam: Christi autem fides & luxuriam fugat, & nobile præbet initium pudicitiæ. Mulier illa, quæ fluxũ sanguinis patiebatur, Matth. 9. Iesu fimbriam tetigit, & statim sanguinis stetit fluxus. Quod meditans Gillib. Abb. serm. 1. in Cãt. dicit. *Furtiue attigit fimbriam Iesu, & statim stetit in illa fluxus sanguinis, fluxus carnalis illecebræ carnalis delectationis.* Nihil potest caro, vbi Iesu afflat spiritus.

Ambr. — 2. Corin. 11 — 1. Corint. 5 — Prosper. — Prouerb. 20 — Zachar. 9. — Lxx. — 1. Corint. 5 — Tertull. — D. Hieron. — Matth. 9. — Gillibert.

§. VI.

Fœdissimum Deo est luxuriæ vitium.

NOVERAT lasciuiæ fœtorem, & spurciam sagax fœmina, quæ Dominum nõ audet conuenire, nisi præferens secum totum odori vnguenti plenum vas alabastridis. Quid fœtidius luxuria? Ioann. 11. de fratre mortuo misere dolebant sorores, cuius mors, licet sæpius repetatur, nunquam dicitur, quæ fuerit eius causa, an febris? an pleuritis? De Petri socru statim subditur, quod, *torquebatur magnis febribus*, de Lazaro dicitur, quod infirmatur, quod mortuus est, causa tamen dissimulatur. Porro Martha, vt arceret Dominum ab eius cõspectu, ait. *Domine iam fœtet.* Qui fœtor posset offendere Christum? Sane ex isto fœtore, non Lazari, sed omnium luxuriantium iuuenum nouit morbum Chrysolog. sermon. 65. inquiens. *Dicendo sic testaris mortem, quam tu mulier intulisti.* Sola mulierositas, sola luxuria

Cyrill.

potest

poteſt fœtere Chriſto. Quem luxuriæ fœtorẽ oſtendit Dominus ipſo ſupplicio, quod Sodomis intulit: ait enim Gen. 50. *Pluit ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur, & ignem.* De quo Gregor. D. Greg. lib. 14. Moral. cap. 10. ait. *Quid in ſulphure, niſi fœtor carnis, & quid per ignem, niſi ardor carnalis deſiderij exprimitur. Cum ergo habi tantium Sodomis, vel Gomorra carnis ſcelera punire Dominus decreuiſſet, in ipſa qualitate vltionis, notauit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem.* Quis ergo fœtidiſsimo corde Deum excipiat? Quis labia tales ſpirantia fœtores mundiſsimis Chriſti plantis infigat? Prouideat ſibi vnguẽtum pudicitiæ, quicumque accedit ad Chriſtum. Et ſane non aliter in fœtidum mundum deueniret Chriſtus, niſi ſecum vnguẽta, & aromata caſtitatis, quibus excipereturafferens mundo. Nouit id puriſsima ſponſa, Cãt. 1. Cant. 1. *Oleum effuſum nomẽ tuũ.* Quaſi præſentiam Domini deſignet effuſio vnguentorum, quæ replent mundum. Præclare D. Amb. ſer. 1. in Pſalm. 118. inquit. D. Ambr. *Vnguẽtum effuſum nomen tuum, hoc eſt, totus immundis impuritatibus diuerſorum facinorum fœtebat mundus. Nunc ſpirat vbique ſuauitas pudicitiæ, vnguentum fidei, flos integritatis.* Infeliciter accedit ad Chriſtum, qui hoc vnguento non perfunditur, qui in anima ſua in corde ſuo mille aromata, mille odores non cumulat. Nec aliter Maria virgo Ieſum haberet in vtero, niſi odoribus eſſet plena pudicitiæ. Ideo dicebat: Cant. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad aream aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Nullus locus, niſi de aromatibus, niſi de caſtitatis odore placuit Chriſto. Pſellus apud Theodor. Theodoretum ait. *Deſcendit Deus in mundum ad phialas aromatum, ſcilicet, in vterum puræ, atque immaculatæ Virginis, vt in aromatũ diuinorum phialam mundam.* Vas vnguenti, aromatũ phiala eſt quæ trahit Chriſtũ, ne miremur quod Magdalena veniat afferens alabaſtrum vnguenti, curans placere nouo pudicitiæ vnguento, quo incipit perfundi. An inueniretur Dominus, niſi inter caſtimonię aromata, quibus Luc. 1. luxuriæ omnis fœtor eliminatur? Luc. 1. ait Angelus ad Mariam, *Dominus tecũ.* Et cur Dominus in Maria? Pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 39. D. Baſil. rationem attigit. *Quia templum exiſtis vere Deo dignum caſtitatis aromatibus bene odoratum.* Caſtitatis odor præmittendus erat, vt Dominus trahatur.

Text. Et ſtans retro ſecus pedes eius.

§. VII.

Maxima eſt gloria, & exaltatio hominis ſe ſe ad pedes Domini, dimittentis.

PROH felix peccãtrix, quæ pedes Domini teneslinde non te reptantem humi videbo, ſed te celſiſsima fulgentem gloria contemplabor. Quiſquis cupis ſummis cœli verticibus inhærere, caue Luciferi inſaniam, qua diuinitatis thronũ ambiebat, Magdalenam reſpice, & te ad Dei pedes dimitte: dum enim Dei pedes teneas, vſque ad æternum ſolium gloriæ extolleris. Sic populi ſui ruinã plorat Ierem. Thren. 2. Thren. c. 2. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiã Siõ: proiecit de cœlo in terrã inclytam Iſrael, & nõ eſt recordatus ſcabelli pedũ ſuorum.* Ecce tibi, dum Deus habebat ob oculos populum ſuũ ad pedes ſuos dimiſſum, velut ſcabellum eorum, populus inclytus erat, & glorioſus ſupra cœlorum verticem radiabat. Verum vbi non eſt recordatus Deus ſcabelli pedum ſuorum, hoc eſt, vbi populus ſe à Dei pedibus alienauit, ſtatim proiectus eſt in terrã, nigraque caligine opertus. Ita fatur Origen. Origen. hom. 23. in Matth. *Attende, quod ait, proiecit de cœlo in terram inclytam Iſrael, & non fuit memor ſcabelli pedum ſuorũ. Quando erat Iſrael ſcabellũ pedum Dei, in cœlo erat glorioſus: poſtquam autem eſt deiectus, vt non ſit ſcabellum pedum Dei, deſijt eſſe in cœlo.* Iam Magdalena inclyta Iſraelis fœmina ad pedes diuinos proiecta, ſcabellum pedum Dei facta, in ſummam gloriæ celſitudinem aſcendit. Quis non miratus eſt Iacobi illius ingentem felicitatem? Somno oppreſſus vidit ſcalam à terra vſque in cœlum pertingẽtem, cuius ſummitati Dominus procumbebat. Felix ſanè, qui hanc ſcalãm vidit, felicior eſſet, ſi vt vidit, per illam aſcenderet. Cur bone vir proiectus humi detineris, nec gradum Geneſ. 1. per ſcalã facis? Fallor, niſi hanc reddat cauſam textus, nimirum, *tulit de lapidibus, qui iacebãt, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit.* &c. Vtinam non tam ſupponeret capiti ſuo lapidem Chriſtum, quam caput ſuum viuæ petræ ſupponeret pedibus, ſanè pedibus iſtis & videret ſcalã, & aſcenderet. In quo Iacobo præponit Baſilium ſuum Nazianzenus orat. 8. dicens. *Baſilij* Nazianz. *laudo ſcalam, non ſolum viſam, ſed aſcenſam, aſcenſionibus per virtutem pedetentim.* Quomodo, qui Ieſu non hæret pedibus, cęleſtem ſcalã aſcendit, quam aſcendere non potes, niſi pedetentim? Altos obliuiſcere volatus, curbare ad Ieſu pedes, vt ſupra cœlorum verticem videaris excelſus. Non qui capiti ſuo ſupponit Chriſtum, ſed qui ſe Chriſti pedibus ſupponit, aſcẽdere in cœleſti nouit ſcala. Quis non miratur virtutes aquarum præ alijs elementis? Ex aqua cœli nati ſunt, ex aqua perpetes volucres exierunt, quotidie cœleſtes renaſcuntur homines, quiſanctitatis pennis ſcandant cœleſtia. Vndè aquæ tam ingentes virtutes ebiberunt? Id inſinuat Geneſ. 1.

dum

Geneſ.1. dum ait: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* vbi enim aquæ ſeſe diuino ſpiritui ſupponunt, neceſſum erat, quod illius induerent perfectiones. Hæc Tertul. lib. de Baptiſmo reſpicit. *Tertul.* *Ab eo, qui ſuperferebatur, id, quod ferebat, ſanctitatem mutuabat. Quoniam ſubiecta quæque materia, eius quæ deſuper imminet, qualitatem rapiat neceſſum eſt.* Expende pulcherrima verba illa nimirum, ſubiecta materia, eius quæ deſuper imminet, qualitatem rapiat neceſſum eſt. Quippe, quaſi neceſſum eſt, vt qui ſe Deo ſubijcit, Dei celſas induat virtutes; qui ſe diuinis ſupponit plantis, inenarrabilem Deitatis magnitudinem capiat. De Abrahami gloria locutus Dominus Geneſ. 15. ait: *Gen. 15.* *merces tua magna nimis*, quaſi magnitudinem illius componat cum exceſsibus gloriæ diuinis. Quam celſitudinem gloriarum, vt pertingeret bonus vir, ſic loquitur, Geneſ. 18. *Geneſ. 18.* *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis, & cinis.* De quo ſapienter D. Baſil. conc. de Pœnit. fatur. *Baſil.* *Magnus reuera erat Abraham. Sic enim erat magnus, quia terra eſt, & cinis.* Vbi in Dei conſpectu, ſe humi ſtrauit, ſe vſque ad pedum pulucrem deiecit, inenarrabilem magnitudinem fuit adeptus. Sic Exodi 4. Moyſes ſe ſe apud Deum dimittebat. *Exod. 4.* *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Quod ſic expendit D. Baſil. Seleu. orat. 28. *Baſil.* *Moyſes habito cum Deo colloquio honoratior ſe ipſum vt vilem abiecit. Impeditioris, inquit, & tardioris linguæ ſum. Quanto enim faſtum comprimit, tanto gratiã attrahit, & modus amplificãdæ gratiæ eſt humilitatis vis.* Ecce tibi, qua poteris vi tuã gloriã amplificare, nimirum vi humilitatis; ſi Deo ſubiaceas, ſi te diuinis ſupponas plantis, ingentem gloriarum celſitudinem expiſcaberis.

§. VIII.

Per humilem pœnitentiam redintegratur virginitatis decus.

TANTA pœnitentis meretricis cauſa, vt poſſit lacrymis integræ virginitatis recuperare mercedem. Deus apud Ierem. cap. 3. ſic loquitur. *Ierem. 3.* *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Vbi eleganter Petrus Damian. epiſt. 38. in reuerſione illa virginum ſedem à proſtituta recuperatam agnoſcit, dicens. *Pet. Dam.* *Reuerſio plane iſta ad Dominum, quantum ad qualitatem meritorum pertinet; hoc eſt de corrupta integrã fieri, de proſtituta virginem reparari.* Quo animaduertendum eſt, quàm dignum locum occupat Magdalena, dum ſtat retro ſecus pedes Chriſti. Sanè poſt agnum diuinum immediatè ſtant puræ virgines, de quibus Apocalyp. 14. dicitur: *Apoc. 14.* *Hi ſequuntur agnum, quocumque ierit; virgines enim ſunt.* Et tamẽ meretrix, dum retro agnũ ſtat; non veretur virginum locum occupare, parata ipſa ſupra virgines ſequi agnum, quocumque ierit. Sic monebat Dominus Ierem. 3. *Ierem. 3.* *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Ergo ſaltem amodo vocame, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ea enim eſt pœnitentis reuerſionis vis, & efficacia, vt cum puris virginibus, imò præ virginibus ducem habeat agnum, eiuſque veſtigijs etiam in regno adhæreat. Nonne Dauid adulter fuit? Is poſt longam pœnitentiam adulterij iam ſenex factus, dum nouum coniugium cogitat, illi præclara adoleſcentula, virgoque pulcherrima in ſocietatem aſciſcitur. Cur virgo datur Dauidi ſenio confecto? Præclarè Bachiarius remſpiritualiter tractans lib. de recip. lapſis, ſic finit. *Bachar.* *Dauid cum in adoleſcentia ſua cum adultera deprehenſus ſit; in ſenectute cum virgine inuenitur; vt intelligamus, quod poſt peccatum longa caſtitas imitatrix eſt virginitatis.* Poteſt equidem pœnitentia coronam virginitatis fractam redintegrare: his lamentis, his lacrymis rigari poteſt conſcientia peccatoris, vt virginitatis reuiuiſcat palma. Cœleſtis enim ſponſus, de pœnitentiæ ſigno, virgines animas ſibi exhiberi gaudet. Deuter. 22. lex ita cauet. *Si duxerit vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, quæſieritq; occaſiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomẽ peſſimum, & dixerit. Vxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inueni virginem: tollet eam pater, & mater eius, & ferent ſecum ſigna virginitatis eius ad ſeniores vrbis, qui in porta ſunt, &c.* *Deuter. 22.* Sed quæ ſigna virginitatis feret ſecum mulier impudica, quibus Dei iudicis ſententiam fugit? Ferat ſecum pœnitẽtiam criminum ſuorum, quo ſigno, quaſi virgo Deo probabitur. Ita Rup. in Deut. cap. 19. ait. *Rupert.* *In conſpectu Patris, ac ſanctorum Angelorum eius, virgo iudicata eſt, quæ in coniunctione eius poſuit veſtigia ſanguinis ſui, quæ in prædicatione eius pœnitentiam egit. Nempe ſi, & antea proſtituta fuerat, poſtquã tamen ſic illi coniuncta eſt, iam virgo meretur dici, & eſt.* Nihil metuas proſtitutionem præteritam; pœnitentiam age, & virgo eſto; quem laſciuia tuæ præſtitutionis locum tulit, pœnitentia reſtituit, ne tanto virginitatis ſigno munita à cœleſti ſponſo valeas ſeparari. Prouerb. 30. *Prou. 30.* *Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ nõ comedit, & tergens os ſuum dicit. Non ſum operata malum.* An hoc fieri poteſt, vt ſic meretricis malum abluatur, vt nullũ illius appareat veſtigium? D. Ambroſ. ſerm. 30. *Ambroſ.* *Hæc eſt virtus Chriſti Domini, vt quamuis peccator, qui eius vnda ablutus fuerit, denuo in virginem reparatus, nõ meminerit ante, quod fecerit, & rediuiua natiuitate infantiæ*

fantiæ, innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati. Hæc ille.

§. IX.

Corporis afflictiones post Christum efficacissimæ ad impetrandum.

GEMEBVNDA Magdalena, & plena dolorum dum ad Iesum accessit, retro stans cæpit lacrymis rigare pedes eius: cur retro stās? Vt afflictiones suas decoraret, quæ post Christum plus placent, & plus habent efficaciæ.

Exod. 17. Moyses Exodi 17. prius in certamine locat Iesum Naue, dum ait: *elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Præmittitur itaque Iesus in arenam, post quem Moyses montem ascendit, prolixaque oratione sese vexat, adeò vt deficerent eius brachia. Nec enim Moysis vexatio, nec eiusdem orationis prolixitas possent habere efficaciā, nisi vel Iesu nomen præiret

Iustin. in certamina. Id quod notans D. Iustin. mart. dialogo aduersus Iudæos fatur. *Nec enim quod ita Moyses precabatur, propterea populus superior erat, sed initio pugnæ cum nomen Iesu esset.* Hinc nostræ operationes virtutem ad inimicos deuastandos capiunt, quod post Iesum stant in certamine. Quod Iesus præit, ideo nostræ passiones Deo ad victorias probantur. Nec mysterio vacat, quod Lucæ 23. notetur Simon ille portasse crucem Domini post Iesum; etenim

Luc. 23. ait. *Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Quo tota humanarum passionum virtus notatur, & efficacia, quod nobis post Iesum accidant,

Ambros. vt dicat D. Ambros. ibi: *Bonus ordo nostri profectus, vt prius crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum.* Nulla crux, nulla afflictio, nulla passio multum placere potest, nisi post Iesum. De felici illo pu-

Luc. 19. blicano Zachæo dicitur, Luc. 19. quod *præcurrens ascēdit arborem sycomorum, &c.* Expēde illud, præcurrens, nondum Christus accesserat, adhuc longè erat Iesus, & ille prænimio desiderio Iesum videndi, præcucurrit, arborē vt ascenderet. Quid tunc Iesus? *Zachæe festinans descende.* Cur Domine, descensum ab arbore imperas? Cur Zachæus in arbore non tibi omnino placet, &, vt descendat, iubes? Potest ne passio, & crux non placere crucifigendo? Equidem passio, & crux, & carnis afflictio nō adeo placent, quando post Iesum nō fiunt. Sic

Chrysol. Chrysolog. serm. 50. *Si bene ascenderat, quare ei dicitur, descende? Superius dixit, præcurrens ascendit, & ante Zachæus ascendit arborem, quam crucem Dominus ascenderet; hinc est quod dicitur ei. Festinans descende, descende ante Dominum, vt post crucem dominicæ passionis ascendas.* Bona est crucis ascensio, bona est afflictio, & excruciatio voluntaria, sed necessium est, quod post Iesum fiat, quæ placere habet diuinis oculis. Felix, qui macerationi carnis operā dat post Iesum, à tergo Iesu, is securissime degit, nec solum aduersus hostes suos potens erit, sed & prorsus inuulnerabilis existit ab inimicis sui telis. Moysi cupienti ante faciem Domini esse, dicitur, Exodi 33. *Ecce est locus apud me, & stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam; tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.* Stat Moyses non in molli, & ameno loco, sed supra petram, & inde ad Iesu posteriora spectans, quasi à tergo Iesu insuperabilis, imò formidabilis sit inimicis. De quo ait Nyssen. de vita Moysi. *Qui Deum post terga sequebatur? Qui non ducentis faciem aspiciebat, sed tergum obediens respiciebat? Secutus Deum est; idcirco beatus, altior fuit, quam ad ipsum sagitta inuidiæ posset peruenire.* Expende, vnde inuulnerabilis fiat Moyses, nimirum ex eo, quod à tergo Iesu supra petram stet. Discamus ergo dura in petra recumbere, pœnitētiæ, & carnis macerationi nauare operam, sed post Iesum, sed à tergo Iesu, ita vt ipse præeat, & nos sequamur, quō omnino manebimus inseparabilius.

Exod. 33.

Nyssen.

§. X.

Hæc in omnibus occasionibus, siue honoris, siue ignominiæ cura sit, vt extremum eligamus.

VIDE Magdalenę sapientem modestiam, & si summo affectu, dolore non adeo perturbatur, vt in omnibus, quod extremū est, eligere obliuiscatur. Stat seruitutis habitu, & stat retro secus pedes Domini, nec inter tot salutis curas, inter tot pudoris occasiones, inter tot dolores memoria defecit, qua extremum eligeret locum. Pulchrè Theodoretus orat. de Charitate, hanc in D. Petro modestiam reliquit notatam, quando ait. *Rogauit carnifices, ne similiter, atque Dominus, affigeretur, sed contrario modo; & ideo rogauit, ne manus superius, inferius autem pedes affigerentur. Extremū enim eligere non in honore solum, sed & in ignominia discimus.* Semper hæc solicitudo sanctos viros tenet, vt in extremo & vltimo videantur gradu, vt primas ferant alij. Siue ad altum dignitatum ascendant, siue ad supplicium traducātur: siue in splendoribus collocentur, siue in cinere, & lacrymis, & cilicio agāt, hoc illis studium est, hæc cura, & solicitudo, vt extremū ab omnibus, & infimum teneant gradum. Et quidem ridenda esset & virtus, & pœnitentia

Theodoret.

illius,

illius, qui vel in ieiunio, vel in cilicio etiam primas requirit, vnde male olùit pœnitentia
Luc. 18. Phariſæi, de quo dicitur Luc. 18. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: ieiunio bis in Sabbatho*, &c. Expende ieiunatoris faſtum, nimirum, *ſtans orabat*. Non ad pedes procumbens, non retro ſtans ſecus pedes, ſed ſtans, quaſi altiora, & eminentiora appetens, & ieiunia, & pœ
D. Baſil. nitentias ſuas fœdaba. D. Baſil. Sel. orat. 35. id oſtendit, de illo ſic fatus. *Oculis, atq; ore obuerſus cum Deo ſermocinabatur, fortè & in nubes ſe raptum iri propè modum ſpectabat, vt & in cælo cum Deo colloqueretur*. Vaniſsimè, & impudentiſsimè etiam coram Deo inter ieiuniorum relationes, ſublimia, & altiora loca expectat, vndè ieiunia perdidit, & Dei gratiam. Habet hoc Spiritus Dei, vt quos replet, ſtatim appetentes faciat extremi gradus, cum mundialis ſpiritus in omnibus primas amet. Primus erat Apoſtolorum Petrus, verum Iudas nefarius, haud dubium quin infimus eſſet, & tamen iſte in Apoſtolorum accubitu
Ioan. 13. primas ſemper ambiebat. Ioan. 13. *Miſit aquã in peluim, & cœpit labare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum*. Quibus noto Petrum nõ fuiſſe primum, quando poſt cæptam lotionẽ, & exercitam iam cum alijs ad Petrum venitur. Sed quis eſſet tam audax, & impudẽs inter Apoſtolos, qui coram Ieſu primum accu-
Chryſoſt. bitum eligeret, niſi Iudas? Ita D. Chryſoſ. fatur. *Et ſi Petrus primus erat, credibile tamen eſt, proditorem impudenter ante Apoſtolorum Principem diſcubuiſſe*. Vbique proditur nequã ſpiritus, qui vel in ſplendoribus ſanctorum, vel in humilitatis habitu, in quouis confeſſu primas ſemper appetit. Non ſic, qui ſpiritu Dei aguntur, non ſic Petrus, non ſic Magdalena, quæ Deo plena ſtans retro extremum eligit gradum. Et vnde fœmina iam tot virtutibus ſublimis, inter tot ſpectantium oculos, nec minimum leuitauit? Cauſam innuunt textus verbã, quæ aiunt: *Stans retro ſecus pedes Ieſu*; vbi enim Ieſum ſibi deuincit, de Ieſu pondere ſic affecta eſt, vt omni abolita leuitate, in extremo ſemper maneret fixa gradu. Ne magnitudo reuelationum extolleret Paulum, datus eſt illi ſtimulus carnis, hoc eſt, afflictiones, & tribulationes carnis, ſed forſan hi ſtimuli nõ ſufficerent, vt elationem vitarent, quãdoquidem & ipſa ſufferentia paſsionum poſſet & elationi occaſionem præſtare; quo ergo vſus eſt medio, quod pondus ſibi appoſuit Paulus, ne in aliquam elationem leuitaret? Ipſe
Ad Philip. 2. ad Philippenſes 2. ait. *Stigmata Ieſu porto in corpore meo*. Vbi Ieſum induit, id ſibi appoſuit pondus, quo nõ timeret vanitatis flabra, ſed medijs ingẽtibus virtutibus humilis perſeueraret. Pulchrè Cellenſis Ab. ep. 4. ait. *O pondus nominis Ieſu! Quis apprehẽdere, quis æſtimare valeat hoc nomẽ in pondere? Paulus ne in vanũ curreret, in vinculis, in cæteris per paſſiones quotidianas hoc nomẽ ſemper appoſuit, & apprehendit. Hoc enim eſt, quod ait. Stigmata Ieſu porto in corpore meo*. Is eſt Ieſu Spiritus, cuius vel vmbra homines firmat in humilitatis propoſito. Cellenſ.

§. XI.

Peccata, quæ voluptatem, & blanditias faciunt, minimè ob oculos ponenda, ſed fugienda ſunt.

RETRO ſtat prudens peccatrix, quã dum Ieſus retro ſolũ admittit, rectè nobis oſtendit, quã auertendi ſunt pudici, & iuſti oculi ab his, quæ voluptatẽ cauſare ſolent, & blãditias. Miles ille Chriſtianus, qui Teclã virginẽ mutato habitu, à turpi, & voluptuoſo loco iuſsit abire, ſic illã affatur apud D. Amb. lib. 2. de virg. *Cũ egreſſa fueris, ne reſpicias retro, memor vxoris Loth, quæ naturã ſuã, quia impudicos, licet caſtis oculis, proſpexit, amiſit*. Cauendę prorſus ſunt, quæ voluptatẽ excitent, blãditiæ; nec vnquã ob oculos admittendæ ab eo, qui nolit perire. Pro quo expende illud ſapienter dictũ: *Quia impudicos, licet caſtis oculis, reſpexit, amiſit*. Nõ ſufficit, quod caſtos habeas oculos, quando oculis noſtris innati laquei ſunt, qui in illis latent, & occultãtur, quod ſi obiectũ accedat turpe, ſtatim quaſi ſopiti laquei excitãtur, & miſere perimus. Quo reſpiciebat Iudith c. 9. ſic ad Deũ orans. *Capiatur laqueo oculorũ ſuorũ in me*. Nõ ait capiatur laqueo pulchritudinis meæ, ſed laqueo oculorũ ſuorũ, quãdoquidẽ laqueus nõ in pulchritudine, ſed in oculis latet noſtris, & dũ oculi caſti ſunt, laqueus nihilominus ibi eſt latens, & quaſi ſopitus; qui excitatur eo ſolũ, quod vertãtur oculi ad res turpes. Vndè elegãter S. Ephr. de mala conuerſatione vitãda, inquit. *Si te ipſum trahi videris à cogitatione aliqua ad perfruendũ formoſo aſpectu, vel pueri, vel mulieris, te laqueis inimici proximũ eſſe noueris: ſin admonitus quoque nõ deſtiteris, iã te laqueis irretitum agnoſce, vnde nec facilè voluptatẽ vinces*. Sunt equidẽ oculis noſtris laquei innati, qui vt latẽt, vt ſopiũtur, dũ nihil molle, nihil voluptuoſum aſpicimus, ſic cũ primũ ad talia obiecta vertimus oculos, laquei excitãtur, & in noſtrã pernicię profiliũt. Nouerat id Paulus, qui fortiſsimus alioquin athleta Chriſti, pro quo nullius tormẽti cõgreſſum timet, vbi ad delitias venitur, ſic eas horret, vt nec ore ſuſtineat earũ verſari vmbrã. Ad Rom. 8. inquit: *Quis nos ſeparauit à charitate Chriſti? tribulatio? an an guſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſe*
Cellenſ. Ambroſ. Iudi. 9. S. Ephr. Ad Rom. 8

cutio? angladius? Certus sũ enim, quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. Sed scire cupio, ô Paule, quando incertamen vocas vniuersa mundi tormenta, & mala, nimirũ, famem, gladium, paupertatem, mortem, diabolos ipsos; cur etiam non meministi alios virtutis, & charitatis hostes, vtpote blandientes honores, florentem pulchritudinem, flauentia vina, adgaudentes pecunias? Nouit equidem Paulus hostile harum rerum ingenium aduersus virtutem, & qui audet manus conferere cum ardente igne, non audet vel meminisse, vel oculos mentis con-
S. Theod. uertere ad ista. Pulchrè S. Teodul. ait. *Non dixit Paulus, pecunia, gloria, & quæcumq; homini speciosa videntur, sed ea, quæ etiam humanam naturam cogere solent.* Cum tormentis certamen init; feras rugientes expostulat, mortem exsibilat; pulchritudines vehementer exhorret, & vel ab earum conspectu fugit. Sic mo-
D. Cæsar. nebat D. Cæsar. Arel. ep. ad Germ. dicens. *Esto ergo libidinis fugitiuus, si vis castitatis pugnator esse egregius.* Non pectora, sed tergum det tam nefarijs hostibus, quicumque in duello castitatis vincere cupit. Quam bellandi artẽ
Ouid. huc transtulit à Parthis Ouid. lib. 1. de Arte: *Tergaq; Parthorum, Romanaque pectora dicam, Telaque ab aduerso, qua iacit hostibus equo. Quid fugis, vt vincas? quid victus post te relinquis?* Nec contritos hostes, nec superatos contrarios ob oculos propugnator castitatis admittat, si velit suas victorias securè celebrare.

§. XII.

Charitas breuissimo compendio nos Deo vnit, & ibi confirmat.

QVAE in ciuitate erat peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Simonis, accessit, & stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit rigare. Expẽde illud modo, in ciuitate peccatrix, & iam, stãs secus Iesu pedes; scimus longissimè Deum à peccatoribus esse, magnum existere chaos firmatũ inter Deum, & peccatum; nec longas à Magdalena vias tritas audimus, nulla scimus prærupta mõtium ab illa superata; solum audio, quod erat in ciuitate peccatrix, & statim ostenditur enixa diuinis plantis. Quæ ratio tantum accedendi ad Deum compendium fœminæ procurauit? Charitas sine dubio totũ istud breuissimo compẽdio superat chaos. Errabunda sponsa per vicos, & plateas ciuitatis, Cant. 3. custodes inuenit, à quibus anxia sciscitatur, vbi sit dilectus suus, & sponsus. Et quod mirere magis, ait. *Paululũ cum pertransissem eos, inuent, quem diligit anima mea, tenui eũ nec dimittã.* Quis tale crederet? Etenim Deus; à creaturis omnibus summo distat, immẽsum omnino spatium interpositũ est inter Deũ, & omnia creata. Quomodo ergo errabunda sponsa in ciuitate, vbi paululum creaturas per transit, Deum tenet, & quasi indefectibiliter habet? Pulchrè Gillibert. Abb. ser. 8. in Cant. *Gillebert.* ait. *Chaos magnum firmatum est inter nostram, & Dei naturam. Omnes gentes (ait Propheta) quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei. Quæ ergo poterit assignari conuenientia, & vicinitas inanis cum solido, nihil cum immenso? Qua ergo ratione dicit: Paululum cum pertransissem illos, inueni, quem diligit anima mea? Pennigera est charitas, & perpeti volatu ardentis desiderij interiacens, hoc, de quo loquimur, præteruolat vacuum.* Is est charitatis volatus, qui in paululo imminensa præterno let spatia, qui decurso ingenti chao à ciuitatis erroribus ad Deum breui compendio trãseat, ibique obfirmetur, ne cadat. Felix peccatrix Magdalena has sibi imposuit dilectionis alas, quibus tan cito Dei vestigijs inserta ibi stat, quasi nullos amplius vereatur casus. Vidit Isaias Luciferum à cœlo cadentẽ. Vidit, & *Isai. 6.* in cœlo Seraphin stantia: quippè ait, cap. 6. *Seraphin stabant super illũ.* Lucifer cadit, stant Seraphin, facit hoc vna charitas, quæ omnes abigit casus. Ita D. Ber. ibi ser. 3. *Cecidit Lucifer, vt fulgur de cœlo: Seraphin verò stabant super illud: stant plane Seraprin, quia charitas nũquam excidit.* Sic munit, sic cõfirmat nos charitas, ne timeamus humanos casus. Hinc D. *Bernard.* Paul. ad Rom. 8. animosè fatur. *Certus sum ego, quod neq; mors, neq; vita, neq; instantia, neq; futura, neq; creatura vlla poterit nos separare à charitate Christi.* Vndè Paulus sic de sua virtute præsumit? Cur nõ magis timet labiles mundi vias, diaboli impulsus vehemẽtes, carnis illecebras? Se totũ videbat possessũ à charitate, quo rider labendi occasiones, & ipsos inferni rudẽtes reputat, quasi fila sputaminis. Quo spectat D. Pascas. lib. 2. in Matth. satus. *Totus* *D. Pasc.* *enim charitatis erat effectus per gratiam, idcirco aliud esse nõ poterat, quã quod factus erat.* Vbi charitas diffunditur in cordibus nostris, sic obfirmat animũ, sic imperturbabilẽ facit, vt pene nõ vereatur excessus, siue lapsus fragilitatis. Post furentẽ tempestatẽ excitatus Ionas à nautis, & per fortẽ designatus à Deo, vt reus præsentis mali, vocatur in examen, eius inquiritur vita, mores, religio. Quid plura? Ait c. 1. *Cognouerunt viri, quod à facie Dñi fugeret: quia* *Ionas 1.* *indicauerat eis.* Nec facilè inuenies, quibus verbis Ionas suam fugam indicauerit: nam

cum

cùm ipſe ſui rationẽ redderet, hæc ſolum verba facit. *Hebræus ego ſum, & Dominum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam.* Siue, vt habes ex Septuagin. apud Theophilactum: *Seruus Domini ego ſum, ac Deum cœli ego colo.* Qualiter hinc inſinuatur Ionę fuga? Ipſe ſolum ſe fatetur ſeruum Dei, eius timore repletum, vnde vident nautæ indicatam fugam à Deo? In eo, quod Ionas ſe ſeruum Dei fatetur, & non filium, non amicum, timore repletum, non amore, ſapienter illum æſtimant fugitiuum à Domino ſuo, quando-quidem ſeruorum eſt fugere, non filiorum, quia charitas nunquam excidit. Bene Theophylactus ait. *Ex hoc agnouerunt, quod aduerſus Deum delinquens à conſpectu eius fugeret, quod confiteretur ipſis ſeruum Dei ſe eſſe.* Vbi ſeruum audiunt, & non filium ſtatim reputant fugitiuum.

Theophyl.

Idem.

§. VII.

Quas ſeruire feciſti vires immunditiæ, eaſdem Chriſto trade.

HVMANVM cũ Apoſtolo dico, propter infirmitatẽ, vt quas immunditiæ dediſti tuæ animæ vires, & affectus, eas in te reuerſus Chriſto tradas. Ne exuas mores, ſed illos diuerte aliò. Ecce tibi frontoſa meretrix Magdalena, retro ſtans ſecus pedes Domini, paulòante reptans humi amatoribus ſuis ſternebatur: nunc non exuit amores, ſed ad illum diuertit dilectum, cuius retro ſtans ſublimis apparet. Hinc memini miraculum in Iordane factum, vt ſiccis plantis, populus Iſraeliticus eius tranſiret vada. Etenim ait Ioſue 3. *Egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanem: & Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingreſſiſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant.* Itaque vbi aquæ pedes portantium arcam ſenſerunt, earum fluctus, qui deorſum fluebat, ſtetit retro, ſe ſe ſurſum attollens inſtar montium cacumina. Quod miratus, Pſalm. 113. ait. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? Et tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Conuerſus ſanè retrorſum eſt Iordanis, non quod verſus frontem recurreret, ſed quod Sacerdotis pedibus tactis curſum aquæ non perdiderunt, ſed mutarunt, quando retro ſtantes, ſurſum ſe ſe attollebant. Ex his fidelium conuerſionem menſus Richar. Vict. opuſc. prima part. art 4. ait. *Qualis, quæſo, iſta eſt conuerſio Iordanis? Totum impetum ameris: totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis magna cum feſtinatione currere, non deorſum, ſed ſurſum, quærere quæ ſurſum ſunt, ita vt veraciter profiteri poſsis, quia Iordanis conuerſus eſt retrorſum.* Siccine Magdalena, quæ ſicut aqua effuſa erat, totoque cordis impetu in venereum mare præcipitabatur, vt pedes veri, & ſummi Sacerdotis Ieſu attigit, non amoris vndas perdidit, ſed aliò diuertit, & quæ deorſum ferebatur, ſtans retro, totum amoris, totam inundationem dilectionis ſurſum leuauit, quærens, quæ ſurſum ſunt. Proh excelſa peccatricis conuerſio, in qua idem fluminis impetus, qui Veneris regna fœcundabat, conuerſus retro, & ſurſum vergens lætificat ciuitatem Dei! Crediderim ſimiles pœnitentium hiſtorias, vt pernotaret Dominus, ſic compoſuiſſe Sacerdotem ſuum, Exod. 28. dicens. *Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum, queſi mala punica facies ex hyacintho.* Quid hæc punica mala protendebant? Philon Iudæus putat illis ſignificari aquarum fluẽta. Etenim mala punica Græcè, *roe*, dictæ à fluendo iuxta ethimologiam Græcam aquam ſignificant, ſed eam aquam, quæ ad pedes Sacerdotis circumfluens mille partas coronas oſtentet. Igitur vbi Magdalenam ad Ieſu pedes videris, puta ibi totam inundationem dilectionis ad æternas proſilire coronas, vt inſtar purpurei mali punici ſecus diuini Sacerdotis pedes effulgeat. Conuertit impetum ſuum amoris inundatio, non ſiccata eſt, ſed quæ exhibebatur mundo, iam incipit exhiberi Chriſto. Nunquã enim melius peccatum detriumphas, quam dum eadem, quæ illi dabas, Deo tradas. Ad Rom. 8. *Deus miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* Hic eſt optimus triumphus de peccato, quando per ſua vincitur, quando eadem caro, quæ ſeruierat peccato, eadem opera, quæ regnum fouebant peccati, ipſius peccati ruinam pariãt. Rectè Tert. lib. 5. in Marc. ait. *Ob hoc miſſum filium in ſimilitudinem carnis peccati, vt peccati carnem ſimilis ſubſtãtia redimeret. Nam & hæc erit Dei virtus in ſubſtantia pari perficere ſalutem.* Hæc, inquam, eſt Dei virtus in pari ſubſtantia, in pari operatione, in affectu pari regnum exhibilare peccati: vt ipſa caro, quæ ſeruiebat vitijs, ſeruiat virtuti; vt amor, qui præcipitatus in perditionem vergebat, ſurſum cõuerſus cœleſtia trahat: vt carnificina, quę quotidie fit in noſtris mẽbris, ad fouendas turpes cupiditates, iã eadẽ fiat, vt Chriſti lucrũ faciamus. Nõ petũtur ex nobis magna, nõ petũtur maiora pro Chriſto, quã pro mũdo exhibebamus. In ſubſtãtia pari, in labore, in diſpẽdio pari ſalutẽ operabimur, dũ eadẽ, quæ mũdo dedimus, Chriſto exhibeamus. Vbi Holopher-

Ioſue 3.

Pſal. 113.

Richar.

Exod. 28.

Ad Rom. 8.

Tertul.

nes perimẽdus erat, nõ bellicus apparatus quę ritur, non multi milites vocantur, non arma de Vulcani arte quæruntur, sed inermis fœmina Iudith adest, & sumpto ipsius Holofernis gladio, illũ trucidauit. Idem itaque gladius, qui tyranno seruiebat, ipse sumitur, vt eidem necem pareret. Hinc eleganter D. Brun. serm. 5. explicans illud: *sint lumbi vestri præcincti*, ait; *Illi bene præcincti sunt, qui super fœmur suum gladium habent, illum videlicet gladium, quo castissima Iudith Holofernem interfecit.* Et sanè Iudith, eadẽ, quæ impio militauerant arma, ad eius internetionem parauit. Sic tu cum ipsis vitiorum armis illa debella; est amor lasciuiæ gladius; pulchritudo ornatus, contorti crines, oculi alacres sunt arma cupidinis, his ergo detrunca tyrannum, si amorem, si studium placendi Deo lites, oculos lacrymis, crines diuinis plantis. In Goliath ruinam vsus fuit Dauid ipsius Goliathis gladio, 1. Reg. 17. Quod sic memorat D. Basil. Sel. orat. 15. *Goliath gladio, gladij Dominum diuidit, armis in vsus debitos versis.* Ita cum solum in vsus debitos vertas arma, vitia expugnabis. Quia creaturis abuteris, vt seruias vitijs, perijs; quas accepisti pulcritudines, diabolo militare facis, illas in vsus debitos verte, & Christo offert, sic vitiorum amputas caput.

Brun.

D. Basil.

Tex. Lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

§. XIIII.

Lasciuiæ macula multis indiget, vt tandem licet ægre, & difficulter tollatur.

MIRABERIS inconfusibilem mulieris animum; nihil curans murmurantiũ oculos, imò nec dentes, se se ad Iesu pedes abijcit, & osculatur, & lacrymis rigat, & aureis siccat crinibus, & vnguento perfundit, nec vereretur maledicos, nec suæ nobilitati timet, nec lacrymis, nec sumptibus parcit. Pro Deus immortalis! Tantæ molis erat lasciuiæ elicere maculam! Pulchrè D. Ephren sermon. proprio, sanctam Magdalenæ sic commendat frõ tositatem *Non ianitores, ac famulos domesticos generosa mulier timuit, nec duram astantium increpationem; vnum hoc secum cogitãs, dicensque: quod si totam meam faciem, quasi ferream, aut æream nõ reddidero, saluari ex turpi inundatione lasciuiæ meæ non potero.* Non facilè cedit lasciuiæ macula, æreo indiges animo, qui nullis contusionibus cedat, vt ablui possit. Ferreus esto; incus esto, quisquis à te lasciuiam depellere cupis, vt post mille ictus, post mille exãthlatos labores, tanto peremptio monstruo, castus exultes. Dicebat illa tota mirabunda, Cant. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* De quo D. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. *Bene addidit, nostra, quasi admirans, quod vbi antea impudicitia, ibi castitas.* Et sane magnæ admirationis res est, quod vbi lasciuia regnauit, ibi, licet multis laboribus, introducatur castitas. Nũquam in celso illo Ioseph impudicitia hauitauerat, solum impudica manus eius tetigerat pallium, quod & dimisit: verumtamen per quot labores, per quot certamina, per quot victorias vnã tenuit castitatis palmam? De illo D. Chrisostom. Psalm. 48. fatur. *Hic vero exijt capite redimito coronis innumerabilibus, & in ipsa seruitute libertatem magis resplendentem ostendit.* Exijt à mulieris manu, exijt à lasciuiæ antro nobilis thriumphator, sed coronis innumerabilibus redimitus, id enim est castitatis prẽliũ, quod innumerabilibus victorijs partis debet honestari. De castitatis aduersario sic fatur Paul. ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obedatis concupiscentijs eius.* Nec otiose dixit, *non regnet*, sed vt exprimat difficultatem expellendi lasciuiam, quæ vbicumque est, sedem figit, regiam statuit, in qua multo cincta milite more regum in regno suo se munit, & confirmat, ne expelli queat. Quod notat Orig. hom. 1. in Ierem. fatus. *Non potest aliquod regnum dici, nisi sub se habeat nationes. v. g. dictum sit, regnat fornicatio in homine peccatore, necesse est, vt regnum fornicationis habeat gentes suas, & illud ipsum generet delictum auaritiæ, & fraudis, quo vix aliquis immunis est.* Ecce tibi quot vitiorum exercitus expugnandi sunt, vt luxuriæ regnum possit erradicari. Quãdo luxuriam debellare studes, ne putes aduersum vnum aliquod vitium cõfligere, nec de vna solum castitatis corona existimes esse certamen: ad integrum vitiorum regnum debellandum, te para. Confligendum est tibi cum confertissimis hostibus; pugnare debes cum vitiorum exercitibus, & nisi post innumeras coronas partas corona castitatis minime ornaberis. Hinc Psalm. 44. de casta Christi sponsa aiebat. *Omnis gloria eius, filiæ regis ab intus, in fimbris aureis, circumamicta varietate.* Cur varietate amicta perhibetur casta? Sanè, quia in castitatis stadio, non si vnum obtineas palliũ, victor exiistis, sed opus est, vt multa brabia, multa pallia obtineas, & omnium virtutũ pallijs cures ornari. Quo respiciebat D. Isidor. Pelus. epist. 269. fatus. *Aureis virtutum omnium fimbris, sponsam Christi variegatam esse*

Cant. 2.

Ambros.

Genes. 39.

Chrysost.

Ad Rom. 6

Origen.

Psalm. 44.

Isidor.

opor-

oportet. Multis pallijs acceptis ornanda est Christiana virginitas, quæ in Iesu sponsis effulget: & vix durat castitas, nisi mille ornata triumphis, & singulis momentis superans prælia mille.

§ XV.

Lacrymarum pium latrocinium in Magdalena apparet, quando nihil suum habet, omnia Deo tradens.

CHRISTIANAM nuditatem, bonorumque omnium abdicationem vides in primitiuis fidelibus, quando integrum pretium bonorum ad pedes ponebant discipulorum omni thesauro vacuati. Vide modo, cuius sit fidei Magdalena, dum ingenti lacrymarum thesauro ad Christi Domini pedes proiecto, nihil suum retinet, omni cordis thesauro propter Deum vacuata. Huic similis erat anima, quæ Thren. 3. dicebat. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* O pium ab oculis latrociniũ peractum, quando ita deprædantur animam, vt illam omni suo thesauro relinquant spoliatam. Et quando hoc latrocinium exercetur? Sanè, quando lacrymas oculi effundunt, tunc omnem illius thesaurum deprædantur. Id pulcherrimè exprimit D. Paschasius lib. 3. fatus. *Oculus deprædari dicitur animam, quando omnes affectus doleris, & mœroris effuderit: quando omnem languorem, & ardorem per lacrymas mõstrauerit; quando omne, quod in ea est, quasi fluuius de fonte effluxerit, sicut Dauid dicit: Defecit anima mea, in salutare tuum, & oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quãdo consolaberis me? Ad hoc quippe anima ab oculo deprædatur, vt suo adhæreat creatori, suis spoliata viribus, & se tota refundat fonti piæ vbertatis.* Hoccinè est lacrymarum ingens pretium, ingens thesaurus, vt per illas dicãtur oculi animam omnino deprędari, & relinquere spoliatam; quasi emissis lacrymis charitate feruentibus, nihil pretij maneat in anima, omnia illius bona Deus habeat. Sic Magdalenam penitus oculi deprædantur, quando omne quod in ea est, quasi fluuius per lacrymas effluxit; quando omnem langorem, & ardorem demonstrat; quãdo suis spoliata viribus suo adhæret creatori, & nihil suum reseruans, se tota fonti piæ vbertatis refundit. Hinc est, quod post lacrymarum naufragium, ex quo in nouam exsurgit vitam, capillos Christi pedibus extergendis dicat, quasi testans, quod nihil suum vlterius possideat. Sic in Græco epigrammate apud Natalem comitem lib. 8. Myth. cap. 4. quidam Lucillius post naufragium sumptis crinibus, ait.

Dijs, æquoreoque Ioui,
Seruatus dicat è pelago Lucillius vndis
Hos crines: aliud namque habet ille nihil.

Testantur crines oblati omnium bonorum iacturam, qua nihil suum homo habeat. Sic Magdalena è mundiali mari naufraga emergens per pœnitentiæ tabulam, nihil suum in animo retinet, in cuius rei testimonium crines suos Domino dicat, aliud namque habet illa nihil. Vndè iam non mirabor, quod Deus Cant. 4. se dicat irretitum, & vulneratum, *in vno crine colli tui*, scilicet, Magdalenæ. Quamuis enim non magnũm sit capillorum munus, tamen magnam æstimationem habet apud Deum, qui censet munus ex his, quæ sibi relinquit, qui offert: adeò vt tunc puteris magnum Deo exhibuisse munus, cum nihil tibi reseruas, etiam si solum offeras crinem. Paupercula vidua æra minuta duo misit in Gazophilatium Lucæ 21. & ait Iesus: *Vèrè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquam omnes misit.* Ditia mittebant alij munera, quomodo verum est, quod minutum æs à paupercula missum maius esset alijs diuitum muneribus? Munus apud Deum maius est, non quod in se maiorem habet valorem, sed quod minus in offerente relinquit. Sic D. Prosper. part. 2. de Promissionibus Dei, cap. 29. ait. *Plus omnibus eam misisse dixit ille, qui vidit, quia sibi nihil dimisit.* Ex quo pensandum est munus Magdalenæ offerentis Domino crines suos, aliud namque habet illa nihil. Sic lacrymæ deprædatæ fuere Mariam, sic è lacrymarum vndis seruata felix naufraga, omnia dimisit sua, vt nihil habens suum liberatori crines offerat suos. Ecce pium lacrymarum latrocinium, quo sic omnibus suis spoliant Magdalenam, vt nec vni parcant capillo. Et cur in tam felici iactura, in tam pio latrocinio, nec vni parcitur capillo? Sanè fœdum videretur, si illa, quæ omnia bona sua, & grandia, & illustria reliquit, paruulis adhuc maneret irritita capillis. Iesus Dominus vbique suos secum habebat discipulos, verum post saturatas turbas Ioann. 6. *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Expende, quod à populorum regno fugiens Iesus, etiam à discipulis fugit, & solus abijt. Cur in præsenti à discipulis fugit? Cur modo solus abiens, quasi discipulorum ducatum obliuiscitur? Ne videretur paucorum ducatu teneri, qui populorum regna, tam facilè dimittit. Rem attigit Origen. tomo 31. in Ioann. inquiens. *Iesus cum cognouisset futurum, vt venirent, & raperent eum, vt illum regem facerent, secessit in montem, sed non cum*

Thren. 3. — D. Pasch. — Psalm. 118 — Natal. — Luc. 21. — Prosper. — Ioann. 6. — Origen.

cum discipulis, sed solus, ne his occasionem præbeat, vt iam mundanæ ipsorum etiam Rex esset. Fœdum equidē est, vt qui magna relinquūt, videantur adhuc teneri, & illigari paruulis, & fribolis: qui ignitas diaboli depulit sagittas, cedat fulgentibus mundi scintillulis; quæ vo luptatum fugit paradisos, ex intortis crinibus, leuique ornatu speret consolatiunculas. O felix Magdalenæ naufragium, ô felix lachrymarum latrocinium, quod neque vni pe percit capillo.

§. XVI.

Vnus Deus de minimis hominum cogitationibus triumphat.

QVID ad Dei potentiam, quòd de fœminæ corde, oculis, manibus, hoc est, magnis eius operibus triumphet, & sibi omnia speciosa, & grandia acquirat? Hoc maximę potestatis est, quod etiam triumphum agat de capillis, hoc est, vel de minutissimis cogitationibus. De Gabaonitarum fortitudine, & dexteritate dicitur Iud. 20. *Septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, vt dextra præliantes, & sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum possent percutere.* Ea est fortitudo, ea est dexteritas Dei nostri, sic ad certum gratiæ suæ iacula mittit in humana corda, vt vel capillum percutiat, hoc est, vt vel minimas cogitationes nostras ad se trahat. Quis hominis cogitationes omnino sibi raperet, nisi solus Deus? Suarum cogitationum euagationē deflet Hieronym. lib. aduersus Luciferianos fatus. *Nunc creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus cogitatione turpi, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Multa est mens humana in cogitationibus suis, nulla res adeò mentem nostram sibi deuincit, cuius non fugiant imperium multi nostri cogitatus. Vnius Dei debet esse victoria, cuius iaculis sic trahantur omnes humanæ cogitationes, vt nulla, quamuis minima euadat. Spōsa diuina erat, quæ diuino telo sauciata per vicos, & plateas ciuitatis errabat, & medijs his erroribus, offendit vigiles, & custodes ciuitatis. Quid plura? Sic ad illos fatur, Cant. 3. *Numquid quē diligit anima mea, vidistis?* Per compita, per plateas, & vicos ciuitatis vagata, inter custodum, & vigilum choros constituta, vnius dilecti meminit, nulla cogitatio alia subijt, nisi de Christo; nec in mentem veniunt platearum amplitudo, vigilum forma, armorum apparatus, sub vno captiuatæ omnes cogitationes Christo, nescium aliò diuerti, nisi ad Christum. Pulchrè Diu. Bernard. serm. 39. in Cant. *O amor præceps, vehemens, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia, præter te, te contentus! Totum, quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilij iudicijve videtur, triumphas in te metipso, & re digis in captiuitatem. En omne, quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil.* Expende illud, *triumphas in temetipso*: quasi ille sit propriissimus Dei triumphus, quo vniuersas mentis humanæ cogitationes rapiat, sibique captiuas statuat. Felix, qui talem in se triūphum parat Christo, qui sic nouit Christi inhærere vestigijs, vt nec minimam cogitationem habere velit, quæ non ascribatur Christo. Psalm. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Quid est paruulos allidere ad petram? Puto, quod ille allidit paruulos ad petram, qui vniuersos mentis suę fœtus, etiam minimas cogitationes deducit ad Christum. Ambros. de pœnit. lib. 2. capit. 11. fatur. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, hoc est, qui infirmas, & lubricas cogitationes elidat ad Christum.* Hic tota sita hominis beatitudo, hic integer, & perfectus triumphus Christi, qui nulli alij potest ascribi, nimirum, quod mentis humanę fluxus, & refluxus & incipiant, & desinant in Christo. Solus equidem Christus potens est triūphare de humanis cogitationibus. Marc. 7. ait Dominus: *Ab intus de corde hominum procedunt cogitationes malæ, &c.* Quod ponderās Chrysolog. serm. 170. ait. *Nos fratres ab istis vitiorum sordibus emundemur intrinsecus: has nequitiarum gentes in mentibus nostris Christo propugnante vincamus: has delictorum bestias de nostris cordibus terrore dominici nominis effugiamus: has criminū rabies, & voracissimas aues à nostris sensibus crucis hasta fortiter propellamus.* Et quidem vbi Christus non ministrat arma, mentis humanæ cogitationes, vel abigere, vel vincire non vales.

Iud. 20.

Hieron.

Cant. 3.

Bernard.

Psalm. 136

Ambros.

Marc. 7.

§. XVII.

Non Christo immoritur, qui adhuc ornatui corporis studet.

ECCE extremum mundialis vitæ halat spiritum, & tota immoritur Magdalena Christo, vbi capillos subijcit plantis diuinis. Huc ego traho illud gentium figmentū, quo putabant fœminam minimè posse emori, nisi prius illi abscinderentur crines, sacrarenturque diuis. Vnde, vt infelix Dido moretur, missa est Iris, quæ crines eius succidat:

de

Æneid. de quo Virg. Æneid. 4.

Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios aduerso sole colores,
Deuolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero: teque isto corpore soluo.
Sic ait, & dextra crinem secat, omnis, & una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Equidem fallitur fœmina, quæ se putat immori mundo, & adhærere Christo, quando eius cura adhuc viuit in torquendis, ornandisque capillis. Despiciat crines, ornatum corporis omninò despiciat, quæ mori amat mundo; & consepeliri cum Christo. Sanctissima illa Æster cap. 14. sic ad Deum orabat, vt se omninò à mundialium vita extorrem indicaret, iuxta D. Hieronymi lectionem apud Isaiam, cap. 64. *Tu scis necessitatem meam, quoniam detestor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ: abominor illud, sicut pannum menstruum: nec porto in diebus quietis meæ.* Et puella, & Regina, & viri illius vxor, cui nulla fœmina astare audebat, sine ingenti ornatus cura, & studio, tamen omnem cultum abominatur, & abijciebat, vbi Deo vacare cupiebat, & cum Deo quiescere, & tumulari. Apud Dionisium Cartusianum. *Nec porto illua in diebus quietis meæ, dū permittor in secreto thalami mei Deo vacare in tranquilitate.* Et meritò bona puella putabat se non posse mundo mori, & Christo immori, dum corporis cultui, capitisque ornatui vacaret. Prima illa peccatrix viuentium mater, vt moriēdum sibi esse audiuit, ad quos ornatus confugit? Quem muliebrem cultum exquisiuit? *Fecit eis Deus tunicas pelliceas*, non sericis fulget, non crispanti rutilat crine, sed sub rudi pelle inculta eam instituit vitam, quā verè sit mortua mundo. Merito Tert. de illa lib. de habitu muliebri fatur. *Si ab initio rerum, & Milesiæ oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babilonij intexerent, & Margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent, si ipsum quoque aurum iā de terra cum cupiditate prodisset, si iam, & speculo tantum mentiri liceret. Hæc Eua concupisset de paradiso expulsa, iam mortua opinor?* Expende illud, *iam mortua*; non enim aliter credit illam mortuam mundo, nisi quia vniuersum cultum corporis, & ornatum abiecisset. Necesse est, vt quamcumque mortem comitetur calùitium. Monebat Paul. 1. ad Timot. 2. *Similiter, & mulieres in habitu ornato: cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* Cyprianus lib. de cultu virg. legit promittētes castitatem, quasi necessum sit, quod non viuant intorti crines, & auri ornatus, in ea, quæ mundo, & carni moritur, vt virginē castam se exhibeat Christo. Vbi Apoc. 17. meritrix illa magna supplicio afficitur, & mū doque tollitur: sic dicit Scriptura. *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum, nemo emet amplius merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci*, &c. Sed cur nemo emet amplius hæc? Nōne meretricibus ablatis remanent plures fœminæ castissimæ, quæ similia possent emere? Absit à castis fœminis: bene mercatum desperant muliebris mundi, vbi meretrix perijt; vix enim fieri potest, vt vbi meretricij odor abest, cultus, & ornatus extet.

Æster. 14

Hieron.

Tertul.

Paul. 1.

Apoc. 17.

§. XVIII.

Nil prius in peccatore Christi conspectus elicit, quam lacrymas.

VBI peccatrix ad Christi venit conspectum, nil prius facit, quam flere, quam lachrymarum imbrem præseferre. Prouerb. 16. dicitur *In hilaritate vultus regis vita, & clementia eius, quasi imber serotinus.* Inde propitius Christi vultus se se incipit pandere, nimirum ex lachrymarum imbre, quo se perfundunt peccatores. Quod sic docet Gualricus Abb. serm. 3. in Ramis: *Intendite fratres in vultum Serenissimi Regis nostri. Respexit in protoplastum, & mox animatus spirauit in vitam: respexit Petrum, & mox compunctus respirauit à vueniam. Mox enim, vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia pijssimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrimas post peccatum.* Hic primus index Dei nos aspicientis, hoc statim ex misericordi conspectu Dei concipimus salutis testimonium, quod imbrem concipiamus serotinum, quod in lachrymas resoluamur. Quid in hac peccatrice lachrymis prius? Prius rigat lachrymis diuinas plantas; deinde capillis tergit; tertio osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. De quo D. Chrysolog. serm. 93. fatur. *Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum, oscula sunt reconciliationis indicia.* Qui peccator est, nil prius agat, quam pro peccatis satisfacere, quam lachrymis peccata abluere, & Deum gemitibus placare. Prius, quæ reorum sunt, deinde, quæ ad amicitiam spectant, partes agat. Perditus ille filius apud Luc. 15. vbi miseram suam conditionem aduertit, ait. *Surgam, & ibo ad patrem meum. Dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Non ait, amplexabor, osculabor patrem, eius diuitias, & delicias inquiram, sed tantum erroris sui la-

Gualric.

Chrysol.

Luc. 15.

Cant.3. mentum promittit. Aliter ſponſa Cant. 3. dicebat. *Surgam, circuibo ciuitatem, & quæram, quem diligit anima mea.* Non meminit planctus, tota in dulci inquiſitione, & amplexibus ſponſi conſtituta. Quod notans Gilliber. Abb. ſerm. 3. in Cant. dicit. *Surgam, & vadã ad patrem meum. Iſte de quærendo nihil mouetur patre, tantum defletendo ſolicitus. Quæ ſpõſa eſt certa de gratia poſtulat præſentiam. Surgã, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram, quem diligit anima mea, inuentionem ſufficere reputãs.* Qui ream conſciẽtiam agnoſcis, abſtine pauliſper ab inquirendis delicijs diuinis, hoc primum effice, vt fleas, vt errores memineris, vt lacrymoſa cõfeſsione maculas abſtergas tuas. Amicitiæ, & charitatis negotia, imò & otia lacrymis ſuccedant. Quam præclarus eſt ille ordo, in quo ante ipſa officia charitatis propria rigant lacrymæ peccata! Hunc ordinem inſ-

Luc.23. piratuit Ieſus, Luc. 23. pijs illis fœminis, quæ præ compaſsione fletum agebant. *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Pro ſe quiſque flere, ad ſatisfactionis negotium pertinet, pro alijs flere ad officium pietatis, vel charitatis ſpectat; ſed antea omnia alia officia, eas lacrymas petit Ieſus, quibus propria cuiuſque peccata

Bernar. rigentur. Ita Diu. Bernard. ſerm. de Reſur. 2. inquiens. *Ordinẽ diligenter attende. Super vos, inquit, primo: deinde ſuper filios veſtros.* Fluant ante omnia lacrymæ, quæ tuas maculas lauẽt, quæ tua peccata abſtergant, deinde ad alia, ſiue pietatis, ſiue charitatis opera te extende. Placent in primis Deo lacrymæ noſtræ, cum quibus vix alia opera comparari queãt. Quis ſanctiſsimi Regis Ioſiæ facinora memoret? Memoria eius preciоſiſsima exequat pigmẽta. Idola euertit, lucos ſuccidit, excelſa abſtulit, templum mundauit, denique pro popu-

4. Reg. 22. lo fleuit. Tunc Dominus, 4. Reg. 22. *Scidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, & ego audiui, ait Dominus: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, &c.* Itaque vbi Deus miſereri vult Ioſiæ, alijs omnibus operibus relictis, ſolum meminit lacrymæ il-

Theodor. lius. Quod ponderans Theodoretus, quæſt. 24. inquit. *Tantum iubat compunctio, & lacryma eos, qui vtuntur.* Hæc prima eſt hominis apud Deum comendatio: huius in primis Deus meminit ad ſalutem.

§. XIX.

Animoſe vincenda nimia verecundia ab his, qui cupiunt obtinere ſalutem.

NOLO mirari Magdalenam pro delictis lugentem, pedes Ieſu lauantem, oſculantem, aureis crinibus detergentem, ſed valde miror, quod ea omnia in extranea domo, in ſeruorum frequentia, in oculis omnium perficiat. Vbi eſt ille innatus pudor, validus in fœminis effectus? Vbi verecundia nimia, potentiſsima diaboli tyrannis? Præclare Magdalena apud D. Ennodium lib. 7. epiſt. 27. reſ-

D. Ennod. ponderet. *Eligo iacturam pudoris, ne ſubeam dedecus nõ amantis: ſciens facilius poſſe parciri frõtis damna, quam fidei.* Proh nobilis pro Chriſto pugnatrix, primo in congreſſu validiſsimum diaboli cornu contriuit! Niſi fallor, de verecundia facit diabolus duriſsima omniũ tormenta ad debellandas animas. Durior eſt verecundia morte ipſa. Caſtiſsima Suſanna in lauacro nuda, à nefarijs ſenibus impugnata, ſed minimè expugnata, de falſo crimine accerſitur ad tribunal. Ecce tibi iudices accuſant innocentem fœminam, nobiliſsimum infamant maritum; luget vniuerſa ciuitas. Quid tunc Suſanna? Iraſcitur in iudices? Rem narrat? dicit ſe inuentam in lauacro nudam, vane fuiſſe à iudicibus expetitam? Abſit: ea enim erat verecundia, quæ puellæ mentem occupabat, dum ſe memorabat viſam à viris nudã, vt minus malum putaret mori, quàm talia in tanto conuentu edicere. D. Ambroſ. de offic.

Ambroſ. lib. 1. cap. 18. ait. *Iacebat in periculis Suſanna, & grauis verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendã ſalutem.* Sic verecundiæ tormentum ſeſe extollit ſuper omnes alios cruciatus, & vitæ diſcrimina. Sic ſalutis amiſsio, ſic mors ipſa contemnitur præ verecundia. Efrontem Iudam, à quotandem laqueo putas ſuffocatum? A verecundia facinoris ſui. De Abſalon dicitur, 2. Reg. 14. *Ponderabat crines ſuos pondere publico.* Quibus verbis Iudæ perniciem à verecũdia ſuffocati meditatur Drogo lib. de Sacra-

Drog. mento Paſ. inquiens. *Ecce Abſalon, ecce Iudas, fur erat, & loculos habebat ſemel in anno tõſus, quando argenteos proiecit in templum, quos ponderauit ducentis ſiclis, & hoc pondere publico, nõ pondere ſanctuarij; pœnitentia enim ductus, ait, peccaui tradens ſanguinem iuſti: ſingula verba plena ſunt ponderibus, ſed pondere publico, non pondere ſanctuarij, quia plus erubuit infamiam, quam conſcientiam.* Proh vaniſsimè verecundiæ laqueum! Nouit diabolus iſtius verecundiæ ingentem vim ad ſuperãdas animas, quia ſæpiſsimè; quod ingentia alia tormenta non poſſent, conficit vna verecundia, & ideò, vt ariet mundum, & hoc ſibi cornu in primis ef-

Marc.8. fingit. Quod præcauẽs Dominus apud Marc. cap. 8. inquit. *Qui me confuſus fuerit coram hominibus, & ego confundar eũ coram patre meo.* Quibus ego maximè expendo, quod Dominus ſuis proponat cauendam ſolam verecundiam,

diam, quasi ea sit validissima omnium tormentorum ad negandam fidem. Cur non potius meminit ardentes fornaces, vngulas ferreas, inauditas laniationes, sartagines, rotas, bestias frementes, & alia dæmoniorum ingenia, quæ quotidie homines à fide in infernũ agunt præcipites? Cur maluit illis omissis, solius verecundiæ meminisse? Sanè prima, & præcipua vis diaboli aduersus humana corda, in verecundia nimia consistit. Ita Tertul. aduersus Gnosticos fatur. *Sciebat enim à confusione, vel maximè negationem formari; mentis statum in fronte consistere: priorem esse pudoris, quam corporis plagam.* Expende illud, *priorem esse pudoris, quam corporis plagam*: quippè prima, & præcipua plaga in Christi milites à nimio pudore proficiscitur. Vndè præclare D. Bernard. epist. 185. ait. *O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris, & honestatis.* Non sic obscura, & tetra nubes segetem grandinat, vt nimia hæc verecundia solet verbi Dei albentes messes in animis nostris penitus exturbare. Quo eleganter respexit Ecclesiasticus cap. 32. fatus. *Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia.* Vt enim inter tenebrosas nubes duro prægnantes grandine, solent crebræ coruscationes fulgere, quæ oculos perstringũt, & quodam fulgore recreant, & interea mortalium labores misere grandinantur. Sic nimia verecundia, de modestiæ virtute præsefert quandam speciositatem, & gratiam, quæ dum nos fallit, & deludit, misere perduntur virtutũ segetes, quæ nostris animis allebãtur. Felix, qui hæc cauet, & pro salute animę suę, nouit etiam pudoris iacturam facere. Quot bona parturire solet honestus pudoris nimij contemptus? Punienda Tamar ob adulterij crimen, socero Ludæ suæ impudicitiæ signa obiecit, Gen. 38. dicens. *Cognosce cuius sit baculus, & armilla, & annulus.* Agnouit bonus vir suæ intemperantiæ testimonia, nec confunditur, manifestare delictum, vt nurum liberet. De quo S. Dionis. Alexand. epist. contra Samosataneum, quæst. 10. inquit. *Tunc Iudas confusione contemta confessus est, quod iustior se esset Thamar: atque ita liberata est à morte. Nisi enim Iudas confusionem contemsisset, interfecta esset Thamar.* O quot pereunt, quia non contemnitur pudor, & confusio! Equidem secundo adolescenti Iesu, pudori erat, & confusioni, quod nudus inter latrones videretur in cruce. Quid tunc? Ait Paul. ad Hebr. 12. *Sustinuit crucem confusione contẽpta.* Nisi enim confusionem cõtempsisset Iesus, totus mundus perijsset: sustinuit autem contemnere confusionem, vt & nos cõfusione contẽpta euolemus in vitam.

Tertul.

Bernard.

Eccl. 32.

Genes. 32.

Dionis.

Hebr. 12.

Text. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens. Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

§. XX.

Vt cauenda fœminarum familiaritas viris sanctis.

INTER mille Pharisæi errores, id verum recognoscas, velim, nimirum omnibus religiosis viris cauendam maximè fœminarũ familiaritatem. Adeò vt non solum viri religiosi, & Prophetæ fugiant lasciuæ fœminæ congressum, vt parum castus Pharisæus putabat; sed etiam sanctissimarum fœminarum, vel manus tactum exitialem habeant. Paul. 1. ad Corinth. 7. ait. *Bonum est homini mulierẽ non tangere.* Quod ponderans D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, ait. *Non dixit bonum est vxorem non habere; sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quasi qui illam tetigerit, non euadat.* Liceat in præsenti recolere Achillis fabulam; qui vt immortalis fieret, petiuit à Dea Thetide stigio submergi lacu. Annuit Dea, arripiensque plãtam hominis, totum illum baptizat aquis, & dum totus intingitur, sola pedis planta, quã Dea tenebat, non fuit abluta stigijs, quo factum est, vt postea ibi vulneratus occumberet. Audistis fabulam: accipite modo Thetidem plorantem filij casum per plantam; apud D. Ennodium Ethic. 2. his verbis. *Quid profuit stigiæ paludis auxilio nati corpus armatum? In membris prolis nostræ, quem Dea tenuit, locus est vulneris.* Proh virulenta fœminarum manus! Licet Dea sit, qua parte tangit, locum vulneri parat. Non equidẽ necessum est magno insigniri Prophetiæ spiritu, vt noscas lethalem fœminarum congressum: qui enim religiosus Propheta est, quam longè fugit ab illis, vt securus ducat vitam. Iezabelis flammam fugit Elias, & fugit itinere quadraginta dierum, 3. Reg. 17. Quod ponderans D. Petrus Damian. serm. de sancto Vitali, inquit. *Et audiuit Elias, & timuit, ac fugiens abiit. O violentiam verbi! O formidinis eminentiam! Audito mulieris verbo fugit Elias; & fugit non vno, non duobus, non tribus diebus, sed potius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Rectè Prophera iudicauit, rectè se muniuit, quando tam longum ponit itineris spatium inter

1. ad Cor. 7

Hieron.

Ennod.

3. Reg. 17.

se

ſe,& fœminam. Prophetica eſt formido; quæ à fœminarum cõgreſſu cauit. Prophetica eſt formido, quæ in pulchra fœminæ facie præcauet iacturam cordis humani. Iudith ſanctiſsima fœmina arduã prouinciam aggreſſa eſt; pulchra, & decora mulier audet ſe ſe militum conſpectui dare, inſuper audet ſola cum
Iud. 13. Principe Holopherne manere: denique vbi Principi aſsidet, cap. 13. ſic ad Deum loquitur. *Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam.* Vndè bona fœmina cogitauit tantam Holophernis iacturam futuram ſore? An reuelationem habuit diuinam, vt Prophetæ ſolebant habere de Iſraeliticis victorijs? Nullus eſt auctor, qui hoc aſſerat, vt videre potes in quæſtionibus noſtri Serarij: Non itaque Iudith à Deo reſponſum habebat, non reuelationem illam, & tamen certò prophetabat Holophernis ruinam, & vndè certò prophetabat? Sanè vbi pulcherrima fœmina decreuit aſsidere Principi, iam erat vnde certiſsima iactura Principis poſſet prophetari. Hunc
Proſper. eleganter ſpectat Diu. Proſper. par. 2. de promiſsionibus, & prædict. cap. 38. fatus. *Exuta igitur veſte viduali, ſeſe omni ex parte mẽte, corpore, moribuſque componens, mirabilem cunctis exhibuit: eo uſa conſilio, quo, cuſtode Deo, credebat pulchritudine captum hoſtem poſſe perimere.* Ecce totum fiduciæ propheticæ fulcrum, nimirum credebat pulchritudine captum hoſtem poſſe perimere. Propheticus eſt halitus, qui in vicina pulchritudine ruinam hominis dicit: vt videas, quam prophetica ſit formido, quæ ſibi cauet à fœminarũ vicinio. Quæ formido adeò propria eſt viris iuſtis, vt hinc ſua bona cognoſcant iuſti, ſi neque attingi poſsint à manu fœminea. Quo ſpectauit illud toties in hac materia decantatum Ioſephi facinus, quando relicto pallio in Dominæ manibus aufugit. Cur relicto pallio? An ſtrenuus iuuenis, & ſe, & pallium ſuum non poſsit eripere à manibus delicatæ fœminæ? Cur ergo pallium ſuum reliquit? Equidem reliquit pallium, quia non putauit ſuum, quod tangi potuit
Ambroſ. manibus meretricis. Ibi Diu. Ambroſ. cap. 15. *Reliquit tanquam non ſua, quæ adultera ſuis manibus detinebat: & aliena indicauit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi.* Non putat bona ſua vir iuſtus, quæ ſic vicina ſunt fœminis, vt poſsibile ſit, vel ab illis attingi.

§. XXI.

Summa Dei bonitas in trahendis indignis

MAGNA Phariſæi ſtultitia, quæ peccatricem à Deo abigebat, quaſi alienum eſſet à piiſsima mente peccatoribus ſubuenire. Quinimo, hoc eſt diuinæ bonitatis præconium. Pſalm. 86. datum. *Memor ero Raab, & Babilonis ſcientium me.* Vbi D. Cyril. Heroſol. Cath. 2. Paulo immutãs lectionem, fatur. *Memor ero Raab, & Babylonis, & poſtea cognoſcent me. O magnam Dei benignitatem! etiam inhoneſtæ mulieris meminit in peccatis.* Adhuc in peccatis agentem conuenit Deus, vt ad ſui amorem, & cogitationem trahat. Adhuc Raab meretricem agebat: adhuc Babylon de vino fornicationis ſuæ propinabat, & iam Deus memor erat Raab, & Babylonis, vt illis ſuæ diuinitatis cognitionem traderet. Quid plura? Ecce vobis, Gen. 28. Iacob dormiebat in vtrã vis aurem, & iuxta illum apparet ſcala cœleſtis, in cuius ſummitate innixus Dominus hęc verba ad dormientem faciebat. *Ego ſum Deus Habraham patris tui, & Deus Iſaac,* &c. Sepultus ſomno eſt Iacob, & tamen non dedignatur Deus illum alloqui, illi ſuam promittere gratiam, ne putes alienum à Deo, quod peccatoribus adſit, etſi multo ſepultis ſomno peccati. Vndè dicebat Ceilenſis Abb. lib. 7. epiſt. *Cell. Ab.* 17. *Iacobi oculus ſurſum palpebras erexit, & videt Dominum innixum ſcalæ vocantem, & expectantem male ſoporatum.* Non iam Deus ad ſolos vigilantes reſpicit; dormit homo, alto peccatorum ſopore grauatur, nec de dignatur Deus cum dormiente miſcere colloquia. Imò, vt amplius miretur Phariſæus, ipſa hominum peccata, ipſa iniuſtitia, ipſa fornicatio ſæpè occaſionem dat, qua quis ad Dei notitiam accedat. Accipite Abimelechum Regẽ Geraræ, in Gen. 12. is captus pulchritudine Sarę, & putans illam eſſe Habrahami non vxorem, ſed ſororem, ſibi eam rapuit. Quid tamen ex hoc raptu percepit? Audit Deum ſibi minitantem inſomnis, loquitur cum Habrahamo, & totam veri Dei ebibit prouidẽtiam, & religionem. Nouit equidem iniuſtitia aliquando occaſionem præſtare, qua homo ad veri Dei cognitionem accedat. Id quod notans Theodoretus in præſenti ſerm. 10. de *Theodor.* prouid. fatur. *Iniuſtitia Abimelech pietatis viã aperuit, atque iniqua, illegitimaque cupiditas Dei cognitionem conciliat.* Quis iam miretur, quod Deus ad peccatores accedat?

§. XXII.

Ex ſanctorum ſocietate innocentia hominis probatur.

INIQVVS Phariſæus male offenditur, quod Propheta recipiat peccatricem fœminam, cum potius deberet minimè iam illã pecca-

peccatricem iudicare, quam tanti Prophetæ pedibus obuolutam videbat. Vbi enim de Ionathæ moribus ferenda erat sentẽtia, quem vidit Dauidis amicum, non ausus est damnare Hieronym. lib. 2. contra Iouinia. Ibi enim sic ait. *Inter Dauid sanctum, & Saul Regem pessimum, Ionathas medius fuit. Quẽ nec inter hædos possumus ponere, quia Prophetæ amore dignus est.* Hoc vnum innocentiæ testimonium inuenit sanctus Doctor in Ionatha filio Regis perditissimi, quod amicus erat Dauidi, eiusque amicitia, & societate dignus; & ex hoc solum testimonio non audet in illum sententiam dicere. Etenim præclare aiebat S. Ennodius lib. 3. epist. 11. *Proximus est innocentiæ, qui sanctorum meretur alloquia.* Aut innocens omnino es, aut innocentiæ quam proximus, vbi in animum induxeris consuetudine, & alloquijs vti bonorum. Fugit sanctorũ consuetudinem error, vt vel inde vniuersus fœmineus sexus caueatur à dæmone, quod ad vnam fœminam Angelus accesserit. Quippè sic intonat Lucas 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen erat Nazareth ad virginem.* Ecce tibi virgo cum Angelo; fœmina non per paradisum errans, non ad poma vetita spectans, sed cum Angelo verba faciens. Quid plura? Iam diabolus suspectas sibi habet omnes fœminas, ab illisq; cauet, vbi cum Maria loquitur Angelus. Ita Diu. Gregor. Taumat. serm. 3. de Annunt. ait. *Angelus cum virgine loquitur, vt non amplius cum muliere serpens loquatur.* Adeò potens est cum bonis consuetudo, & familiaritas ad ipsam vitiorum radicem extirpandam. Fit equidem iustorum congressus dæmonibus, & vitijs exitialis, adeò vt impij, etsi in bello cum iustis congrediantur, si tamen cũ iustis congrediantur, ex eo congressu præclarum salutis auspicium soleant capere. Do Micheam cap. 4. sic apud Sept. fantem. *Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ dicentes: insultemus, & videant in Sion oculi nostri: ipsi autem nescierunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos, vt manipulos areæ. Surge, & tritura eos filia Sion, quia cornua tua ponam ferrea, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos; & vouebis Domino multitudinem eorum.* Expende, quod sit consilium Domini in impiorũ prælijs aduersus iustos. Furiunt impij in sanctos, exercitus parant, vt congrediantur cum iustis: at consilium Dei sic prælliatores impios congregat, *vt manipulos areæ.* Quid est congregat eos, vt manipulos areæ? De gentium conuersione locutus, Ioan. 4. ait. *Videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Trahuntur gentes ad Christum, vt manipuli ad aream, vbi expurgatis palleis, munda grana seruentur horreis æternis. Ecce vobis totum consilium Dei in permittendis impiorum prælijs aduersum sanctos, vt si impij congrediantur cum iustis, ex illo congressu, quia congressus cum iustis est, id emolumentum percipiant, vt areæ Dei aptentur, in qua & expurgẽtur, & diuinis horreis asseruentur. Tam salutaris est iustorum congressus. Hinc eleganter admodum D. Prosper lib. 1. de vocatione gent. cap. 33. fatur. *Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie millia senum, millia iuuenum, millia parulorum: & effectibus gratiæ Christianæ, etiam ipsa, quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quidam Ecclesiæ filij ab hostibus capti, Dominos suos Christi Euangelio mancipauerunt, & quibus conditione bellica seruiebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij barbari, dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt.* Seruiũt ergo prælia impiorum diuinis consilijs, quando prælliorum occasione fit congressus inter pios, & impios: quo posito necessum est, vt impij maximam vtilitatem capiant, & consuetudine iustorum discant salutis æternæ veritatem. Id quod ostendebat Angelus ille Persarum Princeps, qui apud Danielem cap. 10. curabat, ne captiuus populus Hebræorum asseretur in libertatem, quia ex iustis captiuis apud Persas sperabat fore, vt Persæ illorum consuetudine exuerent mores barbaros, & veræ religioni approximarent.

Hieron.

Ennod.

Luc. 1.

Gregor.

Mich. 4.

Ioan. 4.

Prosper.

Tex. Et respondens Iesus dixit ad illum. Simeon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erãt cuidam fœneratori; vnus debebat denarios quingentos, & alios quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.

§. XXIII.

Quam pauci diuinæ misericordiæ sollicitandæ dant operam.

VBI de debitoribus faciendus erat sermo, miraberis, quod Dominus duorum tãtũ meminerit: duo, ait, debitores erant. Deus bone! Vtinam non essent amplius, quam millia

lia millium; excedit sane censum debitorum numerus, sed è tot debitoribus, qui Domini sollicitandæ misericordiæ incumbant, qui officijs suis veniam acquirant, rari sunt, multum est, si inueniantur duo. Hinc apud Matth. ca-
Matth. 18. pit. 18. aiebat Dominus. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à patre meo, qui est in cœlis.* Et cur in duorum tantum consensu tam ingentia bona constituuntur? Præclare Diu. Enno-
Ennod. dius epist. 6. inquit. *Credo Redemptorem raritate prospecta, pro mundi salute petituros duos dixisse sufficere.* Rari sunt, qui apparent in vastissimo diuinæ misericordiæ mari; caterua-tim homines in perditionem currunt, nec parum est, si in via veritatis inueniantur bini. *Singulariter sum ego, donec transeam:* aiebat ille; quamuis enim innumerabilis multitudo ciuium inueniatur in patria, verum dum in viâ sumus, dum viam mandatorum currimus,
Psalm. 66. rari inueniuntur, qui currant. Psalm. 66. *Pauper, & dolens sum ego.* Vnde qui dives est in misericordia, se dicit pauperem? Chrysost. in Psal. 9. ait. *Pauper erat, quia nos esuriebat.* Adeò pauci sunt, qui ad Deũ confluunt, vt semper Deus in hominibus habendis pauperem ageret. *Oleum effusum nomen tuum,* dicit sponsa, dum dilecti sui profusissimam pietatem
Cant. 1. considerat. *Sed cur oleum effusum?* Vidua illa Elisæi, vbi fontem olei nanciscitur, nec guttã effundi patitur, sed quæsitis vasis è vicinis, plura vasa implet, & impleta seruat, vt debita soluat, & de reliquo viuat. Cur nos, qui debitores sumus, oleum Christi effundi patimur? Cur non potius in vasis seruatur? Sanè pauci sunt debitores, qui cupiunt pretiosum oleum acquirere, quo pro debitis satisfaciant, rara sunt vasa, quæ applicantur diuino oleò excipiendo, & sic necessum est, vt oleum super
Cellens. effluat, & se se effundat. Pulchrè Cellensis Abbas lib. 3. epist. 12. ait. *Super currit oleum, quia vasa deficiunt. Hic manus dantis largior, & accipientis rarior. Sola hæc ministrorum indignatio, quia pauci sunt, quibus fiat seculorum distributio.* Qui indigeant, innumeri sunt, qui debitores Deo sint, excedunt pulueris numerum, nec capit arena nocentes, at qui dent o-
Isaias 13. peram satisfactioni, rarissimi inueniuntur in mundo. De his dicebat Isaias cap. 13. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Vt enim inter immensas terræ moles inuenitur subtilis auri vena, & inter infinitas fluminum arenas aliquando rara grana aurea inueniuntur; sic inter densissimas hominum perdito-
B. Ael. rum segetes, quandoque apparet vir, qui rationis regulis viuat. Quod explanans D. Aelredus serm. 11. in Isaiam, inquit. *Profectò pretiosior erit vir auro, id est rarior; & homo scilicet, qui secundũ rationẽ, nõ secũdũ bestiæ sensũ viuat, mũdo obrizo.* Rari sunt, qui iustitiæ dẽt operã, nec est res, quæ sic homines pelliciat ad vitia, vt raritas, & paucitas eorum, qui sectantur iustitiam. Num. 23. Balaam vocatus, vt
Num. 23. populo Dei imprecaretur dura, cum primũ Israelitici exercitus multitudinem aspexit, non potuit illi non benedicere. Cui Rex Balac. ait. *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.* Expende impij astrum, quærebat locum maledictionibus aptum, & illũ putat aptissimum, à quo non tota multitudo iustorum videretur, sed pars aliqua parua illorum. Quasi ratus, quod nulla res sic varem in praua pelliceret, quam si pauci, & rari ex iustorum exercitu viderentur ab illo.

§. XXIIII.

Deus ab hominibus bona sua exigit cum fœnore.

NON otiosè dictus est Dominus fœnerator; verè enim fœnerator ipse est, qui bona, quæ dat, non solum petit, sed & cum fœnore exigit. Nunquam nõ in suis muneribus fœnus spectat Deus, adeò vt vel hinc puniat debitores, & seruos, si fœnori reddendo operam minimè nanẽt. Psalm. 103. *In spiritu vehemẽti conteres naues Tharsis.* Vbi naues Tharsis conteruntur, quis iam suam contritionem non expaueat? Quæ rates ira Dei flante, imò reflante portum attinget, quando perduntur Tharsis naues? Illa equidem rates in tanto nauium naufragio, salua erit, quæ acceptas merces cum fœnore, & lucro, Deo reportauerit. Ira enim Dei sæuire desinit, vbi fœnus ex muneribus capit. Ita Diu. Paulinus epist. 4. fa-
Paulin. tur. *Ecce maior Salomon hic. Qui non conteret nos inter naues Tharsis, si illi bono actu vitæ nostræ lucrum (quod est pretiosissimum mercimoniũ Deo) conuehamus.* Redde accepta ex Deo munera cum fœnore; negotiare cum acceptis muneribus, vt ex illis Deo lucrum parias, & secundis ventis, medias inter naufragas naues huius sæculi mare tranes. Is enim est Deus, qui ex suis bonis lucrum semper expectat anxius. Hinc est, quod profusurus vitam pro hominibus, inter alia genera mortis, in cruce suspendi maluit, & cur in cruce suspendi maluit? Vt pateret, quod in sanguine suo exhibendo, non solum donatorem agebat liberalem, sed & mercatorem agebat, qui omnibus suis bonis sub hasta positis, de singulis lucrum ab hominibus exigebat maximũ. Quo spectat Ve-
Venant. nantius in Symbol. aiens. *Ideò Dominus in cru-*

re ſuſpenditur, vt pro captiuitate noſtra pretium ſui corporis mercator in ſtatera penſaret. Omnia in ſtatera pẽſat auarus mercator, nihil ſine ſtatera largitur: quia ex omnibus certũ lucrum, & fœnus cupit reportare. Sic in cruce Dominus mercatorem agit ſub haſta, nihil non ſtatera penſatum largitur, vt nemo audeat tantũ bonum, nullo reddendo lucro, reportare. Scire cupis, quanto ſtudeat fœnori acquirendo ex hominibus Saluator? Cũ ad iudicium veniet, non tàm debita requiret, quàm fœnora; non enim interrogabit, an quod debuimus facere fecimus, ſed an aliquid ſupererogationis dedimus. Non ſi debita ſoluimus, ſed ſi fecimus opera largitatis de noſtris donando. Ait enim Matth. 25. *Eſurini, & non dediſtis mihi manducare.* Id quod notans D. Ambr. lib. 2. de gent. vocatione, c. 2. ait. *Nihil aliud ſiniſtris obijcitur, quam miſericordiæ, beneuolentiæq; neglectus. Acceperant ergo etiam iſti fidem, ſed non ſectati fuerant dilectionem: nec de non ſeruato, ſed de non auctо munere damnabuntur.* O Deum exactiſsimum fœneratorem ſuorum bonorum! Damnat, non quia perdidiſti ſolum, ſed quia non auxiſti, quia ſupra debitum aliquid pro fœnore non donaſti. Quò ſpectat illa Dei incarnati apud Ieremiã querimonia: ait enim c. 15. *Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virũ rixæ*: D. Hieron. etiam legit, *virũ iudicij*. Quippè dolet Saluator ſe iudicem conſtitutum eſſe ad iraſcendum, & damnandum, qui mallet omnes homines ſaluos facere. Timet autem vehementer iram ſuam, vbi ad iudicium venerit. Et cur timet iram ſuam? An quia non inueniendi ſunt, qui debitis ſatisfecerint? Minimè: ſed quia non inueniendi ſunt, qui vltra debita aliquid pro fœnore erogauerint. Etenim ait: *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam.* Vbi D. Hieron. ex perſona Chriſti, ait. *Nullus ſe præbuit, qui digne mea æra ſuſciperet: nec fœnerauit mihi quiſquam in ſanctis, atq; pauperibus conſouendis me ſibi faciens debitorẽ.* Indeſe dolet in iudicio futurum virum rixæ, quia pauci erunt, qui opera ſupererogationis in pauperibus ſouendis habeãt, pauci qui vltra debitam præceptorum adimpletionem, vellent addere erogationem ad pauperes ſuſtentandos, quo neceſsè rixabitur, & iraſcetur diuinus fœnerator, qui vltra debita, fœnus exoptat capere.

Matth. 25. Ambroſ.

Ier. 15. Hieron.

Hieron.

§. XXV.

Diuina miſericordia æque facilis ad plura, ac ad pauciora condonanda.

ET ſi humana ſcelera numero, & grauitate vincas, non te abſperanda venia multitudo deterreat peccatorũ, quãdo et qui quinquaginta tantum, & qui quingentos denarios debebant, eâdem facilitate veniam obtinuiſſe dicuntur. Hominum eſt maiora debita difficilius dimittere; Deus autẽ, cuius miſericordia omni peccato maior eſt; & qui diues eſt in miſericordia, eadem promptitudine, & facilitate plura condonat, ac pauciora. Ioan. 1. aiebat. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Aliter legit Græcus, dicens: *Ecce qui tollit peccatũ mundi.* Ibi peccata pluraliter dicũtur, ne videatur peccatorũ multitudo poſſe exhaurire miſericordiam diuinam: hic ſingulariter dicitur peccatum: quod quæſtionem fecit Theophyl. in Cat. vbi ſic dubitat. *Quare non dixit peccata mundi, ſed peccatum?* An putauit Deum duriorem ad multitudinem peccatorum, quam ad paucitatem? Abſit: imò, penes Deum idem eſt, quod plura, ſiue quod vnum remittat. Sic multitudinem peccatorũ dimittit, ac vnum; & ſic vnum condonat, ac multitudinem. Dauid Pſal. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam. Amplius lauа me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.* Sic petit Dauid miſericordiã, quaſi reũ ſe agnoſcat vnius ſolũ peccati. Dixiſſet ſatius ab innumeris peccatis meis munda me, ſed ille ſolũ ait, à peccato meo munda me. Id quod notans D. Hieron. ep. ad Ruſticũ, ait. *Adulterio iunxerat homicidium, & tamen conuerſus ad lacrymas: miſerere, inquit, mei, ſecundũ magnã miſericordiam tuam: à peccato meo mũda me.* Duobus obſtrictus peccatis adulterij, & homicidij, à peccato ſe petit liberari, & non à peccatis: cur non potius peccata numerat? Cur ſolũ dicit peccatum? Sanè vbi ait, ſecundum magnam miſericordiam tuam, adeò ingẽtem Dei meminit pietatem, vt nihil magis in illa faciant mille, quam vnum peccatũ. Nouit hoc Michæas c. 7. vbi dicit. *Reuertetur, & miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Sic peccata noſtra per pœnitentiam accedũt, quaſi flumina, quæ immenſam pelagi voraginem intrant. Quid ad mare, quod plura, aut pauciora flumina intrent? Sic omnia forbet, quaſi omnia eſſent vnum. Sic in pelago miſericordiæ diuinæ nil magis occupat criminum multitudo, quàm paucitas, æquali facilitate abſorbet cuncta cœleſtis vnda.

Ioan. 1.

Theophyl.

Pſal. 50.

Hieron.

Michæ. 7.

Text. Quis ergo eum plus diligit? Reſpondens Simon, dixit:

æstimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.

§. XXVI.

Inæqualitas mercedis non a Deo prouenit. sed a nobis.

Augusti. VBI textus dicit: *Diligit, siue diliget*, intelligendum est iuxta Aug. mentem & lectionem, verbum præteriti tẽporis, nimirũ, *dilexit*: quærebantur enim antecedentia opera, quibus venia fuerit obtenta. Id quod mihi persuadetur primo, ex adducto exẽplo nõ cuiusc ũq; hominis condonantis, sed fœneratoris. Et sanè, qui multus est in fœnoribus acquirendis, nõ tam inæqualia dimitteret debita, nisi inæqualibus etiã officijs obligatus, quod rectè iudicauit Simon. Rursus id solũ ad Christi mentẽ faciebat, qui adducto exẽplo inæqualia officia Magdalenæ, & Simonis ponderabat, ne sibi imputaretur, quod propensior esset vni, quam alteri. Equidem mercedis inæqualitatem non Deus ex se, sed morum humanarum inæqualitates faciunt. Ad Zebedæi filios dextram, & sinistram pe-

Matth. 20. tentes, ait Dominus. Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram, & sinistram non est meum dare vobis.* Sanè non omninò negat suum esse sedes dare, qui duodecim Apostolis ante mandeuerat, sed negat suum esse tam inæquales sedes suis dare, nimirum dextras, & sinistras, quando ipse ex se æqnali omnes mercede di-

Chrysost. taret. Ita D. Chrysost. hom. de Pet. Fil. Zeb. fatus: *Non ipsius est solius dare, sed eorũ, qui decertant, accipere. Nam si solius esset ipsius, differentes honores non essent: omnes enim ipse condidit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Bonus præmiorũ distributor Dñs, quãtũ est ex se, eadẽ omnibus largitur; nulli minus, sed om nibus æqualia distribuit. Vndè Apoc. 7. *Ex*

Apoc. 7. *tribu Iuda duodecim millia signati. Ex tribu Rubẽ duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati, &c.* Sic vniuersę tribus summã æqualitatẽ in omnibus præseferũt. Et vndè ortũ habuit tanta æqualitas? Hanc ponit, & soluit quæstionẽ Orig. ho. 1. in Exod. fa-

Origen. tus. *Ad quos patres iste numerus referendus sit, tã æqualis, tã integer, tamq; cõpositus, ita vt nullus alio superior, aut inferior numeretur? Apostolus subiecit, cum dicit. Propter quod flecto genua mea, ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Ità que diuinus Pater ex se in coronis, & mercedibus largiendis nullam inæqualitatem facit, omnia singulis proponit, æquales vellet habere filios in honore, & dignitate. Filiorum ingenium est, & meritum, quod inæqualitatem facit, quod alios alijs præfert in dignitatibus. Et sanè meritissimè inæqualitatem mercedis in filiorũ reliquit Pater potestate, ne in illis studium plus placendi sopitum maneat. Genes. 37. *Israel diligebat Ioseph super omnes filios.* Nec id Israeli vitio tribuo, quod *Genes. 37.* non omnes fratres æquales faceret, imò crediderim in quauis domo, siue Republica aliquam oportere esse inæqualitatem, quam faciant filiorum merita inæqualia. Quod sic confirmat Diu. Ambros. lib. de Ioseph, capit. *Ambros.* 2. fatus. *Quid ergo? Reprehendendus Iacob, quia præferebat vnum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filijs resecare debemus studium plus placendi.* Equidem vbi omnia omnibus æqualia necessario futura sunt, omninò studium plus placendi resecatur, & in malæ indolis animis amplior delinquendi licentia datur. Semper enim, vbi nihil speratur, impudentiæ datur occasio. Ecce tibi dæmonis impudentia in Christo tẽtando. Mat-

Matth. 4. th. 4. *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiãt*: rursus: *mitte te deorsum*: insuper: *hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Cur non timet diabolus sic fieri importunus, si forsan accidat, quod veretur, nimirum, quod Iesus filius Dei sit? Pulchrè Imperfectus, hom. 5. in Matth. ait. *Nec timuit cogitans, ne fortè si inuentus fuerit filius Dei, inueniat illi feciſſe iniuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil sibi reliquit, quod speret.* Vbi nihil sperat, nihil veretur, nihil dubitat aggredi. Vndè non otiosè in suæ scholæ initijs permisit Iesus illud Petri. *Quid ergo erit nobis?*

Tex. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hęc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Oculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes

pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Cui enim minus dimittitur, minus diligit.

§. XXVII.

Periculosum est inter virtutum exempla adhuc virtutis studiosum non fieri.

A Principio Dominus Simonis officia desiderabat, nec tamen illi vllum facit verbum; sed tunc illum reprehendit, quando inter Magdalenæ amoris plena officia, ille adhuc ingratus, & murmurator perseuerat. Esto, quod ante non lauerit pedes Iesu Simon, non vnxerit, non fuerit osculatus. Id forsan veliniuriæ, vel obliuioni posit dari. At videns à Magdalena lauari, & vngi, & osculis honorari, non inde iniuriæ suæ pœnitet, non verecundatur se victum fuisse in obsequijs Deo præstandis; quod Dominus vehementer reprehendit. Nec miror reprehensione dignum esse, imò supplicio, qui vel exemplo non mouetur ad vitam mutandam. Matth. 22. intrauerat ille ad regis nuptias, & sordidis vestibus intrauerat, & inter splendentes conuiuas ipse ausus est acumbere prandio. Tunc Rex iratus in hominem, ait illi. *Quare huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Sed, ò bone Rex, te vellem interrogare, quare tam serò irascaris in hominem adeò sordentem? Cur cum primum domus limen attigit, non eiecisti eum? Cur expectasti, vt consideret? Sanè, quod intrauerat sordidus, aliqualem excusationem inaduertentiæ, vel ignorantiæ potuit habere; at quando ibi manens, & videns cæteros omnes conuiuas splendescere; non tamen ad se reuertit, & vel de eorum exemplo sibi cauet, tunc dignè damnatur, & miseratione indignus excluditur à prandio. Hanc eius exclusionis rationem dedit Diu. Cyril. Ierosol. in Præfat. sic ex ore Regis ad illũ fatus. *Anignorabas, qualiamictu ingrediendum esset ad conuiuium? Sit ita sane. Sed cum iam intraueras: vidisti splendida discumbentium vestimenta, nonne te oportuit vel ex his, quæ cernabas, discere? Et iubet ministris: ligate pedes illius, &c.* Vbi ob oculos habes aliorum exempla virtutis, inexcusabilis es, ô homo, si te non conformes illis. Hinc volo aliquantulum pensès, & prudentiam, & virtutem Mariæ Virginis. Decreuerat Deus, è virgineis matris viscerib⁹ Ioannem præcursorem suum inuisere, sed qualiter posset abditissima virgo adduci, vt domo egrediatur, vt longam ineat viam, vt longè distantem cognatam inuisat? Mittitur primo ad Mariam Angelus, qui à cœlis veniens ingressus domum salutauit Mariam, arcanum ei mysterium annuntians. Quid tũc? Vt est cognata Angelis virginitas, Angeli nouit viam, vbi salutationem percepit, statim ipsa & viam arripit, & cognatam inuisit. Præclare D. Greg. Taumat. serm. 2. *Cum festinatione ad Elizabeth cognatam suam contendebat. Et ingressa domum Zachariæ, salutauit Elizabeth, Angelum imitata.* Non potuit non tangi Mariæ sanctitas exemplo Angeli, & vbi vidit ad cognatas virtutes virginitatis aduolare Angelos, statim ipsa aduolat, vt visitet cognatam. Turpè omnino est, & reprehensione dignum consortium exemplo non moueri ad similia virtutum opera perpetranda. Quippè vbi Magdalena peccata defl̃et, Pharisæus oblatrat, tunc ait Matth. quod Iesus, *conuersus ad mulierem, dixit Simoni.* Cur, vt cum Simone loquatur, conuertitur prius Dominus ad mulierem? Quia exempla virtutum in fœmina à Simone contempta, vehementer iram Dei aduersus Pharisæum excitabant. Ita Chrysol. ser. 97. *Quid est, quod conuersus ad mulierem Simoni loquitur Christus? Quia cũ pœnitentem respicit, arguit oblatrantem.* Nulla res sic in te diuinam iram (citra peccata) exacuit, quam exempla virtutum, quæ despicis in fratre. Nouerat id diabolus, qui eodem tẽpore, quo milites Christianos coronis Martialibus redimiri persuadebat, simul faciebat, vt Ethnici milites in honorem idoli Mithræ à talibus abstinerent coronis. Quo id astu faciebat? Sanè vt coronati christiani vehementius iram Dei irritarent, ab ipso ethnicorum exemplo damnati. De quo Tert. lib. de corona militis, sic finit. *Statim creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quædam de diuinis affectantes, vt nos de suorum fide confundat, & iudicet.* Sic ille.

Matth. 22.

D. Cyril.

Greg.

Matth.

Chrysol.

Tertul.

§. XXVIII.

Caucndum, ne accipiat alter coronam nostram.

PVLCHRE Magdalena in domo Pharisæi diuinam prærripit gratiam: quando enim à debitis officijs Pharisæus abstinet, intrat mulier, quæ omnia implens, coronã desiderosi sibi accipit. Quippè etiam in donis diuinis verum habet illud Horatij. *Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.* Subiectæ sunt furibus coronæ iustorum, quando

Horat.

Dominus dicit, quod & ipse ad nos veniet tãquam fur. Cur tanquam fur? Quia & pijs furibus suffragabitur, desidiosorum illis coronas ascribens. Hinc bene aiebat D. Paulinus epist. 4. *Si vel in domo Pharisæi audiam iustum venisse, contendam prærripere hospitis gratiam, prærripere, si possem, Regna cælorum.* Sunt equidem omnes viri pij fures cœlestium coronarum, væ qui desidia torpet, væ qui pro tanto thesauro seruãdo minimè vigilat, in fures incidit, à quibus misere spolietur. Et quidem Christi Ecclesia non aliter ditat suos, nisi quod ex prædis, ex furto viuant, quando ait Prou. 30. *Deditque prædam domesticis suis*: quod prædatus fuerit solum accipiet domesticus fidei; caue tibi, qui inter hos prædones thesaurum habes cœlestem in vasis fictilibus. Impie, sed verè ignorantes Iudæi, vt celarent Iesu resurrectionem, dicebant custodibus monumenti. Matth. 28. *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Et verè dormisti Iudæè, quando cœlestem thesaurum inter latrones posuisti, quid inde reliquum erat, nisi quod pius latro, quod pietissimi prædones tibi coronam salutis prærriperent. Eleganter D. Chrysol. ser. 37. *Erras Iudæe: ipse se furatus est, qui videbatur occisus, sed miror, quod Iudæus Christum requirit, quem inter duos latrones feraliter collocarat: committit. male, custodit impie, iniquius quærit.* Thesaurum inter latrones ponis, & dormis; & quæris illum? Equidem dum in præsenti vita sumus, inter latrones degimus, & latrones pijssimos, qui coronas nobis prærripiant, si oscitamus, si dormimus, si vel paululum à debito vitæ cursu decidimus. Apud Lucam cap. 10. *Homo quidem descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum.* Qui Ierosolimis agebat dies, & ornatus, ecce tibi cum primum descendit ab alto illo tramite vitæ, latrones adsunt, qui omnia ei gloriæ ornamenta prærripiant. Sic D. Basil. concione in Laticis. *Ab altis igitur ad inferna venit homo, vt in prædones incideret.* Proh cœlestis semitæ periculũ! Ex rapto viuitur; tene quod habes, ne accipiat alter coronam tuam, si ab alto deflectas, si deorsum vergas; ecce quam protinus alter tuum occupat locum, vt tuam coronam accipiat. Zaram primogenituræ Abrahami pene inauguratus ab vtero matris manum exerit primus. Gen. 38. cui appositum signum obstetrix dicens; *Hic exiet prior.* Nihilominus tamen adhuc illo in vtero ãgente, exit prior Phares, cur Phares prior exit, cum Zarã primus contenderit exire, & manum emisserit? Sanè quam misit manũ retraxit Zara. Et vbi ab incepto destitit, protinus Phares occupat locum illius, primogeniũq; prærripit. Pulchrè D. Ambr. lib. 3. in Lucã. *Vt autẽ manũ reuocauit puer in matris vterum, statim exiit frater eius.* Nõ frater à fratre, nõ hospes ab hospite tutus si dormitet.

D. Paulin. Prouer. 30. Matth. 28. Chrysol. Luc. 10. D. Basil. Genes. 28. Ambros.

§. XXIX.

Is verè amat Deum, qui nescit cessare ab amoris operibus.

MAGDALENAE facinorã referẽs Dñs ait, quod rigauerit lacrymis pedes suos, quod vnguẽto vnxerit, verũ vbi eius memorat oscula diuinis impressa pedibus, mutata frasi inquit, *ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Equidẽ verè Dei amatorẽ ánimũ definit, qui paucis amoris sui signis contentus nõ quiescat; sed potius cessare nesciat ab his operibus, quæ intimũ animi affectũ manifestãt. Illa verè Dei amatrix, Cant. 1. apud Sept. aiebat. *Osculetur me ab osculis oris sui.* Quod meditãs D. Ambr. lib. de Isaac, c. 3. inquit. *Nõ vnũ osculũ quærit, sed plura, vt desideriũ suum possit explere. Quæ enim diligit nõ est vnius osculi parcitate cõtenta, sed plura exigit, plura vẽdicat. Denique & illa in Euangelio sic probata est. Quia nõ cessauit, inquit, osculari pedes meos, & ideò dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multũ.* Nescit amare Deũ, qui inuenit in amore finẽ, qui ponit amoris sui mensuram; vnus est diuini amoris affectus, qui nunquã sufficit, qui nunquã cessare nouit. Psalm. 104. ait. *Quærite faciẽ eius semper.* Quomodo semper? D. Aug. *Vt nõ huic inquisitioni, qua significetur amor, finẽ præstet inuentio, sed amore crescẽte inquisitio crescat inuẽti.* Nullis finibus coarctetur amor, nouis sẽper insistat operibus, vt Christi lucrũ faciat; efficax est charitas, quæ solet diffundi in cordibus humanis; nullo quiescit opere, sed multiplici se operatione quotidie acuit. Vt dicat D. Greg. lib. 10. Moral. *Cũ vna eademq; sit charitas, si mentem plenè cæperit, hãc innumera opera multiformiter accendit.* Multa semper est charitas in operando, quicũq: charitate impletur, fallar, si nouerit quiescere, si vna, aut alia operatione quiescit satiatus. Apocal. 2. ad Ephesi Angelũ dicit Dominus. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui sedicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti, propter nomen meum, & non defecisti; sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuã primam reliquisti.* Inter tot virtutes vnicus charitatis primæ defectus objicitur, vna charitas desideratur; quid ergo? *Memor esto, itaque*

Cant. 1. Ambros. Psal. 104. Augustin. Greg. Apoc. 2.

itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Expende illud, *& prima opera fac.* Sola prima charitas desiderabatur, multa alia bona opera aderant, & nihilominus cum primæ charitatis desiderium resarcire cupit, non primum opus, sed prima opera exigit. Nescit charitas mentibus nostris inesse, nisi
Cant. 2. operationum multitudine fulgens. Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non sustinet amor esse, nisi fructibus stipatus, & floribus, instar fœcundissimæ arboris: quippè communes plantæ flores habẽt, & post flores ad fructus deueniunt: sunt autẽ aliquæ prestantissimæ arbores, quæ simul & fructus, & flores habent, & simul fructuum messem offerunt, & reflorescunt ad alios, ne vnquam viuida eorum virtus otiosa maneat. Sic cyprus arbor: sic amor diuinus nostris insitus animis nescit otiari, & fructus simul, & flores habet; non quiescit vnis exhibitis operum fructibus, sed cum semel fructificat, iam se accingit ad illos, & alios fructus præstãdos.
Eccles. 39. Huc spectat illud Ecclesiast. 39. *Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Quasi Lybanus odorẽ suauitatis habete. Florete flores quasi lilium,* &c. Ad fructus loquitur, & ab illis petit, vt fructificent, vt floreant; vbi tales inueniẽtur fructus, à quibus flores expostulare possis, cum fructus potius sint florum ruina? Sanè is est diuinus amor, cuius fructus, & flores, & alios semper fructus parturiũt; is est diuinus amor, qui & albentibus messibus, & exortu floris nouo simul viget, adeò vt nequeat otiosus esse, sed primi bonorum operum fructus sint flores ad alios exhibendos.

§. XXX.

Perfectissimus dolor de peccatis nullum terminum sibi præscribit in satisfactione peragenda.

PROH nobilis Magdalenæ pœnitentia! magna equidem velut mare contritio tua, cum & à proprijs vapulas fluctibus, & in immensum porrigis satisfactionis terminos. Contentus est peccator, qui vel lacrymis lauat crimina, vel misericordiæ dat operam, vel religioni incumbit, paucis semper operibus præscribens sibi terminũ. Verum Magdalena, & lacrymatur, & capillorum fuscat pulchritudinem, & pretiosa vnguenta in Dei obsequium profundit, & pedes Domini osculari non cessat. Sic qui perfectè dolet de peccatis, incessanter doleat, sine termino contritionem suam manifestet. Sanè Dauid, 1. Paralip. 21. correptus à Prophetâ de censu populi, *peccaui nimis*, ait, ingentemque animi sui dolorẽ ostẽdit. Cui statim Dominus: *Triũ tibi optionem do: vnum, quod volueris, elige.* Proposita namque fuit Dauidi pro peccato vel fames, vel pestis, vel bellum; ipse verò dolens, sed summe confidens in Deo, pestem elegit. Miraberis tantum pœnitentem vno fuisse supplicio contentum? Cur Dauid è tribus supplicijs propositis saltem duo non eligis? An peccatum non merebatur omnia illa? Et peccatum merebatur omnia, & id Dauid recognoscebat, & non solum tria, sed incessanter supplicia omnia sumeret, nisi à Deo ipso cohiberetur. D. Ambros. Psalm. 37. ait. *Elegisse quidem lego sanctum Dauid flagelli genus, quod æquanimiter sustineret; sed elegit, quia de tribus et conditionibus, vnius eligendæ necessitas mandabatur. Vbi autem non mandatur; ad omnia paratus est Dei seruulus.* Debuit nobilis pœnitẽs diuino coerceri præcepto, vt vnico pœnitentiæ, supplicijque genere contentus subsisterẽt; alioquin nullum castigationis faceret finem. Sic qui verè dolent de peccatis, nullis sumptis pœnis frãguntur, sed semper & vbique pœnitentiæ faciendæ student. Quas pœnas non pertulerant inclyti illi iuuenes Hebræi, qui in Regis Babylonij palatio seruiebant? Quas preces non fuderant Deo suo? Quæ ieiunia non exoluerant, inter regias dapes cõtenti leguminibus? Quas tyranni iras non sustinuere, quia adorare auream statuam nolũt? Tandem ligantur, & infornacem ardentem conijciuntur: ecce vobis in flammarum medio sunt, & in medijs flammis lamentum pro peccatis adhuc fumunt. Dan. 3. *Et ambulabãt, in medio flammæ laudantes Deum. Stans autem Azaria orauit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait.* Quid in medio ignis oraret? Quid post tot tormenta diceret ad Dominum suũ? *Iudicia vera fecisti iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim, & iniquè egimus.* O Bone, si peccasti, etiam ieiunasti, etiam orasti, & persecutionem tulisti, & vincula, & inter flammas degis, cur adhuc lamentis instas? Cur adhuc peccati representatione affligeris? Nescit bonus iuuenis pœnitentiæ suæ ponere finẽ. Pulchrè Diu. Cypr. lib. de Lapis. *Tres pueri quominus exomologesim facerent Deo, nec inter flammas, & camini exæstuantis incendia quieuerunt. Et Domino satisfacere, nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria destiterunt. Loquitur scriptura. Stans, inquit, Azarias precatus est, & apperuit os suum, & exomologesim faciebat Deo in medio ignis.* Non ieiunia, nõ vin-

cula, non flammæ potuerunt satisfaciendi pro peccatis famem satiare. Quod exemplum iure me ducit in sanctissimum Iob. Is omnibus spoliatis bonis, filijs orbatus, à planta pedis vsque ad verticem capitis verberatus, cap. 2. *Testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Cur Iob noua ingenia malum exacerbandi requiris? Cur non satiatus pœnis, testam ad carnes radendas, vel rodendas addis, & in sterquilio sedes? Sessio in stercore pœnitẽtis ostendit habitum; & vbi Iob se peccatorẽ meminit, nullis asperitatibus satiatur. Apollinarius in Cat. Græc. ait. *In sterquilinio, quod in conspectu vrbis erat, considebat, Deumque exorabat, ob ea fortasse, quæ per inscitiam peccarat, cupiebatque sibi vindicem in his sordibus iacenti fore propitium.* Timet peccata, & nullis sordibus parcit, quibus possit Deo satisfacere.

Iob. 2.

Apollin.

§. XXXI.

Popularis plausus fugiendus est, & iactantiæ verba.

QVAM cauet Dominus vbique auram popularem! Ipse propria auctoritate, qua Deus erat, & Saluator mundi Magdalenæ peccata dimittebat, tamen in tanta prinpum frequentia maluit demissius se gerere, nec ait, ego dimitto tibi peccata tua, sed dimittuntur ei peccata multa, vt vel iactantiæ suspitioni omninò ostium clauderet. Similiter Ioan. 11. aiebat: *Lazarus amicus noster dormit, & ego vado, vt excitem eum.* Rursus nõ intelligentibus discipulis repetit. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos.* Cũ illum quasi dormientem proponit, ingenuè ait, quod ipse excitabit eum; non enim magnum sibi attribuere videbatur, quod diceret à se dormientem excitãdum. Verum cum apertius loquitur, fatetur que Lazarum vita functum, quod restabat, silet, nimirum, quod ipse daturus esset illi vitam, vt nobis modestiæ, & summissionis præberet exemplum. Ita D. Basil. Sel. in serm. de Laz. inquit. *Dum ait, Lazarus dormit, subdit: & ego vado, vt excitem illum. Cum autem dicit mortuus est, non apponit illud: & ego vado, vt exsuscitem illum: vbique enim ab inanis gloriæ, & iactantiæ studio abducit.* Vbique suas virtutes Dominus celat, vbique minuit magnalia operum suorum. Similiter apud Lucam cap. 8. puellæ defunctæ refusurus vitam, ait. *Non est mortua puella, sed dormit.* Maluit mortem, quæ cito fuganda erat, vocare somnum, vt sic vel vocabulo obtegeret facinus, quod ad gloriam, & laudem sui nominis maximè faciebat. Vndè eleganter Sedulius lib. 3. Paschali cap. 12. fatur. *Cunctis corpus videbatur extinctum, soli Christo, qui ad vitam venerat largiendam, sopor apparebat infusus. Et hoc ad eius gloriam pertinuit singularem, quod defunctum dixerit dormientem, vt admirabilia facta virtutũ monstraturus, minus se donare pronuntians, quã donabat, humanæ laudis declinaret iniuriam.* Ita que vbique signa præfert Dominus modestiæ suæ, vbique celat opera, ex quibus partu rire solent laudes humanæ, sicque à laudibus cauet, quasi ab iniurijs illatis. Imò, qui tormentorum iniurias sustinet, lenocinantis laudis iniurias expauet, & docet nos, minimè nostra facinora prædicare, exaggerare. Et quod mirere magis, non solum in gratiæ temporibus hæc nobis modestia commendatur, sed etiam in lege: vbi enim Moyses rubi signoclarus, in liberatorem Israelis electus, profectionem in Ægyptum parat, ait socero suo. *Vadam & reuertar ad fratres meos, in Ægyptum, vt videam, si adhuc viuant.* Ecce viri modestiam, non loquitur magnalia, non miracula rubi manifestat, non in Ægyptios acceptam effutit potestatem, ad magna iturus, vt Israelem liberet, & Ægyptum perdat, solum ait, ibo, vt videam, si fratres mei viuãt. Ruper. in Cat. fatur. *Non dixit vadam, vt fratres meos educam de Ægypto, iuxta imperium eius, qui mibi apparuit: sed secretum hoc tenuit, vadam, inquiens, ad fratres meos, vt videam, si viuant. Non enim suam, sed Dei gloriam quærebat: quam ille satis opportuno tempore, sine vocis suæ nũtio visurus erat. Igitur quicumque hunc imitatur, huic superfluum sit propalare gratiam sibi collatam coram hominibus, vt videantur ab eis, sed opportunum tempus expectet, donec vltro clarescat secretum Dei, & opportunè luceſcat lux eius coram hominibus, vt videant, & glorificent Patrem Deum, qui in cœlis est.*

Exod. 4.

Rup.

Ioan. 11.

Basil.

Luc. 8.

Sedul.

§. XXXII.

Insignia virtutis opera a charitate in Deum proficiscuntur.

POST tot insignia pœnitentiæ, & religionis, & sæculi contemptus opera numerata pulchrè asserit Dominus multo Magdalenam Dei amore sanciam. Ais namque, ô Domine, Magdalenam plorasse, vnxisse pedes, eos fuisse osculatam, & statim infers, *dimittũtur ei peccata multa, quia dilexit multum*; formalius inferres à dictis, remissa fuisse peccata, quia plorauit, quia capillis tersit, quia vnxit vnguento. Sed vbi maxima refers virtutum facinora, præclare agnoscis imperium charitatis, quæ sola tanta virtutum culmina poteſt

Ad Rom. 8 teſt parere. Fidenter Paul. ad Rom. 8. dicebat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? an angustiæ, an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Vide ex aduerſo charitatis qualem hoſtium cuneum proponit; omnium duriſsima, & acerbiſsima in certamen vocat, cur & aliorum non meminit inimicorum, ſcilicet, diuitiarum, cultus, voluptatis, & ſimilium? Parua hæc ſunt ad charitatis duellum, quæ cum duriſsimorũ omniũ culminibus confligere poteſt, & duriſsima quæque ſuo ſubiugat imperio. Chryſoſ. hom. Chryſoſ. 63. ad Pop. *Non dixit pecuniæ, an diuitiæ, an ornatus; hæc enim valde vilia, & deridenda ſunt. Sed quæ videntur eſſe grauia, poſuit, fames, perſecutiones, mortes, & illa quidem, & hæc tanquam nihil eſſent, contempſit.* Quippè nobilis hæc virtutum Regina charitas ſemper ponit in arduis locum ſuum: neſcit viuere, niſi inter celProu. 21. ſiſsima facinora iuſtorum. Prouerb. 31. de muliere forti dicitur. *Accinxit fortitudine lũbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Ecce tibi in forti muliere, in brachio, & manu roboris & fortitudinis arma ſunt, in digitis fuſus. Magna, & ingentia facinora in brachio ſedem habent, parua, & minuta opera deliteſcunt inter digitos. Vtra iſtarum partium, nempè brachij, an digitorum charitati ſedem parabit? Aſsidebit ne charitas fuſo, vt inter calathos agat? Hoc faceret turpis, & effœminatus amor, qui & Hercules mundiales ad fuſum coegit, & ſedere fecit inter calathos puellarum. At charitas ſancta mentibus noſtris infuſa, & effuſa, non digitos fuſi, ſed fortiſsimorum facinorum brachia ſibi petit dari. Ait enim: *Pone me, vt ſignaculum ſupra cor tuum, ſignaculum ſupra brachiũ tuũ.* Cant. 8. Non in digitis, vbi fuſus; ſed in brachio vbi robora, vbi celſa ſunt facinora, ibi diuinus amor petit locari, qui vbicumque eſt, ſemper Bernard. ſpirat ad magna. D. Bernard. ad ſororem, ſer. 51. ait. *Super cor, & ſuper brachium ſponſæ dilectus, vt ſignaculum ponitur, quia in ſancta anima, quantum ab ea diligatur, & actione deſignatur, quia amor Dei nunquam eſt otioſus. Si verè eſt amor, magna operatur.* Scit ſolus Dei amor in magnis ambulare, manus mittere ſemper Prouer. 8. ad fortia; Prob. 8. ſapientia poſt conſtructã domum; *miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Ancillulæ citius vocarent ad fuſum, vocarent ad calathum; ſed nouit Dei ſapientia, quas mittat ancillas ſuas, nimirum Dei, & hominum charitates, quæ vbicumque ſunt, neſciunt niſi ad fortia vocare; adeò vt hinc cenſeatur, ſi ad ſit Dei amor. D. Laur. Ita Diu. Laur. Iuſtian. de Char. c. 3. ait. *Amor Dei nunquam otioſus eſt, operatur magna, ſi eſt, ſi autem operari renuat; amor non eſt.* O quam faſtidit parua Dei amor, qui ſemper mente ſua mollitur magna. Apocal. 3. exaggerat Dominus inſignia facinora Angeli Philadelphiæ, Apoc. 3. dicens: *Seruaſti verbum patientiæ meæ.* Quod eſt verbum patientiæ Chriſti? An fuit verbũ vnum adeò potens, quod vniuerſa patientis Chriſti opera imperaret? Fallor, niſi hoc verbum fuerit charitas: ita Rup. ibi: *Seruaſti verbum patientiæ meæ, id eſt, verbum, propter quod paſſus ſum. Quod eſt illud, niſi dilectio?* Rupert. Equidem ſolus dilectionis nutus in talia facinora poſſet impellere.

§. XXXIII.

Humilitas Dei amorem adauget.

MIROR, quod peccatrix mulier tam ſubito in tantam diuini amoris celſitudinem creuerit, quod abſolutè dicatur à Deo dilexiſſe multum. Modo tota in peccatis, iam in diuino amore multa? Equidem ſic diuini amoris peruolat ad culmen, quæ ſe nouit deijcere ad pedes diuinos. Apoc. 4. in circuitu diuinæ ſedis erant, *ſedilia vigintiquatuor: & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes.* Apoc. 4. Hi omnes pleni gloria, & maieſtate nulla verba dabant, nec vllum affectum voluntatis exprimebant circa agnum, quantumuis illum tota anima ſua amarent. Verum vbi ventum eſt ad libri apertionẽ, tunc cap. 5. *Vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas adoramentorum: & cantabant canticum nouum dicentes: dignus es Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es.* Ecce quot amoris ſigna, & odores ſpargunt, & noua effingunt carmina, & dulciter canunt. Vnde tam ingentes amoris flammas concipiunt, quas tot iiuuilis, tot canticis, tot odoribus cogantur explicare? Expende illud: *Ceciderunt corã agno:* Quippè vbi ad pedes ſe dimittunt agni, neceſſum erat, vt in immenſum creſcerent amoris diuini flammæ. Ita Diu. Ambroſ. ibi: Ambroſ. *Quantum ſe per humilitatem deijciunt, tãto amplius in amore eius exardeſcunt, quia humilitas, quæ fit in conſpectu Dei, nutrit amorem Dei.* Paruulum eſt diuini amoris humilitas; quo quis ſe minuit, ſe deijcit, ſe exinanit; eo magis accẽdit inhabitantis charitatis flammas. Vis, charitatis viuidiſsimam formam tibi oſtendam? De illa Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis,* Cant. 8. *atque flammarum.* Ignea lampas eſt charitas, quæ neſciat creſcere, niſi de cineribus eius, cuius animum depaſcit. Rediguntur arbores in cineres, in fauillas, cum flammas nutriunt

in immensum quę excrescere faciunt; sic necessum est, vt cinis, & puluis fiat, quisquis flãmantes charitatis suæ pennas in altum velit concitare. Quanta Habrahami charitas in Deum fuit, quando proprio filio non parcebat, vt eum Deo litaret? Sanè Dei Patris charitatem inde extollit Paul. ad Rom. 8. quod, *proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Tãta ergo Habrahami charitas fuit, vt ardentissimæ Dei charitatis imitatrix existeret. Sed vnde peruenit ad tantum culmen charitatis? Ex eo, quod se in conspectu Dei humiliauit, & vsque ad fauillas deiecit. Gen. 18. aiebat Habraham: *Loquar ad Dominum, cũ sim puluis, & cinis.* Cinis fit vir sanctus, in quo statim ingentes charitatis vires agnouit Diu. Laur. Iust. de charit. cap. 3. fatus. *Ignis in puluerem redigit, illud idem facit charitas, loquar ad Dominum, ait Habraham, cum sim puluis, & cinis.* Ecce tibi, & ignis, & charitas nesciunt crescere, nisi de cineribus, nisi de exinanitione eius, in quo manent. Huc respiciebat Isaias cap. 62. aiens. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor, iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* Cupit Propheta in mundo fieri ingẽs illud charitatis opus ante sæcula prędestinatum, & ab origine mũdi promissum, nimirum, quod factum est, vbi Deus, *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo,* propter nimiam in homines charitatem. Expende modo, quam eleganter de exinanitione per charitatem loquatur Isaias, dicens quod, *Saluator, vt lampas accendatur.* Bene vt lampas emicat, & splẽdet charitas Saluatoris, quando de exinanitione, de subiecti sui cineribus ingens incrementum capit; & tunc ardentiores emittit flammas, quando, *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quo enim se deiecit in cruce Dominus, eo amplius charitatẽ suam quoad nos auxit. Et Synagoga, quæ charitatem diuini Sponsi in Ecclesiam inuidens, eum turpissimæ morti tradidit, potius studuit augmento, quando in humiliato animo maiorem fortitudinem accipit charitas. Ita Chrysol. serm. 164. *Synagoga occidit Christum, si vel sic amorem furibunda valeret extingere, sed ex merte totum resurrexit in Ecclesiæ coniugium Christus, vt probaret charitatem morte non separari, sed crescere.* Ea est charitas, quæ de sub pedibus exurgat in flammas, quæ tunc maius incrementum accipit, quando qui illam habet, profundiùs se nouerit humiliare.

Ad Rom. 8

Genes. 18.

Laur. Iust.

Isaias. 62.

Chrysol.

§. XXXIIII.

Iuuentutis excessus sæpissimè diuitias præferunt maturioris ætatis.

SÆPE grandioris ætatis fructus ostenduntur per iuuentutis excessus, si liceat ad maturitatem peruenire. Amoribus tota dedita Magdalena, nil nisi luxuriantes amores parturit, dum iuuenili flore nitet. Adoleuit tamen felix planta inserta pedibus Christi, cuius doctrina, & opera sic exculti eius amore sunt, sic castigati, vt ad maturitatem perducti in dulcissimos, copiosissimosque fructus exurgant. Etenim ait: *Dilexit multum.* Exsiccata luxuries est, ablata acerbitas, & amor maturauit. Isaias 27. *In die illa vinea meri cantabit ei.* Isaias. 27. Quid est vinea meri cantabit ei? An non male audit vinea apud Isaiam? An non vineæ partus primi acerbissimæ vbæ sunt: vnde cantus inter tam acerba initia? Expende Prophetę verba; *vinea meri cantabit,* fundet vinea dulcissimum vinum, & quia vina fundet, etiam acerbitates eius gratæ sunt, & omni plausu digna, quando ad maturitatem perductæ prętioso liquore Christi turcularia perfundent. Non equidem contemnendæ acerbitates, quę maturæ vindemiæ ferunt auspicium: hi sunt iuuenum excessus, ait Origen. hom. 19. in Matth. *Acerbescunt, quando malitia est in iuuentute, non autem permanet, sed necessario superuenit propter ætatem, sed, vt ita dicam, semper ad virtutem pergens.* Vt vba acerba vineis, sic excessus iuuenibus bonæ indolis accidunt: qui bonus affectus non acerbescit in iuuentute? Ibi amor luxuriat, iustitia furit; vba fellis vba eorum, & botrus amarissimus. Quid ergo repellendi sunt dulces fructus propter acida initia? Absit: imò acor ille, & acerbitas prospicienda, vt quæ ferat auspicium maturioris ætatis diuitijs. Pulchrè dicebat Diu. Synesius lib. de Regno. *Non de iuuenili ætate despero cuiuslibet illam incrementi capacem esse; tantum ipsam aliquis ad virtutis æmulationem stimuletiuuentus siquidem valido vtrimque momento prægrauatur, vti flumina, quà via facilitas datur, impetu vehementiori prorrumpunt.* Papę, si iuuentus excolatur, si stimuletur, luxuriantes in vitia vires ad virtutem conuertit, & in prę maturos fructus multiplicat. Accipite ingenuum iuuenem Moysem: is Exodi 2. *Egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Proh adolescentis facinus! Sic sanguinarius in homines existit Moyses? Vbi est illà ingens virtus animi, & iustitia, qua placuit Deo, vt eligeretur in ducem populi? Homicidium video, quomodo in

Origen.

Syneſius.

Exod. 2.

do in homicidio iustitiam videre possum? Sanè acerbescunt in iuuene virtutes, & pampinis luxuriantibus, maturioris ætatis præferunt diuitias, si excolantur. Eleganter Diu. Augustin. Augustin. 22. contra Faustum, cap. 70. ait. *Animæ virtutis capaces, ac fertiles præmittunt sæpè vnia, quibus hoc ipsum iudicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic enim, & agricolæ, quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas prorigare frumentis aptam esse pronuntiant: sic ille animi motus, quo Moyses fratrem inultum esse nõ pertulit; non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat.* Hi sunt sæpissimi iuuenum excessus, qui exculti, & maturati ingentem pariant Domino vindemiam; repleantq; omninò fructibus torcularia Christo. Talis Act. 9. erat ardor ille Pauli adolescentis, qui Act. 9. *Adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum, &c.* Quid plura? Dum amplius furit, dum iter arripit, media via adest Saluator, & Paulum vocat, in terram deijcit, vt super astra sublimet. Quid agis Domine? Quem vocas? Furentem vides, & ad te trahis? Luxuriabat zelus in iuuene, qui excultus aptissimus esset Christiano mundo. Augustin. supra, ait. *Saulum Ecclesiã persequentem de cælo vocauit, prostrauit, erexit, impleuit, tanquam percussit, amputauit, inseruit, fœcũdauit. Illa namque Pauli sæuitia putans officium Deo se facere, tanquã siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis inditium.* Hæc ille.

Tex. Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata tua. Et cæperunt, qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

§. XXXV.

Vna Dei fides macerationes, & pœnitentiæ opera potest carneis cordibus persuadere.

VNDE homo carneus se se ferro mactãdum tradet? Quis delicatam peccatricẽ in sui lanienam coget? Sanè fides diuina, qua Deo credimus, hæc flammantibus oculis aquas, mellitis labijs felles, totique voluptuosæ carni mortificationem indicit, & suadet. Vndè meritò D. Paulinus epist. 4. de Magdalena se se ad pedes Christi excruciante fatur. *Non tanto ambitu seruitutis, & impendij, & lacrymarum remissionem peccatorum speraſſet, nisi Deum crèdidisset in Christo.* Vna illa fides, qua Christum Deum esse credebat, potuit Magdalenam in tot sui corporis lanienas ferre. Mirari soleo in sanctissimo viro Iob, tempus abundantiæ, quando petra fundebat illi riuos olei, quãdo vallata à Deo vniuersa eius substantia est, quando ipse pulcherrima filiorum corona cinctus placidam agebat vitam. Tunc video sanctissimum virum solicitudine discruciari, audio eius antelucanas vigilias, & preces, & sacrificia. *Consurgens diluculo* Iob. 1. *offerebat holocausta per singulos: dicebat enim: ne forte peccauerint filij mei.* Cur dubia peccata filiorum in Iob causant ingentem adeò solicitudinem? Cur eliciunt tam matutina suspiria? Cur antelucanam à somno excitationem inferunt? Vna veri Dei notitia tantum ambitũ seruitutis pro filiorum delictis in sanctissimi viri animo inscripserat. Didimus in Cat. Didimus. Græc. fatur. *Quemadmodum ille dixit, de nocte ad te, de mane vigilat spiritus meus, ô Deus: ita Iob nullam aliam ob rem, nisi propter Deum de mane surgebat, vt illi sacrificium pro liberis factitaret.* Cur delicatus, & nobilis vir antelucanas subiret vigilias, nisi Deus verus eius afflaret animum? Audio etiam molles Niniuitas durissimè se se macerantes, omnia fletu lamentisque replentes, & quæ res à mollissimis viris, tanta macerationis opera potuit elicere? An mors imminens? An ciuitatis pulcherrimæ instans euersio? Solus verus Deus, dum innotescit ipsorum animis, illis tantam carnis lanienam persuasit. Accipite Ionæ c. 3. *Et* Ionæ. 3. *cæpit Ionas introire ciuitatẽ, & clamauit, & dixit: adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. Et crediderũt viri Niniuitæ in Deũ, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Non ait, & crediderunt Niniuitæ imminens excidium, & expauerunt ruinam properantem, & ideò cucurrerunt ad ieiunia, cucurrerunt ad saccos. Sed notanter posuit, quod post auditam ruinam. *Crediderunt in Deum*, qui solus innotescens hominibus, potuisset illos impellere in asperimæ opera vitæ. Sic qui Dei gustu saporantur, bellum acerrimum publicant aduersus carnem, & sanguinem. Eezech. 3. ait. *Spiritus* Ezech. 3. *quoque leuauit me, & assumpsit me: & abij amarus in indignatione spiritus mei.* Cur vbi leuatus, & assumptus est à diuino Spiritu, vt magnalia Dei videret, amarus, & indignãs abijt? Cur non potius dulcis, & gratus? Diu. Greg. hom.

Gregor. hom. 10. in Ezech. in sinuat causam, aiens: *Si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum; quæ incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis: huic in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet. Rixatur secũ de his, quæ male egisse se recolit: & ipse sibi ipsi iã displicet; cum ei ille iam placere cœperit, qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, & punit flendo de factis.* Has libens arripit amaritudines ille, qui Dei halitu afflatur.

§. XXXVI.

A fide diuina scaturiunt pœnitentiæ fontes, qui ignea peccatorum tela extinguant.

DVM audis Magdalenam saluam factam à fide, ne tantum tribuas fidei, vt in illa sola salutem putes fuisse constitutam. Est quidem salus à fide, quia in fide sunt radicatæ viuidæ venæ salutis, nimirum pœnitentiæ, & aliarum virtutum scaturigines, quibus peccatorum incendia penitùs extinguntur. Vbi trium puerorum fides ad flammantem Nabucodonosoris fornacem accedit Dan. 3. sic illos aduersus flammas armauit. Etenim aiunt: *Peccauimus; inique egimus*: quasi de fluuio pœnitentiæ remedium quærerent aduersus ignẽ. Dan. 3.

D. Cyril. Accipite D. Cyril. Ierosc. cathec. 3. ita fantem. *Qui cũ Ananiæ erant, quales effuderunt fontes? Quot vasa aquæ quadraginta nonem vlnarum flãmam extinguere potuerunt? Sed vbi ascendit flãma, illic fluuiolum effudit fides, & illi dixerũt pro remedio malorum: iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti: peccauimus; inique egimus. Et pœnitentia dissoluit flãmas.* Sanè fides occurrit flãmis, sed occurrit non per se ipsam solã, sed adaperta pœnitentiæ scaturigine, cum lacrymarum, & cõpũctionis fluuiolo. Ait Iesus Magdalenæ: *Fides tua te saluam fecit*: vbi erat Magdalenæ fides? Erant illi fluentes lacrymæ, erãt ardentia suspiria, erant oscula Christi plantis infixa, erat vnguentorum effusio: hæc signa sunt dolentis, & amãtis fœminæ, vbi sunt signa fidei? Equidem fides erat, à qua tanta lacrymarum scaturigo: vbi enim fides adest, & lacrymæ scaturiunt, & pœnitentiæ fontes erũpunt, qui peccatorum flammas extinguant.

Hieron. D. Hieron. aduersus Luciferianos, inquit. *Indubitata ad Deum fides ardue reperitur: v. g. ad orationem assisto, nõ orarem, nisi crederem; sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem.* Ecce tibi, quibus armis vera fides peccatum exturpet, in lacrymis, in tunsionibus, & similibus. Hæc fides Magdalenæ salutem offerebat: fides, inquam, quæ stimulos applicuit, quibus tot lacrymarum riuuli dimanarunt. Nonne vides Magdalenam ad Iesum currentem, Iesu pedibus prostratam, largos ex oculis nimbos emittere, ingentia suspiria halare? Vndè hilaris quondam fœmina currit ad lacrymas? Currit ad suspiria? Adhibitum est fidei diuinæ calcar, applicati sunt fidei stimuli, & quia durum esset contra stimulum calcitrare, maluit mollescere in lacrymas, vt ignita diaboli spicula extinguat. Quò spectat Tertul. lib. 4. contra Marc. aiens. *Pœnitentiæ stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide iustificatam ab eo audit, fides tua te saluam fecit.* Tunc solum nouit fides salutem præstare, quando calcar adhibet, quando stimulos applicat, qui faciant currere ad lacrymas, qui plantum excitent, & viuidæ mortificationem carnis. Tertul.

§. XXXVII.

Verus charitatis amor minimè pendet a præsentia dilecti corporali.

DVRISSIMVM verbum illud putabitur amatrici dictum, nimirum; *vade in pace.* Domine, quo ibit à te felix amatrix? Scis illam tui ardere dilectione; fateris dilexisse multum, & nihilominus dicis: *vade?* Siquidem ardenter amat, vehementer dolet à te abire, & timere posses in dilecta absentiæ notissima damna. Non is est charitatis amor, qui pendeat à præsentia corporali; vt intimum animorum depascit, sic nullibi non præsens habet suarum flammarum pauulum. Accipite duos præclaros amatores Dauidem, & Ionatham, de quibus. 1. Reg. 18. dicitur. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* Ibi est perfecta dilectio, vbi animæ conglutinantur; quæ non de præsentia corporali solicitæ sunt, quia purè, & spiritualiter se se amantes, vbique se præsentes habent. Diu. Gregor. Taumaturgus orat. ad Origen. ait. *Non simpliciter conglutinatus est Ionathas Dauid: sed illæ ipsæ, quæ Principem locum tenent, animæ; quæ nec sciunt his ijs, quæ apparent, & conspiciuntur in homine, separari tamen ipsæ vi vlla cogantur.* Is est amor verus, ea est perfecta 1. Reg. 18. Gregor.

fecta charitas, quæ ignorat abſentiæ damna, quæ cum minimè hæreat corporali ſpeciei, locorum ridet interualla, nec timet diſiungi, etiamſi in maris extremis iubeatur peregrinari. Habebat nobilis amatrix Magdalena animo Ieſum infixum; nil reputat, ſi eius corporali aſpectu careat. Sanſoni & raſi fuerunt crines, & oculi ab inimicis obcæcati, *Iudith. 16.* Iudic. 16. Quid plura? *Iam capilli eius renaſci cæperant, & Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum*, &c. Pergit textus narrans qualiter Sanſon ſe de inimicis vindicauerit. Nobis tamen expendendum eſt, cur vbi capillos ſibi reſtitui vidit Sanſon, non expectauit, & petijt, vt oculi reſtituerentur, vt ſic commodius triumphum ageret? Cui *Paulin.* quæſtioni pulchrè ſatisfacit Diu. Paulinus epiſt. 4. ſatus. *Forſitan Sanſon receptis, propter futurũ myſterium, crinibus, recipere ſimul, vt amiſſerat, oculos ideò non deſiderauit; quia virtus illa cœleſtis gratiæ internis ſana luminibus, corporeo non egebat obtutu.* Vbi quis animo infixum habet, quod cupit, non pendet ab oculorum contuitu; habebat Sanſon interiora lumina clariſsima, quibus cœleſtia cernebat, & futurum Saluatorem præuidebat: ideò nil curat corporeos oculos, nil de exteriori contuitu meminit. Externa quæque deſpicies, ſi animis fixum habeas amatorem diuinum: Hunc ſemel menti tuæ ſculpe, & nulla indigebis corporali præſentia, nulla exteriori teneberis pulchritudine. Spõſa, *Cant. 3.* vbi offendit cuſtodes murorum, ait illis Cant. 3. *Numquid, quem diligit anima mea, vidiſtis?* De amato quærit, & vide quam parum curioſa exiſtit; quæ ſiuiſſet alia de ſponſo ſuo, qualis viſus eſſet, an decorus? An forma ſpecioſus? An candidus? An rubicundus? Quæ ſublingua eius mella? Qui annuli in manibus? Qui fulgor veſtium? Quis odor? Hæc autem nil horum meminit, nil horum curat, vnum ſponſum ſibi viſum nuntiari deſiderat. Vnde tam incurioſa amatrix? Non corpore amabat, ſed anima, & ſic omnibus dimiſsis, quæ apparent, & conſpiciuntur in homine, ſolum id quærit, quod animo habet infixũ, à quo nulla vi, nullo inte- *Gilliber.* ruallo, abſẽtia nulla corporali ſeparari quibit: Gilliber. in Cant. ſerm. 6. *Non quærit, qualem videris, ſed ſi videris. Sufficit nuntiare qualem ipſa nouerit.* Procul eſto corporea omnis pulchritudo, corporei ornatus, corporea præſentia, non his gaudet amor diuinus, cui ſufficit dilectus per ſe, à quo nulla abſentia, nulla rerum ſeparabitur iactura. Is enim *Matth. 8.* eſt amor ſpiritualis, vt ſolus ſe ſe æternare ſciat. Matt. 8. *Audiſtis, quia dictũ eſt: diliges proximum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Et cur inimicorum amor ſolet, quaſi præponi amori amicorũ? Amor, qui ad inimicos extenditur, ſpiritualior eſt, omninò indepẽdens a rebus ſenſibilibus, & inde longè diuturnior. Ibi Euſebius emiſ. ait. *Non diligamus eos tantum, qui nos diligunt; & non propter hoc tantum, quia nos diligunt; hoc enim eſt vicem reddere: ſed quia eiuſdem corporis membra ſumus, & eiuſdem patris filij ſumus. Talis enim amor ſpiritualis eſt, & ideò indeficiens: carnalis enim amor, cito dilabitur, ſicut & ipſa caro.* Vix vnius diei abſentiam ſuſtinet. *Euſeb.*

§. XXXVIII.

Pax Chriſtiana in pugna, & bello conſiſtit cum vitiis.

CVM nobilis peccatrix, & felix ſponſa iubetur in pace abire, ne putes ideò illam à bello ceſſare. Imò ideò in pace abit, quia ex tunc acrior eſt in debellandis inimicis. Bellatrix eſt pax Chriſtiana, ibique eius exaltantur vexilla, vbi quotidie inſtauratur pugna aduerſus hoſtiles incurſus. Præclare ait Diu. Proſp. lib. 1. de vocatione gent. c. 35. *Pax, quæ eſt à Deo, & cum Deo, numquid bene quieta eſt, ſi non diſcordat à mundo?* Non eſt pax à Deo, niſi quæ in arena eſt, vt manus conferat cũ vi- *Proſper.* tijs. Non eſt pax à Deo, niſi quæ vlq; ad ſanguinis effuſionẽ perſequitur vitia, quæ crebris pugnis hoſtiles debellat, & caſtigat impulſus. Primæui fidei negatores pacem petebant à Chriſti martyribus, qua accepta contenti, & quieti ſedebant, nihil iã arma aduerſus commiſſum æſtimantes. Quos ſic pungit D. Cyp. epiſ. 54. inquiens. *Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, ſed vigilantibus damus: pacem non delicijs, ſed armis damus: pacem non ad quietem, ſed ad aciem damus.* Mundialis pax & vana eſt, quæ otio torpet, quæ arma deponit, quæ nec gladium exerit; pax enim, quæ à Deo eſt, quæ nos ſecuros tenet, nõ eſt pax ad quietem, ſed eſt pax ad aciẽ ſtruẽdam, ad impugnandas, & expugnandas reuelles cupiditates, ad omnes hoſtiles euertẽdas phalãges. Gedeõ Iud. 6. antequã Dux populi *Iud. 6.* crearetur, antequã in aciẽ prodiret, imò cum vel hoſtiũ vmbras timeret, triticoq; purgando operã daret, de iuſſu Dñi ẽdificauit altare: ait enim tex. *AEdificauit ergo ibi Gedeon altare Dño, vocauitq; illud Dñi pax.* Itaq; altare vocatur à Gedeone pax Dñi, nimirũ, pax à Dño accepta, quid tunc? Statim aſſumptis ſecum decem viris Baalis ſtatuã ſtrauit, nemuſq; eius ſuccidit. Rurſus cũ hoſtiles phalanges videret imminere ſibi, *clangens buccina conuocauit domum*

mum Abiezer, vt sequeretur se, &c. Ecce tibi quot prælia peperit vnũ altare pacis. Vix se à Deo pace perfusum nouit Gedeõ, & in perditionẽ hostiũ exultat. A pace ad arma, ab euersione idoli ruit; quippè ea est Dei pax suis exhibita, quæ succisionẽ, & euersionẽ idolorũ inspiret, quæ aduersum vitiorũ gẽtes ignẽ, gladiũq; ministret. Caue, ne pacis nomine decipiaris, ne tibi eã pacẽ effingas, qua locũ des hostibus tuis; sed omninò belligerantẽ pacem amplectere, à qua ad debellationẽ cupiditatũ, rebelliũq; motuũ exsurgas. Quotidianis pugnis pax tenẽda, & instauranda Christianis est. Ioa. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacẽ habeatis.* Quæ est ista pax? Iã dicit. *In mũdo pressurã habetis, sed cõfidite, ego vici mundũ.* Si in mũdo pressura, si bellũ, si pugnæ manẽt, quomodo haberi pacẽ postulat? Ea est pax in Deo, quæ mille prælia in mundo parit, quæ mille adducit hostiles cõflictus; ne ergo deterreat pugna, quẽ cœlestis pacis tenet possessio. Pulchrè D. Laur. Iust. in Fasciculo Amoris c. 16. *Si pacis victoria placet, nequaquam displiceat mũdi cõflictus. Vtrũq; necessarium est. Arma ergo certaminis spiritualia arripite, & viriliter cõtra mundũ, & vitia præliamini.* Eia agite veri Christi pacifici, in arenam prosilite, vitia percutite, in hoc tota sita est pax vestra; quod tota studet certamini, quod tota est in se se aptando, vt bella aduersus illecebras instauret. Argute satis pingebat Papinius 8. Thebaida, desidiosos milites, qui vt à prælio reuertũtur in pace:

Abiecere madentes,
Sicut erãt, clypeos: nec quisquam spicula tersit,
Nec laudauit equum, nitidæ nec casidis altam
Comsit, adornauitq; iubam.

Gloriosiores milites Christiani, qui vt in pace sunt, nihil prælij contemnunt, omnẽ armaturã Dei tentant, acuunt spicula, vt expaueant, vel à longè, vitia. Non tã equũ, quã totã salutis quadrigã prosequũtur laudibus, dũ sub Saluatoris vexillis se toties vicisse gloriantur. Beatificat Dominus pacificos, dũ ait. *Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.* Qui sunt isti pacifici adeò felices? D. Laur. Iust. lib. de humilit. c. 10. ait. *Pacifici nõ incongrue censendi sunt illi, qui omnes cordis sui inordinatos affectus, seu motus rationis subijciunt seruituti: semper gladium spiritus tenentes euaginatum aduersus aereas potestates: minimè templum Dei maculare permittentes.* Tunc vera pace frueris, cũ gladium aduersus vitia semper habeas exertum. 4. Reg. 20. dicebat Ezech. *Sit pax, & veritas in diebus meis.* Pacem rogat, non qua desidiosus agat, sed qua aduersus impugnantes hostes mille militaria machinamenta moliatur. D. Isid. Pelus. li. 1. ep. 452. fatur. *Sit pax in diebus meis, dicebat Deo charissimus Ezechias: non quod hostibus cederet, aut à precatione absisteret: verũ hanc quidem supplicem ad Deũ adhiberet, hostibus autem hac ratione cladem quæreret.* Ad id pacem quærebat, vt maiorẽ hostibus moliretur ruinam, dũ precibus incũbit. Præclare Gedeon Iudic. 8. ad Phanuelitas: *Cum reuersus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.* De quo Philo Iudæus, lib. de confusione linguarũ fatur. *Egregia comminatio docẽs animam hostiliter affectã erga malos, & impios, fore vt subruantur omnes rationes, quæ ducunt ad impietatem. Cum enim mens conuertitur, destruitur, quod auersum fuerat. Et quod iure mireris huius demolitionis tempus, ait esse non bellũ, sed pacem.* Sic in Magdalenæ conuersione, ipsa omnes voluptatũ turres demolitur, ad quã demolitionem perficiendam in pace à Domino mittitur.

Ioan. 16. D. Laur. Papin. Lau. Iust. 4. Reg. 20. Isid. Pelus. Iud. 8. Fil.

CAPVT SEPTIMVM.

De muliere Chananæa.

VOCAT nos Sirophœnicis fœminæ ingens fides, quæ etsi Gẽtilis, & ex reprobatis Chananæorum populis esset, vbi Iesum vicinum fuit nacta, filiorũ etiã cõmunicauit diuitijs. Vbi enim Tyri, & Sidonis fines Dñs attigit, in Galileæ vltimi oppidi domo moratus; ibi mulier accedit, filiæ à dæmonio illatã molestiã publicat, nec semel contẽpta recedit tristis: sed egredientẽ è domo Christum sequitur clamans, & orãs ea fide, & humilitate, quibus à Deo percipit omnia, quæ requirit.

Mtth. 15. Egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.

§. I.

Vicinis vt debeamus accurrere: vbi etiam, quod in purgatorio existentibus subueniamus.

MORALE est, valdeque humanum, vt bona nostra non adeò reclusa sint intra domus propriæ parietes, quod saltem vicinis non prosint. Nõne panis viuus Iesus de cœlo descendit, vt filios Israel saturaret intra domus Iacob limina? Sed ecce vicinę gẽtes eius odore excitantur, vt vel de micis capiant, qua

quapropter Tyro, & Sidoni vicinus Dominus agit. Potens est vicinitas, vt humana corda ad bene faciendum trahat, quæ etiam cœlestia tangit. Altissimos potestatum choros, vt Dauid euocaret, & faceret, quod pernici volatu Domino ascendenti adessent, sic ait Psal. 23. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Cur non dixit potius, Dominus vester ipse est Rex gloriæ, sed dicere maluit, Dominus virtutum ipse est? Quid virtutum chorus ad chorum potestatum? Sanè vicini sunt hi duo chori, post virtutes immediatè sequũtur potestates, quæ per vicinorum commoda sufficienter vocatæ aduolarunt. Ita D. Chrysost. serm. 8. de Ascens. fatur. *Potestates igitur, vt dici audierũt, Dominus virtutum; concordibus vocibus solita glorificatione exclamantes, cum gaudio Dominum suscipiebant, & deducebant vsque ad excelsum, & altissimum thronum.* Sic felicissimi spiritus communicant vicinorum gaudijs, sic nouerunt vicinis accurrere; nescit bonum non ad vicinos extendi. Genes. 3. *Plantauit Dominus paradisum inedem ad Orientem*: & sic statim paradisi deliciæ ad omnem vicinam plagam eruperunt, vt in vniuersa Oriẽtis regione cæperit balsamus, aliaque aromata sudare. Id notat D. Athanas. quæst. 47. fatus. *Huius rei gratia omnia aromata suauissimi odoris circa orientalia loca proueniunt, vtpote quæ sunt vicina paradiso. Et quemadmodum palmæ masculæ propinquas fœmellas aspiratione ventorum contactas fructuosas reddunt, sic etiam ex paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.* Non sibi suas delicias claudit paradisus, de illis vicinas terras ditat: vt totus Oriens aromatibus diues bonitatem, & præstantiam prædicet vicini. Vtinam sic de nostris bonis semper diteſcant vicini. Porrò cum vicinos nomino, statim se se mihi offerunt nobilissimi illi spiritus, qui ab hoc sæculo discesserunt, & adhuc sunt nostri vicini, & propinqui, nimirum, qui in purgatorio degunt. Purgatorius locus situs est, vt putat D. Thom. & alij Theologi, quibus fauet Cõcil. Flor. in inferni limine in loco hominibus viuentibus viciniori, vt sic vel iure vicinitatis debeamus animabus illic existentibus communicare bona nostra, præcipuè sacrificia Eucharistiæ. De agni sacrificio cauebat lex Exod. 12. *Sin autem minor sit numerus, vt sufficere possit, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ.* Quasi piaculum foret de magnitudine agni, quam tu consumere non potes, non participare vicinum. Nimis diminutus es quisquis sacrificium facis, quisquis agnum Eucharisticum summis, nec recordaris nobilium vicinorum, qui apud purgatorium degunt. De tuis participent sacrificijs nobiles hi vicini, si velis integrum, & perfectum sacrificium Deo litare. Quod grauiter monebat Eusebius Alexand. citatus à nostro Turriano de Euchar. in hæc verba. *Memento in oblatione tua sanctæ Eucharistiæ fratrum, & parentum, qui è vita discesserunt: hoc si feceris, magnam eis requiem præbes, comples preces tuas.* Expende illud; *comples preces tuas*: sunt enim nostræ preces, nostra sacrificia incompleta, mutila, imperfecta, dum de illis non implentur vicini, qui igne purgatorio affliguntur. Hi si impleantur tuis orationibus, maximum inde incrementum percipies. Vidua illa ære alieno premebatur habens parum olei sibi reseruatum in lenticula. 4. Reg. 3. sed de Elisæi mandato: *Petijt mutuo à vicinis suis vasa vacua non pauca*; & hæc de oleo implet, & ipsa fit diues. De quo agens Diu. Augustin. serm. 2. in Domin. 5. post Trin. ait. *Considerate fratres charissimi, quando vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat: cum vero in alienis vasculis, id est, in omnibus vicinis cœperit oleum charitatis ipsundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus debitis potuit liberari.* Eccè tibi, vndè parua opera tua, quæ vix tibi sufficient, poteris augere, si illa non tibi solum, non in vase proprio, sed in vasis vicinorum serues. Mitte opera tua vacuis vasis vicinorum, qui in purgatorio sunt, & ea ibi non perdes, sed multiplicabis adeò, vt à tuis debitis liberatus æternum viuas. Et quis non misereatur nobilium vicinorum igne purgatorio flagrantium? Chananæa hæc fœmina, vt vicinum Iesum ad misericordiam trahat, proponit filiam: quæ *male à dæmonio vexatur*. Durum sanè est, & omni misericordia dignum, quod filia sub carnifice dæmonio agat, sub quo etiam mancipia nos mouerent ad pietatem. Ecce vobis nobiles spiritus in purgatorio existentes, & vicini nostri sunt, & filij Dei omnes, & tamen à dæmonibus male vexantur, ipsis dæmonibus carnificibus maximè torquentur. Rem prodit Diu. Synesius epist. 44. fatus. *Dæmones quidam expiandis sceleribus præsunt, eandem in animis hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent. Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris cum & calcibus subiguntur, & nitro præfricantur, & omni ratione depectuntur? Quantis vero cum cruciatibus veteres sordes, & insitas penitus maculas elutum iri?* Eu tristis filiorum Dei conditio! Qui velut sordida vestis sub fullone,

Psalm. 23.

Chrysost.

Genes. 3.

Athanas.

D. Thom.

Exod. 12.

4. Reg. 3.

August.

D. Synes.

sic sub dæmonis pŏtestate subiguntur, præfricantur, depectuntur, excruciantur. Horum vicem non doles? His vicinis charissimis non faues? Et quidem, etsi multum impertiendum esset, deberes impertiri, vt nobiles vicinos, & filios Dei à dęmonum eripias vnguibus. Sed & paucissimis rebus poteris subuenire, si vel micas offeras pro illis. Nam & catelli comedunt de micis Dominorum suorum, aiebat Chananæa, vt acciperet liberationem filiæ à dæmonum vexatione; & tu cùm micis, cum paruis orationibus, cum parua eleemosina, cum participatione cœlestis mensæ poteris filios Dei ab igne purgatorio, à potestate dæmonum eripere.

Tex. Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamauit dicens ei. Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male a dęmonio vexatur.

§. II.

Christianum est, quod parentes filiorum peccantium pœnis affecti, eorum proclament incolumitatem.

IAM virtus ostenditur Christi Domini accedentis Tyro, & Sidoni, quando ab illis finibus egrediens mulier filiæ dæmonis pœnis vexata, eius petit magno clamore incolumitatem. Hanc sanè parentum in filios pietatem ingerit Christus veniens in mundum. Matth. 27. vbi Christi diuinissimum cadauer iam terræ mandabatur, *terra motus magnus factus est*: cuius causam innuens D. Chrysostom. ferm. 8. de Ascens. ait. *Terra corpus Domini non ferens intolerando tremore compressa æstuabat, dum propter incompositam filiorum viuendi rationem, inuisibiliter flagellabatur. Et sicut murorum ora, aperiens rupturas occulti doloris proclamabat magnitudinem; & parci cupiens peccatoribus velut mater pro filijs supplicabat.* Expende, quòd vbi Christi Domini ad se venientis sensit terra cadauer, simul & filiorum peccantium pœnas sensit, & pro illis clamore valido in plurimas dissecta buccas exorabat. Fuit magna semper parentibus pro filijs sollicitudo, sed quod patres in peccatis filiorum dolerent, rarò euenichat. Quis pater filium carceri, vinculis, torturæ traditum non lacrymis, & gemitu prosequutus est? At filium Sathanæ laqueis irretitum, dæmonis vitiorum neruo detentum quis pater fuit lacrymatus? Hanc indidit parentibus Christus virtutem, vt dæmonis in filios suos doleant astus; vt peccantium filiorum pœnas putent suas, & illis afflicti veniam clament. Lamentatrices suas sic Dominus monebat. Luc. 23. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Luc. 23. Sanè si flendi sunt à parentibus filij; cur non flendus Iesus? Siquidem pium est, quod parentes filiorum ruinam lacrymis prosequantur, & pijssimum erit, quod Iesu mortem deplorent: cur vetantur lachrymari pro Iesu, & iubentur flere pro filijs? Non vetantur omninò lacrymari, sed docentur, quid præcipuum Iesus in parentibus requirat, nimirum, non damni temporalis luctum, sed æterni dolorem supplicij. Ita Diu. Bernard. serm. in obitu Humberti, ait. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Etenim ea, quæ de me sunt, finem habent. Quæ videtis mihi præparari, temporalia sunt; quæ non videtis, æterna.* Bernard. Vanissimum equidem est, quod temporalis dolor lacrymas ciat, & filiorum æterna perditio siccis oculis videatur. Notissimum est facinus in vrbe Gabaa perpetratum à Beniaminitis Rachelis filijs, Iudicum capite 19, notissima est etiam fœdissimi facinoris vltio, qua pene vniuersi Beniamitæ periere. Sed nusquam inuenies fœdum hoc filiorum facinus, & filiorum ruinam à matre deploratam: donec nascente Iesu puerulí Bethlehem Liæ filij, & Rachelis consobrini nascentis Christi causa interempti fuerunt. Tunc in morte filiorum Liæ, Rachel incipit plorare Beniamitarum facinus, & miseram ruinam. Ita Matth. 2. *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorat filios suos.* Matth. 2. Sed cur tot sæcula dilatæ lacrymæ tunc funduntur? Cur nequissimorum filiorum facinora nullis vsque adhuc lauata lacrymis, nunc deplorari cernantur? Sanè vbi Christus teneros infantes coronat, vbi iustitiæ Solis ortus de innocentum sanguine purpurascit: quæ mater siccis oculis spectabit filiorum crimina? Augustin. quæst. 62. noui Testam. ait. *Tunc plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos.* August. Quando rapi vidit infantes à Christo, tunc non potuit cohibere fle-

tus

tus, quòd filij sui criminibus infecti præda diaboli fierent.

§. III.

Quilibet parentum pro filiis dolor & debitus, & religiosus est, & solus miserandus.

MIRABERIS fœminam à finibus patriæ suæ egressam, post Iesum multa clamantem? Cur non clamaret mulier, vbi filiã videt male à dæmonibus vexari? Ille æneus vir Iob ruinam bonorum omniũ imperterritus excipiebat, sed cum filiorum oppressionem audiuit; *tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit.* Vbi Iob robur? Vbi virilis fortitudo abijt? Quæ calamitas tantum virum in fœmineos cõpulit eiulatus? Olympio. in Cat. Græ. fatur: *Credibile est, ob superiores narrationes eũ in tacita cogitatione versantem, rerum euentus admiratum fuisse. Vbi verò de tanta, ac tam speciosæ prolis audiuit interitu, ne doloris communis expers videretur, quod debetur, naturæ largitur; vestemque descindit, ac comam ad speciem luctus tondit.* Cieat parentum lacrymas filij calamitas; debent hoc naturæ vniuersi patres, quod filiorum doleant ærumnas: quod pro filijs dolores subeãt. Maria sub flagellis remigum gemens, indebitum sibi malum sustinuisse queritur, quod id non subeat pro filijs. Isai. 23. Sic apud Isaiã, c. 23. *Erubesce Sidõ, ait enim mare, fortitudo maris dicens. Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incremẽtũ perduxi virgines.* Sanè dolores partubus annexi sunt, quando antiquitùs dicitur in dolore paries; cui non datur partus, cur dolor relinquitur? Cur non erubescendus sit dolor, qui pro filijs non subitur? Erubescat Sidon sine partu dolere non pro partu; & mare verecunde vexetur, quando vexatio non est pro filijs. Ambros. Sic apud D. Amb. lib. de Helia, cap. 19. *Non parturiui, inquit, neque peperi, nec iuuenes enutriui; quid me inquietant, quos nescio, quos non agnosco?* Quasi hunc velit mare omnibus inijcere pudorem, si dolores sustineant pro his, qui filij non sunt: quasi pro solis filijs non pudeat etiam virum fortem lacrymari. Ego non dixerim virum, nedum amicum Dei, Thren. 4. qui filiorum erumnas obliuiscitur. Thren. 4. dicit Ierem. *Filia populi mei crudelis, sicut Struthio.* Notissimus Struthio est de contemptu filiorum, & sanè ideò quis obliuiscitur miserias filij, quia Struthio est, quia nimirum nõ pes auis est, non Aquila, quæ cœlestia volatu petit, & solem intuetur, sed quasi Struthio grauibus alis terrenã solum cũrat. Bene Gilliber. Abb. ser. 14. in Cant. fatur. *Struthio pennæ speciem habet, caret tamen effectu volandi. Nescit per mentis excessum volare, propterea speciem non visitat suam; sed derelinquit in terra ouа sua. Obliuiscitur, quod pes conculcet ea, bestia conterat.* Et quidem non videt cœlum, qui sic ad filios duratur, non de cœlestibus cogitat, qui nescit ad filiorum calamitatem lacrymari, qui nescit suum facere, quidquid filius patitur. Magnus ille Abraham ideo magnus, quod proprio filio non pepercerit, vt eum Deo litaret; sed inde maximus, quod filij necem suam faciens se in filio mactabat: Pulchrè D. Chrysol. ser. 10. ait. *Se in filio immolabat; vt esset idem & victima, & Pontifex: Sacerdos, & sacrificium: patris erat ibi passio tota, vbi filius immolabatur.* Expende ab illis verbis; *Patris erat ibi passio tota*: quippè in filij calamitate quod prius eminet patris est calamitas, patris est dolor, & passio. Sic pater præoccupat filij dolorem, vt totus dolor, & tota miseria videatur solius esse patris. Hinc nota, quam sapienter Chananæa mulier in filiæ suæ ærumna ad Iesum ait. *Miserere mei Domine fili Dauid.* Quasi sola illa esset misera, quia tota ibi erat passio matris, vbi filia vexabatur.

Gilliber. Chrysol.

§. IIII.

Atrociora hominis tormenta a dæmonio habent ortum.

EA summa hominis miseria est, nimirum à dæmonio vexari, quidquid ab alio pateris, leue est; vnus diabolus atrociſsima humani corporis tormenta sciuit præparare. Hinc vbi accepit facultatem Iobi perdendi, putatur ipse diabolus per se ipsum omnes calamitates parasse: ipse ignis factus pecora absumit, ipse ventus & domum, & filios prostrauit, ipse vt Chaldæus latro pastores confodit, ipse nuntius malorum ferebat famam. Et cur non per alias creaturas, sed per se ipsum ea mala patrat? Infirmas, & suspectas habebat creaturas omnes, vt hominem perderent, sic non audet tantùm negotium alteri tradere. Chrysost. in Cat. Græc. ait. *Cum enim nemo reperiatur immanior, earum rerum negotium dare alijs verebatur.* Quidquid alij nocere possent, pro nihilo haberet diabolus; vnus ipse crudelitatem summam tenet, illamque in homines exercere valet. De quo Dominus apud Isaiam capite 19. ait. *Et tradam AEgyptum in manus Dominorum crudelium.* Et quis crudelissimus omnium, nisi diabolus? Omnium creaturarum furijs appetitus,

Chrysost. Isaia. 19.

nondum nouisti crudelitatis vires, dum fugias manus diaboli, qui solus nouit esse crudelis. Vnde Hieronym. ait: *Pulchrè dæmones crudeles Dominos vocat: quibus nihil crudelius est.* Horum miser, qui cadit in manus, eò ipso diram, & crudelissimam perditionem patitur. Quando Dominus bonum semen in agro suo seminauit, Matth. 13. solum dicitur, *Quod inimicus homo superseminauit zizania, & abijt.* Cur tam cito abis inimice, perdere intentas Dei segetem, & vix è manu tua emittis zizania, & statim abis? Non ne fieri potest, vt zizania emoriantur, vt paruum, aut nullum inferat damnum? Non ergo tàn cito abeas, sed expecta paululum, an necessum sit zizania addere. Equidem securus abijt diabolus, quod malum à sua manu dilapsum extremam perditionem operabitur. Hoc sufficit ad summam humani agri calamitatem, quod vel semel diabolus applicet suam manum. Hinc censebat Diu. Cyrill. Ierosolim. Cathach. 15. duritiem martyriorum extremi temporis, quo carnifice diabolo sint patranda. Ait enim. *Numquid enim beatus martyr erit, qui Antichristi tempore pro Christo martyrium pertulerit? Ego vero illum super omnes martyres dixerim. Nam qui præcesserunt, cum hominibus tantum certamen erat, qui vero tempore Antichristi patientur, personaliter cum Sathana pugnabunt.* Et omnia tormentorum genera, quæ inuenit Tyrannorum feritas, siue hæc sint Pharalis taurus ferrei, pectines, aut nabacularum rotæ, quid hæc sunt ad solum diaboli tactũ comparata? Equidem vna diaboli immanitas longè superat omnes tyrannorum immanitates. Pulchrè aiebat Diu. Petrus: *Inimicus noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Expẽde belluæ ferocitatem; quem deuoraturus est, non subito vorat, sed prius prædam circuit, rugituque edito perterrefacit, vt amplius ex cruciet. Quam diaboli feritatem notabat Dominus. Luc. 22. aiens. *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*: Sic expetit Sathanas homines in cibos; vt nolit subito vorare, sed prius mille modis conterere; vt fieri solet in tritico manducando, quod priusquam ad os perueniat, mille ventilationes, mille pressuras, mille contritiones est passum. Ait Augustin. in Psalm. 100. *Quid est vexare, sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, vt panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primum per tribulationes euertit, conterit, vt manducet.* Proh immanissimæ bellnæ ferociam! Proh nequissimi hostis duritiem! Quando in filium hominis non potuit per se sæuire, assumptis lapidibus, ait, Matth. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Vbi Diu. Paschasius; *Lapidibus apte elegit panem poscere, vt quam durus sit, qui loquitur, tali signaretur exemplo.*

Hieron. Matth. 13. D. Cyril. Pet. 1. ca. 5 Luc. 22. August. Paschas.

§. V.

A tuis egredi debes, qui magna à Christo velis comparare. Et quod solus verus Deus agat prædicatores suos in exteras prouincias.

AVSPICATISSIMVS mulieris fuit ad Christum introitus, quando in primis à Tyri, & Sidonis finibus recessit; is enim Christi Domini lucrum facit, qui suis nouerit dicere longum vale. Christianæ erat ille si dei candidatus, qui Matth. 8. dixit. *Puer meus iacet in domo paralyticus*, quasi in eo poneret animarum paralipsim, quod domi iaceant. Bene Diu. Paschas. lib. 5. in Matth. ait. *In domo, inquam, de qua legimus dictum ad animam: obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. In hac quippè domo omnis anima paralytica iacet.* Dedi hunc locum supra, capite 1. §. 27. in fine: accipite modo alium ex Genes. 12. vbi ad Abrahamum dicitur. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Quid plura? *Egressus itaque est Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* Cur sic festinauit egredi? Nondum sciuerat, ad quam terram iret, & nondum, quam viam caperet, norat; cur ante hoc egreditur? Diu. Hierony. epist. 28. ad Lucinum ait. *Relinquit Mesopotamiam, quærit, quod nescit, ne perdat, quod inuenerat. Non enim arbitratus est simul se habere posse patriam, & Dominum; sed iam tunc illud Dauidis complebat: Aduena ego sum apud te, & peregrinus.* Qui sic à patria, à suis nouit exulare, non paraliticus iacet, sed de angusta domo ad diuinam euolat possessionem. Dicebat Dominus ad Moysem Exodi 2. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ecce quorum fiat Deus possessio, nec tàntus gloriarum thesaurus erubescit dici possessio paucorum hominum. Cur hoc? Paul. ad Heb. 11. causam notat his verbis. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram: ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Itaq; nouerũt sic à suis excuti, vt quasi aduenæ, & peregrini sint super terram, in tantam excreuerunt sublimitatem, vt sine rubore, imò cum ingenti gloria fiat Deus eorũ possessio. Sic expendit Chrysost. illud, *ideò non confunditur Deus*: ait enim Psal. 113. *Propter quã causam? Quoniam confessi sunt esse hospites*

Paschas. Hieron. Exod. 2. Ad Heb. 11.

pites, & peregrinos, & nihil habere commune cũ præsentibus, sed subiuncti ab his, quæ ad hanc vitam pertinẽt, ita degebant in aliena. Da mihi homines, qui sciant patriæ, & suis valedicere, & aduenarum instar Deo seruiendo studere; & sanè hi verum Deum possidebunt, & vel ex hoc capite, diuino Spiritu censebuntur moueri. Quod in Paulo persequente Ecclesiam licet aduertere: de quo Act. 9. *Acc essit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas, quas perferret Damascũ.* Nihil tale rabidissimi Christianorum persecutores Iudæi cogitarant, sed domi manentes in Christum sæuiebant, vnus Paulus & patriæ, & suis valedicens ad exterorum ciuitates abit, legis zelo exagitatus. Quid plura? Vel ex hoc in Paulo veri Dei zelus apparuit Chrysostomo, qui sic ibi fatur. *Hic igitur sic faciebat, non vt Iudæi; absit. Nam quod zelo faciebat: manifestum ex eo, quod in exteras ciuitates abibat.* Solus equidem veri Dei zelus potest homines à patria separare, & per exteras regiones peregrinari facere. Solus verus Deus potest facere, vt viuamus in hoc sæculo tanquam aduenæ, & peregrini.

Act. 9.

Chrysost.

§. VI.

Labores, et ærumnæ misere, et seruiliter ad Deum trahent.

IAM seruile Chananæorum ingenium in præsenti patet: vide enim, quo mulier ad Christũ impellebatur; ait, miserere mei: filia mea male à Dæmonio vexatur: noui iam dudum seruis sola vexatio dare intellectum, & quot calamitates, tot sunt restes, quibus Christo illigamur: sed quam miser ille, qui nescit ad Deum accedere, nisi calamitatibus actus! Quam longissimè abscessit ille paternæ substantiæ dissipator, Luc. 15. sed illi fidus latero stetit calamitas, & fames, quibus ad Patrem reuocatur. Vndè Aug. Ps. 138. ait. *Haud verò in illa egestate cõtereretur, haud porcos pascere poneretur: nisi pater vellet flagellare longinquũ, vt reciperet propinquum? Ergo tanquam deprehensus fugitiuus, sequente se vindicta Dei, quocumque ierit, & quocumq; deprehensus fuerit, agnoscitur.* Fugit aliquando seruus à Domino suo: quod damnum præuenientes Domini, ne quãdo sine seruis fiant, illis notas in facie inurunt, propter quas fugitiui noti, & deprehensi, quam primũ Dominis restituuntur. Quod igitur sunt inustæ notæ seruis, hoc esse putat Augustinus labores & præsuras peccatoribus, vt quam primum, vt fugitiui serui ad Deum reuertantur. Et sanè facit hoc ad summam peccatorum miseriam; quod non nisi malis prementibus Dominum meminerint. Threni. 1. ait Ieremias: *Et recordata est Ierusalem prænarrationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat in diebus antiquis, cum caderet populus eius.* Quàm deploranda erat Ieroſolimæ miseria, quæ tunc solum felicitatis suæ meminit, cum caderet populus eius; id quod notat Rupert. lib. 1. in Ier. cap. 19. dicens. *Hoc verè lamentabile est, quod non aliter huius incolatus sui recordari poterat, nisi malis prementibus; nisi cõculcaretur ab hostibus, nisi in manus gentium traderetur.* Equidẽ miserè sapiebant, qui à solis flagellis edocebantur: qui solum sub flagello Deum sapiunt, non ingenui, non filij sunt, sed fugitiui seruuli. Deuteronomij 27. transgressoribus legis multę sanè maledictiones proponuntur, innumera flagella Deus minatur: legis autem obseruatoribus pauculæ benedictiones dantur. Cur, qui tam diues est in misericordijs, tam se ostendit in benedicendo parcum, tam in maledicendo largum? Faciebat hoc seruile ingenium illius populi, qui nesciebant Deum quærere, nisi flagellorum restibus tracti. Accipite Theodoretum in Cat. Græca, vbi sic fatur. *Cur execrationes plures numero videntur, quam quæ bona exoptantur? Quoniam vernas improbos, & fugitiuos magis exterrent intentamenta plagarum, quam vinditiarum promissiones.* Sic de flagellorum notis fugitiui seruuli reducuntur ad Dei caules; sic seruus Chanaam discit Dominum quærere à flagellis tractus.

Thren. 1.

Rupert.

Theod.

§. VII.

Maximè fugiendi sunt labores, qui fructum spiritualem non pariunt.

SED age videamus, quo vltimam miseriã suam sapiens mulier statuat; quippè ait: *Filia mea male à dæmonio vexatur*: est enim vexatio, quæ cooperatur in bonum, quando ex illa spirituale lucrum nanciscimur: est item vexatio sine spirituali lucro, tota pœnalis, tota in malum ordinata. Hæc maximè expauẽda, & abijciẽda est; vtpote quæ summam miseriam afferat. Hanc miseriarum vltimam insinuat Matth. 24. de extremo hominis excidio fatus: *Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur.* Malum sanè est, quod quis à Deo derelinquatur in agro, sed aliquod emolumentum habebit, quando ex agro temporales fructus percipere poterit, vel saltim deliciari: quod autem pessimum est, quod in mola derelinquatur, vbi fi-

Matth. 24.

D. Hilar. ne fructu vexetur, excrucietur. Hinc miseriã Iudaici populi ponderat Diu. Hilar. Canone 24. aiens. *Alius in infructuoso legis opere relinquetur, molens in casum, & non facturus cœlestis cibi panem.* Quid miserabilius stulto, & proteruo Iudæo? Adhuc sub iugo incomportabili legis laborat; adhuc sub cultro circuncisionis, sub ieiunijs legalibus relinquitur, quando è tot pressuris nullum alium educet fructum, nisi gemitum. Eu quàm male torquentur impij, dum mille torturas subeunt, nec vllum percipiunt spiritualem fructum? Genes. 15. pijssimo Abrahamo dicebat Dñs, Gen. 15. *Scito prænoscens, quod peregrinũ futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjcient eos, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentẽ, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.* Audiuit bonus senex filiorum suorum ærumnas, audiuit captiuitatem generis sui, & tacuit, libensque illas acceptauit. Non sic paulò post c. 18. vbi resciuit imminentem Sodomis cladem: Gen. 18. *Appropinquans, ait: Numquid perdes iustum cũ impio?* Cur ad filiorum ærumnas adeò ferreus exiſtit, vt nec verbulum pro eis loquatur; verum ad extraneorum mala sic miteſcit, vt pro eis roget, totisq; viribus conetur illa auertere? sanè filiorum ærumnæ fructuosæ erant; dicuntur enim post modum exituri, *cum magna substãtia*: verum Sodomorum clades penitùs infructuosa, & solum ad perniciem erat excogitata. Vndè qui fructuosa mala acceptat in suis, meritò infructuosa mala etiam in exteris expauet. Cauendi enim maximè sunt labores, qui minimè conducunt ad æternam felicitatem. Quò spectauit Dominus, quando inter innumera mortis genera, mortem crucis præ alijs elegit, nimirum, vt doceret nos, contemnere eos crũciatus, qui nos minimè extollũt, vt ad sublimia possimus euolare. Id quod at- D. Thom. tigit D. Thomas opusc. 2. c. 228. vbi reddens rationem, cur mortem crucis elegerit Dominus, ait: *Voluit Christus ostendere sua morte, vt sic moreremur vita carnali, quod spiritus noster in superna eleuetur.* Hi soli amplectendi sunt à Christianis cruciatus, quibus in superna promoueantur, quos solum nobis Dominus à Cant. 5. cruce propinat. Ait enim sponsa Cant. 5. de dilecto suo: *Labia illius lilia distillantia myrrham primam.* Expende, quæ myrrha à dominicis labijs veniat, nimirum myrrha prima. Sunt in fundo vasis liquoris fæces; at quod in primis est, id perfectius est, & defæcatius. Sic in myrrheis doloribus, qui infructuosi sunt fæces dolorum sunt; at myrrha prima, ea est floridior, defæcatior, quæ multas vtilitates parturiat. Itaque à Domini labijs nulla fex, nullus dolor infructuosus venit, sed myrrha primâ, myrrhâ defæcatior, & vtilissimã. Accinit Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non est exinanita.* Inclinat sanè Dominus calicem iræ suæ, & labores immittit nobis, sed labores primos, labores defæcatos, qui vtiles sint, & ad superna subleuent; at fœces laborum, quibus torqueantur infructuosè miseri, à Deo minimè immittuntur. Psalm. 74.

§. VII.

Princeps ametur ne timeatur, caueat.

PRVDENTISSIMA fœmina misericordiæ beneficia postulans: & Dauidem Regem, & filiam à dæmonio vexatam suggerit, vt inde pateat, quàm principi prosit subditorum sollicitare beneficijs corda, quam noceat eosdem afficere timore. In filia à dæmonio vexata, vide quid subditi metu correpti audeant in Dominos. Dedit enim Deus hominibus potestatem conculcandi leonem, & draconem, hoc est, posuit sub pedibus nostris dæmonum ceruices, vt confringantur, & conculcentur à nobis. At tantus timor in seruulis quid aliud, nisi odium gigneret aduersus Dominos. Accipite Tertul. Apol. capit. Tertul. 27. vbi sic. *Licet subiecta sit nobis tota vis dæmonum, vt nequam tamen serui, metui contumaciam misceant, & laderé gestiunt, quos alias verentur: odium enim etiam timor spirat.* Hoc lucrantur homines de dominio in dæmones, quibus nequeunt benefacere; quot enim seruos timentes habueris, tot rebelles, tot tuæ perditionis studiosos habes: non enim timor aliud generat, quam odium. Ipse Dominus vbi romphæam igneam ad portam paradisi statuit, seueritatisque in primordio iudicium dedit, à suo Principatu, & cognitione fugauit vniuersos. Vt dicat Chrysolog. serm. 147. Chrysol. *Sic diuinus pauor amorem dominantis exclusit; Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas. Hinc est, quod mundus perire maluit, quam timere.* Et sanè innumeri Deum abnegant, ne sub timore viuant. Amorem conciliat amor, & totas ad se rapit subditorum voluntates. Bene canebant illæ. 1. Reg. 18. *Saul percussit mille,* 1. Reg. 18. *Dauid decem millia*: de quo Diu. Ambros. Ambros. Psalm. 43. *Saul in millibus, Dauid in decem millibus: quia durus in paucis; mansuetus in pluribus.* Qui duriciem præsefert, inter paucos floret; qui mansuetior, & amantior est, subditos multiplicat. Stultus ille Dauidis nepos,

pos, vt incepit non amari, sed timeri, maiorem regni partem amisit. Dicebat enim, 3. Reg. 12. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* Sed præstat audire D. Basil. concione de humil. vbi sic. *Qualis erat delirus ille Salomonis filius, ætate iuuenis, mentis prudentia adhuc iunior: qui populo mitius imperium quærenti graniter minatus est, & per minas regnum amisit; per quas regaliorē se fore sperabat, per eas depositus de dignitate, quam habebat.* Non minueretur Dauidis regnum, si non timeretur; vbi timeri incepit, amisit decem tribus, & inter paucos homines mansit illa Dauidis regia, quæ dum amabatur, replebat terram militibus. Nulla enim vis sic regna firmat, sic trahit homines ad iugum, vt amor Principis. Ecce apud Isaiam 7. vt trahat Acaz, exerit Propheta Dei horribilem potentiam. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Quasi obijceret Dei exertam potestatem in cœlo, & in inferno, qua hominem perterrefactum traheret in iugum. Sed quid ille ad inferni Dominum? *Non petam*, inquit rebellis adhuc, & Deo infestus. Tunc mutato stilo, maiestatem horribilem celans, ait. *Audite ergo Domus David. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis, & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Cur maximus regum, qui paulo antea se in dominatorem cœli, & inferni dabat, nunc dat se in mulieris filium, hominum miserorum fratrem, & Redemptorem? Pulchrè Diu. Bern. ser. 2. de Aduentu, ait. *Dissimulat ille Achaz potestatis excelsæ, seu incomprehensibilis profunditatis sapientiæ quærere signum; & propterea signum bonitatis, & charitatis domui Dauid ipse Dominus promittit, vt quos nec potestas, nec sapientia terruit, alliciat saltem exhibitio charitatis.* Et quidem exhibitio charitatis eam fortitudinem habet, cui nemo resistere potest, quæ sic omnes debellat, & trahit, vt nullus velit abire contra. Et quando Principis duricies subiectos minuit, eos multiplicat mansuetudo amica. Cuius amabilis potestatis exhibitio operata est in Romanorum Imperatore Augusto, à quo Lucæ 2. *Exijt edictum, vt describeretur vniuersus orbis: & ibant omnes, vt profiterentur singuli, in ciuitatem suam.* Quæ potestas sic totum orbem traheret sub tributo, nisi regia humanata potestas, quæ in puero Iesu erat exhibita, & operabatur in Augusto? Do pulchram assertionem Diu. Thomæ lib. 3. de regimine Princip. opusc. 20. capit. 3. vbi de hac orbis inscriptione fatur. *In hac descriptione soluebatur census, siue tributum in recognitionem debitæ seruitutis, non sine mysterio: quia ille natus erat, qui verus erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Augustus, licet non intelligens, sed nutu Dei, sicut Caypha prophetauit.* Ita sicut Caypham diuinus halitus mouebat, vt inscius veritatem halaret; sic exhibitio diuinæ charitatis in Iesu, sic regia, & vera potestas humanata prophano Imperatori, minimè id intelligenti, inferebatur, & in illo operata est illam totius orbis tractionem. Non ergo Augustus Romanas exerens aquilas, sed vicem humanatæ potestatis exhibitæ in Iesu charitate gerens, vniuersi orbis inscriptione rem confecit. Ecce vobis rete, quo Rex regum Iesus omnem subiecit mundum; aiebat enim Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos.* Cui voci tribuit vniuersi tractionem Diu. Basil. Seleuc. 29. fatus. *O vocem, quæ commune de hominibus trophæum statuit! O verbum vnica adsensione terram captiuam agens! Huius vocis hæreditatem obtinuit Apostolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba cœlum hominibus peruium reddiderunt: terras integras peruasit ea vox, insulas occupauit, sine vi captæ sunt ciuitates, prouinciæ concurrerunt; cessit in prædam Græcia, admisit eam Barbaria, Reges adorauere, Imperatores ceruices iugo subiecere.* Sic mansuetudo Principis omnia domat; vniuersos ad se trahit; rigor autem, & seueritas, vt pariunt metum, sic fugant vniuersos. Vndè à sapiēti Principe minus ostendatur rigor, quam mansuetudo. Act. 2. *Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & replenit totam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Ecce tibi cœlestis aura sic abundat, vt domum repleat; ignis autem mensuram linguæ non excedit. Cur hæc? Oecumenius ait. *Ignis non replenit totam domum, ne omnes terreret, ac videntes fugere compelleret.* Sanè igneus rigor semper in parua est mensura exercendus, ne nimis terreat, & fugere compellat; vt enim amore trahuntur, etiam rebelles: sic terrore compelluntur fugere, etiam qui amici poterant videri. Sit ergo rigor quam minimus: verum aura cœlestis perfundat domum vniuersam, vt nemo sit, qui non obediat voci eius.

3. Reg. 12.
D. Basil.
Isaia. 7.
Bernard.
Luc. 2.
D. Thom.
Matth. 11.
Basil.
Act. 2.
Oecumen.

Text. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

§. VIII.

Deus differt, vt duplicet, beneficium.

VNVM à Deo beneficium, vnum verbum fœmina petit; Deus autem tacet, nec vnum ei verbum facit, mallens, si perseueret petendo, multa donare. Non respondit ei verbum primo petenti; at perseueranti plurima verba facit: dũque ab eius mente, & à corpore filiæ dæmonium abigit, beneficium exhibet Dominus duplicatum. Vt bene dicat D. Ennod. lib. 2. ep. 12. *Geminantur Dei dona sperantibus; & duplici exuberat superna gratia beneficio.* Magnum equidem lucrum in longanimi sanctorum expectatione positum est: nouit lucra duplicare, qui nouit sustinere Dominum: duplicata enim dona sequuntur nostram expectationem. Apoc. 6. suptus Dei altari visæ sunt sanctorum Martyrum animæ clamantes ad Dominum, & anxie petentes sanguinis sui vindictam. Et quid illis Dominus? *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum.* Putas, quod liberalis fuerit Dei bonitas cum martyribus suis, quando sanctis illorum animabus singulas dederit stolas, & modicum iusserit sustinere? An domestici mulieris fortis feliciores sũt, quàm domestici Dei? Illi enim Prob. 3. *Vestiti sunt duplicibus*; vbi ergo est seruorũ Dei duplex vestis, quando modo singulæ stolæ dantur singulis? Equidem singulę stolæ dantur animabus iustis, Dei domesticis, & dicitur illis, quod adhuc modicum sustineant, si velint duplicibus vestiri; duplicata enim bona longam expectationem, & sufferentiã requirũt. De his Ber. ser. 3. omniũ sanct. ait. *Acceperũt iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos*: tunc in duplici erunt stola. Expectent adhuc modicum ipsi spiritus domestici Dei, & in regeneratione duplicibus ditati erũt cõspicui. De quo Isai. 61. *In terra sua duplicia possidebunt.* Quis dicat magni Iobi expectationẽ, & sufferentiã? Accipite vxoris eius vocẽ, c. 2. iuxta Sept. *Quousq; sustinebis, dicẽs: Ecce expecto tẽpus, adhuc pusillũ præstolans spẽ salutis meæ?* Ea iã videbantur Iobi mala, sic auxilium Dei exterius dilatabatur, vt vel aheneæ spes, siue expectationes possent millies defecisse: & tamen Iobi expectatio, & sufferentia nullis dilationibus labat, nullis ictibus ruit; digna sanè, quod illi omnia bona duplicata recurrant. Sic capit. 42. *Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia.* Non enim alio differret Deus Iobi auxilium, nisi vt duplicaret bona illius, quando hoc præcipuũm habet bonã expectatio, & longanimis sufferentia iusti, vt duplicia bona parturiat. Hinc crediderint nõ otiosè à Matth. 1. dictum illud. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Vna enim Thamar duplici prole insignitur, quia vna sciuit longæuam sustinere viduitatem, vt de sanctorum semine conciperet. Quippè iuxta legem Moysis debebatur Thamari secundus filius Iudæ in maritum, post mortuum primum: cui Socer dixit Genes. 38. quod sederet in domo patris sui vidua pauliſper, donec cresceret maritus: *Sto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus.* Fecit, & hoc illa, sedit vidua, & diu sedit, & quamuis videret socerum promissi oblitum, tamen sedebat expectans: & quò sedens expectabat, eò festinantius ad duplicata munera ibat: quod pulchrè in rem præsentem expendit D. Chrisost. in Cat. dicens. Talibus promissionibus pascebatur Thamar, inque domo patris sui sedebat; expectans quando soceri promissio adimpleretur: *Et videns Iudam non velle implere promissa, mansuete tulit, non eligens aliorum coniugia, sed amans viduitatem, & tempus congruũ expectans; festinabat enim, vt filios procrearet ex socero.* Expende illud: *Festinabat, vt filios procrearet.* Vndè festinaret ad multiplices filios, quæ vidua manens sustinebat soceri repulsam, nisi quia expectatio, & sufferentia ad duplicia semper munera festinant?

D. Ennod.

Apoc. 6.

Prbo. 3.

Bernard.

Isai. 6.

Iob. 2.

Lxx.

Iob. 42.

Matth. 1.

Genes. 38.

Chrysost.

§. IX.

Sanctorum patrocinium humilitate acquiritur.

DOMINICAM patienter ferẽs repulsam (pro nulier, adhuc clamabat, cuius vocibus cõmoti Apostoli se sepatronos, & aduocatos mulierculæ apud Deum agunt. Quam aliter quinque illę virgines, Matt. 25. habitæ sunt, & virgines erant, & apud socias virgines à Deo repulsæ, & tamen in toto sociarum agmine, non est, quæ pro illis ad Deum loquatur. Cur ergo virgines repelluntur à Deo, nec experiuntur sociarum patrocinium, & hæc fœmina omnẽ Apostolorũ chorũ patronũ habet; cũ eius clamorẽ Dñs non exaudit? Crediderim discriminis rationẽ insinuari illis verbis, quia, *clamat post nos*: vbi fœminæ humilitas prædicatur, cuius defectus etiam virgines in perditionem agit. Ita D. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Respice mihi, quinque virgines exoluſas; & æquales pro ipsis non deprecatas; propterea quod seruato magno virginitatis munere, mandatum humilitatis parum non custo-*

Matth. 25.

Chrysost.

custodierunt. Odiosus omnibus est superbus, nemo est, qui illius subeat patrocinium, qui in eius auxilium loquatur. Quando superbissima illi homines turrim ædificabãt, Gen. 11. hoc illis supplicium Deus inflixit: *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui.* Quasi proprium sit superborum hominũ, quod nullius patrona voce, & auxiliatrice possint vti: è contra verò humiles vniuersos experiuntur aduocatos, & patrocinantes, vndè putat Ruper. confusionẽ linguarum curatam fuisse in humilibus Apostolis, quando apparuerunt super singulos eorũ dispertitæ linguæ. Quas enim auxiliatrices linguas superbia diuiserat, & fugauerat, eas sibi humilitas patronas conciliat, & aduocatas. Venit Dominus ad feriendam superbiam, patrocinium linguarum ex sufflans, venit ad humiles linguas reuniens: quare? Crediderim, quòd sic venerit, vt humiles per omnium linguas patronum sibi, & aduocatum credant adesse. Quam egebat Dauid patrono, & aduocato apud infensissimum sibi Regem Saulem, à quo petebatur in mortem. Quid tunc Dauid? Accessit humilis ad Ionathã. 1. Reg. 20. & eius humilitas de hostis filio fecit aduocatum, & patronum, qui diceret. *Nõ moriceris; neq; enim faciet Pater meus quicquam grande, vel paruum, nisi indicauerit mihi.* Quo circa ait D. Ambr. ser. 14. in Psal. 118. *Golia superato occurrerant iuuenculæ psallentes, Saul in millibus, Dauid in decem millibus. Commotum est fel Regis, & quærebat eum occidere, & humiliauit se Dauid ante Ionatham filium Regis, & conuertit eius affectum, vt quem successorem patrij Regni poterat habere suspectum, eũdem aduersus studia paterna seruaret.* Vbi non inueniet humilitas patrocinium, quando & filium hostis fecit aduocatum? Cõponamus modo duarum fœminarum aduersus regias leges peccata; altera Vasthi vxor assueri ab illo iussa in publicum procedere, imperium regis contẽpsit. Rex iratus coegit sapientum suorum Senatũ, & omnes vnanimiter sententiam repudij ferunt aduersus Vasthi. Altera Esther cõtra regis decretum ausa est intrare Regis penetrale. Quid tunc? Pauidam, & trementem Rex ipse, & omnes eius optimates consolantur, tutantur. Sic cap. 15. *Conuertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus, ac metuens exiliuit de solio, & sustentãs eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? Ego frater tuus sum, noli metuere.* In super addit textus: *& omnes ministri eius.* (regis) *consolabantur eam.* Ecce tibi Vasthi, & Esther, vtraque Regina, vtraque Assueri vxor, vtraque regis legem, & imperium frangit; & Vasthi Regem, & omnes eius optimates fortitur accusatores, nemo est, qui non illam dãnet: Esther autem & Regem, & omnes eius ministros fortitur patronos, & aduocatos, qui vnanimiter pro illa loquũtur! Vnde hoc? Rupertus id tribuit Vasthi fastui, & arrogãtię, & Estheris humilitati, qua regiam gloriã temperauit, qua coram rege, & optimatibus se deiecit. Ita lib. 12. de diuinis officijs, capit. 25. *Esther pro temperantia ponitur, quæ, repudiata ob arrogantiam Vasthi Regina, in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantiæ hoc iudiciũ est singulare, quod leonem illum, de quo ipsa dicit: & da mihi gratiam in conspectu leonis, id est Assueri Regis, in mansuetudinem conuertit.* Et pulchrè, cum humilitas, & subiectio etiam leones frangat.

Gen. 11. Rup. 1. Reg. 20. Ambros. Æster. 15. Rupert.

§. X.

Caueant impij, dum impij viuunt, gloriari de sanctorum patrocinio: illum sancti patrocinantur, qui eorum imitatur virtutes.

MVLIER, aiunt, clamat post nos, quasi eius subeant sancti patrociniũ, qui eorum hærens vestigijs, virtutes etiam sequitur. Male enim gloriatur quis à se electum esse patronum, cuius moribus vita ipsa repugnat. Israelitæ læti de arcæ patrocinio, illam educunt aduersus Philistæos. 1. Reg. 4. *Inito autẽ certamine, terga vertit Israel, & percussus occubuit.* Sed cur cæduntur, qui arcę vtebantur patrocinio? Pulchrè Teodor. ser. 10. de Prouid. ait. *Non enim oportebat legem propugnatorẽ suum fieri ab eis, qui legem palam trangressi fuerant.* Periculosum valde est, illum vitæ patronum eligere, cui vita, & moribus te magis contrarium exhibes. Clamabis sæpé patronos, quos carnifices experieris. Timere maximè debes, dum vitam sanctis omninò contrariam agis, de eorum gloriari patrocinio, ne dum ipsi veniant ad alumnũ, inueniant, quẽ perdãt, inimicũ. Nescio quis Virgini Mineruę deuotus, statuã eius in lupanari cõstituit, aduersus quẽ pulchrè integra oratione inuehitur D. Enno. sic fatus. *Virginis oculos, & lupanaris secreta violauit; & in vtroque sacrilegus, nec flagitia veneratur, quibus inimicam Deam testem adhibuit: & castitatis profligat ruborem, quam indignis associat.* Sic impij, & scelesti homines faciunt, dum intra omnium vitiorum speluncas patronis sanctis aras constituunt; & se se penitus tradentes libidinibus, cœlestium virginum vanè ostẽtant patrocinium. Et sibi nocent, & sanctos offendunt; sibi nocent

1. Reg. 4. Theodor. D. Ennod.

cent, dum criminum ſuorum hoſtes teſtes adhibent; ſanctos offendunt: quia eos indignis aſſociant, & quaſi prædicant ſcelerum amicos. Quam ſtulte diues ille, cum eſſet in tormentis, Luc. 16. patronum ſibi elegit: quippè ait. *Pater Abraham, miſerere mei.* Neminem magis moribus ſuis contrarium poterat inuenire; nec alio magis ſuam cauſam deploratam oſtendit, quam dum ipſe crudelis miſericordem Abrahamum vocat in patrocinium. Qui potius ſententiam ferret in auaros, quam auxilium. Qui humilior, & ſanctior, quam Iacob? Is tamen mille artibus ſtuduit patris præripere benedictionem, & ſibi fratrem natu maximum poſtponere. At non ſatius eſſet, quod Iacob fratris patrocinium ſumeret, quam illum ſibi præferret? Ambroſ. lib. 1. offic. capit. 33. ait. *Sanctus Iacob paternæ degenerem domus virtuti perferre non poterat.* Equidem depellunt ſanctorum patrocinium degeneres mores. Pulchrè monebat lex homines illos, qui non ſufficiebant ad eſum agni, vt pararent ſibi auxiliatores de vicinis, de conſanguineis. Ait enim, Exodi 12. *Aſſumet vicinum ſuum, qui coniunctus eſt domui ſuæ*; vbi bene notat Caietanus, quod vicinus deberet eſſe ex eodem genere Iſraelitarum. Sed cur eiuſdem generis vicinus quæritur ad eſum agni? An quia adiutorium non ſperandum, niſi ab his, quorum virtutibus fuerimus maximè ſimiles? Ita Nazianzen. orat. 2. de Paſc. dicit. *Datur eorum ſaltim opera, atque adiumento ad eam rem vti, qui virtute nobis conſanguinei ſunt, moribuſque perſimiles. Hoc enim mihi ſignificare videtur, quod ſacrificij participes fieri propinquos Deus præcipit, ſi ita opus fuerit.* Caue diſſimilium, & contrariorum aucupari auxilia; ſi vt Deo ſacrifices, vt cœleſtibus veſci poſsis, vt mala deuites, ſanctorum indiges auxilio, illorum cura appropinquare virtutibus, & ſic de conſanguineis, & ſimilibus certum habebis auxilium. Abraham Geneſ. 18. vt ab oſtio tabernaculi ſui vidit tres viros venientes, *cucurrit in occurſum eorum, &c.* Et quidem non lente iuit, ſed cucurrit, accelerauit auxilium præſtare peregrinis, quia & ipſe aduena, & peregrinus erat. Quod notat Chryſolog. ſerm. 121. inquiens. *Peregrinus ipſe iugiter laborauit, ne peregrinus peregrinum ſe eſſe ſentiret; ſub tentorio manens ipſe, ſine tecto aduenam manere non eſt paſſus: & hoſpitem hoſpes ſemper ipſe ſuſcepit.* O quam accelerat auxilium morum, virtutumque ſimilitudo! Nullo, mihi crede, ſic trahes ſanctos, quam ſi eorum virtutes emulaberis. Quod eleganter docebat Diu. Leo, ſerm. 5. in Epiphan. *Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribuſque ſociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiſcite, & per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia. Cum quibus enim vobis fuerit conſortium deuotionis, erit & communio dignitatis.* Hæc ille.

Luc. 16.

Ambroſ.

Exo. 12.

Nazianz.

Geneſ. 18.

Chryſol.

D. Leo.

Text. Ipſe autem reſpondens ait: non ſum miſsus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael.

§. XI.

Digniſsima Euangelici miniſtri ſollicitudo eſt de temporalibus populi ruinis reſtaurandis etiam minimis.

SÆPE aliàs meminit Deus filios Iſrael, nunc mauult meminiſſe oues; an quia alij filij, aliæ oues erant in Iſraelitica domo? Abſit, quos enim infra vocat filios, eoſdem vocat oues, ſed notanter crediderim Dominum in præſenti meminiſſe ouium; vt nimirum ſignificaret eam habere ſollicitudinem pro populo ſuo, qua non ſolum filiorum bonis, ſed etiam minimæ ouiculæ, vel cuiuſuis rei temporalis reparationi anxius incumberet: quando temporalium defectus maxima Reipublicæ damna pariunt. Mihi hanc mentem ſuggeſsit Iſaias, cap. 1. vbi ſic ad populum concionatur. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua.* Quæ verba explicatius reſonant apud Sept. Vbi dicitur. *Argentum veſtrum non probum; caupones tui miſcent vinum aquæ.* Expende, quò ſe ſe diuertat tantus Propheta, nimirum vt ſuggerat de argento, de vino adulterato; cur nō potius inuehitur in execrāda cum dijs gentium adulteria? Cur his omiſsis meminit leuidenſia illa de argento, de vino mixto aqua? Id de Euangelici miniſtri more factum reputans Diu. Chryſoſt. ibi fatur. *Et vnigenitus Dei non pauca diſeruit de menſuris, de ſalutationibus, de intermedijs contractibus, primiſque recubitibus. Hæc enim, quæ in ſpecie videntur eſſe lenis momenti, interim neglecta, plerumque magna exhibent incitamenta ad peccādum. His ſiquidē neglectis plerumque contingit ciuitates euerti, Principes è ſolijs deijci. Bella inſuper citra ſpem vllam ineundi fœderis, promota ſunt, &c.* Dignum equidem Euangelici miniſtri eſt ad hæc temporalia deſcendere, quando illa, & contempta multum obeſſe, & ſeruata multum poſſunt prodeſſe ciuitati.

Iſai. 1.

Lxx.

Chryſoſt.

§. XII.

§. XII.

Dignissima Principe vox, quod etiam subditorum ouiculis prospiciat.

VERE Rex regum, & Dominus dominantium Iesus, qui non solum populi sui filijs, sed vel eorum ouiculis paratus est occurrere. Cum enim filios metaphorice oues vocat in præsenti, proprietatem simul veri Principis insinuat, qui vel de subditorum ouiculis debet esse sollicitus. Apud Cœlium Rodigin. lib. 5. capite 1. Rex Philippus maximo cinctus exercitu in pulcherrima deuenit nemora, cuius amænitate captus, ibi figere tentoria imperauit. Restiterunt Œconomi Regiæ cupiditati, propter soli sterilitatem; non enim ibi fœnum erat, quo vescerentur caballi. Tunc Rex ait: *O Hercules cuiusnam modi est vita nostra, si ad asellorum occasionem viuendum nobis est.* Et quidem ea est Regis optimi vita, quæ vel subditorum asellis prospiciat. Deuteron. 25. cauebat lex: *Non ligabis os bouis terentis in area tua.* Ex quo Regiam Christi in homines magnificentiam educit Tertulianus lib. 4. in Marc. Quasi à nullo alio possent homines sperare ingentia bona, quæ habent ex Christi Domini Regno, nisi ab eo, qui & hominum iumentis nouit prospicere. Ait enim sic: *Boui terenti os non colligabis. Quis tam præstans in homines, nisi qui & in pecudes?* Ille benè subditis hominibus prospiciet, quem pecorum sollicitat cura. Præstantissimus quidem est, ad hominum gubernaculum, qui de bobus in area terentibus est sollicitus. Regia illa summi imperatoris Dei sapientia, quæ Ecclesiastic. 24. *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.* Hæc, inquam, sapientia Regum mater, & nutrix, inter alia sui signa, quibus dominium obtinuit omnium, hæc ponit. *Memoria mea in generatione sæculorum.* Quæ verba Diu. Vincentius Ferrer, serm. 2. de Natiuit. Mariæ, refert ad primam vtriusque orbis cœlestis, & terreni generationem; quasi ex eo velit agnosci Regum creatrix sapientia, quod in primo creaturarum ortu opera operata est. Ibi in prima rerum conditione, sapientiam suam exhibant regnorum institutores, & moderatores. Quid ibi regale? Hominis tunc vita, & conditio à creatore in primis prospiciebatur, & quia homo erat totius conditionis finis, & scopus, vide quã erat sollicitus creator, circa pecora condenda, circa animalium pabula præparanda: vt inde nouerint reges, quibus hominum demandatur cura, quam debeant circa pecora, & animantia hominis sollicitudinem amplexari. Quò respexit Diu. Thomas lib. 1. de regimine Princip. opuscul. 20. capite 13. inquiens. *Ratio autem institutionis regni ab exemplo institutionis mundi sumenda est. In quo primo consideratur ipsarum rerum productio: deinde partium mundi ordinata distinctio. Vlterius autem singulis mundi partibus diuersæ rerum species distributæ videntur: vt stellæ cœlo: volucres aeri: pisces aquæ: animalia terræ. Deinde singulis ea, quibus indigent abundanter diuinitus prouisa videntur, &c.* Eam Rex vitam agat, qua consulat etiam minimis agnellis subditorum. Et fallor si quid sit magis proximum Regni excidio, quam si vel peccorum, & iumentorum abijciatur cura. Sapientissima Iudith capite 11. sic extremum populi sui discrimen exaggerat. *Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum. Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi instrumento, & vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est, quod in perditionem dabuntur.* Meritò putat perditionem imminere Reipublicæ, in qua pecora perduntur.

Cæl. Rod.

Deut. 25.

Tertul.

Eccl. 24.

D. Thom.

Iudith. 11.

§. XIII.

Optima Regum policia est, agricolarum, & operariorum ruinis reparandis studere.

VIDE, quo mittatur creaturarum Princeps, & Rex, nimirum, ad oues, quæ perierunt; sunt in magna Israelis domo, & perpetes Aquilæ, & Regij leones, hoc est, sunt Principes, sunt diuites homines, qui suffragio bonorum, & diuitiarum se se super omnes extollunt: sunt item agricolæ, sunt pastores, qui terram vel fructibus pariendis, vel ouibus pascendis sollicitant. Horum ergo in primis curam habeat optimus Rex, vt qui sint & fulcra, & sustentacula totius Reipublicæ. Amos capite 7. ait. *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans supra murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Ecce tibi supra murum inter pinnas, inter turrium coronides stat Rex regum, & Dominus dominantium: & tamen non pinnis elaborandis, non coronidi perficiendæ, sed cæmentis, quæ longè inferiora sunt, & terræ inclusa, totam præstat operam, & studium. Id solum habet præ manibus, nempè cementariam trullam: quasi id solum

Amos. 7.

ſolum debeat eſſe præcipuum regis ſtudium non de faciendis magnatibus, & dynaſtis, ſed de ſufficiendis agricolis, qui terram ſollicitẽt. Periculoſe ornarentur muri pinnæ, vbi cæmenta contemnũtur; periculoſius Principes in promouendis magnatibus, augendiſq; diuitibus deſudant, & agricolarum pauperies non viſitur. Mille nouos dynaſtas feciſti, ſed nec vnum reparaſti cadentem agricolam, vnde optimi Principis ſtudium perdidiſti. Hoc erat ius Regibus innatum aiebat Samuel. 1. Reg. cap. 8. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis: faciet́q; ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum: & conſtituet ſibi tribunos, & cẽturiones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, &c.* Itaque ille Rex eſt, qui non ſolum faciendis tribunis, ducibus, dynaſtis, equitibus dat operam: ſed & qui ſtudet facere agricolas, aratores, meſſores. Imò militiæ honores bonus Rex ideò inuenit, vt agricolis faueat: id quod aſſerit D. Syneſius lib. de regno ſatus. Cum bello pax felicior ſit, quoniam pacis cauſa bellum inſtruitur; conſulto ſanè fecerit Rex, qui ſe tòti imperij corpori armato, & inermi tradiderit: ac poſt milites ciuitatibus, populiſque ſuis copiam faciat, quibus *militum opera, & agriculturæ, & Reipublicæ ſecuritatem conciliabimus.* Non vtique regnũ ſtat ſine agricolis, nec Rex ſupra muros inter pinnas videbitur, cui nõ ſit præ manibus trulla cæmentaria, hoc eſt, quem inter duces agẽtem non ſollicitet curã agricolarum: & inter nobilium ſtemmata, ſciat oculos vertere ad ruſticanam ſegetum culturam, & arborum. Ioan. 1. dixit Ieſus Nathanaeli: *Cum eſſes ſub ficu vidi te.* Cui ſtatim Nathanael reſpondit ſtupefactus. *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Non miror, quod ex prophetica Ieſu viſione, illum Nathanael filium Dei nominarit; verum miror, quod Regẽ Iſraelis vocarit. Quid regium oſtendunt ea verba: cum eſſes ſub ficu vidi te? Cur ex his Rex appellatur? Sanè Regium erat, quod oculos conuerteret ad hominem ſub ficu agentem, & forſan de rurali ſatione ficus cogitantem. Et maximè regales facit Reges ea cura, quæ illos trahit ad conſulendum his, qui agriculturæ operam nauant. At non fieri poteſt, vt Rex omnia etiam ruſticorum norit, quid tunc Rex non erit? Pulchrè D. Syneſius lib. de Regno fatur. *Verum & id, quod collapſum eſt, etiamſi non videret, reſtaurabit, & in egeſtate laborantes populos largitionem faciet, & publicis ſumptibus iam dudum vexatis publica munera remittit.* Indignum ſanè eſt regia virtute, quod Rex totus ſit in magnatibus Regni promouendis; & vix horam terat in agricolis deficientibus reſtaurandis, in pauperibus ſubleuandis. Quam indignitatem lamentatur Petrus Bleſenſis epiſ. 14. dicens: *Eliſæus implebat vaſa vacua; & deficientibus vaſis fletit oleum. Incuria verò contemnuntur vaſa vacua, & plena implentur: ligna in ſyluas, & aqua in maria deferuntur.* Et quidem vereor, ne Reges maximè Deum irritent, quod ab agricolis, & ruſticanis hominibus ingentia bona percipiant in quotidianis exactionibus, & tributis, quibus regie viuunt: de horum tamen ruina reparanda, & egeſtate ſubleuanda nihil omninò curẽt. Notate vndè diues ille purpuratus, maximè Deũ irritat. Luc. 16. quippè ait, quod poſiti Lazari antefores: *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Cur permittit Deus canes diuitis de vulneribus Lazari ſaturari? Vt crudelitas diuitis appareret, & eius damnatio, quia cum videret canes ſuos ſaturos ſanguine pauperis, adhuc non mouetur ad ſubleuandum pauperem. Chryſolog. ſerm. 121. *Soluit Deus pauperi manus à ſuis artubus, vti nec abigeret canes, quos vulneribus ſuis diuitis erat paſturus ad vulnus: ſit humana mendicitas, vt cupiditas prodatur inhumana.* Quid humanius, quã quod pauper ſanguinem fundat, vt alat diuiti venaticos canes. Quid magis ferale, quam quod purpuratus diues videat canes ſuos à pauperis ſanguine ſaturos, nec curet pauperi referre gratias? Ecce vobis reges, quam humana eſt mendicitas, & paupertas erga vos: pauperculi agricolæ de ſudore ſuo, de ſanguine ſuo, dant vobis canes ſaturos, quibus venationum delitias potiamini: exactionibus, & tributis preſsi faciunt vobis ampliſsimas domos, regales pompas, quibus efferimini, & vos inhumani, & efferati nihil curatis cauſas veſtrarũ opũ, & deliciarũ, nec vnquã ad gemitũ reſpicitis pauperum. Hos pungit D. Baſil. ſerm. de humil. ſatus. *Dignitatibus ex populi conſenſu oblatis ſuper naturam ſe extollunt, ſi plebs dignitatem dederit, ſi præminentiæ dignitatem ſuis ſuffragijs decreuerit. Atque hi ſane, velut humanam naturã excedentes tantum non in nubibus ſedere ſe putant, ſubiectos homines, tanquam puluerẽ ducentes, & contra eos, qui ipſis dignitatem dederũt ſe attollẽtes, & contra eos arrogãtes, per quos cõtigit ipſis, vt aliquid eſſe viderẽtur.* Quippè inhumanũ eſt nõ proſpicere ſuorũ bonorũ cauſis.

1. Reg. 8.

D. Syneſ.

Ioan. 1.

D. Syneſ.

Petr. Ble.

Luc. 16.

Chryſol.

Baſil.

Tex. At illa venit, & adorauit eũ, dicens Domine adiuua me. Qui reſpondẽs ait; non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

§. XIIII.

§. XIIII.

Nemo prætextu auxilii diuini se ab operibus excuset.

PRVDENS fœmina non se labori eximit, solum petit auxilium, cui ipsa cooperetur, si fas esset, etenim ait: *Adiuua me*, quasi & ipsa, quod in se fuerit, factura. Ea quippe sunt diuina dona, quæ requirunt accipientium laborem, & cooperationem, vt eleganter cecinit *Alcim.* D. Alcimus lib. de cast. ad Fuscinam sororem, vbi sic.

Nam quid dona iuuãt hominem, si mente soluta
Turpia collatum dispersant otia munus?
Auxilium conatus amat; quis namq; vacãtem
Adiuuet, aut somno virtutem iungat inerti?

Ille diuinum expectet auxilium, qui se se ad cooperandum accingit. Nihil fecerat Iosue, & operante Deo ceperat vrbem Ierico, cuius muri ad tubarum sonitum corruere. Cõtinuo iussus est à Deo ad ciuitatem Hai contendere, vt capiat illam. Pergit strenuus dux, & ad du- *Iosue 8.* ces exercitus locutus cap. 8. ait. *Ponite insidias post ciuitatem, nec longius recedatis: & eritis omnes parati. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum est, ascendemus ex aduerso contra vrbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab vrbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere, sicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus consurgetis de insidijs, & vastabitis ciuitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.* Ecce vobis post quot stratagemata, post quot fugæ simulationes, post quot pugnas docet sperare diuinum auxiliũ. Sed vbi Deus auxiliator est, cur tot belli æstus excogitantur? Quia Deus auxiliator est, & *Theodor.* non totius rei effector. Ait Theodoret. q. 10. *Docet etiam fideles vsos esse commentis humanis, nempe vt auxilio diuino. Cum enim solo tubarum sono primam vrbem cepissent, merito sane discunt certare, labori incumbere, & suppetias diuinas expectare. Confestim ergo dimicãtibus illis succurrit Deus.* Quippe gaudet Dominus diligentia humana, illosque homines iuuat, qui otium, & inertiam nouerunt excutere, & quidquid in se est ingenij, aut virium, operi applicare. Ge- *Genes. 2.* nes. 2. sic habes. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, qui vocaret ea.* Quibus illud aliqui notãt, quod pro animantibus terræ, legendum sit, *bestijs agri*, ad distinctionem pecoris domestici, & curati, quasi Deus solas bestias feras, & volatilia curarit adducere ad Adam: verum mansueta, & domestica pecora Adami diligentiæ fuisse relicta, vt ipse quod posset facile, id face- *Ambr.* ret. Ita D. Ambros. in cat. Lypp. ait. *Qua autem ratione hoc factum est, cum tantummodo bestias agri, & volatilia cæli ad Adã adduxerit Deus? Erant enim, & pecora iuxta genus suum. Denique infra habes: Quia imposuit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus bestijs agri. Quæ igitur absolutio est, nisi quia indomitæ bestiæ, & volatilia cæli diuina potestate ad hominem deducantur? De pecoribus autem domitis congregandis & homo habuit potestatem. Ita illud diuinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentiæ.* Sic Deus amat, quod quisq; , quod in se est, faciat, nihil enim vult sibi committi ex his, quæ possumus facere nos. Deuter. 22. iubet lex. *Cum adi-* *Deut. 22.* *ficaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua,* &c. Pericula semper sunt in constructione ædificiorum, quibus vel transeuntes offendant ad lapides, vel deciduis feriantur lignis; quæ dãna vt præueniantur, bene iubet lex, quòd domus cingatur muro. De quo sic ait Auctor *Auct.* Caten. Græc. *Murus verò circa domum nouam extruendus est ad deuitanda pericula. Non enim quemadmodum stulti, & ignaui homines opinantur, omnia curæ diuinæ committenda. Tunc exoptandum à Deo auxilium: quando nobis ipsi nõ defuerimus.*

§. XV.

Oratio diuinitatem Christi commendat, & exaltat.

DVAS fœminas, inter alias, ad Iesum accessisse reperio matrem filiorum Zebedæi, & hanc Chananæam, ambas matres, ambas pro filijs exorantes, Deum adorantes ambas. Sed de illa dicitur, quod accesserit: *Adorãs, & petens*: quasi aliud fuerit opus adorationis, quod petitio comitabatur; hęc autem: *Adorauit eum dicens; adiuua me*: non adorauit, & dixit, sed adorauit dicens, quasi adorationis opus fuerit ipsa petitio, & obsecratio. Et quidẽ tum maximè diuinitas adoratur, & comendatur, quando ab ea aliquid per orationem postulatur. Delirus Origenes & Christum Deũ fatebatur, & simul negabat ab illo aliquid esse postulandum, cuius blasphemum os retun- *Theoph. Alexand.* dens Theophylus Alexand. aurea illa epist. Pasch. 2. ait. *Quis tantis Christum afficit contumelijs, vt Origines hic, qui ausus est dicere, non debet orari; cassum tantum ei diuinitatis nomen indulgens?* Expendo illud: *Cassum nomen diuinitatis indulgens*: quasi vellet, quod Deus cassus, & inanis cẽseatur esse, qui orãtibus nõ adest. Vna enim oratio potens est quoad nos, & cõmẽdare, & extollere diuinitatẽ. Erat Christi Origini

miraculorum patrator, erat mortuorum suscitator, & tamen quamuis multa alia efficeret mirabilia, dum orationes non exaudit, putat Theophylus in illo diuinitatem esse cassam. Et quidem tunc maximè diuinitas claret, tùc in superiore exaltatione diuinitatis gloria apparet, cum orationibus sanctorum circumdatur. Felices illi diuinitatis speculatores Angeli sic magnitudinem Dei mirantur, vt Apoc. 4. *Requiem non habebant die, ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.* Quid tùc? Paulo post cap. 8. audio quod, *factum est silentium in cœlo, quasi dimidia hora.* An obierunt acclamatores diuinæ omnipotētiæ? Absit, cur modo Dei omnipotentiam nō prædicant, sicut antea? Nisi fallor, modo omnipotens diuinitas orationibus sanctorum pulsatur, quo ita in sublime effertur, vt nec angelica lingua illo possit scandere; ait enim textus: *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incēsa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Ecce tibi modo omnipotens diuinitas orationibus pulsata sanctorum, eam exerit magnitudinem, & exaltationem, quæ omnes superet linguas creatas, & quæ antea in throno eleuato sedens, regibus cincta, celebrabatur tamen Angelorum vocibus: modo inter orationes agens non potest, nisi silētio celebrari. Vt hinc pateat, quā recte à Theophylo dicatur diuinitatis nomen cassum, dum orantibus nō adest. Sed hoc elegantius explicat illud Dei orationibus deuicti exemplum, Luc. 11. nimirum: *propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi.* Improbitas orantis Deum exsurgere facit & dona mittere. Sed quæ improbitas tantum valet, vt propter illam Deus exurgat, & manifestetur amplius? Sanè in præsenti, improbitas sumitur pro quadam vexatione, & quasi molestia ordinata ad præstantiores fructus obtinendos, vt agricolarum assidui sudores vocantur labor improbus, quo terra solicitata vires suas exerit, & expandit. Dicitur enim terra, dū sibi relinquitur otiari, & cassa esse, quamuis multas herbas, & plātas à se producat, sed vbi accedit labor improbus agricolæ, & terra aratro finditur, & sollicitatur, seminibus grauis, iā non cassa, sed fructifera fœcundam suam prętendit bonitatem: sic Deus, dū nō adest orātibus, & si multa alia faciat, quasi otiosus sedet, & cassus: verum vbi improbus orātium labor accedit, Deumque quasi vexat, statim exurgit diuinitas, suæque valentioris bonitatis præstantissimos fructus pandit. Huc spectat D. Ennodius, epist. 3. fatus. *Pulsanti sæpe surgit Deus, & tribuit, si non propter meritum, vel prōpter importunitatem. Sic vsuram cultoribus vexatis reddit terra cespitibus. Sic ad vocem vnius hominis montis secreta respondent, & diem angustus clamor vincitur, valetudinem suam elementa manifestant.* Itaque, vt vox humana montium angustijs deuicta se se per Ecum multiplicat: vt ager labore vexatus improbo fructuosior, & excellentior apparet, sic Deus oratione pulsatus in glorioſiorem Deitatis manifestationem exurgit.

Apoc. 4.

Luc. 11.

D. Ennod.

§. XVI.

Filiorum cura habenda præ aliis omnibus.

VT probet Dominus, quam debite priùs saluti Iudæorū studeat, communem suggerit doctrinam de cura habenda filiorum. Quę sic parentes obligat, vt illi postponenda sint cætera omnia pietatis opera. Pium sanè est, & commendabile debitorem non vrgere commendatæ pecuniæ repetitione, & nihilominus pijssimus Tobias, cap. 4. sic fatur filio suo. *Indico etiam tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, & Chirographū eius apud me habeo, ideo perquire, quomodo ad eū peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argēti.* Sanè pijssimus vir extrema pressus egestate, non adductus fuit, vt debitū sibi requireret: at vbi filij causa erat agenda, posthabitis alijs, debitum indicat, chirographum exhibet, & de pecunijs sollicitat repetendis. Id ponderat D. Amb. Epist. 60. fatus. *Exemplum vobis sit Tobias, qui numquam requisiuit pecuniam, quam dederat, nisi extremo vitæ suæ tēpore, magis ne fraudaret hæredem, quam vt depositam pecuniam cogeret, & recuperaret.* Habeant hoc parentes optimi præ oculis, ne filios fraudent, quin potius filiorum in primis vtilitati consulant. De illo enim homine possunt se iure amici expectare beneficium, qui nouit priùs filiorum suorum attendere bona. Audisti Iobum pro filijs suis valde sollicitum fuisse, de illo, cap. 1. dicitur: *consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos:* quasi nihil primum sibi existimaret faciendum, quā filiorum commodis vacare. Ergo post ærumnas, post felicitatis restitutionem dicit Dominus ad Iobi amicos, cap. 42. iuxta Sept. lectionem. *Nunc autem sumite septem vitulos, & ite ad seruum meum Iob, & faciet sacrificiū pro vobis.* Ad Iob mittūtur amici, & amici qui valde Iobū in ærumnis pupugerant; quomodo à Iobo offenso sperabunt sacrificium amici, qui

Tob. 4.

Amb.

Iob. 1.

Iob. 42.

ci qui offenderant? Ea sanè fiducia, quod Iob esset, qui filiorum suorum in primis commoda agebat, qui manum assuetam habebat offe rendis sacrificijs pro filijs. Pulchrè D. Chry-
Chrysost. sost. in Cat. Græc. ait. *Fit igitur Iobus sacerdos, amicis victimam adducentibus. Et illud attende, vt is, qui pro suis liberis sacrificium facere solitus erat; nunc etiam pro amicis faciat.* A filijs ad alios præclarè descendit pater, ita tamè vt prius filijs prospiciat, filios prius attendat. Hic ne affectus indebatur homini in prima sua conditione? Tunc ait Deus pater ad filium Gen.
Genes. 1. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ecce tibi in homine non vnius personæ diuinæ imago imprimitur, sed plurium, nam pluralitatem sonat illud, *ad imagi-*
D. Zen. *nem nostram.* Quot ergo personæ diuinæ inseminantur homini? D. Zeno in Cat. ait. *Vnus homo ad duorum imaginem, & similitudinem fingitur*; putat enim hic auctor cum alijs homini Dei patris, & filij imaginem indi. Et sicut nulla persona creata, aut increata Patri est prior quã filius, imò post filiũ cætera omnia aut proceduntur, aut gignuntur, sic de hac patris, & filij imagine insitum est hominibus, vt
Basil. cum nomine Patris, & Filij, & primos horum affectus subeant. Quo spectat D. Basil. Seleu. orat. 1. satus. *Homo fit pater, & filius progenitur diuinis solus ornatus honoribus, & nominibus: intemporalem patrem tempore imitatur, & appellatione, & filius post partus dolores agnominatur, &c.* Ex omnibus, quæ sunt patris, & filij nomen solis hominibus attribuitur, sed & honor patris, & filij, vt discat pater nihil prius respicere, quam filium; filius sit primus in delicijs, & curis patris. Quam patrum ad filios primã curam adeò sanctam voluit esse Deus, vt se nõ alio, quam in filiorum ordine esse velit, vt di-
Isai. 9. catIsaias 9. *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis*; venit enim Deus nobis, vt filius, filiorumque vult intrare ordinem. Inde quando percussi fuere Ægyptiorũm primogeniti, similiter omnes illorum gentium Dij corruêre, vt testatur D. Hieron. ad Fabiolam manss. 1. Euseb. lib. 9. de Præpar. cap. vlt. vt ostenderetur quælibet diuinitas vera, aut ficta nobis in ordine filiorum esse. Ex quo pulchre, &
D. Valer. eleganter pungit D. Valerianus omnes qui bona sua filijs testamento legant, penitus immemores Dei, cui vt filio partem suam in primis mandare debebant. Sic enim loquitur homil. 4. de promissis, & non redditis. *Videtis nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum esse, quam Deum. Si enim cum vnum filium habeas, alium tibi vxoris partus exhibeat, nonne vtrumque tibi vnum successionis gradum pietas paterna commendat, & vt superuenienti locum facias, etiam testamenti iura rescindis? Ita hæreditatem, cui solet vnus inhæreditare, frequẽter videmus inter multos numero accrescente sufficere. Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Christum sibi natũ, atque intra duos, aut tres, aut plures, ita opes suas diuidat, ne Christus exhæredatus abscedat. Fac ergo locum Christo tuo inter filios tibi dilectos.* Quid pulchrius?

Text. At illa dixit. Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

§. XVII.

Auspicium victoriæ Christianæ, & quod humilitas Christiana aereas potestates detriumphat.

ADVERSVS dæmonem, quo filia cruciãbatur, præclara gerit arma, dum de catelli vilitate humilis Christo Domino accedit, Quid plura? Iam nobilis triumphator Iesus totas diaboli cõfringet machinas; ecce canis ista humillima nobile victorię auspiciũ dedit. Maximilianus ille maximus Romæ Imperator, vt auctor est Paul. Iouius, lib. 11. castra fi- Paul. Ioui.
xerat aduersus ingentem Gallorum exercitũ. Hi alacres, & animosi pugnam expectabant; quando in nocte ad pugnam proxima ecce tibi vniuersi canes, qui cum Gallis erant, subito ad Romanos aduolarunt, quorum castra vt intrant, singulis militibus adgaudent. Rem notat milles nomine Iacobus Motinus, qui lętabundus certam victoriam promittit Maximiliano. *Quod à maioribus* (inquit) *gentibus esset obseruatum in auspicijs præliorum, eorum fore victoriam ad quos hostium canes, tanquam ex infelicibus castris, ad tuta, fortunataque hospitia peruenissent.* Quæ iam Sathanę castra aduersus Christum stabunt, quando tales hostium canes reperiuntur in agmine Christiano? Semper enim canes victores odorantur. Ille Philistæus 1. Reg. 17. contemnens Dauid- 1. Reg. 17.
dem ait. *Quasi ad canem existi cum lapidibus.* Illum vero sic mordet Chrysostom. homil. Chrysost.
propria, inquiens. *Tu si canis fuisses, nunquam in hac pugna dimicare auderes, nunquam constanter in hoc prælium processisses: sed vt canis prælium declinares, interitum tibi futurum metuisses.* Odorantur enim canes suorum ruinam, & ad victores fugiunt, vt euadant. Vndè ex aduentu catelli huius, clarissimè ostenditur victoria Christi. Reperiuntur sane plurimi, qui fugientes ab infelicibus

diaboli caſtris, vt canes ad Dominos ſic humiles ad tuta, & fortunata confugiant Chriſtianorum receptacula, quo non amplius metuãt tyrannicam Sathanæ poteſtatem. Venit ad te humilitas? Victoriam ſane à diabolo reportabis. Inuincibilis Iob, vt ſtrictum in ſe Dæmonis ferrũ animad uertit, iſto ſe clypeo humilitatis munit, vt triumphũ ageret de Dæmone. ait enim cap. 1. *Tonſo capite, corruens in terram adorauit*; vbi aliter ponit Origen. lib. 1. *Aſperſit terram ſuper caput ſuum.* Ecce clypeum aduerſus dæmonem, quo qui munitur minime aereas poteſtates expaueſcit. Ita Origen. ibi: *Ob hoc aſperſit terram ſuper caput ſuum, vt doceat omnes mortales, quia & ipſi poſſunt ſimiliter ſtare aduerſus nequiſſimum.* Cadent profectò vires diaboli, vel ad ſolum odorem humilitatis; ex quo in Chriſtiana caſtra humilitas venit, qua ſe homines canes, & puluerem prædicant, nullæ manent vires Sathanæ. Sed age, vbi Iob dicitur inuincibilis ſtetiſſe aduerſus diabolum, quid eſt illud, *corruens in terram adorauit*? Si inuincibilis ſtetit, qualiter corruit? Si corruit, qualiter inuincibilis? Pulchrè D. Chryſoſtom. ad Olimpiadem, inquit. *Tanta clade affectus de pietate erga Deum, ac religione minime receſſit, ſed humi adiectus diabolo compedes iniecit.* Non victus eſt etiam cum ſerpit humi, ſed tunc victoriam potitur, tunc abiectione, & humilitate ſua diabolum conijcit in vincula, ponderoſiſque compedibus ligat. Neſcit humilitas in Dei ſeruis eſſe, niſi cum ingenti diaboli ruina.

Origen.

Chryſoſt.

§. XVIII.

Humilitas animum firmat, ne vllis ictibus frangatur.

CANINI nominis vilitate percuſſa fœmina non frangitur, ſed adhuc Domino hæret, & inſtat: etiam Domine, nam & catelli, &c. O vox humillima cæterarum virtutum firmitudo, & prænuntia! Quam virtutem non conſequitur, & cuſtodit humilitas? Pſalm. 81. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes: vos autẽ ſicut homines moriemini.* Vide celſarum virtutum firmitatem, ad quam vocamur: *Ego*, ait, *dixi, Dij eſtis, & filij excelſi*: ad diuinas virtutes vocamur; ad eamque celſitudinem ad quã nullum accedere poſſet flagellum. Et qua via ituri? *Vos autem, ſicut homines moriemini.* Si inacceſſibilem virtutum celſitudinẽ pertingere vultis, vt ſitis Dij, viles vos homines reputate cani mortuo non abſimiles. Pulchrè D. Auguſt. tract. 1. in Ioann. Ego dixi, Dij eſtis. *Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne ſimus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, ſi prius nos homines eſſe agnoſcamus: ideſt, vt ad illam celſitudinem ab humilitate ſurgamus: ne computemus nos aliquid eſſe, cum nihil ſimus; non ſolum non accipiamus, quod non ſumus, ſed & amittamus, quod ſumus.* Infra hominem ſe conſtituat, qui vult diuinas pertingere virtutes. Noſce te hominẽ moriturum non abſimilem cani, & Deus eſto, & filius excelſi ſuperior omni malo incurſu. Cẽturio ille Luc. 7. ſic ſuã exerit poteſtatem: *Nã & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, &c.* Non ne vides, quam ſecure ſuam poteſtatem oſtentat, & numerat milites ſuos? Semel Dauid reſpexit ad milites ſuos, eoſque recenſuit, & tantus rex vanitatis flabris labare cæpit, imò & corruit miſere. Centurio de poteſtate ſua gloriatur, & militum ſuorũ obedientiam trutinat, minime vanitatem timens, ab omni ictu ſecurus. Sed nota, vnde incipiat; *Nã & ego*, ait, *homo ſum*, non uit ſe in primis hominẽ, aſpexit ad humanum pulueren, quo firmus, & ſecurus periculà ridet. D. Bern. epiſt. 42. *Homo*, inquit, *ſum, & homo ſub poteſtate, ſiã quid ſubinferas, ſuſpectam non habemus iactantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet.* Quæ præcipitia? Quæ tela poſſunt offendere humilem? Vbi humilitas, ibi ſecuritas eſt, ibi cõfirmata fortitudo. Vbi ſuperbia, ibi imbecillitas, ibi ruina; fulgeas licet omnibus ornatus virtutibus; armatus licet ſis omni Dei armatura, ſi tibi ſuperbia ſubrepat, vitrea arma ſunt, & ſplendor vitreus, quem vel digitulus cõfringet. Eleganter id põderat Damian. epiſt. 97. inquiens. *Humanã mentem ſuperbia vitream reddit, vt correctionis ictum per impatiẽtiam ferre nõ poſſit. Vtrum quippe, ſi robur haberet ſoliditatis, cæteris potuerat eminere metallis: ſed quia citius rumpitur vili pretio taxatur.* Ecce Chananææ animus humilis, quam fortis, quã inconfuſibilis, mille patitur Chriſti repulſas, opprobria ſuſtinet, nec frangitur ictibus ahenea humilitas. At ſuperbia ſic vitreã facit animã, vt quolibet ictu frangatur. Nõne vides vas vitreũ, & eius ſplendentem læuitatem miraris? Sed in tanta pulchritudine mirabilis magis eſt eius frãgilitas, quæ icta quouis minimo impulſu frãgitur. Sic ſplendentem virtutibus virum facit ſuperbia vitreum; vt quo magis ſplendeſcit, proprior illi ſit contritio. Quam ſplendebat ille Pſalm. 29. *Ego dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum.* Et quidem is erat virtutum ſplendor in Dauide, vt totus videretur factus adamantinus: verum ſtatim plorabundus, ait: *Auertiſti manum tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Vndé tanta mutatio? Modo immutabilis, iam labat? Modo æternus, iam temporibus ſeruiens? Sanè afflauit vanitatis ventus, & adamantem in vitrum commutauit. Accipite

Luc. 7.

Bernard.

Damian.

Pſalm. 29.

Auguſt.

Ori-

Origen. Origenem hom. 9. in Ezech. *Recedente quippe præsidio Dei ille castissimus, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat: si mundi sunt pueri maxime à mulieribus, & acceperat Eucharistiam* (scilicet propositionis panes) *quasi mundus, non potuit perseuerare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi quasi continens applaudebat.* Expende damnum in illo, *sibi applaudebat*, etsi enim castitas eius spirituali esca nutrita, innumeris virtutibus adornata adamante fortior videretur, vēto vanitatis afflata apparuit vitro fragilior. Potest quis cœlesti mensa nutriri, potest castimonia, imò virginitate splendescere, sed totus hic splendor erit vitreus, fragilitate fragilior, si locum vanitati dederit. Hæc Dauidem fortissimum fecit fragilem, ex abundantia traxit in inopiam, & fecit conturbatum. Quod acute meditatus Gillibert. Abbas serm. 9. in

Gillibert. Cant. fatur. *Dixi in abundantia mea non mouebor in æternum; ibi quidem manifesta præsumptio, quia vicina vltio. Auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus.* Vicinus equidem est præsumptioni casus, nullumque manifestius signum vanitatis afferri potest, quam vicina ruina. Otiose igitur virtutibus construendis instas sine cæmento humilitatis. Vidisti

3. Reg. 13. virum Dei, 3. Reg. 13. & virtute conspicuum, & insigni fortitudine animi præstantem. Is ausus est Israelitarum Regi mala denuntiare, nec regijs minis, nec precibus adduci potuit, vt Dei mandatis aliquid subtrahere, semper impauidus, & infractus. Ad hunc immediatè accessit falsus propheta, *& fefellit eum, & reduxit secum; comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam*, puta contra mandatum Domini, quo sibi ruinam comparauit. Vndè infractus ille, & inconcussus, siue minis regijs, siue precibus, tam fragilis inuentus est à falso propheta? Post tantarum virtutum ostensionem, iam illum præsumptionis aura impleuerat, qua vitreus factus fractioni proximauerat. Do Eu-

Eucher. cherium lib. 4. in Reg. sic fantem. *Et seductus comedit, & pastus interijt. Qua in re colligimus, quod forsitan apud semetipsum tacitus, & propria ceptis dominicis Regem se contempsisse gloriatus ab interna mox soliditate quassatus est, & inde ei in opere culpa subripuit, vnde gloria in corde subrepsit.* Quassatur soliditas, vbi humilitas abest.

Text. Tunc respondens Iesus, ait illi. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

§. XIX.

Fides humilis Christi viuentis ex mortuis arguit filios, imò primogenitos in Dei populo.

ECCE tibi panis, qui negabatur, datur fœminæ Chananææ: datur ergo diuinus panis canibus? Absit: imò, vt præclare dicit D. Cypr. de Cæn. Domini: *Vna est domus Ecclesiæ,* *D. Cyprian.* *inqua agnus editur: nullus ei communicat, quem Israelitici nominis generositas non commendat.* Sed est fides quæ faciat Israelis filios. Etenim vbi mulier Chananæa confracti panis micas, hoc est patientis Christi vitalia credit facinora, iam non canis ab idôlolatria, sed per fidē Abrahæ, & Dei filia efficitur. Nonne Abrahæ dictum est, quod sit pater multarum gētium? sed quomodo gentes filij Abrahæ? D. Cyrill. *D. Cyrill.* Ieros. Catach. 5. ait. *Neque enim nostrum omnium est pater secundum carnem, sed figura illius omnes vos Abrahæ filios facit. Quemadmodum incredibile est apud homines à mortuis resurgere aliquem; sic etiā credibile non est ex senibus mortificatis filios procreari. Sed Christo annūtiato, quod in ligno crucifixus esset, & mortuus, & quod resurrexisset, credimus: similitudine igitur fidei denenimus in adoptionem Abrahæ.* Quo viuā Christi fidem haurimus, eo adoptionem filiorum accipimus; iam non canis, non alienigena mulier, quæ de humilitate, & abiectione credit posse Deum splendescere, & coruscare miraculis. Hoc proprium filiorum signum, quod humilis credas, quo enim magis de filiorum adoptione habes, eò humiliori, & ardentiori fide ad Deum clamas. D. Paul. ad Gal. cap. 4. *D. Paul.* *Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba pater.* Quid illud Abba? Chrysostom. Theophyl. & alij, putāt illud, Abba, esse vocem puerorū pūsillorum, rudi adhuc lingua patrem clamātium. Itaque qui filij Dei sunt, non altos agūt spiritus, non magnalium voce tonant, sed instar gregis pusilli, instar pueri humilis clamant Abba simul, & patrem, vt sic filiorum Dei adoptio constet de fidei magnitudine, & humilitate. Ecce vobis, quid in hac muliere faciebat filiorum adoptio: ait Dominus: *Non tollendus est panis filiorum, & mittēdus canibus:* Audit mulier, opus salutis, quod optabat, vocari panem filiorum, & filijs promitti. Quid tunc illa? *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Audis panem filijs dandum, & inter seruos te statuis, vt illum potiaris? Cura Abrahamides habere fratres non dominos, cura videri filiam non ancillam, vt panem potiaris. Equidem, quod ancilla sit, quod dominos

reputet alios, id non habebat ex vili aliqua generatione, sed ex spiritu adoptionis filiorum iam in illa clamante Abba pater, vt fidei humilitate, & magnitudine Deum capiat. Cant. 3. aiebat illa. *Filiæ Ierusalem ne suscitetis dilectam, &c.* Filias pleno ore vocat, quas iubet suscitationem à somno dilectissimæ charitatis nostræ Iesu expectare. Sed de forti muliere Ecclesia dicitur Prouerb. 31. *Deditque prædã domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Vbi hic filiæ? Nonne credebant domestici Ecclesiæ, & Abrahami fidẽ æmulabantur? cur ergo omnes ibi ancillæ, & nulla filia? Imò omnes filiæ, sed quo magis de filiorum adoptione habebant, eo magis de ancillarum opere gloriabantur. Præclarè Gillibert. Abbas, serm. 14. in Cant. fatur. *Eadem ergo ancillæ sunt, & filiæ, quia vbi maior est in adoptione dignatio, ibi iustior in subiectione deuotio.* Iam cuius spiritus filius arguere possum us ex humilitate, & fide nostra: qui verè spiritum filiorum habet, suam fidem per humilitatem, & abiectionem corroborat

Cantic. 3.

Prouerb. 31

Gillibert.

CAPVT OCTAVVM.

De Zachæo.

ACCIPITE camelum per acus foramen introeuntem, nimirum diuitem Christianæ paupertatis angustum superantem. Is erat Zachæus diues, & inter publicanos diuites facilè princeps: pusillus corpore, sed scientia, & pietate maximus, qui de arboris culmine ad totius boni sciuit peruenire radicẽ. Quid murmuras Pharisæe? Ad publicani domũ accedit Christus, vt iam misericordiæ suæ lampas ardeat in publico; nec intra Synagogæ modium, sed supra candelabrum luceat omnibus, qui in domo sunt.

Ex Luc. c. 19. Ingressus Iesus per ambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues.

§. I.

AEqualitas circa subditos decet præstantes dominos.

VERVS Iesus iterum circuit, & perambulat Iericho saluti prospiciens ethnici, & publicani. Et cùr publicano salutẽ oblaturus Iericho perambulat? Rationẽ pulchris verbis perstringit D. Gaud. tract. 2. de Paral. fatus. *Iesus filius Naue iubente Domino circuit ciuitatem Iericho; & cadunt hostiles muri motu diuino, vt animæ Iudæorum de belli discrimine liberentur.* Pro Iudęorũ animis circuiuit Iesus Iericho, similiter modo circuit Iesus Iericho pro anima publicani; vt idem sit Iesus Iudæis, & Grę cis, ne sub tanti Domini signo inueniatur gens minus habens. De tota Saluatoris æconomia illud iactat D. Paul. ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Omnia indiuisa sunt in summi principis domo; quod mirans D. Zeno, serm. 4. ad Neoph. ait. *O magna prouidentia Dei nostri! O bonæ matris charitas pura! Nequid adulterum pariat, aut nequem plus amare videatur, aut minus, vnam natiuitatem, vnũ lac, vnum stipendium, vnam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem.* Omnia sua æqualiter omnibus proponit Iudæis, & Græcis, pauperi, & diuiti, nequis à tanto principe plus videatur amari, aut minus. Vt habeant in eo formã mundiales principes, qui æqualiter omnibus prospiciant subditis. Duo lumina senatus Romani sic pingebat, imò & pungebat Sidonius Apollinaris epist. 9. *Auienus siquid poterat in filijs, generis, fratribus prouehendis moliebatur, cũque semper domesticis candidatis destringeretur, erga expediendas forinsecus ambientium necessitates minus valenter efficax erat: & in hoc Coruinorũ familiæ Daciana præferebatur, quod qualia impetrabat cinctus Auienus suis, talia cõferebat discinctus Basilius alienis. Auieni animus totis, & cito, sed infructuosius. Basilij paucis, & sero, sed commodius aperiebatur. Neuter aditu difficili, neuter sumptuoso, sed si vtrosque coluisses, facilius ab Auieno familiaritatem, à Basilio beneficium consequebare.* Libuit hæc hic ponere, vt videant, quàm sultæ silice maneant principum virtutes, & vitia; & quam semper pungitur ille, qui in suis promouendis, & ditandis incumbit, alios non curans; & quam æternum laudãtur ille, qui & domesticis, & exteris æquè distribuit beneficia. Fallitur, qui putat amicis, & cognatis suis principatum accepisse, omnium debitor est, omnium rationem reddet sæculorum Principi, & Regi: quare vehementer timẽdum, ne alij alijs macilentiores existant. Prudenter dicebat Princeps Eunuchorum, Dan. 1. *Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potũ: qui, si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi.* Sic simi liter timeant vniuersi mũdiales principes Regem sæculorum, qui omnibus hominibus cibum, & potum constituit; is dum videat alios

D. Gaud.

Ad Eph. 4

D. Zen.

Sidon.

Dan. 1.

regijs

regijs beneficijs infarcinari, alios ſpoliari, & deſpici profecto damnabit caput ſeruorum ſuorum, etiam regum. Nullus enim ex his principibus, qui ſub Deo eſt, aliter poteſt ſine ingenti periculo adminiſtrare regnum. *Exod. 16.* Exod. 16. vbi parauit Dominus populo ſuo eſcã in deſerto, ait ad Principẽ populi Moyſem. *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendũ; Gomor perſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum.* Nullum inter diuites, & pauperes diſcrimen, non inter notos, & ignotos, omnibus eadem taxatur menſura: ſed cur eadem omnibus dabatur menſura? D. *D. Baſil.* Baſil. Sel. orat. 33. hãc indigitat rationẽ, aiens. *De cœlo manna quondam Iſraelitis dabatur, ſed quia miraculi adminiſter ſeruus erat, neceſſitati quoque donum ſeruiebat.* Expende illud, quia miniſter ſeruus erat, ideo taxatam habet menſuram, quam omnibus æqualiter concedat, ne in alios plus, in alios minus ipſe conferret, & alij macilentiores, alij groſsiores magiſtri caput dãnarent ſummo Regi. Et quis Regũ non ſeruus eſt ſummi Regis? Caueant ergo omnes principes, ne fauores inæqualiter diſtribuant adeo, vt alij triũphent, alij miſere viuant. Sanè Ieſu familiariſsimus erat Ioãnes inter omnes diſcipulos, ſed & cognatus erat ſecundum carnem, & iuuẽtute fortè, & ingenio gratioſior, nec ideo auctoritatem habebat plura petendi, *Chryſoſt.* quam cæteri. Id quod notans Chryſoſt. hom. 23. in Ioann. ait. *Quin Ioannes eximie à Chriſto diligeretur, ambigit nemo; non tamẽ, neque loquendo, neque rogando preciuam apud Ieſum auctoritatem habuiſſe apparet, vt ſæpe numero Petrus, vt Philippus, vt Iudas, vt Thomas, niſi ſemel tãtum, cum obſequi, & obtemperare condiſcipulo Petro voluit.* Neſciunt ſic mundiales poteſtates temperare ſe in affectibus, ſi quem diligunt, quãta huic auctoritas petendi, & impetrandi omnia? Non ſic Rex regum Ieſus, qui, etſi dilectũ habebat, tamen æque apertum aditum cæteri ſuis petionibus inueniebant. Nec magis curabat Ieſus, quam vt nemo é ſuis minus gratus videretur præcæteris. Vndé ad gloriam iturus transfigurationis, etſi vellet omnes ſecum ducere, tamen quia vnus indignus erat, reliquit plures, ne ille minus gratus, & minus muneratus appareret. *D. Procl.* Id quod attigit D. Proclus ibi aiens. *Cum Iudas, qui ipſum erat proditurus, indignus eſſet, qui diuinum hoc ſpectaculum, & tremendam viſionem ſpectaret; hac de cauſa ipſum, & reliquum Apoſtolorum chorum infra reliquit, vt hac ratione illi tanquam non ſolo relicto omnem excuſationis prætextum eriperet.* Excuſatur culpa in eo, qui ſe præalijs videt à principe deſpici.

§. II.

Ieſus pro vno ſolo homine impenderet quod pro omnibus. Vbi quam regium eſt ſingulis ſubditis proſpicere.

PERAMBVLAVIT quondam Iericho Ieſus Naue, vt animæ Iudæorum de belli diſcrimine liberarentur; perambulat modo Ieſus Iericho, vt vnius publicani anima ſalua fieret. Illic Ieſus, hic Ieſus, illic in pluribus, hic in vno ſuum laborem impendens. Nõ enim grauatur Chriſtus, quidquid pro omnibus laboris impendit, & pro vno ſolo impendere. Nonne vna erat ouis, quæ perierat? An, quia vna erat contemnitur à Chriſto? Proh ingentem Dei noſtri charitatem, & benignam, & patientem, quæ nouit tot ſuſtinere labores pro vna ouicula, quot ſuſtineret pro grege integro: Tert. *Tertull.* lib. de Patient. *Erroneam ouem patientia paſtoris requirit, & inuenit. Nam impatientia vnam facile contemneret.* Neſcit patientiſsima noſtri paſtoris charitas vnam contemnere ouem, ſed & pro vnaquaque oue ſua ſe totum impendere, & ſuperimpendere cupit. Quo reſpiciebant illa Angeli verba poſt Chriſti reſurrectionem fœminis data, nimirum, Marc. 16. *Marc. 16.* *Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis.* Cur Petrum ſpecialiter nominat, niſi vt oſtẽderet omnem diuini amoris ſumptum pro grege integro factum, pro vna erratica ouicula velle accommodare. Euſeb. apud Damaſcenum lib. Parale- *Euſeb.* lorum. *Tu Petre, quem admiſi peccati pœnituit, cum reliquis omnibus in conſpectum meum prodire non verearis. Ob eam cauſam nonaginta nouem oues reliqui, atque ad vnam cucurri.* Quod vt magis teſtatum relinqueret, nõ antea inter Ieroſolymitanam frequentiam crucem aſcendit, quam totum crucis ſuæ ſumptum vni, & pauperi, & fugitiuo homini pro tutelæ ſecuritate applicuiſſet. Is erat Iacob, à patria profugus, medio in deſerto peregrinus, lapide capiti ſuppoſito dum cubaret humi; Geneſ. 28. *Vidit* *Gen. 28.* *ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcẽdentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentẽ ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham, &c.* Ecce tibi pro vno ſolo homine dormiente excubat Dominus cœleſti exercitu cinctus, excubat, inquam, ſcalæ innixus, hoc eſt crucis ſuffultus brachijs. Sed cur vni ſoli homini tutando cruci ſe oſtendit ſuffixum? Sic hominũ Rex homines amabat, quod vniuerſum crucis ſumptum vni homini porrigeret, & porrigit, qua voluntate porrigit multis. Huc reſpicit. D. Zeno, ſerm. 8. de ſomnio *D. Zen.* Iacob, vbi inquit. *Scala proprio nomine crux*

vocatur, quia per ipſam Dominus Ieſus Chriſtus, miniſteria vniuerſa conficiens, patri, & Adam reportauit, & iter ad cœlum omnibus ſequẽtibus ſe patefecit. Expende illud, *patri, & Adam reportauit*, quippe ſuffeciſſet, quod omnibus cœleſte aperiret iter: vbi enim omnes, ibi & Adã; vbi omnes, ibi, & vnus homo; ſed maior fuit Chriſti charitas, quæ crucem aſcendit, non ſolum pro omnibus, ſed & pro vno, adeò vt ſi ſolus eſſet homo, ſi ſolus maneret Adam, illi ſoli præſtitit, quod præſtat omnibus poſt illũ. In toto reproborum mundo ſolus Noe inuentus eſt iuſtus in generationibus ſuis, de quo item Geneſ. 6. *Noe inuenit gratiam coram Domino.* Nec miror, quod ideo deletis omnibus hominibus ſeruaretur vnus Noe iuſtus, ſed quod in immẽſum ſtupeo, eſt, quod in ſeruãdo Noe excogitaret Deus, & depingeret totam ligni auguſtiſsimi ſalutem, dum illũ ſaluat per lignum. Deus bone, quando vnus ſolus homo tibi placet, excogitas ligni pretioſi ſalutem? Equidem in vno homine victoriæ ſuæ erigit ſignum charitas Chriſti. Pulchrè Rupert. lib. 2. de Victoria cap. 30. inquit. *At tamen vnus ille omnipotenti verbo Dei ſuffecit ad retinendam, ſiue perficiendam victoriæ ſuæ palmam. Porro verbum Domini obedientem ſibi manere fecit hominem vnum, gubernans eum per cõtemptibile lignum.* Cur non excogitaret Dominus crucis ſalutem, nactus hominem vnum, cui proficeret, pro quo chirographum peccati rumperet, & affigeret cruci? Verè regnat à ligno Dominus, quando ligni ſumptus etiam vni ex iſtis minimis porrigũtur. Vtinam mũdiales principes ſic Chriſtum induerent, vt nõ ſolũ regna, & ciuitates, ſed & minimus ciuis, eorum magnificentiam ſentirent. Sic monebat D. Syneſius lib. de Regno, Arcadium ſuũ. *Tibi verò conſentaneum in primis eſt, vt quem ſemel accepiſti ordinem, nunquam deſeras, neque ei nominis affinitati rem pudendam facias, ſed ad eius imitationem te conferas, ciuitateſque non ſolũ omni bonorum genere cumules, ſed etiam felicitatem, quãtam potes, in vnumquemque ſubditorum effundas.* Hæc ille: æquum enim eſt, ne ſolæ ciuitates, ſed & minimus ciuis experiatur magnificentiam principis.

Geneſ. 6.

Rupert.

D. Syneſ.

§. III.

Etiam diuites regnum cælorum poſſunt intrare.

DIVITIAE adeò ſuſpectæ ſunt viro Chriſtiano, vt crediderim notanter ab Euangeliſta Zachęum, & publicanorum principem, & diuitem fuiſſe propoſitum, ne viderentur diuites ab angũſta cœli porta eliminati. Sanè in Zachæo & principem, & diuitem capit angusta porta, & ibi amplitudini diuitiarum patens linquitur aditus. Bene ait D. Bonau. *Zachaus cum eſſet camelus intrauit per foramen acus. Et foramẽ dedit diuitibus intrandi in cœlum.* Quiſquis diues es, habes quà cœlum ingrediaris, nimirũm qua diues Zachęus intrauit. Elias melote contentus pauperem vitam egit, & diuitum deſpiciens glorias ante Achabi currus, ipſe pedes procedebat, alacer quod pedes deberet curribus prærripere cœleſtem aditum. Ipſe tamen, vbi ad cœlum rapiendus fuit, ecce tibi adeſt igneus currus, quo rapitur; vt in aſtra feratur. Cur pauperi, & pediti prophetæ currus datur? Vt nouerimus quod angusta cœli porta, non ſolum capit pedites, & pauperes, ſed etiam capit excelſos principum currus, nec ſoli nudi pedes calcaturi ſunt aſtra, ſed & curules ſellæ habent in cœleſtibus aditũ. Argute D. Amb. Pſalm. 40. diuites conſolatur, aiens. *Ne te moueat, quod legiſti, hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur: ipſi obligati ſunt, & ceciderunt. Sed Elias non cecidit, qui curru introiuit, & legis in Ieruſalem illam, & equites multos, & plurimos cum quadrigis introire.* Equidem capit angusta cœli porta diuitum currus, & ſumma Chriſti nuditas pompoſas principum ſellas ſibi ſocias acquirere nõ dedignatur. Miratur D. Chryſoſt. Candacis Reginæ Eunuchum, etiam in regiæ ambitionis curru lectioni ſacræ operam dare: ambitioſa ſeptus familia, curru vectus, diuitias vndequaque halans Iſaiam verſabat. Quis inter palatinos virtutis ſtudium crederet? ſed accipe, quod mirere magis, Actor. 8. *Dixit autem Spiritus Philippo: accede, & adiunge te ad currũ iſtum. Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: Putas ne intelligis, quæ legis? Qui ait: quomodo poſſum, ſi nõ aliquis oſtenderit mihi? Rogauitque Philippum, vt aſcenderet, & ſederet ſecum. Locus autem ſcripturæ, quam legebat erat hic: tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe, &c.* Quibus maximè ponderandum eſt, quis ſit, & ſub quo habitu ſit, qui ſe tanto principi reuelat; is eſt Ieſus non æquitatui ſuo ſimilis in curribus Pharaonis; non rediuiuus ſpolians principatus, & poteſtates, ſed vt agnus tõſus omnibus ſpoliatus diuitijs, pauper, & inops factus, ſic ſe præſentat diuiti, & dum talis legitur, non dedignatur Principis currus, nec faſtidit ſplendores regios, imò paupertatem ſuam fulgenti adiungit currui, vt & paupertas, & diuitiæ videãtur famulari virtuti. Hinc noto præcipuam gloriam vni Ioſepho Patriarchæ attributam, nimirum, quod ipſe ſolus inter fratres ſuos, duas tribus in populo Dei fundet,

D. Bonau.

Ambroſ.

Actor. 8.

fundet. Cæteri Iacob filij, quisque suam tribũ dedit populo Dei; Ioseph autem duas tribus nimirum Ephrain, & Manassem constituit: sed cur ex Ioseph duas sibi tribus assumere placuit Deo? Ioseph solus é fratribus pauper fuit, & dives. Pauper fuit, dum seruus Ægyptius factus, etiã in carcerẽ proijcitur, omnibus bonis spoliatus, & amicis. Dives fuit, cũ Pro-rex creatur Ægypti. Ne ergo sola Ioseph paupertas Deo videretur placuisse, & non diuitię, duas ab illo elegit Deus tribus, alterã pauperi respõdẽtem, alteram diuiti; possunt etiã Deo maximè placere diuites. Huc spectat D. Hier. epist. ad Saluinam, dicens. *Ioseph, qui in egestate, & in diuitijs dedit experimenta virtutum, qui & seruus, & Dominus docuit animæ libertatem: nonne post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, vt super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret?* Duplici honore muneratus fuit pauper, & dives; ne videretur minus meruisse propter diuitias, & regni fastus, sed vt eius paupertas, sic eius diuitię Deũ sibi gratum, & remuneratorem nanciscuntur. Neque vnquam mihi persuadere potui, casu accidisse id, quod in tribus pueris apud Babylo niam fornacem factum est. De quibus Dan. 3. dicitur. *Confestim viri illi vincti cum Braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis: nam iussio regis vrgebat.* Cur nobiles viri, pãlatino habitu fulgentes, sic in fornacem mittuntur, vt nec tiaris nudari permittantur? Si cæterarum vestium spoliatio moras faceret. Sanè tiaræ ablatio à capite nil moraretur carnifices; verum qui tales inter diuitias regum inuenti sunt, nõ debuerunt spoliari diuitum insignibus, quando ad Deum festinant, imò & filius Dei paupertatem postea prædicaturus, voluit ibi præ ostendere, quàm etiam pateat virtuosis diuitibus, cum dat se socium inter adolescentes diuiti fulgentes amictu. Huc reuoco illud Isaię 66. aientis: *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus.* Quis crederet quod lecticæ, & quadrigæ mittantur à Deo, vt homines cœlum scãdant? Hæc inuenta sunt humana ad diuitum pompas efferendas, sed solet Deus per hæc humana adiutoria, homines ad cœlum trahere. Id quod insinuat August. lib. 20. de ciuit. cap. 21. fatus. *Et emissurum se dicit ex illis saluates ingentes diuersas, adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino in iumentis, & vehiculis, quæ iumenta, & vehicula bene intelliguntur adiutoria esse diuina, per cuiusque generis ministeria Dei, siue angelica, siue humana.* Itaque, quæ humana ambitio excogitauit adiutoria, & ministeria curruum, quadrigãrum, lecticarum, etiam summũtur à Deo pro medijs, quibus deferat homines in cœlestem ciuitatem.

Hieronym. *Dan. 3.* *Isai. 66.* *August.*

Text. Et quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præturba, quia statura pusillus erat.

§. IIII.

Conspectus Iesus sæcularia negotia abiurat.

ZACHAEVS publicanorum princeps, & ipse dives solum dicitur, quod quærebat videre Iesum, nondum enim viderat Iesum, qui sæcularibus fortunis operã nauabat. Huc adest in cat. Tytus sic aiens: *Quærebat videre Iesum, vt pote, qui numquam eum viderat, quia si vidisset, iam se recepisset à nequitia publicana. Si quis enim Iesum videt, non potest nequitijs immorari.* Sordent sæcularia omnia, vbi Iesus oculis paret mortalium: & ad tanti solis iubar tenebrarum opera prorsus euanent. Sanctissimus ille Simeon nihil in hac mundiali luce amabat, nisi quod illa aliquando videndus erat Saluator: quẽ vbi intuitus est, sic æmulatur Cygnęos cantus. *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quæ verba notans D. Hier. de vera Circunc. ait. *Forma est vtique, quod qui Christum videt, iam sit sæculo moriturus.* Vnus Christus est, qui conspectus homines mundo mactet; vnus Christus est, qui possit homines à mundialibus negotijs eripere. Paul. 1. ad Corint. cap. 5. *Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem.* Expende illud, *ex hoc*, nimirum ex Christo viso, & cognito carnalia omnia penitus à memoria eliminamus. Vndè D. Leo serm. 1. de Resur. ait. *Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non sunt, & mens intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, vbi, quod offertur, æternum est.* A page carnalia negotia à mente, in qua Christi radius effulgeat. Ipse solus est, qui vel aspiciens potest vniuersas mundi fugare sollicitudines, Pulcherrime D. Bernard. lib. 4. de consideratione vultus Põtificis effingit, vt possit singulis peccatoribus subuenire. Ait enim: *Regibus Ioannem exhibe: Ægyptijs Moysem: fornicantibus Phinees: Etiam idolatris: Eliseum auaris: Petrum mentientibus: Paulum blasphemantibus; Negotiantibus Christũ.* Ecce tibi singulis peccatis singulos opponit medicos, qui curent, qui scindãt: sufficit enim furenti Regi vel conspectus Ioannes Baptista;

Luc. 2. *Hieronym.* *1. ad Cor. 5* *D. Leo.* *Bernard.*

sufficit

ſufficit fornicario, vel Phinees gladium vindictæ vibrans: ſufficit ſi idolatra videat Eliam octingentos ſacerdotes idolorum trucidātē, vt vel ſic in veri Dei cognitionem ſe recipiat. Vt mendacium expaueſcas, ſufficit quod videas Ananiam, & Saphiram ob mendacij crimen à Petro percuſos. Quis nō fugiat blaſphemiam cum vel Paulum videat? Verum, vt ſæculi negotijs renunties, tabelliſque te eripias, nec Ioannes, nec Moyſes, nec Elias, nec Eliſæus, nec Petrus, nec Paulus ſufficiunt; ſufficit tamē vnus conſpectus Chriſtus. *Exhibe negotiantibus Chriſtum.* Vnus Chriſtus potens eſt à terrenis curis, ſæcularibuſque negotijs homines eripere. Vnus Chriſtus non patitur mētes humanas immergi negotijs mundi. Vbi videris homines totos terrenis deditos ſtudijs, dubita an ſit in illis Chriſtus. Sane ſponſa, quando non inuenit Chriſtum aiebat Cant. 3. iuxta Sept. *Quæram in ciuitate, in foro, in plateis.* Quod meditatus D. Amb. lib. de Iſaac capit. 5. ait. *Fortaſſe ideo non inuenit adhuc, quia in foro quæſiuit, vbi lites ſunt; in plateis, vbi nundinæ.* Ecce tibi ſignum præſentiæ Chriſti, ſi à terrenis curis te extractum videris. Hoc ſignum ipſe Dominus dederat apud Oſeam cap. 11. inquiens. *Pendebit populus meus ad reditum meum.* Pendebit, ait, quippe, vt qui pendet à terra ſeparatur, ſic qui vel Chriſti odore imbuitur, hoc habet in primis, vt à ſe excutiat terrenas curas. Ita Gualricus Abb. ſerm. 1. de Aduentu. *Pulchrè omnino, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum, & terram: vt licet adhuc apprehendere cœleſtia non valeat, non velit tamen tangere terrena.* Felix, qui ſic à terra ſeparatus, quaſi aere pendet ad Chriſtum; habebit Chriſtū, non amittet Chriſtum, Paul. 1. ad Theſſalon. cap. 4. ait. *Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera: & ſic ſemper cum Domino erimus.* Expende felicitatem illorum, qui obuiam eunt Chriſto in aera, qui à terra ad aera, à terrenis ad ſpiritualia procedunt auſpice Chriſto, ſemper cum Chriſto erunt; ſiue dormiētes, ſiue vigilantes, ſiue ſedentes; ſiue ambulantes ſpirabunt Chriſtum, ſolū ſapient Chriſtū. Ita D. Hier. epiſt. 152. *Si quis rapitur ad Chriſtū aſcendit ſuper nubes legis, & Euangelij: occurrit nō deorſum, ſed in aere, ſpirituali intelligentia ſcripturarū. Occurrens autem in ſpiritualibus, & terrena dimittens, ſiue ille ſit dormiens, ſiue in Chriſto mortuus, ſiue viuens, & in illius præſentia reſeruatus ſemper cum illo erit.* Neſcit Chriſtus nō ad ſe rapere alumnos ſuos.

Cant. 3.

Ambroſ.

Oſeas 11.

Gualric.

1. Theſſal. 4

D. Hieron.

§. V.

Popularis multitudo numquam non à Deo ſeparat.

MVLTVS eſt D. Bonāu. hīc in oſtendendo, quod ſemper turba impedimento erat eis, qui ad Chriſtum accedebant. Hæc turba eum impediebat, quæ ſemper impedire conſueuit venientem ad Chriſtum. Hæc namque turba impediebat illuminationem cæci: *Cum audiret turbam prætereuntem, &c. & increpabant eum, vt taceret.* Curationem paralytici: venerunt ad eum ferētes paralyticum, qui à quatuor portabatur. *Et cū non poſſent offerre eum illi præ turba, &c.* Liberationē ſurdi, & muti: *Apprehēdens eū ſeorſum à turba, &c.* Curationem mortui: *Et cum eiecta eſſet turba intrauit, & tenuit manum eius.* Impedit etiam approximationem Zachæi, ſicut dicitur hic, quia non poterat præ turba. Turba enim prona ad malum à Ieſu reuocat potius quam ad Ieſum perducat. Hæc ille: & quando popularis multitudo ſic ſapuit, vt ad Dei amorem duceret? Multus eſt Aggæus in monſtranda via ſalutis, in monſtranda via, qua poſsint Iſraelitæ diuitiarum ſibi acquirere cumulum, qua poſsint ſibi Deū deuincire, & reddere propitiū. Quid tunc populus? Sic cap. 1. *Et timuit populus à facie Domini.* Timuiſſes à facie Leonis rugiētis, vt te deuoret; timuiſſes à facie hoſtis dura te ſeruitute prementis: timuiſſes à facie mortis, à facie Dei quid times? à facie Dei cur fugis? Abſcōdere potuis in abſcondito faciei illius, quo verber non poteſt peruenire. Ama faciem, quę vitam ſpirat. Sed mirarer, niſi popularis multitudo, non potius à Deo meditaretur fugam, quā amorem. D. Hieronymus ibi ait. *Quia populus erat nondū ad Dei venerat charitatem, quæ foris mittit timorem.* Quaſi ſuſpectū ſibi habet Deū turba, numquam non à facie Dei timet, ſi turbis te ingeris, ſero & difficulter, vel certe nūquam accedes ad Chriſtum. Cant. 1. *Trahe me poſte curremus in odorē vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria ſua.* Nonne plures currebant; cur vna ſola introducitur in cœllaria Chriſti? Multitudo penetrale Chriſti non pulſat. Orig. hom. 1. in Cant. *Non ait introduxit nos plures in cubiculum ſuum. Plures foris remanent.* Caueat turbas, qui velit accedere ad Chriſtum. Tunc Chriſtus inuenitur, quando te ſeparaueris à turbis. Quę Deum quærebat, inuenit cuſtodum turbas Cant. 3. an manſit illic? an diu permanſit apud cuſtodum cuneos? *Paululum cum per tranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Tantum dilata fuit Dei inuentio, quātum durauit apud multitudinem manſio, vt dicat Amb. lib. de Iſaac cap. 4. *Ergo cum tranſierit cuſtodes, verbum inuenit.* Timeat Deo orbari, qui apud multitudinem ſedem figit. Dū homo vnus in Paradiſo erat, peccatum non nouerat, vbi plures facti ſunt, ſtatim obrepſit apoſtaſia à Domino. D. Cyrill. Alex. lib. 1.

Luc. 18.

Marc. 2.

Marc. 7.

Matth. 9.

Aggæus 1.

Hieronym.

Cant. 1.

Origen.

Cant. 5.

Ambroſ.

Cyrill.

Cla-

Glaphirorũm, ait. *Peccandi adhuc nulla erat in terris ratio, vno exiſtente, ac ſolo.* Cum multitudine veniunt ſimul & defectio, & peccata.

Text. Et prærurrens aſcendit in arborem Sycomorum: vt videret eum: quia inde erat tranſiturus.

§. VI.

Inſenſibilis creatura nos docet ſatisfacere Deo pro commiſſis.

NON otioſe Euangeliſta expreſsit arboris ſpeciem, nimirum Sycomorum, quæ vulgo ficus fatua dicitur, vt videre potes apud D. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Domini. Et bene ficus à diuina prouidẽtia eligitur, quæ brachijs ſuis exhibeat Zachæum oculis diuinis; quando ficus foliorum opacitate eripiebat Adamum Deo inſpectori. Quæ occultauit arbor, modo peccatorem prodit; pœnitentiam inſe hominibus docens, & ſatisfactionem. Mirabar ego, quod ad Eliam famelicum veniret in dies coruus afferens alimoniam. Vnde ad Eliam coruus, & coruus, qui ſemel à Noe dimiſsus, nunquam ad Noe reuertere voluit? Inde ſane, quia ad Noe non fuit reuerſus, modo ad Eliam venit, priſtinam ingratitudinem caſtigans, & ſatisfactionem docens. Id attigit Sedulius lib. 1. Paſch. cap. 13. dicens. *Sedul.* *Nũc Eliæ coruus bonus, ac fidus, qui Noe quondam malus, ac perfidus, in terris abluit culpam in aquarum inundatione contractam.* Quis iam tardet conuerti ad Dominum, & pro culpis integram ſatisfactionem præſtare Deo, quando vel ipſe coruus emendat errores priſtinos? Nulla eſt creatura, ò homo, quæ tibi non prædicet pœnitentiam, quâ fugias à ventura Dei irâ. Ecce tibi iudex in ianuis adeſt, ecce tibi Deus ſe accingit, vt veniat ad iudicium, vt appareat tuarum iniquitatum vltor. Quid tunc creaturæ mundi? Quid tunc Sol, quid ſtellæ facient? Quid aliud clamabunt, & oſtendent tibi mutã cœli ſigna, niſi pœnitentiæ ſagos? Apocalyp. 6. *Apoc. 6.* *Ecce terræmotus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt in terram.* Meritò appropinquante iudicio ſeuero Dei, nil aliud oſtendunt cœli lumina, quàm cilicia, ſanguinis effuſiones, humi cubationes, vt vel ab inſenſibili creaturâ doceatur peccator per ſatisfactionem pœnitentiæ, fugere à ventura ira. Et puto deploratam eſſe ſalutem illius, qui à creaturæ inſenſibilis voce adhuc non mouetur in pœnitentiã pro delictis. Vt Deus traheret priſtinos peccatores ad eam pœnitentiam, quâ diluuium fugerent, hoc fecit ſuæ miſericordiæ præconium vltimum. Geneſ. 7. *Geneſ. 7.* *De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram, duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcam, &c.* Iam non Propheta, non vir ſanctus Noe pœnitentiam prædicat, & minatur dilubium: vniuerſitas creaturarum hoc annuntiat; tot ſunt prædicatores, quod animantia ſe ad arcam recipiunt, vt docerentur peſsimi illi, vbi haberẽt refugium. Proh duritiam peccatoris, qui nec tantis vocibus moueris! quid tibi vltra reſtat, quam excidium? D. Baſil. Seleu. orat. 5. *Baſil. Sel.* *Interea bruta diuerſi generis videbant illi ad Noemum concurrentia, nec eorum bruta viuendi ratio detorquebatur in melius: volatilium turmas, vt ad commune quoddã hoſpitium, & receptaculum deuolantes; remque adeò miram deſpiciebant. Contra tumultu, ac trepidatione complebantur omnia.* Equidem digni perire, qui inſenſibili creaturâ inſenſibiliores ſunt, & brutaliores brutis.

§. VII.

Humilis pudor index eſt Chriſti animo inhabitantis humano.

POSSET princeps publicanorũm, & diues ſequentium turbas abigere, & fieri Chriſti Domini latero; ſic enim diuitiæ ſolent ſibi ad omnia vias facere, primoſque inter populares, accubitus occupare. Sed iam Chriſtianus pudor mentem Zachæi tenebat, & quantum pecuniæ dilatant animos, tantum ille contrahit, faciens, vt populari cedat potiora loca diues, contentus, ſi liceat aſpicere vel de arbore Chriſtum. Quis in hoc pij hominis pudore non abominetur iam impudentiam, & frontoſitatem Iudę? Perfidus hic non veretur magiſtrũ, ipſe latero fit Ieſu, ipſe prope accumbit, & cũ vel metus conſcientiæ propriæ cæteros diſcipulos habet pudibundos, habet confuſos, ne audeant ſumere de Chriſti catino; Iudas effrons manum ſimul mittit cum Chriſto. Ait enim Dominus, Matth. 25. *Matth. 25.* *Qui intingit mecũ manum in paropſide, hic me tradet.* O nefariſsimi hominis frontoſitatem! Meritò D. Leo ſerm. 7. de Paſch. in Iudæ impudentiam ſcandet. *Leo.* *Tu Iuda, in trepidatione ſanctorum abſteneris Domini patientia, & abſcondi te tuâ credis audaciâ. Addis impudentiam ſceleri, nec ſigno euidentiori terreris. Cumque ſe à cibo alij, in quo iudicium Dominus poſuerat, continerent, tu manum non retrahis à paropſide, quia animam non auertis à crimine.* Totum Iudam occupabat peccatum nihil

nihil in eo remanserat de spiritu Christi, sic nō contentus proditione; tanto crimini impudentiam accumulat. Ne parum iniurius accidat Christo, si solum proditor sit, sit etiam effrons & impudens. Compone modo in animo tuo Iudæ ausum, & Magdalenæ reuerentiā. Vterque peccatis scatebat; vterque Dominum osculatur. Iudas coram accedens intrepidè facie ad faciem loquitur: *& osculatus est eum.* Magdalena accedit quidem, sed per quandam ambagē, & retro stans osculabatur pedes Domini. Vide discrimen veri pœnitentis, & pessimi proditoris, hic coram stat, & faciem osculatur; cauet illa; & nisi retrorsū audet ad pedum accedere osculū. Præclarè Euseb. apud Damascen. lib. 2. Paralelorum ait. *O mulieris sapientiam: O discipuli insciti am! Meretrix pedes Iesu exosculata perditam animam recuperauit: Iudas autem eūdem osculatus de vitæ libro expunctus est. O fraudalentum osculum gehennæ cruciatum cōcilians!* Quid non faceret impudentia? Nimis iniurij Deo sunt impudentes peccatores, qui cum criminibus scateant, nihil vereātur, sed perfricata fronte, accedūt ad Christum, minus tales offenderēt, si penitus fugerent. Antiquus ille refuga Lucifer fugæ suæ mercedem æternis reportabat supplicijs. Et quæ supplicia sufficerent ei, qui à Deo suo recessit libens? Qui in paradiso Dei sui creatus, meditatur à Deo fugam? Quid hac nefaria fuga criminosius? Fortasse magis iniurium fuit Deo, quod de illo meminit Matthæus cap. 4. vbi Iesum apud desertum memorans, inquit. *Et accedens tentator dixit ei.* Tētator plenus criminibus audet accedere ad Iesum! Proh diaboli impudentia Deo magis iniuriosa, quam fuga! Accute D. Chrysologus serm. 11. *Accessit petus impudens, quam recessit.* Minus offendisset, si à Deo recessisset peccatis onustus, si verecundaretur se immundum apponere coram totius fonte munditiæ. Is est pudor, qui sanctitatis præbet indicium, quo peccator, nec ad cœlum audet respicere, nec Deo appropinquare præsumit, contentus, si vel à longe positus mereatur audiri. Hanc verecundā humilitatem in primis Deus felicibus peccatoribus inspirat. Primi illi peccatores, Genes. 3. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi.* Cur à Deo fugiūt? Cur arborum latebras quærunt? cur sic verecundantur Deo approximare? An verecundam hanc fugam meditati sunt, afflati iam ex aura Dei deambulantis? Accipite Theodoretum in cat. Lyppomani fantem. *Per auram quandam aduentum Domini intellexerunt. Nam postquam peccauerunt, statim Dominus apparuit, qui & sensum peccati illis præstitit, & ad pœnitendum illos prouocauit.* Itaque Dei accedētis aura, quos afflat, in primis verecundos facit, vt Dei accessum reuereantur, quo se ad pœnitentiam parant. Vbi rediuiuo Domino mittuntur mulieres resurrectionis testes, dicitur illis Marci 16. *Ite: dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæā, ibi eum videbitis.* Cur nominatim ponit Petrum? Sanè cauebat in Petro affectum veri pœnitentis, quo sui peccati conscius non auderet accedere ad Christi præsentiam. Euseb. apud Damascenum, lib. 2. Paralelorum fatur. *Verebatur forsan Petrus in cōspectum Christi venire, quod peccatum suum solutum non esse existimet: ac proinde dixit, & Petro, vt sine vlla cunctatione cum reliquis Apostolis Iesum videat.* Est sane verē pœnitentibus hæc reuerentia adnata. Prodigus ille Lucæ 15. in meliorem frugem cōuersus, an prosiliuit statim ad mensam patris? Imò ait: *Fac me vnum ex mercenarijs tuis.* Quæ verba sic expendit S. Titus Bostrensis. *Obsecro, Domine, ne me rursus ex aula tua proscribas, ne forsan inimicus oberrantem deprehendat. Neque tamen, vt mysticæ tremendæque mensæ tuæ me adiungas, peto; quandoquidem eo animo sum, vt sancta illa sanctorum ne aspicere quidem prophanis oculis audeam.* Hic est adnatus virtuti pudor, hæc reuerentia mentis inhabitatæ à Deo: mens enim peccati conscia, nunquam non timeat appropinquare Deo. Quis virtutes sanctissimi Regis Ezechiæ nō nouit? Huic tamē viro tam sancto, tot facinoribus pleno edicta fuit mors ab Isaia: quo nuntio accepto, 4. Reg. 18. *Conuersus ad parietem flenit.* De quo D. Hieronym. lib. 2. aduersus Pelagianos ait. *Iustus erat Ezechias, & corde perfecto. Iturus erat ad Dominum, plorare non debuit. Quæris rationem fletuum? si cogitaueris hominem, non miraberis causam doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum.* Semper pudor, & reuerentia mentes sanas comitetur.

Euseb.

Matth. 4.

Chrysol.

Genes. 3.

Lyppom.

Marc. 16.

Euseb.

Luc. 15.

S. Tit. Bost.

4. Reg. 18.

Hieron.

Text. Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinās descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

§. VIII.

Nostra desidia est, quod à Deo non respiciamur.

CVR non videret Iesus illum, qui adeò laborauerat, vt se se diuinis obtutibus præ-

præsentaret? dum Zachæus desiderio Iesu flagrat, dum currit ad arborem, dum scandit, dignus sit, qui à Iesu conspiciatur. Hi merito Iesu oculos capiunt, imò rapiunt, qui strenue nouerunt pro Iesu laborare. De Ieremiæ virtutibus illud in primis à Deo fuit elogium vulgatum. *Priusquam te formarem in vtero noui te.* Quid hoc affert de Ieremia singulare? An Deus nõ nouit omnes antequam formentur? Nouit sane. sed non omnes strenuis suis operibus antequam plene formentur in vtero oculos diuinos nouerunt capere. Id singulare fuit priuilegium Mariæ, & Ioannis Baptistæ, & Ieremiæ, qui in vtero existens pene informis vsum rationis accepit, quo ita in Dei gloriam ex eius gratia vsus est, vt statim oculos diuinos ad se raperet. Id notans Origen. hom. 1. in Ierem. sic totam excogitationem claudit: *Multum te oportet laborare, vt nosse incipiaris à Domino. Ieremiam quidem priusquam plasmauerit in ventre cognouit: alium vero de prophetis triginta annos capit, alium quadraginta.* Tunc Dei oculis apparere incipis, cũ præclaris operibus te diuino aspectui aptas. Dum inter gregales hominum turbas agis, dum nullo egregio facinore nobilitaris, ignotus Deo es, cuius oculos ad te statim trahes, si velis optimis studijs dares operam. Ad Sodomam accesurus Dominus dicebat, Gen. 18. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Quid ais Domine, videbo? Nonne tuis oculis patent vniuersa? Est ne alibi res, quę tibi nota non sit? Sanè is solum à Deo dicitur cerni, qui bonis operibus se exercet, isque à Deo etiam in Sodomis ornandus erat diuino aspectu. D. August. in cat. Lypp. ait: *Descendi, vt videam, non vt quid agunt, sciam, sed vt ipsos scientia mea dignos efficiam, si quos ipsorum inueniam iustos, si quos inueniam pœnitentes, si quos tales, quos debeam scire.* Illi homini debentur oculi diuini, qui in vitæ palestra nouerit se præclaris facinoribus exercere: virtutum incũbere operosis studijs, & licet medijs nefarijsimis hominibus viuas, licet inter totius naturæ euersores degas, ibi Deum allicies, vt te videat, vt de tuis prælijs hilares fiant oculi diuini. Ieremias, Thren. 4. ait. *Spiritus oris nostri Christus Dominus*, quæ verba leguntur apud D. Laurentium Iustin. de conflictu interiori, cap. 8. *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*, ex quibus nititur nobis persuadere, vt viriliter arma capiamus aduersus aereas potestates, quando nostrorum præliorum Deus spectator ante faciem nostram aderit. Etenim ait. *In spiritu decertandum tibi est, vt placeas ei, qui videt in spiritu testante propheta: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Non est hora, neque temporis momentum, quo te non cernat Deus tuus. Caue, ne segniter dimices, ne corã tanto iudice astantibus ministris Angelis succumbas, & triumphi amittas palmã.* Quocumque pugnatũ ibis, te sequentur oculi diuini; claudendi protinus, vbi te ceperit segnities.

§. IX.

Quisque suæ gentis virtuti acquirendæ det operam.

MIRABERIS quot modis, quamque diuersis se se Christus Dominus exhibeat hominibus; Magdalenæ per ingentem fluuiũ lacrymarum se offert: Chananææ se dat quasi despiciens illam: Matthæum trahit pertransiens; cæteros solum verbulo rapit. Verum vbi ad Iericuntinam ciuitatem ventum est, ibi vt Zachæum sibi acquirat, ait: *Quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et cur Iericuntinus ciuis per hospitium oportuit à Christo capi? Sanè auspicatum erat hospitium Iericho ciuibus, quando Raab meritrix recipiens domi Iesum Naue, & reliquos exploratores fuit salua. Quo docemur nunquam citius ad Deum peruenire, quam dum illis incumbimus virtutibus, quas genti nostræ, seu patriæ, seu familiæ experimur fuisse proficuas. Hinc Angelus ille, qui Saluatorem natum pastoribus annuntiabat, nullam magis virtutem in illa natiuitate commendat, quam illam cui Angelorum profectum debitũ experiebatur. Etenim ait. Luc. 2. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Quæ verba vbi excipiũt pastores abeunt, & *inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem, positum in præsepio.* Plures inueniunt pastores, quam dixerat Angelus. nam vltra infantis abiectionem inueniunt Mariæ puritatem, Iosephi robur, & obsequium; cur Angelus Mariæ immemor, solius meminit exinaniti infantis? Id pulchrè attigit D. Bernard. serm. 4. in nat. fatus. *Quid est quod sola ab Angelo commendari videtur humilitas; nec tamen sola à pastoribus inueniri? Forte specialius cõmendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam ipse in humilitate stetisset.* Hæc Angelorũ erant gentilitia, nempe exinatio, humilitas: his ingentem gloriam suam referebat acceptam gens Angelorum, ideo Angelus præ omnibus alijs humilitati studet, humilitatis meminit. Prudens ille Abrahami seruus, vbi sponsam Isaaco explorabat, ait Gen. 24. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Ecce bonus seruus omnes alias honestæ fœminæ virtutes prætorijt, nõ inquirit, vnam solam hospitalitatem liberalissimam

ſpectat; quæ forſán in pûella virginali pudore prędita nõ adeò ſolet clarere. Nihilominus hanc vnam virtutem explorat prudens homo, ſciens hanc auſpicatiſsimam eſſe vniuerſæ dominorum ſuorum proſapiæ: hanc genti ſuæ ingentia bona parere. Quod ſic inſitum eſt bonis viris, vt celebres illi apud Ieremiam Rechabitæ, tunc ſe duro captiuerio preſſos putarunt, cum aliquantulum à gentis ſuæ virtutibus videntur deflexiſſe. De illis titulus, Pſal. 70. ſic ait. *Pſalm. 70.* *Ipſi Dauid filiorum Ionadab, & eorum qui primi in captiuitatem ducti ſunt.* Quæſtionem facit multis, cur Rechabitæ ij dicantur primi ſuſtinuiſſe captiuitatem, cum potius Ieremiæ 35. videantur prædicari à captiuitate liberi? Vndé ergo ij primi captiui? Rem pulchrè attigit D. Hieron. epiſt. ad Paulinum de inſtitut. Monachi, fatus. *Hieron.* *Iſte eſt Ionadab filius Rechab, & huius filij ſunt, qui in tabernaculis ſemper habitantes, ad extremum propter irruptionem Caldaici exercitus Ieroſolymam intrare compulſi, hanc primi captiuitatem ſuſtinuiſſe dicuntur, quod poſt ſolitudinis libertatem vrbe, quaſi carcere ſunt recluſi.* Quippe hæc erant Rechabitarum gentilitia, hæ familiæ virtutes, quod extra vrbem in tabernaculis degerent: vbi autem hoſtium metu ſe ſe in vrbem recipiunt, & ſeruos ſe reputant, & captiuos, vtpote qui ab ingenua gentis ſuæ libertate, & virtute deficerent habitantes in vrbe. Et ſanè nihil glorioſius eſt viro, quam ſi ipſe non degeneret à gentis ſuæ virtutibus, ſed vel illis cognoſcatur, cuius ſit gentis, & familiæ.

§. X.

Multum prodeſt ad aliciendum Deum locus, in quo ſemel aliquod ingens acce pit ſeruitium. Vbi de templis.

AD Principes Ieroſolymitanos multùm rogatus diuertebat Ieſus, & non aliter: & ecce modo apud Iericũthem ipſe ex ſe ſuſcipi, & hoſpitari à Zachæo poſtulat. Quæ inerat Iericunthino ſolo gratia, vt quod toties faſtidiebat Ieroſolymis, ibi gratius haberet Dominus hoſpitium? Crediderim Iericunthinum etiam ſolum maximè conduxiſſe ad trahendum Dominum, ex quo ibi celebris illa Raab patriã ſalutem poſtpoſuit exploratoribus Iſraelitis. Is enim eſt Deus, cui gratiores ſolent eſſe virtutes factę loco, in quo ſemel aliquod ingens acceptauit ſeruitium. Quando Dauid ſacrificia, & holocauſta parabat, accepit à Deo reſponſum, 2. Reg. 24. quod altare conſtrueret in area Areuna Iebuſei, quaſi inde pergratius Deo futurum eſſet ſacrificiũ. Sed vbi Dauidis deuotio, & hoſtiæ aderant ſelectiſsimæ, quid areæ illius ſolum conduceret? Quid habebat ſolum illud, quo gratiora redderet ſacrificia? Rem attigit Ioſephus lib. 7. cap. 10. inquiens. *Ioſeph.* *Erat autem is locus, in quo olim Abrahamus filium, vt holocauſtomata faceret, adduxerat.* Concipiunt loca, neſcio quam ſanctitatem ex virtutibus exercitis ibi: qua vel lapides ipſi iuuant te, vt oculis poſsis magis placere diuinis. Quando non auſpicatus principi locus, in quo regni accepit inſignia? Quando non gratus Deo locus, in quo alicuius Athletæ ſui ſpectauit facinora? Ieiunauit Moyſes in eremo quadraginta diebus, totidem vt ieiunaret, Elias ad Eremum confugit. Cur neceſſe erat ad Eremum confugere, vt ſic dilataret ieiunium, an locus Moyſi ieiunio ſacratus conceperat virtutem, qua faueret ieiunijs? Annuit Eucherius de laudibus Eremi, dicens: *Eucher.* *Moyſes quadraginta continuos ſe in Eremo dies, totidemque poſt ſe illic Elias ieiunio dedit. Deinde Dominus idem, ſed in deſertis, abſtinentiæ tempus exegit: nec præterea vſquã legimus ſpatia eadem exacta ieiunio, vt putandum ſit, aliquem tribui per Dominum locis illis etiam vigorem.* Quid non poſsint loca, quę tot virtutes ſuſtinuere? Quid neget Deus locis, in quibus tot ſuorũ ſpectabit facinora? Hinc iam Chriſtiana templa ſuã produnt virtutem; ſed non templa, ſed arces vocem munitiſsimas. An nõ ars eſt vbi, toties reſonant cœleſtes tubæ? vbi apparet Chriſtianum vexilum? Ars eſt, & locus munitiſsimus, Deoque gratiſsimus, ex quo tot in dies vnigeniti ſui Deus accipit ſacrificia. Apoc. 3. Epiſco- *Apoc. 3.* po Philadelphiæ dicitur: *Ecce dedi oſtium apertum coram te.* Et poſt pericula, & certamina oſtenſa, ſic cauet: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Timeat quiſquis in oſtio eſt decurrentia pericula, metuat tentationum impulſus, tunc ſic. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Expẽde modo, in oſtio metus ingerit, ſolicitudinem, & vigilias notificat, at intra templum ſecuritatem, columnarumque robur, & firmitatem promittit: quaſi ex eo, quod in templo ſiſtaris, columna fias aduerſus omnes inimicorum impetus. Do Rupertum ibi. *Rupert.* *Quandiu quidem in oſtio eſt, quod dedit apertum coram eo, ſolicitus ſit, ne labatur. At vbi per remunerationem intus quaſi columna fuerit ſtabilitus, non erit, cur timeat.* Te ipſi templi lapides ſtabiliunt, & fulciunt, te pauimentum templi firmat, & ipſi parietes auxilia ſpirant, quibus tẽtationibus reſiſtas, & oculis diuinis gratior extes. Et cur in Chriſtianis templis columnarum non imbibemus firmitudinem, quando inibi firmiſsime ſtat Dominus vſque ad conſumationem ſæculi? Argute ſatis Euſebius

bius Emiſſ. Hom. 3. dedicatione Eccleſiæ, componit fœlicitatem maximam templorũ Chriſtianorũ ex indefectibili præſentia Chriſti cum fœlicitate templi Hieroſolimitani. De hoc ait Ioan. cap. 10. *Ieſus autem ambulabat in templo in porticu Salomonis*: de noſtris autem dicitur Matth. vlt. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi.* Illic ambulat, hic firmiter & immobilis eſt, vt faciat alũnos ſuos columnas in templo Dei ſui. Accipite Euſebij verbà: *Aduerte quia in illius templi exterioribus adhuc de foris ambulabat Ieſus. Nec ſedẽ ponit, ſed deambulat, nec intus ingreditur: huius autem exteriora perpetuo habitaturus intrauit, ſicut ipſe dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quid illuſtrius? Nil mobile admittit, omnia firmat Deus in Chriſtianorum tẽplis. Sed ſcire amplius cupis ab vtriuſque columnis? Pergit Euſebius: *Illius autem templi machina ſuper baſes argenteas & eminentes columnas, ac ſuper capita illa aurea recumbebat. Hic verò baſes Prophetæ, columna Apoſtoli, caput aureum Chriſtus eſt. Hic, inquam, columnæ Sanctorum merita ſunt, qui mutantis mundi ſtatum orationibus ſuſtinent.* Sanè vbi templa Chriſtiana ſuſceperunt Ieſum factum immobilem columnam ad ſuſtentandum ſuos, quoſcumque recipit vertit in columnas. Antiqua eſt terræ virtus tales ſuos filios parturire, qualem in ſe habet Chriſtum. Matth. 23. *Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol.* Vnde lutea vaſa, lucẽ ſolis habent emittere? terra, quæ in ſe recepit ſolem iuſtitiæ, de illius radijs nouit etiam ſoles parturire. Auctor Græcus Nicolaus Cabaſila lib. 6. de vita in Chriſto, ait. *Ille quidem coruſcans in terram è cælo deſcendit: terra verò ſoles alios ſoli iuſtitiæ viciſſim producit.* Que habet terra ſolem Chriſtum, ſoles efficit columnas. In templis ſol diuinus adeſt Ieſus, immobilis etiam aſtat columna, vt omnes ibi parturiamur ſoles, & columnæ.

Ioan. 10. — Euſeb. — Matth. 23. — Græc.

Text. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertiſſet.

§. XI.

Qui creatoris placitis famulatur, ab omni iuuatur creatura.

ZACCHAEVS arboris in cacúmine poſitus, vt creatoris ſui placitis ſeruiret feſtinus deſcendit, nullaramorũ difficultate præpeditus. Quod vt ponderes, memento Abſalonem illum fugitiuum, qui medio in velociſſimi equi curſu, à ramis arborum fuit detentus, ne vltra progrederetur, ſed ibi miſere occumberet. Cur ſic arbor feſtinantem implicat? D. Chryſoſt. Pſa. 3. ait. *In alio ligno ſuſpenſus eſt, qui aduerſus patrem erigebatur, & ab arbore detinebatur, qui cũ radice pugnabat.* Sic conatus in creatorem impediunt aliquando creaturæ; quæ alioquin iuuant eos, qui creatoris placitis obſecundant. Hinc arbor, quæ Abſalonem detinet, & impedit, Zachæo facilis eſt, vt acceleret curſum, & Chriſto vocanti accurrat. Quæſiuit Antiochus, in quo poſſet homo noſcere gratum eſſe Deo opus, quod meditatur efficere. Cui reſpondet D. Athanaſ. q. 131. inquiens. *Quæ Deo placent, nõ Deus ſolum, ſed & omnis creatura ad ea producenda adiuuant, & concurrunt, veluti ad nutum & arbitrium Dei. At contra, quæ Deo diſplicent, non ea ſeruitio ſuo dignantur creaturæ, ſed amoliuntur.* Gaudent vniuerſæ creaturæ Deo famulari, & promouere opera, quæ ad Dei honorem conducunt, & ideò ſeſe aptant, vt poſsit creſcere diuinum ſeruitium. Ionas vbi à Deo fugit, præſto eſt tempeſtas, occiſsimi adſunt venti, aſſat piſcis, mare feruet, vt tot difficultatibus impediatur iter, & fuga. Tandem voratur a piſce è cuius ventre ait cap. 2. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum.* Non ait clamo nunc, ſed clamaui, nimirum, tunc cum aquis abſorbebar, & à piſce vorabar: id quod facit quæſtionem aliquibus, qualiter aquis abſortus clamare poſſet. An inter aquas, vel medijs cete faucibus daretur clamori locus? Quomodo vndique tectus aquis poſſet clamare? Reſpondet D. Hier. ibi: *Ex eo tempore, quo præcipitatus in mare vidiſſet cetum: & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ore ſe ſorbere, clamauit vel aquis cedentibus, & clamore inueniente locum.* Vbi Prophetæ clamor ad Deum ibat, à Deo ipſo in ſalutem hominis ordinatus, prærupti aquarum montes cederent, & locum darẽt clamãti, imò quoad poſſent, facerent, vt citius ad æthera perueniret. Huc adeſt arca illa Noemi, quæ ſola dilubij tempeſtates euaſit, quando aquarum vertices glutiebant regna, quando montes vorabantur, Geneſ. 7. *Arca ferebatur ſuper aquas.* Que omnia ſuperabant aquæ, vni ſe ſubmittebant arcæ, & inter tot mortis ſemitas ſalutis viam illi demonſtrabant. Quod miratus D. Baſil. Sel. orat. 5. ſic fatur. *Creatura naufragium faciente placidè Noe ſolus enauigabat: qui fide & ligno dilubioni vim afferebat. O res inopinabiles? Quomodo arca montibus illiſſa non eſt? Arca ferebatur, inquit, ſuper aquas velut curriculo vndis inuecta, non proſcindens fluctuum profunda: ſed equi-*

2. Reg. 18. — Chryſoſt. — Athan. — Ioan. 2. — Hieron. — Gen. 7. — Baſil. Sel.

ſed equitans in ſalo velut in ſolo, vice baſsis erat pelagus, & arcæ ſuſternebatur inundatio, quaſi via publica. Inter anguſtias montium, furentibus fluctibus, hinc inde lignis animalium cadaueribus congredientibus, viam ſecurã ipſæ aquæ offerebat arcæ, & inter tot prædas, quas abſorberent, recognoſcebant lignũ illud Deo gratum, cui famulatum præſtarent, & incolumem obſeruabant. Nec miror quod creaturæ famulentur ſuo creatori, quando & rabidiſsimos hoſtes in contrariã vergentes, per id ipſum ſibi Dominus ſeruire faciat, Cant. 7. *Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Hæc erat voluntas Dei Chriſto ſuo aſcenſionem prętendere triumphalem. Iudæi autem é contra nituntur illum æternæ obliuioni dare, apud Iere. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Itaque rabidi hoſtes auerni deſcenſum, Deus autem triumphales aſcẽſiones Chriſto ſuo meditabatur. Vbi ad rem acceditur, furentes Iudæi ſic in Eliſæo Dominum exſibilabant. 4. Reg. 2. *Aſcende calue, aſcende calue.* Quid ais vaniſsima gens? Nonne à te totus Caluarius locus paratur, vt Chriſtum, eiuſque memoriã æternum ſepelias? Dicito potius, deſcendat in infernum, non memoretur amplius, cur clamas, aſcende? Aſcendere debebat filius Dei ad palmam, & ideò hoſtes rabidiſsimi, etiam cũ procurant contrarium, non poſſunt non ſeruire diuinæ voluntati. Ita Gualricus Abb. Ser. 2. in Ramis ſatus. *Vos inſenſati Iudæi clamabatis quidem: Aſcende calue, aſcende calue: ordinationi eius liberrimæ, qui ſponte decreuerat aſcendere, non potuit furor veſter non ſeruire.* Quis non ſeruiat Dei voluntati?

Cant. 7.

Iere.

4. Reg. 2.

Gualr.

§. XII.

Deo ſeruire debes in lætitia, ſi placere cupis.

DOMINVM excepturus Zachæus feſtinat, ſed & gaudens recepit in domo ſua, comendat enim maximè apud Deũ obſequia famulantis lætitia. Quod prænoſcens Habrahamus ſciſcitanti filio de victima, non reuelat myſterium, ſed ait. *Dominus prouidebit ſibi victimam.* Quaſi metuens ne filius triſtaretur, ſciens quod ipſe victima erat futurus. Quod notauit D. Ephrem orat. de Iona dicens. *Non myſterium reuelauit Habrahamus, ne illo triſtitia affecto, ipſius donum inquinaretur.* Triſtitia multum lædit officia noſtra erga Deum, qui amat ſeruos hilares, & lætantes. Vbi raptus fuit Elias 4. Reg. 2. plenus dolore diſcipulus eius Eliſæus clamabat. *Patermi, patermi currus Iſrael & auriga eius,* & ſic clamans lacerebat veſtes præ ingenti cordis triſtitia. Hinc eſt quod abeuntem Dominũm Ieſum à terra in cœlo, Act. 1. *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ;* quippe interpoſita nubes fecit, ne abiens Ieſus videri poſſet à diſcipulis, qui forſan triſtarentur de tanti abſentia magiſtri. Quo reſpiciens Chryſoſt. Hom. 2. in Act. inquit. *Ad illũ miſſum eſt regale vehiculum; nequid triſte loquerentur: nec idem illis accideret, quod accidit Heliſeo, qui magiſtro aſſumto in cælum, dilacerauit tunicam ſuam.* Cauet Dominus, ne ſuorum diſcipulorum mẽtes aliqua ſubrepat triſtitia, quæ maximè lædat ſeruorum Dei officia. Imo addam quod triſtitia faciat à Deo deficere. Adoleſcens ille, qui tot Dei præcepta impleuerat, vt accepit Chriſti conſilium de vẽdendis poſſeſſionibus ſuis Matth. 19. *abyit triſtis*, ideo abijt à Chriſto, quia dedit locum triſtitiæ. Quo videtur reſpexiſſe D. Hiero. in Cat. dicẽs. *Abyit triſtis. Hæc eſt triſtitia, quæ ducit ad mortem.* Nec multum intereſt quod non abeas, ſed adhuc maneas in conſortio Chriſti, ſi manes triſtis. Triſtitia enim vt abeuntem impellit, ſic manentẽ opprimit. Pulchrè Gillibert. Abb. Ser. 39. in Cant. triſte religioſi cuiuſdam Tyrocinium cum hoc iuuene à Chriſto abeunte cõponit, dicens. *Plane ſimilis erat euangelico iuueni, qui apud Dominum de legis obſeruatione gloriatus, euangelicæ perfectionis coarctatione propoſita triſtis abſceſſit. Niſi quod ille triſtis acceſſit tamen.* Ecce vobis vbi tantum erat diſcrimẽ inter iſtos duos iuuenes, nimirum quod vnus acceſsiſſet ad Chriſtũ, alter à Chriſto abſceſſiſſet, tamen quia accedentem, & recedentem tenebat triſtitia; non dubitat accedentem vocare recedenti ſimilem. Amica eſt & familiaris triſtitia deſertoris ſpiritus; at cum lætus agis in ijs, quæ Dei ſunt, te metuendum proponis immundis ſpiritibus. Pulchrè Tertul. de lineat habitum, & formam patientiſsimi viri lib. de Patien. dicens. Vultus illi tranquillus & placidus, fronspura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia. Oculis humilitate non infœlicitate deiectis. Os taciturnitatis honore ſignatũ. Color qualis ſecuris & innoxijs. *Motus frequens capitis in diabolum & minax riſus.* Expende vbi minacia ſpicula aduerſus diabolum conſtituuntur, nempe in riſu, riſus & lætitia conſtantis viri eſt, qui magis minetur dæmoni ruinam. Eſt ſanè lætitia diabolici ſpiritus ruina, & totius virtutis fomentum. Miſeri illi peccatores primi vbi triſtem ſtatum incurrerunt, ad folia ficus confugiũt, quibus ſe operiant. Cur de foliorum vmbris cogitant, & nõ potiùs de fructibus? Amb. de Parad. cap. 13. *Iuſtus fructum eligit, ſolia peccator. Fructus*, inquit Paul. ad Gal. 5. *ſpiritus eſt charitas, eſt gaudium, pax, patientia, benignitas, modeſtia, continentia*

Gen.

Ephren.

4. Reg. 2.

Act. 1.

Chryſoſt.

Matt. 19.

Hieron.

Gillibert.

Tertull.

Ambro.

uentia dilectio, non habebat fructum, quia non habebat gaudium. Quasi gaudium omnes spiritus sancti fructus promoueat.

§. XIII.

Linguæ labes plena contagio.

MVLTA erat hominum turba, quæ dominum comitatur, quem cum omnes viderent ad publicanum diuertisse, omnes cæperunt murmurare. Expende modo, quam serpat linguæ malum, omnes murmurant, omnes derident. Quid ni? Pestilens est linguæ labes, cuius cõtagium, vbi incipit, simul omnes pervadit. Pulchre Dauid. Psal. 1. *In Cathedra pestilentiæ non sedi:* Aquila explicationis gratia posuit in Cathedra, *derisorum*, quasi vna linguæ lues pestilens sit plena contagio. Ibi D. Amb. ait. *Specialiter refert ad irrisores bonorũ, quod isti morbi sunt, qui irridẽdo bonus, plurimũ animis operantur errorem, mentesque corrũpunt.* Fugiat ergo murmuratorum consortium, qui nolit tanto fædari contagio. Hierem. capit. 1. cum eligitur ad prophetandum ait. *Extendit Dominus manum suam, & tetigit os meum*, longe aliter Isaias de se loquitur cap. 6. vbi dicit: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forceps tulerat de altari, & tetigit os meum.* Cur Deus, qui manu sua tetigit Hieremię os, non tangit similiter os Isaiæ, sed Seraphim mittit, qui etiam non audet manu sua tangere illius os, sed solum tangit forcipe mediante? Quid habebat os Isaiæ, à cuius tactu sese arcent diuinæ, & angelicæ manus? Ipse indicat, dum ait: *Vir pollutus labys ego sum, & in medio populi polluta labia habentis, ego habito.* Erat quidem in Cathedra pestilentiæ, erat linguæ morbo affectus, a cuius præsentissimo contagio purissimæ Dei, & Angeli manus sibi cauent, non quod Deus sibi timeat, qui omnino incõtaminabilis est, sed vt moneat quã ab hominibus cauendum sit linguę contagiũ. Origines hom. 1. Hierem. *Quoniam Isaias confessus est non habere facta immunda, sed verba, non extendit Dominus manum suam, neque vnũ ex Seraphim manu sua labia eius tetigit, sed forcipe solum tangens: Ecce abstuli iniquitates tuas.* Sic cauet sibi à lingua mala, siue à præsentissimo veneno, quo timet, vel solo tactu protinus infici. Nec miror: nullum vsque adhuc venenum, nulla pestis pernicioſior grassata est in mundo. Prouer. 18. dicebat. *Mors, & vita in manibus linguæ.* Ecce tibi quale sit venenum linguæ, nõ est mortiferũ, sed mors ipsa. Quod ponderans D. Valerianus hom. 5. de orisinsolẽtia, ait. *Quid mihi aliquis in comparatione malitiosæ linguæ artificium veneficij increpet, & noxias poculorum compositiones accusset? Excesit illa res omne genus veneni, quæ non potest, nisi mor-*

Psal. 1.

Amb.

Hieron.

Isaias 6.

Orig.

Prou. 18.

D. Val.

te compesci. Quod virus citius ad corda festinat, quam linguæ iacula? Quæ noxia pocula sic inficiunt vrbes? Puto, quod nec publici fontes, si inficiantur, pernicioſſores sunt, quam est perniciosa mala lingua.

Text. Stans autem Zacheus dixit ad Iesum. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

§. XIIII.

Elemosinæ prouentus multiplex est.

QVAESTIONEM fecit multis exppositoribus, quod post datum bonorum dimidium pauperibus, adhuc quadruplicẽ promittat Zachæus pro singulis rapinis. Cito finienda essent integra bona, si publicanus vellet solum ad æqualitatem restituere, qualiter ergo post erogatum pauperibus dimidium, posset singulis rapinis quadruplum remanere? Sane tam ibi insinuabatur elemosinæ virtus, quæ præmissa, non minor, si prouentus quadruplices efficiat, facit quidem multiplices. Viduæ illi, quæ Eliam pascit, dicitur, 3. Reg. 17. *Hydria farinæ, non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Vbi Euagrius Apud Damascenũ lib. 3. Parallelorum, cap. 99. ait. *Ita dextera vidua manus torcular facta est, & simstra area, & manipuli necessario fructum suppeditantes.* Vide apud Ioann. cap. 6. ex paucis panibus erogatis quot colligunt discipuli Christi panis cophinos, nõ ne colligunt duodenos? Dequo D. Hildeph. lib. de virg. cap. 9. Inquit. *Extra pastum, & saturitatem tot millium, per quaternum facta terdactum complent numerum cophinorum, quæ intacta vnum complere non poterant cophinum.* Omnia auget benignitas in pauperes, manus enim largientis habet secum inuisibilẽ Dei manũ, quæ faciat bonorũ perennitatẽ. Vt mihi fidẽ facias, accipe Isaiã c. 58. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animã afflictã repleueris, tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiẽ tibi dominus dabit semper, animã tuã, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Nota illud, *requiem tibi dabit Dominus semper*, quorum loco ponit D. Damascenus lib. 2. Parallelorum, cap. 6. hæc: *Et erit Deus tecum semper.* Quid est, quod erit Deus tecum semper? Nimirum omnes tuos gressus, omnes actiones tuas Deus comitabitur, tuæ manui largienti aderit simul Dei manus largissime fundens suos Thesauros. Quô spectabat D. Leo. ser. 10 de

Reg. 3.

Hildeph.

Isa. 58.

de Quadrag. fatus. *Non timeatur in his expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas, magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.* Nūquam sola hominis manus perficit eleemosynæ opus, simul sunt Deus & homo, manus hominis & manus Dei; illa largiens, hæc augens; illa spargens, hæc multiplicans, ne tantum largiaris, quo non recipias plura, & maiora. Adest Deus largitoribus suis, vt ex elargitione acquirant copias, quod experientur præcipue mundiales principes. Nefarius ille tyrannus Abimelech Iud. 9. accepit septuaginta pondo argenti ex fano Baalberit. *Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt eum.* An impijssimus homo potuit in hoc sapere, quod argento templi ex pauperibus sibi militares copias compararet? Vtinam hoc Christiani imitarentur principes, & Ecclesiasticorum accepta bona in militibus pauperibus alendis insumerent: ò quàm certo Deus illis adesset, qui eorū copias multiplicaret, exercitus augeret, & fieret omnium dux! Dicebat Clemens Alex. apud Damascenum lib. 2. parallelorum cap. 16. *Fac, contra quam alij solent, exercitum tibi ipsi contrahas, inermem nempe, imbellem, incruentum, ab ira alienum, pios senes, Deo charos pupillos, viduas lenitatis armis instructas, viros charitate adornatos. Hos, inquam, opibus tuis & corporis, & animæ satellites acquire, quorum dux atque imperator est Deus.* Habebat princeps in pauperes beneficus Deum & commilitonem & imperatorem exercitus sui, qui & copias augeat, & vires. Quod si scire cupis victoriarū seminarium, & regnorum, ego in eo crediderim situm esse, quod princeps pauperes alat ad euangelizandum. Id quod in vno Dabide videre licet, qui 1. Reg. 18. exiēs in singulare certamen cum Goliath, in primis inquit. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel.* Sic de Deo disserit, quasi certamen esset litterarum, nec otiosē: inde enim manus suas aptabat ad victoriam, quæ aduersus infideles semper stat penes eū, cui curæ est fidei propagatio. Id insinuat Basil. sel. orat. 15. fatus. *Lingua de fide cum incredulo disputat, manus autē fundam in vsum certaminis profide susceptī aptabat.* Fœliciter certamine contra infideles agit, qui illis curat veritatem euangelizare. Ne miremur Regem Hispaniarum tot regnis auctum, apud quem tot seminaria euangelizantium sustentantur.

Luc.

Iudic. 9.

Clem. Alex.

1. Reg. 18.

Text. Ait Iesus ad eū. Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & saluare quod perierat.

§. XV.

Eleemosyna peccata iudici operit, & facilem salutem causat.

TOTA publicani domus integerrimo iudici indemnis apparet; & vnde hoc sibi cōparauit domus publicani? Sanè ex eo, quod aiebat, dimidium bonorum meorum do pauperibus, vbi tanta in pauperes benignitas apparebat, non poterat non propitius esse iudex. Vbi dimidium bonorum videbat in paupere suo acceptum à publicano, quomodo non esset salutaris iudex publicano; iudex, inquam, qui vel pulueres domus suæ videns in suo paupere, deponit seueritatem. Ideò, quando pauperes sui male accipiebantur ab aliqua domo, Matth. 10. siue ciuitate, anxius curat, vt egrediantur, imò ait. *Excutite pulueres de pedibus vestris.* Quid interest, quod immisericordis oppidi puluis in discipulis maneat? Cur tam serio & pulueres excuti mandat? Sanè durum iudicium exercere volebat in homines duros, quod non Tertul. posset præstare, si vel puluis acceptus in pedibus suorum videatur. Pulchrè Tertul. lib. in Marcionem ait. *Cum iubet pulueres excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuissent, & hoc in testimonium mādat fieri: inhumanitatem que in testationem redigi iubet, iudice minabatur.* Equidem minacem iudicē agere volebat, qui inhumani hominis vel pulueres à suis pauperibus excuti mandat, quasi si vel puluis illius domus in paupere appareret, & posset minas depellere, & iudicem temperare. Excæcant eleemosynæ nostrum iudicem, neque sinunt, quod videat peccata. Id quod eleganti exemplo explicat D. Chrysost. apud Damascenum Damas. lib. 2. Parallelorum ca. 16. fatus. *O singularem eleemosynæ vim. Sola ad diuinum tribunal irrepit. Ne iudicem timeamus, ante iudicium manus protendentem. Ne iudicem metuamus, qui se accepisse minime inficiatur.* Qui ante oculos protendit manus, non vult videre; sic iudex, qui ad accipienda munera manus protendit, parum cūrat de delictis videndis. Præstat hoc eleemosyna; sola ad seuerum Dei tribunal irrepit, facit vt iudex manus protendat, & sic peccata non videat, imò facilem, & illaboriosam impertiatur salutem. Expende modo verba Domini ad Zacchæum data. *Hodie salus huic domui facta est: eo quod ipse sit filius Abrahæ.* Quomodo filius Abrahæ? Quot montes sacrificādus superauit? Quot ligna humeris portauit? Quot gladios super ceruices expectauit suas? Nonne hæc omnia pertulit filius Abrahæ? Insuper feros eius conceptus meditare: quot annos se

nosse steriles luxere parentes? Quot fastidia ancillulæ sustinuit Sara? Quot vota peregit, & adhuc filius legitimus Abrahæ non dabatur? Quomodo Zachæus tam citò filius Abrahæ? Omnes difficultates tollit, omnes moras curtat eleemosyna. Ita D. Laurentius Nouariensis Hom. de Pœnit. fatur. *Zachæus pusillus corpore, factus est præclarus opere. Flagitiosus conceptus, fœlix subitò de eleemosyna nascitur.* Sine parentum fastidijs, sine longis moris, sine laboribus fœlix hic Abrahamides salutem sibi acquirit & incolumitatem. Illę pauperũ preces, quæ largitoribus suis bona, & fœlicia exoptant, omnes curàs & sollicitudines nouerũt amputare. Viduæ illi, quæ de necessarijs sibi, famelico prophetæ impertijt paululum, sic saturatus vates annuntiat; 3. Reg. 17. *Hydria farinæ tuæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, &c. De quo Eucher. lib. 4. in Reg. ait. *In verbo Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarum facta est: non ibi ros, non pluuia, non veris aura, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, sed omnia in omnibus sermo Prophetæ ministrabat.* Duret eleemosyna in manu sua, & facilem, & sine labore tibi salutem paras in prece pauperis. Quod si eleemosynã facere contemnas, metuo, quod nullis laboribus possis æternam tibi salutem parare. Audio Matth. 25. Virgines dicentes ad alias, *date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur.* Sanè totis laboribus virginitatis non poterant lumen retinere, quæ oleum misericordiæ contẽpserant sibi parare. Ad hæc D. Chrysosto. Hom. de verbis Apostoli, habentes eumdem spiritum fidei sic loquitur. *Sicut enim lucernæ lumen oleo retinetur, & consumpto eo ipsum quoque lumen consumptum euanescit: ita etiam spiritus gratia, quantisper habemus opera bona, & crebris eleemosynis animam riganus, manet non aliter, quam flamma oleo retenta. Quæ si non adsint, recedit à nobis, & abit: quod etiam quinque illis virginibus accidit: etiam illæ post multos labores, ac sudores, cum nullum haberent ex sua benignitate præsidium, non potuerunt apud se retinere spiritus gratiã: atque ideo sunt à thalamo repulsæ.* Hæc ille: quibus patet immisericordes virgines minimè potuisse placere Domino, à quo repulsæ sunt. Et cur sponsus non repellat sponsas, quibus deficit misericordia, quandoquidem hæc facit pulcherrimas animas. Nefarius Balaam, vbi vidit Israeliticas phalanges, quarum nouissima sibi præoptabat, ait Num. 24. *Quam pulchra tabernacula tua, ô Iacob, & tentoria tua, ô Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, quasi cedri prope aquas.* Ecce tibi pulchritudinum, & formositatum epilogum, nimirum *quasi cedri.* Cedrus semper viridis, semper folijs vestitus, semper in brachijs suis præbet gratum passerculis hospitium. Sic de hospitalitate nascitur christiana pulchritudo. Ita Rup. lib. 2. in Num. cap. 21. ait. *Ergo pulchra tabernacula vt cedri prope aquas, videlicet in quibus aues nidificant, quarum abundantia cum sint diuites homines, pauperum inopiam supplet.* Hæc est pulchritudo fœditates peccatorum tegens oculis diuinis.

Laur. Nouar.

3. Reg. 17.

Eucher.

Matth. 25.

Chrysost.

Num. 24.

Rupert.

§. XVI.

Veri filii non tam in sanguinis propagine quam in æmulatione paternarum virtutum.

INVENITVR etiã in publicani domo ingenuus nobilissimi Abrahami filius, qui Abrahami beneficentiam mundo exceptam restituat. Præclare Isaias dicebat, cap. 68. de viro illo, quia pauperibus erogabat. *Et ædificabuntur in te de sorta sæculorum, fundamenta generationis, & generationis suscitabis.* Sto à sententia Adami, & Pinti, qui censent ædificari fundamenta nihil esse aliud, quam instaurari aut reuiuiscere virtutes, quæ superioribus sæculis floruerunt. Beneficiitaque hominis in domo, virtutes, à quibus desertus videtur mũdus, efflorescent: redibunt hospitia Abrahami, dum primorum Christianorum collectæ, & elargitiones. Vnus homo beneficus totã Abrahami progeniem nobis ponit ob oculos, se que inter Abrahamides locat. O quam legitimi filij sunt, qui beneficientiam maiorum nouis in se largitatis operibus colorãt. Quid in veteri lege patentius Dei beneficentia in suos? Eos in heremo pauit cælesti pane, pauit & carnibus, vsque ad satietatem, de petraque melle saturauit eos. Tam benefici Dei filius vbi venit in mundũ, nactus famelicã multitudinẽ semel, & vis impleuit panibus, ita vt quæ superfuere fracmenta duodecim cophinos potuerint ditare. Cur tam diues ostenditur in beneficientia? Cur necessitatis legibus nõ vult teneri, sed pergit vsque ad redundantiam? Filius erat Dei, & inde verum se filium probat, quòd paternam beneficentiam in omnibus æmulatur. Tertul. lib. 4. in Marcione 3. ait. *Ad deo autem ea fuit maiestas, vt & pauuli exiguitatem, non tam sufficere, verũ etiam exuberare, de pristino voluerit exemplo.* Et quidem diuini illius patris filium omnimodo testatur similitudo exvberantis beneficentiæ. Benefica illa Christi manus, quæ multitudines satiauit, ostendebat illum filium esse illius Dei, qui in eremo tot hominum millia satiauit cælesti pane. Cur patrem non vocem etiam Deum, si

Isai. 68.

Tertul.

eius æmulor beneficentiam in pauperes? D. Chryſoſt. Hom. proximè citata: ſic ait. *De ieiunio & virginitate diſſerens Dominus, regni cœlorum meminit: vbi verò de eleemoſyna ex liberalitate, & vt nos miſericordes exhibeamus, præcipit, longè amplius quam regnum cœlorum præmium proponit: vt ſitis, inquit, ſimiles patris veſtri qui in cœlis eſt.* Itaque liberalitas in pauperes, potens eſt, nos facere non ſolum reges in cœlo, ſed, quod eſt amplius filios Dei, ſimilimoſque tanto parenti. Sed qualiter puſilli vermiculi tanti patris exprimere beneficientiam poſſumus? Id eleganter oſtendit D. Hieron. epiſt. ad Saluinam dum Nebridij beneficentiſsimi principis virtutes in filio eius expreſſas ſic notuit. *Nebridius puſio patrem quærentibus exhibet. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni lucet in filio: & ſimilitudo morum per ſpeculum carnis erumpens ingentes animos anguſto in pectore verſat.* Sic ille: & quidem quiſquis es ad magnos illos Patriarchas, ad Deum ipſum comparatus, puſillus etiam adeo vt de morum ſimilitudine, dici poſsis Abraham puſio, imò Deus puſio. Sic tamen viuas, vt per ſpeculum carnis erumpant priſtinorum mores, & dicant, qui te operantem viderint, ſic Abrahamus, ſic Deus manus in pauperes liberales habebat; ſic Deus ſic Abrahamus os habent plenum beneficentia. Cenſentur itaque filij virtutum ſimilitudine, non natura. Inde Gen. 28. locutus Dominus ad Iacob dicit. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac.* Satiùs dixiſſet, ego ſum Deus Abraham & Deus Iſaac patris tui, ſiquidem non Abraham pater, ſed auus erat Iacobi; cur ergo præteriens nomen patris in Iſaac, qui verè pater erat, patrem vocat ſolum Abrahamum qui pater ſecundum carnẽ non erat, ſed auus? Non natura, ſed virtutes & labores Iacob attendebantur, vt notat Philo Iudæus lib. de ſomnis, quibus Iacob magis referebat Abrahamum quam Iſaacum; & ideò potiùs dicitur habere illum, quam hunc patrem.

Hieron.

LIBER SEPTIMVS.

DE DÆMONIBVS EXPVLSIS.

A Dæmonis poteſtate ereptas Chriſti Domini potentia vidimus animas, nec ibi ſtetit tanti triumphatoris victoria, adhuc pergit, vt vniuerſa eripiat tyranno vaſa. Itaque tyrannidem paſſa dæmonis hominum corpora, dum Dominus liberat, penitus à domo ſua, ab atrio ſuo eliminat fortem armatum, adeò vt nec illi maneat terra arida, in qua poſsit ambulare. Quatuor in primis ſe nobis offerunt Chriſti cum hoc tyranno congreſſus, apud Euangeliſtas celebriores, ad quos referuntur alij, vel quod idem ſint, vel quod perſtrictin tractantur.

CAPVT PRIMVM.

De dæmoniaco in Synagoga curato.

AD vrbem quoq; Capharnaum nomine Dominus cum veniſſet, in qua plurimos Synagogæ concilio populos edoceret, ſubitò per humanæ vocis miniſterium nequiſsimus ille diabolus talem fremuit in clamorem. Quod tibi & nobis Ieſu Nazarene, veniſti perdere nos? Scio qui ſis ſanctus Dei. Moxq; Domini minaciter dicente perterritus audit: obmutesce & exi de homine ſpiritus immunde. Magno roboãte cũ mugitu, quo diuino ſe fatereturimperio verberatum, reliquit humana præcordia fugiens in auras.

Marc. 1.

Marc. 1. Erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo.

§. I.

Chriſti facinorum veritatem ipſi inimici teſtantur.

NON clanculo, ſed media furentium Sacerdotum & Phariſæorum frequentia Dominus cum Sathana deſcendit ad certamẽ. Synagoga Iudæorum paleſtra eſt; Sacerdotes & ſeniores ipſi Chriſti crudeles hoſtes teſtes adſunt, qui è turba ſua demoniacum hominem norunt, & clamantem ſub Ieſu virtute audiunt. Optimè prorſus commendatur diuinũ facinus exiſtentibus contrarijs. Præ cæteris diſcipulis aiebat vnus Paulus: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſti?* 2. Corinth. 13. Et cur in Paulo Chriſtus loquacior? Cur à Pauli lingua profuſiores Chriſti ſermones dimanabant? Nonne Paulus perſecutor fuit & acerrimus Chriſti hoſtis? Ideò præ cæteris eligitur Paulus loculentior Chriſti teſtis, quia fuerat vehemens inimicus. Rem põderat D. Cyril. Hieroſolymitanus Catecheſi. 10. inquiens. *Magna quidem Petri & Ioannis teſtimonia, ſed ſuſpicioſus aliquis diceret, quod erant domeſtici: de illius autẽ qui hoſtis antea fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet amplius illius eſſe verum teſtimonium? Miratus ſum certe ſancti Spiritus diſpenſationem, quod aliorum quidem epiſtolas paruo numero circũſcripſit, Pauli autem antea ſui perſecutoris, quatuordecim eſſe conceſſit. Non enim eo, quod minor eſſet Petrus aut Ioannes, abſit: ſed quod dubia non eſſet doctrina illius, qui antea eſſet inimicus & perſecutor.* Cyril. Hieroſol. Non ſolum commenſales Chriſti Domini ſed & inimici & perſecutores eius facinora teſtantur, quæ tanta ſunt, vt nihil ſibi à rabido inimicorum ore caueant. Imò quod magis mirere, ipſi dæmones à gentibus culti & adorati pro Chriſtiana parte afferuntur, à quorum fœtidiſſimo ore clariſſima Chriſti fluenta ebiberunt multi. De illis eleganter Tertul. in Apolog. fatur. *Hæc denique teſtimonia Deorum veſtrorum Chriſtianos facere conſueuerũt, quia plurimum illis credẽdo, in Deo Domino credimus. Ipſi literarum noſtrarum fidem accendunt; ipſi ſpei noſtræ fidentiam ædificant.* Tertul. O almam Chriſti religionem, quę fluenti puro, ab ipſis hoſtibus tuis noſti ſcaturire! Quis dubitet verum eſſe ſermonem, cui inimici & hoſtes teſtimonium prohibent? Huc ſpectauit diuina illa prouidentia, quæ Iudęorum regna omnino diſsipãs, Iudęos diſperſit per orbem, vt nimirum Iudæi per orbem ferrent ſecum diuinas ſcripturas annuntiantes Chriſtum. Et quidem prudentiſsimè ſcripturæ de Chriſto permittuntur Iudæis hoſtibus Chriſti, ne fuerit ſuſpectus nationibus ſermo ille, qui à maioribus ſeruabatur inimicis. Ita Theodoretus ſer. 10. de Prouidentia, partim datus alibi fatur. *Si quis diligenter rem excutere vellet, Iudæorum reſiſtentiam, gentium fidem plurimum adiuuiſſe inueniet. Diſceptatio enim cum Iudæis & è lege, & Prophetis deſumpta demõſtratio manifeſtè illorum inſaniam arguit: gentibus autem demonſtrabat Chriſti anorum politiam olim prædicatam eſſe. Et teſtimonium, quod ab hoſtibus ferebatur, eum, qui prædicabatur, ſermonem fide dignum reddebat.* Theodor. Hæc ille.

§. II.

Nullis iuſtorum hominum conuentibus non ſe inſerit diabolus, nullibi ab illo eris ſecurus.

IN Synagoga loco ſancto, vbi Sacerdotum cœtus, cui Ieſus aderat, ibi ſeſe inſerit diabolus, ibi enim homo erat in ſpiritu immundo, hoc eſt ſpiritum immundum habens. Qui locus? Qui ſanctitatis gradus? Qui iuſtorum ordo, cui non ſe inſerat diabolus? Ipſis ſeſe dabit Angelorum cuneis; ſic apud Iob habes cap. 2. *Factum eſt autem cum quadam die veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque ſatan inter eos.* Iob 2. Expende non quod venerit ſatan, ſed quòd inter Angelos venerit, neque enim Angelicum veretur chorum, ſed nullibi nocere deſiſtens ſe etiam beatis immiſcet Angelis. Id demiratur Nazian. in cat. aiẽs. *O impudentiam eius, qui talia audeat! iam inde â principio in paradiſum ille contra figmentum irrepſerat, nunc que inter Angelos medius conſiſtit.* Nazian. Nil veretur impudentiſsimus ſpiritus dum ho hominibus nocendi intenĕat aditum. Curvereatur loca ſacra, qui in ipſo cœlo auſus eſt ferere ſcandala, & apoſtaſiam prædicare? Meritò cauet Paul. ad Eph. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mũdi rectores tenebrarũ harum: contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Ephes. 6. Aliter apud Diu. Thomam dicitur, nimirum: *aduerſus ſpirituales effutias in cœleſtibus.* D. Tho. Quippe is eſt inimicus noſter, qui nulli loco parcat, nullius loci vereatur ſanctitatem, in ipſo cœlo aſſutias ſuas & laqueos,

queos, & regnas dedicauit diaboli astutias & laqueos sustinuere cælestia non minori parte stellarum vacuata; quis ergo non vigilet aduersus hostem, qui & in beatitudinis penetrali tetendit laqueos, quibus millia afflictarum traxit? Qui nescit templorum immunitatem, qui in ipso sanctuario virus spargit? sanè Zacharias intra sanctuarium erat, vt tempore orationis incensum poneret, & dum impetrat colloquium Angeli, ibi incurrit laqueos diaboli, ibi inter Angelorum voces excipit diabolicæ perfidiæ iacula: dicitur enim illi Lucæ 1. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis.* Id quod ponderans D. Chrysost. Serm. 88. inquit. *Caro nusquam de sua conscientia est secura. Zacharias ipso placationis tempore offendit, dum credit, dubitat; dum postulata promeretur, incurrit; condemnatur, munera ipsa cũ suscipit.* Et quo in loco erit secura caro, quæ in luctæ stadio est aduersus principes tenebrarum, aduersus spirituales astutias in cælestibus? sanè qui cælestia nouit infestare, nullum verebitur locum, nec sanctuarij nec paradisi. Intrà sanctuarium, intrà angelica colloquia, caue diaboli astum: vnus abest diabolus, & medijs patentibus tempestatibus liber, ac securus agis. Compone tibi totam paradisi tranquillitatem, vitalium arborum halitum, trahentes Deum auras, alio ex capite arcam Noemo fabricatam, leonibus grauem, tempestatibus actam, fluctuum rabie percussam. Attamen hic securus homo portum attigit, illic homo exitiali veneno percussus mille incurrit mala. Vnde hoc? irrepserat in Paradisum diabolus, & tota loci sanctitas & salubritas non potuit non cadere diabolico contagio, abfuit ab arca diabolus, & hoc absente parnum lignum potuit vniuersas ridere tẽpestates. Pulchrè D. Basil. Sel. orat. 5. *O arca Paradiso firmior! illic namque cum alys nauigabat serpens: illic lignum mortis fuit instrumentum: hic lignum salutis fuit gubernaculum: illic Adamum præuaricari docebat; hic perfugio Noemũ petit.* Vbi serpens irrepserat, omnia simul cũ illo mala, quæ nullius loci vincuntur sanctitate, vbi aditus serpenti occluditur, facili negotio cætera mala superantur.

Lucæ 1.

Chrisost.

Basil.

Marc. 1. Et exclamauit dicens. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene; venisti perdere nos. Scio qui sis sanctus Dei.

§. III.

Peccator præsefert multitudinem, iustus vnitatem.

PRAECIPVVM iusti, & peccatoris discrimen in pluralitate, & vnitate consistit: vnde ait princeps peccatorum. Quid nobis & tibi Iesu? sibi pronomen multitudinis adscribens, alterum singularitatis, & vnitatis Iesu relinquens. Vnde 1. Reg. 1. de iusto Samuelis patre notanter dicitur. *Erat vir vnus de Ramath.* Dixisset, erat vir de Ramath, tur additur, erat vir vnus? Non superflue, nec incongrue, sed vt perfectam hominis sanctitatem ostẽderet, illumque â peccatoribus innueret maximè distinctum, ibi Orig. ait. *Pertinet ad laudem iusti, quod dicitur de eo: erat vir vnus. Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisque nostrum non vnus est, sed multi.* Vbi peccatum adest, omnis statim abscedit vnitas. ibi permixta, & confusa intrat multitudo: nescit peccator sub vnitate viuere, tot vultus induit, quod vitiosos affectus emittit. Psal. 74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi.* Cur Dauid non potiùs de se vno loquitur, ipse peccauerat, ipse ouiculam pauperis rapuerat, ipse vanitate deceptus populum numerat; ipse ergo dicat. Confiteor tibi Deus, cur maiult multitudinem præseferre? Quàm lõgè abhoc illi primitiui Christiani de quibus Act. 1. *Erat cor credentium vnum, & anima vna.* Hic in multis vnitas, ibi in vno multitudo, quia hi fideles & iusti, ille peccator erat. August. *Multa sunt corda confitentium, vnum credentium. Quare multa sunt corda confitentium? Diuersa enim peccata homines confitentur, vnam fidem homines credunt. Iam ergo cum cœperit Christus habitare in interiori homine per fidem, cœperitque inuocatus possidere confessum: fit totus Christus, caput & corpus, & ex multis vnus.* Expende illud, *cœperitque Christus possidere*, quasi hac vna iure incipiat clarere possessio Christi, nimirum in vnitate. Duplici corde viri abominabiles Deo, quàm longè abominabiliores illi, qui sunt corde multiplici? Hinc clarè ostendes, cuius possessio sis Dei, an diaboli, si fueris multi, vel vnus: supra cum de Samuelis patre dicebatur, quod erat, *vir vnus*, statim nomen additur, *& nomen eius Elcana.* Quid significat Elcana? Nostris idem est ac possessio Dei; quippe vir, qui vnus erat, ob possessionẽ Dei debuit agnominari. Orig. hom. vnica in lib. Reg. ait: *Certum est quia illo, de quo dictum est, quia vnus est vir, possessio Dei est, & nõ possessio dæmonum. Quem enim dæmones possidẽt, non est vnus sed multi; sicut ipsi dæmones, de eo quem possidebant, responderunt, quia legio nomẽ est ei.* In corde à dæmone possesso meditare equi troyani viscera, meditare hostiles phalanges, myriades armatorũ, quæ turbẽt vnita-

1. Reg. 1.

Orig.

Psal. 74.

Act. 1.

Aug.

Orig.

tem

tam & pacem. Quò respiciebat D. Iacobus epist. can. cap. 4. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Ecce legiones, ecce militares phalanges in vnoquoque peccatore clausæ, sicut in equo Troiano. Qui tunc à dæmonum recedunt potestate, in Dei possessionem se recipientes, quando incipiunt fulgere vnitate. Hinc est, quod dominus omnes homines à se susceptos vni ouiculæ comparat, Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit ex eis vnam, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam?* Cur tot myriades hominum vni assimilat ouì? Pulchrè D. Chrysol. serm. 168. ait. *Vt inueniret in vna omnes.* Quasi nihil sibi acquirere noluerit Dominus, in quo vnitas non effulgeat. Nihil magis Deum ostendit, quam vnitas; nihil magis Deo contrarium, quam diuisio, adeò vt ex diuisione veræ Deitatis absentia significetur. Hinc Ecclesiasticus cap. 42. de creaturis elementorum locutus dicit, quod fecit Dominus: *Omnia duplicia, vnum contra vnum.* Cur vnum contra vnum? Chrysost. in Psalm. 2. attigit rationem, aiens. *In creatione quidem, munaique opificio, quæ sunt inimica natura, concordiam amplexa sunt, & mundum perfecerunt, mutui opificis parentia: in vniuersi autem prouidentia sunt sibi inuicem infesta, impiũ multorum deorum cultum refellentia, vt omnes sciamus, quod quæ bello impetunt, & impetuntur, dij esse non possunt.* Nunquam Deus in diuisione est.

Iacob 4.

Luc 15.

Chrysol.

Chrysosto.

§. IIII.

Mundus, & diabolus suos peccatores penitus ignorant: Iesum, & eius seruos agnoscunt.

AN putas singularem fuisse Ioannis laudẽ, quod esset notus Pontifici? Hæc est seruorum Iesu, haud infima excellentia, quòd neminem lateant, quòd de singulis possit dicere diabolus ipse: *Scio qui sis.* Hoc dicit de iustis diabolus, à quo proprij serui ignorãtur. Act. 19. inuidi sacerdotum filij, quod Iesu discipuli tot miracula facerent, tot dæmonia eijcerẽt, accedunt ipsi ad dæmoniacum, & aiunt. *Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat.* Risit diabolus, imò irrisit perfidorum adiurationi, & respondens, dixit. *Iesum noui, Paulum scio, vos autem qui estis?* Explicatius, ait D. Cyprianus: *Vos autem penitus ignoramus.* Ecce mancipia sua ignorat dæmõ, suæ seruituti addictos homines minime cognoscit. Iesum autem, & Paulum, singulosque Dei seruos, hos solũ cognitos habet. Hoc obliuiosum ingenium erga suos accepit etiam mundus de diaboli halitu: quod maximè patuit in Saul, cui adeò placuit Dauid, vt illum dilexerit nimis, & fecerit armigerum suum, 1. Reg. 16. Insuper: *Misit Saul ad Isai dicens, stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur, quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul.* Is erat Dauid in Saulem, valde salutaris, valde officiosus, ob quod amauit eum valde Saul, cuius fauoris causa nec cessum erat, vt notissimus esset apud omnes palatinos; adde, quod Saul literas bis dederit ad Isai Dauidis patrem: rursus, & ipse Dauid celebris erat antea inter Saulis seruos ob incredibilem animi fortitudinem, roburque corporis maximum, & psallendi dexteritatem, ob quas gratias in ore omnium versabatur. Quid plura? Hic notissimus adolescens, & Regi charissimus discessit breui tempore à Saule, & secessit in montem, vt patris greges pasceret: recessit, inquam, Dauid iam adolescens, iam notus ob robur corporis, & intra ipsius adolescentiæ metas, vix duobus transactis annis, adhuc adolens robore, adhuc puer decore, accedit iterum ad Regem, facultatem petit descendi in arenam cum Philisthæo: descendit, init certamen. Quid tunc? cap. 17. *Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem cõtra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens? Dixitque Abner, viuit anima tua rex, si noui.* Miraris iam mundi obliuionem de dilectis suis, de charissimis seruis suis, de notissimis familiaribus suis: sed vt mireris amplius: *ait rex*, ad Abner, *interroga tu, cuius filius sit iste puer*, hoc mandatum accepit Abner, abdubium, quin diligentiam aliquam faceret, nec inuentus est, qui nosceret Dauid, adeò vt cum victor rediret; *Ait ad eum Saul: De qua pregenie es, ò adolescens? Dixitque Dauid: Filius serui tui Isai, Bethlehemita ego sum.* Neque his auditis venit Rex in memoriam charissimi, & officiosissimi armigeri sui. Vndè tanta obliuio in rege? Assentior Lyrano, qui putat tantam obliuionem recentis serui adeò familiaris, profectam fuisse à diabolica perturbatione. Et quidem hoc habet mundus ingenium acceptum à diabolo, vt suorum penitus obliuiscatur, vt minime noscat suos. Verum Dei serui hi notissimi sunt etiam diabolo, quantumuis lateant, se se occultent, in oculis, & ore omnium versantur. Quis magis absconditus ab oculis mortalibus, quã Iudith? Hæc, c. 8. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretũ, in quo cũ puellis suis clausa morabatur.* An ideò incognita? Ait textus. *Et erat hæc in omnibus famosissima: quoniam timebat Dominum*

Act. 19.

1. Reg. 16.

1. Reg. 17.

Iudith 8.

minum valde. Expende cauſam, ob quam fœmina ſepulta domi, non poterat ignorari, imo in ore omnium verſabatur, nimirum: *quoniam timebat Dominum valde.* Non alius, niſi Dei timor facit homines celebres, & notiſsimos apud omnes. Pulchrè de homine iuſto D. Ambroſ. lib. 3. officior. cap. 1. ait. *Qua æſtimatione deſinitur, qui nuſquam opinione comprehenditur? Etenim quaſi ignoratur, & cognoſcitur.* Clauſus eſt iuſtus, & abſconditus amans neſciri, & pro nihilo reputari: & eius fama nuſquam claditur, vbique locorum viget, ab omnibus præ oculis habetur, & amatur.

Ambr.

§. V.

In laudabilibus ne ſolus eſſe velis, & ſingularis.

VNDE QVAQVE ſe prodit diaboli ſuperbia, vbi ſupplicium à Ieſu in ſe recolit, nõ ſe ſolitarium, ſed quaſi vnum è multis oſtendit, dicens: *Quid nobis, & tibi, Ieſu?* Verum vbi quid laudabile meminit, nimirum Dei cognitionem, quaſi ipſe ſolus, & ſingularis, ait *Scio qui ſis ſanctus Dei.* Quippe diabolicus affectus eſt, nullum laudis ſocium admittere, ſed ſolitarium in laudabilibus velle eſſe. Ante diuinum thronum vniuerſi Angelorũ Principes ſtabant; ait enim Iſaias: *Seraphin ſtabant ſuper illud.* Tunc illorum vnus ampliores meditatus honores ſe defectionis à Deo ducem præbens, fatur Iſai. 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Efficacius machinationem perſuaderet ſuperbiſsima mens, ſi alios ſimul ad thronum vocaret, ſi dixiſſet, eia agite Principes, quid ſtatis? venite, exaltabo ſolium veſtrum ſuper aſtra, ſedeamus in monte teſtamẽti. At non loquitur ſic, vnam ſuam ſedem, & thronum meminit, nec ficte, nec ſimulate patitur conſortes in laude. Innuit Bernard. ſerm. 3. de verbis Iſaiæ. *Qui ſedere præſumpſit, ſe ſolo voluit eſſe contentus.* Vbi ad ſedem aſpirat, obliuiſcitur, imò deſpicit alios, ſe ſolum reſpicit, ſibi ſoli & laudabilia, & prima meditatur. Nõ hoc habuit de creatoris manu; non id ſumpſit, de ſapientia increatæ nutricis lacte. De illa ſic Cantic. 4. dicitur: *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.* Ecce à Dei vberibus qui pendeant, nimirum gemelli pendent; gemelli omnino pariles, inter quos nulla prærogatiuæ inæqualitas, dum enim alteri te præferre cupis, iam à Dei vberibus decides, & fame enecaberis. Gillibertus Abb. ſerm. 27. in Cantic. fatur. *Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus ſeparat, quos æque regenerat. Alioquin, qui neſciunt eſſe gemelli, effecti ſunt nulli: & in communio locũ occupantes primum; iam nec habent nouiſsimum.* Quam ſaginati de Chriſti Domini lacte erãt illi duo amoris gemelli Petrus, & Ioanes; ambo ibant templum orare; ambo inueniunt claudum; cui volens ſanitatem impertiri Petrus Act. 3. ait. *Reſpice in nos.* Cur in nos? Cur non in te ſolum? An tu non ſufficeres ſanitatẽ largiri, cuius vmbra tacti infirmi ſanabantur? An tu non eras omnium Chriſtianorum princeps? Cur non potius oſtentas tuam ſingularem præ omnibus poteſtatem? Verus Chriſti hinnulus eius innutritus lacte, non amat ſolitudinem in laudibus, ſed mirabilium ſuorum conſortes, & gemellos habere gaudet. S. Baſil. Seleu. orat. 20. *Recte. Communis ſiquidem cum vtroque miraculi effectio, ex vtroque curationis profecta eſt gratia.* Non ſingulares amant, ſed communes reputant gratias, & excellentias, quicumque implentur diuino lacte. Chriſti Domini proſapiam recenſens Matth. cap. 1. inter alios ait. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* Cur addidit Iudæ fratres? Et Iſaac habuit fratrem Iſmaelem, & Iacob habuit fratrem Eſau, & inter Ieſu progenitores non recenſentur Iſaac, aut Iacob fratres, & recenſentur Iudæ fratres. Cur recenſentur Iudæ fratres? Sanè Iſmael, & Eſau nomen ſuum celebrare cupierunt præ fratribus ſuis, regiaſque ſedes, ſibi ſoli quiſque fundauit. Verum Iudæ fratres omnes in eundem populum, & regnum conſpirarunt, ſub vnico Iſraelis vocabulo quiſque ſuum nomen obſcurans, & claudens. Hinc Deo grati merito recenſentur in Chriſtiana proſapia. Annuit D. Paſchaſ. ibi fatus. *Illi tamquam alieni à populo Dei, merito repelluntur. Hij verò quaſi hæredes in libro vitæ collectim ſcribuntur, & quaſi Patriarchæ duodecim tribuum, quia de populo Dei non ſunt excluſi, etiam de generatione Chriſti non merentur excludi.* Vt repellit Deus eos, qui ſe præferunt fratribus, ſibique ſolis honores aucupantur, ſic amat eos, qui adunati, & collecti in vnum populum omnes glorias communes faciunt.

Isai. 6.

Isai. 14.

Bernard.

Cant. 4.

Gillibert.

Act. 3.

Basil. Sel.

Matth. 1.

Paschas.

§. VII.

Deus honorabilibus titulis nominandus.

NVMQVAM in ore dæmonũ Ieſus ſine honoris titulis apparet, nũquã nefariſimę belluæ Ieſũ audent nominare, niſi honorẽ plenis

plenis vocabulis; aut Iesũ Nazarenũ, id est, floridũ, aut filiũ Dauid, aut sanctũ Dei vocãtes: vt vel hinc erubescãt fideles, qui Deũ, & Christũ sæpè nominãt absq; honorifici memoria vocabuli. Non ne ideò offendit Moyses? Ipse iussus de petra elicere aquã, sic expectãti populo fatur, Nu. 20. *Audite increduli, nũquid ex hac petra aquã elicere poterimus?* Hęc dicẽs percussit petrã, & fluxit aqua; verũ ira Dei maximè in Moysem scãduit. Ecce tibi causam: *Quia nõ credidistis, nec sanctificastis me in populo, non introducetis hos populos.* Expende illud, *nec sanctificastis me*, hoc est, nõ me sanctũ prædicastis, ideò pœnas dabitis. Nazia. apud Cat. Græc. ait. *Dñs trasceitur Moysi, quod cũ inberetur accepta virga populũ in concione vocare, coramq; petrã alloqui; ille percitus animo nihil de Deo (vti solitus erat) magnificè præfatus, paucis, & quidẽ subobscuris vsus est.* Nil magis cordi debet esse fideli homini, quã magnificè vbiq; Deũ præfari, eiusq; magnitudinẽ honorificis titulis, & agnominibus prædicari. Nullibi enim amat Deus esse sine ingẽtis gloriæ suæ vocabulis. Isai. c. 49. ait Pater ad filiũ: *Parũ est, vt sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob?* Quæ verba sic in rẽ præsentẽ exprimũt Lxx. fantes. *Magnũ est tibi, vt voceris puer meus.* Magnũ ait, quasi Deus, nec in forma serui patiatur esse sine magnificis gloriæ suæ vocabulis. Amb. in tit. Ps. 35. id attigit. *Magnũ, inquit, est tibi vocari puerũ meũ: seruat vbiq; sua vocabula dignitatis. Magnus Deus, magnus puer, nec in carne magnitudinis suæ nomẽ amittit.* Vbiq; filius à Patre magnificè vocatur, vbiq; gloriæ vocabula à Patre accipit. Sed & ipse filius, nũquã nõ Patrẽ suũ fatur sub ingẽtis gloriæ titulis. In cruce erat iam animã agens, & ecce clamat. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quereris te derelictũ à Patre, & dimisso paterno vocabulo magnificũ profers nomẽ deitatis: cur id, bone Iesu, facis? Victor Antioch. ibi fatur: *Vt planũ ex hoc fiat, ad vltimũ vsq; vitæ halitũ Patrẽ honorasse.* Nec in summa derelictione, passioniq; tædio præterijt diuinæ maiestatis titulos in Patre agnominando.

Num. 20.

Nazianz.

Isa. 49.

Ambros.

Vict. Ant.

§. VII.

Qui Iesum percipere cupis in hac vita, non tam scientia de Iesu, quam amori da operam.

QVIS iam totum se expendat scholis, cũ & diabolũ gloriãtẽ se audiat, quod sciat Iesum? Ait enim: *Scio, quis sis sanctus Dei:* plus saperes, si amasses; quippè Iesus non sic percipitur scientia, vt percipitur amore. Felicius aiebat Dauid Psal. 138. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis.* Quæ verba ponderans Gillib. Abb. ser. 1. in Cant. fatur. *In delicijs, ait, non in scientijs. Et in hac nocte potest Iesus meus magis dulci quodam affectu suauiter sentiri, quã sciri ad purum.* Scientiã remittamus in æternitatis diẽ, quãdo clara visione defęcatus animus Iesum cõprehendet; dũ in hac nocte sumus, amori demus operam, qui melius nobis reuelabit Iesum. Aiebat Dominus, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, quid volo, nisi vt ardeas?* Ecce tibi ad Christi ignem, quam plurimi accedunt, sed longe alia est voluntas illorum in isto igne, ac Domini volũtas. Vniuersi de igne Christi perfundi, illustrari cupiũt, & sub tanto fulgore lucere, maximè cõcupiscunt, siue in scholis, siue in pulpitis. At Iesus nihil de luce fatur, sed de ardore, quid volo, nisi vt ardeat? Remittant lumen in terram visionis, nunc amoris sentiant ardores, qui Iesu volunt habere saporem. Acutè D. Ber. ser. 3. de verbis Isai. loquitur. *Quid lucere festinas? Nondũ illud aduenit tempus, in quo fulgebunt iusti, sicut Sol in in regno Patris eorum. Interim pernicioſus est iste appetitus lucendi; feruere enim multo melius.* Non te totum scientiarum lumini tradas, da primas amori in hac vita, da primas ardori. Felicior eris, & securior, si ardeas, quã si luceas: si ames, quã si scias. Hoc habet Iesus præstantissimum, quod vniuersis proficuus sit, quod nulla sit creatura, quod de Iesu vtilitatem nõ percipiat, sed nõ illa felix, quæ de vtilitate, sed quæ de amore Iesu habet plurimum: *Propter quod & Deus donauit illi nomẽn, quod est super omne nomẽ: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiũ terrestriũ, & infernorũ.* Sic Paulus cõmendat Iesu vtilitates cõmunes vniuersis, non solũ cœlestibus viris, sed & terrenis hominibus, & diabolicis. Infernorũ gẽs Iesum precatur, & gloriatur de Iesu cognitione, Terrenorũ mẽtes sub Iesu radijs florẽt; feliciores his cœlestes homines, qui se se de Iesu amore æternare norũt. Accipite Gilliber. Abb. ser. 5. in Cãt. sic loquentẽ. *Tractatur Iesus in consilijs, disceptatur in iudicijs, in scholis disputatur, cãtatur in Ecclesijs. Religiosa sunt hæc negotia, sed vade ad exitus aquarũ, & pensa, quis generalior sit finis istorũ operũ. Vide si non per hæc omnia quædã exerceãtur mercimonia de Christo. Quæstuosa res nomẽ est Christi. Nihil pẽsius, nil optatius. Felix tamẽ, qui nominis huius virtutẽ sectatur. Apud illos tractetur, disceptetur, disputetur super hoc nomine. Nobis satis est, si in nobis adametur: nusquam commoditas maior.* Ne multum inuideas de Iesu scientias, & alias lucri faciendi artes, quæ vel reperiuntur in hominibus terrenis, vel in ipsis diabolis; Iesum ama, & omnes superasti, & de Iesu amore

Psal. 138. Gillibert.

Luc. 12.

Bernard.

Philip. 2.

Gilliber.

vniuersis creaturis, etiam dæmonibus inuidiam facies. Quam sapienter Tertul. æstimabat signa amoris Christi cordibus nostris impressa? Is enim lib. de Pudicitia sic commendat plagas ob Christi amorem acceptas, vt putet ipsos vi tormentorum à fide deficientes, inuidiosos extituros diabolo, non quod Iesum nouerint, sed quod propter Iesu amorẽ fuerint vulnerati. Etenim ait. *Et tamen illæ cicatrices Christiano prælio insultæ, & vtiq; inuidiosæ apud Christum, quia vicisse cupierunt, & sic quoque gloriosæ, quia non vincẽdo cesserunt. In quas adhuc, & diabolus ipse suspirat.* Sic Christi amoris vestigia, vel vmbra, faciunt inuidẽtem diabolum.

Tex. Et comminatus est ei Iesus dicens: obmutesce, & exi de homine.

§. VIII.

Linguæ semel malæ non credendum salutis negotium.

SAPIENTER illa frænatur lingua etiã in veris Iesu laudibus prædicandis, quæ antiquitus mẽdacijs effingẽdis dedita est. Quid enim sapientius est, quã semel lapsæ, imò omniũ lapsuũ occasioni, linguæ salutis negotium minimè credere? Petrus post linguæ pernicioſam licẽtiã à Christo Dño respectus, *egressus foras fleuit amare.* Cur Petre adeò silenter egrederis? Peccasti in cœlũ, & coram magistro tuo dulcissimo Iesu, surge ergo, & accede ad magistrũ, & dic ei: Iesu bone, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari discipulus tuus, fac vnũ ex mercenarijs tuis. Cur siles Petre? Cur & alia in tuæ salutis causa nõ loqueris? Prudẽter salutis negotium nequit linguæ credere, quæ negationi semel, & ter seruiuit. Ita D. Maximus de Pœnit. Petri, ait. *Ideò Petrus iã non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidẽ amiserat, ne per id ei nõ credatur ad cõfitendũ, quo vsus fuerat ad negandũ: ac per hoc mauult, & causam suam flere, quã dicere.* Suspectã habet linguã, qua offendit, qua in lapsum incurrit; nihil ei linguę cõmittit in salutis negotio, quæ fuit causa ruinæ. Quod mirere magis: ipse hominũ Saluator Iesus, inter furentiũ Iudæorũ calũnias, inter accusationes nefarias, inter falsa testimonia, serpentũq; sibila, *tacebat ita, vt mirarentur præses.* Mat. 27. dat manus, pedesq; clauis, dat caput spinis, dat pectus lãceæ, dat dorsum verberibus, vt vniuersa mẽbra aliquid moliãtur circa humanã salutẽ. Vna lingua silet, & cur in tãto salutis nostræ negotio vna lingua silet? Ait Ambr. ser. de accusato Dño apud Pilatũ. *Taceat lingua in bono negotio; quia & malas causas obtinere consueuit.* Expẽde, vndè etiã in salutis negotio silentiũ Dñs linguę suæ indicit: quia lingua in peccatoribus malas suscipit causas; lingua enim, quæ in impijs ruinæ deseruit, iuste frænãda est, & silẽtio premenda in quolibet etiã bono negotio. Equidẽ ipsa teriaca suspecta est, si per vas suspectũ præbeatur. Vera, & Deo digna clamabat dæmõ, vbi ait ad Iesum: *Scio, quis sis sanctus Dei,* & tamẽ iubetur obmutescere, ne & verę laudes de lingua nefaria veneni aliquid trahãt. Ita D. Athan. in cat. D. Tho. ad c. 4. Lucæ fatur. *Quãuis igitur vera fateretur, cõpescebat tamẽ eius sermonẽ, ne simul cũ veritate etiã suam iniquitatem promulget.* Difficile erat à noxa lingua, innoxias omninò veritates prædicari, quæ aliquid nociuũ ex illa non afferant.

Tertul.

Matth. 27.

Ambr.

Athanas.

Text. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo.

§. IX.

Diaboli manus acerbissima homini.

VAE, qui in diaboli incidit manus; minimus illius digitus grossior est ad percutiẽdos homines, quã manus terribiliũ omniũ. Cẽdũt alij flagellis, diabolus autẽ cẽdit scorpionibus. Quis numeret sanctissimi Iobi plagas? Quis eius æstimet dolores? Ait c. 2. *Percussit Iob vlcere pessimo.* Vbi cũ bonis externis Iobi pugnãdũ erat; vide quot pugnæ socios adiũgat sibi diabolus, armatas Chaldæorũ turmas excitat, quæ pastores inuadãt; ignẽ trahit è cœlo, qui absumat segetes: furẽtes agitat vẽtus, qui filiorũ concutiãt domũ. Verũ, vbi nocẽdi virũ accepit potestatẽ, ipse solus percussit, quasi ipse solus instar omniũ tormentorũ sufficeret ad discerpendũ, dilacerãdũ. Quæ nõ faceret fornax vlcera, quæ nõ faceret sartago ardẽs, quos non caularẽt rabidissimæ pestes cruciatus; hos faciebat in Iob vnus tactus dæmonis. Chrysost. in Cat. Græc. *Manus dæmonis acerbiore sensu doloris, quã qualibet sartago, fornax, & quauis flãma eũ assumeret; & qualibet fera immanior vndiq; corpus circũroderet, ac deuoraret.* Ne quæras in viro patiẽtissimo alias cruciatuũ causas; ne fingas tibi in eius doloribus Babylonias fornaces; nõ Machabæorum sartagines; nõ rugientes feras, vnã ibi interesse puta dæmonis manũ, & hæc vna præ cunctis omnibus durior, & immanior est, ad hominum discerpẽdos, excruciandos. Merito Apoc. 12. plangitur: *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Solum diaboli descensum in terram meminit, & terræ calamitates expauet: non minatur mor-

Iob. 2.

Chrysost.

Apoc. 12.

mortes, crucesq; non percenset carnificinas hominum; membrorum lanienas tacet; vnum lamentatur, quod diabolus descendit, quia vel solus eius tactus præ omnibus lanienis, & carnificinis terrenos homines discerpet, dilacerabit. Truciſsimam, & immaniſsimam apud Smyrnam Christianorum lanienam sic depingit Angelus Apoc. 2. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tenteminit & habebitis tribulationem diebus decem.* Non facilè ab hominum laniena abstrahitur fera hæc pesſima, sed morosſitatem in torquendo amat; diebus decem affligit, vt cruciatum varietate exacuat nocendi famem, & tormentorum cumulum crescere faciat. Cum iuxta duritiem cordis sui nefariſsimus Pharao torquēdus fuit, non vno die, non duobus, non septē, aut octo, sed per decem dies, decem diuerſis plagis torquebatur. Quod notans Diu. Saluianus lib. 1. de gubernatione Dei, inquit. *Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non vno modo: scilicet, vt plus sacrilegus torqueatur diuersitate supplicij.* Laxata equidem tortoris crudelitas in vno tormentorū genere, vehementer acuitur, si transijt ad aliud: sen per enim varietas affectus exacuit. Vndè hominū carnifex diabolus non vno tormento, sed decem diebus, hoc est, varietate cruciatuum se se exacuit, ad discerpendos homines, & dilacerandos. De hac dæmonum in homines rabie sæpè per totum hunc librum.

Apoc. 2.

Saluian.

§. X.

Non censentur tormenta, quibus peccatum pellitur.

QVAESTIONEM facit in præsenti Beda, vt Marcū, & Lucā concordet: Marcus enim dicit: quod discerpens eum diabolus exijt; Lucas autem solum dicit: *Et cū proiecisſet eum dæmonium in medium, exijt ab eo, nihilque ei nocuit.* Vbi hic laceratio, & vexatio? Vbi quod discerperet? Nulla prorsus horum mentio apud Lucam, imò nullum factum nocumentum monuit. Quid tunc? Nouerat & Lucas, quod exiens diabolus discerperet, laniarerque hominem, sed meritò non putauit lanienam, non putauit nocumentum illud, quo diabolus eijciebatur: non enim cēsenda sunt tormenta, quibus peccatum expellitur. Gen. 5. *Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & vocauit nomen eius Noe, dicens: Hic nos quieſcere faciet.* Quomodo quieſcere faciet, qui annuntiauit dilubiū? Sub Noe vniuersa castigabitur caro, orbis terrārum pœnas dabit, vndè quies? Cur non potius ruina dicitur? Cur non potius flagellū mundi? Sed præstat, quod vocetur quies flagellum illud, per quod à mundo peccatum eliminatur. Ita Chryſoſtomus de nomine Abrahę fatur. *Quare nō dixit: Hic occidet nos; hic faciet dilubiū fieri, ſed dicit: Hic faciet nos requieſcere? Creatura omnis reſoluitur, abyſsi deſuper erūpunt, in luto quaſi cōmuni ſepulchro promiſcua hominum, & equorū corpora occultabantur: & tantū calamitatē quietem vocas? Profectò dicit: Nā homines in magna malitia vinebant. Dilubiū, quia malitiā reſecuit, ideò liberati à malitia quieſcere dicuntur.* Non flagellū, nō calamitas censetur, quæ peccata ablegat, imò iuſtè quies, & refrigerium vocatur. Gen. 16. Agar vehementer castigabatur, & affligebatur à domina sua; dicitur enim: *Affligente eā Sara, fugā iniit.* De Ismaele autē ait, c. 21. *Cū vidiſſet Sara filiū Agar Ægyptiā ludentē cū Iſaac filio ſuo, &c.* Sara itaque Agarē affligit, & fugat: Ismael puer cū puero Isaac ludit, & vtrūq; spectās Paul. ad Gal. 4. ait. *Quomodo tunc is, qui ſecundum carnē natus fuerat, perſequebatur eū, qui ſecundum ſpiritum, ita, & nunc.* Quod puer ludat cū Isaac, vocatur persecutio; quod Agar affligatur, & castigetur à dominā sua, non vocatur persecutio, nec meminit Paulus illā pressurā, & afflictionē, cū alioquin multus sit in explicanda persecutione ab Ismaele inflicta. Cur Paulē ludū persecutionē vocas? Cur afflictionē durā, nec meminisſti, nec talē reputas? Ludus Ismaelis saporē idololatriæ referebat; Afflictio, qua Agar vexabatur, ideò erat, vt ancilla Dominę subderetur, superbūq; superciliū exueret. Merito afflictio, qua peccatum tollitur, non cēsetur afflictio; illa solum afflictio est, & ingens persecutio, qua peccatū introducitur. Hæc est D. Aug. mens, tract. 1. in c. 4. Ioan. vbi inquit. *Ecce libera afflixit ancillā, & non illam vocat perſecutionem Apoſtolus. Ludit ſeruus cū Domino, & perſecutionem vocat. Afflictio iſta non vocatur perſecutio, & luſio illa vocatur perſecutio. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur, &c.* Minimè dicenda est persecutio, aut tribulatio illa, quæ mores corrigit, quæ peccata, & eius occasiones expellit ab anima. Zachariæ, 1. dicit Dñs: *Irâ magnâ ego Dominus irascor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum.* Et quando Deus iratus fuit parū? Nō ne mūdū dilubio perdidit? Nō ne opulētissimas Sodomæ ciuitates fulminauit? Nō ne populum suū semel, & iterū lōga captiuitate oppressit? Quādo ergo fuit ira Dei parua? Rup. lib. 9. de victoria verbi Dei putat paruam, aut nullam ità Dei fuisſe, quādo fortissimos Machabæos Antiochi rabies cōtudit, lacerauit. Et merito tanta tyranni rabies, tanta Israelitarum strages, tanta iuuenum laniena, aut nulla, aut

Gen. 5.

Chryſoſt.

Genes. 16.

Genes. 21.

Ad Gal. 4.

Augustin.

Zachar. 1.

parua ira cenſetur, quæ ſolùm circa temporalia erat, nullum animis nocumentum faciens, imò ingentes glorias Machabæis pariens. Accipite Ruper. cap. 23. *Direptio theſaurorum, & cædes hominum, planctus magnus in Iſrael, & in omni loco; gemitus Principum, & ſeniorum, infirmatio iuuenum, & virginum; lamentum maritorum, plaga magna ciuitatis, & perditio populi. Hæc, inquam, omnia pertinent ad iram paruam, iuxta quod ait ipſe, quia ego iratus ſum paruum. Parua namque hæc fuerunt, quia circa corpus omnia verſata ſunt.* Dum perſecutio vitam animæ non tollit, dum ira in gehennam non præparat, aut parua, aut nulla cenſetur.

Ruperti.

Marc. 1. Et mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe dicētes: Quid nam eſt hoc? Quę nā doctrina hæc noua? Quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

§. XI.

Quam pernicioſe ſapiunt, qui in primo veritatis fulgore hærent, cum ſemper progredi debeamus in virtutis ſtudio.

VANA Iudæorum ſapientia nouit excitare quæſtiones, & ad veritatis radiantis fulgorem pulchrè moueri, veritatem verùm deſpicit comprehendere. Chriſtiana lux miraculis comprobata illis nouo effulſit exortu; ibi tamen hærentes miſere pereunt: quia quam incipiunt inquirere nouam lucem, nouamque doctrinam, non comprehendunt. Profectò Synagoga clamat illis verbis, Cant. 1. *Indica mihi, vbi paſcas? Vbi cubes in meridie?* Sic ait tota in inquirendo poſita, ſed non in conſequendo: tota nouo lucis exortu exhilarata, ſed perfecti diei prorſus ignara, & ideò à tenebris comprehenſa. Horum verborum mentem ſic in Synagogę nomine educit D. Ambroſ. ſerm. 2. Pſalm. 118. *A me receſsisti, quia ego crucem tuam non ſuſcepi, vt mundi redemptionem, ſed vt noxij damnationem. Qui autem receperunt ſicut ſalutis auctorem, in meridie ſunt. Illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua, ſicut meridies. Mihi matutinus eras, cum adhuc crederem, ſed non credebam plenè, quia nō ſum inuenta in meridie.* Miſera Synagoga hæſit ad primos veritatis fulgores; lucis naſcentis radijs percuſſa nouitatem mirata, non ad perfectum diei perūenit, ſed ibi obnubilatā perfidiæ nubibus hæſit: vt dicat Oſeas cap. 6. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Maturinis ſplēdoribus delectata deſpicit tranſire ad perfectam clàritatem. Hinc æſtimat Paulus Chriſtianorum felicitatem. 2. ad Corinth. c. 3. qui non ad primum veritatis fulgorem ſiſtimus, ſed nulla claritate, & luce contenti ad aliam feſtinamus pergentes ſemper vſque in perfectū diem. *Nos verò omnes reuelata facie gloriā Domini ſpeculantes, in eandem imaginem tranſformamur à claritate in claritatem.* Non primo claritatis gradu ſiſtimus, non primo ſapiētiæ guſtu ſaturàmur, ſed vſque in perfectum diem gradus facimus, aſcenſioneſq; in corde noſtro paràmus. Cant. 2. *En dilectus meus loquitur mihi; ſurge, propera amica mea:* vel ſi mauis, iuxta aliorum lectionē dicito. *Surge, veni.* Ne ſurgas, & ſtes, ſed ſemper aſcende ſuperius, ſemper ad altiora ſcande. Nolo debere D. Greg. Nyſſ. hom. 5. ſic fantem. *Neq; ei, qui verè ſurgit, vnquā deerit ei ſemper ſurgere: neq; ei, qui currit ad Dominū, vnquā conſumetur amplū, & latū cāpi ſpatiū ad diuinū curſum conficiendum. Oportet enim ſemper ſurgere, & excitari, & per curſum appropinquādo nunquā ceſſare. Quāobrē quoties dicit: ſurge, & veni, toties ad id, quod eſt melius aſcēſioni, ea, quæ deinceps ſequūtur, à verbo adijciūtur: nā qui pulchram ex pulchra iubet fieri, apertè admonet illud Apoſtolicū iubens eādē imaginē à gloria transformari in gloriā: adeò vt ſemper videatur eſſe gloria, quod accipitur, & quod ſemper innenitur.* Infeliciter ad lucē venit, qui à luce ad lucem non trāſit, à gloria in gloriā, à claritate in claritatē nō aſcendit. Ea eſt enim diuina lux, is eſt iuſtitię Solis radius, vt ſemper ad māiora impellat animos, qui dū luce Dei ſuffunduntur, neſciunt ſiſtere, ſed feliciter contendunt à claritate in claritatē. Magi illi Orientales ſtellarum cultores, & obſeruatores, Matth. 2. apud Ieroſolimitanos aiūt. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorū? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eū.* Venimus, aiūt, nō hæſimus in ſtellæ contēplatione, ſed cur ſtellarū interpretes nō potius ſederunt, ſtellam nouā, & mirā contemplantes? Cur de more non ſe totos ſtellæ ſtudio dederū? Expēde illud, *vidimus ſtellam eius*, hoſt eſt, vidimus non quancūq; ſtellam, non ſtellā vnā è multis, quibus contēplandis inſedabamus; ſed ſtellā eius, ſtellā noui, & diuiniſsimi Solis recèns Oriētis, quæ non permittit nos ſedere, ſed vrget, vt veniamus à claritate in claritatem, ab ſtella in Solem verum. Pulchrè Diu. Chryſol. ſerm. 87. *Tenuiter micans ſtella aſſuefacit ad lucem, & gradatim*

Cant. 1.

Ambroſ.

Oſeas. 6.

2. Cor. 3.

Cant. 2.

Greg. Nyſſ.

Matth. 2.

Chryſol.

per

per trahit ad ipſum fontem luminis, & dierum. Neſcit hærere, qui veri Solis lumine agitur, à mane ſereno graditur ad meridiē, ab ſtella ad Solem, à charitate in charitatem. Ioan. 12. ait, *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ cō prehendant.* Ad quæ Diu. Bernard. ſerm. 49. in Cant. dicit. *Ergo non ambulantem, ſed ſedentem à mortis tenebris comprehendi periculum eſt. Et quis ſedens, niſi qui non curat proficere?* Id caueto, etſi morte prę occupatus fueris, in refrigerio eris.

Ioan. 12.

Bernard.

§. XII.

Non veteraſcendum in Chriſtiana diſciplina, ſed quaſi exortu nouo in dies proficere debemus.

MIRANTVR Iudæi nouitatem doctrinæ Chriſtianæ, non quod ipſa noticijs niteretur inuentis, ſed quod nouo facinorum exortu quotidie iuueneſceret. In Rachele quis Patrum non agnouit Eccleſiam, quam ſibi Dominus deſponſauit? Recolite modo eius ſepulturæ locum, qui fuit Bethlehem, hoc eſt domus panis. Et cur Eccleſia apud Bethlehem ſepelitur? Nonne melius apud Caluariæ locum, ſiue apud Caluariæ hortum, vt de ſepulchro Domini diſceret in vitam exultare? Quid amplius poſſet præſtare ſepultæ Eccleſiæ domus panis, quam reſurrectionis locus? In horto ſepulchri ſemel reſumpſit vitam Dominus; verum in domo panis, quæ eſt Euchariſtia, quotidie renaſcitur, quotidie nouo ſe multiplicat exortu. Ideò Eccleſia non apud hortum, in quo ſemel reſumitur vita, ſed apud domum panis, vt inde nouis natiuitatibus quotidie augeri diſcat, ſepelitur. Diu. Paſchaſius lib. 2. in Matth. ſic inquit. *Rachel figuram gerens Eccleſiæ, ibidem ſepulta legitur, vt in eodem loco plena requies eius ſignetur, vbi Chriſtus panis viuus, qui de cœlo deſcendit, quotidie exortu nouo, ſine defectu verſatur.* Illam ediſcat vitam Eccleſia, quâ quotidie in nouum exortum, nouamque natiuitatem exurgat. Sic timeat Chriſtianus veteraſci, vt detrimentum putet, ſi quo temporis momento, nouo ſe exortu non induat. Iſaias 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Quid eſt mutabunt fortitudinem? Non vnam fortitudinem habebunt, ſed plures fortitudines, vt mutatoriæ veſtis inſtar, quotidie nouam fortitudinem induant. Ita Gillibert. Abb. ſerm. 14. in Cant. *Mutabunt fortitudinē, nō quidem vt veterem perdant, ſed vt nouam adiciant, qui ſeneſcentē deuotionē, & quodam languentem tædio, in nouum denuo feruorem reducant, & perſeuerantiæ faſtidia neſciant reparatione frequenti. Mutatio hæc profectuum videtur innouatio ingis, ſine defectu, ſine fatigatione.* Hinc ſe prodit Chriſtianæ ſpei non debile fulchrum, nimirum, noua, & frequens natiuitas, ingis renouatio profectuum. Pœnitens ille filius ad Patrem reuertens, Luc. 15. mercenarij ſtatus deſiderio tenebatur. Ait enim. *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus!* Quid habet, quod inuideat in mercenario legitimus filius? Cur mercenarij ſtatus tenetur amore? Mercenarius hoc ſibi proprium vendicat, quod vel ſingulis diebus, vel ſingulis mēſibus, vel ad ſummum ſingulis annis renouet pactum de mercede laborum cum Domino ſuo. Hoc inuidebat in mercenario filius, qui forſan lapſus, quod ſemel tantum natus eſt, cupiebat natiuitates renouare, vt apud Patrem viuere tur dicens: *Fac me vnum ex mercenarijs tuis.* De mercenarijs ait. Chryſolog. ſerm. 4. *Vt locatione annua ſeruitus innouetur, vt labore ingi conditio conducta deteratur.* Hoc ſibi approprient de mercenarij more etiam Dei filij, qui velint in parentis amplexu durare. Ne nimis æſtiment, quod ſemel nati à tanto parente Deo ſint, ſed vt nunquam natiuitas illa veteraſcat, exortu nouo, ſiue annua locatione ſe ſe obſequio illius diſcant obligare. Video apud Ioſue, cap. 9. Gabaonitas viros ab ingenuitate filiorum Iſrael excluſos, perpetuæ ſeruituti mancipatos, cuius ſententiæ rationem fallor, niſi ipſi inſinuent, cum aiunt. *En panes, quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti.* Nō in Dei domo placere poterant, quorum bona laborabant vetuſtate, nec de innouatione curabatur. Huc Origen. hom. 5. in Leuit. ait. *Gabaonitæ illi propterea condemnantur, & ligni cæſores fiunt, vel aquæ geſtatores, quia panes veteres ad Iſraelitas detulerunt, quibus lex ſpiritualis iubebat ſemper vti recentibus, & nouis.* illi placent in Dei domo, qui quotidie noui recenteſque veniunt, & prorſus neſciunt in obſequio diuino veteraſci. Nil magis cordi debet eſſe illis, qui ad Deum properant, quam ſi vetuſtatem expuant, & ſenium, & nouis quotidie operibus additis ſe in virtutum ſtudio renouare contendant. Cant. 1. aiebat ſpōſa: *Lectulus noſter floridus*, nec inſcienter gloriatur ſe lectulum floridum præſtare ſponſo, ſed in eo monſtrat ſingularem curam, & ſtudium renouandi in dies flores. Quippè flores in lectulo neceſſe eſt, vt marceſcant, imo vt penitus putreſcant, niſi frequenter addantur noui. Id quod attigit Ber. ſer. 47. in Cāt. ſatis. *In cāpo quidē, & in horto oritur flos, in thalamo autem minimè, ſed incet, tanquam qui illatus*

Paſchaſ.

Iſa. 40.

Gillibert.

Luc. 15.

Chryſol.

Ioſue. 9.

Origen.

Bernard.

non innatus. Propterea, & neceſſe eſt reparare frequenter, & recentiores apponere flores, quod diu odorem ſuum minimè retineant, nec decorē. Quod ſi lectulus reſperſus floribus conſcientia eſt bonis referta operibus, vides certe, vt ſimilitudo ſeruetur, nequaquam ſufficere ſemel, vel ſecundo operari, quod bonum eſt, niſi inceſſanter addas noua prioribus. Hæc ille.

CAPVT SECVNDVM.

De dæmonibus in porcos immiſsis.

RELICTO nauigio, per oram vicini littoris incedebat Ieſus, cum repente duo viri ſæuiſsimi, dæmonum legione poſſeſsi, deſepulchralibus monumenti fremitu proſiluere terribili. Conuenienter enim ſpiritus ille nequiſsimus inter buſta magis habitabat, & cineres, cui nihil eſt cum vita commune. Tunc Domino veniente perterritus alter in humanam rurſus figuram, quam Chriſtum videbat gerere, metuens intrare, pecus immunda ſordium obſcænitate lætiſsimum, & olentis cæni ſemper amicitijs inuolutum, pro ſuis adire meritis impetrauit. Triſtiſque continuo phalangis incurſus gregem peruaſit, impulit, & necauit in marina præcipitem fluenta porcinum. Hoc totum in duobus narrat Matthæus peractum: Lucas, & Marcus ſolū meminit vnius, quia hic è duobus inſignior erat, apud quem tota dæmonum legio morabatur.

Ex Matth. 8. Cum veniſſet Ieſus trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes fæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam.

§. I.

Nimia dæmonum auiditas hominis perdendi, in quo nullus dæmon alteri cedit.

VIx Geraſenorum terminos attigit Ieſus, & duo dæmoniaci occurrunt ei: occurrunt, inquam, quia vagabantur per viam, & putabant Chriſtum aliquem eſſe, cui nocere poſſent. Sic vbi apparet, ambo nociturі concurrunt, nullus ſegnis eſſe vult in perdendo homine, nullus tardus, & piger. De filiorū Iobi clade à dæmonibus peracta dicitur, cap. 1. *ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſsit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſsit liberos tuos.* Et mirum eſt, quod ventus ab vna determinata regione deſerti veniēs quatuor domus angulos cōcutiat ſimul; quis vnquam tale vidit? Et eſto, quòd dæmon ipſe in vento veniret, quid neceſſum erat, quatuor angulos concutere, cum vel vnum angulum quatiēs poſſet domus ruinis Iobi filios oppri mere? Non vnus, ſed multi dæmones concurrebant, quorum nullus ſegnior eſſe volebat in perdendis hominibus, & ideò ex æquo per omnes angulos domū concutiebant. Id quod notat Orig. lib. 1. in Iob. *Si per vnum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? Quatuor angulos tetigit, vt oſtenderet ferociam, atque animum ſuum homicidialem. Nam omnes dæmones mox vt relaxati ſunt, & permiſsionem acceperunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus ſuper domum irruerunt feſtinantes, atque aduerſum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret. Ingentem vnuſquiſque eorum ſibi reputans dolorem, ſi prior illo alter procederet ad eius perditionem.* Ea eſt ſingulis dæmonibus fæuitia in homines, vt nullus patiatur videri ſegnior in hominibus perdēdis; ingētemque ſibi dolorem illatum putet, ſi minus poſsit nocere. Omnes ſimul currūt, & concurrunt in hominem, hoc ſibi quiſquā magnum reputet, ſi nullus præcurrat. Eorū rabiem eleganter exaggerat iuxta D. Baſilij explanationem, Pſalm. 161. inquiens. *Quouſque irruitis in hominem? Interficitis vniuerſi vos, tamquā parieti inclinato, & maceriæ depulſæ.* Magna equidem dæmonis rabies, & crudelitas, quod omnes in hominem vnum exurgant, in hominem vnū irruant. Sed illa maior rabies eorum, quod omnes illi vnum hominem interficiant, *Interficitis vniuerſi vos*; vos vniuerſi interficitis, vel vt Chaldæus explicatius, ait: *cuncti cuaditis homicidæ.* Sed iam acute addubitat D. Auguſ. quomodo tot hoſtiū turmæ, tot inimicorum myriades vnum hominem ſolum poſſunt interficere? Sanè ab vno interfectus iam reliquos non timebit; iam reliqui omnes nō habebunt, quem occidant. Cur ergo dicuntur cuncti occidere? Rationē huius reddunt ipſius Auguſtini verba, vbi ſic ſonant. *Quouſque apponitis ſuper hominē?* Quibus expendendum eſt verbum, *appono*, hoc eſt ſimul, & iuxta pono; non enim dæmonū

Iob. 1.

Origen.

Baſil.

Auguſt.

rabies

rabies pătitur, vt alicuius telum aduersus hominem præponatur; vt aliquis eorum occior currens, præponat hastæ suæ onus super hominem; omnes simul irruunt, omnium tela simul posita, & apposita apparent, præpositum nullum; quia nullus est, qui in perdendo homine cedat alteri primas. Immensum ab hoc distat nostri Dei bonitas, qui studiose remunerat illum, à quo se videt præueniri in castigandis hominibus. In populum Israelis
Num. 25. vehementer irascebatur Dominus, Num. 25. ob idololatriam, & fornicationes eorum cum Madianitis. Tunc surrexit Phinees, & arrepto pugione perfodit Israelitem virum simul cum Moabidide muliere, quo sibi Deum maximè deuinxit: ait enim Dominus: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Sic Deus munerat hominẽ fratrum percussorem? Sic honorat eum, qui homines perdit? Non sanè munerat homicidam, sed eum, cuius zelo prẽuenitur ira diuina; cuius zelo fit, vt iam non necesse habeat Deus accedere ad hominem in
Isid. Pelus. ira. Ita D. Isid. Pelus. lib. 3. epis. 159. inquit. *Diuina natura eum, qui ante se diuina iracundia exarserat, honore affecit.* Expende illud: *Eum, qui ante se exarserat*: quasi ideò honoretur, quod in ira aduersus hominem primas ferat Deo ipsi.

§. II.

Summa miseria illius peccatoris, qui in eos exurgit, a quibus medela ei porrigebatur.

DAEMONIORVM pleni miseri homines nudi, ab hominibus deserti, & omni auxilio destituti, inter fœtida sepulchrorũ cadauera cubabant. Et quis illorum misereſcat, quando illi omnes auxilij vias occluderent, in vniuersos per transeuntes crudeliter, & hostiliter insultantes? Eu, quot sunt huiusmodi in præsenti dæmoniaci; homines peccatorum fœtoribus incubantes, quasi æternæ iam morti deputati, qui feritate sua, & sæuitia eos persequuntur, à quibus medelam deberent speThren. 2. rare. Hos deflet Hier. Thren. 2. aiens: *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Furentes fluctus, tempestate commotũ mare quis non Neptunus audeat componere? vecors erit, qui accedat compositurus inquietum, & summe alteratum mare, accipiet enim pro mercede naufragium. Huiusmodi est peccator spumantibus libidinis fluctibus inquietus, ira percitus, auaritia raptus, in monitores & medicos animæ suæ furiosus, is omnes auxilij vias occlusas habet. Is furentis maris similitudinem exprimit, ait Rupert. *Quia quicumque accedit ad medendum, persecutionem, & mortis patitur naufragium.* Deploratus est ille, cui nequit præstari auxilium, sine auxiliatoris ruina. Qui in salutis suæ procuratores tempestates mouet, naufragia minatur, metuo, ne sibi ineuitabilem perniciem pariat. Amos cap. 5. ostendit Deum in robustissimos *Amos. 5.* peccatores implacabiliter iratum. *Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.* Et quis est iste robustus, quis est iste potens, super quos Dominus, quasi per risum, vastitatem, & populationem affert? Iam explicat aiens: *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.* Ecce tibi, qui vastitatem, & populationem à Deo sustineant, nimirum, qui potestatis fibulis, & throno elati oderũt corripientes, & perfectè loquentes abominati sunt. Sic Diu. Hieronym. ibi in *Hieron.* quit. *Hi, super quos Deus subridet vastitatem, & affert in eos populationem: qui in malo robusti sunt, & ad opprimendum potentes, odio habuerunt in porta, id est, in iudicio corripientem.* Hoc vno saluti aditum occludis; hoc vno vastitatem, & populationem à Deo sustinebis, si de portæ, aut throni sede elatus aduersus eos scandescis, qui te bono animo corripiunt. Igitur qui salutem speras, da operam, ne timearis in correctione. Imò vt apud Mat *Matth. 5.* th. cap. 5. ait Dominus. *Esto consentiens cum aduersario tuo cito dũ es in via cũ eo.* Iuberis, ne viatores offendas: imò etsi viatorum aliquẽ contrarium tibi repereris, da operam cito cũ illo consentire. Quem si contemnas, periculum incurres, quod meminit Luc. 12. iuxtà *Luc. 12.* Aug. *Si vadis cum aduersario tuo ad Principem, da operam in via liberari ab illo, ne forte tradat te Principi, & Princeps ministro, & mittaris in carcerem: vnde nec exies donec soluas nouissimum quadrantem.* Scire cupis, quis sit iste aduersarius noster viator, cui cito consentire, & submitti debemus, ne in carcerem, & supplicia incidamus? Aduersarius hic est sermo nos corripientis, vitiaque nostra castigantis, quẽ aduersarium si in via percutiamus, & oderimus, saluti occludimus aditum; si verò illi omninò pareamus, & consentiamus, magnis periculis liberabimur. Do D. August. serm. *August.* 1. super Matth. fantem. *Aduersarius tuus sermo Dei est. Esto consentiens aduersario tuo cito, cum es cũ illo in via. Consenti illi, nõ enim poteris liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo, consenti illi. Non homicidium facies, audi & concorda sti. Non furtum facias, audi & concorda sti. In his omnibus cum tuo isto aduersario cõcorda sti, dic mihi, quid perdidisti? Non solum nihil*

hil perdidisti, sed & te ipsum, qui rieras, inuenisti. Tã longè abesse debes, ab eo quod viatores offendas, quod eos oderis, à quibus ob errores tuos, quibus deuias, corriperis, vt prorsus illis assentiri debeas, non aliter liberari poteris à periculo, quod imminet. Huc aspiciebat Beat. Isai. Abb. orat. 4. afferẽs Oseã de Ephraim dicentem, cap. 5. iuxta Sept. *Oppressit aduersarium suum, & conculcauit iudicium. Quæsiuit AEgyptum, & vi ductus est ad AEgyptios.* Ecce tibi Ephraim apud Assyrios captiuus, à patrio solo irreuocabiliter eiectus, sed vndè in tantũ malum incidit? Quid peccauit? Oppressit aduersarium suum, nimirum, noluit consentire cum aduersario suo, cùm monitore suo, imò illum oppressit. Sic dictus Abbas ait. *Hæc Ephraim contigerunt, quia oppressit aduersarium suum*; existimat autem cum Augustin. aduersarium hunc esse bonum monitorem, & correptorem.

Isai. Abb.

Idem.

Ex Marc. 5. Videns autem Iesum a longe cucurrit, & adorauit eum.

§. III.

Maiora crimina maior sequatur humilitas, si vis Deo placere.

QVIDQVID Lucas, & Marcus dicunt, non de duobus dæmoniacis asserunt, sed de altero tantum: quia in hoc vno singularia multa inuenerunt, quæ magis, & miraculum cõmendarent, & homines instruerent. Hic vnus legionem dæmonum patiebatur; hic longiorem habuit cum Iesu sermonem; & forsan ipse solus humi stratus Iesum adorauit. Qui enim plurium dæmonum factus erat habitaculum, maiora humilitatis, & summissionis debebat præstare signa, si ex Deo aliquid sperabat, vt vel à dæmone discerent maximi peccatores Deo ex humilitate commendari. Beat. Isaias Abb. orat. 9. ait. *Labor, & paupertas, & afflictio, & silentium, & hospitalitas humilitatem pariunt. Humilitas verò veniam impetrat omnium peccatorum.* Quò peccator maior, magis humilitas appâreat, quando peccatorũ venia filia est humilitatis. Christo recèns nato duo se se præsentant fidelium agmina: hinc pastores Iudæi; illinc pagani Magi: de illis solum dicitur, quod gaudio pleni glorificabant Deum; de his habet apud Matth. cap. 2. *Et procidentes adorauerunt eum.* Cur hi soli procidunt, & adorant? An quia Magi idololatriæ dediti nocentiores erant, quam simplices Iudæorum pastores? Ità D. Augustin. latur, serm. 64. *Illi Deum, ex eo quod Christum viderant, laudauerunt, isti autem visum Christum etiam adorauerunt. In illis gratia prior: in istis humilitas amplior. Fortasse ergo illi pastores minus rei, de salute alacrius exultabant: isti autem Magi multis onerati peccatis submissius indulgentiam requirebant.* Qui pluribus erant sauciati peccatis, maiora referunt signa summissionis, & humilitatis; necessum enim est, vt vbi superbundauit delictum, superabunder pro delicto humiliatio, sicque iustis ponderibus respondeat humilitas peccato. Dauid quondam peccauit, dum se se alienæ immiscuit vxori, & Vriam occidit; sed quis dicat, quantum se pro peccato humiliauit? In cinere, & cilicio versatus est; stratum lacrymis rigauit, filij mortem sustinuit, rebellem filiũ etiã patitur, à regia cogitur exire pedes; imò fugam init nudis plantis per abrupta montium, & post humilitatem tantam adhuc instat suppliciũ temporale peccati. Quid plura? Fortissimus, & potentissimus olim Rex sic se abijcit, sic se humiliat, vt in illum pulueẽ & maledicta vilis homuncio Semei filius cõgerere audeat. Quæ maior regis humiliatio? Cur Rex sic te pateris humiliari? Pulchrè, 2. Reg. 16. ex Diu. Ambr. lectione, ait. *Dimitte illum, vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc.* Et quidem vbi summa regis potentissimi appareret humilitas, præclarè prædicebatur omnimoda abolitio peccati, & gratiæ remuneratio. Non antea bonus Rex tribulationem peccatorum suorum finiendam putauit, quàm vbi se in eo humilitatis vidit statu, quo abiectior esse non posset alios. Tũc præcipuè peccati præcisionem sperauit, cum non habuit, quid amplius faceret humilitatis, & abiectionis. Ambros. in Psalm. 118. Octonario decimo, sic ait. *Dimittite illum, vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Quod prophetico dixit spiritu, & probauit euentu. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum soluitur.* Expẽde illud: *repleta fuerit humilitas*: est enim certa humilitatis mensura iuxta mensuram peccatorũ; magna perpetrasti peccata? magnam necesse est congeras humilitatis molem. Tunc solam euacuabitur omne vestigium peccati, cum æqualis humilitatis mensura repleta omninò fuerit. Cui accinit Dominus in Isaiæ, cap. 40. apud Septuag. dicens. *Consolamini populum meum dixit Dominus, loquimini ad cor Ierusalem, consolamini eam, quia repleta est humilitas eius, soluitum est peccatum eius.* Quasi tunc de soluto peccato consolationem possis

Augustin.

Ambros. 2. Reg. 16.

Ambros.

Isai. 40.

spera

ſperare, cum omnem humilitatis menſuram impleueris. Humilitati ergo ardentius ſtudeat, quiſquis peccator eſt, quam inter omnes aliàs virtutes præcipuè colat. Quot facinora virtutum Hebræi illi pueri fecerant? Se ſe flammis permittunt, & inter flammas humilitatis plena vox illorum reſonat. Sic Dan. 3. *Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te.* Quod ponderãs Diu. Cyprian. delapſis, alibi etiam datus, ait. *Bene licet ſibi conſcij, & Dominum fidei, & timoris obſequio ſæpè promeriti, humilitatem tamen tenere, nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſiterunt.* Non poterat enim dimitti humilitas, vbi de peccatis ſermo erat.

Dan. 3.

D. Cypr.

Matth. 8. Et clamauerunt dicẽtes: Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei.

§. IIII.

Maximè ſe ab impiorum moribus viri pij ſecernant, ne vel minima illorum in ſe habere velint veſtigia.

PVDEAT viros pios eum impijs cõmunionem habere vel in calceorum corrigia, quando & impios pudet de bonorum cõſortio, & ſimilitudine. Nõ ne alienum, & indignum ſibi querebatur dæmonum ſuperbiſsimus Ieſu conſortium, dum ait in præſenti, & apud Lucam, cap. 8. *Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dauid?* Ideò merito monet Diu. Ambroſ. lib. de Helia, c. 20. *Et tu dic, ſi forte videris pugnare aduerſum te diaboli tentamẽta. Quid mihi, & tibi eſt Belial? Ego Chriſti ſeruus ſum: illi me totum mancipaui; quid mihi, & tibi eſt? Non noui opera tua, nihil tuum quæro, nihil tuum deſidero. Quanto magis nos oportet ſeparare à diabolo, ſi ſe ille diſcernit à Chriſto?* Pudet prophanos, ſi vel in minimis religioſi videantur, cur non pudeat pios, vel prophanorum in ſe præferre vmbram? Quis impiorum non fugit iuſtorum mores, & conſuetudines? Quis mũdanus non verecundatur, religioſum vel dici, vel haberi? Quis paganus non maximè abhorret à ſanctorum cætibus? Et tanta eſt noſtra deſidia, vt qui Chriſto nomen dedimus, qui virtuti ſtudemus, non omninò fugiamus impiorum & mores, & conuentus. Grauiter pũgebat Tert. lib. de idololatria, veteres Chriſtianos, qui ethnicorum feſtis intererant, his verbis. *O melior fides nationum in ſuã ſectam; quæ nullam ſolemnitatem Chriſtianorũ ſibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecoſtem, etiamſi noſſent, nobiſcum non communicaſſent; timerent enim, ne Chriſtiani viderentur.* Quid pulchrius? Nullus eſt impius, qui non timeat ſibi vel ab vmbra virtutis; ſolus Chriſtianus non timet de cõſortio impiorum impius videri. Nullus eſt impius, qui te non fugeret, ſi illum velis ad virtutis ſtudia trahere, vel per breue tempus; & tamen tu non refugis flagitiorum omnium conſuetudinem, & damnoſum contubernium. Quid Ægyptia ornamenta Iſraelitico populo in deſerto attulere? Sanè iuſsi ſunt Iſraelitæ à Deo ex Ægyptijs vaſa aurea, & ornamenta pretioſa accipere: Exodi 12. ait. *Fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi, & petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea, & aurea, veſtemq; plurimam.* Itaque Deo monente, & præcipiente, Ægyptia ornamenta accipit, & ſeruat Iſrael; quæ ornamenta, quia Ægyptia erant, tãdem ſcandalo fuerunt Iſraeli, quem in Ægypti idololatriam traxerunt. Sic Aaron cap. 32. *Quibus ego dixi: Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi, proieci illud in ignem, egreſſuſq; eſt hic vitulus.* Non ait, ego feci vitulum, ſed ego petij, aurumque ſolum igni dedi, & ecce vitulus egreditur; vbi enim aurum Ægypti aſſeruatur, omnis alia ars, omnis induſtria vacat, ipſum per ſe ſufficit Ægypti idola parere. D. Macharius ſenior, hom. 11. *Compulſus eſt Aaron dicere Iſraelitis, vt aurea, & pretioſa vaſa afferrent: poſtea aurum illud, & vaſa, quæ coniecerant in ignem, in idolum verſa ſunt.* Equidem quidquid communè cum peccatoribus habeas, quidquid de impiorum conſuetudine acquiras, non quieſcet donec in te à verò Deo defectionem parturiat. Non aliud expectet Iſraelita ab Ægyptiorum ornamentis. Non aliud ſperet homo pius ab impiorum communione. Quam putas honeſtam conſuetudinem: quam putas ciuilem, & vrbanam amicitiam: quem putas ornatum politicum; accedet aliquando diabolicus ignis, quo illa impiorum conſuetudo, illa amicitia vrbana, ille ornatus politicus conuertẽtur ſubito in idola, quæ te decipiant. Hinc meritò monebat Ioan. 1. Canonica 5. *Filioli cuſtodite vos à ſimulacris.* Putarit aliquis, quod Chriſtiani ſatius monerentur, vt ſe ab idololatria cuſtodirẽt, & ab omni cultus errore, quam vt ſe cuſtodirent ab idolis, & ſimulacris, cum potius idola, & ſimulacra Chriſtianos cõfirmare in fide poſſent. Quæ ſimulacra ridicula non ſunt viris prudentibus? Vidi ego ſæpè idola gentium, quæ irriſionẽ potius, quàm cultum elicerent. Quis non rideret Iquem factum tanũ ob Europę amo-

Luc. 8.

Ambr.

Tertul.

Exod. 12.

Exod. 32.

D. Mach.

Ioan. 1.

res

res; Mabortem cùm Venere retibus captum à Vulcano in cachinos deorum, & similes aliàs imagines. Nihilominus non ait Ioannes, quod custodiamur ab idololatria, ab erro re, sed ab idolis, à simulacris ipsis, ab vmbra eorum, quæ æque erit nociua nobis. Id ex
Tertul. pendit Tertul. lib. de corona militis, aiens. *Filioli, inquit, custodite vos ab idolis, non iam ab idololatria, quasi ab officio, sed ab idolis, id est, ab ipsa effigie eorum.* Caueat pius vel impietatis vmbræ communionem.

Matth. 8. Venisti ante tempus torquere nos.

§. V.

Peccatoris hominis propria cæcitas, & intolerabilis est, errores proprios in se non videre, in aliis videre, & reprehendere.

QVI nihil sciuit facere, nisi tempore, & hora sua Iesus, & omnia temporũ momenta disponit, vt fructus suos reddat tempore opportuno: is à dæmoniaco intempestiuus notatur, & nimis proper succensetur. Non est Iesus, qui tempus non obseruat, sed tu diabole, es, qui omnia peruertis, & ante tẽpus hominis elaboras ruinam, quando illum adhuc viuum nigro detines in sepulchro. Sic intempestiuam à te inuentam ruinam, illam imputas Deo, & quereris, quasi in illo exisstat. Hoc ingenium biberant cum dæmonũ cultu Gentiles, qui omnia horrenda, & execranda vitia à se inuenta primis Christianis attribuebant, non alio argumento, nisi quia
Idem. illa inuenerant ipsi, & in se non agnoscebant. Quibus ità fatur Tertul. Apolog. cap. 9. *Si hæc in vobis esse considerassetis, proinde in Christianis non esse perspiceretis, iidem oculi renuntiassent vtrumque. Sed cæcitati duæ species concurrunt, vt qui non vident, quæ sunt, & videre videantur, quæ nõ sunt.* Duplex cæcitas in s[nul]lũ videre malum, quod est; & in alijs videre, quod non est; & hæc illius est soboles. Qui se non videt, sic in aliorum caligat operibus, vt in ipsa luce tenebras videat. Sunt quidem & in oculis corporeis duæ cæcitatis species, altera caliginem homini adducit, altera facit impostu[ram]. Verbi gratia si pupilla oculi aliquo colore per morbidum humorem inficiatur, & obscuretur, tunc quidquid exprimit tali colore affectum videt, nihilque aliter potest videre. Et cum color ille pupillæ illapsus ibi, vbi est, nõ videatur, in omnibus alijs rebus, vbi non est, videtur. Ità prorsus mentis oculi à cordis affectibus prauis solent infici, vt proprias, quas in se ignorant prauitates, in alijs, in quibus minimè sunt, velint esse. Hoc se morbo liberum aiebat S. Iob cap. 31. *Si secutus est oculus meus cor meum.* Iob. 31. Is est in piorum oculus, qui in representando non sequatur veritatem rerum, quæ videntur, sed prauos proprij sui cordis affectus, sine quibus neminem potest videre. Quò spectabat Diu. Ennodius D. Ennod. lib. 2. epist. 16. fatus. *Improborum natura est, hoc sentire de omnibus, quod ipsi merentur, & in malis solatium nusquam videre innocentiam. Tormenta sunt maculatæ conscientiæ non sibi credere esse participes.* Hic est impiorum turbidus, & infectus oculus nusquam innocentiam videre, sed omnia exprimere, omnes representare illis maculis, quas ipse habet, nec aliter vnquã impij sciunt cernere. Quis magis iniustus, quam Pharisæus ille de superbia in Euangelio notus? Ipse tamen, vbi in cæteros omnes homines conijcit oculos, neminem innocentem vidit, sed omnes iniustos exprimit. Ait enim Lucæ 18. *Deus gratias ago tibi, quia non* Luc. 18. *sum, sicut cæteri homines iniusti, &c.* Sed vndè iste in omnibus alijs tantãm inuenit iniustitiam? An tanta erat iniustitia in Abel? an in Abraham? an in Iob? an in Ieremia? Cur neque hos excipit? Cur vel in his putat esse tantam iniustitiam? Pulchrè Diu. Bernard. de Bernard. gradibus humilitatis propè initiũm ait. *Nondum de suo trabem ejecerat. Nam subdit: iniusti raptores.* De suo sanè habebat, quod neminem videre posset, nisi sub iniustitia, sua erat, non aliorum hæc iniustitia. Ecce modo duo dæmonia habentes occurrunt Christo Domino de monumentis exeuntes; habebant enim in monumentis cum mortuis domicilium: & aiunt, *venisti ante tempus torquere nos.* Vndè isti nequam intempestiuitatem potuerunt videre, imò suspicari in Christo? Chrysolog. Chrysol. serm. 16. *Tempus abscindit, præuenit mortem, sepelit viuos crudelitas immatura, & de tempore queritur.* In se ipsis habent intempestiuitatem, quam notant in Domino, in quò nulla potest esse intempestiuitas, qui solus regnat tempestiuitate sua.

§. VI.

Iniustè queritur quis de sibi illata pœna illa, quam ipse alteri dat.

NIL nouit diabolus loqui, nisi iniustitiã, ecce ipse ante tempus sepelit hominem, illum viuum trudens sepulchro, & tamẽ queribundus opponit Deo, quod ante tempus adue-

Chrisol. adueniat punitur us. Pulchrè in illos ait Chrysol. serm. 16. *De tempore sic queruntur, quasi ipsum cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in sepulchris.* Quam alteri das pœnam, eandē tibi puta iustè venturam. Qui omnia tempore fecisset suo, nusquam non tempestiuus, nusquam non maturus, subitos & intempestiuos casus à se merito putarit alienos. At, qui vbiq; intempestiuus, cur similem casum sibi non expectet? Quando vitium non habet parem pœnam? Quando iniustitia non æqualem, & omninò similem tulit supplicij pœnam? Iussus Saul à Deo funditus perdere Amalech, ipse speciosa quæque pecorum reseruabat, Regique Agag pepercit. Pro quo ecce tibi diuina sententia. 1. Reg. 15. *Pro eo ergo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quis tale crederet? Vndè Saul posset sibi timere tam festinatam amissionem regni propter vnam inobedientiam? Equidem is erat Saul, qui occidere voluit filium propter transgressionem vnam proprij præcepti, quando debelitatus Ionathas, & fractus labore belli, inscius paterni præcepti comedit tantum mellis, quantum virgæ cuspide accipere potuit. Qui ergo propter vnicum suum præceptum etiam ignoranter fractum tam seuerus extitit, merito propter obedientiam à se Deo negatam seuerum iudicium sustinere meretur. Hanc reddit rationem Saulis expulsi Theodoretus quæst. 34. dicens. *Ipse quidem cum anathemate sansisset, vt nemò sumeret cibū, aut potum; illum quidē, qui ex ignorantia decretū erat transgressus, voluit interimere: cū Deus autem vniuersorum Amalech subiecisset anathemati, non pauca, ac parua aliqua, sed plurima accepit ex anathemate. Non fuit ergo paruum, sed maximum peccatum,* &c. Digna quidem erat Saulis inobedientia tanto supplicio, quando ipse in subditos sibi inobedientes sic sæuiebat.

1. Reg. 15.

Theod.

§. VII.

Væ miseris peccatoribus, qui a Dei patientia securitatem in vitiis summunt.

MIRA dæmoniaci impudentia est post tot miseri hominis carnificinas adhuc causari de Dei aduenientis iudicio, quasi à tam longa impunitate, sæuiendi præscriptionem sibi arriperet. Ait enim. *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Cur ante tempus, an non permissum est tibi per plures annos in homines sæuire? Ideò ante tempus putat: quia cum pluribus sæuierit annis, iam sæuiendi præscriptionem se habuisse existimat. Ita Chrysolog. serm. 16. *Agnoscit Deum, iudicem confitetur, clamat iudiciū se debere, & de tempore præscribit.* Sanè debitum negare non potest, sed ex præscriptione longę permissionis se se falsò putabat immunem. Ea est impiorum mens, quæ, quia nullum supplicium experitur, sed medijs peccatis suis ingentes percipit felicitates, & diuitias, quo felicitas crescit, & impunitas, eo diuturniores vitæ annos sibi determinat. Impius ille apud Luc. cap. 12. aiebat animæ suæ: *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Tam lōgos præscribit vitæ suæ annos, quàm longā videt rerum abundantiam, & copiam sibi obuenire, ex felici impunitate, de tempore pręscribens. Huc spectat Ecclesiastes c. 8. inquiēs. *Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Nil sibi timent, nil verentur, dum impunitas, & felicitas suppetit, & vitam longissimam sibi persuadent suppetere. Vt apte expendit Catena Græc. dicens. *Quoniam Dei prouidentia propter immensam in tolerandis malis clementiam, non statim in improbos grassetur, nec pœnas illico scelerum expetat, idcirco vir nequam, quasi sit impune laturus, peccandi sibi licētiam diutius persuadet.* Quasi longæuitas addicta sit, & annexa scelerum impunitati, sic impij diutinam sibi præfigunt vitam ex impunitate experta: Oseas 4. *Sicut vacca lascibiens declinauit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.* Quæ grandis vacca erat, quomodo statim est agnus? An potest homo repuerascere? Sanè lasciuissimus populus, dum se à Deo pasci videbat etiam medijs sceleribus suis, longa felicitate impunitatis, adeò lata vitę spacia sibi determinabat, vt singulis horis renasci, & repuerascere crederet. Felicior multò est, qui sibi vbique, & semper præsentissimum reputat Dei iudicium, & flagellum. Leuit. 10. de duobus filijs Aaron dicitur, quòd, *imposuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Non dillata vltio, sed statim data, vt discamus, vbique præsentissimum Dei iudicium habere. Sic D. Saluianus lib. 1. de Guber. ait. *In quibus non iudicium tantum, sed præsens Deus ostendere voluit, imminensque iudicium. Quid enim aliud, quam extentam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladiū voluit ostendere, qui errorem supradictorum statim in ipso opere puniuit, nec pene prius peractum est facinus peccantium, quam vlcisceretur pœna peccatum.* Ne putaremus homines aliquod tēpus, aut locum esse securū à diuina vindicta.

Chrysol.

Luc. 12.

Eccles. 8.

Græc.

Oseas. 4.

Leuit. 10.

Saluian.

§. VIII.

§. VIII.

Quæ corde tuo tractas facinora, quam facilè in aliis, vel ab vmbra cognoscis.

QVI intempestiuam hominum perditionem moliebantur, dum adhuc viuos sepulchris amandabant, in prematuro Domini aduentu tenebrarum imperium iam perditum ire suspicantur. Vndè hæc tam præscia suspicio dæmoniacis aduenit? Vndè percepe runt, in sui ruinam venisse tã omnibus beneficũm, & salutarem Dominum? Sanè non tã aliunde, quam ex eo, quod ipsi in animo suo omnium ruinam, & perditionem machinantur. Ea enim est omnium maleuolorum indoles, quæ se in alijs, vel ex vmbra præcognoscat. Accipe Iesum apud Lucam, cap. 18. dicẽtem discipulis suis, quod, *Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum: & flagellabitur, & conspuetur*, &c. Quid ad hæc discipuli? *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Adeò manifestè, & clarè propositam magistri passionem nõ percipiunt. Aliter apud Ioan. cap. 12. obscurissimè loquutus Dominus de sua morte, aiebat: *Ego si exaltatus fuero à terra.* Ad quæ statim Iudæi respondent: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* Non multum morantur, sed statim etiam per vocabulum exaltationi percipiunt mortem, & à viuis discessionem. Vndè, quæso, discipuli non percipiunt Domini mortem, quam obscurè propositam statim callent Iudæi? An, quia isti acutiores, & sapientiores? Imò, quia nocentiores Iudæi, nil animo suo frequentius volnebant, quam mortem, & ruinam Saluatoris, statim illam, vel ex vmbra præsentiunt. Sic Aymon hom. in Quinquag. fatur: *Iudæi iam conspiraverant in necem Domini, & decreuerant in corde, vt interficerent eum in cruce: & ideò quoties cumq; Dominus loquebatur eis de sua morte, facilè intelligebant, quia hoc loquebatur, quod illi corde cogitabant. Discipuli autem credebant eũ verum Deum esse, & verum filium Dei: & in tãtum diligebant eum, & credebant verum Deum esse, vt non putarẽt eum omninò posse mori.* Quod quisque in se præhabet, facilimè cognoscit in alijs; quisque per sua aliorum metitur cogitationes, & opera. Non meminit in alijs mala, qui totus in beneficentia est educatus. Quidquid accepit Eua, beneuolentię signum erat, quando audit, *propter hanc relinquet homo patrem, & matrem*, & inde pergens ad serpentẽ audit: *Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum*: & malum audiens, non tamen suspicatur ibi latere malum. Cur non suspicatur malum? Ambros. lib. 1. de offic. cap. 32. *Se Eua serpenti credidit, quoniam quæ beneuolentiam acceperat, esse maleuolentiam non opinabatur.* Quæ beneuolentiæ studebat, non potuit, vel serpentem de maleuolentia præiudicare. Quod tuo versas animo, id facili negotio prægnoscis in alio. De nefario spiritu dixit Iob cap. 41. *Omne sublime videt*, vel iuxta Theodotion: *Omnem superbum intuebitur.* Sed qualis est hæc diaboli malitia, quod omne sublime videat? Non ne etiam sanctissimus Angelus sublimia potest videre, & de facto videt? Sed expende illud, *omne sublime*, vbi per, *omne*, exprimitur quidquid ad sublime tendit, licet à longe, licet remote adhuc eo spectet; quasi diceret, sic totus est diabolus in superbia, in sublimitatibus, vt nec superbiæ vmbra, nec fumus, nec paruus conatus, nec minima inclinatio in aliquo incipiat eminere, quam statim malignus spiritus non oleat, non penetret, & vel ex vngula leonem se glorietur videre. Quò expectat Nicetæ paraphrasis aientis. *Omne sublime intuebitur. Totus enim superbia est, nihil humile mente pertractat.* Hoc proprium eius, qui excelsa omnia, & alta mente voluit semper, & tractat, qui sublimes agit animos, vt quidquid ad hoc tendere possit, prægnitum habeat, vt ad nullum celsitudinis fumum conniueat, sed vel tuberulæ maculam per calleat.

Luc. 18. Ioan. 12. Aymon. Ambros. Iob. 41. Theodotis. Nicet.

§. IX.

Peccati expulsio maximè exitialis diabolo,

NON adeò insipiens adulator erat diabolus, qui velit beneficentissimo Domino, & Saluatori orbis, de tormentis, & supplicijs gratulari. Non honori ducit Saluator, quod diaboli torqueantur, sed quod peccata expellantur, sic crediderim à dæmonibus nõ putari tormentũm, quod ipsi affligantur, & ab hominibus expellantur, sed quod videant peccata mundi à Saluatore iam obliterari. Nouerunt regnum Dei annuntiari à Iesu, peccatores absolui, vitia eliminari, hoc torquentur maximè, de hoc magis queribundi clamant: *Venisti torquere nos.* Id quod notat Chrysostom. hom. in cap. Matth. 13. aiens. *Multo magis dæmon dolet, si peccato superiorem animã præsperserit, quam si ab homine fuerit electus.* Peccatis homines implicare maximum, & primum studium diaboli est: hoc si desit, omnia plena tormentis, & cruciatibus habet. Vbi amplissimam à Deo obtinuit potestatem sæuiendi in Iob, mirabile est, vndè incipiat

Chrysost.

piat maximè concupitam sibi stragem. Ait enim Iob 1. *Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio.* Expende, quibus commisit diabolus primum belli impetum, nimirum Sabæis, cur non potius dæmonum furias vocauit ad certamen? Cur non vsus est carnificibus infernorum? Cur malùit hominibus vti? Non habet diabolus solatium, nisi vbi interest hominum peccatum; nullum ex tota sanctissimi Iobi laniena gaudium, imò immensum tormentum percepisset, nisi in illa peccatum hominis intercederet. Ideò totam illam tragædiam vt incipiat, Sabæos excitat, qui & latrocinijs, & homicidijs suis in Iobi armenta furiant. Quod notabat
D. Zen. Diu. Zeno serm. de Psalm. 118. *Cum diabolus potestatem Iob tentandi postulasset per direptionem substantiæ eius primum desæuiturus, homines ad pastorum cædes, & ad direptionem pecudum excitauit: eosque in hanc voluntatem latrocinij accendit.* Hoc vnum æstimat diabolus, hoc vnum anxie prætendit, vt peccatis homines implicentur; cum peccata videt, tunc gaudet, tunc viuit; at vbi virtus floret, ibi suum habet cruciatum, & interitum. Parum curat cætera omnia tormenta, dum excluso peccato virtus floret, in qua sola
Iob 41. suum interitum pertimescit. Iob. 41. de diabolo, ait. *Reputauit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, ea: Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam: non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Quæ expen-
Euagrius. dens Euagrius in Cat. Græc. sic ait. *Sanè nihil Sathanam sauciat. Temperantia autem, & charitas eum interficit.* Ecce vobis, qui ridet tormenta, qui vulnerum cruciatus non timet, sub vnius virtutis hasta transfossus ingemit. Quã molem extruxit diabolus, vt Susanæ castitatem expugnaret, vel saltem eius innoxio sanguine turparet populum Israelis! Iam nobilis castitatis propugnatrix fœmina ducebatur ad mortem; iam nefarium illud homicidium instabat, sed per os pueruli Danielis, dum explicatur veritas; adducti sunt senes impij, Da-
Dan. 13. ni. 13. *Et interfecerũt eos, & saluatus est sanguis innoxius in illa die. Helcias autem, & vxor eius laudauerunt eum.* Duo simul fiunt facinora in illa die; & Susana liberatur, & iudices impij interficiuntur: in illius liberatione gaudent omnes, in horum supplicio quis dolet? An credendum est, posse interfici duos senes nobiles sine alicuius luctu, sine alicuius dolore? Crediderim solum diabolum ibi doluisse, qui solus cruciatur, vbi peccata non perficiuntur in homine. Pulchrè Diu. Zeno serm. 9. de Daniele, ait. *Gaudent Angeli,* D. Zen. *quod oppressa veritas defendatur in terra; triumphat maritus, quod castam inuenerit coniugem. Lætatur familia omnis, quod in ea nihil inueniat fama, quod feriat. Cruciatur diabolus, quod nulla ex parte suam perfecerit voluntatem: nec adulterium, quod factum diffamabat, exercuit: nec homicidiũ, quod procurabat, inuenit.* Hi sunt diaboli vehementiores cruciatus.

Ex Marc. 5. Et interrogabat eũ, quod tibi nomen est? Et dixit ei: Legio mihi nomẽ est, quia multi sumus.

§. X.

Peccantium multitudo tum iuuat ad misericordiam obtinendam, cum pœnitentia iungitur.

QVIA multi dæmones miserum hominem tenebant, non ideò Dominus in eos redditur placabilior, quem minimè rebellium multitudo placat. Monebat sic Paul. 1. ad Corinth. 10. *Nolo vos* 1 Cor. 10 *ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moysi baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.* Expendit Diu. Basilius illud, *non in pluribus:* plures enim fuere, qui in Deum rebellarunt, non tamen illis viuit multitudo rebellium; nec, quia plures, ideò non adeò seuerum vltorem suarum iniquitatum Deum inuenerunt, imò omnes ab illo castigati sunt. Merito ait Basil. regula Basil. 11. in titulo capit. 5. *Non est multitudo peccatorum illa, quæ exoret Deum.* Vanè confidit peccator in multitudine sociorum, quia multi sunt, qui rebellant, quia omnes; tunc enim solum multitudo rebellium iuuat, quãdo multitudini accedit pœnitentia, & cor hominis contritum, & animus humiliatus. Iob capit. 7. *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum? Cur non tollis peccatum meum,* Iob. 7. *& quare non auferis iniquitatem meam?* Quasi miratur vir sanctus, quod Deus illius obseruet peccata, & non potius statim soluat. Sed vndè hoc miratur? Plane ex eo, quod

iam suggesserat dicens: Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum? Hoc est, peccaui, & peccatum meum pono coram eo, qui custos hominum est, qui nouit apprimè, quid faciunt omnes homines; qui debet, vel ex officio custodis ad omnes homines respicere, illorumque scire errores. Quod si omnes sciuntur peccatores, cur, qui peccatum fateor, non statim recipio peccati curationem. Cyr. Ale. Ita apud Cyrill. Alexandr. in Apolog. ad Theodosium, se explicat Iob. *Etenim si fieri potest, vt nullo pacto mens humana præuaricetur, inquirat exactissime iudex, obsignet iniquitates. Si verò plurimum impingimus omnes, & prorsus inculpabilis esse, ipsi soli competit; delictorum oblitionem largiatur ijs, qui imbecilles esse consueuerunt.* Vbi enim peccator dolet, vbi pœnitentiam agit, maximè iuuat, quod non fuerit in peccando solus, sed potius vnus è pluribus extiterit. Peccantium enim multitudinem in pœnitente iam pridem respexit Deus, vt festinaret medelam. Ita ionæ. 4. post Niniuitarum saccos, & lamenta ait Dominus ad Ionam capit. 4. *Tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret: quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit, & ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram suam, & iumenta multa?* Ecce vim argumenti in eo sita, quod vbi tot millia miserorum sunt, nequeat Deus, & creator illorum suam cohibere misericordiam: sed quando multitudini accedit facti pœni- Basil. Sel. tentia. Quod expressiùs dicitur apud Diu. Basil. Seleu. orat. 12. apud quem, ait Dominus Ionæ. *Floscule misereris, ego ciuitati non parcam? Tu quidem peccantes signas oculis: ego vero meorum, quibus, vt peccarent, opportunitas defuit, supra duodecim myriades video. Esto peccatores damnes, quid habes, quo recens natos ineuses? Et peccatores facti pœnitentes reuerere, & recens natorum rationem habe, me orante.* Expende illud, *& peccatores pœnitentes*: vbi enim pœnitentia intercedit, multum minuit delictum multitudo peccantium, imò multum trahit Dominum, & allicit, vt faciat condonationem peccati. Id quod obser- Theophyl. uat etiam Theophylactus ibi apud Glossam aiens. *Grandis erat Niniue, & propterea apud Deum quoque ingens erat, plurimique faciebat eius salutem, vt qui non parum multos homines in ea finxisset, quos omnes seruatum iri vellet.* Quoniam enim plures sunt, qui saluari possunt, eo acceptabilior Deo eorum pœnitentia.

§. XI.

Sola virtus triumphare nouit, adeo vt etiam diabolus cogatur vti virtutis armis, dum vincere satagit.

VOCAVIT se legionem nomine bellicæ congregationis: in qua tota firmitudo in ordine stat, vt de virtutum agmine dicatur Cant. 6. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. Sed dæmoniorum gens cum sit, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inbitat, cur de virtutum agmine ordinem æmulatur? Cur sub legionis militaris ordine censetur? Sanè non audet sperare victoriam, nisi vbi aliquid in se virtutis studet adumbrare. Iobum debellaturus sic machinas componit, Iob. 1. capit. 1. *Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, pueroſque consumpsit, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Sed, & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos,* &c. Vidisti inuadentium ordinem? Non populariter, non cateruatim, & tumultuosè, sed miro seruato ordine, quisque suum tempus, & locum expectat, vt telum telum sequatur, & vulnus vulnus excipiat, feri bellatores nobilem virum oppugnant. Nihil enim audent in iustum, nisi de boni ordinis auxilio, tametsi nihil illis magis contrarium sit, quam ordo, vt qui est inseparabilis comes virtutum. Vnde rectè fatur Chrysostom. in Cat- Chryſoſt. en. Græc. *Sic is, qui nostræ saluti inuidit, ordine quodam, cum tamen nihil apud eum non sit inordinatum, & impium; turri pietatis periculorum machinas admouet.* Ecce vobis diabolus, vt sanctos expugnet, non audet prodire in certamen, nisi prius de sanctitatis castris ordinem mutuetur. Antiquum erat hoc diaboli ingenium, vt à virtute sumat colorem, quo fallat, imò & spicula, quibus penetret animas. Ad primos hominum parentes sic inquit, Genes. 3. *Cur præ-* Geneſ. 3.

cepit

cepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Expende illa verba in fine posita, nimirum: *Ex omni ligno paradisi*, quæ vt iacent, dicta fuerant à Deo supra capit. 2. vbi sic: *Ex omni ligno paradisi comede.* Cur ergo diabole, Dei verba mutuaris? Cur illa in fine tuæ fallaciæ locas? Nouerat Dei sermonem penetrabiliorem esse omni gladio ancipiti, & ideò in fine sermonis sui verba ponit diuina, vt diabolicum telum de virtutis armis habeat spiculum, quo tutius vulneret, & in captiuitatem adducat. Ad hæc Diu. Chrysost. homil. 5. ex varijs in Matth. ait. *Verbis suis quædam dicta Domini sociauit, vt facilius suaderet, & suadendo deciperet. Immiscuit verbis diuinis verba nequitiæ suæ, vt per dulcedinem mellis venena mortis infunderet.* Infirmus diabolus est, dum non se armat vel aliquâ saltim specie virtutum. Sola virtus est, quæ nouit vincere, adeò, vt vel vna sola virtus multam vitiorum gentem fugere faciat, & integro dæmoniorum exercitui negotium facessat. Id quod in præsenti patet, quando integra dæmoniorum legio in vno homine occupabatur, quæ tot porcos valuit opprimere, vt notat Chrysost. Idem. tom. homil. 5. in Marc. inquiens. *De vno homine expellitur, & in duo millia porcorum mittitur.* Vnus homo, vel de vmbra vnius singularis virtutis armatus negotium facessit dæmonum exercitui. Paul. 1. ad Titum monet Episcopum debere esse, *non* Ad Tit. *vinolentum, non percussorem, sed modestum.* Vbi acutè notat Hieronym. lib de vnius vxoris viro, & vitiorum infirmitatem, & victoriam virtutis, quando & temulentiæ, & iræ vna tantum modestia ab Apostolo adstruitur. *Duobus malis vnum opposuit bonum, vt temulentia, & ira modestiâ refrænentur.* Sufficit vna virtus contra multam dæmonum gentem, & quidem virtus in nullo casu cedit, semper vincit. Habebant Iudæi Act. 5. Apostolos ligatos, & tamen aiunt Actor. 5. *Quid faciemus hominibus istis?* Quæ verba licet in rem similem ponderarim. 1. tomo, sed non ita succinctè, & argutè, vt Chrysost. Chrysostom. ponderat homil. 23. in Genes. vbi sic. *Quid dicis? Flagellastis, innumera mala subornastis, & adhuc dubitatis? Tam fortis, inuictaque res est virtus, & dum patitur, affligentes vincit.* Quid præstantius virtute?

Ex Luc. 8. Et rogabant illum, ne imperaret illos, vt in abyssum irent.

§. XII.

Locus damnatis deputatus quam ex se horribilis.

FATEOR abyssum propriæ significare aquarum immensæ profunditatis voraginem: verum in nouo testamento abyssus cõmuniter stat pro loco illo profundo damnatis deputato, vt rectè notat Salmeron tomo 6. tractat. 13. cuius loci habitatio adeò ipsis dæmonibus horrenda est, vt tota contentione contendant à Deo, ne illuc mittantur. Sed cur tam anxie petis diabole, ne detrudaris in abyssum? Si homines nocere cupis, & ibi eris crudelissimus hominum tortor, ibi laxatis habenis odij poteris in homines sæuire; ibi ardebis, & hîc ardes, ibi cruciaberis, & hîc cruciaris, vnam hîc potes fingere fortunam; si homines torqueas, quam ibi latissimam habebis. Cur ergo sic exprobras locum, qui tibi fortunatissimus deberet esse, propter hominum tormenta illic peracta? Equidem nihil non horribilissimum est ipsis spiritibus in loco, vbi sempiternus horror inhabitat, qui damnatos omnes, siue Angelos, siue homines ita obseruet, vt non liceat inde emergere amplius. Pulchrè Diu. Synesius epistol. 48. amico ad curiam confugienti, ait. *Quod ad Regiam te ciuitatem confers, bene facis. Tametsi enim, vel inter Isaurorum montes prospera fortuna vtereris, nihilominus felicitas ipsa propter locum infelicior est.* Quod si locus aliquis potest facere, quod ipse fortunæ ibi & nomen, & rem habeant infelicitatis, is est locus damnatis deputatus, ita per se horribilis naturę rationali, vt etiam plenus delicijs horrorem causaret. Sanè Virgilius de ethnicorum errore putabat apud inferos esse amenissimos campos, Ditis aurea regna, Plutique imperium florentissimum, tamen propter vnius loci subterranei horrorem sic Geor. 1. ad Augustum Cæsarem fatur: Virg.

Te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido;
Quamuis Elisios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.

Dira equidem regnandi cupido est, quę facit creaturam rationalem in inferno esse, etiam vt aurea possideret regna, vt inter floridissimos paradisos vitam ageret. Adde, quod nulla ibi regna, sed perpetua seruitus est, nullę deliciæ, sed immensi cruciatus, nullus paradisus, sed locus horroris, & vastæ solitudinis. Quis nõ horreat locũ, vbi clausus semel, nõ amplius hãc clarissimã cœli speciẽ videbit? Vbi clausus

ignorabitur in æternum à Deo? hanc infer-
Psalm. 68. ni clauſuram expauebat, Pſalm. 68. *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Quæ verba
Hilar. pulchrè elucidat Diu. Hilar. ſerm. 2. de Nupt. ſatus. *Ideò dixit, neque vrgeat ſuper me os ſuum: quia cum ſuſceperit reos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum, dilatabitur in profundum; nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus clauſtris deſuper vrgentibus relinquetur: detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ: vltra neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt morituri vitæ, & morti ſine fine victuri.* Quis talem non horreat locum? Longè iſto erat laxior, & ſolutior leonum lacus, vbi Daniel mittebatur; longè leuior erat teter ille carcer, quem exhorret Calp. Flacci declamat. 4. ſatus. *Video carcerem ſaxis ingentibus ſtructum, anguſtis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum proſpiciunt: & quoties iacentes ferrati poſtis ſtridor excitat, exanimantur; & alienum ſupplicium ſpectando, ſuum diſcunt.* Eu niger carcer abyſſus, ingentibus ſaxis obſtructus deſuper, ne cœlum videatur inde: nullum ſpiramen, nullam lucis vmbram habens. In hunc coniecti immenſum Dei robur in torquendo experiuntur, & dum ſemper adiacentium è flagelli ſtridore, blasfemo gemitu excitantur, continùo ſine morte moriuntur, & hinc inde aliena ſpectando, ſupplicia ſua diſcunt.

Calp.

Matth. 8. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum paſcens. dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: ite.

§. III.

Luxuriæ cœno inuoluti, quam patent hoſtilibus incurſibus.

CONSTRICTI dæmones ab homine exire, nihilominus audeat peterè à Deo, vt in porcos mittantur, quaſi id obtinere, fuerit omnium facilimum. Nec falſi ſunt, annuit ſtatim Dominus. Sed vndè hoſtilis legio audet in porcos exurgere? Et cur facilè permittuntur? Rationem ſpiritualem
Chryſoſt. Auguſt. inſinuant Chryſoſtom. & Auguſt. nimirum, quia in porcis homines carnalis voluptatis lu to ſepulti arguuntur, qui hoſtilibus dæmonum patent in curſibus. Ideò Dauid poſt adulterium dicebat Natham, 2. Reg. 12. *Irritaſti inimicos Domini*: quæ verba expendens
2. Reg. 12. Cyril. Ieroſ. Catech. 2. fatur. *Multos enim inimicos habebas, ſed cuſtodiebat te temperantia: tra ditis autem his armis, promptos habebis ſtantes aduerſus te, & inimicos conſurgentes contra te.*
Cyril. Ier. Dum Dauid temperantiæ operam dedit, dum caſtè vixit, ſic munitus erat, vt videretur inacceſsibilis inimicis; at vbi ſe cœno voluptatis implicuit, illico patuit hoſtibus, illico in ſurgit hoſtis, illico in eum aditum inuenerunt innumeræ hoſtium turmæ. Quid infirmius ciuitate incontinentium? Quid patentius hoſtibus, quam ciuitas fornicatorum? Etſi plena populo ſit, quaſi ſolitudo reputabitur, in qua liceat hoſtibus ingredi, & exire pro libito. Eccleſiaſtici cap. 9. *Ne des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Noli circunſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius.*
Eccleſ. 9. Moneris fugere à fornicarijs adeò, vt in ciuitatem eorum nec aſpicias, nec teras limina eius. Sed aptius in rem præſentem legit Clemens Ale-
Clem. Al. xand. lib. 3. Pædag. cap. 4. *Ne reſpicias in vicis ciuitatis, nec erres in eius ſolitudinibus.* Expende, quod, vt iubeat, ne in plateis ciuitatis fornicariorum ſis, ait: ne erres in eius ſolitudinibus. An platea ciuitatis frequentiſsimæ ſolitudo eſt? An vbi militat omnis amans, & habet ſua caſtra cupido, ſolitudo eſſe poteſt? Equidem ſola eſt ciuitas incontinentium, & ſine munitione vlla patens omnibus hoſtium
Idem. incurſibus. Ita Clemens Alexand. ſupra. *Eſt enim verè ſolitudo, etiamſi ſit turba incontinentium, vbi non eſt homo pudicus.* Pudicitia cuſtodit ciuitates, propugnat; incõtinentiũ ciuitas non aliter, ac ſolitudo expoſita omnibus eſt, nemini poteſt reſiſtere: inermis omninò, & ſola patet hoſtium turmis. O quã inexpugnabilis es quicumque pudicitiam non amiſiſti? Recole tibi caſtiſsimam illam fœminam Suſanam; ecce inter nefariſsimos iudices, iam damnata, iam à populo expetita in ſuppliciũ, iam à ſuis deſerta, iam facta hoſtium præda, & nihilominus, Dan. 3. *Erat cor eius fiduciam*
Dan. 3. *habens in Deum.* Adhuc inter inimicorum cuneos fidit, cum ſciat caſtitatis murum eſſe integrum; qui, dum integer eſt, ridere ſolet inimicorum incurſus. Pulchrè in rem præſentem dicebat Diu. Zeno, ſerm. 9. de Dan. *Non*
D. Zen. *reſpexit caſtitas, quid falſi dicerent teſtes, aut qualiter iudices circunuenti damnarent: non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere.* Omnia erant hoſtibus inacceſſa, vbi fundamentum pudo-

pudoris in Suſana ſtabat. Tolle caſtitatis pudorem, & etiam in ſecuritate lababis; in pace hoſtiles incurſus paueſces, & de hoſtis ſibilo exanimaberis. Impudica illa fœmina, Matth. 14. ab Herode petebat in conuiuio: *Da mihi indiſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Cur petit ſacrilega fœmina Ioannis caput in diſco ſibi afferri? Cur non potius petit, vt Ioannes ipſe afferatur, ibique in præſentiarum decolletur? Equidem laſciua fœmina, vel morientis hoſtis vocem extimeſcebat. Chryſoſt. hom. 49. in Matth. *Nec poſtulat, vt coram producatur, atque interficiatur. Neque enim etiam ad mortem euntis, libertatem ferre potuiſſet; ſed exhorruiſſet, etiam dum necaretur, vocem illius.* Inter regios ſatellites, à regis præſentia cuſtodita, & magnatum, adhuc laſciua puella extremâ hoſtis ſui vocem expauit; tantum licet hoſtibus aduerſus impudicos animos.

Matth. 14.

Chryſoſt.

Matth. 8. At illi exeuntes abierũt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.

§. XIIII.

Bona temporalia crebris ruinis, & defectibus monent homines, vt caueant diuinam iram.

IN maximum Geraſenorum bonum permiſit Dominus, imò procurauit hãc porcorum ruinam, vt per rerũ temporalium defectum de gladio iræ Dei ſtricto moniti Geraſeni, ſe in bonam frugem recipiant. Monebant ſanè bruta, dum ſe in abyſſum dabant, poſſeſſores ſuos fugere à ventura Dei ira; monebant item à peccatorum via reſilire, ne ſimile naufragium facerent. Inſuper proprio præcipitio monebant gladium Dei euaginatum eſſe aduerſus peccatores, in quem ſine dubio incident, qui à peccatis non abſtinent. Num. 22. vbi Balaam ibat maledicturus Iſrael, *cernens aſina Angelum ſtantem in via euaginato gladio, auertit ſe de itinere, & ibat per agrum.* Angeli fugiens gladium fugiebat ipſa, & ne Dominus ſuus in gladium incidere, nullum gradum aſina in via facit, ſed bis, & ter percuſſa ſtat, decumbit humi, reptari patitur, & fuſtibus, & maledictis ab inſcio Domino agi. Ille videns aſinam ſolo ſtratam valde iraſcitur, fuſtibus inſtat, quid plura? *Aperuitque Dominus os aſinæ, & loquuta eſt. Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio? Non ne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem? Dic quid ſimile fecerim tibi?* &c. Hoc tunc euenit Balaam cum aſina ſua humi proſtrata, ne ipſe incurreret in gladium Angeli, quod quotidie accidit nobis in præſenti cum bonis temporalibus, quæ deficiunt, & cadunt mõnentes nos à gladio Dei ſtricti fugere. Quam allegoriam elegãter tractat Philo Iudæus lib. de Cherubin fatus. *Qualis Balaam, talis vnuſquiſque non perpurgatus, ſemper inaniter culpans negotiatoriam puto, aut ruſticam, aut aliam quamuis facultatem victus parandi. Illæ vero quamuis vocis inſtrumentis careant, re ipſa erumpunt in clamorem, longè clariorem, quàm qui per linguam fit, an non nos ſumus illæ, quibus tanquam iumentis inſidebas elatâ cervice? Nos ne contumacia noſtra in præſentem calamitatem te coniecimus? Vide reſiſtentem ex aduerſo Dei ſermonem armatum, qui ſolet malum, bonumve definire: non ne vides?* Sic pecuniæ deficientes; ſic officia, negotiatio inutilis; ſic agri ſterileſcentes: ſic vniuerſa bona temporalia in interitum vergentia clamant ad poſſeſſores ſuos, vt videant ex aduerſo diuinum gladium ſtrictum, & ſe recipiant, nec culpent defectus bonorũm, ſed potius laudent, à quibus hoc accipiunt monitum, ne diuinam iram incurrant. Habet enim hoc de more diuina iuſtitia in inferendis ſupplicijs, quod ab externorum bonorum ruina incipit, vt inde ſibi caueat peccator, & ab iniquitatibus ſuis fugam ineat. Puniturus Iudæorum peccata, vniuerſum populum intra ciuitatem coegit; tunc hoſtilem exercitum adduxit, qui ciuitatem vndique cingens, ſegetes, vineas, hortos, olineta, pomaria, lucos & ſuccidebat coram, & vaſtabat quotidie. Quid in his rebus intendebat Deus? Sanè vt Iudæi ſuorum bonorum ruinam ſpectantes, & notantes hortos deliciarum ſuarum, & lucos, in quibus idola coluerunt, perditum ire; ſtrictum aduerſus ſe gladium diuinum viderent, & erubeſcentes peccata fugerent à Dei ira. Huc ſpectat Iſaias capit. 1. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia, & conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum, conſumentur.* Expende illud, *conteret ſceleſtos ſimul*, hoc eſt ſimul in vnum congregatos, intra mœnia vnius ciuitatis illos tenebit contritio: ſed in tam riguroſo iudicio, & punitione, adhuc erit vna ſpes redemptionis, & ſalutis, quæ hæc erit? Hortorum, lucorumque primo facta ab hoſtibus vaſtatio; quam concluſi homines videntes, cõfundẽtur *ab idolis ſuis, quibus ſacrificauerũt, & eru-*

Num. 22.

Philo.

Iſaiæ. 1.

& erubescetis super hortis, quos elegeratis. Itaq; vbi viderint hortorum, lucorumque vastationem, vbi viderint idolorum ruinam, iam credent denuntiatam sibi perditionem propè esse, & antequam veniat, moniti à bonorũ suorum ruinis, confusionem peccatorum incurrent, qua iram Dei effugiant. Inde Diu. Basil. *Basil.* ib i. *Ingens beneficiũ cõfundi, ob rem, priusquã fieret, denuntiatã. Confundi ergo ab idolis sit hoc causa boni eorum, qui sic confunduntur.* Et quidem magnũm est Dei in nos beneficium, sic omnia bona temporalia, sic omnia idola nostra in primis ferire, vt ab eorum ruinis eum rũborem incurramus, quo maiora in nobis fugiamus mala.

Matth. 8. Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem narrauerunt omnia, & de his, quidęmonia habuerãt. Et eccc tota ciuitas exiit obuiam Iesu, & viso eo, rogabant, vt transiret a finibus eorum.

§. XV.

Prudentia carnis male a Iesu timet bonis suis temporalibus.

DE Græcorum vicinitate scioli Gerasenĩ, vt sibi in Reipublicæ administratione sapientes videatur, sic desipiũt, vt Iesum à suis finibus ejiciãt, ne plura incommoda eius prę-sentia bonis tẽporalibus sint futura. Grassata est hæc lues per multas ciuitates, quæ Christum, id est, eos, qui Christum sequuntur simili specie humanæ prudentiæ ex suis expellunt finibus. Quos non tetigit hæc pestis, qui Deum bonis suis temporalibus habent susceptũ? Qui sæcularis non timet suis bonis à Christo, & à Christi ministris? Non semel respublicæ mundiales audierunt illam impiorum vocem apud Iob 21. *Iob.* 21. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Nunquam putat impius prosperitates suas temporales à Deo venire; semper in exercitio virtutum timet bonorum ruinam: Si Respublica paupertate premitur, hæc est sæculariũ vox, quod Ecclesia, quod ministri altaris omnia possideant. Pauci sunt, qui nõ dicãt Deo, recede à nobis; qui virtuti, & Deo acceptas re- *Genes.* 27. ferant prosperitates Reipublicæ. Genes. 27. Iacobo dissimulanter inferenti cibos, ait Pater eius. *Quomodo tam cito inuenire potuisti fili mi? Qui respondit: voluntas Dei fuit.* Quid plũra? Post experimentum factũm, ait Pater. *Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.* Vndè sanctus vir nouit vocem non esse Esau, sed Iacob? An ex ipso vocis sono? Credo, quod illud nouit ex ipsis verbis Deo tribuentibus, quod felix in cibi inuentione fuerit, dum ait: *Voluntas Dei fuit.* Non enim hæc poterat esse vox Esau sæcularis, & terreni hominis, qui potius Deum suspectum haberet in inuentione cibi; illa est vox pijssimi, & sanctissimi viri, omnia à Deo sperans, omnia Deo tribuens. Accinit S. Basil. in Caten. *Basil.* Græc. vbi ait. *Piam hanc vocem agnoscens pater in Iacob, vocem esse Esau merito negabat.* Nõ sic loquuntur sæculares: non sic loquuntur terreni homines, quibus Dei causa semper suspecta est; & cum nihil timeant sibi à peccatis, & sceleribus, quæ sola Deum, & omnia bona tandem fugant; multum solent timere rebus suis, à sumptu, qui in Dei cultu, & ministrorum eius insumitur. Vis scire, quàm parum sibi à peccatis timeant homines terreni? Genes. 13. vbi habitationem electurus Loth *Genes.* 13. introducitur, ait. *Vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorram, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente, diuisique sunt alterutrum à fratre suo. Abraham habitauit in terra Chanaam: Loth verò moratus est in opidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Dives regio erat, & amænissima, tota delicijs, diuitijs manans, hoc tamen inter tot diuitias erat & suspectum, & metuendum maximè, quod eius habitatores multis scatebant sceleribus, & peccatis. Quid ergo faceret Loth opimitate regionis tractus, non ne rectè metuisset opimitati terræ à peccatis inhabitantium? At ille, vt vidit diuitias, non metuit peccata, nec reputat illa, ditissimam regionem amplexatus. Præclare facinus ponderat Chrysost. in *Chrysost.* Cat. Lyppomani fatus. *Vides Loth tantum spectantem terræ naturam, & non aduertentem inhabitantium malitiam? Quæ enim vtilitas, dico ro, si terra sit fructuosa, & ferax, homines autem adeò mali? Quid damni ex solitudine, & infrugifera terra, si homines sint humaniores? Caput enim, & summa bonorum est inhabitantium gratitudo. Caterum Loth ad vnum tantum respexit, nempè fertilitatem terræ.* Nihil aliud curãt terreni homines, nihil aliud respiciunt, nihili æstimantes peccata, à quibus tandem ruina, & perditio nascitur. Debuisset equidem bonus vir prius peccata inhabitantium æstimare, & ex illis consilium suæ electionis trutinare

nare, quando sola peccata, & faciunt ruinas, & suspectas reddũt felicitates. Optarim in quauis Republica plures esse consiliarios Achiori Ammonitæ similes, qui Iudith. 5. tale consilium Holopherni dedit. *Iudith. 5.* *Nunc ergo mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum, in cõspectu Dei eorum: & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt subiugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendit illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* Optimus consiliarius experientia didicerat in populo Dei non posse esse alias ruinarum fontes, nisi peccata, & scelera, quibus Deus offendebatur.

Ex Marc. 5. Cumque ascenderet nauim, cæpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo.

§. XVI.

Pulchrum gratitudinis exemplum, a Deo benefactore tuo nunquam discedere.

QVAM gratus permansit homo iste, qui à Dæmonio, vt se liberatum vidit per Iesum, sic Iesu adhæsit, vt anxie contenderet, nunquam separari ab illo. Amabat benefactorem suum, cui semper adhærere cupiebat. Præclarus enim gratitudis affectus est, benefactori tuo semper adhærere. Cant. 2. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Expende, vbi habitet Christi amatrix, de eius vulneribus redẽpta, nimirum: *In foraminibus petræ*, quia in his foraminibus diuinæ petræ percussæ inuenit pretium redemptionis suæ, adeò illis grata extitit, vt nunquam inde separari velet, sed ibi cubat, ibi habitaculum sibi fecit. *Cant. 2.* *Iust. Orig.* Quod ponderans Diu. Iustus Orgilitanus, ait. *Habitat in foraminibus petræ, quia semper receptaculum habet in his, ex quibus sanata est, vulneribus Christi.* Nescit à tanto benefactore recedere; tunc sibi putat optimè prouidere, si beneficij accepti fontibus adhæreat. Nõ absimilis huic stetit ille gratissimus claudus, *Act. 3.* Act. 3. qui vbi pedes ab Apostolis accepit: *Intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Non abijt, sed gratus suis sanatoribus hæsit, nolens ab his separari, *Chrysos.* Deum sibi ex gratitudine obstrigens. Chrysostom. hom. 8. *Et qui sanatus est, deinde cum Apostolis erat, gratias agens Deo. Et ingressus est, inquit, cum illis ambulans in templo exultans, & laudans Deum.* Habet hoc gratitudinis affectus, nos cum benefactore nostro adeò iungit, vt ægre, & difficulter aliqua separatio queat fieri: sanctissimus Ioseph, vbi Dominæ suæ voluptuosa tyrannide cogebatur, à Domini fidelitate discedere, quibus se armis munit, vt nefariam discessionem impediat? Sanè solum in auxilium vocat gratitudinis affectũ, quo armatus, à benefactore suo separari nequit. Etenim ait Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere?* Non est potentia, quæ gratum animum à benefactore suo separet. Non est violentia, quæ non frangatur, vbi animum gratum inuenit. Præclarè Diu. Gregor. in Iob lib. 30. cap. 18. ait. *Bona, quæ assecutus fuerat, repente memoria intulit, & malum, quod pulsabat, euicit. Et quia præcepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit.* Felix, qui summi benefactoris nostri Dei meminerit, sic illi adhærebit, vt nulla vi, nulla violẽtiæ tyrannide possit abeo diuelli: sic Deum sibi obstrictum habebit, vt pene separari nequeat. Ingratus autem animus à se longissimè fugat, benefactorem Deum. Exodi 32. *Videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit.* Expende illud, *fac nobis deos.* Vbi verus Deus erat? Cur verus Deus ab illorum mente adeò fugerat, vt nec memoriã sui relinqueret? Sanè ingratissimi beneficiũ, quo ab Ægypto erepti erant, nõ Deo Auctori, sed Moysi tribuunt, quo longissimè à se ablegant Deum. Chrysostom. hom. 17. in Acta, fatur. *Quid dicis? Moysi, qui eduxit nos; non spectas eum, qui eduxit, sed negas beneficium, & benefactorem fugas? Moysi, illi inquiunt, qui eduxit nos de Ægypto, nusquam Dei nomen, sed omnia Moysi tribuunt.* Cur adeò ingrati Deum à se non fugarent, & longissimo separarent spatio? *Gen. 39.* *Gregor.* *Exo. 32.* *Chrysost.*

Marc. 5. Et non admisit eum: sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & nuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abiit, &c.

§. XVII.

Non impatientes, ſed conformes Dei voluntati ſimus, in quauis minima ſanctitatis menſura conſtituamur.

NON vocat, imò nec admittit hominẽ in ſui ſequelam, ſed potius mittit illum in domum patrum ſuorum, vt ibi agat inter ſæculares curas. Nec ille repugnat, nec triſtitia afficitur, quod inter ſæculares relinquatur, ſed Dei voluntatem abiens ſuſtinuit. Vtinam diſcant omnes ſic Deum ſuſtinere in parua ſanctitatis menſura, quando ad altiora non vocantur, nec admittuntur. Hæc erat illa otioſitas, quam ſuſtinebant, qui vltimi ad Chriſti vineam vocati ſunt: quibus dicitur. *Quid ſtatis tota die otioſi?* Matth. Non otioſi erant, ita vt deſidia torperent, ſed qui vellent conduci, & vocari ad opera, relinquebantur otioſi, nec tamen ipſi in conductorem, & conuocatorẽ iraſcebantur, quod eos non vocaret, ſed patiẽter ſuſtinebant otioſitatem illam, quod non parum pondus virtutis habebat. Vndè merito Orig. hom. 10. in Matth. 1. ait. Origen. *Nos non portauimus pondus diei, & æſtus; portauimus autẽ pondus, eo quod ſtetimus otioſi, antequam pater familias veniret ad nos, qui dixit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Onus erat enim otioſitas ipſa, & quod non iudicabamur interim ad opera vineæ digni.* Felix, qui nouit hoc onus patienter ſuſtinere, nimirum, quod relinquatur ab operibus perfectionis otioſus, quod non putetur dignus trahi ad præſtantiſsima facinora Chriſtiani laboris. Qui hanc vacationem, & otioſitatem ſuſtinet non mediocre habet virtutum pondus. Huc ſpectat Iſai. 56. Dominus apud Iſaiam, cap. 56. fatus. *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volo, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, &c.* Sanè, qui longè filiorum examine vident repleri Eccleſiam Dei ab Apoſtolicis viris, poſſent dolere ſi ſe videant à ſimili operæ excludi, nec ad tanta facinora vocari. Minimè tamẽ doleant, etiamſi ſteriles habeantur, & inoperoſi, imò ſuſtineant ſuam vacationẽ; hoc tantum ab illis petitur à Deo, *vt cuſtodiant Sabbatha mea, & eligant, quæ ego volo*, ne velint operari, quod Deus non vult, ſed potius ſabbatizent, & vacationem facinorum ſuſtineant ſe diuinæ voluntati conformantes, quo non mediocris laboris præmia reportabunt. Baſil. Ab hoc ſtat Diu. Baſil. lib. de vera virginitate aiens. *Qui cuſtodiunt, inquit, Sabbatha mea, & eligunt, quæ ego volo. Sabbatum vero non in opere, ſed in operis ceſſatione intelligitur.* Hi ergo in diuina domo & locum, & nomen celebre habebunt, qui nouerint, ſe in operum ceſſatione diuinæ voluntati conformare. Caueat autem quis ad ſe altiora proſilire non vocatus, forſan, vbi coronam quærit, inueniet damnum. Luc. 19. vbi Zachæus arborem aſcenderat, dicitur illi à Deo. *Feſtinans deſcende.* Luc. 19. Cur hominem ab arbore deſcendere iubes adeò feſtinanter? Non ne vniuerſis dicis: tollat crucem ſuam, & ſequatur me? Hic in cruce eſt, & iubetur, quod feſtinus deſcendat. Planè aſcenderat ante vocationem, aſcenderat adhuc cruci ineptus, ideò iubetur deſcendere, ne offenſionem inde capiat. Chryſolog. ſer. 54. Chryſol. *Deſcende, vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium publicani, expeditus intres pauperis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, ſtudia virtutum, philoſophiam mortis, atque inter vitalis ligni arbuſcula iam perfectus aſcendas.* Non ardua crucis negotia proſunt, ſed officiunt viris imperfectis; nõ cuiuſcumque eſt ad crucis ardua proſilire, vt dicat Diu. Iſaias Abb. Apophthegmate 8. D. Iſai. 8. *Si mens antequam ſenſus demet, velit in crucem conſcendere, prouocat iram Dei. Rem enim viribus ſuis maiorem aggreditur.* Conſultius equidem agit, qui ceſſationem ab opere patienter ſuſtinet, quã qui imparatus, & minimè vocatus ad altiora ſe porrigit. Mare olim ſciſſum fuit in duas partes, vt Hebræi ingreſſi vocationem Dei ſui ſequerentur; vidit Pharao ſciſſum mare, vidit & Hebræos gradientes per illum, & ipſe audet etiam mare ingredi, vbi miſerabiliter perijt. Multa aduerſus Deum Pharao fecerat, & nunquam mulctatus eſt, ſed tunc mulctatur, cum audet eãdem, quam ſanctis mare fecerat, viam, ipſe pergere. Pulchrè Diu. Baſil. orat. qua probat Deum non eſſe malorum authorem, ait. Baſil. *Cõperit Deus Pharaonem patientiæ, ac lenitatis ſuæ eſſe contẽptorem, ipſoque vſu aduerſus plagas occalluiſſe. Et tamen, nec ſic quidem illum morte mulctauit, donec ſe ipſe ſubmergeret: cum auſus eſſet præ ſuperbia, eãdem, qua inſti, via inſiſtere; ratus vt Dei populo, ſic etiam ſibi peruium fore mare rubrum.* Caueant non vocati in ſanctorum fauores, & vias proſilire, ne velint ibi miſerè confundi. Prudentius agent, ſi ſanctitatis gradus diuinæ voluntati permittant. Matth. 8. dicebat ille. *Sequar te, quocũque ieris.* Matth. 8. De quo Chryſolog. ſerm. 19. *Dixiſſet cautius, ſequar te quocumque iuſſeris: humanius certè: quocumque volueris.* Chryſol.

Cap.

CAPVT TERTIVM.

De dæmonio muto.

TER dicitur Iesus hominem à dæmonio mutum sanasse. Primo apud Matth.cap.9. Secundo apud eũdem,cap.12. Tertio apud Lucam cap. 11. An, quia tres distincti fuerint à Domino sanati? Negant plurimi tres fuisse homines sanatos, sed nec vnum tantum fuisse, certissimum est: non enim Matth. idem iã à se narratum miraculum repeteret. Itaque alius est, qui Matthæo sanatur, cap. 9. alius, qui sanatur, cap.12. vter horum sit, qui refertur à Luca, in dubium vocari potest, quando multi Doctores ex Matth.12.& Luc.11.idẽ miraculum attribuunt Saluatori: quibus cõsonant adiecta vtrobique circunstantiæ, nimirum Iudæorum calumnia, Christi Domini responsio, & doctrina: verum Maldonato nostro, qui à Matth.cap. 9. & qui à Luca in præsenti refertur, mutus idem habetur. Ego in adeò similibus distinguendis non multum moror, eundem ex vtroque doctrinæ succum eliciturus.

Ex Luc.11. Tex. Erat Iesus eiiciẽs dæmonium.

§. I.

Iesus semper dæmonio exitialis, hominibus salutaris.

ECCE tibi iuxtà nostri Maldonati sententiam, qu, primo offertur Domino dæmonij infestatus hospitio: sed non tunc primo Iesus dæmonio exitialis extitit; notãter enim dicitur, erat Iesus eijciens dæmonium, vbi per illud, *erat*, antelucanã, imò æternam dæmonum impugnationem, & expugnationem pro hominibus à Iesu susceptam, explicant. Non enim est Iesus eijciens dæmonium, nec fuit, sed quo erat verbum apud Deum, erat eijciens dæmonium; sic ipse fatetur apud Lucam, cap.10. *Videbam Sathanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Vbi Ruper. lib. 1. de Vict. Ver. cap.23. expendit illud, *videbam*, de æterna à verbo peracta Sathanæ reprobatione, & eiectione. Nunquam Sathanas verbi Dei non sensit spicula, nunquam nõ sustinuit verbi Dei impugnationem. Vix primo vitæ mane Lucifer radiauit, & hominibus inuidiosus ausus est in humanam salutem scandescere. Proh Deus immortalis! Statim prosiliuit Dei sermo, vnigenitus Patris, tanquam durus debellator, & omnia morte repleuit. Id quod meditatus Diu. Bernar. ser. 17. in Cãt. sic finit discriptionem duelli. *Quomodo me amas Deus meus, amor meus? Quomodo me amas, vbique recordaris mei, vbique zelans salutem egem non solum aduersus homines super bos, sed etiam aduersus sublimes Angelos? In cœlo, & in terra iudicas Domine nocentes me, expugnas impugnantes me.* Siue in cœlo furiat hostis in homines, siue in terra homines violenter subijciant; vbique Dominus salutaris hominibus, exitium dæmonibus parat. Sanè Matth. 8. sic Saluatorem hominum dæmones eiulgabant, *quid nobis, & tibi Iesu fili Dei. Venisti huc ante tempus torquere nos?* Sed vnde pessimi hi filium Dei norant? An, quia se torqueri vident, & exagitari? Prorsus Origen. hom. 3. in Exod. *Vbi tormenta*, inquit, *senserũt, sciunt Dominum.* Vbique Dominus pro hominibus stat. Vbique dæmonibus exitialis. Vbi hominum salus, extortis, & expugnatis dæmonibus paratur, signa Deum nosco per sua, Deus, Deique filius astat. 1. Reg. cap. 16. maximè Saulem dæmõ vexabat, in cuius remediũ adducitur Dauid, de quo sic ibi: *Quãdocumq; Spiritus Domini malus arripiebat Saulem, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Vndè Dauid tam exitialis diabolo? Vndè Diabolus sic timebat Dauidem, vt ab eo fugeret? Sanè erat iam in lumbis Dauid Iesus, cuius vel vmbrâ deterret vniuersas dæmonum phalanges. S. Basil. Sel. orat. 14. *Ne mireris, si cum regno in dæmonem etiam vires acceperit. Nam Christi Pater Dauid fuit, vnaque cum regia dignitate, dominicæ incarnationis promissiones accepit. Vbi enim Christi memoria, dæmonum est pernities.* Quid plura? Vide à principio Deum occupatum in parando hominibus regnum; exitium diaboli. Etenim, vbi cœlestia condebat, vbi immortales glorias in cœlestibus cõglomerabat, non alium, quam hominem, in primis meditabatur: Vbi autem in terræ visceribus atros ignes, duros carceres, catenatosque labores recludebat, non hominem, sed hominum aggressorem diabolum mente agitãbat. De vtroque apud Matth. cap.25. loquitur ipse Dei filius; saluandis enim hominibus ait. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnum ab origine mundi.* Et deinde ad perituros conuersus, ait. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Quibus maximè expendo, quo

Luc. 10. Rupert.

Bernard.

Matth. 8.

Origen.

1. Reg. 16.

Basil.

Matth. 25

quò tenderet vniuersum Dei opus, nimirum, vbi ignem, vbi carcerem, & supplicium condebat hominum immemor, diabolum, & An[illegible]ius spectabat. Vt merito dicat Irinæus lib. 3. cap. 35. *Non homini principaliter præparatus est æternus ignis: sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominem, & his Angelis, qui Apostatæ facti sunt cum eo.* Vniuersus Dei nasus pro hominibus vindicandis aduersus dæmones acuebatur, eò tendebant Dei iræ, eò verbera; at eiusdem magnifica bonitas nec Angelorum meminit, quin prius de hominum coronis cogitaret; ait enim, *quod vobis paratum est ab origine mundi.* Id quod pulchrè, & sapienter meditatus Damascen. serm. de defunctis, ait: *Num Angelis honorem, & coronas has præparauit? Num, vt cœlestes mentes saluaret, in terra comparuit? Num Angelis dicet: Venite benedicti Patris mei, regnum vobis paratum in hæreditatem accipite? Non potest hoc dicere, ô contradictor; sed omnia propter hominem, sicut passus est, ita & procurauit.* Itaque hoc in primis alta in Dei mente repostum erat, vt homines bearentur, nec vnquam hominum hostis apparuit, qui diuinas in se non experiretur manus. Prius nouit propter homines cadere eorum hostis, quam vincere, antiquitus à Dei verbo postratus. Hinc eius contemnens vires Isaias cap. 14. aiebat. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Quasi rideret potestatem hostis à primis incunabulis docti cadere. Qui mihi hostis es, qui mihi venis aduersarius, primo vitæ lumine sic cæcutis, vt offendas ad angularem lapidem. Eo respiciebat Diu. Antoninus Episcop. Constantiniensis epist. ad Arcadium Christi exulem, dum sic illum in exilio consolatur. *Ipse tecum Archangelus, qui cecidit, pugnat, ipse tecum luctatur, sed tecum est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Expende illud, *qui cecidit*, vt rideas hostem, qui simul cum vita inuenit casum, cui adnata ruina est in hominum causa, qui antiquitus sui euersorē, & hominum defensorem Deum habuit.

Irinæus. *Damasc.* *Isa. 14.* *Antonin.*

§. II.

Ante nobis erat Saluatoris auxilium, quam hostium impetus.

O Quam antiquitus nobis aduersus diabolum Christus aderat! Sanè antelucani, & præmaturi auxilij sapor, in verbo illo, nimirum, *erat Iesus*, licet cogitari. Ecce primū Dei opus homines aduersus diabolum iuuare; ait enim Genes. cap. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: quid per cœlum, & terram, nisi cœlestis, & terrenus, Deus, homo Iesus significatur? Ita Diu. Anastasius Sinaita, ait, *placuit Deo, vt fieret cœlum, tanquā Deus, & terra Iesus homo.* Nondum casuros Angelos fecerat, nondum hortus conditus erat, nōdum serpens fabricatus, & iam Iesus homo monstrabatur. Quæ rei causa? *Sciebat Deus*, ait ille, *fore, vt hæc sensibilia paterentur, & male afficerentur, & corrumperentur à peccato Adæ: quare sua benignitate præuenit mali, quod mūdus erat passurus, incursionem, ante vitium, & morbum parans remediū.* Ante diaboli in homines incursum, nobilem Saluatorem Iesum meditans, quamuis enim bellum aduersus homines diabolus maturarat, non prius sagittas igneas contorsit, quam esset nobis præmanibus dictamus, non plus festinauit captiuitas, quam Saluator, de cuius antelucano remedio hostiles omnes incursus eneruantur. Habes apud Septuag. Prou. 8. hæc verba, quibus se genita sapientia iactat. *Ante sæculum fundauit me.* Hoc est, præuenta est humana ædificatio, antequam hostiles pateretur incursiones, imò antequam fieret, ab angulari lapide Iesu, quo ruinas eliminaret. Ita eleganter D. Cyril. Alexand. lib. 5. Thesau. cap. 8. fatus. *Perfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur: idque ante initium mūdi in præscientia Dei, vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & seruitutē diaboli adoptionis libertas, possit natura humana superatis malis, in pristinam per gratiam Christi, dignitatem recurrere, & talis fieri, qualem Deus ex charitate per filium suum futuram constituit.* Quibus pondero, quanto nostro bono Christi auxilia antecedant hostiles incursus. Eò Christus tendebat, ne suorum præueniretur malis, nequid aduersi suos premeret, quod ipse ante non præcaueret auxilijs. Hinc Centurio ille apud Matth. cap. 8. vt vidit puerū à morbo excruciari, & nihilominus notauit Christum aliò diuertisse, & quasi per alia negotia distrahi, illi occurrens, ait. *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Dixisset vrbanius, & modestius, puer tuus, seruus tuus, siquidem cum omnium Domino loquebatur, maluit tamen rusticitatis notam incurrere, dum ait, puer meus iacet. Cur non potius puer tuus? Pulchrè, & acute apud Chrysolog. serm. 15. se excusat. *Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit?* Solet Christiana benignitas suorum præuenire mala, minimè putarim suum esse, quem nec dum requirit infirmum, quem infirmum non meminit, & aliò transijt.

Genes. 1. *Anast.* *Lxx. Prouer. 8.* *Cyri. Ale.* *Matth. 8.* *Chrysol.*

§. III.

§. III.

Vnus Iesus pro vniuersis armis aduersus diabolum.

VBI aduersus diabolum Iesus stat, nil requiras aliud: in vno enim Iesu habes omnia, quæ timeat diabolus, arma. Hoc monebat Diu. Paul. ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt positis stare aduersus insidias diaboli*: quæ verba explicans Diu. Athanas. q. 13. legit, *totam armaturam Dei*, quasi vnus is, posset aduersus diabolum stare, cui nil desit de Dei armis, qui totam armaturam Dei sibi nouerit aptare. Sed vbi totam Dei armaturã inuenies? Iam loquitur D. Hierony. fatus. *Induite vos omnia arma Dei. Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est, qui habet aduersus diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quæ Christus est?* Vnus Christus in mundum veniens, omnem Dei armaturã, quam fugiat, & expaueat diabolus, nobis attulit. Hanc Christianam armaturam crediderim ostendi absponsa militanti, Cant. 1. dum ait: *Ordinauit in me charitatem*, quasi præferens diploidem, qua à Christo aduersus hostes vndique cincta, & armata est. Armata, in quam, est charitate Christiana, seu ipso Christo: in quo, & per quem vniuersæ armaturæ genus accepit, vt posit omnem hostilem impetum effugere. Huc spectat D. Isid. Pelus. lib. 4. epist. 5. dicens. *Deus verbum in terras venit, nobisque charitatem, quasi quãdam Angelicam stolam contexuit, in qua vniuersam virtutis armaturam fabricauit.* Hoc nobis attulit munimen Christi aduentus, nequa armatura indigeremus, sed in eius charitate radicati, omnibus communiti armis, nullum diaboli incursum expaueamus. Accinit Diu. Athanas. lib. 3. contra Arianos, fatus. *Sed omnia in omnibus erit Christus. Vbi porro Christus, quod genus ibi metus, aut periculi fuerit?* Lateronem Christum habes? Omnia Dei arma in promptu habes, nullum telum hostis expaueas, pugnabit diabolus, ignita in te eiaculabit tela, sed fortior tibi astat Christus, qui antiquitus nouit hostem supplantare. Accipite Diu. Cæsar. Arelat. hom. 19. pulchrè in hæc verba differentem. *Si Deo coniuncti sumus, quomodo potest fieri, vt diabolum timeamus? Talem imperatorẽ tecum habes, & diabolum times? Sub tali rege militas, & de victoria dubitas? Aduersatur quidem quotidie diabolus, sed præsto est Christus, ille vult premere, iste leuare, ille vult occidere, iste viuificare, sed securi stote, plus valet ad erigendum Christus, quam ad deprimendum diabolus. Iam non timebo in medio vmbræ mortis, in ipsis draconis faucibus, dum mihi Christus adsit.* Non ne vna præsentia Christi fidelium patrum animas apud inferos delitescentes, ibi in ipso carcere reddidit tyrannis dæmoniacis formidabiles? Sed quando de Christi præsentia, etiam intra inferos præualebant sancti, vide ob eiusdem absentiam, quam male apud homines diabolicos haberent Apostoli, propter metum Iudæorum clausi. Id ostendit Psalm. 10. ex lect. Augustaiens. *Peccatores intenderunt arcum, vt sagittent in obscura Luna rectos corde.* In medio tenebrosi carceris, in regione vmbræ mortis, vbi iustitiæ Sol Christus splendebat, sanctorum res erant in tuto; at in mundo, vbi sanctæ humanitatis Luna intra sepulchrum ab oculis abscondebatur humanis, eu, quam nubila erant omnia Apostolorum! Quot tela, quot igneæ sagittæ aduersus illos volabant! Ita Diu. Augustmeditatur. *Obscurata est caro Christi de cruce deposita, & in sepulchro posita, & illi, qui occiderunt, insultauerunt, & nondum surrexerat, & sagittati sunt discipuli recti corde, sed in obscura Luna.* Etsi in hostis vnguibus sis, etsi nudus, omnibus te crede Dei armis munitum, si vnum lateronem habeas Christum. At è cõtra, omnia licet habeas arma mundi, inermis patebis, vbi defuerit tibi Christus. Ecce tibi Philistæus ille. 1. Reg. 17. ferro vndique tectus, in fronte accepit à dauidico lapide mortiferum vulnus. De quo Diu. Ambros. serm. 88. ait. *In qua corporis parte percutitur? In fronte scilicet. Gentilis enim homo, & sacrilegus ibi percutitur à Christo, vbi deerat Christus, & ibi ei infertur mortis exitium, vbi signum salutis nõ inuenitur. Quamuis enim esset Golias vndique armorum protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem: quia signaculum Saluatoris non gestabat.* O te felicem hominem, cui adstat Christus! nihil tibi deerit ex tota Dei armatura, vt possis te ab hostilibus incursibus facilè expedire.

Ad Eph. 6.

Hierony.

Cant. 2.

Isid. Perus.

Athanas.

Cæs. Are.

Psal. 10.

Augus.

2. Reg. 17.

Ambros.

§. IIII.

Sola Iesu præsentia vniuersas fugat incursiones malas.

CVR ad Iesu præsentiam auderet stare diabolus? Non ne ait Psaltes, *mare vidit, & fugit.* Quid vidit? Cesarius Arel. hom. 4. de Pasc. ait. *Sine dubio illud terribile profundum assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit auctoris.* Non sustinet malus genius Iesu præsentiam, adeò, vt ex eo, quod mors auderet in Lazarum, confundat D. Fulgentius eos, qui Iesum vbique præsentẽ statuunt. Sic enim ait lib. 2. ad Trasim. Regem,

Cæs. Are.

Fulgent.

cap.

cap. 17. *De Lazaro quoque cum dixisset; Lazarus mortuus est, adiunxit dicens: & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.* Quis non credat Iesum minimè ad fuisse Lazaro, vbi illum à morte correptum vidit? Sanè
Nyssen. prudēter Nyssenus lib. de creat. hom. cap. 26. ait. *Lazarum Dominus quamuis amicum distulit visitare, & ab ægrotante procul affuit, vt absente vita, mors aditum reperiret.* Præsente quidem Iesu, non aditum quærit reperire malus genius, sed exitum, sed effugium, quo se se fugæ committat. Id nouerat mulier illa infir-
Matth. 9. ma, quæ apud Matth. cap. 9. *Dicebat intra se, si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Nō magnos Saluatoris conatus, non grandes in Iesu artes, non longa in tanto medico insomnia requirebat, vt aduersam fugaret valetudinem. Tantum stet Iesus, nihil agat, me appropinquare patiatur, & me infirmitas fugiet.
Isid. Pelus. Præclarè id notat Diu. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 120. dicens, *Ea fimbriam tetigit, Christus id passus est, ac morbus profugit.* Expende illud, *Christus id passus est*: nimirum passiue se habuit Christus, non se se in arma egit aduersus hostem, vnā permisit suæ præsentiæ appropinquationē, & statim morbus profugit. Nō eget Christus Dominus maximam suam vim exerere, vt mala depellat, dum se tantum passiue habeat, seu permissiuè, ipsa mala, quasi in eius præsentia violenta stent, protinus aufugient. Violentorum est, cum permittuntur, summa celeritate discedere, sic mala omnia adeò violenta erant in conspectu Iesu, vt sine nouo impulsu, solo permissu fugam quā primum arripiebant. Leprosi illi septem, vbi cōueniunt Iesum, iubentur ire, vt se sacerdoti
Luc. 17. ostendant, Luc. 17. *Et factum est, dum irent, mūdati sunt.* Cur in via abit lepra? Cur nō spectat accessum templi? Vbi oculos Iesu passa est, non sustinet moras, sed celeriter cōtendit abs-
Basil. Sel. cedere. Do D. Bas. Sel. ora. 36. ita fatē. *Quæ ad oculos vsq; Domini tyrannidem exercuerat lepra, videndo tyrannidem desijt, nec vltra apparet celeriter ad imperium fugiens patientem.* Vidi ego sæpè influxibus, & refluxibus maris, cum mare exundat, quam lentè fluctus serpunt, quam blandè, & plumbeo pede ostendunt augmentum; at vbi ad præfinitum terminum accedūt, & lineam vident, quā præterire nequeūt, statim præcipiti, rapidoq; refluxu, summa celeritate in proprium locum recedunt. Sic mala, quæ lento passu, plumbeo pede homines occupabant, vbi Iesum vident omnium malorum finem, rapidissime abscedunt. Notan-
Abac. 3. ter aiebat Abacuc cap. 3. *Egredietur diabolus ante pedes eius.* Nondum Iesus potentiam in brachio suo facit, solum mouet pedes, vt accedat, & ecce diabolus fugit pernix, vndè interlinealis posuit, *eo intrante fugit diabolus.* Pro quo expendo, quod vt Deus dona sua largiatur, gratiam infundat, ibi manus suas applicat, quasi id sit proprium eius opus, Psal. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Verum, vt peccata fugentur, vt diabolus abscedat, quasi abscondit manus suas Deus, & solum memorantur pedum eius gressus: *Dimittuntur*, ait, *peccata tua.* Vbi ibi manus? *Egredietur diabolus ante pedes eius*: sufficit Iesu accessus, vt vniuersa mala fugam meditentur. D. Bern. in Cant. ser. 6. *En secus corporales pedes iacens audit peccatrix. Remittuntur tibi peccata tua, & recognoscit eum, de quo legerat: Egredietur diabolus ante pedes eius.* Recognoscit Iesum, qui sine manibus, sola sua præsentia, noxias fugat vniuersas.
Psal. 144.
Bernard.

§. V.

Væ cui non adest Iesus, cum in manus dæmonis incidit.

DOLENTER spectas hominem à Satha na vexari, & quasi absorberi, an magna huius miseria est? Non equidē magna, quādo simul illi Saluator adstat. Minimè timeas, & efferas draconis fauces, vbi sensueris tecum Domini manus. Ionas c. 2. absorbendus mittebatur in mare, *& præparauit Dominus piscem grādem, vt deglutiret Ionam*: siccine Deus ficmēto tuo, belluam inhyantem paras? Naufrago astas, & fauces illi præparas, quibus glutiatur? O felix hominis naufragium, vbi Deus adest, vbi Domini sentitur manus præparans belluam! Quid Dominus in bellua præpararet? Pulchrè D. Hier. *Vt pro morte præberet habitaculum: vt qui in naui iratum senserat Deum, in morte propitium sentiret.* Habet homo in bellue faucibus, & habitaculum, & propitiationem, de Domini astantis manu. Nō ne canebat Ionas, vbi supra. *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me?* Quomodo mari obrutus, circundatur flumine? Quomodo flumen dulce in mari amaro? Sic de fontibus Saluatoris ridebat amaritudines maris: licet à mari absortus, licet felleis vndis vndequaque submersus, limoq; profundi infixus: tamen eius dulcescebant labia de fluminis impetu lætificantis Dei ciuitatem. Ita Hier. fatus: *cum inter amaras aquas fuerit, & tentatus sit iuxta omnia absque peccato, non sensit amaras aquas, sed flumine circundatus est, de quo legimus fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Nec in felleis vndis, nec in faucibus belluæ miserandus est, vbi de Saluatoris fontibus lætificans flumen accurrens habuit, vbi de Domini
Ion. 2.
Hieron.
Ionas. 2.
Hieron.

manu

mānū expertus est belluam parari. At ille prorsus est miserabilis, cui adest Iesus Saluator, & draco adest, id quod maximè pertimescebat Psaltes, dum ait. *Ne quando rapiat, vt leo, animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Pro cuius rei explicatione sufficiat vnus Petrus Damianus epist. 10. Apolog. ad Pap. Gregor. 7. vbi hanc horribilem historiam narrat. *Quidam pœnitens sub peregrino habitu in nostris partibus exulabat. Qui perquisitus, quæ eum exulare culpa compelleret. Cum conuicaneo meo, inquit, ad ligna cædenda pergebam, & ecce trabalis magnitudinis serpens, duobus attollens scammosa colla capitibus, sinuosis flexibus obrepebat. Qui nos, vt eo ambulantes aspexit, continuo scintillans oculis, & tanquam linguis exacuēs ora trisulcis, in nos impetum fecit. Cui protinus conuiator meus librata securi, vnum caput abscidit, moxque ferramentum ex eius manibus cecidit. Protinus serpens in furoris rabiem implacabiliter efferatus, in sublime se erigit, quod solum remanserat caput attollit, auctoremque proprij vulneris mordicus apprehendit; quem mox, vt inuasit, sinuosis eum spiris implicuit, & inuoluit, totumque hominem suis viribus vindicans, in subterraneæ specus asportauit. Sed dum traheretur ille (quod solum poterat) me flagitat, in me clamosas voces ingeminat, vt vel ipse sibi promptus adiutor accurrerē: vel securim, quæ in meis erat manibus, porrigere festinarem. Ego autem infelix, & degener, vltricibus flammis obnoxius, & ipse potius à serpentibus deuorandus, væ mihi homicidæ, contremui: & cum manibus esset agendum, causa dilante, non pedibus, fugam parauī: ideoque à sacerdotibus iniunctum mihi hoc exilium patior, neque, vt reuera mortis illius auctorem deflere compellor. Quæ gemendæ calamitatis historia ita totum cor meum concutit, vt immensam cordis mei formidinem, neque stylo tradere, nec valeam sermone proferre. Meditor enim sæpe: ecce homo, & bestia, duo pariter in spelunca. Non mediator adest, non ereptor accedit, ferinum sanè cor pietas non emollit; præsertim cum rabidæ voracitati, etiam superadditur, vt illatæ contumeliæ grauis vltio compensetur. Quæso, quæ res tunc species erat, imò quæ mens miseri hominis esse poterat, cum prædæ factus esset hosti insciò miserari: cum euadendi spes nulla supereſſet, sed potius cruentis dentibus in escam traditus ferinam potius inglubiem satiaret? Huius ergo formidolosi casus speciem in mea sæpè mentè depingo, moxque draconem illum totius crudelitatis auctorem, quomodo rapiat, ac deuoret animas, pauida consideratione pertracto, illum sæpè versiculum repetens. Ne quando, inquit, rapiat, vt leo, animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quid horribilius?

Psal. 7.

Damian.

Tex. Et illud erat mutum.

§. VI.

Væ illi, cuius os obstructum est, ne Deum inuocet, ne Deum sonet.

DEVM ore tonas? Salua igitur res est. Felix es, beatus es, plane innocens es, qui Deum vbicumque sonas. Christiani de Christo prædicato rei vocabantur, sistebantur iudicibus, & dirè torquebantur, vt Christum abnegarent. Proh ingens diaboli peruersitas! Reorum crimina tormentis exquiruntur, adeò, vt rei cogantur, de quo accusantur, facinus ore propalare. Timet hoc in Christianis iniquitas, & ideò tormentis suis non vocales reos quærit, sed mutos, non confitentes, sed negantes, non qui ore libero Christum sonent, sed qui muto silentio taceant. Hinc acutè pungit Tert. Scapulam fatus. *Quid amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare; negātes autē ad tormenta reuocare? Videtis ergo, quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, vt confessos negare cogatis. Adeò confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis.* Sanè tota hominis innocentia est Dei confessio, & inuocatio, tota item est hominis sanctitas, tota potentia, & fortitudo, quando ipsi aduersarij sanctissimos confessores timentes, mutum silentium peruerso iudicio extorquere nauant. De Christi inuocatione accusamur, & accusatus palam Christum clamat, quo iudex deberet gaudere, vt pote qui ab ipso accusatore videt crimen obiectum publicari. Sed eu crudele nefas! Diabolicus iudex innocentiam Christianæ inuocationis, imò vim, & potestatem expauens, tormentis instat, vt mutos reos faciat. Nulla enim res, ita impietatis regnum labefactat, vt diuini nominis inuocatio. Vidisses Elisæum 4. Reg. 2. de duplici spiritu gaudentem se se torrenti fluminis opponere, vt sisterentur aquæ; exerit in primis magistri pallium, siue cilicium, quo fluctus præcipites tangit, tamen fluctus silentis, & muti vatis imperio minimè parent. Quid plura? *Et dixit vbi est Deus Eliæ? Etiam nunc, percussitque aquas, & diuisæ sunt.* Vna Deum sonans vox flumen sistere fecit. Vna diuisit aquas. Notauit hoc Theodoretus quæst. 10. in 4. Reg. fatus. Cum vellet Elisæus transire Iordanem, imitatus est magistrum, *& pelle ouina percussit aquam, nihil dicens. Postquam autem non obedit natu-*

Tert.

4. Reg. 4.

Theodor.

ra aquarum vocauit Deum ſui magiſtri, & diuiſæ ſunt aquæ. Expendo illud nimirum, nihil dicens: etenim vbi alto mutus ſilentio acceſsit, etſi pelle, cilicio ve magiſtri munitus, nihil effecit. Verum rupto ſilentio, vbi Deum inuocauit, natura ſtatim teſsit aquarum, fluctuſque vocem Deo plenam mirantur ſtupefacti. Et cur non obſtuperent aquæ vocem, quam ſtupet ipſe diabolus. Non ne is erat, qui ſanctiſsimum Iob ſpoliauerat? Igitur ſpoliatus Iob ſigna edidit doloris maxima, quæ exultans hoſtis ſpectabat. Surrexit, ſcidit veſtimenta ſua, ſtratur humi, capillos, ſiue vellit, ſiue radit. Sic textus apud Orig. lib. 1. *Surrexit, proſtrauit ſe in terrã, & orauit ad Dominum.* Equidem proſtrauit ſe, ſed non obmutuit, non prę dolore ſiluit, imò ſtatim ſe ad inuocationem Dei conuertit, & orauit ad Dominum. Quid tunc diabolus? Pulchrè Origines ait. *Quem cum proſtratum videret, diabolus gauiſus eſt, cum autem orantem, atque adorantẽ audiuit, obſtupuit, atq; expauit.* Dum ſub verbere tacebat, & humi ſternebatur, gaudebat hoſtis, de ſilentio victoriam ominatus: at vt orãtem, vt Deum inuocãtem excepit, hominem Deo inclamantem expauit. O Dei ſapientiã! ô vafriciem diaboli! diabolus hominum obtũdit ora, mutos facit, & elingues, Deus vocaliſsimos amat ſanctos, illud in homine erat mutum, hic diſpertitis linguis ſuos facit coronari. Ait enim. Act. 2. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui, &c.* Itaq; Deo pleni homines cãpitibus ſuis inſidentes linguas habent, inſtar rãdiorũ coronæ: quod animaduertit D. Cyril. Ieroſ. Catech. 17. fatus. *In ſpecie linguarum igne arum ſedit ſupra ſingulos, vt nouæ coronæ ſpirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Sed cur ex linguis coronæ? An quia nulla virtus coronatur, niſi per ſuffragium oratio nis? Sic Iob primo in certamine, *corruens in terram orauit ad Dominum*; vt paulo ante diximus. De quo Origines hæc fatur. *Imperatores, qui victores extiterunt, non ſtantes, ſed deorſum adorantes coronam accipiunt. Sic, & B. Iob in prima tentatione, quam per peculium, & filios, victoriam de aduerſario acquiſiuit, ad orationẽ ſe proſtrauit, vt perfectas tolerantiæ ſuæ à Deo acciperet coronas.* Vt ingentem tolerantiam coronaret, ſe Iob ad orationem proſternit, quaſi de orationis ſuffragio omnium virtutum ſint parturiendæ coronæ.

Origen.

Origen.

Act. 2.

D. Cyril.

Iob 1.

Origen.

§. VII.

Muto aguntur ſpiritu, qui terrenis, & caducis rebus inhiant.

EV quot muta dæmoniã obuerſantur nobiſcum; cœleſtium rerum oblitus, totus in acquirendis terrenis, qui incumbit, is ſanè dæmonio agitur muto. Hunc miſerabili proſequitur lamentatione Ierem. Thren. capit. 2. inquiens: *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes.* Ecce, qui conticuit, qui obfirmato obmutuit ore; qui veteris hominis ſectatur lucra, qui totus terrenis inſidet bonis. Hæc vilia, & caduca bona, vocaliſsimo hominum generi ſpiritum mutum infundunt. Mutos habe, quoſcumque videris terrenis inhiare, etſi alioquin clamoſis precibus cœlum impleant. Pſal. 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dũ clamarem tota die.* Expende vetuſti hominis miſeriam, dum tota die clamat, taciturnus habetur, & mutus. Sic eleganter D. Paſchaſ. lib. 2. in lament. Ierem. vbi dicit. *Qui dum ab eis, quæ intus ſunt, veteraſcunt, dum veteris hominis lucra ſectantur, quid aliud, quam cariòſi ſenes de ſpecula cœleſtis vitæ prolapſi, in terram conticeſcunt à bonis, etſi videantur tota die clamare?* Non clamor eſt, non vox hominis eſt; ſed ferale mutæ belluæ ſilentium, quo expetuntur bona temporalia. Pſal. 2. *Quare fremuerũt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Merito gentium clamores fremitus ferales vocantur, quando miſeri gentiles nihil cœleſte ſuſpicantes, de terrenis, & temporalibus bonis deos ſibi effingebant, eoſq; adorabant, eiſq; preces ſuas offerebant. Sic D. Chryſoſ. ibi ait. *Tremuerunt gentes, Græci ſcilicet, qui elemẽta Deos appellauerunt; terrã quidem Cererem, aquam Neptunum; aerem autem Iunonem, ignem autem Vulcanum, pluuiam verò Iouem.* Et ſanè, qui nihil nõ mundiale, & terrenum in ſuis precibus meditantur, non cẽſentur verba facere humana, ſed ferales edere fremitus, & grũnitus. Hinc vox ſanguinis Abel non oraſse dicitur, ſed ſolum clamaſſe, quando clamor etiam mutis animantibus conuenit. Etenim Gen. 4. ait: *Ecce vox ſanguinis fratris tui de terra clamat ad me.* Notanter ſanguini de terra clamanti, hoc eſt, terrena petenti non dantur loquentis verba, quæ exaudiantur, ſed mutorũ animaliũ clamor. Id exprimit D. Paſcaſ. in lament. Ierem. lib. 3. fatus. *Quid eſt dicere de terra clamat ad me, niſi, quia terrena cogitatio facit, ne poſsit noſtra oratio tranſire ad Deum, quæ magis contra nos clamare, quam exorare videtur?* Non rationalis ſermo it ad Deum, ſed quaſi pru-

Thren. 2.

Paſchaſ.

Pſalm. 31.

Pſalm. 2.

Chryſoſ.

Geneſ. 4.

Paſchaſ.

brutorum confusus clamor, quando sola terrena mens, terrenus animus, terreni affectus explicantur. Et metuendũ est, ne terrenis his clamoribus, seu sibilis obueniat illa vindicta, cuius meminit Sapiens c. 11. *Quod quidã errãtes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinẽ mutorum animalium in vindictam.* Immissum habet mutum in se animal, quicũq; de terra clamat, quicũq; pro terrenis suspirat: clamor enim is, potius videtur muti serpentis sibilus, quã vox humana. Non sermo hominis est, sed ferale, & mutum silentium illud, quo ea petuntur bona, quæ grato Dei non excipiuntur auditu. Vt dicat Hieron. in Epitha ph. Nepotiani. *Quidquid dixero, quia ille* (nẽ pè Deus) *nõ audit, mutum videtur.* Et vtinam solũ mutum esset, verum & maximè censetur diuinæ iræ prouocatiuũ. Apud Malachiam c. 2. sic opponit Dominus Israelitis. *Et hoc rursum fecistis: operiebatis lacrymis altare Domini fletu, & mugitu. Ita vt non respiciam vltra ad sacrificium, neq; accipiam placabile quid de manu vestra.* Quæ verba sic ponderat Ruper. ibi. *Quales sunt lacrymæ, qualis fletus, qualis mugitus miserorum, qui tam grauiter offendit misericordiæ Dominũ? Sed non miremur. Nam istorum fletus sceleratus, & criminosus est, quia venit de amore præsentis sæculi, contemptum habens futuri.* Nõ censentur hæ lacrymæ, quæ placant Deum, sed boum mugitus taurorumq; qui à se ventilent, & excutiant auxilium diuinum.

Sap. 11.

Hieron.

Malach. 2.

Rupert.

Luc. 11. Et cum eiecisset dæmonium locutus est mutus. Et admiratę sunt turbæ.

§. VIII.

Vbi Deus sanat, omnia pelluntur mala, omnia dantur bona.

NIHIL non sanatũ relinquit Dñs in homine suo, & dæmonium eijcit, & aures aperit, & silentiũ tollit nociuum. Id notat D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnit. inquiens. *Laudatus est Dominus, quod eiecto Dæmonio locutus est mutus. Nunquam aliquem sanauit, quem omnino non liberauit.* Ea est Christi manus, quæ vbi applicatur, nescit morbũ relinquere, nescit habere modũ in præstanda salute, nec desistit, donec omnia bona resundat. Paulus ad Rom. 8. de largissima Dei manu fatur. *Quos præscinit: & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos, & vocauit, & quos vocauit: hos, & iustificauit: quos iustificauit, hos, & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Nullum malum, quod timere possimus, vbi Deus nobis adest; nullum bonũ est, quod sinamur desiderare; nõ enim sciet manus diuina cessare in bonis præstandis. Docte Amb. lib. 1. de Iacob. c. 6. *Nihil est igitur, quod negari nobis possit vereamur: nihil est, in quo de munificentiã diuinæ diffidere perseueranti debeamus, cuius fuit tam diuturna, & ingis vbertas, vt primo præ destinaret, deinde vocaret: & quos vocaret, hos, & iustificaret, & quos iustificaret, hos, & clarificaret.* Nil reliquit desiderandum, sic omnia bona dedit catenatis laboribus, vt nullũ locũ relinqueret timori mali. Solet mũdus aliquod bonũ præstare, sed id tot defectibus plenum, tot aliorum desiderijs anxium, vt vix bonum appareat. Verum Deus, in donis suis nihil relinquit desiderandum, nullum defectum esse patitur. Aiebat Psalt. 5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quid scutũ ad coronã? Quid scuti horror, ad coronæ pulchritudinem? Scutum hàheneum est, corona aurea, scutum ad belli puluerem cõparatur, corona ad victoriæ lætitiam. Qui dat scutũ, bellum clamat; sudores, vulnera innuit: qui coronam offert; victoriam, pacem, lætitiam prædicat. Hoc est in mundi stadio, at Deus omnia simul largitur athletis suis, cum dat scutũ, non sinit desiderari coronam, sed & de scuto armat, & de corona cõdecorat, vt nihil desit, quod tibi non veniat in munere diuino. Accipite D. Chrysost. pulchrè aientem. *Quod est scutum bonæ voluntatis? Quod dicit tale est: omnimo auxilio iustum munis, & neque eius pulchritudo priuata est securitate, neque eius securitas gloria deficitur. Quid enim fortius, quid rursus formosius eo viro, qui à dextra superna munitur? Hæc corona etiam à misericordia contexitur, vt Dauid dixit:* Qui te coronat in misericordia, & miserationibus. *Hæc etiam est iustitia, quemadmodum dicit Paulus,* reposita est mihi corona iustitiæ. *Est etiam corona gratiæ, sicut dicit alius:* corona gratiarum defendet te. *Iam verò est corona gloriæ, sicut dicit Isaias:* Erit corona spei ex gloria contexta. *Corona enim hæc habet omnia, benignitatem, iustitiam, gratiam, gloriam decorem. Est enim Dei donum, quod variam producit gratiam. Talia sunt enim Dei dona, valida, & decore plena, tales sunt coronæ.* Quid pulchrius? Felix, qui Iesum habes sanatorem tuum, ab illo omnia bona sperã, qui solus non patitur in se venam siccari largiendi; qui nullum semisanatũ reliquit, imò suis omnes cumulat beneficijs. Luc. 11. *Quis vestrũ habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice commoda mihi tres panes: dico vobis*

Aug.

Ad Rom. 8

Ambros.

Psalt. 5.

Chrysost.

Psal. 102.

2. Tim. 4.

Eccl. 32.

Isai. 28.

Iuxta Sep.

Luc. 11.

etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quot quot habet necessarios. Non tres solum, sed quotquot habet necessarios præstat petēti Deus; non numeros, sed necessitatis est mē sura muneris diuini; vbi enim Deus præstat, *Caiet.* nescit dimidiatè præstare. Argutè Caietanus ibi: *Petierat tres mutuo, victus importunitate amicus non mutuat, sed dat, nō tres, sed quot quot indiget, panes.* Ne vllus cū munere diuino defectus maneat.

§. IX.

Lingua Dei inhabitantis indicium.

EIECTO per Deum diabolo, loquutus est mutus: inhabitantis enim Dei gratia non potuit non in lingua publicari. Nulla res tam diuinum prodit accessum quam lingua, diuina in corde tuo salus latitans, mirū erit, si à lingua statim non prodatur. Mille figuris se se obumbrabat Dominus apud veteres pātres, semel luctatorē agebat, rursus peregrinum, nō semel Angelum; aliquādo sub flammantis ignis specie in viridi rubo se Moysi presentauit. *Exod.3.* Sed ecce ait Origo Hebræa Exodi 3. *Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo.* Non sufficiebat, speciem ignis induisset, adhuc sumit & nomen Angeli, vel sic latebat, sic obumbrabatur specie flāmantis ignis, vt solum videretur non creator, sed ipsius Angelus. Verum statim subditur: *Cernēs autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses.* Expende modo, vbi videtur, solum apparet Angelus; vbi autem loquitur, & vocat, iam Dominus Deus apparet; quod enim species ignis occultabat, statim lingua manifestauit. *Hilar.* Id quod pulchrè notat D. Hilarius 4. de Trinitate, fatus. *Qui Angelus Dei est, cum videtur, idē, cum auditur, est Dominus; ipse verò, qui auditur, Dominus Deus est.* Nequit virtus diuina, vbi adest, non se se per linguam manifestare: sit semper lingua index inhabitantis Deitatis. Hinc Dominus Iesus, vbi diuinitatis suæ veritatem voluit patefacere, ad signum linguę *Ioan.5.* recurrit, aiens Ioan. 5. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei.* Expende illud, *audient vocem filij Dei*: cur non addit sibi familiarius cognomen, nimirum, filius hominis? Cur modo morem suum obliuiscitur, quo se passim vocabat filiū hominis? Cur non potius dixit, audient vocem filij hominis, sed maluit dicere vocem filij Dei? Sanè vbi vox audienda erat, non poterat non diuinitas euulgari. Vbi linguæ negotiū interuenire debebat, necessum esset, quod prodiret veritas paternæ æqualitatis. Ipse, cū videtur, est homo, cum auditur, Dominus est. Accinit D. Aug. ser. 64. de verbis Domini. *Talis ergo ad nos venit: filius Dei, filius hominis: secundum id, quod filius Dei est, ait: venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: nō dixit, filij hominis: veritatem enim commendabat, in qua æqualis est Patri.* *Augusti.* Vbi diuinitatis veritas commendatur; voci commendatur, linguæ commendatur, quæ audita præsentissimam Dei virtutem exprimit. Etenim lingua sonans non relinquit dubiūm de Spiritu diuino assistente. Vbi Dei spiritus Apostolorum mentibus infundebatur; *apparuerunt dis-* *Act. 2.* *pertitæ linguæ:* Cur iam non in columbæ, sed in linguæ specie appareret, nisi ne sineret de eius affatu dubitari? Ita Diu. Prosper. epist. ad *Prosper.* Demetriadem circa finem. *In specie linguarum apparuit ignearum; vt dubium non esset, per ipsius inspirationem vtilem affectum, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari.* Vbicumque enim ingreditur Dei virtus, statim lingua proditur: adeò, vt Græcus auctor Nicolaus Cabasila lib. 6. de vita in Christo, hinc *Cabasil.* pungat eos, qui ad Eucharistiam accedunt, nec à malis verbis desistunt, quod putet, dominicum tactum necessario exprimi debere in lingua. Ait enim: *Os ad sermones cum scelere coniunctos non aperiemus, si mensæ recordabimur, & qualis sanguis linguam hanc purpurauerit.* Nescit sanè lingua de Christi sanguine purpurata non loqui regie, nescit non prodere virtutem, quam accepit.

*Luc.*11. Quidam autem ex eis dixerunt: In Belzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alii tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dicit eis.

§. X.

Quam salutare contumeliosis verbis nil respondere.

NON ne clarè dicebāt cōuitia? Nō ne aiebant, in Principe dæmoniorū eijcit dæmonia? Cur ergo dicitur, vt vidit cogitationes eorū, & nō potius, vt audiuit contumelias eorum? Et erant, qui lingua conuitiabantur, & qui mente solum talia ruminabant: Iesus ergo cogitationes respiciens, conuitia præterit, docens Christianos, quam salutare erit, si conuitijs respondere caueant. Dum alius aperto ore te maledictis ferit, nil perdidisti, dum

dum clausum os tuum contineas. Si verũ similiter os tuum aperias, & totidem ex aduerso maledicta remittas, omnia mentis bona exsufflantur, & spiritus extinguitur. In domo, in qua duo sunt ostia ex aduerso se respicientia, dum alterũ sit clausum, etiamsi alterũ sit apertũ, & tẽpestatis circuncirca furiat, & rabidissimi venti instent, omnia intra domũ pacata sunt, & secura. At vbi primũ ambo ostia fuerint aperta: Ecce tibi domus perturbatio, ecce inquietudo, nihil ibi securum est, omnia à ventis feruntur, lumina apparent extincta. Hoc pulchro exẽplo monebat suos Chrysostomus, ne conuitiatori responderent, si vellẽt in se habere Spiritũ Dei inextinctum. Huic crediderim exẽplo annuebat beatissimus Iob
Iob. 31. c. 31. inquiens. *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* Erãt aliquando multi conuitiantes sanctũ virum, & despicientes illum; hinc tot ostia aperta, quot hominum ora contumelios a, circuncirca maligni spiritus furentes, & expectantes occasionem, qua sanctitatem Iobi internam exturbarent. Quid tunc Iob? Ipse dixit: *Tacui, nec egressus sum ostium meum*: ostium, inquit, meum, hoc est, os meum, quod ex aduerso erat, occlusum habui, nequid respondere,
Idem. quo meã innocẽtiã integrã cõseruaui. S. Greg.
Gregor. lib. 22. c. 16. *Quidnã hoc in loco ostiũ, nisi os debemus accipere? Hi coguntur ostiũ egredi, qui pulsati contumelijs, quã magni apud se lateant, loquẽtes denuntiant. Dumq; per impatientiã victi, quædam de se, quæ nesciebantur, produnt, tanquam per oris ostium egrediuntur. Vnde beatus Iob dicturus, quod oris ostium non fuerit egressus, bene præmisit: tacui.* Et quidem quot ora conuitijs, opprobrijs aperiuntur, tot aperiuntur ianuæ malignis spiritibus, qui omnia turbent, omnia commoueant, nihil quietũ relinquãt.
Isid. Pelus. Quod notabat D. Isidor. Pelus. epist. 309. ad maledicum hominem scribens. *Te caducam vitam fugisse audio, atque interim tamen procacem, ac petulantem linguam habere, ac temere loqui. Quod nil aliud est, quam murum firmissimum, atque hostibus inaccessum extruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere.* Patet hostium, patent fores hostilibus incursibus, dum os aperis maledictis; miser erit, qui ex aduerso similiter suum ostium cæperit aperire, intima illius tempestatibus replebuntur, nulla ibi manebunt Spiritus sancti lumina inextincta. Cauete tibi, quisquis aduersarium os vides aperiri in contumeliam tuam, claude tuum, & omni diligentia occlude illud, sic ipsæ contumeliæ non iniuriam, sed iuuamen, sed felicitatem inferent. Ità Dauid, vbi villissimi ho-
2. Reg. 16. minis contumelijs petebatur. 2. Reg. 16. ait. *Dimittite illum, vt maledicat: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna.* Expende, *die hodierna*, non solum pro maledictis patienter susceptis expectat remunerationem à Domino; sed festinatissimam remunerationem expectat, quasi contumeliæ sint felicitatis calcaria, quæ illam faciant festinanter venire. Eucherius ibi lib. 2. cap. 9. *Contumelioſa verba, non tam conuitia, quam adiutoria credidit.* His oculis respexit bonus Rex contumelias, vt in illis sibi iam videret mille adiutrices phalanges, quarum perniciei occursu hostes caderent, & victoria festinanter veniret. Eucher.

Luc. 11. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autẽ Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis in Belzebub me eiicere dæmonia.

§. XI.

In diuisione summa immuitur perditio, & miseria. Vbi de partialibus factionibus familiarum.

VBI diuisio intrat, extremã desolationem expecta: nil sic perdit regna, nil sic perdit domos, nil sic ingenuos ciues funditus extinguit, vt diuisio. Gen. 15. iubetur Abraham of
Genes. 15. ferre Deo vaccam diuisam, & dissectã in partes, similiter & aues, sed integras, & omnis diuisionis expertes. Cur vacca diuiditur, & non diuidũtur aues? In vacca Ægyptia seruitus exprimebatur, in auibus à seruitute liberatio, vbi ergo libertas, ibi indiuisio, ibi vnitas; diuisio enim & seruitutẽ signat, & miserã captiuitatẽ. Ita Theodor. q. 65. *Aues quidem minimè diuisit, vt liberationem à seruitute significantes. Quadrupedes autem partitus est, eo quod indicarent, quam male tractandi erant in Ægypto.*
Theodor. Quid diuisio protenderet nisi ruinam, nisi excidiũ, nisi perditionẽ? Et nota quã prudenter dicatur, *Omne regnũ diuisum desolabitur*: vbi enim multitudo hinc inde scisuras facit, irreparabilis est ruina, necessarius est propè casus. Innuebat hoc Ps. 61. *Quousq; irruitis in homine, interficitis vniuersi vos, tãquã parieti inclinato, & materiæ depulsæ?* Quę verba sic explicat Bas. nimirũ, quousq; in varias turmas partiti, altera alterã persequitur, & vos ipsos interficitis nõ absimiles parieti inclinato, & materię depulsę? In quibus expendenda maxime
Psal. 61.

est pulcherrimâ similitudo diuisorum à parie te, seu maceria inclinata desumpta. Cum enim trabs aliqua, seu columna ex vno lapide constans inclinatur, facilem reparationem habet, quia facilè potest restitui in primam rectitudinem; verum si paries ex multis lapidibus cõstãs inclinetur, necessariam penè minatur ruinam, cum nulla vi possit in pristinam restitui figuram. Ita prorsus in regno, in Republicâ, vbi multorum adunatio ab alijs faciat scissuram, & in vnam inclinetur partem, funditus perditur bonum regni, siue Reipublicę.

Basil. Ecce vobis Basil. *Paries tantisper, dum rectitudinem conseruat sui status, & positurę, solidus stat, ac firmus: mox vbi in alterutrã inclinat partem, prorsus necesse sit, dissolutus vt concidat. Equidem pondera vnita, quæ sint, & agglutinata post inclinationem eriguntur: verum, quæ expluribus contexuntur, & coalescunt particulis, vbi in aliquam partem se reclinarint non iam admittunt correctionem.* Deploratum regnum est, deplorata ciuitas, deploratus cõuentus quilibet, vbi ex multis adunata phalanx alterã in partem inclinat; nullã iam admittet correctionẽ; res semper in peius ibunt. Vtinam non tam euidens experientia esset excidium hoc, vt indigeremus multis id testimonijs diuinis illustrare; verum adeò conspicuum est, vt sufficiat vel leuiter attigisse. In qua familia, partialis hæc inclinatio, & diuisio correctionem admisit? Pristinum maiorum excitauit decorem? Imò, in qua non perdidit virtutis disciplinam? Miraberis cœlestem etiam ciuitatem desertam factam hac vna lue. Nõ ne Lucæ 15. venturus in mundum diuinus pastor dicitur reliquisse nonaginta nouem oues, *in deserto*? Desertum equidem vocat cœlum, vbi Angeli relinquuntur. Sed & desertum fecit cœlum partialis inclinatio, & diuisio Angelorum: vbi Lucifer noluit vnum esse cum omnibus spiritibus, sed cum sequacibus suis in partem inclinauit, factum non habuit correctionem, & sequuta ruina vacuum, & desertum pluribus ciuibus cœlũ reliquit. Hinc Psal. 81. Psalm. 81. diuisioni, & partiali inclinationi tribuit Dominus humani generis, & humanæ æconomiæ ruinas. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes; vos autem, sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Expende luem nimirum, *vnus de principibus*, non vnus cum principibus; quippè, dum vnus cum principibus erat Lucifer, veram cum omnibus vnitatem, & communionem seruans, immutabilis erat, omnes cõtemnebat casus. Sed vbi amauit vnum de principibus fieri, sequè in partem attollere, ecce ruina, ecce casus. Ar-

D. Anast. gute D. Anasthas. Sinaita lib. 7. Exameron, ait. *Fuit autem aliquando quoque Sathanas in cœlis discipulus Christi, cum cæteris sanctis discipulis (Angelicis, inquam, virtutibus.) Sed erat vnus de principibus: de eo enim scriptum est: & tanquàm vnus de principibus caditis.* Planè diuisionem, & partialem inclinationem sequitur propè necessarius casus. Væ tibi homo, qui enixe contendis vnitatem scindere, partiales inclinationes excitare, vt vnus non cum cæteris, sed de cæteris fias, sicut vnus de principibus cades. Experta hoc excidium gens Angelorum enixe ambit terrenorum hominum societatem, vt quod vacuauit diuisio cœlum, impleat adunatio. Huc spectabat illud Iacobi somnium, Genes. 28. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tãgens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes.* In vna cœlesti scala simul sunt qui ascendunt, & qui descendunt Angeli; qui ascendunt terreni homines sunt Angelicis virtutibus decorati, qui descendunt Angeli sunt cœlestis ciues patriæ. Sed vndè tam diuersas nationes cœleste regnum capit? Sunt omnes, etsi diuersi intima vnitate fundati, idem terunt iter, eadem affectiones habent, & sic de vnitate perfecta regnum cœlorum instaurãt. Ad rem facit Diu. Zeno serm. de somnio Ia- D. Zenò. cob. fatus. *Vndè dubium non est, vnum esse iter aerei culminis Angelis lucis, & hominibus iustis. Hæc igitur omnia combinata vnius fructus rediguntur in summam, quoniam vniuersa quãuis gemina esse noscantur, tamen vna radice fundantur.* O vnitas omnis reparationis radix; regnorum omnium fundamentum stabile!

Genes. 28.

Tex. Si autem ego in Belzebub eiicio dęmonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eiicio dęmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.

§. XII.

Inter paternas impietates, & insanias relinquit Deus filiis, vnde possint in agnitionem veritatis venire, & sibi sauere, parentes diiudicando.

QVOS nõ decipiat filios paternus error, præcipuè cum non solum à Patre, sed & ab auis, & atauis sit fundatus? Mirabar ego sepè, si inter parentum impietates, & effrænes mores aliqua possit filijs innotescere scintillula virtutis, & veritatis. Et quidem is est

Deus

Deus,qui non finit homines ſic funditus perire,ſic penitus à vitijs abſorberi, quin aliqua ſimul relinquatur nota, quæ filij parentum veſtigia diiudicantes, auia relinquentes eam poſſint arripere viam, quæ parentes damnet ſuos,& illis æternam felicitatem pariat. Exo. 20. Exodi 20. ſic lex canet Sabbathi obſeruantiam. *Memento,vt diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis,& facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo,tu, & filius tuus, & filia tua,ſeruus tuus,& ancilla tua,iumentum tuum, & aduena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo,idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit eum.* Quibus non ſolum Deus imperat Sabbathi obſeruantiam, ſed rurſus, quod in alijs non ſolet,rationem præcepti addidit,nimirum, quod Deus illo die à mundi fabrica ceſſarit. Sed cur in hoc præcepto de Sabbatho obſeruando rationem illam reddidit Dominus? Crediderim id factũ eſſe,vt inter parentum errores, & idololatrias haberẽt filij, vndè in veri Dei venirent agnitionem, impietatem condemnantes patrum ſuorum. Anaſt. Rem attigit Diu. Anaſthaſ. Sinaita lib. 7. in Exameron. *Vt, cum videret filius te colentem idola,& deinde otium agentem Sabbatho, & nihil operantem,ex te exciſcitaretur,propter quam cauſam quieſcis Sabbatho nihil operans? Cui neceſſè habebis dicere, quod ſex diebus creauit Deus cœlum,& terrã,& omnia, quæ in eis ſunt: ſeptimo autem die Sabbathi quieuit ab omnibus operibus ſuis. Ad quæ omninò reſpondebit filius tuus dicens: Etſi eſt Deus creator cœli,& terræ, & omnium,quæ in eis ſunt, oportet te magis adorare eum,& colere vt creatorem,& non creaturas.* Itaque relicta ſunt inter Iudæos idololatras Sabbathorum legalia feſta,in filiorum bonum,vt ex his, qui ab idololatris naſcuntur filij,accipiant veri Dei lucem, parentumque impietates iudicent, & abominentur. Quod ſimiliter factum audio in hanc vſque diem apud ſeptentrionales hæreticos, qui omnem Chriſtianitatis ritum exuentes, adhuc habẽt antiquorum Chriſtianorum dies feſtos: quorum myſterijs auditis poſſint filij diiudicare impietates parentum. Felices filij, qui parentum impietates, & mores impios claro trutinarint iudicio, abdubium quin inuenirent multa, quibus timorem Domini, & vitiorũ fugam docerentur. Superbiſſimi tyranni Nabuchodonoſoris filius, ſiue nepos Balthaſar, Dan. 5. Danielis 5. vidit digitos ſcribentes in pariete; ignorabat tamen quid ſcriberent, quærit interpretes,nec inuenit vllum inter miniſtros ſuos, & ſeruos. Tunc Regis mater adeſt, quæ dicit. *Eſt vir in regno tuo,qui Spiritum Deorum ſanctorũ habet in ſe,& in diebus patris tui ſcientia,& ſapientia inuenta ſunt in eo: nam & Rex Nabucodonoſor pater tuus Principem magorum, & incantatorum Chaldæorum, & aruſpicum conſtituit eum,pater,inquam, tuus,ô Rex.* Non otioſe toties repetitur,& inculcatur illud pater tuus,niſi vt moneatur filius cõſilium virtutis in paternis vijs inueſtigare, quando, & impijſsimus pater Nabuchodonoſor inter vaniſsimas mãgorum,& incantatorum,& aruſpicum turbas,etiam Danielem ſeruauit,cuius ſapientia filius paternis erroribus damnatis, veniret in agnitionem veritatis. Vtinam miſer iſte filius alto iudicio patris ſui facinora trutinaſſet,ſuperbias,prædationes,&lucra ex his aſportata; ſed nihil horum memoras ijſdẽ ſe vitijs dedit,& qui deberet eſſe iudex,ſimilium reus factus,ſupplicium tulit ineuitabile. Quod ſanè incurret quiſquis nullo facto iudicio, conſuetis parentum ſuorum ſubſcribit peccatis. Vndè Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum,& paſce hædos tuos.* Cant. 1. Quibus expendo connexionem illam, *abi poſt veſtigia gregum tuorũ,& paſce hædos*: ex eo enim, quo ignoranter,& cæce relinquatur ſequi maiorũ veſtigia, quaſi neceſſario conſequitur, vt inter hædos inueniatur. Non equidem parentum perſonæ inſpiciendæ ſunt, vt propter illas inconſultè amplas vias ſequaris. Sed illorũ opera in iudicium vocanda ſunt, & examen, & quod rectum dederit iudicium, id imitandum. Prudenter Nyſſenus hom. 2. in Nyſſen. Cant. hæc verba expendens fatũr. *Qui ergo nõ ex ipſis rebus diſcernit,id quod bonum eſt, & honeſtum,ab eo,quod eſt malum, ſed ſequens veſtigia eorum,qui præceſſerunt,præteritam vitæ conſuetudinem aſciſcit ſibi pro vitæ magiſtra: ſæpè fallitur tempore diſcretionis, & impudens hædus pro oue efficitur. Qui autem ad id, quod eſt proprium humanæ naturæ; hoc autem eſt ratio, deſpicit quidem rationis expertem conſuetudinem; nullum autem bonum eliget, quod non afferat lucrũ animæ.* Felix ille, qui iudicium ſemper permittit, vt parentum mores examinet, is mauult iudicem eſſe,quam reũ. Sic faciebat prudentiſsimus ille Ionathas,qui vbi patrem vidit hoſtiliter perſequentem Dauidem,non fit reus cum patre, ſed potius iudex factus in iudicium vocat paternum odium, & illud examinat. 1. Reg. 20. Reſpõdens autem Ionathas 1. Reg. 20. Sauli patri ſuo, ait. *Quare morietur Dauid? Quid fecit?* Ecce prudentiſsimum filium factum iudicem patris ſui, & ab eius odio iniuſto in Dauidem declinantem. Vbi enim præmittitur iudicium, neceſſario damnabuntur ſcelera patrum, & inuenietur via veritatis.

Dan. 5. Dan. 5. de Rege Babylonio dicitur. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat pater eius Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem: vt biberet in eis Rex, & optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ: Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ligneosque, & lapideos.* Quis talia crederet, quod aurea vasa à veræ diuinitatis tẽplo ablata, in obsequium lapidei, & lignei dei afferri potuissent? An quot erant vasa aurea Ierosolimis sacrata, non erãt tot potentissima testimonia, & præconia, quæ à lapidis, & ligni adoratione remouerent? Cur ergo ab auro non didicit contemnere lignum, paternosq; Deos ex lapide, & ligno confectos damnare? Iam textus rationem hanc indicauit dicens: *Præcepit iam temulentus*, ebrietate iudicium amiserat; si enim filius patris sui prædas in iudicium vocaret, videretque Ierosolimorum vasa aurea, non posset non lapideos, & ligneos patrum suorum deos condemnare. Rectè Diu. Hieronym. ibi. *Et hoc considerandum, quod sobrius ista non faciat, sed temulentus: oblitusque pœnæ, quæ Nabuchodonosor proauum illius consequuta est. Et quanta stultitia, in aureis vasis bibentes, deos ligneos laudabant, & lapideos.* Non ebrius sit filius, iudicij scintillula polleat, qua parentum impietates, & illarum lucra, & stultitias trutinet, & examinet; & moriar, si illas non damnet, & abominetur.

Hieron.

CAPVT QVARTVM

De puero lunatico.

POSTQVAM à Taboris gloria, communem Dominus resumsit aspectum, carnisque velamine rursus æthereã protexit effigiem, seque palam populis demonstrauit, quidã repente vir humilis genibus inclinatus, mærore deiectus, supplicans sic orabat. Vnicus mihi Domine superest filius, quem spiritus nimirum debellat immundus, eumque per Lunæ menstrua dilacerans, aut flammis exurere, aut aquis nititur frequenter extinguere. Hunc, oro, depulsâ mẽtis insania, mihi redde, vel sibi: præsta, quod tui minimè præstare potuerunt discipuli. Hæc adhuc fletibus ille, gemituque fundebat, & Dominus pio in pectore puerum sospitabat. Tunc prædo furibũdus migraturus in iram stimulatur accẽssam, correptaque membra discerpere Domino verante, non prævalens in infirmã pũero peruolauit illæso.

Marc. 9. Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnã circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum.

§. I.

Religiosus timor in virtutum facinora trahit, virtutesque custodit.

VIDEO homines stupore, & pauore correptos, & miror, quod sic affecti quẽat accurrere, & salutare Christum! Quoscumq; possidet timor, & excordes facit, & planè inutiles, vt erant illi, de quibus Sap. 17. dicitur: *Hi cum derisu pleni timore languebant.* Quorum perturbationem omnigenam pulchrè exprimit Nahũ cap. 2. fatus *Dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorũ, & defectio in cunctis renibus.* Quomodo ergo homines pauore, & timore correpti tam sui compotes manent, tamque roborati ad virtutem, vt accurrant, & Dominũ salutent? Equidem perturbationes illas, inutilesque langores efficiunt timores huius mundi, timores dicti nocturni; at religiosus timor robur indit, & mentem, hominesque trahit in virtutum facinora. Vbi nautæ illi Ionam in naui receperunt, cap. 1. *ecce tibi sæua, & furiosa tempestas vrget nauim, imminet quasi necessarium naufragium: Timuerunt, qui nauigabant: & clamauerunt vnusquisque ad Deum suum, & iactum fecerunt vasorum nauis in mari.* Nec tamen mare quiescit, sed adhuc feruet, adhuc fluctus instant, & nauicula penè summergitur. Tunc mittitur Ionas in mare, voratur à pisce, tranquillitas fit, mare serenum apparet, & quietum: *Timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias, & vouerunt vota.* Vtrobique fuit timor, & in tẽpestate, & in tranquillitate timent nautæ, sed in tempestate non immolant hostias, nulla sacrificia offerunt Deo, nulla emittũt vota: hæc omnia præstant cum maris tranquillitatem vident. Sed cur in tranquillitate ita metuũt, vt sacrificia, & vota peragant, & non antea? Antea erat metus seruilis, metus imperfectus,

Sap. 17.

Nahum. 2.

Ion. 1.

Idem.

qui

qui ſolum metuebat damna corporis; at in tã quillitate erat magnus ille metus, quo Deus à ſuis perfectè timetur, qui in virtutum præſtantiſsima facinora trahit homines. Id inſi-
Hieron. nuabat Diu. Hieronym. ibi aiens. *Non timent ſimpliciter, vt in principio legimus, ſed timuerunt timore magno Dominum.* Non eſt timor, niſi ſolus timor Dei perfectus, qui virtutum faciat opera. Perfidus ille Herodes voluptate cæcatus ſuâ non ferens Baptiſtæ lumina, Matth. 14. *Volens occidere eum, timuit populum.* Non
Matth. 14. ne timor iſte potuit nefarium hominem à ſacrilegio remouere? Non ne potuit ſanctiſsimi Ioannis vitam ſeruare incolumem? Minimè: ſed aliquando diſsimulauit venenum, quod tandem cõtemnens timorem, in publicũ prodijt, & abſciſo Ioannis capite, tanto virtutum
Chryſol. ſpeculo priuat orbem. Acutè Chryſol. ſerm. 127. *Facilè deuiat à iuſtitia, qui in cauſis non Deum, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatem differre poteſt, auferre non poteſt voluntatem: vndè etiam, quod ſuſpenderit à crimine auditores redit ad crimen, & æſtuat animo, quouſque perficiat, quod cogitat malum. Solus eſt Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat, perpetem tribuit facultatem.* Felix, qui Deum timere nouit: timorem is habet, quo maxima virtutum facinora perpetrabit; quo nullis tentationibus cedet, quo virtutes factas viriliter, & inoffenſe cuſtodiet. Pſalm. 8. ait. *Videbunt iuſti, & timebunt:*
Pſal. 8. Quaſi non audeat iuſtus gradum facere, nec oculos conuertere, ſine ſocio Dei timore, à quo habent, & iuſtitias facere, & factis dare cuſtodiam. Ita Nyſſenus dicto Pſalmo 8. ſa-
Nyſſen. tur. *Iuſtus, dum oculos ad tantam Dei benignitatem conuertit, metuit. Nam cuſtodiendis virtutibus non modicum præſidium eſt timor.* Iam fortiſsimus ille Ioſue agmen vltra Iordanem duxerat, iam ſtrenua opera aggreſſus, ſe parabat ad maiora, cap. 5. *Cum autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho leuauit oculos, & vidit virum ſtãtem contra ſe euaginatum tenẽtem gladium; perrexitque ad eum, & ait; noſter es, an aduerſariorum?* Miror in forti viro, Deumque maximè metuenti inter tot exercitus poſito, quod vnum ſolum hominem ex aduerſo ſtantem cũ gladio vereretur; quod non deſpiceret illum, quod ipſe per ſeipſum accederet ad illum explorãdum. Siccine veretur quemlibet vir fortiſsimus? Siccine cauet ab vno homine? Non timet ſanè Ioſue armatum hominem; ſed timebat Dominum, cuius bella ipſe adminiſtrabat, cuius exercitus ducebat, & iſto timore Dei ſollicitus, & vrbium expugnationem aggreditur, & vnius hominis acceſſum inexcuſum veretur. Hinc pulchrè Gualricus Abb.
Gualric. ſerm. in ſan. Benedictum omnes monebat. *Si quaſi violente irruunt noxiæ cogitationes, pone tibi virilem, & fidelem cuſtodiam, quæ omni cuſtodia ſeruet cor tuum; dico autem timorem Dei, qui nil negligit, qui nullum indiſcuſſum intrare permittit, ſepiùs interrogans etiam Angelum lucis: Noſter es, an aduerſariorũ?* Parum eſſet ad timorem Dei, ſi ſolum ad præſtantiſsimas virtutes obtinẽdas alliceret, niſi & obtentas inoffenſas cuſtodiret; & in tantum cuſtodit, in quantum nihil negligit, nihil indiſcuſum permittit. Sed, vt amplius mireris, non ſolum nouit Dei timor ſuos in virtutẽ trahere, & ibi eos cuſtodire, ſed inſuper illos inacceſſos reddit cunctis periculis. Vide tres pueros Hebræos in fornacem Babyloniam iactatos, Dan. 3. *Et*
Dan. 3. *non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quicquam moleſtiæ intulit.* Quo ſe munierunt carmine aduerſus vim ignis? Quo medicamine vorãtia flammarum ora valuerũt obtrudere? Iam meminit Diu. Hilar. ſerm. 2. de
Hilar. Nuptijs Cha. vbi dicit. *Quanta iuſtis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumſuſus allambit: nihilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore, & caſtis ieiunijs conſecrata, & precioſum depoſitum non violat occulta diſpenſatione, ſed vindicat.* Parum equidem, aut nihil licet periculis, in homines Dei timore munitos. Vndè enim emanat Dei timor, indè ſcutũ venit fortiſsimum ad repellenda ignea tela diaboli. Quo non miror ſponſæ verba Cant. 2. vbi ſic: *Læua*
Cant. 2. *eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Nil prius æſtimat, quam quod læua ſpõſi fulciatur: cur de læuæ fulcro ſic gaudet? A læuâ nil non metuendum procedit; illinc iudicij rigor, illinc verbum aſperum tonabit: cur ergo de læuâ ſic gloriatur? Equidem à manu, à qua tot timores proſiliunt, neceſsè eſt, vt etiam veniat fortiſsimum ſcutum ad depellẽda omnia mala. Equidem ſunt in læua timores; ſed & ſcutũ in læua eſt: vt dicat Aponius
Apon. lib. 3. in Cant. *Læua ſub capite, Fidei eſt ſcutũ, quod pugnantis ſiniſtra continetur manu, quo aduerſarius repellatur.* Itaque ſemper cum Dei timore ſcutum vehit, quo muniamur, defendamur.

Marc. 9. Et interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis? Et reſpõdẽs vnus de turba dixit. Magiſter attuli filiũ meũ ad te habentem ſpiritum mutum, &c.

§. II.

Magistrorum institutio, & disciplina parentum in filios operam superat.

PRAECLARE pater magistrum vocat, vt reformet filium, quod enim parentis nomen non potest in filijs, id perficit bona magistri institutio. Sub patre mutus est filius, prauisque correptus passionibus in præceps ruit; verum dum adest lima magistri, & testimonium facundiæ, & morum splendor, & dos sanguinis maximè acuitur. Sic ad magistros loquebantur parentes optimi apud D. Ennodium, orat. 4. *Fiat institutione vestri, quos nobis natura concessit. Tunc incipit tantum sibi studiorum lima vendicare, quantum origo vix præualet: penè enim non iniurium est vinci prosapienti collatione doctrinæ. Quia patris officium habet luxuriam comitem; præceptoris sollicitudinem; genitor fit delicijs, institutor laboribus; libertatem tribuit origo, dignum libertate facit monitor; ergo magis vestrum est, quod laudatur in homine.* Ecce tibi quantum magistri largiantur hominibus, & quantum homines debeamus magistris. Parentibus debemus, quod nascimur, id ingenuè confiteor, sed nisi accedat lima magistri, habebimus spiritum mutum, erimus elingues, impoliti, rudes trunci. Leœna, vt fœtum suum rudem carnem, molemque informem videt, linguæ tradit suæ, quæ lambendo, quod non potuit partus, fœtum perficit, figurat; vt leunculus plus debeat linguæ, quã partui; qui enim informis à partu extitit, linguæ beneficio habet, & viribus, & forma parentes referre suos. Leœnæ linguã requirebat Dominus in orbis magistro Petro, quando illi belluinis corporibus plenum linteum apponit, & ait Act. 10. *Occide, & mãduca*, hoc est, applica magisterium, & limam linguæ, vt quos natura belluas peperit, de linguæ beneficio homines fiant. Pulchrè Aug. Psalm. 73. *Quid est macla, & manduca? Occide, quod sunt, fac, quod es.* Nõ partui debemus, quod homines sumus, sed linguæ magistri; natura infecta nos belluas peperit esseros, & viperinos fœtus, accessit lingua magistri, abstulit belluinos mores, & inspirauit rationalem vitam. Hinc penitus calleo sensum verborũ, cap. 5. Apocal. Christi Domini gloriam prædicant Angeli, dum aiunt. *Ecce vicit leo de tribu Iudà radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Quid leo cum libro? Non antea in totâ Apocalipsi memorant leonem, nisi vbi aperiendus est liber. Dicitur antea alpha, & omega, principium & finis, dicitur filius hominis, & alia huiusmodi, vbi de apertione libri agendum est, dicitur leo. Non ne satius leo comparetur ad prædam, quam ad librum? Egregie per leonem significatur summa efficacia magisterij Christi; vt enim non partui, sed linguæ debent leunculi, quod parentum perfectam speciem induant. Sic homines, qui à natura infecta belluinis brutisque moribus deformes parturimur, Christi magisterio, & doctrinæ debemus, quod regalem hominem decorem induimus. Quò respiciebant senum voces ibi dicentes: *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes?* Pulchrè leonem refert magister noster Christus, qui doctrinæ suæ beneficio, informes & belluinos suos catulos transfigurat in homines regios, in Dei Sacerdotes. Hoc debemus cuncti non parentibus, sed magistris, quorum diligentia parẽtes à sollicitudine filiorum reddũtur immunes. Parum dixi; ipsi Angeli custodes nostri maxima liberantur cura, vbi nos vident bonis traditos magistris. D. Gregor. Taumatur. orat. in laudem Origenis, immensè gloriatur, quod talem præceptorem habuisset: & pergens, ait. *Curam huic tradens diuinus Angelus, hic fortasse conquieuit, quia tradidit nos homini, qui omnem, quæ adhiberi poterat, prouidentiam curamque esset expleturus.* Expende, quod Angelus tunc putatur quieuisse, cum alumnum suum tradidit tanto magistro. Quam quiescunt Christianorum Angeli, vbi penè omnẽ iuuentutem traditam vident societis Iesu magistris?

D. Ennod.

Act. 10.

Aug.

Apocal. 5.

Greg. Tau.

Matth. 17. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.

§. III.

Dæmon anxie curat nobis odiosa, et inuisa facere cœlestia.

EA erat Dæmonis astutia, vt in torquẽdo puero Lunæ vices spectaret, vt quod diabolici erat furoris, lunæ tribueretur, & inde cœlestia omnia sibi inimica homines reputarent. Nil magis curat dæmon, quam vt homines suspecta, & inuisa sibi habeant cœlestia, vt neque illuc oculos velint conuertere. Iobi 1. *Venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è*

Iob. 1.

cælo,

cælo, & tactas omes, puerosque cõsumpsit, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Sic dæmon præuenit, & cauet, ne afflictus oculos leuaret ad cœlum, cum facit à cœlo fulminari ignes, qui rem iusti viri consumunt, vt putet sibi, & Deum iratum, & cœlestia omnia exardescentia implacabiliter in suam vltionem. Ita Olympiodorus, Polychronius, & Chrysost. in Catena Græca. Nec miror, quòd tanto studio curet diabolus hominum oculos à cœlestiũ auertere aspectu: scit enim à cœlo omnia bona, & amica spectare homines. Quid in cœlo est, quod humanas spes non firmet? Quod nõ amicum habeat homo? Vt Paulo omnia amica, & secura ostenderet Dominus, eum de cœlo alloquitur. Ecce tibi Act. 9. *Subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi. Saule, Saule, quid me persequeris?* Cur de cœlo? Vt cœlestis locus hominum amicus securum redderet hominem, & vel ipse facit Paulum certo sperare omnia bona promissa. Do Diu. Maximum hom. 1. in Natal. Pet. & Paul. sic de Iesu ore loquentem. *Cur me persequeris Saule? Quos mea odium erga tuum excitauit iniquitas? An quia de tumulis mortuos suscitaui? An forte magis, quia fidelibus meis regnum cæleste promisi? Sed si præstare me posse dubitas, quæ promitto, aspice, si tamen potes, vnde te vel qualis appello.* Expendo illud, *vnde te appello*, quasi vel cœli aspectus sufficiat ad confirmandas spes humanas: quasi à cœli aspectu non habeat homo, quod timere posset; sed omnia speret bona, & amica. Post ingentem calamitatem tyranni Babylonici, qua bruteſcens à regno eiectus, inter camporum feras ambulauit, dicit Dan. 4. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & altissimo benedixi, &c.* Dũ oculos in terram bellnarum more ferebat, similiter, vt bellua pascebatur; at vbi oculos ad cœlum leuat, ecce tibi ad hominem redit, & in pristinum, & feliciorem multo restituitur statum. Quod notat Diu. Hieronym. ibi aiẽs: *Nisi oculos leuasset ad cœlum, sensum pristinum non recepisset.* Indè omniũ bonorum sumpsit initium, quod oculos ad cœlum leuauit; cœli enim non possunt non stillare in homines bona. Pulchrè Isaias aiebat, cap. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; apperiatur terra, & germinet Saluatorem.* A nubibus determinate petit, vt pluant iustum; à terra, vt germinet Saluatorem; à cœlis solum petit, vt rorent ipsi, non determinat quid rorent, quãdo à cœlis nouit nulla mala, sed omnia bona in homines parturiri. Qui ad mulctandos homines confusione linguarum, & ad damnandos Sodomitas descendit de cœlis Dominus, quasi cœli hominum impedirent excidia, vbi ad fauores veniendum erat Psalm. 52. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum.* Et quidẽ sufficeret de cœlo super homines prospexisse, vt indè iam cunctæ felicitates sperentur in homines. Diu. Hilar. ibi. *Prospectio Domini de cælo frequens fuisse cognoscitur, quoties peccatis humani generis commotus, salutis nostræ causa, aut Noe ante diluuium eligit, aut Abraham iustificat per fidem, aut Isaac sponsionis suæ promittit hæredem, aut Mosem Prophetam, & ducem præficit, aut dum Prophetas in omni tempore legis inspirat.* Quid salutare hominibus non distillarent cœli?

olympiod. Polychr. Chrysost.

Act. 9.

D. Maxi.

Dan. 4.

Hieron.

Isa. 45.

Hilar.

Psal. 52.

Marc. 9. Et dixi discipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.

§. IIII.

Impius totus est in dissimulandis peccatis suis.

DISCIPVLORVM impotentiam succenset homo iste, nil memorans de infidelitate sua, nam vt ait Chrysost. in Cat. etsi infidelitas eius occasio extiterit dæmonem non pellendi; incusat tamen discipulos. Hæc enim impiorum mens est, vt dissimulare, & pertransire studeant peccata sua. Matth. 25. vbi accusati reprobi de immisericordia sua audiunt illud: *Esurini, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me.* Tunc illi, quasi ad peccata cæcutientes sua non singula ponderant, sed cursim pertranseuntes, aiunt. *Quãdo te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?* Id quod grauiter ponderans Orig. hom. 24. in Matth. ait. *Iniusti non ita per singula, sed cursim dicunt, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, & non ministrauimus tibi? Verbum ministrauimus, ad omnia referẽtes, & quasi præcidentes, & prætereuntes crimina sua: quia proprium malorum hominum est, culpas excusationis causa, aut nullas velle ostendere, aut leues, & paucas.* Hæc est tota impiorum hominum natura cæcutire ad proprias culpas, nec eas curare, sed quasi nihil ponderis habeant, aut nihil sint, eas omninò præterire. Nec dubitat impius parui ducere proprias, dum æstimat alienas: sic improbissimi Pharisæi, qui Iesu sanguinem emerant profundendum: audiunt venditorem ipsum pœnitentia ductum clamau-

Matth. 25.

Origen.

mantem: *Peccaui tradens sanguinem iusti.* Quis emptor nõ similiter clamaret: peccaui? Vtrũque testabatur vox illa nefarium & emptorem, & venditorem. Sed audiunt Pharisæi, & prætereuntes emptionem suam, sic miserum
Matth. 26. venditorem exagitant Matth. 26. *Quid ad nos? Tu videris.* Nihil in se miseri cognoscunt mali, obnubilatam credunt emptionem suã, & securam, in emptorem transmittentes reatum. D. Hilar. ibi.
Hilar. *Professio audax, atque caca est. Emisse se iusti sanguinem audiunt, & extra iudicij reatum futuros esse se credunt, cum dicendo, tu videris, facinus suum in vendente constituatur.* In alium totius culpæ causam, tanti criminis reatum iacientes, ipsi securi excæcãtur ad culpam propriam, nec eam meminisse volunt. Quod quam sit impiorum proprium,
Exo. 9. ostendit illud Exodi. 9. vbi post innumera peccata perpetrata, postquam septies plagis acceptis se se indurauerat Pharao aduersus Dominum, tandem grandine afflictus, ait ad Moysem. Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam, & nequaquam hic vltra maneatis. *Peccaui etiam nunc, Dominus iustus, ego, & populus meus impij.* Proh egregiam nefarissimi hominis confessionem! *Peccaui etiam nunc:* vnius peccati se reum fatetur, qui innumera peccata fecerat; nunc se solum peccasse meminit, qui errauit à vulua, qui in peccatis natus, altus, & educatus est. Sic impius etiam coactus cõfiteri, aut peccata dissimulat, aut paucissima, leuissimaque ostentit. Pro illo verbo, *peccaui nunc,* legitur ex Hebræo; *peccaui hac vice:* ex quo Lyp-
Lyppom. pom. in Cat. ait. *Inter confitendum peccatum per fidiã suam prodit, dicens. Hac vice peccaui, quasi prius non aque peccauerit.* Nequiuit à se impius homo discisere, dum sua peccata etiam confitendo non æstimat, sed dissimulat, & proterit. Quo id lucrantur solum miseri, vt tandem æterna confusione omnia reuelentur.
Oseas. 13. Oseas 13. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei.* Ecce tibi reprobus Ephraim iniquitatem suam ligat, dum peccata sua abscondit, & dissimulat, & quid ex hac peccatorum absconsione lucratur? Pulchrè addit: *Dolores parturientis venient ei.* Fœmina nefarium concubitum potest aliquandiù cælare, & abscondere, sed tandem veniet tempus pariendi, & dum viuit fœtus, ignominiam suæ publicat matris.
Ruper. Ruper. ibi. *Mulier conceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tamen parturiendo, doloribus attestãtibus, occulta prodit: sic quisquis impius est, peccatum suum vt cumque dissimulare ad tempus, & abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis eius occulta cum dolore manifestabuntur.* Felix, qui non dissimulat, sed prodit peccãta; hic non prodit peccãta, sed perdit; quia peccata publicata à pœnitente, à Deo in æternum iam nouerunt abscondi. Se peccatorem confitebatur filius prodigus, cui cœlestis Pater occurrens, Luc. 15.
Luc. 15. *Cecidit super collum eius, & osculatus est eum.*
Chrysol. Cur cecidit Pater super collum? Chrysolog. serm. 3. *Ne nudaret Pater filij crimina, Pater filium ne fœdaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, næuum filio, ne relinquat.* Non solum verè confitentis peccata cœlestis Pater absumit, sed nec illorum næuus, aut cicatrix permittit manere; sic reddit confitentem filium, quasi peccata commiserit nulla. Ioan.
Ioan. 1. 1. epist. 3. aiebat: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.* Et quis est, qui non peccet, etsi natus, & renatus ex Deo? Sanè quos cœlestis Pater filios per pœnitentiam regenerat, ait Diu. Bernard. serm. 23. in Cant. *Hos ergo aduerti, quasi nunquam peccasse, quoniam & si qua*
Bernard. *deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate: quia charitas Patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum.* Sic pœnitus disparent peccata, quæ pœnitens fructuosè publicauerit.

Marc. 9. Qui respondens eis dicit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? Quandiu patior? Afferte illum ad me: & attulerunt eum.

§. V.

Patientia, & longanimitas euidens diuinæ omnipotentiæ signum.

RECTE præposuit Dominus patientiæ, & longanimitatis signum signo expulsi dæmonis; nullo enim magis claret diuina omnipotentia, quam longanimitate, qua incredulos sustinet, & peccantes. Itaque petiturus puerum sanandum, præfert longanimitatem, dicens: *Quandiù vos patiar?* Vt hinc eius effulgeat potentia maxima. Exodi
Exod. 9. 9. ait Dominus ad Pharaonem: *Idcirco aute posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Quæ magna fortitudo, siue potestas Dei ostenditur in Pharaone? An adeò ostenditur Deus potens in perdendo vno homine? An est potestatis magnæ ostensio, quod decem plagis verberet hominem rebellem? Absit: non tam ostenditur fortitudo, & potentia Dei in perdendis, quam in expectandis peccatoribus ad pœnitentiam.

tentiam. Quod bis, & ter, & ſepties fallentem Deus adhuc longanimis expectet, & non ſtatim perdat, ea eſt incredibilis pene Dei fortitudo, & ſumme excellens potẽtia. Ita OEcum. in cat. Lyppomani fatur. *Quia in hoc ipſum excitauit te, id eſt, in hoc te regnare permiſit, vt demonſtraretur, quam ſim longanimis. Potentia enim Dei longanimitatem interpretatur.* Quis non omnipotens ſuſtinere poſſet homuntionis repetitas fraudes, & mendacia? Quis ſe cohiberet à ſeruiter nequam flagellatione, niſi qui potens eſt? Equidem ſola potentia longanimitatem facit. Obijciebat Deo Iob. c. 13. *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendere vis potentiam tuam?* Quæ verba pulchrè elucidãt Lxx. legentes. *Numquid quaſi folium, quod mouetur à vento, vereberis?* Longiſsimè diſtãt vereri aliquem, & in illum oſtendere potentiã; qui enim aliquem veretur, non oſtendit potẽtiam, ſed infirmitatem, ſed metum. Præclarè ergo Iob, dum ſe timet peccatis adoleſcentiæ ſuæ abſumi, obijcit Deo, quod inde malum nomen oriri poteſt. Potentia enim, quæ nimis cita eſt in peccatis puniendis, quæ expectare longanimiter non nouit, ægre, & difficulter repellet ſuſpicionẽ infirmitatis, & metus. Non oſtenditur potentia, ſed metus, vbi neſcitur hoſtis ſuſtineri. Ille omnipotens, qui longanimis ſperat peccatores ad pœnitentiam. Nahum cap. 1. *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus, & habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Expende, quam virtutem ſequatur magna fortitudo Dei, prius dicebatur æmulator, & vlciſcens, & habens furorem, & iraſcens, nec inter hæc mentio fit de fortitudine, de poteſtate Dei: dicitur Deus patiens, & continuo ſubditur, magnus fortitudine in longanimi Dei patiẽtia magna eius fortitudo poſita eſt. Vt merito dicat Dauid Pſal. 7. *Dominus iuſtus Iudex, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?* Ideò fortis apparet, quia iram continere nouit, ne paſsim iraſcatur. Pſal. 14. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Expende, quò tendat tota illa commonitio, nimirum, *viriliter age, & confortetur cor tuũ.* Cur iuberis confortari? Ad quid tanta confortatio, tot vires requiruntur? Expugnanda, neſunt ænea mœnia? Superandi hoſtiles incurſus? Ad nihil horum iuberis confortari, & viriliter agere, ſed vt ſuſtineas; magna enim fortitudo, magna potentia requiritur, vt quis ſuſtinere pauliſper poſsit. Sic Diu. Athanaſ. citatus in Cat. Græc. ad capit. 2. Iob. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Nam, qui ſuſtinet, fortis eſt, & qui fortis eſt, idoneus ad ſuſtinendum.* Numquam enim poterit inueniri longanimitas, & ſuſtinentia, niſi cum adſit ingens animi fortitudo.

OEcum. Iob. 13. Nahum. 1. Pſal. 7. Athanaſ.

Marc. 9. Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illũ, & eliſus in terram volutabatur ſpumans.

§. VI.

Fiducia in Deum nullis contrariis euentibus nutet.

INSINVARAT Dñs ſe puero ſalutem daturũ, quando illum adduci iuſsit; & vix puer accedens vidit Ieſum, & ecce tibi à dæmone in terram eliditur, miriſq; crũciatibus torquetur. O bone Deus, hoc eſt curare puerum? Quis credat à Ieſu curare poſſe, cum videat in Ieſu aſpectu durius torqueri, quam ante aſpectũ Ieſu? Ante quietus erat; vbi Ieſum vidit, ibi ſpumæ, ibi ingentes cruciatus, ibi ad terram eliſio, & adhuc ſalus ſperanda eſt à Ieſu? Equidẽ ea fiducia noſtra debet eſſe in Deũ, quæ in contrarijs etiã euentibus firma ſit, & ſecura. Ioan. 11. dixerat Ieſus de Lazaro infirmante, *infirmitas hæc non eſt ad mortẽ*, quod à Ieſu dictum accipiunt ſorores Lazari, & tamen fratrem vident mori, imo & ſepeliri: & quarto die venit Ieſus, vt fauorem præſtet amico. Quid tunc fœminæ? Exclamant ne in Ieſum? Obijciunt promiſſum datum? Abſit; quin potius ait Ioan. *Martha ergo, vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum, Domine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed nunc ſcio, quia quæcumque poſpſceris à Deo dabit tibi Deus.* Adhuc credit, adhuc fidit in Ieſu, etiamſi vidit mortuum illum, de quo dixerat Ieſus, quod eius infirmitas non eſſet ad mortem. Quod rectè ponderat Diu. Baſil. Sel. orat. 4. aiens. *Sorores illas admirari eſt, quod vbi audiſſent ægrotationem illam non eſſe lethalem, ipſumque vidiſſent emortuum, contrario rei euẽtu non ſunt offenſæ, & ſine mẽdacij ſuſpicione ad Dominum adierunt.* Contrarius penitus ſucceſſus nõ potuit flectere ſanctarum fœminarum animum, quominus in verbis Ieſu fiderent. Quam fiduciam in Deo præſtare debet quiſquis magna ex eius manibus ſperat; adeò vt nullis contrarijs euentibus frangatur, nullis remoueatur ſucceſsibus, quominus firmã in Deo ſpem nitatur habere. Ioſeph ille Patriarcha, quas non concepit ſpes regij culminis per ſomnia diuinitus immiſſa commonitus? Gen. 37. Ecce illius primum ſomniũ. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi*

Ioan. 11. Idem. Baſil. Sel. Geneſ. 37.

consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circunstantes adorare manipulũ meũ. Similiter, & secundo dicit: *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas adorare me.* Hæc dedit Dñs Iosepho somnia, ex quibus ingentem gloriam præ cæteris fratribus sibi credidit imminere. Quid post hæc venit? Venit venditio, venit seruitus, venit carcer, ferrum pertransit animã eius, & humiliauerunt compedibus pedes eius. Hæc accipiebat Ioseph pro somniorũ spe: interea, dũ simul vincti de somnio, quod viderant, vehemẽter cõtristati essent, accedit ipse Ioseph, tristitiæ causas quęrit, audit tristitiam à somnio viso profectam. Quid tũc ille? Audito ne somniorum nomine risit, & irrisit somniorũ vanitatem, & mendacia? An exhibentibus lacrymis calamitatẽ suam fleuit à somnijs profectam? *Genes. 40.* Tantum ait. *Numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quod viderutis.* Quæ verba *Theodor.* eleganter expendit Theodor. ser. 8. de Prou. fatus. *Non in miserabilem luctũ diuinus ille vir erupit, vbi somniorum mentio facta est: nec propriæ calamitatis memor plorauit. Sed etiam, neq; in immensum risit, postquã de somnijs illis dixerũt, quorum mendacium antea manifestè perspexerat. Quin sic ait illis: Non ne per Deum horum annuntiatio est? Et vbique Dei nomen circumfert.* Tot contrarij euentus, tot afflictionum aggeres: tot catenarum pondera non potuerunt minuere sanctissimi viri fiduciam in Dei promissionibus per somnia acceptis constitutam. Sic firmus, sic fidus erga Deum est, cum se seruum videt, cum se catenis affligi sensit, qui sperabat culmen regium, ac si tunc iam ad regni ianuam positum se videret.

Marc. 9. Et interrogauit Patrem eius. Quantum tẽporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquam misit, vt eum perderet.

§. VII.

Quod ab infantia nobiscum creuit, siue malum, siue bonum, potius parentibus tribuitur, quam nobis.

MINVS nostrũ est, quòd cum lacte pãrentis sugimus, siue bonum, siue malum; hinc, qui omnia sciebat Iesus, tẽpus morbi perquirit, vt cum constet ab infantia puerũ sub diaboli flagello fuisse, in eo parentum eius succenseatur culpa. Pulchrè Chrysol. ser. 51. inquit. *Interrogatione tepus aperit, reuoluit infantiã, vt tanti mali causa nõ tãgat sobolẽ, sed paretẽ.* Parentes in culpa sunt, quod tenelli filij prius diabolũ, quã Christũ induãt, prius vitia sugãt, quã ebibãt pietatẽ. Parentes inde acriter in ipsis filijs castigatur. *4. Reg. 2. Cũ Eliseus trãsiret iuxta Bethel, pueri parui egressi sũt de ciuitate, & illudebãt ei (scilicet Elisæo) dicentes: ascẽde calue, ascẽde calue. Qui cũ respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Dñi: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerũt ex eis quadraginta duos pedes.* Indignũ videretur homini cordato, quod tãti fecissent cõtumelias à paruis pueris acceptas: quod sic de puerorũ crepitacillis offenderetur. Sed prudẽs Elisæus iniurias illas puerorũ nõ à pueris cõsiderat profectas, sed à parẽtibus eorũ, & sic nõ in pueros, sed in eorũ parẽtes scãduit, quãdo pueros morti tradidit. Ita D. Iust. Mart. q. 80. ad orthodoxos ait, propterea irascitur Elisæus, quod, *voces illas, quas dicebãt pueri, prophetã cõtumelia afficientes, à parẽtibus suis, qui semper infensi fuerant prophetis, didicissent.* Merito in infantiũ iniuriosis linguis peccatũ paretũ æstimatur; nisi pater dissimulet, nisi foueret, nulla est malitia in infantili ætate, in qua per os pueri, & iurat pater, & maledicit pater, & spurca, & contumeliosa verba iacit. Nil sibi scit attribuere infantilis ætas, sed omnia parentibus tribuit siue bona, siue mala. Celebres illi pueri, qui ne statuã adorarẽt, cõstanter ingrediũtur fornacẽ, sic in fornace accẽsa precatur, Dan. 3. *Benedictus es Dñe Deus Patrũ nostrorũ.* Nõ sibi veri Dei religionẽ, sed parẽtibus suis acceptã referũt; adeò se obliuiscũtur, vt vel ipsum Deũ, Patrũ suorũ Deũ vocẽt, quasi nihil suũ habeant, quod non acceperint à patribus. Vbi Theodoret. de puero Azaria sic orante fatur. *Mẽtis præsefert modestiã, cũ etiã patrũ prædicat virtutẽ; laudamus enim te Dñe nos, quibus patres illi fuerũt, quorum Deus vocari voluisti:* Quippè modestissimus puer maluit parentũ religionẽ cõmemorare, quorũ educationi tribuebat, quidquid ipsi in præsenti fornace præstabãt. Huc accedit fortis illa Machabæorum mater, quæ 2. Machabæorũ 7. videns iuniorẽ filiũ, & blãditijs, & metu tormentorũ à tyranno tentari, sic ait. *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouẽ mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatẽ istã perduxi.* Cur nõ potius dixit puero, tui miserere, sed mei, inquit, miserere? An nõ potius pueri causa agebatur, quã matris? An non puer vel perdendus erat, vel munerandus, & non mater? Cur ergo mater ait miserere mei? In virtutum duelo præcipua erat matris causa, & eius matris, quæ

Chrysol.

4. Reg. 2.

D. Iustin.

Theodor.

pue-

puerum aluerat, educarat, & per totam infantilem instruxerat ætatem. Ideò & pueri error matri tribueretur, vt attributa est eorum victoria, & palma. Vnde eleganter Eusebius Gallicanus hom. 4. de Epiphan. horum puerorum victoriæ causas expendens, fatur. *Quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula, inter annos infantiæ religionis affectum de institutione, & conuersatione piæ matris acceperant. Et de tam sanctæ matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant? Exempli enim fœmina in pignoribus suis animas magis cupiens nutrire, quam corpore: fidem primam teneris sensibus vice lactis infuderat, vt rudes eorum mentes, & mali nescia in ipso vitæ limine vitam ebiberent: eosque primitus agnitio diuini timoris impleret, vt in noua viscera sacris studijs occupata, locum vana sæculi non haberent.* Hæc ille: quibus eleganter demonstrat, quantum valent parentes efficere in teneris filiorum sensibus, & quam propriè patribus tribuantur puerorum certamina. Eusebio præfero Nazianzenum sic de Machabæorum parente fantem. *Adduxit autem filios septem, institutionis suæ indicia, hostiam viuentem, sanctam, beneplacitã Deo, omni legali sacrificio splendidiorem, & puriorem: siquidem legitimum est, & iustissimum, vt filiorum præclara gesta patri referantur accepta.* Vsque Nazianzenus.

Gallic.

Nazianz.

Marc.9. Sed si quid potes, adiua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi. Si potes credere omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiua incredulitatem meam.

§. VIII.

Cælestis muneris educendi potestas penes nos est. Vbi de oratione.

SIQVID potes adiua nos, dicebat ille cupiens, vt potestatem suam Dominus exereret; at Dominus, quasi in se nulla esset talis potestas, ostendit, vbi inueniri possit, dicens: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non à me solo, sed à fidei tuæ meritis cœlestis muneris educendi potestatem quære. An possit tuo subueniri filio, inquiris? Non in me solo inuenies hanc potestatem, quam à me in tuæ fidei opera dilapsam inuenies. Similiter apud Matth. 20. filijs Zebedæi dicebat. *Sedere autem à dextris, siue à sinistris, non est meum dare vobis.* Paulo ante clamabat: sedebitis super sedes duodecim; & nunc dicit: Non est meum dare vobis. Cur Domine ais, non est meum? An in manu tua non sunt vniuersa posita? Non ne in tua potestate sunt cœli, terræque thesauri? Iam do pulchra Diu. Basil. Seleu. verba, qui orat. 24. ait. *Non est meum dare? Cur? Quia remuneratio accipientis meritum consequitur, non solum facultatem donantis. Thronus laborum præmium est; non ambitionis donum gratuitum, ex rectè gestis thronus comparatur: nudam postulationem datio non sequitur.* Expende illud, *nudam postulationem datio non sequitur; & remuneratio accipientis meritum consequitur:* quippè Dei munus sequitur postulationem operum meritis confirmatam. Vbi postulantis merita sunt, ibi potestas est diuini muneris educendi. Postulabat Eliæus ab Elia spiritum duplicem. 4. Reg. 1. & qui solum habebat simplicem, quomodo poterat duplicem præstare? Et tamen ait. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, sicut vis.* Quod ipse non habet, promittit Elias; in Eliæ potestate simplex spiritus est, non duplex: in quo est potestas ad spiritum duplicem excitandum? Iam ipse monebat Vates, dum ait. *Si videris me, quando tollar à te*, si postulationi addas vigilias, addas solicitudinem, qua discedentem comiteris, certo habebis, quod petis, quãdo donum in postulatis meritis habet, quod possit præstari. Alibi datus Ambr. ser. 87. hic denuo expendendus, dum fatur. *De Elisæi meritis, quid dicamus? Dum à Patre plus exigit, quam habebat, facit eum meritis suis, plus præstare, quam poterat.* Ecce quantum possit oratio operum meritis confirmata, ipsa in se habet potestatem efficiendi donum, quod petit; & quod non erat in potestate datoris, id fecit esse meritum iusti postulantis. Merito monebat Angelus Tobiam c. 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosina*: quasi tot potestates adhibeas ad diuina dona obtinenda, quot meritorum opera auxiliatricia addas. Quo circa D. Cypr. de orat. Domi. *Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad Deũ veniant: inefficax omnino petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtiq; & sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus.* Facilè negotio facies ad te diuina dona venire, si orationi operationis merita adhibeas. Quod impijssimi homines licet inuiti confessi sunt apud Iob capit. 21. aientes. *Quid prodest nobis, si orauerimus illum?* Vbi Septuag. reddunt: *Quæ vtilitas, quoniam obuiam ibimus ei?* Quibus non solum verbis

Matth.20.

Basil.Seleu.

4.Reg.1.

Ambros.

Tob.12.

Cypr.

Iob 21.

facta oratio,sed & factis confirmata exprimitur;non enim otiosi stantes orabant, sed & opus,& diligentiam addebant, qua obuiã ibãt; & verè dicunt, quod sic orantes obuiam eũt Deo;qui enim operatione fœcundus erat,obuiam it Deo venienti iam, & accurrenti, vt omnia postulata adimpleat. Quò respexit D. Isid.Pelus. Isid.Pelus.lib.4. epist. 12. inquiens. *Præcedant ea,quæ tuarum sunt partium, quæ à te exiguntur, & tunc demum ea,quæ sunt auxilij diuini,subsequentur. Nam si non solum verbis imploratum fuerit,sed etiam factis aduocatum,quasi sua sponte accurret.* Adeò in nostra potestate est facere ad nos venire donum diuinum.

§. IX.

Fides Iesu de lacrymarum,laborumque societate omnia potest.

LONGE aliter efficaciam fidei nouit homo hic,ac nuperi hæretici nouerunt.Iesus ait, quia omnia possibilia sunt credenti, hinc Nouatores virtutum opera,lacrymasque contemnunt; hinc bonus ille infirmi Pater, in clamores, lacrymasque effusus,suam fidem exerit.*Et clamans pater pueri cum lacrymis aiebat:credo Domine.* Non ne dictum est; omnia possibilia sunt credenti? An lacrymanti? Percepit sanus homo fidei potestatem mirabilem esse,sed de coniunctis lacrymis, & operibus. Præclare id notat Diu. Hieronym. in præsenti dicens. *Quæ autem sunt omnia, quæ possibilia sunt credenti: nisi quæ in nomine Iesu, id est,salutis,postulantur cum lacrymis?* Ea poterit credens obtinere,quæ sciuerit laboribus, & lacrymis ob Iesu nomen negotiari: non qui de fide habita securus stertit lecto, ructat crapulam, & vitiorum sepultus somno leuiter,& obuiter precatur: sed qui Iesu nomen præseferet,eiusque puluerem,& labores æmulatur, is immortalitatis obtinebit palmas. Moyses pugnam remittens Iesu Naue contra Amalechitas ascendit montem orare.Exodi 15. *Cumque eleuaret Moyses manus vincebat Israel:sim autem paululum remisisset,superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues.* Cur tam laboriosę eleuationi victoria dabatur? Non ne firmiter Deo vltori credebat Moysis? Non ne Moysis Deum precabatur, cur adhuc requiritur, vt tanto labore extensas habeat manus? Nec aliter illi victoria datur? Equidem vbi Iesus præibat in certamine,non otiosis,non oscitantibus,sed his, qui se cum vitijs crucifixerunt, datur victoria,& palma. Quod innuebat Iustinus Mart. dial.aduersus Iudæos,satis. *Neque enim, quod ita Moyses precabatur,superior erat populus; sed initio pugnæ cum nomen Iesu esset,ipse signum crucis edebat.* Non sufficit nuda fidei oratio ad palmam,quando Iesus præit in puluere, quãdo in se dedicauit certamina,necessum est, vt in nobis signum crucis in labore, & sudore edamus, qui cœlestis triumphi palmam speramus. Nullus ostendi potest, qui de peccatis aliter triumphauit.Exerant nouelli Theologi aliquem, qui certo sciatur peccata sepeliuisse,& non in lacrymis suis,& non in labore suo.Nullus talis poterit designari. Acuta sanè est obseruatio illa, quod Moysis triumphus non erat de peccatis, non erat de inimicis animæ. Cur non erat de inimicis animæ? Vt triumphus reportaretur Exodi 17. *Sumentes lapidem,posuerunt subter eum, in quo sedit.* Non est triumphus de peccatis, quando triumphatori sedere vacat; & sedet, ne laboret amplius. Non enim, qui sedet, non qui sectatur quietem, pro peccatis facit satis: sed qui laborat,qui gemit, qui se excruciat, qui fundit lacrymas.Diu.Iustinus vbi supra, ait. *Quis enim vestrum ignorat, maxime quidem, ac primum eas preces,quæ cum dolore, & lacrymis coniunctæ sunt,Deum demulcere, ac placare solitas, & quæ demisso in terram vultu, flexisque genibus funduntur? Hoc autem non in lapide sedens, neq; alius postea precabatur.* Expende ab illis;*hoc autem*: id est,hoc, quod est Deum placare, hoc quod est,deo facere satis, nullus vnquam obtinuit sedens,nullus vnquam obtinuit quiescens,sed laborans,sed gemens,sed se excrucians. Vel si quis,quiescens, & nihil faciens pro peccatis fecit satis,prodatur in medium. Dubitari licet nemini, quod labores, quod cruces,quod lacrymæ peccatum expugnent,Deum placent, & placeant. Ita Iesus nos ster,& placuit, & placauit; ita post hunc Apostoli vniuersi, & sanctissimi viri de quorum gloria nemo Christianus dubitat. Sed nullus potest ostendi, qui sic pateat per otium, & quietem peruenisse ad æternam palmam. Quæ igitur dementia est,notam, & tritam viam relinquere, vt incertas semitas sequaris?

Hieron.

Exo. 15.

Iustin.

Exod. 17.

Iustin.

§. X.

Iustitiæ humanæ sine Iesu vt peccata sunt. Et vt Iesus in omnibus est aspiciendus.

POSSET dicere, adiuua debilem fidem meam,aliqualem enim fidem habebat, & si infirmam, qui fassus est se credere, sed maluit

luit dicere, adiuua infidelitatem meam, quasi omnes humanas iustitias sine Iesu pro peccatis haberet. Et quis credat virtutum munditiem esse posse, vbi Christi gratia non aspirat? Tot sunt vitiorum palleę, quæ non affate Christo omnia humana operá conspurcent. Pro quo Paulus ad Rom. 14. ait: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Omne, quod Christi aura non purgat ægre, & difficulter sine vitiorum immunditia reperitur, immundum est, peccatum est. Quod ita ponderat ex August. doctrina Diu. Prosper. aduersus collatorem, cap. 28. *Manifestè patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda, atque polluta habentium sapientiam non spiritualem, sed carnalem, non cœlestem, sed terrenam; non Christianè, sed diabolicam; non à Patre luminum, sed à Principe tenebrarum, cum per eam, quæ non haberent, nisi dante Deo subdantur et, qui primus recessit à Deo.* Eece tibi quot spurcitiæ, quot palleæ terrenorum affectuum fœdent sapientias humanas, vbi Christus non adest? Merito Concil. Arausicanum dixerit Canone 22. *Nemò habet de suo nisi mendacium, & peccatũ, si quis autem habet homo veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Miser, qui Christum non habet aspirantem, qui Christum nõ respicit viarum directorem suarum, de suo sõlum parturiet peccatum, solum parturiet tu. ẽdacium, quo in præcipitia feratur. Aiebat Dominus Matth. 8. *Fiat tibi secundum fidem tuam.* Quam vocem adeò expauit D. Hieron. vt dicat lib. aduersus Luciferanos. *Hanc ego vocem audire nolo. Si enim secundum fidem meã fiat mihi, peribo.* Quidquid metum est, nescit me aliò deducere, quam in præcipitiũ. Quod amplius expendens Hieronym. sic pergit: *Cõueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quam rarum sit, fidelem animam inueniri, vt nil in gloriæ cupiditatem, nil ob rumusculos hominum faciat.* Sunt, sunt innumeræ vitiorum palleæ circa quæque opera volitantes humana: mirum erit si homo non potius in cænum, quam in limpidissimos fontes eat, non potius in præcipitia, quam in vias planas Christo conducente, & deducente feratur. Ideò aiebat Paul. 1. ad Corinth. 1. *Paulus seruus Christi Iesu per voluntatem Dei.* In bona causa excludit suam voluntatem, à qua nihil procederet, nisi peccatum. Augustin. serm. 94. de diuersis, ait. *Numquid per voluntatem? O Saule per voluntatem tuam scimus, vidimus fructus tuos. Occisus est Stephanus per voluntatem tuam. Per voluntatem Dei videmus fructus tuos. Vbique legeris, vbique recitaris, vbique ad Christum aduersantia corda conuertis.* Quis nõ se suspectum habeat? Quis affectus suos non reputet immunditiam, & peccata? Qui non acceptum referat Deo, quod bene viuat? Sanè non solum peccatum habeo, quidquid nõ habeo à Christo, sed etiam maximum Christiani hominis piaculum puto, si quando Christum in opere suo non respiciat. Pro quo stat Nyssenus lib. de perfecti Christiani forma, sic ex 14. ad Rom. supra dato fatus. *Vt quidquid non est ex fide, Paulus peccatum dicit, ita nos eodem modo cogitantes plane possumus affirmare, quæcumque nõ respiciũt Christũ, seu verba, seu opera sint, seu cogitationes, illa omnia ad id spectare, quo Christo contrarium est. Qui enim extra lucem, & vitã est, is in tenebris prorsus, & morte non esse non potest.* Christum respiciat, qui velit in luce ambulare, qui velit fugere præcipitia, qui per huius vitæ pelagus, securum cupit tenere vitæ curriculum.

ad Rom. 14

Prosper.

Nyssen.

Cõc. Ara.

Matth. 8.

Hieron.

Ad Cor. 1.

August.

Marc. 9. Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius, ne introeas in eum.

§. XI.

Vnus Dominus per seipsum facit diabolum irreuocabiliter abire.

CVIVS imperio fractus, cuius virtutibus victus abscesit diabolus irreuocabiliter? Quoties à sãctis viris detuncitur, videtur abire, videtur quam longissimè eijci; at dum abesse creditur, tunc molestior instat, quasi vulnera senserit, nec imperia audierit. Solo â Iesu irreuocabiliter compellitur ire: quod docẽs Saluator, ait. *Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi,* &c. Qui ad omne surdescis, vide, quis modo loquatur, ego sum, qui præcipio, ego, cui non poteris resistere, cuius imperio ir reuocabiliter parẽdum. De hoc surdo spiritu aiebat Psalm. 57. *Quæ non exaudiet vocem incantantiũ, & veneficiincãtãtis sapiẽter.* Ea est fera hæc pessima, quæ nec à sanctissimorum victorijs fracta aufugiat; mille triũphos canes, & ipsa obsurdescit. Dum Iesus non iuuet, sapientissimos ridet incantatores. Ita D. Hilar. ibi: *Illã contumaciã, atq; insolentẽ antiqui serpẽtis inobedietiã aduersus sanctos cãtus, & meditata à*

Psal. 57.

ſapiente medicamina obſurdeſcentis: cum ei quotidie, ne fallat, ne ſubrepat, ne mordeat etiam ſub diuini nominis denuntiatione mandetur, & tamen obſtructo deſæuit auditu. Non veretur ſanctos, ad quorum cantos ſurdeſcit fera hæc, & quaſi nihil audierit, quo abire cogatur, ſic inſtat, ſic certamina inſtaurat, ſic reno uat tela, vt cum victa crederetur, tunc pugnare incipiat. Cum autem Ieſu imperium inſtat, tunc irreuocabiliter cogitur abire. Semel, & iterũ auſus diabolus aduerſum Ieſum certamen inſtaurare; at vbi tertio accepit diuinum imperium, non potuit amplius ſubſiſtere, ſed irreuocabiliter abiuit. Matth. 4. *Vade retro Sathana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus.* Cur non antea reliquerat, ſed quaſi nihil audiſſet, ſic ſemel victus iterum ad certamẽ redibat. Antea quaſi hominis reſponſa, ſic audiebat Ieſu voces, & ad ſapientis carmina obſtructo deſæuiebat auditu, mortiferoque ſilentio pauliſper oppreſſus ſtatim exurgebat acrior in pugnam. Tandem, vt accepit Ieſu imperium, nimirum, *vade retro*, non potuit non cedere, non potuit à Deo iuſſus nõ abire. Acutè D. Maximus hom. 2. *Quid plura? Dum nefanda tentator loquitur, dumque inconceſſa præſumit, quaſi ab homine victus obmutuit, & quaſi à Deo iuſſus abſceſſit.* Nulla hominum etiam ſanctiſsimorum manus, nulla hominum victoria, ſic diabolum abigit, vt non veniat iterum. Valent ſancti viri cantus diabolum ſopire, diabolo ſilentium imponere, ſed vnus Ieſu cantus poteſt illum irreuocabiliter abigere. Etenim quaſi ab homine victus ſurdeſcit malus, obmuteſcit; verum manet ibi expectans occaſionẽ, qua nouas excitet pugnas: à Deo iuſſus prorſus abſcedit; nec reuertendi ſpes manet vlla. Quæſtionem fecit antiquis fidelibus, cur cum familiare ſit diabolo, prolibito abſcedere ab homine, quem torquet, & pro libito reuertere ad illum; quando tamen pellitur Dei virtute, ita abſcedit, vt non timeatur amplius eius reuerſio? Huic reſpondet D. Iuſtinus Mart. quæſt. 4. ſatus, quod diaboli eiecti à Deo ſemita penitus obliteratur; *nec eius adſunt veſtigia. Nam abigens eum poteſtas inuiſibilis, metum ei incutit, ne amplius accedat ad curatum.* Vnus Ieſus penitus diabolum excludit, penituſque reuertendi aditum intercludit. Semel excluſus diabolus apud Matth. 12. ait. *Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem.* Quid eſt inuenit eam vacantem? Inuenit eam Chriſto vacuatam, ideò abijt, & redijt ſemel, & iterum; ſi enim Chriſtus ibi adeſſet, excluderetur diabolus omninò. Ita Nazianz. orat. in ſanctum Baptiſma, inquit. *Rurſus conuertitur ad domum ſuam, vnde egreſſus eſt: impudens eſt, pertinax eſt, iterum periculum facit, iterum experitur, quod ſi locum, quem ipſe vacuatum reliquit, Chriſtum inhabitare, & impleſſe reperit, iterum repellitur, infecto negotio diſcedit, miſerandus errore redditur.* Felix qui ſibi in intimis præcordijs theſaurizat Chriſtum, de tam pretioſo lapide dives nullam ſemitam, nullum veſtigium dabit, quo poſsit accedere incurſus malus; vt dicat illud Iob 28. *Locus ſaphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eã oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec pertranſiuit per eam leæna.* Sic Chriſti lapis cordi infixus fugat omne malum.

Matth. 4.

D. Maxi.

D. Iuſtin.

Matth. 12.

Nazianz.

Iob. 28.

Marc. 9. Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus eſt.

§. XII.

Peccator etiam gratiæ reſtitutus, adhuc de priſtinæ mortis infectione proſtratus iacet.

MORTIFERVM iam aberat venenũ, iam lethalis inimicus fuerat exſibilatus, nihilominus puer vt mortus iacet: non quidem verè mortuus, qui ſanitate gaudebat vitali, ſed ad mortui ſimilitudinem proſtratus. Equidem in diutino peccatore exſibilatã morte peccati, reddita vita gratiæ, adhuc manent vmbræ mortis, adhuc ſub priſtini habitus comprimitur imagine. Iuſtificatus erat ille, qui dicebat ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Peccati mortem ab anima eiecerat recepta vita gratiæ, & nihilominus gemit ſub corpore mortis huius. Quod eſt corpus mortis peccati? Corpus mortis peccati eſt caro affectionibus diſpoſita prauis, fomes peccati irritatus, paſsiones in deteriora aſſuefactæ, quæ quaſi ſepulchralia hominis peccatoris ſunt, & etiam ablato peccatom, anent, adeo vt vel ex illis homo, quaſi mortuus appareat. Eiecimus quidẽ peccatum ab anima. Sed ipſum abiens non penitus nos reliquit, ſed in nobis fecit permanere mortalia ſua, ſuum cadauer, nimirum, affectiones prauas conſuetudine praua roboratas. Quò reſpiciebat ipſe Apoſt. ad Rom. 3. aiens.

Ad Rom. 7

Ad Rom. 3

uiens. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Expende: *qui mortui ſumus peccato.* Quippè in cuiuſuis animalis morte non penitus euanet totum animal, manet ſemper mortis corpus, nimirũ cadauer, quod mortis exprimat damna. Sic cũ peccator moritur peccato, perit cúlpa ingrediente gratia, ſed non penitùs perit totum peccatum; manet enim peccati corpus, manent praui habitus, inordinati affectus, effrenes appetitus, ex quibus conſtat mortis huius cadauer funeſti peccati repreſentans damna. Pulchrè Chryſo- *Chryſol.* log. ſerm. 113. ait. *Quod autem dixit. Qui enim mortui ſumus peccato. Præſentis temporis loquitur hic figuram: quia mortuos nos dixit eſſe peccato; non nobis iam in toto mortuum dixit eſſe peccatum, quia etſi peccatum ipſum actu operis ſanctis, & fidelibus eſt defunctum; viuit tamen, & adhuc in noſtram deſæuit mortem.* Manet in nobis peccati corpus in affectibus prauis, qui tãtã mortis ſæuitiam ob oculos faciunt obuerſari. Hoc nobis ſuggerabat Lazarus cum rediuiuus è ſepulchro ſurgit. Ioan. 11. adhuc tamen funereis ſindonibus obuolutus, & *ligatus inſtitis.* *Auguſt.* De quo Diu. Aug. lib. 83. quæſt. 65. inquiens. *Quod verò exiuit inſtitis obuolutus, hoc eſt, quod etiam à carnalibus recedentes; adhuc tamen in corpore conſtituti, alieni à carnalibus moleſtijs eſſe non poſſunt.* Abeunte morte ſepulchralia adhuc exoluenda, & confringenda manent. Abeunte peccato manet corpus mortis huius, manes adhuc ligatus inſtitis, cum quibus tibi pugnandum eſt, & acriter decertandum, ne te iterum reuocent in ſepulchrum, ſed ruptis illis liber omninò proſilire poſsis in vitam.

§. XIII.

Præclarum vitæ ſpiritualis fundamentum, quod velut mortuus agas.

IS Chriſtianæ in ſe virtutis experimentũ dabit clariſsimum, qui ſe ita componit, vt ab omnibus reputetur huic ſæculo iã defunctus. *Ad Gal. 6* Is erat Paulus ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hoc primum ſui ſignum imprimit Ieſus illis, qui à diaboli poteſtate in ſpem ſalutis eriguntur, vt dicat D. *D. Mach.* Macharius hom. 1. *Sicut corpus mortuum eſt, cum exierit anima, nec vltra viuit ea vita, qua viuebat: non audit, neque ambulat: ſic vbi Chriſtus per gratiam virtutis ſuæ mactauerit, & occiderit mundo vitam noſtram: extincta eſt quoad improbam vitam, qua viuebat, nec amplius audit, aut loquitur, neque conuerſatur in tenebris peccati: propterea quod nequitia affectionum, qua erat tanquam anima eius, per gratiam deceſsit. Quod Apoſt. clamans ait. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Eijcit Chriſtus per gratiam ſuam à nobis diabolum, occidit in nobis peccatum, vt penitus intereat mundialis vita, & conuerſatio mundialis, vt homo per virtutem Chriſti ſic maneat æternæ affixus vitæ, vt à ſæcularibus reputetur defunctus. Pulchrè Plato apud Diu. Clemen. Alex. *Clem. Al.* lib. 3. ſtromatum hominis ſapientis hoc putat eſſe iuge ſtudium, inquiens. *Euenit enim, vt qui rectè philoſophantur, non animaduertantur ab alijs in vllam rem aliam ſtudium ſuum conferre, quam vt emoriantur, & ſint mortui.* Ecce ſtudium veri ſapientis, nimirum, vt emoriatur mundo, & ſit mortuus, quaſi non ſufficiat, quòd ſemel obtinuerit, vt ſit mortuus, ſed adhuc inſtare debet, & toto conatu ſtudere, vt amplius emoriatur. Mortuus mundo es, vbi Chriſti accepiſti virtutem, ſed non ideò debet ceſſare ſtudium moriendi in Chriſti ſchola, quod non ceſſat in ſchola Platonis. Imò vt in Chriſto viuere cupis, ſic prius ſæculo debes mori. Quod præſtabat Paul. 1. ad Corinth. 15. dicens. *Quotidie morior.* Quid eſt quotidie morior? An non ſufficiebat ſemel mundo abijſſe? Tam neceſſaria mors eſt Chriſtiano, vt toties debeat mundo mori, quoties ſpem ad vitam æternam erigere cupit, vt dicat Nyſſen. *Nyſſen.* hom. 12. in Cant. *Quotidie moriebatur, ex quo ſemper ad nouam quandam vitam contendebat.* Sic profectus in Chriſtiana diſciplina ſemper auget moriendi ſtudium, quo ſe quis per ſingulas horas magis eripit mundo. Geneſ. *Geneſ. 49.* 49. ait Iacob ad filios ſuos: *Ego congregor ad populum meum, ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici.* Non caſu ſanctiſsimi patres amabant ſepeliri in duplici ſpelunca, niſi vt vel morte, & ſepultura ſua inſtruerent Chriſtianorum vitam: quę non vna, ſed duplici iam & multiplici morte ſe mundo debebat eripere. Quod duplex ſepulchrum ſic commentatur Diu. Gregor. lib. 6. in Iob, cap. 25. *actiua* *Gregor.* *quippè vita ſepulchrum eſt, quia à prauis nos operibus mortuos tegit; ſed contemplatiua perfectius ſepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit.* Quocumque ſe vertat Chriſtianus, vt placeat Chriſto, mori debet mundo: hinc incipit actiua vita, hinc promouetur contemplatiua; quo perfectius Deo viuere cupis, eo magis, ac magis mundo moriendum eſt tibi. Si virtutis incunabula ſequaris, te tradens actiuæ vitæ, primum in illa gradum faciens, morieris mundo: ſi perfectionis ſummitatem attigeris, & contemplatiuæ inſiſtens ſecus pedes Ieſu te ſtraueris, ibi neceſſum eſt, vt creſcat moriendi ſtudium, vt totus Deo ſepultus, à cunctis mundi actionibus maneas diuiſus.

Petr. Bleſ. Subſcribit in præſenti illa Petri Bleſenſis exa geratio; qui de contemplatiui morte fatus, ſerm. 9. in Hyppop. *Audeo ego, & dico. In diſtrictiore cruce pendet vir contemplatiuus, quam Chriſtus: quia & diuturnior, & in pluribus coercens eum. Chriſti membra ſic clauis confixa ſunt, vt officijs ſuis vti non valerent: lingua tamen libera à crucifixione loquebatur: orauit enim pro crucifixoribus, &c. Vir autem contemplatiuus, omnia membra ſua clauis obedientiæ arctauit, vt nec etiam lingua loqui valeat.*

Luc. 9. Et ſanauit puerum, & reddidit eum Patri eius.

§. XIIII.

Nullum reputat triumphum Ieſus, niſi vbi munera largitur.

IAM nobilis bellator Ieſus domum fortis intrauerat, & fortem alligauerat, imò relegauerat in Tartarum. Iam omnia vaſa diripuerat, & à lupi faucibus oiuculam extraxerat; nec his contentus, vt ſuam victoriam cõmendaret, ſanatum puerum parenti tradidit; nullum enim triumphum reputat, niſi vbi munera hominibus commoda uerit. Iacob cũ paululum à ſuis ſeceſſiſſet Geneſ. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Qualis lucta,
Geneſ. 32. vbi Deus luctator inuenitur? Quis dubitet penes Deũ fuiſſe victoriã, quando ad ſolũ tactum eius neruus fœmoris Iacob ſtatim emarcuit? Tamen dicitur ibi de Deo: *Videns quod eum ſuperare non poſſet*, non quod imbecillitas in Deo ſit; ſed, quod Deus faſtidit triumphos, niſi vbi cœleſtia munera ſpargit.
Chryſol. Sic Chryſolog. ſerm. 131. *Iacob vianti conniator occurrit Deus, & ita ſe humano collegio ſocium præbet, vt prouocanti homini Deus totus in luctam inferatur, & tunc videbatur neruis, aut lacertis vincere, quãdo victor cœleſtia dat dona, munera dat diuina.* Non cum hoſtem premit, cum rebellem iugo ſubdit, ſed cum munera ſua largitur, tunc ſe vincere putat Dominus, & tunc æſtimat ſuos triumphos. Diu. Paul.
Pſal. 67. ad Epheſ. 4. ſic admirabilem aſcenſionis triũphum, ex Pſalm. 67. decantat. *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Duo ibi exprimuntur Chriſti mag
Auguſt. nalia, & quod aſcenderit patrem ducens ſe cum humanitatem rediuiuam, quam vocat captiuam captiuitatem, iuxta Aug. mentem aientis, lib. de eſſentia diuinitatis: *Filius Dei carnem de nobis aſſumptam in cœlum velut captiuam adduxit, ſicut eſt in pſal. captiuam duxit captiuitatem.* Et quòd inde Spiritus ſancti dona in filios adoptionis effuderit, quam effuſionem reſpiciunt, iuxta communem Doctorum expoſitionem, verba illa, dedit dona hominibus. Quibus poſitis expendendum maximè eſt, quod in triumphali Chriſti aſcenſione dicatur caro eius duci in cœlum velut captiua. Cur ibi dominica caro captiua? An non illius hominis diuini opus fuit mortis debellatio, inferorum ſpoliatio, vectis ferrei confractio? An non ille homo iam dicebatur ſpolians principatus, & poteſtates, triũphãs eas in ſemetipſo, hoc eſt, in carne ſua? Cur ergo triumphatrix caro, dum triumphum agit, dum aſcendit ad patrem victrix, dicitur ferri velut captiua? Si triumphat, ſi vincit, quomodo adhuc captiua? Non reputat victoriã, nec reputat triumphum, dum dona ſeruat, dũ dona Sãcti Spiritus nõ effundit hominibus. Adhuc velut captiua aſcendit, tunc reputanda victrix, & triumphatrix, quando cœleſtia det dona, munera effundat diuina. Nouit hoc Diu. Pet. Act. 2. vbi ſic de Ieſu loquitur. *Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid aſcendit in cœlum, &c.* Quibus expendo illud, *dexterâ Dei exaltatus*; & illud, *aſcendit in cœlum*, vtrique triumphalem meminit Chriſti aſcẽſionem, ſed primis verbis ſubobſcure, quaſi demõſtraret potius Ieſum aſcenſionem pati, quam agere: ait enim, quod Dextera Dei exaltatus ſit. Secundò clariùs, & patentiùs audet inſinuare, & prædicare aſcenſionẽ. Vndè hic auſus? Vndè tam ſubito audaciam ſumpſit, vt iam gloriam aſcendentis patefaceret? Expende verba illa in medio poſita, nimirum, quod exaltatus, *promiſſione Spiritus ſancti accepta, à Patre effudit hũc.* Quippè vbi de cœlo effundens Spiritus ſãcti dona Ieſus proditur, continuo eius aſcenſionis triumphus clarè denotatur. Chryſoſt. ibi. *Effudit, inquit, hunc. Hic dignitatem euidenter tradit, & non ſimpliciter, ſed & cum vbertate. Poſtea enim libere, & de Aſſumptione in cœlos loquitur. Non enim Dauid aſcendit in cœlum: dicit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo,* &c. Vbi dona dat, non puer Ieſus, non ſeruus, non captiuus, ſed nobilis triũphator, & Dominus orbis claret. Semper hoc Ieſus habuit, ſuas glorias augere ex donis effuſis in genus humanum. Paul. ad Rom. 10. *Qui diues eſt in omnibus, qui inuocant eum.* Vbi elegãter Chryſoſt. apud Damaſc. lib. 3. Paral. c. 100. ſatur. *Apud homines debita expoſcere, opulentia eſt; apud Deum autem eadem condonare, diuitiæ ſunt. Ac nos cum debitam pecuniam accipimus, facultatibus augemur; Deus autem cum ſcelerum gratiam facit, tunc denique maximè di-*

Act. 2.

Chryſoſt.

ad Rom. 10.

Chryſoſt.

teſcit

teſcit. Diuinæ ſiquidem bonitatis opes in hominũ ſalute poſitæ ſunt, quẽmadmodum ait Paulus: qui diues eſt in omnibus, qui inuocant eum.

Marc. 9. Et cum introiſſet in domũ, diſcipuli eius ſecreto interrogabant eum. Quare nos non potuimus eijcere? Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi oratione, & ieiunio.

§. XV.

Ieiunium virtutum cuſtos eſt.

ADDITVR orationi ieiunium, quaſi ieiunium ſit cuſtos cæterarum virtutum. Ne putes caſu interdictum fuiſſe homini eſum arboris, ſed ſumma prouidentia factum id, vt qui in paradiſo conſtituebatur, vt plurium ibi virtutum ſibi infuſarum exerceret ſacinora, de abſtinentia à cibo illarum cuſtodiã efficeret. Ait enim Geneſ. 3. quòd potius ſit homo in paradiſo, *vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Non ſolum operatio virtutum, ſed & cuſtodia mandabatur; operatio ſumẽda erat & à paradiſi, & Dei cultu: cuſtodia harum rerum à ieiunio. Ita Ruricius Epiſcopus lib. 2. *Ruric.* epiſt. 14. inquiens. *Adam Paradiſi, & cuſtos delegatur, & colonus, ſcilicet, vt haberet operandi materiam libertas arbitrij, & quod orationũ obtinuiſſet induſtria, parcitatis abſtinẽtia cuſtodiret.* Fortiſsima cuſtodia eſt ieiunium, vel illo armato nõ timeas hoſtes, quos exſufflat ieiunium, virtutum aſcende cacumina, ad quę præit ieiunium. Recole famem illam duriſsimam, quæ Iſraelitas premebat. 3. Reg. 17. tũc *3. Reg. 17.* conſumptis fame Iſraelitis, Elias, *ſedit in torrẽte Carith, qui eſt contra Iordanem. Corui quoq; deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter, & panes, & carnes veſperi.* Credo, quòd nec reges minus tunc ieiunaſſent, quàm Elias cõmiſſus coruis. Sed ecce tibi ad mortem Elias petitur, fugit ipſe, & laſſitudine fractus ſubvmbra arboris inclinat, & dormit. Tunc cap. 19. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſus obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum dixitque ei: Surge, comede, grandis tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb, &c.* Compone modo corui, & Angeli miniſteria apud Eliam. Vtrique committitur Propheta, vterque Prophetam paſcit: ſed coruus bis in die apponit menſam, eamque, & pane, & carnibus fartam: Angelus ſemel offert cibum, & eum cibum, qui duriſsimum præſeferat ieiunium in pane, & aqua. Cur coruus magnificentior? Cur Angelus apparere vult illiberalior, quam coruus? An infirmior Angelus coruo, non habuit vndè eliceret dapes? Abſit, ſed Angelus accepit Prophetam ab hoſtibus fugientem, & ſimul progredientem in montis cacumina, vbi erat diuinis contemplationibus exercendus. Ideò maluit ieiunium miniſtrare, quo in vtroque Propheta cuſtoditur, dum hoſtium metus exuit, & in diuinarum contemplationum via rõboratur, munitur. Rem differit Tert. lib. de Ieiu *Tertul.* nijs. *Cum Eliam corui pane, & carne ſaturare conſueſſent, cur poſtmodũ excitato ei è ſomno quidam Angelus panem ſolum, & aquam obtulit? Defecerant corui, qui eum liberalius paſcerent: an difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio Regis miniſtrum cum inſtruCtiſsimo ferculo raptum ad Eliam transferre? Sed conſtitui oportebat exemplum docens in tempore perſecutionis, & cuiuſcumque circunſtantiæ Xerophagijs eſſe viuendum.* Ad coruum pertinuit ſola Prophetæ menſa, quam ille opipare inſtruxit; ad Angelum pertinebat eiuſdem Prophetæ cuſtodia: ideò ieiunium miniſtrabat, quod hoſtes repellit, & virtutes confirmat, & animum in orationem parat. Dux, & Princeps militiæ Chriſtianæ Ieſus noſter, vbi voluit, & orationibus vacare, & cum hoſte confligere, eremum abijt, nec prius congreſſum *Matth. 4.* hoſtis admiſit, quàm longa expleuit ieiunia. *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit: & accedens tentator.* Quod expendens Diu. Baſil. hom. 1. *Baſil.* de laudibus ieiunij, ait. *Dominus non prius in carne, quam ſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quam eam ieiunio communiuiſſet, ſimul & nos erudiens, vt nos aduerſus tentatoris inſultus ingamus, & exerceamus.* Præſentiſsimum habemus præſidium in ieiunio aduerſus hoſtes vniuerſos & corporis, & animę; & quos vix aliæ virtutes terrent, ieiunium penitus frangit. Iſraelitæ ſæpè ab Allophilis bello fracti, *1. Reg. 17.* 1. Reg. 17. *Conuenerunt in Maſphath, hauſerunt que aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa.* Quid tunc? Inſtaurant Philiſthijn certamen aduerſus Iſrael, concurrunt: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & ceſſi ſunt à filijs Iſrael.* Pulchrè Tertul. *Tertul.* lib. de ieiunijs. *Cæciderunt paſtos impaſti, armatos inermes. Hæc erunt vires ieiunantium Deo, cæ*

lum

lum pro eiusmodi militat; habes formam præsidij etiam spiritualibus bellis necessariam. Ecce tibi ad omnia præsidium habes in ieiunio, siue hostes occurrant, siue audienda diuina oracula, ieiunij præsidium accipe, quo ad omnia munieris. Saul. 1. Reg. 14. sic populum adiurabat. *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperã, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.* Sic omnia prospere agebantur; donec inscius Ionatha accepto fauo comedit de illo, & ieiunium fregit, & Dei responsa cessarunt. Diu. Ambros. serm. 25. de Quadrages. recensito ieiunio à Ionatha fracto, sic pergit. *Denique nec belli finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus, quod Saul hostes non tam virtute militum, quam militum abstinentia superabat. Vnius culpa cunctis confertur ignauia, & vnius delicto cunctis generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, vbi defecit in obseruatione ieiunij.* Vt hostes superes, & cum Deo familiariter agas; ieiunij capessẽda tibi sunt arma. Ambros.

1. Reg. 14.

LIBER OCTAVVS.

DE MORTVIS SVSCITATIS.

POST diaboli, & peccati ruinam accedit cum morte certamen, quæ etsi postremo destruenda omninò est, tamen semel, & ter cum illa conseruit Iesus manus; illi tres prædas eripuit: illam in Archisynagogi filia, in filio viduæ, & in Lazaro conculcauit. Age ergo, & Saluatoris nostri triumphos de morte videamus.

CAPVT PRIMVM

De suscitata Archisynagogi filia.

AMISERI pignoris clade Princeps Synagogæ sauciatus excurrens; cui finis extremus spem generis auferebat iam florentem, lacrymans, ingemensque Domini voluebatur ad pedes. Vix verba precantia singultu quatiente confirmans, miserere patris orbati, miserere senis, inquiens, destituti. Vnicã habeo, vel magis habui filiam, quæ modo deficiens in annis, nec dum puberibus constituta paterni mihi nominis cernitur auferre vocabula, confer operã, dilapsamque animam mẽbris restitue iam frigentibus, cui totum posse suppeditat, cui totum posse nihil obuiat. Interea vẽtum erat domus ad tecta lugentia: plangebant gemitu modulante tibicines, & illætabilis multitudo discurrens, crebris clamosa doloribus, ædes confuderat infelices. Vetat Dominus flere; vetat mortuam lugeri victuram. Tunc cadauer immobile, corpusque gelidum, & frigidæ mortis rigore constrictum spiritus igne remolliens imperiosæ vocis arbitrio virginem suscitauit à Tartaro, semelque progenitam viuere præstitit bis puellam. Hæc apud Matth. 9. Marc. 5. Lucam 8.

Ex Lu. cap. 8. Ecce vir, cui nomen Iairus, & ipse Princeps Sinagogæ erat; & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, vt intraret in domum eius. Quia vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.

§. I.

Non bene conueniunt Sacerdotium, et sæcularis magistratus.

NON possum hic innotatũ reliquere, quam splendeat in vno viro vna, & sola dignitas sacerdotalis, quando ait. *Et ipse erat Princeps Synagogæ.* Etenim sæcularis magistratus iunctus Sacerdotio semper mihi fuit instar næui, & vmbræ inter decora sacerdotalia. Id mihi etiam persuasit magnus ille
D. Synes. Ptolemaydę Episcopus, D. Synesius, qui cum ad sæcularem magistratum vocaretur, sic rescripsit epist. 57. latus. *Reipublicæ administrãdæ vim cum Sacerdotio coniungere, perinde est, atque ea nere, quæ nendo connecti nequeãt. Prisca tempora eosdem Sacerdotes, ac iudices tulerunt. Nam AEgypti, & Hebræi longo tempore Sacerdotum imperio vsi sunt. Deus ambo vitæ genera separauit: vnumque horum sacrum, alterũ ad regimen, atque imperium constitutum est. Alios ad infimarum rerum fæces conuertit, alios sibi sociauit. Quid tu igitur iterum reuocas? Quid tu coniungere vis, quæ sunt à Deo separata?* Maximus, & primus omnium gubernator Deus munus cibile separauit, & sacrum: alios fecit iudices, alios Sacerdotes, alios constituit sæcularibus, alios præfecit æternis. Absorbent totum hominem temporalia, & bona mater Ecclesia diuidi filium non patitur: aut integrum, & totum sibi tradi vult; aut integrum, & totum remittit extraneæ. Mauult perdere, quam diuidere, quia in sola diuisione certam perditionem existimat. Vnus ergo Ecclesiæ nubat, alius Reipublicæ, & sic optima gubernationis administratio proficiet. Gen.
Genes. 1. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, luminare minus, vt præesset nocti.* Noluit maximus mundi rector, quod negotia diei, & noctis ad vnum præsidẽ pertinerent, sed suum cuique distinctum præsidem assignauit, vt sic melius prouideret vtri-
D. Aeld. que. Ex quo D. Aelredus serm. 10. in Isaiam, sic in rem præsentem ediserit. *Sunt in sancta Ecclesiæ firmamento à Domino creata duo luminaria, Sacerdotium, & regnum: Rex, & Episcopus: Princeps, & clericus, luminare maius Sacerdotium, vt præesset diei, id est, spiritualibus: luminare minus regnum, vt præesset nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde est, si Sol nocti, si præsit Luna diei, si Princeps ad spiritualia Sacramenta conficienda se ingerat, si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.* Quid grauius dicam? Horret natura ipsa Sacerdotis, & magistratus munera coniũgere; præsit Sacerdos diei, agat negotia luminis, non tenebrarum: sit ponderator spirituum, non carnium; absoluat peccata, non obstringat ferrea vincula, stolam primam restituat, non curet terrenos funiculos.
Idem. Rursus pergit Diu. Aelredus. *O quam bene cõueniebant hæc duo luminaria? quam splendidè ex hoc spirituali firmamento lucebant, quam optimè inter dies, & menses, & tempora, & annos distinguebant, Rex scilicet, & Sacerdos in suis se gradibus continentes.* Vtinam possint Christianæ Reipublicæ hæc semper munera ostendere seperata; ô quam serenas noctes, ô quam claros dies numeraret; ô quam radiarent Ecclesiæ Soles, ô quam lucerent de Lunæ lumine regna sæcularia.

§. II.

Humilitas est proprium Dei facinus.

CHRISTIANO iam agebatur spiritũ Sinagogæ Princeps, quando nõ de pharisaico fastu stat orans, sed humilis se se ad pedes Iesu abijcit. Numquam enim magis Christianum apparet facinus, quam vbi humilitas, & abiectio triumphos parãt. Recolite Dauidis lapidem, & lapidem Danielis, Dauid ponens lapidem infunda iacit, & Gigantem percutit in fronte, & perimit alienigenam. Apud Danielem, vbi ingens statua si-
Dan. 2. ue Colossus apparet, cap. 2. *Abscisus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Quid plura? Vterque lapis Christum referebat, cur ergo, vt percutiat Goliam expectat fundam, & Dauidis manum, vt comminuat statuam, sine manibus ipse se propria grauitate per decliuè rotat? Equidem, vbi per altum frontis euolandum erat, & victoria de exaltatione sperabatur, quasi alieno impulsu, & peregrino motu fertur Dominus; at vbi per humilitatem se se deijciens ad pedes superbos, & mundiales fastus erat contriturus, id non ab alio, sed à se efficit, nec adeò proprium est lapidi deorsum vergere, vt est propria Christi actio se ad pedes demittere, vt triumphos peragat: id acutè notabat Drogo,
Drog. lib. 1. de Sacram. Pas. inquiens. *Lapis est abscisus de monte sine manibus: iactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus. Iste est iactus tuus Domine.* Iste, inquam, est iactus tuus, nimirum, quod percutias statuam, te dimittens ad pedes statuæ; nihil magis proprium eius, qui à Deo venit, quam per deiectionem, & humilitatem triumphos agere. Ignis omnium elementorum superbissimus nulli primas cedit, toto nixu ad superiorã

ra anhelat, tunc ſolùm naturæ ſuæ conuenien tem triũphum agit, cum ſe ſuper omnia extollit. Is tamen vbi Deo plenus apparet, innatam oblitus ambitionem totum ſe dimittit, & humi ſtratur, vt Deo dignos triumphos a-
Dan. 3. gat. Compone modo ignem, & ignes; ignem, inquam, in Babylone accenſum: hic Dan. 3. habuit flammam, *quæ erecta eſt ſupra fornacem cubitis quadraginta nouem.* Erecta eſt flamma Babylonici ignis, neſcit Babylonicus
Exod. 19. ignis non ire in alta. Verum Exod. 19. *Totus mons Synai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus in igne.* Ecce tibi ignis, qui non erigitur, qui non ſe exaltat, imò deſcendit, imò ſe dimittit, imò glorioſiori ambitione ſe deijcit. Vndè hæc noua in igne proprietas? Habet ignis Deum, à quo habet, vt oblitus altitudinẽ Sathanæ ſibi innatam humi repat, & ſe ad pe-
Petr. Dam. des dimittat. Id ponderat Petrus Damianus epiſt. 112. fatus. *Ignis iſte deſcendit, quia de cælo venit, ille autem non deſcendiſſe legitur, vt de carnalis concupiſcentia petulantia procedere videatur.* Hinc cenſendus eſt Dei impulſus, Dei iactus, quo Deus per demiſsionem, & humilitatem parat ſibi, & ſuis diuiniores triumphos. Carnalis petulantia in aera euanet, & penitus diſparet, at diuina virtus humilis ad pedes inclinat, vt glorioſiores coronas de humilitate, & certiores acquirat; vndè ait diuinus pater ad filium humano latitantem ſub pulue-
Iſai. 49. re, Iſai. 49. iuxta lectionem Lxx. *Magnum eſt tibi, vt voceris puer meus, vel ſeruus meus.* Et qualiter magnum poteſt eſſe filio, quod vocetur ſeruus? Nonne maior eſt in quauis domo filius, quam ſeruus? Ergo qui vocatur filius Dei, & verè eſt Dei filius, non pro magno, ſed pro paruo habebit, quod vocetur ſeruus? Sed eſt tam Dei proprium per humilitatem, & adiectionem magnos triumphos acquirere, vt Dei filius pro magno habeat humilitatis vocabula, quibus ingentem gloriam, &
Origen. magnitudinem ſibi acquirit. Origen. in Ioan. 1. tom. ait: *Audendum eſt dicere maiorem, diuinioremque Chriſti bonitatem apparere, quando humilem præbuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, quam ſi rapinam arbitratus eſſet, ſe eſſe æqualem Deo, neque voluiſſet pro mundi ſalute fieri ſeruus; ob eam cauſam volens nos docere magnum donum accepiſſe ſe à patre, quod ſic ſeruierit, inquit. Et dixit mihi, magnum tibi eſt, vt voceris ſeruus meus: nam ſi ſeruus non eſſet factus, nõ excitaſſet Iacob, neque diſperſionem Iſraelis cõuertiſſet.* Hic eſt Dei iactus, quo ſe ad pedes deijcit, ad humilia demittit ſeruitia, vt ingentes agat triũphos, & glorioſiores victorias acquirat. Nihil magnum Deo ſperes, niſi per deiectionem, & humilitatem. Agar fugitiuam conuenit Angelus Domini, Geneſ. 16. & ait illi. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.* Et rurſum: *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Nota ſtructuram, & ordinem ſermonis, prius conſulit humilitatem, vt ſe ſerua dominæ ſubmittat, vt ſeruam agat: deinde ingentem prolem, numeroſumque populum promittit, quaſi non poſſet ſperare magna, niſi de humilitate præmiſſa. Id attingit Tertul. lib. de Trinitate, *Tertull.* aiens. *Agar ancillam Sarræ de domo eiectam pariter, & fugatam Angelus conuenit, fugæ cauſas interrogat, atque accipit, poſtquam humilitatis conſilia porrigit, ſpem præterea illi materni nominis facit, quodque ex vtero eius multum ſemen eſſet futurum, ſpondet.* Non antea iubet ſperare magna, quam conſilia porrigat humilitatis.

§. III.

AErumnæ ducunt ad Chriſtum.

IAM Princeps Synagogæ relicto Moſis velamine Ieſum conuenit, & Chriſtum adorat: & vndè tantum velamen ab oculis Synagogæ principis reſeratum eſt? cauſam indigitat illud, *quia vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.* Intellectum illuminat vexatio, & ablato literæ velamine, præſtat ad Chriſtum ducatum. Sic habes apud Lxx, Cantic. 7. *Lxx.* *Offenderunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem, percuſſerunt me, vulnerauerunt me, abſtulerunt peplum à me cuſtodes murorum.* Quærebatur ſponſus, ſed quærebatur ſub Moyſis velamine, & ideo non inueniebatur, acceſsit percuſsio, & vulneratio, & ſtatim obductum velum ſciſſum eſt, & pulchritudo reuelatur. Nyſſen. homil. 12. *Præclarum* *Nyſſen.* *vulnus per quod ſponſæ peplum ademptum ſit, ita vt iam anima pulchritudo ſit reuelata non effundente illi caliginem amictu.* Non amplius caligabunt ſub velamine oculi à vexatione illuminati, vt videant Dei ſalutare. Inſpirant ægritudines, & vulnera à ſæculo aliquid Chriſtianum; ab origine mundi mortes, & calamitates halant agnum occidendum, halant Chriſtum ex mortis faucibus eripientem Chriſtianos. Huius notitiæ cauſa Iob æternam memoriam ſuis ærumnis, & calamitatibus exoptat, quaſi illis acceptum referat, quòd venerit incognitionem Saluatoris Chriſti Domini, cap. 19. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Iob 19.* *Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plum-*

& plumbi lamina, vel celte sculptantur in silice? Amabat sanè suarum erumnarum memoriam: amabat tantarum calamitatum monimenta, nunquam obliterari; sed cur id adeò amabat? Huius rei ipse rationem dedit statim aiens. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea, in carne mea videbo Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Cur obliuiscar calamitates, quæ me in cognitionem redemptoris mei impulerunt? Non alius, non qui ab his ærumnis alienus; sed ego ipse, qui affligor, qui angor, à carnis vlceribus, à filiorum calamitatibus doceor scire redemtorem: hunc noui ex calamitatibus. Huc spectat lectio Septuag. *A Domino hæc mihi consummata sunt, quorum ego mihi conscius sum, quæ oculus vidit, & non alius.* Quorum sensum sic exprimit Niceta ibi. Non humana est vexatio; calamitatem enim pecoribus, liberisque importatam diuinitus esse è corporis mei ærumnis planè cognosco; in morbum naturalem referri hæc non possunt, Deus hæc mihi intulit, egomet, quē dolores percelunt, noui. Ita in sua carne putrescente Deum videbat, & ex vulnere corporis sui plagaque filiorum redemptorem Christum, & malorum omnium liberatorem odorabatur. Multum ad hoc possunt ærumnæ: Eua ad tertium partum accedens, Genes. 4. *Peperit filium vocauitque nomen eius Seth dicens. Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Adhuc de mortuo Abele dolor, adhuc parentes pulsat filij calamitas. Sed cur Eua tantæ calamitatis ponderepressa quiescit in Seth? Cur oculos non leuat ad semen aliud, nempè ad Christum omnium calamitatum verum solatium? Non nè facilè poterat ex filij calamitate ad Saluatorem mundi euolare? Pulchrè ibi Eucherius in Cat. Lypp. ait. *Potuit quippè, & Adam diuinitus admonitus dicere: Suscitauit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain, quia talis futurus erat, qui impleret illius sanctitatem.* Filij calamitatis memor pater dispositus erat, vt Christum spectaret. Semper enim calamitates viam ædificant, qua ad Christum veniatur. Sic Daniel captiuus apud Babylonicos Christi tempora præcognoscit: sic Achaz etiam si pessimo regi datur solatium deventuro Iesu, vbi duorum regum exercitibus affligebatur. Quippè Isa. 7. Nunciauerunt domui Dauid dicentes. *Requieuit Syria super Ephraim, & commotum est cor eius, & cor populi eius.* Syria, & Ephraim fœdere inito, iunctis copijs venerunt aduersus domum Dauid, quod vbi domus Dauid nuncium accepit, exercitus vidit, deploratum suū regnum putauit. Tunc rursus Vates. *Audite ergo domus Dauid: ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Vide quam diuersos nuncios in domo Dauid, & qui ingerat regū iniquorum fœdera, & minetur calamitatem, & qui ob oculos Christum proponat liberatorem. Rupert. lib. 1. in Isai. in titulo capit. 32. *Cum annuntiatum esset domui Dauid, quia requieuit Syria super Ephraim, annunciatur conceptus, & partus Virginis.* Qua via calamitas, eadem Christi Domini agnitio intrabat. Psalm. 44. *Deducet te mirabiliter dextera tua, sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Ecce, quæ sint Christi deductores nimirum sagittæ vulnerantes, hæc dum feriunt, populi cadent, Christum adorantes. Ita Tertul. lib. aduersus Iudæos, ait. *Populi sub te cadent, vtique adorantes. Sic belli potens, & armiger Christus accipiet spolia non solius Samariæ, verum & omnium gentium.* Itaque acutissimas afflictionum sagittas immittit Dominus, quibus fit, vt populi in agnitionem Iesu cadant, Iesum adorantes.

Lxx. Niceta. Genes. 4. Eucher. Isai. 7. Rupert. Psalm. 44. Tertull.

§. IIII.

Manus creatoris in nobis nō potest occultari.

MATTHAEVS, & Marcus addunt ab hoc Principe id fuisse postulatum, nimirum. *Veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Alias diuinas Christi dotes ignorans manum in eo creatoris recognoscit, quod petit, vt filia reformari possit eisdem, quibus formata fuit manibus. Vndè Chrysol. ser. 33. *Cognoscimus quid sit: veni, & impone manū tuā super eam, vt qui sponte posuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat. Credidit ergo Deo, quia eâdem manu, qua creatam senserat filiam, recreari, & reduci posset ad vitam.* Quantumuis alia Christi ignorauit, non potuit non sentire, & recognoscere illam manū, qua primò ad vitam filia fuit tracta. Adeò enim conspicua est Dei manus, qua viuimus, vt vel ab incredulis non possit non publicari. Prodigus ille filius apud Luc. cap. 15. aiebat. *Pater peccaui in cœlum, & coram te, nō sum dignus vocari filius tuus.* Vbi expendendum est, quod dum credidit se Dei filium non debere reputari, tamen dicit: Pater peccaui. Si non es dignus, qui voceris filius, cur vocas Patrem? Occulta potius, quod Pater sit, vbi Dei filius indignus es vocari. Sed nequit manus creatoris occultari, quamuis dissimulare velis, tamen in te conspicua erit Dei Patris manus. Accinit D. Hier. epist. 146. aiens: *dicit se non esse dignum filium nuncupari, & tu-*

Chrysol. Luc. 15. Hieron.

& tamen ex naturæ voce, ex illa ſubſtantia, quam illi fuerat aliquando pater largitus in nomen trepidus veritatis erumpit. Pater, inquiens, peccaui in cœlum. Quot membra habes, tot linguæ ſunt, quæ publicant creatoris tui manus. Dixerat iſte indignum eſſe filium vocari, & tamen quem humilitas oris ſilentio tegebat, ipſa ſubſtantia opificē ſuum publicabat. Non enim poterat natura non recognoſcere creatricem manum, quando alia ignoraret. Sponſa illa Cant. 5. concluſa domi timens in conſpectum ſponſi venire, non potuit tamen ob oculos non habere illius manum. Ait enim. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.* Cur ſponſa ſolum nobis teſtaris ſponſi manum? Cætera ſponſi magnalia incomprehenſibilia ſunt ei, quæ in luteis domibus incluſa manet; manus autē operatrices, quibus ipſa debet, quod ſit, non potuit non habere perſpectas. Ita Diu. Gregor. Nyſſen. hom. 11. in Cant. *Solam tunc manum aſpexit, per quam intelligitur virtus eius operans, non enim ſuſtinet humanæ naturæ inopia, vt eum capiat, qui eſt infinitus, & incomprehenſibilis.* Quis enim non Athęus operaturas Dei manus ignoret? Quis factus auctores ſuos digitos non agnoſcat? Sanè, & inſenſibiles creaturæ ſemel à Dei voce profectæ non potuerunt non agnoſcere vocem, cui totum ſuum eſſe debebant. Vbi enim Ieſus nauigat, & dormit à tempeſtate iactatis diſcipulis excitatur, *& imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Cur tam cito fluctus ſilent? Cur mare vndas cōprimit ad ſonum vnius vocis? S. Baſil. Sel. orat. 22. *Recognoſcebat enim mare veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti, congregentur aquæ in vnum locum.* Non potuit inſenſibilis etiam creatura ſui opificij auctricem prętierire, quam experta fuit manum, & vocem, dum fiebat, eandem, vt videt, agnoſcit, & publicat obedientia ſua.

Cant. 5.

Greg. Nyſſ.

Baſil. Sel.

Text. Venit quidam à Principe Synagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua: noli vexare illum. Ieſus autem audito hoc verbo reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tātum, & ſalua erit.

§. V.

Solius virtutis diuinæ eſt ſtare in fide, vbi cernitur multitudo cadens.

IVXTA Diū. Lucam, acceſsit quidam Iairo filiæ mortem annuntians, cum quo etiam alij plures conuenerant, vt teſtatur Marcus cap. 5. omnes inutilem aduentum Ieſu reputantes, quia minimè credebant ab illo mortuam ſuſcitari poſſe, quam nuntiorum infidelitatem, vt percepit Ieſus, principis fidem ipſe robur addit, illumque maximè confirmat aiens. *Noli timere, crede tantum, & ſalua erit.* A ſolo enim Dei robore venit, quod quis nō labatur, vbi labentes plures fuerit conſpicatus. Id quod in Angelorum ruina, quando poſt reproborum lapſus, Michaelis pars ſtabat, notat D. Fulgen. lib. 2. ad Traſim. Regē, c. 2. fatus. *Cum verò quædam pars eius de cœleſti beatitudinis culmine in imam perpetuamque cernitur deuoluta miſeriam, profectò cognoſcitur vniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à cæſu virtus illa defendere, quæ ſola naturaliter mutari non poteſt.* Quis tot furibus currentibus, & corruentibus, non curreret, & corrueret? Quis ad aſpectum tantæ multitudinis errantis, & labentis non ſaltem commoueretur ad lapſum, egeretque, ne laberetur, ſuſtentamine? Aut ſolus Deus, aut Dei virtute munitus potuit ſine motu labentem multitudinem ſpectare. Hinc diuinitatis ſuæ firmitatem probans Dominus ait, Luc. 10. *Videbam Sathanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Quid hoc magnum ad Ieſum, quod vidiſſet cadentes Angelos. Non ne, & Michael vidit? Non ne, & Gabriel? Sanè maximum vnius Ieſu encomium eſt, potuiſſe tantam multitudinem cadentium ſpectare. Nullus alius potuiſſet id, imò neque potuit, niſi de Ieſu virtute confirmatus. Ruper. lib. 1. de victoria verbi Dei, cap. 23. *Solus iſte videbat ſecurus ſui. Angeli autem viderunt in magno terrore poſiti.* Adeò efficax eſt multitudo cadens ad trahendos ſecūm creatos animos, vt ſola Dei manus poſſet ibi afferre firmitatem. D. Petrus Epiſt. 2. capit. 2. mirabundus proponit iuſtum Loth inter Sodomitas. *Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus excruciabant.* Sed vndè infirmus homo inter tot cadentes adeò firmus potuit exiſtere, vt nec aſpectu, nec auditu laberetur? Notanter cauſam firmitatis ex immediatè poſitis verbis inſinuat. Diū. Ephræm Parēneſi. 9. inquiens. *Sed quid infert audi: nouit Dominus pios detentatione eripere.* Solius eſt Dei nouiſſe firmitatem præſtare ei, qui inter labentes ad vitia, agit vitam. Vndè anxius Dauid Pſal. 69. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur, & reuereātur, qui quærunt animā meā.* Quæ verba, ſi titulum Pſalmi ſpectes, dicta fuere à Da-

Mare. 5.

Fulgent.

Luc. 10.

Rupert.

Petr. 2.

D. Ephr.

Pſal. 69.

à Dauide, vbi deuictis hostibus, pace fruebatur, & quiete. Etenim ait Titulus, *in rememorationem, quòd saluum fecerit eũ Dominus.* Itaque post hostes confractos, post salutem obtentam, adhuc timet Dauid saluti suæ, adhuc hostilem persecutionem metuit, in qua pereat: nisi Deus auxilium festinet. Quod hoc periculum Dauidis? Euanuerant hostes, sed ob oculos versabantur palatini in vitia ruentes: præoculis erat popularium in voluptates consensus, à quibus grauius, & certius periculum timebat sibi Dauid, quam ab hostibus, nisi manus diuina festinauerit fulcimentum. Non adeò ex timescendus est crudelium hostium conflictus, quam hominum in peccata ruentium scandala. Non adeò damnosa tyrannorum sæuities, quam labentium exempla praua. Matth. 18. ait Dominus: *Væ mundo à scandalis*: non ait væ mundo à bellis, nec væ mundo à tyrannis, vtpote nocentiora mundo scandala, quam tyrannorum sæuitiem indicabat. Omnia pulchrè attigit. Diu. Augustin. in præfatione dicti Psalmi expendens Martyrum pugnas, & nostras cum exemplis prauis fatus. *Illi iam coronati sunt: nos adhuc periclitamur, non quia tales nos persecutiones vrgent, quales ipsos vrgebant; sed fortassè peiores in omnimodis generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illo væ, quod clamauit Dominus: Væ mundo à scandalis. Fremunt dentes impiorum aduersus pacem Christianorum. Et quia non habent quid agant sæuiendo, saltando, blasphemando, luxuriando, non impellunt corpora Christianorum, sed lacerant animas. Clamemus ergo omnes. Deus in adiutorium meum intende, &c.*

Matth. 18.

Augustin.

§. VI.

Firma in Deo fides, seu fiducia non fallitur.

TANTVM, inquit, *crede, & salua erit*, quando firma de Deo opinio, certaque præsumptio nunquam sciuit falli. Vndè monebat D. Chrysost. Psal. 94. sic. *Nullus ergo exultioribus Dei dubitet, quamuis beneficia difficilia speret, quamuis miracula super se venientia postulet, deseri à summo Deo non potest.* Dubitatio nostra sola derogat promissis diuinis: ab sit dubia fides, stet nostra in Deo spes firma, non nutet, & quasi acceptas reputa omnes promissiones diuinas, omnia quæ ex Deo accipere cupis. Gen. 15. ad Abrahã dicit Dominus: *Qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredẽ.* Quid tunc Abraham? *Credidit Habrahã Deo, & reputatũ est illi ad iustitiam.* Expende promissionem diuinã, nimirũ, *habebis hæredẽ*, simul & fiduciæ mercedẽ, scilicet, *reputatũ est illi*, &c. ibi habebis, hic reputatũ est, ibi per verbũ de futuro, hic per verbũ de præterito; quod enim promissio retardat, id facit spes firma, vt currat, imo præcurrat. Pulcherrimè in præsenti fatur. D. Bas. Sel. orat. 7. *Accepta promissione habuit filiũ ante filij partũ, & spes ipsa prius Isaacũ peperit, quam aluus, loquutus est Deus, & hæres in vicino est, spes ipsius res comitabatur.* Non sequitur spẽ res, sed comitatur, nequit esse firma in Deo fiducia sine re, quã sperat. Hæc est vnica fidelis spei gloriatio, quod nõ confundat, quod nõ sit effeta, quod sic accedat ad rem, quasi iã illam perceptã habeat. Huc respiciebat Paulus ad Hebræos c. 3. *Quæ domus sumus nos, si fiduciã, & gloriã spei vsque ad finem firmã retineamus.* Expende illud gloriã spei, nunquam spes ingloria, nunquam fiducia confusa, vbi spes firma in te fuerit de obtinendo aliquo, iã spes poterit quasi de obtento gloriari. Chrysost. ibi. *Gloriã spei. Bene dixit spei, quoniã omnia bona in spe sunt constituta. Oportet autẽ illã certã tenere, vt nõ secus gloriemur, quasi iã confecta essẽt, quæ speramus.* Validissima est in Deũ fiducia, & petit, & quasi de iã accepto gloriatur, quia in se nouit omnia esse bona cõstituta. Nõ dubitat de imbecillitate creaturarũ, qui & ipsã robur idẽ pro se habet, quo Deus ipse per imbecillia mũdi triũphos suos agit. Vndè dicebat Apostolus ad Rom. 8. *Spe enim salui facti sumus. Spes autẽ, quæ videtur, nõ est spes. Nã quod videt quis, quid sperat? Si autẽ, quod nõ videmus speramus, per patientiã expectamus. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatẽ nostrã.* Quibus verbis Apostolus spẽ vocat, qua fiducialiter à Deo aliquid speramus; & itẽ spẽ vocat rẽ ipsam speratã, quando dicit, spes quæ videtur. Sic enim res comitatur spẽ, vt noluerit Apostolus hæc duo separari vocabulo. Insuper expende illud. Similiter, & spiritus adiuuat. Cui enim spiritus dici potest plus similis in adiuuãdo infirmos, & roborando, vt mirabilia possint, quã fiduciæ? Equidẽ & spiritus diuinus, & fiducia similiter cõcurrũt, robur, & potentiam ministrãtes, qua omnia difficilia possint superari. Ita D. Ansel. aiens. *Nõ solũ enim spes nos adiuuat, sed etiã Spiritus sanctus similiter adiuuat infirmitatẽ nostrã.* Nõ alio robore, nõ alia potestate vtitur Spiritus sanctus, vt per mundi infirma fortissima agat, quã ea, qua nititur spes. Gaudet Spiritus sanctus similis videri fiduciæ in potestate; quando fiducia in Dei robore, & fortitudine nihil veretur aggredi, nihil non obtinet ex his, quæ obtinere maluit. Hinc Iudith capit. 13. iam iam iugulatura Holophernem, ante fiduciæ arma exerit, quam pugionem arripit: sic enim ait: *Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt sicut*

Chrysost.

Genes. 15.

Basil. Sel.

ad Hebr. 3.

Chrysost.

Augustin.

ad Rom. 8.

Ansel.

Iudith. 13.

premisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc, quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam. Nihil veretur firma in Deo fiducia, quæ pro se habet diuinam potestatem. Addo Ierosolimitanum Regem Assam, qui dum contra Æthiopum Regem Zaram, à quo decies centena hominum millia, trecentique falcati currus ductabantur, pergeret, ait. 1. Paral. 14. *Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in multis. Adiuua nos Domine Deus noster. In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.* Contemnit fiducia in Deo omnes difficultates, docta semper vincere, docta clarissimos semper triumphos reportare.

1. *Paral.* 14

Tex. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.

§. VII.

Nihil puellæ ornatius est, quam omnem vel mendaci suspitioni aditum occludere.

DIMISSA turba non omnes dimittit Dominus, nec sine testibus defunctam puellam vult inuisere, imò tribus septus discipulis, & matre, & patre puellæ comitatus cubiculum ingreditur; æstimans nihil puellæ ornatius, & pretiosius tribui posse, quam si vel mendaci suspitioni aditum occludat. Id pulchro exemplo expendit. Diu. Hieronym. lib. 1. in Iouinian. dicens. *Claudia virgo vestalis cum in suspitionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant; melius tamen, inquit Lucani poetæ patruus, cum illa esset actum, si hoc, quod euenit, ornamentum potius exploratæ fuisset pudicitiæ, quam dubiæ patrocinium.* Minus consulitur fœmineo pudori, quando eget ipsa ab alijs testimonium, & patrocinium emẽdicare. Tunc præclarum habet fœmina suæ pudicitiæ ornamentum, cùm adeò claret, vt ne in suspitione quidem alterius conspurcetur. Sic adornatur pudica fœmina, Apocalyp. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole*, &c. Nouum planè amictus genus; amictus tegit, operit, custodit: Sol detegit, explicat, manifestat. Cur cœlestis mulieris amictus è Sole? Iam explicat Psalm. 88. *Thronus eius, sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Ecce tibi cœlestem fœminam Sol vestit, Sol ornat, Sol, inquam, testis in cœlo fidelis, quia fœminæ decus, & ornamentum ab indubitato, & euidentissimo Solis testimonio deuenit. Huc accedit Tertul. lib. de cultu fœminarum agens de indubitatæ pudicitiæ operibus. *Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra, pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum & videri.* Tunc habet pudicitia suum decus, & ornamentum, quãdo indubitato ab omnibus, & euidenter cernitur, quando non emendicatum, sed conspicuum in se habet testimonium. Ambros. lib. 8. epistola 64. ait. *Virgo Domini suis est nixa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget, vt se virginem probet, sed obuia omnibus modestia adstipulatur integritati.* Tunc omninò secura apparet, cum nemini euidenter non probatur. Ideò Apostol. ad Ephes. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Notissima debet esse modestia, sed ad quid tam conspicua? Ad quid tam omnibus nota? Tertul. supra: *Ad quid nisi, vt malitia ad vos accessum omninò non habeat, vt malis exemplo, & testimonio sitis?* Expende, in qua re accessum malitiæ penitus excludat, nimirum in euidentissimo, & prorsus indubitato pudicitiæ testimonio. Semper enim boni nominis obscuritas, malique rumores sparsi aditum malitiæ relinquunt prorsus patentem. Abdubium enim est, quin præmissi rumores, etiamsi falsi sint, insensibiliter minuant erubescentiam ad futurum actum, & consequenter inde aditum patefaciunt. Dan. 13. Susannæ pudicitia à nefariissimis senibus notatur: tunc sic: *Postquam autem senes loquuti sunt, erubescunt serui vehementer: quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna.* Quibus nota vehementissimæ erubescentiæ ratio in quo ponatur, nimirum, quia non dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna: quasi non adeò erubuissent, si alias similes excepissent de domina sua fabulas. Mollit equidem erubescentiam facti sparsus rumor, nec adeò refugis, & expaues facinus, quod semel, & ter de te potuisse credi percepisti.

Hieron.

Apo. 12.

Tertull.

Ambros.

Ad Eph. 4.

Dan. 13.

§. VIII.

Patres familias filiarum adolescentularum norint omnes congressus.

NON otiosè ingreditur pater, & mater puellæ, sed vt discant patres nunquã filiabus abesse, earũ cõgressus perspicue noscere, & vel passus metiri. Madianitides illę septẽ puel-

Psalm. 88.

Exod. 2. puellæ, Exodi 2. adaquare volebant greges patris sui: superuenientes autem pastores impediebant eas. Tunc accessit forte Moyses, qui & rusticitatem, & iniuriam pastorum repellens inuenculis adaquandi copiam permisit. Quibus ad patrem continuo redeuntibus sic pater ait mirabundus. *Cur velocius venistis solito?* Vbi ego pondero optimam patris disciplinam, qua filias ita gregibus pascendis præficiebat, vt simul omnes illarum & congressus, & passus trutinatos haberet: adeo, vt omnes illarū morulæ, vel festinationes illum non latere possent. Sic ait: *Cur velocius solito venistis?* De quo eleganter Lyppom. in cant. ait. *Boni patris familias est curare, si sedula sit familia in agēdis: morarum quoque causas inquirere maximè filiarum.* Præclari parentes, qui adeo filiabus custodiendis inuigilabant, adeo eorum extra domum gressus numeratos, & ponderatos habebant, vt nec parua morula nouiter accidere posset, quæ fugeret censuram patris. An sic filiæ suę gressus nouerat Iepthe, dum ait Iudic. 11. *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon, eum holocaustum offeram Domino?* Notissimi erant parenti filiæ passus quam rari extra domum, vnde votum vouens non dubitauit, non veritus est filiæ occursum. Quid plura? Victori redeūti filia prima occurrit, quam ipse prēter opinionem sibi occurrentem conspicatus, fleuiliter ait. *Heu me, filia mea decepisti me, & decepta es: aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Minime se deceptū ab occurrente filia extra domum lugeret, nisi longe aliam de filiæ gressibus habuisset existimationem. Excessit filia solitos, & parenti notos passus: quo deceptionem suam luget pater, sed & illa tulit plurima deceptionis damna. Tulit, inquā, nobilis puella deceptionis damna, quod vltra patris cōscientiā pedes mouere præsumpserit. Feliciores illæ, quæ numquam nouerunt vel pedem mouere extra parētum disciplinam. Tales puto filias Lothi: dicunt enim Angeli illum à Sodomorum incēdio liberaturi, Gen. 19. *Tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Suffeciſſet dicere, tolle vxorem, & filias tuas, sed nō otiose addiderūt illud, *filias, quas habes*, hoc est, qui tibi curæ sunt, quæ sub tua disciplina inueniuntur, nec oculos tuos declinant: Quod expressit Caldæus aiens: *Tolle vxorem tuam, & duas filias tuas, quæ inuentæ sunt fideles tecum.* Saluatur vxor, vel solum quod vxor Lothi sit, verum filiæ vt salutem acquirant, non sufficit, quod sint filiæ Lothi, sed vltra id insinuatur ratio specialis salutis, nimirum: *Quæ inuentæ sunt fideles tecum.* Vbi acute Caiet. in cat. Lypp. ait. *Tamquā & ipsæ filiæ relictæ fuissent, nisi inuentæ fuissent cum Loth.* Saluauit filias, quod fideliter fuisent sub oculis, & cura parentum, nec aliundè salutem sibi præscribat filia: qui tunc salua est, cum inuenitur semper esse sub oculis patris. Vnde prudēter D. Amb. virgines hortabatur, aiens. *Nullus sit tibi, sine mature progressus, qua sit anxia tui custos pudoris.* Districtior adhuc D. Hieron. epist. ad Demetriadē sic illam monebat. *Esto auia, matrique subiecta. Nullum virorum, & maxime iuuenum, nisi cum illis videas, nullum scias, quem illæ nescient.* Hæc est via adolescentulis maxime salutaris, si neque oculorū nutu à parentum fugiant disciplina; si neque pedem figant extra parentum obtutum. Habrahamo viro, & strenuo, & forti dicitur Gen. *Exi de terra tua, de cognatione tua.* Verum vbi ad adolescentulas fit sermo diuinus, solum dicit Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuū, & domum patris tui.* Non iubetur de domo patris exire, sed solum domum patris obliuisci; ille iubetur patres penitus relinquere, hæc solum obliuisci, ne filiæ adolescentulæ prætextum habeant in Dei verbis, quo sine parentum oculis velint viuere.

Lyppom. Iudith. Genes. 19. Cald. Caietan. Ambros. Hieron. Psalm. 44.

Tex. Flebāt autem omnes, & plāngebāt illam. At ille dixit: Nolite flere: Non est puella mortua, sed dormit. Et deridebant eum scientes, quod mortua esset.

§. IX.

Virginatis dos est immortalitas.

NOTANTER dictum est, *non est puella mortua.* Virgineus enim decor semper de immortalitatis splendore radiat. Pro quo stat D. Hieron. lib. 2. in Iouinian. fatus. *Si in Moysi nuptias, in Elia virginitatem dixerim demonstrari: breuiter audiant Moysem mortuum, & sepultum; Eliam igneo curru raptum, anteè immortalem esse cepisse, quam mortuum.* Nouit virginitas immortalitatis speciem oculis humanis infundere, & semper virentis vitæ odorem afflare. Abfuit statim virginitas, vbi mors cæpit regnare: non enim potest mors regnare, vbi virginitas habet principatum. Quod D. Lucæ cap. 20. exprimunt verba sic à D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum exarata. *Filij sæculi huius generant, & generantur: qui autē habuerūt dignationē sæculi illius, & resurre-*

D. Hiero. Luc. 20. Cyprian.

resurrectionis à mortuis, non nubunt, neque nubuntur; neque enim incipient mori: æquales enim sunt Angelis Dei. Expende verba illa; *neque enim incipient mori.* Quippè vbi mors cessat, ibi absunt nuptiæ, ibi virginitas candicat, quo solum abscondita est, quando oportuit mortem regnare, verum vbi virginitas se se explicat, mors vlterius neque apparere audet. Accipite Diu. Gregor. Nyssen. de virg. cap. 13. *Certe huiusmodi vita, quæ vim mortis superat, potior est ab his habenda, qui mente præditi sunt. Corporea enim liberorum procreatio non vitæ magis, quam mortis occasio hominibus extitit: siquidem ab ortu initium habet interitus, à quo virginitatis causa, qui immunes futuri sunt, mortis in se terminum constituerunt, cum vltra in se illam progredi prohibuerunt: & vitæ, & mortis se terminos constituerunt, ne vltra prorumperet.* Non equidem patitur virginitas mortis imperiū, terminos illi præfigit, quos ipsa mors veretur, & non audet, neque potest transilire. Vt frementes maris fluctus arenam transilire non possunt, sed osculantes terminum suum retrocedere coguntur; sic mors, vbi apparet virginitas, vel ad virginitatis vmbram subsistit. Vidisti aliquando marinos fluctus ita æstuasse, vt vniuersos terminos contempserint, totumque submerserint mundum. Vna sola Noemi arca supernatabat, illam vnam solam fluctus verebantur, qui vniuersos alios terminos contemnentes transiliebant. Sed cur, quando nulla arena terminat furentes fluctus, quando nullus terminus vndarum agnoscitur, vna agnoscitur arca? Erat in arca virginitatis vmbra, erat inter separatos mares, & fœminas castitas, quæ sola terminus mortis est, qui nullo modo valet superari. Ecce vobis. Genes. 7. dicitur. *In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iaphet filij eius: & vxor illius, & vxores filiorum eius.* Hinc viri, illinc fœminæ separatim, cur separatim? Damasc. lib. 4. de Fide ortho. cap. 25. *Vt castitatis adminiculo pelagus, atque vniuersum illud mundi naufragium effugerent.* Quod nulli potuerunt termini, potuit castitas furentes mortis fluctus frænare. Non enim mors potest, vbi virginitatis flos viret, cuius vel odor omnia mortis excedit conamina, & in vitam æternam salit. Virgineæ sponsæ processum speculatus Dominus non potuit eius immarcescibilem vitam non odorari; ait enim Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Quid est super omnia aromata? Aromatibus condiebantur mortuorum cadauera, vt illis aliquis carnis vigor posset conseruari, sic caro Domini aromatibus condita est, sed parum valet aroma ad virorem præstandum, vbi virginitas adest, quæ super omnia aromata maciem, & putredinem mortis ablegat, & virorem immortalitatis alit. Diu. Ambros. lib. 1. de virginit. *Vide, quem nobis tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Saluatoris missa sunt sepulturam, & mortuos corporis motus, membrorumque redolet obysse delicias.* Abeunt mortis pabula, vbi virginitas adest, in qua negotia immortalitatis initiantur. Nec immerito virginitas eligitur, vt futuri sæculi patrem pariat, sed debitum erat, vt à virgine acciperemus primum pignus nascentis immortalitatis. Id quod attingit Ricard. Vict. lib. 1. de Emanuele, par. 1. cap. 12. aiens. *Accepit ergo natura humana in beata Virgine Maria quasi quasdam arrhas, vel primitias futuræ incorruptibilitatis suæ, integritatem incorruptibilitatis virgineæ.*

Nyssen. Genes. 7. Damasc. Cant. 1. Ambros. Ricar. Vict.

Tex. Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge; & reuersus est spiritus eius, & resurrexit continuo: & iussit illi dare manducare.

§. X.

Fœmina præsentissimum virus est ad perdendos homines.

NVLLIVS viri manum tenuit Dominus, vt suscitaret illum, etiam cum suscitat amicum Lazarum, suscitaturus tamen puellam, eius primum accipit, & tenet manum. Quanto id mysterio factum est, noscet, qui præsentissimum fœminæ virus ad perdendos homines nouit. Cum enim tantum virus excitatur in Apostolorum conspectu, suis prospiciens Dominus non patitur, vel momento temporis fœmineum virus esse sine anthidoto diuinæ manus repellentis contagium. Simile quid accidit apud Matth. 8. cū Dominus sanaturus Petri Socrum, *tenuit eius manum*, de quo Diu. Chrysolog. serm. 18. ait. *Quæ necessitas tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* Lethale erat homini mulieris consortium; mortiferæ eiusdem manus, quæ nisi diuinæ manus anthidoto præuenirentur, mortem omnibus præsentibus exhalarent. Mirabar ego aliquando Lothi felicitatem, & diuinam cum illo prouidentiam, non quod à flāmis eriperetur, sed quod à fœminæ consortio non traheretur ad flammam. Eua respexit

Matth. 8. Chrysol.

vetitam

vetitam arborem, & comedit ipsa, & dedit viro suo, & omnes perdidit viros: vxor Lothi respexit etiam ardentes ciuitates, cur vt ipsa respexit, non etiam virum traxit ad respiciendum? Vndè Loth nō trahitur? Sanè traheretur Loth, nisi diuina manus præueniens tanti mali anthidotum subito, antequam vxor loqui posset, vel extendere manum ad virum, illam verteret in statuam salis. Id pulchrè cecinit Diu. Alcinus lib. 2. de peccato origin. fatus: *D. Alcin.*

Hoc tamē hic mirū est, quod Loth nō flectitur ipsa,
Nec sociam sequitur primo constantior Adam:
Quāquā id credo magis factum, quia visa referre
Iam nequit elinguis: quæ si compertа referret,
Eorsan & in similes ausus temeraria traxit.

Ea est vis fœminis ad trahendum, imò ad perdendum homines, vt nisi quàm primum, & celerrimè earum virus præueniatur, non possit ruina vitari. Non Ioſephum castissimum, sed eius pallij extremum apprehendit fœminea manus, & ecce tibi subito adolescēs fugit relicto pallio. Cur relicto pallio? Equidem pallium, quod fœminea manus tetigerat, abiecit, ne paulatim virus serperet: prudētissimè sibi cauit à manu fœminea vel filum vestis suæ tangente. Condemnas nimis scrupulosum, & meticulosum virum? Sed accipe, qui laudentur à Deo. Apoc. 3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimēta sua, & ambulabunt mecum in albis; digni enim sunt.* Apoc. 3. Tota dignitas nominatorum virorum in eo sita, quod vel vestes suas seruauerūt alienas à fœmineo contactu. Id explicatius, cap. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* Non sunt coinquinati cum mulieribus, quia vel ab eis tactas vestes suspectas habent, & à se protinus ablegant. Sic Tertul. lib. de Resur. carnis coniungit vtrumque, aiens: *Hi sunt, qui vestimenta sua non coinquinauerunt cū mulieribus, virgines scilicet significat.* Tertul. Quasi deploranda iā sit pudicitia, quæ sustinet vestis extremum fœminea tangi manu. Eu quam fugiendum consortium fœminarum est illis, qui velint liberi euadere! Psalm. 140. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Psal. 140. Pro verbo illo, *dissipata*, ponūt alij, *emollita sunt ossa nostra secus infernum.* Arnob. Vbi Arnob. ait. *Iuxta infernum sunt, quādo societatem nostram diuersitas sexus inquietat.* Eo ipso, quod te socium fœminæ offeras iuxta infernum degis: summa est vicinitas inter fœminam, & infernum. Prouerb. 30. *Infernus, & os vulvæ*, nihil mediat, cōiunctissimæ sunt, & fœminæ mollitudo, & infernus. Equidem à mulieris conspectu sic fit homo totus carneus, vt pene obliuiscatur animæ salutem, nec si habeat animam meminerit. Prou. 30. Do huius rei testem Adamum, qui cùm primùm Euam aspexit, sic fatur. Genes. 2. *Hæc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Genes. 2. Ecce tibi quid meminerit in se esse Adam, postquam Euam vidit, nimirum ossa, & carnes, quasi spiritum habeat nullum, sic præterijt illum. Astutè Origen. hom. 1. in Exod. *Velim mihi dicetes Adam, si omnia, quæ in te erant, tradidisti, cur nō etiam animæ cum cæteris facis mentionem, quæ melior hominis pars est?* Origen. Obliuiscuntur animā se habere, quicumque mulieres amare incipiunt.

Text. Et stupuerūt parentes eius: quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.

§. XI.

Extraordinaria, & rara misericordiæ opera non populariter publicanda.

MALDONATVS apud Matth. 9. animaduertit de solis mortuis suscitatis, & curatis cæcis Christum, ne id sciretur, præcepisse: cuius rei rationem ipse assequi nititur docta coniectura; ego aliam pro moribus reddiderim. Ea est, quod rariora misericordiæ facinora non passim euulganda sunt popularibus ineruditis, ne scandalum accipiant. Memini enim D. Augustinum vel si mauis, Ambros. dolentem, quod latronis beati fœlicitas multis stiterit occasio ruinæ, qui persuasi, quod summus peccator in extremis posset inuenire misericordiam diuinam, ijs se vitijs implicarunt, quibus miserè perierunt. Vndè Deus rariora misericordiæ suæ facinora cauet, ne populariter sciantur. Sic dicitur Genes. 8. *Dominus ad Noe, nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Genes. 8. Quibus ponderanda est ingens diuinæ misericordiæ vis, promittit se nō puniturum, quia homines mali sunt, & pessimi ab adolescentia sua, quasi quo maior est hominū peruersitas, eo magis se se accingat ad parcendū diuina miseratio. Id quod expendens Diu. Chrysost. statim sic notat: *In Hebræo habetur, & dixit Dominus in corde suo, vel in mente sua, & non ad Noe.* Chrysost. Sanè nocentissimis hominibus veniam promittebat, & his, qui ab adolescentia mali, vitijs innutriti, hoc autem Deus solus intra se musitabat, minimè id euulgabat, nec Noe dicebat. Alto tegit Deus silentio suę

miſericordiæ magnalia, ne homines inde occaſionem ſumant ſe amplius vitijs, & peccatis tradendi: Hinc vbi Publicanum hominem Telonio accumbentem trahere voluit.

Matth. 9. Matth. 9. inquit. *Cum tranſiret inde Ieſus*, &c. Obiter, & quaſi ad aliud ieſtinans vocat, ne ſentiatur, ne videatur talibus ſuos offerre Theſauros, id quod notabat Chryſolog. ſerm. 28.

Chryſol. iens. *Non dixit: cum ſtaret ibi tranſiuit, & pertranſiuit inde.* Noluit videri Dominus ad tãti peccatoris oſtium pulſans, ne nimis publicarentur eius miſericordiæ, & homines fatui amplius peccandi ſumerent occaſionem, inter has Dei miſericordias abſconditas numerabat ſanctiſsimus Iob illam, qua ipſe à Deo

Iob. 8. iuſtificandus erat; neſcio, an tunc de ſuis meritis nimis humiliter ſentiret. At enim cap. 8. *Audite ſermonem meum, & ænigmata percipite auribus veſtris, ſi fuero iudicatus, ſcio, quod iuſtus inueniar.* Cur ænigmata vocat? Loquitur de omnimoda Dei miſericordia, qua ſe tratandum ſperabat: quo ipſe homuncio vilis confidenter, & intrepidè rigidum illud Dei iudicis examen ingreſſurus erat. Hoc meritò ænigma vocat, quando Deus in iudicio ſuo, nihil non tremendum, nihil non pauendum ipſiſsimis viris iuſtis manifeſtat, vt ſemper rigor diſtricti iudicis ſit in timore, nec videant infirmi homines, quo occaſionem præbeant offenſæ. Non longè abeſt Iſaias capit.

Iſai. 33. 33. vbi iuxta Septuag. ait. *Repleta eſt Sion iudicij, & iuſtitia, in lege tradentur, in theſauris ſalus noſtra.* Antiquitus in Eccleſia Dei ſplendet proſoribus iudicium, ſplendet iuſtitia: ſi enim tempora legis ſpectes, quid ibi non metuendum? Quoties peccatores trucidantur? Quoties hoſtibus traduntur vexandi ob ſua ſcelera? De his exemplis plena eſt Eccleſia, pleni prophetarum libri: verum ſalus noſtra, nimirum, quod peccatores peſsimi ad ſalutẽ recipiantur, in theſauris latet abſconditum, quaſi res pretioſiſsima, non proſoribus eſt, nec patet omnibus, ſed occultè in theſauris aſſeruatur.

CAPVT SECVNDVM.

De filio viduæ ad portã Naim ſuſcitato.

VRBEM, quæ Nain dicitur, properabat Dominus intrare, diſcipulis, populiſque vallatus; cum repente iuuenis aſpicit cadauer efferri ambitioſis exequiarum mũneribus triſti myſterio ſublimatum. Demeſſum iuuenis florem iam oculi diuini præterierant: ſteterunt tamen ſacri ſoles in vidua matre ingentem luctus cauſam contemplantes. Quid plura? Nihil remorata pietas virale protinus commodauit auxilium, feretroque manu redemptionis attacto, adoleſcenti ſpiritum, & matri reddidit filiũ; quo in ſe populorum reuerentiam maximam acquiſiuit.

Luc. 7. Ibat in ciuitatem, quę vocabatur Nain, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus eſferebatur, filius vnicus matri ſuæ; & hęc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.

§. I.

Reſurrectio carnis a limine diuinæ æconomiæ effulget.

DIVINI Imperatoris ſtemmata, vt Chriſtiani regni portas nobilitent, ad Nain portas effertur reſuſcitandus defunctus. Qui enim duodecim Apoſtolos, totidem cœleſtis Ieruſalem portis deſignatos in teſtes reſurrectionis elligit; ipſe modo Nain portas reſurrectionis fecit radiare flexuris. Et quando inter diuina facinora reſurrectio non effulget à limine? Terra in primis aquis ſuperfuſa, & ſepulta condita eſt, ſed tertio die dicitur: *Congregentur aquæ: & appareat arida.* Ecce primis in vniuerſi liminibus iubetur arida ex aquã apparere, quaſi è ſepulchro. Id ponderat D. Anaſt. Sinaita in Exam. lib. 1. dicens. *Oportebat terram à Deo factam ſtatim ab initio abyſſo, tanquam inferis traditam, tertio die exſurgere, dicendo: Congregentur aquæ, & appareat arida.* Sic clariùs pateret omnia per ipſum facta eſſe, quando vniuerſi limina reſurrectionis nobilitabantur figura. Quis reſurrectionem non ſperet, quando in ipſo limine creati orbis reſurrectionis præfulgeat ſtemma? Nec ipſe homo antea nouit mortẽ, quam vel in ipſius ianuis ſpem exhibit reſurrectionis.

D. Anaſt.

Geneſ. 2. Geneſ. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur de limo terræ hominis formatio? An, vt quãdo audiret, quod in ter-

Geneſ. 2.

ræ

ræ pulùerem eſſet conuertendus, ſperaret reſurrectionem, doctus à primordio potuiſſe de terra ſurgere in vitam? Accinit Procopius aiens: *Ex ipſis ſtatim iam inde exordijs reſurrectionis ſpes denuntiatur, nam homo in pulùerem reſoluendus erat. Pſalm. 21. & in pulùerem mortis deduxiſti me. Ne quis igitur pulùerem in ſepulchris cernens deſperet de reſuſcitando genere humano, propterea in prima hominis creatione confirmauit reſurrectionis ſpem.* Procop. Vides omnia maioris, & minoris mũdi limina reſurrectionis flexuris radiare? Nullis credo ſtemmatibus amplius nobilitarentur diuini imperij balbæ. Do pulchra verba Diu. Baſil. Seleu. orat. 4. occiſi Abelis rationem dantis. *Primus iuſtus Abelus lethi portas intrat: Abelus ſecũdum Paulum Chriſti vmbra, ad Hebr. 12. ſanguinis aſperſionem melius loquentẽ, quam Abel: conueniens erat iuſti ſanguine reſurrectionis columnas adumbrari. Si enim mortis cauſa eſt præuaricatio: qui mortis materiam non ſuffecit, vel inter vita functios liber manet, ô res inopinatas! In mortis veſtibulo reſurrectionis tabula legitur.* Baſil. Sel. Interea mundi prima plantatio dilubio diſſoluitur, nouus alius mundus inſtituitur, cuius fundatores in arca Noemi aſſeruati iam iubentur exire. Geneſ. 8. *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum.* Geneſ. 8. Expende, quam aliter hi ipſi in arcam introducebantur; quippè iubetur ingredi Noe, & filij eius, & vxor Noe, & vxores filiorum eius: Hinc deinde fœminæ, & viri ſeparatim ingrediuntur; ſed egrediuntur vir, & fœmina pariter coniugati. Equidem in noui fundamine mundi, iam apparere incipit reſurrectionis ſtatus, vbi carnis, & ſpiritus deſidijs expunctis, ſumma pace, & vnione videbuntur ſpiritus, & caro. Eucherius in Cat. Lyppomani: *Cur autem de arca coniuncti exeunt, qui diſiuncti intrauerunt ſeorſum viri, & ſeorſum fœminæ, niſi quod in hoc tempore caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem? Sed in reſurrectione iuſtorum omnimoda, & perfecta pace ſpiritus corpus adhærebit.* Eucher. Æquum erat, vt reſurgentium habitus, & ſpecies in noui mũdi inſtauratione affulgeret. Sed age accedamus ad tempora Chriſtiana, de quo magis inſigniuntur Chriſtiani imperij balbæ, quam de hac renouatione aquilarum ſanctarum? Taceo ipſius Imperatoris ſummi Ieſu reſurrectionem, quæ poſita eſt, vt columna, & fulcrum totius Chriſtianitatis. Primus lapis, qui ad Eccleſiæ ædificium ſculptus eſt, nõne reſurrectionis flexuris inſignitus apparuit? Is erat Stephanus primus martyr in principio naſcendi Eccleſiæ coronatus, de quo apud carnifices conſtituto dicitur. Act. 6. *Viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* Act. 6. Quid eſt illud, quaſi faciem Angeli? Id perſpectam habes apud Luc. cap. 20. vbi ſic loquitur Saluator: *In reſurrectione non nubunt, neque nubentur, ſed erunt, quaſi Angeli Dei.* Luc. 20. Et merito cum in Angeli ſpecie reſurrectionis ſpecies appareat, ea primi ſculpturæ martyris imprimitur, vt primus lapis iniectus Chriſtiano ædificio præſeferat reſurrectionis flexuris adornatam faciem. Vt de illo dicat D. Fulgent. ſerm. proprio. *Beatus, qui in ipſa colluctatione pugnantis, iam præfert ſpecimen reſurgentis. Splendore Angeli enim Deus ſanctificatum circumfudit aſpectum.* Fulgent. Digna Chriſtiani ædificij facies de reſurrectionis ſtemmatibus radians.

§. II.

Mors ante oculos omnium verſari debet.

NIHIL magis commune nationibus eſt, quam quod ſuos quæque mortuos efferat; inuenies forſan gentes apud quas reges arcanis lateant penetralibus, ſe ſe ambitioſis regij cubiculi vmbris tegant, ab oculiſque hominum arceant. Nunquam tamen inuenies gentes, apud quas mortui non ſtatim efferãtur, publiciſque conſpectibus donentur; quod minimè naturæ tribuerim, quã potius mortis pudeat, neceſſum eſt, ſed diuinæ prouidẽtiæ, cuius ea eſt maxima cura, ne mors ab oculis remoueatur humanis. Hinc natum fuit, quod vbi Enochi vita prolonganda erat per multa tempora, ſtatim eum arceret Dominus ab oculis hominum. Sic enim habes Geneſ. cap. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Geneſ. 5. Itaque à Deo trãſlatus, & occultatus Enoch diſparuit à viuis, cuius rei rationem reddit Caldæus aiens: *Et non ipſe, quia non mori fecit Deus eum.* Ideò enim ab hominũ oculis ereptus eſt, quia longiſſima fruiturus erat vita; quaſi vereretur Deus, ne homines metum mortis amitterent videntes non mori Enochum, & ideò illum occultauit. Sic putat Diu. Chryſoſ. hom. 21. in Geneſ. ait. *Morti in humanum genus ius ſuũ reliquit Deus. Propter hoc obſcurè, & latenter reuocare vult ſententiam, quam contra Adam protulit, ſed manifeſtum hoc non facit, vt timor illius emendationi ſeruiat: idcirco Enoch cum ſibi placeret, tranſtulit.* Chryſoſt. Enoch, ne ab hominibus videatur æternare vitam. Cauit enim maximè Dominus, ne mortis inſtantia non adeò obuerſaretur ob oculos, quando ea ſola eſt Deo pro mille exercitibus, vt poſsit de hominũ cordibus triumphare. Apud Habac. 3. Habac. 3. depin-

depingitur nobilis totius orbis triumphator, sed quo apparatu? *Splẽdor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors.* Quibus maximam mihi incutit admirationem nouus triumphatoris, debellatorisque habitus: exit inclytus dux, vt mundum debellet, & cum præsefert habitum, in quo eius fortitudo prorsus lateat, & occultetur; ait enim: *Ibi abscondita est fortitudo eius*; equidem pugnatoris fortitudo in primis manifestanda, & reuellanda videretur, vt triumphum ageret. Ita Psalm. 92. *Dominus regnauit decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Nõ tegitur fortitudo, imò quasi externa vestis omnibus explicatur, cum dux se accingit in triumphos. Cur ergo Dominus expugnaturus orbem abscondit fortitudinem suã? Quid poterit fortitudo abscondita? Non ne si fortitudo abscondita, est dubius erit triumphus? Absit: vide enim, quid post absconditam fortitudinem innuat, nimirum, *ante faciem eius ibit mors.* Sine periculo dissimulatur fortitudo, vbi mors præmittitur ob oculos omnium versatura. Præmissa mors ob oculos hominum, ipsa sufficit, vt vniuersos ponat inimicos scabellum pedum Christi; dicit noster, *ante faciem eius ibit mors.* Sed Septuag. posuere, *ante faciem eius ibit verbum*, quasi ex nulla re sensibili efficacius reddatur verbum Dei, quam ex morte obiecta ad hominum animos debellandos, penetrandos. Danielis c. 2. id somnium infundit Deus Nabuchodonosori, cuius ipse penitus oblitus requirebat à regni sui sapientibus, qui nullo modo poterat diuinare, quale fuisset somnium. *Quo audito resinfurore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes.* Quid tunc agitur? *Et egressa sententia sapientes interficiantur: quærebanturque Daniel, & socij eius, vt perirent.* Interea Daniel diuinitus illustratus cognouit somnium, quod, & explicationem eius audiente rege, & vniuersis sapientibus prædicauit. Somnium erat de statua aurea, argẽtea, ærea, & ferrea, cuius pedes percutiebat lapis de monte sine manibus lapsus. Quibus regnum Dei super omnia mundialia imperia annuntiabatur. Sed iam quæritur, cur Deus cum voluisset regnum suũ annuntiari per illud somnium, fecit somnium penitus à regis memoria euolare? Cur non antea dedit eius reuelationem Danieli, quam mortis sententia in omnes sapientes præmissa esset? Crediderim Deum voluisse de regno suo verbum reddere efficacissimum, & venerabilissimum apud barbaros homines, ideò antequam prædicaretur, permisit, vt omnes præ oculis mortem haberent, essentque sub gladio. Id quod ponderat Rupert. lib. 6. de victoria verbi Dei, cáp. 13. *Dum interinduũtias à Daniele postulatas cuncti sapientes sub gladio pendent morituri, nisi saltem ille referendo somnium commune periculo ferat præsidium. Per hanc cuncti à maiore vsque ad minimum cum rege ipso attenti fiunt ad audiendum, parati ad susciendum, desideratissimi, & valde dociles ad intelligendum, benenoli ad collaudãdũ. Ita demũ dignum duxit verbum Dei semetipsum in medio proferre, quia profecto tempus, & causa talem tanti sacramenti margaritam non sinerent conculcari.* Digné susciptur Dei verbum, digné tractatur, vbi mors præmissa ante oculos omnibus obuersatur.

Psal. 92.

Dan. 2.

Rupert.

§. III.

Aufert Deus vnicum filium a parentibus? vt debitam diuini Patris affectus æstimationem habeant, qui vnicum filium pro nobis dedit.

NEMO debitè æstimaret ingentem Dei charitatem tradentis vnicum filiũ pro nobis; nisi is, qui vnicum, & dilectum filium nouit amittere: amittat ergo mater vnicum animæ pignus, vnicum solatium, vt sic diuini Patris affectus debitam æstimationem habeat. Abraham dicitur Genes. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Deus sancto viro tam magnã probationem immittis? Cur amici animum sic discrucias morte vnici pignoris? Cur tam cito eripis, quem dudum ipse dederas filium? An id solum cùpis, vt humani patris viscera perfodiantur? Absit: Sed cupit Deus, vt dignè æstimetur affectus Patris diuini tradentis vnicum filium pro hominibus. Ita Diu. Cyril. Alexand. hom. Pasc. 5. inquit. *Vt ex tuo dolore discas, quænam illa communis omnium parentis iactura sit, cum eius filij, quem dilexit, vitam pro generis humani incolummitate efferret.* Is est Pater diuinus, qui sustinuit sibi eripi vnicum, & summè dilectum filium pro humana salute: hunc dolorem, hanc iacturam is sufficit põderare, qui nouerit, quid sit auferri filium vnicum matri suæ. Huc aspiciebat charitatis diuinæ nobilis trutinator. Paul. 8. ad Rom. aiens: *Qui proprio filio suo nõ pepercit:* quę verba pulcherrimè expendens Diu. Ambr. libr. 1. de Iacob, &c. cap. 6. fatur. *Pulchro verbo usa est scriptura, vt Dei Patris erga nos pium propositum declararet, qui se morti pro te totum obtulit. Quod in Patre fuit, nihil sibi ipse reliquit: totum pro te obtulit, quod in plenitudine diuinitatis non amisit, & ipse te redemit. Consi-*

Gen. 22.

Cyr. Ale.

ad Rom. 8

Ambr.

ra affectum patrium. Quod pietatis eſt, quaſi moriturum filij ſuſceperit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Quiſquis pater es in vnici pignoris periculo, id æſtima periculum, quod pater ſubijt cœleſtis, vt de filij ſui ſanguine te redimeret. Quiſquis parentis in amantiſsimum filium affectus nouerit æſtimare, is ſolus æſtimabit dolorem parentis in tanti filij orbitate. Quiſquis potuit videre filium ſuum ſub mortis gladio, is condolere poterit cœleſti Patri, dum pro hominibus dedit vnici pignoris ſanguinem. Iacob ille magnus Ioſephi ſanguinolentam tunicam videns in lacrymas prorrupit. Geneſ. 37. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere.* Cur noluit conſolationem accipere? An tot filij, & nepotes minus idonei erant, vt vnici pignoris iacturam temperent? An inter tot filios, non inueniebatur, qui paterni affectus leuamen prænoſceret? Sanè vbi inter conſolatores reperiebatur nullus, qui ſimiliter filium amiſiſſet, non mirum, quod non reperiretur, qui iuſtam æſtimationem paterni affectus in filij iactura faceret, quæ ſola æſtimatio poſſet inuenire patri leuamen. Accinit Rup. lib. 8. de Trinit. & eius operibus, cap. 25. fatus. *Quonam inſtrumento filij eius congregati aderant ad leniendum patris dolorem? Quis enim dolorem eius mitigare poterat, niſi quem medullitus dolor ipſe mordebat?* Niſi qui ſimilem iacturam effecerat, niſi quẽ dolor ipſe de filij amiſsione ortus ſolicitabat, non poterat patris affectum æſtimare: non poterat præſentire patris orbitatem. Is bene poterit ſummi, & cœleſtis Patris affectũ erga homines preſentire, qui vnici pignoris nouerit aſpicere profuſum ſanguinẽ. Pijs fœminis dicebat Dñs, Lucæ 23. *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies,* &c. Cur Dominus vetat flere ſuper ſe? An nõ amat in hominibus ſuorum dolorum compaſsionem? Amat compaſsionem, ſed vt hæc dignior habeatur, iubet, quod matres prius oculos conuertant ad filiorum ſuorum calamitates maximas: cum enim filios ſuos dura internectione confectos videãt, tunc ex iſto dolore dignius ediſcent æſtimare in Dei filij paſsione affectum diuini Patris.

Geneſ. 37.

Rupert.

Luc. 23.

§. IIII.

Nihil exigit Deus præcepto generali, quod ipſe vel in ſe, vel in ſuis non probauerit.

HORRET animus in vnici pignoris morte matris viduæ vel reſpicere orbitatem, vel meminiſſe dolorem. Quis credat humanas vires tanta iactura non penitus ſuperari? Sed abſit, nihil enim Deus à nobis exigit, quod prius ipſe penitus non explorauerit, ne exceſsiuum ſit. Ad Abrahamum primo illa fuit vox facta, Geneſ. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, atque offeres eũ in holocauſtum.* Hic primus? An eius fides vel obedientia tentaretur? Id multis placet patribus; verum ego crediderim, quod ibi Deus non tam obedientiæ, quam virium humanarum experientiam intenderet, vt inde poſſet præceptum de poſtponendis Deo filijs promulgare. Ita eleganter Tertul. de orat. dom. fatur. *Abraham non tentandæ fidei gratia de filio iuſſerat, ſed probandæ, vt per eum faceret exẽplum præcepto ſuo, quod mox præcepturus erat, neque pignora Deo chariora habenda.* Nihil à nobis modo petit Dominus non examinatum, non probatum exemplo, & iuxta vires humanas trutinatum. Petit à parentibus relinqui filios propter Deum. Sed non id petit anteaquam feciſſet experientiam, & probaret, quod homo libenter Deo filium vnicum litaret. Inquam ſententiam coincidit etiam Diu. Proſper. de prædictionibus, par. 1. cap. 17. fatus. *Sed Abrahami, qui tentatur in filio, non tantum collatæ fidei virtus demonſtratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur, & vt præcepti noui ex Euangelio maneret auctoritas: qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Magna quidem eſt diuinorũ præceptorum auctoritas, quod nihil Deus generaliter petat, niſi prius in ſe, vel in ſuis experientia facta, vt ſemper ſuperſit nobis de exẽplis poteſtas ad Dei mandata. Diu. Paul. ad Hebræ. 12. poſt veterum teſtium nubem recenſitam, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, afflicti, anguſtiati: poſt Chriſti Domini crucem pro poſitam: ſic finit. *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſe metipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes; nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatũ repugnantes.* Expende, quando exprobat nobis, quod nondum profudimus ſanguinem reſiſtentes peccato: nimirum poſt expoſitam nubem teſtium plurium ſanguine, poſt expoſitum Ieſum ſanguine ſudantem, ne putes à te exigi aliquod ſupra hominem à nemine vnquam probatum. Id notabat Chryſoſt. ibi. *Non confeſtim intulit conſequentia: ſed poſtquam illis oſtendit omnes eos, qui vſque ad ſanguinem reſtiterũt.* Is erat antiquitus Dei mos, quod nihil inexpertum, & non probatum prius populis ſuis mandaret. A primordio ſe in peccatores oſtendit ſeuerum, cum primo in crimine deprehẽſum Adamũ paradiſo eliminat,

Tertul.

Proſper.

ad Heb. 12.

Chryſoſto.

minat, morti tradit, Cainũm etiã statim subdit pœnæ, totum mundum iratum submergit aquis. Verum vbi seruatus Noe sacrificiũ Deo obtulit. Genes. 8. *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum.* Non putat homines meliores futuros, & tamen, quasi pœnitens facti promittit nunquam simile facturum. Cur tam cito seueritatem tandiu exercitam coercet, & conuertit in humanitatem? Volebat deinde, quod homines pœniteret facinorum suorum, & à vijs pessimis declinarẽt: quod non petit, quin prius in seipso pœnitentiam dedicet, & probet, quid sit pristinos affectus retractare. Tertul. lib. de pœnit. ait. *Post condemnatum hominem cum sæculi dote, post ejectum paradiso, mortique subiectum, cum rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescisa sententia irarum pristinarum, ignoscere factus operi, & imagini suæ. Itaque, & populum congreganit sibi, & ad pœnitentiam semper adhortatus est.* Non antea pœnitentiam petit, quam in se pœnitentiam pristinorum actuum dedicet, & probet, ne quid minus examinatum, & probatum exquirat à popularibus. In id recidit præceptum deparcendo inimicis solum exhibitum populo Christiano. Quia solo Christianitatis tempore Deus inimicis suis idololatris misericordiæ suæ pandit Thesauros. De quo Tertul. lib. 4. in Marcionem. *Quandiu intra Israelem erat Sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat: at vbi Christo dedit gentes in hæreditatem: & cœpit expungi, quod dictum est per Oseam, non populus meus, populus meus, & non misericordiam consequuta, misericordiam consequuta: exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit.* Prius in se charitatem erga inimicos experiri incepit, & tunc de illa tanquam de reprobata, & iuxta humanas vires trutinata dedit præceptum.

Genes. 8.

Tertul.

Idem.

Tex. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit locum. Hi autem, qui portabant, steterunt.

§. V.

Promptissima Dei misericordia, vt ad afflictos prosiliat.

NESCIT Dei misericordia se se continere, dum eius viscera miseri hominis conspectũ tangũntur. Et miseriæ malum foras erumpit, & statim Dei miserentis oculis super illud; id nouerat feruidus ille diuinæ gloriæ zelator Elias, & dum cupit Israelitas sub flagello diu continere, causam ad se vocat dicens. 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Cœlum claudis, ô Propheta, & saltim claues non vis credere Deo? Cur tibi eripis diuinũ imperium? Cur cessationem supplicij diuinæ non committis voluntati? Pulchrè Diu. Basil. Seleu. orat. 11. ait. *Propensam Dei in homines beneuolentiam metuit. Ipsam nouit, vt cito lacrymis concilietur; nouit, vt modica consilij factiue retractatione pœnas contrahat, ne præmaturum det ab imbrium carentia laxamentum, metuit.* Non audet seuerus vltor iniquitatum cœli claues tradere Deo, refugit misericordiæ dispensationem Deo credere, cuius ingenium est ad miseri hominis lacrymas euolare nescius dilationes texere, sed studens pœnitentium, & afflictorũm præmaturare leuamen. Per Samariam iter agebat Dominus, Luc. 17. & ecce tibi decem viri leprosi occurrunt Saluatori, sanitatem flagitant: quibus Dominus ait. *Ite, ostendite vos sacerdotibus: & factum est, dum irent, mundati sunt.* Merito dubitat Tertul. cur hos remiserit Dominus sacerdotibus Ierosolimitanis, cum nullum alium remiserit? Erat inter hos vnus Samaritanus, & res agebatur apud Samariam; Samaritæ autem vehementer gloriabantur deputeo accepto à Iacob, apud quem post longum iter cum veniret Iesus, longo itinere fatigatus, sic sedebat spectans aquam, quia puteus altus erat, nec habebat, quo hauriret. Ioan. 4. Volẽs ergo Dominus Samaritis ostendere salutem ex Iudęis esse per Christum, illos sacerdotibus tẽpli remisit, vt veram Dei cognitionem ex propriissimo Dei ingenio perciperent. Quo non altum puteum exhibet fatigatis ex itinere, vt post longum iter, & post longam afflictionem, adhuc non habeant, quo hauriant salutem; sed patulum exhibet fontem, qui viuo fluuio præmaturet leuamen defatigatis primo itineris puluere. Pulchrè Tertul. lib. 4. in Marcionem, inquit. *In Samariæ regionibus res agebatur, vnde erat & vnus interim ex leprosis, iam de industria iubet ostendere se sacerdotibus, subijciens Samariam Iudæo: tota enim promissio tribus Iudæ Christus fuit: vt scirent Ierosolimis esse, & Sacerdotes, & templum, & matricem religionis, & fontem, non puteum salutis.* Expende ab his, & *fontem, non puteum*: quippè non habet verus Deus salutem in puteo, quam nec longo itinere fatigati possint haurire: Sed habet salutem suam in fonte, qui flu

3. Reg. 17.

Basil. Sel.

Luc. 17.

Tertul.

mine

mine vino currit ad eos, qui in viæ defatigatione ſunt. Dum iter ad Deum arripias, in viæ puluere ſis, non ſe continet miſericordię fons,
Hier. 18. iam obuiæ ſaliunt tibi ſalutis vndę. Hoc Dei miſerentis ingenium ſic exprimit Hierem. c. 18. ſatus. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem eis. Et ſubito loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud.* Subito, inquit, loquar, quaſi nequeat ſe continere, vbi lachrymas pœnitentium, & afflictorum videt. Ex hoc Dei ingenio aperitur mihi ingens doctorum difficultas ſumpta ex cap. 3. Ionæ, vbi dicitur Ionas prædicaſſe. *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Ninive ſubuertetur.* Quæ verba Septuag. legunt longe aliter, dicentes, *adhuc tres dies ſunt, & Ninive ſubertetur.* Videtur ergo mendaciũ eſſe, vel apud vulgatam, vel apud Septuaginta: Propheta enim non vtrumque dixit, ſed aut vnum, aut aliud, & quod dixerit quadraginta, textus Hębreus cum vulgata affirmat: Cur ergo Septuaginta dicunt tres dies tantum? Multa multi comminiſcuntur, vt poſſunt videri apud noſtrum Riberam in præſenti, ſed ſi mihi inter tantorum doctorum placita aliquidli ceret, putarim Septuaginta non ſpectaſſe verba Prophetæ, ſed vt ſæpe alias miſterium, & Dei intentum illis contentum. Intendebat enim Deus per minarum voces miſericordiam ſuã erga pœnitentes oſtendere morę impatientiorem, quam iuſtitiã, vt pote quæ cum iuſtitia poſt tot peccata adhuc quadraginta dies, ſe poſſet cohibere, ipſa ad triduum lachrymarũ iam ſe continere non poſſet, quominus ſalutem infunderet in afflictos, & pœnitentes. Itaque Septuaginta, non verba minarum attẽdentes, propoſitum Dei ibi latens, de miſeratione facienda reddiderunt, dicentes. *Adhuc tres dies ſunt, & Ninive ſubuertetur.* Agnouit ex hoc triduo ſanationem per minas intentã
D. Ephræ D. Ephræm de Pœnit. ſatus. *Chriſtus ſuſcitate intriduo promittebat, Ioannis 2. & hic euerſionem comminabatur, niſi pœnitentiam egiſſet. Non minis terruiſſet pœnitentia: niſi futuram fuiſſet, vt ſanaretur. Non excitaſſet Chriſtus ciuitatem peccantium: niſi reſipiſcentiæ eorum ſpes fuiſſet. Chriſtus reſuſcitat ad pœnitentiam inuitans, tres dies lex, & Euangelium peccatoribus ad pœnitẽtiam prædicans, &c.* Latebat in verbis vindictæ miſericordiæ propoſitum, & in verbis oſtendentibus pœnam, latebat exhibitio gratiæ, qua vltra tres dies non ſe contineret, quin ſalientes in vitam effunderet ſuos latices.

§. VI.

Solus Deus veram lætitiam, & conſolationem in malis affert.

TVRBA ciuitatis multa funus, & matrem defuncti comitabatur, vt de dolentium multitudine daretur afflictę qualecunque ſolatium, ſed neque amicorum luctus, nec creaturarum chorus miſeræ matri afferebant leuamen, vnus Deus, qui fluctibus imperat, ſic iubet ceſſare lachrymas, & lætitiam, & gaudia reuolare. Senior ille filius apud Lucam capit. 15. vt vidit fratrem iuniorem cũ patre epulantẽ inter gaudia, inter muſicorum choros, ſic ipſe queritur apud patrem. *Nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Luc. 15. Vana querela, pernicioſa extitit ignorantia, gaudia, quæ frater habebat cum patre, ſtultus iſte inter amicorum cuneos deſiderabat; nec amici, ſed cœleſtis pater poteſt afferre ſolatia. Vnde D. Hieronim. epiſtol. 146. Sic ſtultitiam damnat: Hieron. *Erras ſi putas te petius vt tecum epularer. Non poteſt eſſe ibi aliqua iucunditas, niſi patre tecum celebrante conuiuium.* Non ab amicis, à cæleſti patre ſperandum leuamen. Te licet amicorum cunei circumſtent, licet vniuerſa bona aſſiluant, licet hinc inde voluptates proſiliant, nullum verum tibi afferent ſolatium, ſi vnus ſolus Deus abſit. Quis hominum florentiorem locum obtinuit, & delicijs abundantiorem, quam Adamus? Locus illi erat paradiſus voluptatis; ſocia formoſiſsima puellarum, & gratioſiſsima, menſæ lautiſsimæ, quibus cũ dimidio animæ ſuæ veſci poterat. Inter hæc tamẽ tanta ſolatij ſulcra, ecce tibi Adam trementem, fugitantem inter aſpera ficus ſe ſe abdentem. Quid agis Adam? Nonne tibi tot fructus dati ſunt, quibus cum dilecta ſponſa veſcaris? Non tibi tot delicię parturiuntur, quibus quietus, & ſecurus oblecteris? Epulare ergo, oblectare gaude, dum tibi tam floridum nemus arridet. Pulchre, & vere Arnoldus Carnot. de opere ſex dierum fatur. *Non ſtatim poſt prauaricationem eiectus eſt homo de paradiſo voluptatis, ſed conſcio ſceleris, nihil delicię paradiſi conferebant.* Aberat vnus Deus per peccatum eiectus ab animo, & ſi omnes aliæ delicię omnes voluptatum incitamenta alioquin de præſentia erant, nihil lætitiæ, nihil ſolatij poterant cauſare. Merito Iſaias capitulo 52. clamat, vt captiui populi luctus, & lamenta ſoluantur. *Excutere de puluere conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.* Sed Arnold. Iſaias 52.

quis poterit à captiuis luctum tollere? An tyrannus mollior factus illis copiam redeundi in patriam facit? An permissi sunt inter amicorum choros conuiuia celebrare, festos dies agere? Vnica, & certior est causa, quę possit captiuorum luctum eliminare; quam innuens Propheta addit. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Non patria diues, nõ amici chori effusi, non tyrannorum fauor, non vniuersa mundi bona possunt verè lacrymas miserorum temperare, nisi ipse Deus per se adsit. Ruper. lib. 6. in Genes. cap. 18. *O pium desiderium, pia spes, longa suspiria populi sanctorum! Quomodo in gaudium subleuatus, & in risum est dilatatus? Quomodo absterſa est omnis lacryma ab oculis eius? Testatur Isaias cum dicit: excutere de puluere, consurge, sede Ierusalẽ, solue vincula colli tui, captiua filia Sion. Quia hæc dicit Deus: propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Vnus Deus est, qui nostras lacrymas potest siccare; & quasi hoc opus solum sit diuinæ potestati reseruatum, sic Apocalyp. 21. dicit. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipse populus eius erunt: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Expende illud, *absterget Deus, &c.* Non creatura aliqua, non legatus, non Angelus, sed Deus ipse officium lacrymas abstergendi sibi reseruat; alia alijs credidit, Angelis enim suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum; similiter, vbi mendicus moritur, factum est, vt portaretur ab Angelis in Abrahæ sinum; verum nulli creaturarum, nec Angelo credit, quod lacrymas abstergant. Id proprium est munus manus diuinæ: vt dicat Bernard. in Declamationibus. *Felices lacrymæ, quas benigna manus conditoris absterget.* Vnam Dei manum spectant nostræ lacrymæ, quã verè, & solidè possunt omninõ abstergi. Rem ita finit Bernard. epist. 104. *Illud verum solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur. Cui comparata omnis aliunde iucunditas maror est: omnis suauitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum: omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Sic ille.

Ruper. Apoc. 21. Bernard. Idem.

§. VII.

Fœminarum lacrymæ suspectæ sunt inanitatis.

SEMEL, aũt bis, lego lacrymãs fisti iussas ab illo Domino, qui alioquin lugentes beatificat; & cum ad mortem duceretur, & cum velit hunc iuuenem suscitare; verum vtrobique sistuntur fœmineæ lacrymæ, vt quæ semper præseferant suspicionem inanitatis. Parum resurrectionis credula Magdalena defunctum Dominum lacrymis ad monumentum prosequebatur: cuius planctus perteſsi Angeli aiunt. Ioann. 20. *Mulier, quid ploras?* Et possit quis merito mirari, cur Angeli proprium Mariæ nomen dedignantur appellare, & commune vsurpant mulieris vocabulum? An ignorant nomen, quod scriptum est in cœlis? Absit: sed lacrymarum illarum taxantes inanitatem, eam ex communi natura educunt fœminarum. Præclarè Diu. Hieronym. epist. 105. quæst. 5. ait. *Dicunt ei Angeli, quos cernebat: Mulier, quid ploras: vt ex eo, quod appellarunt mulierem, arguant frustra plorantem, & dicerent: Quid ploras?* Non multùm fidas fœmineis lacrymis; imò vt plurimum suspectas habe inanitatis: videbis sæpè fœminas se peccatrices plangentes, longisque fletibus, & eiulatibus ad altare accedentes, & inde ad amici amplexus deuolare. Ruth capit. 1. cum Noemi rediret ad Israelem, iubebat, vt nurus suæ reuerterentur ad populum Moabitarum, gẽtilem earum patriam. *Quæ eleuata voce flere cœperunt, & dixerunt, tecum pergemus ad populum tuum.* Ecce lacrymæ salutares fœminarum, cum firmo proposito accedendi ad populum Dei. Nihilominus socrus earum misereſcens paupertatem, iterum obsecrabat, vt redirent in patriam. Quid plura? *Eleuata igitur voce rursus flere cœperunt. Orpha osculata est socrum, ac reuersa est.* Expende illud, quod Orpha flens, planctus agens, & eiulatus socrum osculatur, & ad idololatram reuertitur patriam. Siccine sunt mulierum lacrymæ, eiulatus; plorant, lacrymantur in fletu, & planctu Deum inuocant, accedunt ad altaria, & vt figunt oscula altari, inde ad pristini idoli amplexus gradum faciũt. Hinc sponsus commendans pulchritudinem oculorum sponsæ à lacrymis, simul ostendit, suspectas esse inanitatis aliarum lacrymas. Ait enim capit. 7. *Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* An ideò laudatur sponsa, quòd habeat lacrymantes oculos, vt habet quælibet filia multitudinis? Quid hoc magnum ad sponsæ commendationem? Magnum sanè est, quod eas lacrymas fundat sponsa, quibus sibi peculiarẽ decorẽ, specialissimãq; pulchritudinẽ faciat, quãdo lacrymę cõmunissimę res sunt cuilibet filiæ multitudinis. Sponsam decorant lacry-

Ioan. 20. Hieron. Ruth. 1. Cant. 7.

mæ,

mæ, & illam ſponſam dilecto amatam faciũt, quando lacrymæ in alijs fœminis, non illas à multitudinis grege abducunt, ſed priſtinis fœditatibus cubantes relinquunt. Huc ſpectabat Diu. Bernard. ſerm. de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, fatus: *Videas aliquem frequenter in oratione deuotum, cuius oculi ſunt ſicut piſcinæ in Eſebon præ multitudine lacrymarum: ſed recuſat ferre iugum obedientiæ; ſuam plangit in oratione ſuperbiam, ſed hora compunctionis tranſacta, ita ſuperbus eſt, ſicut antea, vel ſi leuis in moribus, poſt orationis ſuæ deuotionem, in eandem recidit leuitatem, oſſa eius replentur vitijs adoleſcentiæ eius.* Tales ſunt lacrymæ in filiabus multitudinis, in animis muliebri infirmis leuitate, quæ nullum emendationis, ſiue profectus incrementum afferunt. Hæ contemnuntur à Deo, à quo ſolæ ſponſæ lacrymæ laudantur, quæ decorem augent, & ſpecialem ſemper pulchritudinem addunt.

Tex. Et ait; Adoleſcens tibi dico: ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.

§. VIII.

Beneficia ſine vllius iniuria facienda.

OMNIBVS prodeſt Saluatoris noſtri beneficium; adoleſcenti defuncto vitam infundit, matri filium reddit; ne tu à ſano Principe beneficia ſperes cum iniuria alterius. Erronea Originis mens inter alias infamias, illud excogitauit, quod Deus ſimul omnes animas in beatitudine fecerit, vt inde, quæ male ſe geſſerint, in pœnam peccati in corpora detruderentur. Errorem hunc penitus elliminat ſancta Samuelis mater Anna, quæ. 1. Reg. 1. precibus, & lacrymis obtinuit à Deo filium maternæ pietatis donum; quod ſi, vt filius daretur Annæ, neceſſum erat, vt anima pueri prius à beatitudine deuiaret, & fœlicitate poſſeſſa priuata in corpus mitteretur; ſanè impia eſſet Annæ precatio, & non multum iuſtus benefactor, qui vt mulierculæ lacrymulis proſpiceret, tam ingens damnum faceret animæ pueri. Id quod eleganter in Originem ponderat S. Theophilus Alexand. epiſt. Paſc. 2. his verbis. *Et culpæ ſubiacebit Anna vxor Helcanæ, ſemen virorum poſtulans: vt propter deſiderium mulierculæ, animæ in cœlis periclitentur, & vna earum peccato graui labatur in terram, ac priſtinam beatitudinem deſerat.* Non huiuſmodi putanda ſunt Saluatoris noſtri beneficia, quę vt maternis lacrymulis proſpiciant, filiorum animis noceant; imò ea ſunt, quæ filij animæ penè perditæ occurrentia adoleſcenti vitam, & filium matri referant. Egregiè dolebat Diu. Syneſius peſsimorum iudicium, & Principum corruptelam, etiam in donis exhibendis, & proponens ſibi Herodis ambitionem, qua puellam Ioannis capite munerauit, ſic finit epiſt. 72. *Pleraque verò, & alia inde malæ oriuntur: verſantur in conuiuijs calumniæ, mulieris donum ſit ciuis alicuius calamitas.* Eu quoties hoc malum luxit Chriſtiana Reſpublica, quot damna, quot calamitates pepererunt mulierculorum donaria? Quantis ſæpè ciuitatum, & regni ruinis comparant Principes, vt vnico amico ingerant beneficia? Eccleſiaſt. 13. *Venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua ſunt ditum pauperes.* Quæ verba eleganter in rem præſentem tractat Saluianꝰ lib. 1. de gubernat. Dei fatus. *Tyrannidem hanc non pauperes tantum, ſed penè vniuerſitas patitur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio ciuitatum; aut quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quam præda? Nulla ſiquidem maior pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſoluatur. Vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt.* Hæccine ſunt mundalium tyrannorum beneficia, vt vnum illuſtrent, pro nihilo habent innumeros alios vaſtare, & vix eſt in mundo, qui augmentum recipiat, quod non oriatur de aliorum calamitate. Longè aliter bonus Ieſus, qui mundum redempturus irato Petro inſeruum Pontificis inquit, Matth. 26. *Reconde gladium tuum.* Cur recondat gladium? Erat nequis dignior vulnere, quam nequiſsimi hominis miniſter? Pulchrè Diu. Ambroſ. lib. offic. 3. capit. 4. *Qui latro deteſtabilior, quam perſecutor, qui venerat, vt Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Indignum plane eſt, ſi neſcias ad ſalutem alicuius ire, niſi de vulnere alterius: illud præclariſsimum omnium, quod ſuis appropriat Diu. Iſidorus Peluſ. lib. 2. epiſt. 7. inquiens. *Apud nos etiam ſancti viri coronas ſuas ex alienis calamitatibus retexere minimè volunt.* Hinc factum fuit, quod Ieſus oſtenſurus ingens beneficium reſurrectionis omnibus hominibus largiendum, excitaturus Lazarũ, Ioan. 11. *Lacrymatus eſt.* Quod ſi di-

1. Reg. 1.

S. Theoph.

Syneſ.

Eccleſ. 13.

Saluian.

Iudith. 16.

Ambroſ.

Iſid. Peluſ.

Ioan. 11.

ſi diuinarum lachrymarum cauſam vis noſſe, ea eſt, quia cogebatur Lazarum â quiete abducere, vt alijs beneficia ſua monſtraret. Ita D. Hier. epiſt. ad Taraſiam, ait. *Doluit Lazarum, non dormientem, ſed potiùs reſurgentem, & flebat cum cogebatur propter ſaluandos alios, ad ſæculum reuocare.* Quaſi eſſet indignum optimo Principe de aliorum ærumnis alios ditare.

§. IX.

Bonus vir non habet beneficia, quæ aliorum officiant ſaluti ſpirituali.

CREDIDERIM hanc pueri huius ſuſcitationem proficuam fuiſſe eiuſdem ſpirituali ſaluti, etenim ait, quod Dominus dederit illum excitatum matri ſuæ. Non eſſet enim piæ fœminæ donum, ſi à portu ſalutis in vitæ huius incertum reuocaretur, nec viduæ lachrymæ, quæ meruerunt Dei compaſsionem, & miſericordiam, acceptum haberent beneficium, quod noceret filij ſpirituali ſaluti. Sic Deus promittit populo ſuo apud Iſaiam capitul. 48. *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps uteri tui, vt lapilli eius.* Iſaias. 48. Ecce tibi filiorum multitudo promittitur a Deo quaſi donum, & præmium matris obſeruantis diuina præcepta. Quid tunc? Ex hoc S. Theophilus Alex. epiſt. paſc. 2. Originis errorem confutat, qui aſſerebat animas noſtras ad corpora deſcendere ob ſuæ conſcientiæ ruinam. Etenim ait ille: *Qui enim Dei præcepta cõſeruant, non debent accipere præmium animarum de cœlo ruinas, quæ ligatæ corporibus ſobolis eorum incrementa multiplicent.* Theophilus, Alex. Nemo equidem bonus à proliũ multitudine ſolatia quæreret ſua, ſi ſciret id illorum animabus maximum nocumentum exiſtere. Simplex, & iuſtus Iob, qui & ruinam omnium bonorum, & filiorum mortem perpeſſus eſt, vbi poſt calamitatem vidit ſibi omnia reſtitui duplicia, potuiſſet ſperare mortuorum filiorum reſurrectionem. Sed abſit, quod vir prius acciperet virtutis præmium tantum filiorum nocumentum, quantum eſſet ſi à fælici vita, iterũ in hanc lachrymarum vallem deueniſſent. Ideo ne filijs quieſcentibus officeret, maluit integrum gaudium ſuum differre in ſæculum venturum. Quem ſenſum, & catholicum, & elegantem intendit Tertul. lib. de patientia, capitul. 14. inquiens. *Iob ſi filios quoque reſtitui voluiſſet, pater iterum vocaretur: ſed maluit in illo die reddi ſibi tantum gaudij:* Tertull. ne videlicet putaretur gaudia ſibi interim comparare de animarum filiorum ruinis, & præmium habere virtutis aliorum ſpirituale nocumentum. Cur hoc in filijs non ſpectaret Iob, cuius dignitati proſpicitur, quando amicorum incolumitas initium ſit præmiorum eius? Illi enim amici, qui mali, & onero-ſi conſolatores ſanctiſsimo viro extiterũt, peccati ſui veniam à Deo impetrant, ne pœna ſua Iobi gloriam læderet. Quippe cap. 42. ait. *Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Iacob.* Iob 42. Expreſsius ſeptuag. aiunt. *Et ſoluit peccatum ipſis propter Iob.* Quid eſt illud? *propter Iob?* Nimirum proſpiciens Iobi authoritati, & gloriæ pepercit Dominus iniurioſis amicis Iob. Quando illum in priſtinam gloriam reſtituebat. Minueretur enim multum Iobi beneficium, ſi de ruinis amicorum fieret. Sic Olympiodorus in Græca fatur. *Et enim ea res damno Iobo fuiſſet, ſi amici, qui conſolationis adhibendæ cauſa ad ipſum commearant, pœnas interitu perſoluiſſent.* Græcus. Luctuoſum eſſet Iobi beneficium, quod cum flagello, & pœna aliorum veniret: quo ſe Dauidis virtus maxime extulit, cum enim ſibi infenſiſsimi Saulis miſeram mortem excepiſſet 2. Reg. 1. *Apprehẽdens veſtimenta ſua ſcidit, omnes que viri, qui cum eo erant, & planxerunt, & fleuerunt.* 2. Reg. 1. Quid Dauid in morte Saulis? Cur non potius beneficium à Deo profectum recognoſcit, quando & pacem, & regnum cum tyranni morte recipiebat? Erat quidem pijſsimo homini maxime luctuoſum beneficium de calamitate, & ruina æterna Saulis profectum. Quam pie gentium Eccleſiæ Cant. 3. aiebant. *Inueni, quem diligit anima mea: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum, in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cant. 3. Sed Eccleſię mater Synagoga eſt à Deo repulſa, & reiecta, ex cuius repulſione, & eiectione venit, quod ſe ſe Dominus inueniendum præbet Eccleſiæ gentium. Ingens Eccleſiæ beneficium, quod Deum inuenerit, quod ſibi teneat, quid amplius optat, quid amplius inſtat, nec quieſcit, donec illum introducat in domum genitricis? Quid intereſt Eccleſiæ, quod Deus reducatur ad Synagogam? Multum per omne modum, quippe vix reputat beneficium ſuum ruinam, & calamitatem alterius. Quo reſpexit Diuus Paulus ad Roman. 11. *Cæcitas ex parte contigit Iſrael donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Ad Rom. 11. Quaſi gentium gratia non reputetur plena, dum de Iſraelis

rælis ruinis impletur, donec communis
Bernar. ſalus veniat. Pulchre D. Ber. ſer. 79. in Cant. *Magna Eccleſiæ charitas, quæ nec amulæ Synagogæ ſuas delicias inuidit. Tenet itaque firmiter Eccleſia ſalutem, quam Iudæa perdidit, ipſa apprehẽdit, donec plenitudo gentium introeat, & ſic omnis Iſrael ſaluus fiat. Velut in commune communem venire ſalutem, quæ ſic ab omnibus capitur, vt nihil ſingulis minuatur.* Imo multum minuitur Eccleſiæ ſalus, quæ veniat de alterius ruina.

§. X.

Matris diſciplina ſalutaris adoleſcentibus.

SVSCITATO Lazaro fecit dominus facultatem libere abeundi; ait enim. *Soluite illum, & ſinite abire,* at adoleſcentem cum reſuſcitat, nec primum gradum facere permittit, ſed eum ſtatim matri tradit. Valde enim proficiunt adoleſcẽtes de diſciplina matris. Sic Pro
Prouer. 7. uerb. 7. Salomon: *Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me; atque dicebat: Suſcipiat verba mea cor tuum: cuſtodi præcepta mea, & viues.* Sic materna conſilia, & diſciplina hærent filiorum animis, vt nihil magis corde infixum habeant, nulla re magis armentur adeo, vt Cellenſis lib. de Panibus, cap. 5. ſic quoſque viros componat, vt velit in fantili more ab vberibus matris ſemper pendere. Ait enim. *Aſſueſcat igitur paruulus matris collo pendere brachiolis: vultum pendulum, & pauidum ab omni occurſu malo retorquere in faciem parentis, omnes tanquam*
Coll. *inimicos (præter alumnos) fugere, aduerſus omne infortunium ad vbera reuolare, & ingremio matris aſſidue cubitare.* Multum prodeſt filijs, ſi ſubdiſciplina nutriantur matris: Si matris cõſilijs, blandiſque moribus adoleſcant. Nihil tã cordi matri eſt, quam filiorum bona inſtitutio quam filiorum morum ornatus, & vitæ fælicitas. Ex modeſtia filij; ex morum facilitate, & ſimplicitate clare proſpicies ſtudium, & diſciplinam matris. Seſe ſtatim duo obijciũt gemelli fratres, Iacob, & Eſau, diuerſiſſimi tamẽ moribus, Iacob omni virtute ornatus, Eſau
Gen. 25. prorſus impudens, & efferus. Vnde tantam morum differentiam ebiberũt vterini fratres? Gen. 25. ait. *Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autẽ vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Iſaac amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur, & Rebecca diligebat Iacob.* Ecce tibi mores Iacob, & mores Eſau, hic vt patri morem gereret venationi vacans, ferus cum feris fiebat: Ille domi ſedens totus matris, eius diſciplinam referebat in morum ſimplicitate, & facilitate, & de matris conſilijs viuebat, ſciens aduerſus omne infortunium ad vbera reuolare. Ruper. in Cat. Lyppomani ad cap. 27. Gen. ſic notat. Rup.
Vides quod omne conſilium pro Iacob à Rebecca initium ſumit? *Ipſa ad ſurripiendam benedictionem ipſum ſummiſit, ipſa fugæ conſilium prior porrigit, ipſa demum coniugem & procurat.* Omnia, & ſaluti, & moribus Salutaria habuit Iacob, ſedens in tabernaculis, ſedens domi apud matrẽ eius inſtitutionibus, & vigilijs educatus. De ſimili inſtitutione, & materna diſciplina gloriabatur Pſaltes 115. Aiens. Pſal. 115.
O Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Vbi ſe Dei ſeruitio meminit manci patrum, non patris meminit, ſed matris, cuius diſciplinæ, & educationi debetur communiter filiorum deuotio, & modeſtia in moribus. Quod notans Chryſoſt. ibi in 2. ad Tim. 1
confirmationem addit. *Id etiam Paulus poſuit in Timotheo pro maximo ornamento, dicens: Recordationem habens fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus ſum autem, quod & in te.* Quod in matre vidit, non potuit filius non tranſmittere in ſe: quaſi naturalis enim eſt, & neceſſaria in filijs, quæ à matre venit diſciplina, & morum integritas. De quo in præſenti Bruno.
Timothei loco fatur D. Bruno. *Quæ fides habitauit etiam primum in auia Loide, & in matre tua Eunice. Quod ſi in progenitricibus tuis, & in muliebri ſexu exemplum habes fidei, quaſi iam naturalis tibi ſit, debes vtique per hoc plurimum feruere in fide.* Naturale eſt, & quaſi neceſſarium in filio, quidquid virtutis, & pietatis venit illi de inſtitutione materna.

Text. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes. Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

§. XI.

Non leuiter ſuſpicienda, & acclamanda eis iuſque ſanctitas.

SAPIENTER hi Deum halantis Chriſti virtutem compuncti, & timorati dum cognoſcunt, mundalium hominum pungunt leuitatem, qui ob leuiſſima ſigna ſtupent, & mirantur ſanctitates. Cum Ieſu accu-

buisset in domo Simonis accesit mulier famosa, mulier tota in ciuitate peccatrix, & stans retro cœpit lacrymis lauare pedes Iesu,
Lucæ 7. Lucæ cap. 7. quid tunc Simon? *Hic si esset Propheta: sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Vide quid magnum requirit Simõ iste in Iesu, quod si Iesus haberet, Propheta magnus agnosceretur, & à Simone prędicaretur; nimirum, quod agnoscerct fœminam, quæ ab vniuersa ciuitate agnoscebatur.
Chrysol. Acutè satis Chrysolog. serm. 94. *Pharisæus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret.* Eu Pharisæorum vanitas! Eu mundalium hominum leuitas! Hos sanctos mirantur, hos Prophetas stupent, qui nihil suggerant salutare, sed nota oculis prædicent, leuissima, & popularibus sanis, & insanis dæmoniacis possibilia signa ostentent.
Psalm. 4. Hos pungebat Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sic ad vanissima, & leuidensia propensi estis, vt veritatis soliditatem fastidiatis, respuatis. Tunc beatum populum, tunc vos beatos putatis, cum nacti estis non exemplum vitæ, sed oculorũ
Augusti. spectaculum, siue spectrum. Pulchrè Diu. August. hic ait. *Vt quid vultis beati esse de infimis? Sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia.* Vanissimi homines non infima suspiciatis, vt veneremini culmina sanctitatis. Fœminei raptus, extasis minima sunt, & infima sanctitatis symbola, imò sæpè sunt spectra solum, & phantasmata sanctitatis; nolite de his infimis beatos esse; amate potius illam veritatem virtutum, à quâ mores reformentur vestri; & vniuersæ vanitatis vmbræ à vobis absint.
Anast. Nic. Theod. apud Anast. Nycen. q. 18. innuit: *Deo cõcedente Pseudo Propheta prodigia faciat. Docemur autè nõ adhibere mentè signis.* Periculosum est semper externis his signis, & leuidensibus apparentijs inhiare: periculosissimum prorsus adhærere exterioribus infimi ordinis spectaculis, à quibus nihil compunctionis, nihil
Isai. 59. morale ebibatis. Isai. 59. *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digitive stri iniquitate, labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur, non est, qui inuocet iustitiam: nec est, qui iudicet verè: sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates.* Quoties hæc mente voluo, cum video frequentissimos concursus, & nobilium, & popularium ad mulierculæ, seu indocti hominis spectacula. Arripis iter, vt videas mulieris raptum, & eius totus stupens narras sensuum alienationem, rusticana verba, siue inurbanitates laudas, plenus peccatis, & fastidiens prorsus vera iudicia illorum, qui te ad iustitiam capessendam traherent. Sanè non est, qui inuocet iustitiam, non est, qui iudicet verè, sed confidunt in nihil, & loquuntur vanitates; de infimis, & leuidensibus sanctitates æstimantes.

CAPVT TERTIVM.

De Lazaro suscitato.

PROXIMVS morti Iesus diuinæ suæ potentiæ edidit signũ singulare, Lazarum in monumento fœtidum restituẽs sanitati. Is erat Domino familiaris, illiq; imprimis notus, tum proprijs, tũ sororum Mariæ, & Marthæ officijs, & obsequijs quotidianis. Hunc talem, & tantum virum, vt corripuit morbus: dilectoris, diuinique hospitis Iesu à sororibus fuit præsentia desiderata: & quem Iudæorum odium à Iudæa ablegauerat, infirmantis amore nituntur reuocare. Literæ protinus fuere missæ, Iesu dantur, qui vt videt, ægrotum visere moratur, mortuum quatriduanum, & sepultum abijt suscitaturus. Proh ingens Iesu potentia! Quod fideles sorores, nec audent sperare, præstat ipse, & mirante Ierosolima vitalem calorem gelidis Lazari membris inspirat, & quem tenuit sepulchrum mortuum, efficit, vt apud suos maneat viuus. Rei historiam sic Ioannes propinat.

Text. Ex Ioan. 11. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ, & Marthæ sororis eius.

§. I.

Vtile, & glorioſum viro, ſanctorum inſigniri cognominibus.

BETHANIA opidum erat, seu castellum, non cuius dominarentur, sed quod, & Lazarus, & Maria, & Martha incolerent, vt rectè noster Maldonatus probat. Sed quem non moueat opidum ab Euang. vocari Mariæ Marthæq; castellum, harumq; cognomine, & castellum, & Lazarum prædicari? Sic equidem honorant præstantissimos viros sanctorum nomina, sic illustrantur viri, fiuntq; de sanctorum nominibus illustriores, & clariores. Quin & sanctitatis apex, vnigenitus Dei filius, voluit de sanctorum suorum agnominatione clarescere, & illustrari. Hunc miratus

Hero-

Mar. 6. Herodes ait Mar. 6. *Ioannes, quem ego decollaui, ipſe eſt.* Quid plura? Herodis cæcitati ſubſcribit perſpicaciſsimus Chryſolog. ſerm. 173. Chryſol. fatus. *Maleuolo quidem, ſed veraci ſenſu teſtis ipſe crimini ſui exiſtit: Ioannes, inquit, quem ego decollaui, ipſe eſt. Verũ dicit.* Verum ais, quod vnigenitus Dei ſit Ioannes ab Herode decollatus? Non ne hoc ſummi imperatoris dedecus eſt de militis titulis, & cognominibus exaltari? Quo veraci ſenſu dici poteſt Ieſus Ioannes decollatus? Sanè eo ſenſu verum eſt, quod Ieſus ſit Ioannes ab Herode decollatus, quo clariſsimorum Heroum nominibus, viri illuſtres appellantur, decorantur. Adeò glorioſum eſt hominibus de gentilitijs ſanctorũ agnominibus appellari, & publicari, quando Dei filius nomine decollati Ioannis verè prædicatur. Nec apud Chriſtianos ferendus eſt ille mos, quo clari viri barbaricis, non tàm decorantur, quàm fœdantur nominibus. Præſtans ille adoleſcens, qui apud Hebræos de gentili ſanctorum nomine vocabatur Daniel, Dan. 5. vbi captiuus Babylona attigit, dimiſſo Danielis vocabulo, vocatus eſt à rege Babylonio de nomine Dei ſui Balthaſar. De quo regis mater inquit filio regi parietis ſcripto maximè perturbato. *Rex Nabuchodonoſor pater tuus, Principem magorum conſtituit eum, quia ſpiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque, & interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum inuenta ſunt in eo. Cui rex poſuit nomen Balthaſar. Nũc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.* Quibus expendo illud, nimirum quod dicatur à rege nominatus de nomine Dei ſui Balthaſar; deinde, quãdo eſt ad diuinã litterarũ interpretationẽ vocãdus dimiſſo Babylonico Balthaſaris nomine, iubeatur Daniel vocari. Quæ huius Theodor. rei cauſa? Pulchrè Theodoretus orat. 5. in Danielem, ait. *Neque dicit vocetur Balthaſar: cum enim experientia docti cognouiſſent Prophetæ virtutem, anteponunt Chaldeæ Hebræam appellationem, quare in reliquum ipſum Danielem nominant.* Quaſi veriti diuinum virum, niſi de gentilitijs ſanctis nominare; fœdum erat idoli agnomine turpare virum, à quo diuinorum facinorum miracula ſperabant. Pungebat merito Diu. Hieronymus perfidum Iouinianum, quiſub veri Dei diſciplina, adhuc à Hieron. Ioue agnominari non verebatur. Ait enim. *Cane Iouiniani nomen, quod de idolo derivatum eſt. Squalet capitolium, templa Iouis, & cæremoniæ ceciderunt. Cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant?* Familiare putat Hieronymus cum nomine ſugi facinora eius, à quo nomẽ deducis; vt idoli nomen fers, ſic & vitia circumfers; amantur facilè mores, cuius amatur vocabulum. Non potes non intueri cum affectu præſentem illum, cuius nomen vbiq; præſens, & familiare habes. Hinc Diu. Chryſoſt. Chryſoſt. hom. de ſancto Meletio ponderat, huius ſanctiſsimi viri amor quàm afficiebat conciues ſuos, aiens: *Nam, cum eum à principio in ciuitatem ingreſſum excepiſſetis, vnuſquiſque filiũ ſuum appellabat ab illius appellatione, per appellationem exiſtimans vnuſquiſque in domum ſuã ſanctum introducere.* Sanctorum tecum habes patrocinantes virtutes, quoties intra limina tua eorum agnomina vides.

Tex. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas, infirmatur.

§. II.

Dei amaſsii ærumnis exercentur, laboribuſque ditantur. Qui ideo habentur equites, de la llaue dorada.

IAM iuxtà Aponium, hominum amatrix Chriſti humanitas, ſuum ingenium, moreſque diuinos erga dilectos oſtẽderat, Cãt. 8. aiens. *Ego murus, & vbera mea turres.* Quippè murorum à turribus, æreæ igneſcunt machinæ, plumbea iaculantur fulmina, nil non lethale, & bellicũ apparet. Ea eſt igitur Chriſti Domini humanitas, cuius vbera, nimirũ, cuius amor crebros euomit ignes, acutos emittit gladios, inſtarque turris muralis continuo pluit arcum, & bellum. De his, qui mũdialium regum in delicijs ſunt, aiebat Eccle- Eccleſ. 9. ſiaſtes cap. 9. *Super dolentiũ arma ambulabis,* hoc eſt, iuxtà Ianſenium, ô quanta ſuſpiria, quot ægritudines regius fauor parit, ſi amaris à rege, medius ibis inter dolentium grabata; ſeu, vt aptius Michael de Palacios, *ambulabis inter pilas, & gladios hoſtium iratorum fre* Micha. *mentium, & in cædem tuam ruentium.* Hiccine eſt amoris, fauoriſq; regalis partus? Sic equidem afficiuntur, qui à regibus mundialibus amantur, imò ſic afficit, quos Deus vehemẽter amat. Electum è millibus omnium Abrahamum qualiter tractat? Geneſ. 22. *Tentauit* Geneſ. 22. *Deus Abraham.* Tentauit, inquam, illum ea tentatione, qua fortiſsimi quique nutarẽt: vnicum filiũ ab ipſo patre petit occidi. Quale hoc tormentum? Et cur tanto dolore amicum premit Deus? Nullo equidem minori pretio amicitiam ſuam nouit Deus vendere; vt dicat Diu. Baſil Seleu. orat. 7. *Naturæ fluctus in virum iuſtum ſuſtollit: vt amicitiæ diui-* Baſil. Sel.

ne nundinatorem mireris. Expende illa pulcherrima verba, *amicitiæ diuinæ nundinatorem*: ne putent homines ad amicitiam Dei gratis euolare; nundinator est Deus suæ amicitiæ, quam nullus obtinebit, nisi magno laborum, & dolorum pretio. Non ne Ioseph amabat fratres? Sed vide, vt illos mille tormentis angat. Id quod ponderans D. Gregor, hom. 21. in Ezech. fatur. *Cyphus in sacco iunioris fratris absconditur, furti post eos quæstio mouetur. Mittitur, vt reducantur addicti; in seruitutem decernitur, apud quem Cyphus fuisset inuentus. In sacco vltimi fratris inuenitur; tunc Beniamim reducitur, afflicti omnes fratres sequuntur. O tormenta misericordiæ, cruciat, & amat.* Amantior erat Beniamim, & quia amantior, ideò illius sago regalis Cyphus immittitur, qui & dolorum excitet maiores, & lacrymarum causas. Miraris Cyphum regalem dolorum causam apponi amantissimo fratri? Non equidem id mirandum cum sciamus dolores, & passiones pro claui aurea donari, qua exornantur selectiores Principes, & amantiores, qui frequentiores visuntur apud summi regis palatium. Ioan. Apocalyp. 6. cum vidisset triũphans Dei templum, notassetque frequentiores ibi Principes, hos solum meminit, aiẽs: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Non erant ibi aliæ animæ? Non erant innumeri alij spirituum exercitus? Nõ erant millia millium ministrantium ei? Erãt equidem, sed qui præ oculis habebantur, qui frequentiores apud Deum, qui cariores, vtpote, qui clauem auream habebant, qua ad regem accederent singulis momentis, hi erant mortificati, excarnificati, laboribus, & pressuris interempti. Huc traho illam Tertul. excogitationem lib. de anima, vbi agit de Inferis, & tandem fatur. *Ioanni in spiritu paradisi regio reuelata, quæ subiicitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit: quia nullis romphæa paradisi ianitrix cedit, nisi, qui in Christo decesserint. Agnosce differentiam: si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, vt ipse præcepit. Tota paradisi clauis sanguis tuus est.* Regi frequentiores, & chariores à claui aurea noscuntur Principes: apud regem regum Deum tota palatij æterni clauis sanguis est, labor est, dolor est. Hac claui insigniti fulgeãt, qui cupiunt heberi summi regis amici.

Greger.

Apoc. 6.

Tertul.

§. III.

Summa fœminæ laus, cui Deus subdat virum, vbi pulchra de B. Tharasia Charmelitarum restauratrice.

NOTANDA item summa Mariæ, & & Marthæ commendatio, de quarum castello dicitur Lazarus, quasi eo gloriæ peruenerint mulieres sanctissimæ, vt dominarẽtur viri, illoque clariores, & præstantiores existerẽt. Sic minabatur populum Isaias cap. 3. iuxta Sept. *Aufert Dominus à Iudæa fortem, & validam.* Et quæ hæc erat adeò valida, cuius ablatione à Deo populus teritur? Explicat Diu. Basil. *Auferet validam cuiusmodi erat Sara, robusta plane, & Princeps tanti viri Abrahæ iuxta præceptum Domini dicentis omnia quæcumque dicet tibi Sara, audi eam.* Hoc robur, hæc virtus in fœmina admirabilis, cui à Deo subdatur vir, validissima Sara, cui iussus est Abraham à Domino obtemperari, validissimæ illæ fœminæ, quibus subduntur viri. His omnibus validior, & robustior Tharasia, Princeps tantorum Abrahamidum, nimirũ, clarissimorum virorum, qui primogenia sua Deo litarunt, quibus Tharasia leges dedit, & quibus dictum est à Domino, omnia quæcumque dicet vobis Tharasia, audite eam. Hinc fœminæ incredibilem fortitudinem, & præstantiam pensabat diuinus spiritus Prouerb. 30. aiens. *Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretiũ eius, confidit in ea cor viri sui.* Ecce vobis fœmina, in qua confidunt innumerabilium virorum, & fortissimorum, & sanctissimorum corda, sub cuius militant disciplina. Cui consonat illud D. Alcimi ad sororem:

Isa. 3.

Basil.

Prouer. 30.

Alcim.

Vt Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas;
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros: quos ipsa ferocem
Exemplo verboq́, monens accendit in hostem.

Et quidem siquæ fœmina inter Christianæ militiæ duces, & imperatores nomen sibi fecit, ea est Tharasia, gloria totius Carmeli, & libani. Paulus ad Philippen. 4. inquit. *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt.* Datæ sunt imperatori Paulo fortissimæ viraginis adiutrices, quæ non carnis molliciem, sed osseum originem sequentes, æmulæ sint fortissimorum imperatorum gloriæ. Ad hæc D. Basil. Seleu. orat. 2. *Vides fœmineum genus tangi Paulini cursus æmulatione? Vides Apostolicos sudores in mundi stadio imitatione exprimere? Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Ecce tibi Tharasiam, ecce adiutorium cœlesti Adamo simile, quæ osseum exercitans originem Apostolicos exprimit sudores, Pauli æmula doctrinæ radijs, & morum disciplina orbem illustrat. Nobili Israelis Imperatori Iosue dictum est, vbi ad pugnam accedit, quod solbat calceamentum de pedibus suis, quis hoc

ad Phil. 4.

Basil. Sel.

cre-

crederet iuſſum Principi militiæ, cui potius calceamenta ferrea mandanda erant aduerſus hoſtiles ictus? Sed iam dedicabantur diſcalciatorum pugnę, quas de Ieſuitarum halitu (ſi Tharaſiæ ſcriptis credimus) inſtruxit Tharaſia, vt ipſa, & domi reſidens, & in puluere dimicans multiplici victoria Eccleſiam adornaret. Audiſti Debboram agminum Iſraelitarum ductricem fuiſſe, aduerſuſque Siſaram conſeruiſſe manus in campo. Non tamen ibi interemptus hoſtis, ſed fugatus, qui ad Domum Iahelis accedens ſe ſomno dedit: tunc Iahel domi reſidens hoſtem penitus poſtrauit. De quarum victorijs pulchrè D. Alcim. cecinit vbi ſupra:

Alcim.

Mox animoſa Iahel peragit, quod Debbora victrix
Cœperat, inque ſolo ſtrati terraque iacentis
Tempora transfixo penetrans immania clauo.
Fœmineus duplex fit vno ex hoſte triumphus.

His præſtantior Tharaſia, quod duæ fecere quondam, vna ipſa peragit; ea fortiſsimorum virorum inſtruens acies, & ducit, & hortatur in campo, rabidoſque hoſtes hominum ab orbe fugat; fugatoſque filiorum ſuorum labore, & doctrina, ipſa domi reſidens transfigit clauo. Nec enim otioſe donata eſt clauo à cœleſti ſponſo arrhabonis nomine, ſed vt illo domi ſedens hoſtem transfigeret, & perderet, quem ipſa à toto orbe, ducta filiorum acie fugauerat. Vt ſic non duplex tãtum, ſed & multiplex ſit fœmineus triumphus ab vna Tharaſia peractus. Cũ hæc de D. Tharaſia loquor, non putetis vos priſtini ſæculi viragines Agnes, Chatherina, Cæcilia à me minus ardenter amari. Feror ánimo, & affectu in veſtros triumphos omni celebratione maiores, ſed de Sociatis ſpiritu hunc ebibi, vt noſtri ęui ſanctorum glorias, qua poſſum contentione, cantem. Quare liceat Tharaſiæ aptare verba, quę virginum principi aptauit D. Ambroſ. de inſtit. virginis, cap. 5. inquiens. *Veni Eua iam ſobria: veni Eua etſi in te aliquando intemperans, ſed iam in prole ieiuna, veni Eua iam talis, vt nõ de paradiſo excludaris, ſed rapiaris in cœlũ. Veni Eua iam Sara, quæ parias filios non in triſtitia, ſed in exultatione: non in mœrore, ſed riſu. Iſaac tibi multiplex naſcetur. Veni iterum Eua iam Sara, de qua dicatur viro: audi Sarai vxorem tuã. Sis tu licet viro ſubdita, quia eſſe te deceat: cito tamen ſoluiſti ſententiam, vt vir te audire iubeatur.* Ecce vobis Eua in Tharaſia, ſobria, ieiuna, parturiens filios in lætitia, quoties Tharaſię denuo filia, aut filius aſciſcitur, toties Iſaac renaſcitur, toties ſpiritualis lætitia, toties riſum facit Dominus ſponſæ ſuæ. Adde in Tharaſia ſolutionem legis, vt viri iubeantur illam audire. Quo illius multiplicatur gloria, & triumphus. Quis tantæ viraginis triumphos cantet? Quis dicat, qũæ ab illa pennatæ mortes in tenebrarum Principes euolarunt? Huic libens ſubſcribo, quod Sidonius Apollinaris de Iudith dedit carm. ad Fauſtum Reienſem, inquiens: *Sid. Apol.*

Et fragilis valido latuit beneſexus in ictu.

Et quidem à nemine minus, quam à fœmina videbãtur iacta fortia Tharaſiæ tela in Chriſti inimicos.

Ambroſ.

Tex. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

§. IIII.

Paruula Deo etiam exhibita ſeruitia, quam glorioſa æternum manent.

QVAM verè dictum iuſtis, capillus de capite veſtro non peribit: adeò enim ęſtimat Deus quidquid ſibi à viris iuſtis offertur, vt vel capillum memoriæ diuinæ arcanis repoſtum habeat. Vide modo quid Mariæ Magdalenæ commemoret Spiritus ſanctus, nimirum, *Maria erat, quæ exterſit pedes eius capillis.* Sic capillorum etiam ſeruitium æſtimabat. Sanſon Nazareorum lege comam nutriebat, & eius crinibus tanta diuini ſpiritus gratia inerat, vt eum prorſus redderet inexpugnabilem. Proh Deus immortalis! Cur ſic caperis criſpante iuuenis crine! Cur adeo à capillis teneris? Vndè viliſsimus capillus ſic te afficere poteſt? Equidem Nazæræus Sanſon Deo capillitium ſuum dicauerat, & vel capillus à viro iuſto dicatus Deo, pretioſam æſtimationem capit. Rectè Procopius relatus â Serario in cap. 16. Iud. quæſt. 46. ait. Filij hęreticorum rident, quod in capillis gratia eſt. Rideant igitur, quod in Apoſtolorum vmbra gratia eſt: in fimbria item veſtimenti Chriſti: in luto denique, quod cæcum illuſtrauit. *Quapropter voti nomine, pretioſa apud Deũ fuit coma.* A voto viri iuſti etiam capillus eam acquirit æſtimationem, qua in pretio habeatur apud Dominum, in eiuſque ſcrinijs aſſeruetur, vt res pretioſa. Cętera omnia etſi magna, etſi ſplendida, velut vmbra prætereunt; quod Deo offers, in æternum ſtat, & vel minimum illius in corruptibilibus aſſeruatur Theſauris. Pro quo recolẽ tibi quatuor illos celebres fluuios egrediẽtes à paradiſo voluptatis, Geneſ. cap. 1. *Nomen vni Phiſon: ipſe eſt, qui* *Procop.* *Geneſ. 1.*

qui circumit omnem terram Heuilath: vbi nascitur aurum: Et nomen secundi fluuij Gehon: ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertij Tigris: ipse vadit contra Assirios. Fluuius autem quartus ipse est Euphrates. De quibus maximè id expendendum est, quod tres priores auro lapidibusque pretiosis diuites dicantur circumire, transire, vadere, currere; solum de Euphrate non dicitur, quod transeat, quod circumeat; quippè Euphrates idem est, ac, *fructificatio eorum*; hi autem, qui ex Christi gratia fructus pariunt Deo, nihil vnquam amittunt, nec lacrymula perditur, sed æternum asseruatur mansura. Acutè D. Anastas. Sinaita lib. 8. Exameron id notabat addens. *Non scriptum est Euphratem nec transire, nec vadere, nec circumire, sed esse stabilem, & immobilem.* Fluũt cæteræ hominum res, & tandem ab ipsa terra bibuntur, vel marinis soruentur à fluctibus. Verum de bonorum operum fructibus, nihil præterit, nihil, nec aquæ frigidæ guttula perfluit, sed stabili thesauro asseruata perdurat. Ita apud Matth.cap.10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Nec guttula deperditur ex his, quæ in Dei seruitio peregisti: omnia simul tibi asseruantur; Apocalyp. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.* Non solum mors pro Christo Domino susceptа, non solum sanguis effusus pariunt hominum beatitudinem, sed & omnia anteactæ vitæ opera, vel minima sequuntur illos, id est, non præterent, nõ defluunt, sed æternum comitantur illos. Ibi D. Ambr. *Opera igitur sanctorum sequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum.* Cui pulchrè annuit Andræas cap. 42. in Apocalyp. inquiens. *Quod ex operibus nascitur, illud in marcescibilium coronarum causa existit.* Nullum opus quantumuis minimum Deo oblatum marcescit, sed æterno decore viget. Hinc etiam natum fuit studiũ illud, quo maledicturus ficui, ob defectum fructuum. Matth.11. accessit ad illam, cum non erat tempus ficorum, vt notauit Marcus. Sed cur accessit cũ ficorum tempus nõ esset? Ne fortè esset aliquis parua ficus, qua maledictionẽ subiret, & periret. Quippè solent etiam steriles arbores, vnum, aut alium paruulum exhibere pomũ: & adeò gratus est Deo, quiuis paruulus etiam fructus, vt caueret ad maledicendã ficũ accedere, cũ per tẽpus posset aliquis esse fructulus. Pulchrè aiebat D. Cyr. Ier. catech. 13. *Venit in tẽpore, in quo cibus nõ inueniebatur. Quis ignorat, quod tempore hyemis ficus non fert fructũ, sed solis foliis circũdatur? Quod omnes sciebant, nũquid hoc Iesus ignorabat? Sed venit sciens; quæsiit nõ ignorãs, quod nõ esset inuenturus, sed figurã maledictionis vsq; ad folia tantũ faciẽs.* In solis foliis voluit vt sisteret maledictio, recepturus semper quẽcumq; fructum, quamuis minimum, qualem solent gignere steriles arbores.

Anast.

Matth.10.

Apoc. 14.

Ambros.

Matth.11.

Cyril. Ier.

Tex. Miserunt ergo sorores eius ad eũ dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

§. V.

Perfectus amor impatiens moræ in suorum ærumnis depellendus.

PRVDENTES fœminæ, vt fratris sui accelerarẽt leuamẽ, id solũ curant, vt in Saluatore circa infirmum excitetur amor. Ea est enim perfecti amoris flãma, quæ suos in laboribus morari minimè patiatur. Mater illa, quę de sibi erepto filio, cum socia fœmina contẽdebat. 3. Reg. 3. nullũ non mouit lapidem, vt sibi filius restituatur: causam ad regẽ defert, ibi clamat, ibi vociferatur: at cum primum de regis iussu affertur gladius, quo filium suum diuidendũ audit, statim à causa recedit, & laborat ipsa, vt quã primũ integer, & viuus filius adiudicetur alteri. *Obsecro, date huic infantem viuũ.* Subito accusatrix transit in aduocatã, & quæ omnes iuris terminos subiret, vt de sententia iudicis filiũ acciperet, modo instat, & petit, vt detur alteri filius, vt sic festinet dilectũ filiũ à gladio liberari. De quo D. Aelred. in speculo charitatis lib. 3. c. 14. *Obla to ense, cũ diuisionẽ pueri regia sublimitas iudicasset, matrẽ affectus prodit naturalis; & cessit affectui, quæ nõ cesserat improbitati; & quæ laborauerat, ne vera mater proprio pignore frustraretur, laborare cœpit, vt alteri traderetur. Obsecro, ait, date huic infantem viuũ, & nõ occidatur.* Nõ inducias petit, nõ dierũ terminos postulat dari sibi, vt probet sibi vni deberi integrũ filiũ, sed vt gladiũ infanti immineri videt, festinat cedere omni iuri suo, vt puer periculo liberatus viuat. Hinc perfectus hominum amator Deus, vt suos videre possit aliquãdiu ærũnis afflictos, ærũnis, inquã, quæ parituræ sint ingẽtes glorias, se se prius munit, & armat patiẽtia pene incredibili. Nõ ne seruus Dei erat Ionas? Is tamẽ à tẽpestate requisitus, fremẽtibus traditur fluctibus, ab immani voratur pisce; Deus videt, & moras agit, & tardat auxiliũ, & potest hoc perfectus Dei amor in homines? Potest talia amici spectare infortunia amor diuinus? Potest, sed de incredibili patientia sibi adiuncta; magna bona obtẽpturus erat Ionas per labores illos, ideò vt diuinus

3. Reg. 3.

D. Aelr.

amor

amor ſuſtineret pauliſper laboratẽ amicũ, patientiã inducit, & de patiẽtia adiũcta auxiliũ diſtulit. Quo ſpectabat D. Irin. lib. 3. c. 22. inquiens. *Irinæus.* *Dns patienter ſuſtinuit abſorberi Ionã à ceto, non vt abſorberetur, & in totũ periret* (quaſi ad hoc, nec de adiũcta patientia poſſet amor diuinus) *ſed vt euomitus magis ſubigeretur Deo, & plus glorificaret Deum, qui inſperabile ſalutẽ ei donaſſet.* Nullo modo ſuſtinet amor perfectus in amico labores inutiles, quod ſi aliquãdo ob maiora bona Dei amicus laboribus exercendus eſt, vt id amor diuinus ſuſtineat, patientia comes aſciſcitur. Ideò Eccleſ. 35. *Et Dns non elongabit, ſed vindicabit iuſtos, & facit iudiciũ: & fortiſſimus non habebit in illis patiẽtiã.* Is eſt diuinus amor in ſuos iuſtos, vt non elõget auxiliũ, nec habeat patientiã in illorũ ærũnis, niſi, vt prudenter addit gloſſa, *ad vtilitatẽ poſtulantis*, tunc ſolũ, cũ afflictorũ vtilitas, & maius bonũ poſtulãt, nouit diuinus amor auxiliũ elõgare, & permittere parumper ſuos affligi à tyrannis, ſed vt id præſtet, adiungit ſibi comitẽ, & ſociam patientiam: vt dicat *Nyſſen.* D. Nyſſen. in orat. de occurſu Domini. *Quoſdam ex iuſtis non imperare, ſed barbaris, & impijs viris parére, Dei efficit lenitas, & patientia.* Adiungitur amori diuino patientia incredibilis, de qua virtute poſsit ſuos ſub ærumnis afflictos ſpectare.

Eccleſ. 35.

§. VI.

Non tam feſtinat in nos malum, quod non à Dei amore præueniatur.

VENIT infirmitas in Lazarum, ſed longè antea venerat in illũ Dei amor; prius à Deo dilectus dicebatur, quàm corriperetur ab infirmitate. Nũquam ſanè adeò feſtina veniet in nos calamitas, quam non præuenerit diuinus amor. Ad homines aquilis velociora venerunt mala, vt innuit Ierem. 4. ſed iam *Tertull.* præuenerat bonitas diuina. Eleganter Tert. lib. 2. in Marcionem, malorum tardam originem ediſſerit, ſatus. *Statim mulier in doloribus parere, & viro ſeruire damnatur: ſed quæ antea ſine vlla contriſtatione per benedictionem incrementum generis audierat, creſcite tantum, & multiplicamini: ſed, quæ in adiutorium maſculo non in ſeruitium fuerat deſtinata. Statim, & terra maledicitur, ſed ante benedicta. Statim tribuli, & ſpinæ, ſed ante fœnum, & herbæ, & arborum fructuoſa. Statim ſudor, & labor panis, ſed ante ex omni lignovictus immunis, & alimẽta ſecura. Exinde homo ad terram, ſed ante de terra. Exinde ad mortem, ſed ante ad vitam. Ita prior bonitas Dei ſecundum naturam, ſeueritas poſterior ſecundum cauſam.* Quid pulchrius dictu? Primas equidem cedunt amoris operibus, quæ accidunt hominibus, calamitates. Nouit ſemper diuinus amor primas ferre, vt dicat Pſal. 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Antea benedictio, quam maledictio; antea dulcia amoris pocula, quã potiones amaræ. Id quod experiebatur Ionas *Ion. 2.* c. 2. *Proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me.* In flumine agnoſcit D. Hieronymus dulciſsima fluẽta; quibus circumdatus Ionas venit in amaritudinem maris: ne poſſent dici amari fluctus obueniſſe Ionæ, quin prius, & immediatius illum benedictionis dulcedo inundaſſet. Et ſanè ſolemniſſimũ hoc diuinæ beneficentiæ, quæ non permittit furere mala, quin prius ſigna ſui amoris in nobis appareant. Quo refero illud Apo *Apoc. 7.* calyp. 7. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui; & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Non immerito hic Angelus putatur à Ruper. Ieſus Dei filius, in quo eſt paternæ charitatis ſignaculũ, vt dicat D. Amb. de Iſaac, & anima, c. 8. *Ambr.* *Ipſe eſt ſignaculum noſtrum, quod eſt charitatis inſigne, qua diligens pater ſignauit filium, ſicut legimus Ioan. 6. quem pater ſignauit Deus.* Prius ergo charitatis diuinæ per Chriſtum ſigna viſuntur in nobis, quam proſiliant ærumnæ. Non fert Dei erga ſuos homines charitas præueniri à calamitatibus, prius conſpicienda erant diuini in nos amoris ſigna, quam liceret calamitatibus, vel mũdi limina tangere. Nulla hoſtilis manus inſurgit, quæ Dei præuenientis ſuos non inueniat ſigna, & veſtigia, vndè ſæpiùs euanent hoſtiles incurſus. Hinc illuſtro ſententiam cõmunem, quæ putat Dauidem 2. Reg. 21. vocari *2. Reg. 21.* Adeodatum, eiuſq; pũgnam cum Goliath ibi memorari ſub illo nomine. Ita Abulẽſ. q. 35. 36. 36. Lyra, Dioniſius, Hugo, Angelomus, Gloſſa. Textus verba ſic dicunt. *Percuſſit Adeodatus filius ſaltus Polymitarius Bethlehemites Goliath Gathæum, &c.* Sed cũr notiſsimus Dauid in præſenti pũgna recenſetur ſub nomine Adeodati? Non ne clarius diceretur Dauid Iſai filius? Cur nuſquã dicitur Adeodatus, niſi in præſenti? Equidem vt Dei præueniens cura, & ſolicitudo explicaretur, quod non potuit hoſtile malum inſurgere, quin prius à Deo bona data eſſent profecta, quæ poſſent mala ipſa in felicitatem tranſmittere.

Text. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hęc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

§. VII.

Malum non censetur, quod cito repellitur. Vbi de festina peccatorum reparatione.

TANDEM Lazari infirmitas in morte desijt, & nihilominus verè dictum est, quod infirmitas non erat ad mortẽ; non enim censenda mors, quæ tã citã habuit reparationem. Quis enim illam animã mortuã putet, quæ cita reparatione obliterat casum? Pulchrè D. Ennod. lib. 5. ep. 17. ait. *Bene dũ origini, & moribus præstas obsequium, emendationẽ sine interuallo cõiungis errori: & quod peccatum sapienter intelligis, priusquã alteri denuntietur, auertis. Quis credat deliquisse, in correctione velocissimum? Pene non vocandus est testator excessuum, qui obuiã manum ponit in surrectione culparum.* Cita facinoris emendatio, sic omnia facinoris vestigia obliterat, vt non videatur aliquando extitisse facinus. Nunquã censetur fuisse lapsus, qui propter celerrimã reparationem vix apparuit. Prouer. 24. merito dicitur: *Septies in die cadit iustus.* Quibus mirabile est, quod in tot lapsibus nomen iusti nõ amittat: septies peccat in die, & peccator nõ censetur, sed adhuc iustus dicitur, quia non habetur ratio lapsuum, qui habent reparationẽ festinã. Vt dicat D. Hier. ep. 46. *Iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiã semper resurgit.* Imò ipsi lapsus cito reparati per Dei gratiã, quasi partes censentur iustitiæ. D. Ber. ser. 2. in Psal. qui habitat, sic fatur. *Iustus septies in die cadit. Verũ hoc interest inter eorũ casus, quod iustus suscipitur à Domino, ideoq; resurgit fortior. Super manũ Domini cadit, & miro quodãmodo etiam ipsum ei peccatũ in iustitiam cooperatur.* Lapsus ipsi celerius reparati miro quodãmodo pertinent ad iustitiam, vt videãtur stare pro parte iustitiæ, eiusq; causam agere. Hinc D. Mat. legitimam Dauidici regni prosapiam audet à Bersabeth exprimere, cap. 1. fatus. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Non veretur adulterium meminisse, vt legitimam, & regiam prolem narret. Et quid magis suspectum ad regiam prolem, & legitimã, quam adultera coniux? Quam thorus adulterio fœdatus? Tamen adulterium hoc tot lacrymis reparatum, adeò obliteratum fuit, vt quasi nunquã extitisset, sic nihil nocuit, quominus legitimã, & regiã familiam inde Dauid stabiliret. D. Ephr. de Pœnit. ait. *Dauidis vera pœnitentia effecit, vt ne vestigiũ quidẽ in illo remaneret: quippèquæ ita adultery cicatricẽ deleuit, vt etiam à construpata Bersabeth Salomonem Regem constituerit.* Quando vel sola adulterij cicatrix regiæ proli officere posset, regiamq; dignitatem fœdare: ab adulterio per pœnitẽtiã reparato regia dignitas in toto suo splẽdore perseuerat, & Dauid quasi Ioseph habetur, & Bersabeth censetur Susanna, & adulteri patres quasi castissimi semper reges pariunt. Sic reparatio festina facit, quasi non fuisset peccatum. Vir Dei accedit aliquãdo ad Ieroboam, cui prædicit imminentia mala, & iussus à Deo non comedere panẽ ibi, reuertebatur, sed ecce fallitur à Pseudo Propheta, panẽ comedit, incurrit Dei offensam, & suppliciũ acceptans pro offensa à Leone in via occiditur. Tunc, qui supplicium prædixerat, audiẽs occisum à Leone, fatur. *Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus Leoni.* Expende, quod in offensæ supplicio vocatur, *vir Dei est.* Leonis sub vnguibus erat, luens, quod incurrerat, peccatũ, & adhuc vocatur vir Dei; culpa enim tam cito castigata, & expurgata non potuit offendere virtutis, & iustitiæ vocabulum. D. Gregor. Pap. lib. 4. dial. c. 24. *Punita inobedientia erat iam iustus ex morte.* Sed clarius Lyra expendit, quod vir Dei appelletur in Leonis faucibus: *vir scilicet Dei, quia diuinam sententiam supra se auditam acceptauit, & voluntati diuinæ se committẽs peccatum inobedientiæ morte corporali expiauit.* semper vir Dei, semper iustus, semper sanctus, quando culpæ tam citam obolitionem acceptauit. Cant. 5. *Qualis dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Quis non miretur sponsam vocari pulcherrimã? An nõ aliquam habuit fœditatẽ? An non peccatis maculata, & de formata est? Fateor peccati fœditatem incurrisse, sed quia cito abluit, nec vestigium apparuit. Gillib. Abb. ser. 47. in Cãt. *Pulcherrima mulierum Ecclesia est, quæ singularum animarum pulchritudo est. Pulcherrima est, in qua omnis pulchritudo est, & deformitas non inest. Denique, & qua parte de Ecclesia sunt, deformes non sunt. Siquibus videtur inesse deformitas, etsi aliquibus de membris eius ad horam respergitur deformis macula, non tamen imputatur, dum non immoratur.* Et rectè non imputatur, quod non immoratur.

D. Ennod.

Prouer. 24.

Bernar.

Matth. 1.

D. Ephr.

Gregor.

Lyra.

Cant. 5.

Gilliber.

Tex. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.

§. VIII.

§. VIII.

Obſequia capiunt etiam diuiniſſimas mentes.

CVR non amaret Ieſus Martham, cuius frequens miniſterium excipiebat? Et Iſaac Gen. 25. *Amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur.* Quo circa ait Theod. qu. 77. *obſequium autem poteſt etiam crudeliſſimos quoſque mitigare: maxime patrem, patrem, inquam, humaniſſimum. Cæterum reperimus etiam diuinum Apoſtolum copioſis benedictionibus remuneraſſe eos, qui illi obſequium præſtitiſſent.* Inhumanus eſt qui obſequijs non obligatur, non deuincitur. Sanè humaniſſimus Ieſus, vt omnes humanitate ſuperabat, ſic affectus ſuos gratiores oſtendebat in eos, quorum obſequia frequentiùs accipiebat. Duodenis manſit Hieroſolymis, & à parentibus requiſitus, non tulit non eſſe parentibus exhibere Lucæ 3. *Poſt triduum inuenerunt eum in templo.* Qui inueniunt Ieſum? Pulchrè D. Aelredus ibi, *inuenerunt eum; abdubium quin Maria, & Ioſeph altera mater, alter nutritius.* Non enim diu potuit Deus ſe ſubtrahere his, quorum obſequia accipiebat in dies. Nō potuit negare præſentiam ſuam, amorem ſuum nutritijs ſuis; quando obſequia mentes capiunt etiam diuiniſſimas. Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ mando vobis.* In quæ verba D. Chryſoſt. Hom. 2. ait. *Proponitur familiaritatis ſublimitas officiorum fœnore comparanda, ad amicitiarum cæleſtium potentiam ſeruitutis obſequio peruenitur.* Equid non præſtet obſequium humile? Vidiſti aliquando Dauidem maximè iratum in ruſticiſsimum hominem, & inofficioſum Nabal, nec vanè iraſcebatur Dauid, ſed ira percitus arma ſumēs vna cùm armatis pueris ibat Nabalis bona populaturus. Irruentem pene Abigail prudens fœmina moratur. 1. Reg. 25. quæ eſcā officioſe Danidi miniſtrat, ſed & pueris eius largiſsime præbet cibos, & audet vna fœmina ſeſe opponere mille armatis, & iraſcentibus viris. Et quibus fidit machinis, vt ſperet à ferocientibus militibus lenitatem? Præmittebat ciborum munera, ſeſe officioſam exhibet, officijſque & obſequijs munita meritò audet ſtare aduerſus armatos. Ecce tibi officiorum victoriam. *Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui tuam.* Rideres fœminæ prudentiam, quæ armatorum hoſtiles incurſus in domum ſuam concitatos, vt frangat, panes quærit, coctas carnes, vuas, paſſas, vinum apponit, quæ præmittens ipſa ſola in aciem poſilit. Quo fœminā tendis, vides hoſtē iratum venire, cur pueros tuos non conuocas? cur arma eis non miniſtras? cur facta domeſticorum turma non occurris hoſtili congreſſui? Cur ſolū pro munimento adhibes cibos? Sanè quæ nulla armata manus efficeret, effecit officioſa manus prudentis fœminæ, hoſtē leniuit, amorem ſibi conciliauit obſequio & regale cōiugium. Pulchrè D. Iſidorus Peluſ. lib. 4. epiſt. 137. *Quæ vis efficere nequit, officiū effecit.* Ingens eſt officiorum, & obſequij potestas, fallor ſi quod eſt machinamentū adeo efficax ad deuinciendas mentes, ad humanitatē & charitatem etiam ex ſilicibus excitandam. Quis magis ſilex quā Elias in Iſraelitas Idolo latras? Cœlum clauſit, ne plueret, & abijt, nulla ſuorum miſeria commotus. Hunc non emollit Achabi metus, non regia omnis poteſtas: eumdem, vt emolliat, & ad charitatem trahat, multa fecit Dominus ipſe, ſed tandem 3. Reg. 17. illi opponit vnam viduam, quæ ſibi & filijs ſuis deeſſe maluit, vt Prophetæ obſequiū præſtaret; hæc Eliam hoſpitem ſuſcepit, Eliā famelicum pauit, quæ dum Eliam pauit, filiū vnicum ſuum raptum morte defleuit. Quid tunc Elias? Ait ad Dominum: *Etiam ne viduam, apud quam ego vtcunque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Expendo illud, etiam ne, quaſi ad multa alia hoc tandem addiderit Dominus omninò efficax machinamentum, vt Eliæ præcordia debellet, & in charitatem trahat; qui enim nulla vi domaretur, viduæ obſequijs penitus edomitus & expugnatus ſeſe ad charitatem præſtandam præparat. Argutè ſatis D. Baſil. ſeleu. orat. 11. *Dubius hærebat tanto in caſu Elias, & hoſpitalitatem mulieris admiratus inuenit pueri mortem vnam diuinarum contra ſe machinarum eſſe. Deo accedit ſupplex: Hei mihi Domine, etiam ne viduam afflixiſti? Video quo me machinamento petas? Sentio quibus à te artibus circumretitus ſum. Sum tandem tuæ in homines charitatis diſcipulus, ſum manſuetiſsimus adminiſter.* Quid elegantius? Nullū equidē eſt machinamentū efficaciùs ad excitandam charitatē è lapidibus, quam obſequiū, quod nulla vis poteſt, efficit officium.

Theodor. *Iſidor. Peluſ.* *3. Reg. 17.* *Baſil ſel.*

Text. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duob⁹ diebus.

§. IX.

Non dolendum de malo, quod reparari poteſt. vbi quam dolenda amiſſa gratia.

NON multū mouēt Ieſū amici infirmitātes, & ſi lethales eſſēt, quin potius audita

infirmitate immobilis manet, se se eodem modo ac antea gerens. Quo docemur indigna esse dolore mala, quæ soluenda, & reparanda certo veniunt. Hic se se mihi obijciunt, & Iesu discipuli, & Heliæ discipulus, & hic, & illi magistri sui raptum in cælum viderunt, sed quanto discrimine? Discipuli Iesu videntes euntẽ magistrum nullis tamen lachrymis eius absentiam prosecuntur: at Heliæ discipulus, vt magistrum rapi videt, & luget, & clamat dolore plenus 4. Reg. 2. *Pater mi, pater mi currus Israel, & auriga eius?* Cur solus iste lacrymis comitatur magistri discessum? Sane Apostoli præuenti sunt, ne dolerent, verbis angeli dicentis Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est in cælum, sic veniet*, vbi enim absentiæ malum reparandum noscunt futuri præscientia, nil, quod doleant, habent: at Elisæus in magistri absentia nullum simile leuamen accepit. Ita D. Chrysost. ser. 9. de Ascens. fatur. *Elisæus aspiciens magistrum suum assumi, discidit vestimenta sua, non enim habebat aliquem astantem sibi, atque dicentem, quod iterum venturus esset Elias.* Irreparabilem magistri absentiam flebat Elisæus à lacrymis statim cessaturus, si audiret magistri reditum, si speraret tantum patrem iterum ad se reuersurũ. Verum Apostoli dolere non possunt de damno, cuius reparationem sperant, cum Iesum rediturum audiunt. Sæuientes Antiochię iudices, propter imperatoris statuas solo deiectas â ciuibus, egregia hac vna ratione emolliebat vir sanctus, apud D. Chrisost. hom. 17. ad Popul. *Statuæ quidẽ deiectæ rursus erectæ fuerunt, & propriam receperunt formam, & factum correctionem habuit celerrimam. Si vos autem Dei imaginẽ occideritis, quomodo rursum poteritis commissum reuocare? Quomodo perditos resuscitare, & animas corporibus reddere?* Quis iam propter statuas deiectas ita doleat, vt homines occidat, cum statuæ facile erigi possint, imo erectæ sint, occisi autem homines nequeant reuocari ad vitã? Equidem indignum est, quod Antiocheni iudices doleant deiectionem imaginum, cuius deiectionis facinus celerrimam habuit correctionem, & quod non doleant occisionem hominum, quę occisio reparari non potest. Ecce tibi ostendit vir sanctissimus, quid doleas, & quid minime doleas. Imagines sunt, & vmbræ vniuersa bona temporalia, quarum deiectio, & facile reparari potest, & sępius celerrime reparatur. Verum Dei imago, & similitudo animo tuo impressa, nimirum gratia, si per peccatum deijciatur, quomodo poteris commissũ reuocare? Quis scit, an iterũ recepturus est amissam gratiam? D. Ber. ser. de triplici misericordia fatur. *Difficilis prorsus res, & soli diuinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere: quoniam qui facit peccatũ, seruus est peccati, nec est iterũ liberari, nisi in manu forti.* Non de facili reparari potest damnum peccati, id cauendum maxime: cupis scire, quam difficile reparetur istud damnum? Accipe dominum sic dicentem Petro lapsuro Luc. 23. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Expende illud, *aliquando*, quod non significat tempus certum, quasi velit Dominus ostendere incertitudinem conuersionis, & curationis, quæ comitatur peccata. Vnde D. Amb. in Lucam lib. 10. ait *Si Petrus aliquando conuertitur, qui ad primam Domini secutus est vocem, quis poterit dicere citò se esse conuersurũ?* Quis certum conuersionis tempus sibi statuet, cum nec Petro tale datur.

Et post hæc dicit discipulis suis. Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli; Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mũdi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

§. X.

Nil stabile in vita humana, aduersis rebus assutæ veniunt secundæ, & e contra.

NON prætereo Lyrani mentem, quæ pluribus recentioribus placuit, putans Iesum suam in Iudæa ostendisse securitatem ex facili rerum humanarum mutatione. Etenim nunquam humana stant, continuò ciẽtur motu, singulis horis omnia mutantur; nunc aduersitas, immediatè post venit prosperitas: nunc nubilum, iam serenum est; sic secunda nectuntur aduersis, & aduersa secundis. Dei omnia moderantis quadrigam videns Ezech. notauit sub altero iugo hominem & leonem esse: sub altero vitulum & Aquilam. Ferox dũ rugit leo, de vicina hominis humanitate sub eodẽ iugo existente, tẽperatur. Seruitium tolerat durũ vitulus, sed illi latero astat liberrima ales Aquila, nullibi vnum sine altero, ser uituti assuitur libertas, feritati humanitas. Id quod notauit D. Iust. Mar. qu. 44. aiens.

Cicur

cicur animal eſt homo, ferum leo: graue vitulus, volatile, & leue aquila. Illis ergo regni ex fero in manſuetum translationem ſignificat: his autem ſeruitutis in libertatem mutationem, iugum enim fert vitulus, aquila iugi expers eſt. Non longe diſtant aduerſa, & proſpera, ſeſe inuicem comitantur, in alijs aliorum æſtima vicinitatem. Fælix es? Expecta quaſi accurentem, & iam iã aſsidentem calamitatem. Calamitatoſus es? Vide iam tibi è vicino fælicitatem, Iob 17. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem.* Argutius in rem noſtram, & ſignificantius ex ſeptuag. in Cat. Greca ait. *Noctem in diem poſui, lumen prope â facie tenebrarum.* Omnia prope ſunt, & ſibi inuicem viciniſsima aduerſa, & proſpera, ſub eodem iugo â diuina prouidentia immittuntur in orbem terrarum. Nulla nox non vicina diei, nullus hominis dies, cui nox non aſtet. Ionæ prædicationem referentes Septuag. quos ſecũtur fere omnes patres Græci, vt alibi notauimus, & explicauimus, aiunt. *Adhuc tres dies ſunt, & Ninive ſubuertetur.* Tres dies ait, ſunt, an & tres noctes? De noctibus tacet, quia ternarij memoria ſuggerere volebat myſterium Trinitatis, in qua ſola non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Pulchre D. Ephræm de Pœnit. fatur. *Tribus diebus Ionas prædicauit, & per nullam noctem: quoniam in Trinitate non eſt mutationis obumbratio.* Vnus Deus mutationum vices non habet: res omnes mũdiales noctem in diem ponunt, & lumen prope â facie tenebrarum; ſub eodem axe excipiunt noctem, & diem; proſpera, & aduerſa, quæ nunquam in ſe ipſa deſinunt trãſmutari. Zacharias 9. vt deiectis peccatorũ põdere Iudæis iam iam appropinquantem ſalutem annũtiaret, ait. *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui: quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.* Expẽ derationem aduenientis ſalutis, quia nimirũ lapides ſancti eleuabuntur, nullo eſt firmitudo in ſtatu, & ſi lapis ſis terræ firmiter infixus tamen eleuationem expecta, non poteſt non vicina eſſe deiectioni eleuatio. Explicatius Septuag. dicunt. *Saluauit eos Dominus Deus ſuus, ſicut oues populum ſuum: quia lapides ſancti voluentur ſuper terram eius.* Etiam lapidibus nõ conceditur eodem iacere latere, ſed voluentur, & mutationem capient ſtatus ſui, dum in terris agunt.

Iob. 17.

Ioan. 3.

Zachar. 9.

§. XI.

Nullum malum accidere poteſt, niſi ex Dei permiſsione.

VENIO ad clariorem explicationem, quã à Rup. accipiunt Mald. & Tol. qui per horas diei tempus diuinæ protectionis accipiunt, ſub qua nullum timendum eſt malum; per horas autem noctis, tempus intelligũt per miſsionis diuinæ, qua poſita ingentes hominum ruinæ proſiliunt. Dum adhuc dies eſt, dũ nondum acceſsit diuinæ permiſsionis hora, furiant licet aereæ poteſtates, nullum tibi metuas damnum. Vide furentem Dæmonũ tempeſtatem Iob. 1. *Ventus vehemens irruens, è regione deſerti, & concuſsit quatuor angulos domus, &c.* Ventus adeo ferox, adeo rabidus in tota ciuitate vnam ſolum inuadit domum filiorũ Iob, quia vna ſola ſub nocte permiſsionis erat, vt notat Olimpiodorus. Sed in præſenti illud quæſtionem facit, cur qui Chaldæorum exercitus effinxit, vt paſtores Iobi inuaderet, non etiam ſimili cinctus exercitu acceſsit expugnaturus, & demoliturus filiorũ domũ? Quã quæſtionẽ, & mouit, & ſoluit D. Chriſoſt. ad Olimp. ſatus. *Quidſiet tanẽ, cur in liberorũ interitu, nõ hoſtiũ manũ cõmiſcitur? Nempe vt irruptione ciuitas nõ perturbaretur. Nam in Iob tantum non in cæteros poteſtas illi erat.* Non poſſet fieri, quod ciuitas non afficeretur metu, ſi hoſtiles turmas videret mœnibus ſuis approximare, fuiſſetque ruina Iobi, & filijs, & ciuibus horribilis, quare Dæmon acceſſurus ad domum ciuitatis ab exercitu abſtinuit, ne vltra Dei permiſsionem, vel metus mali poſſet affligere ciuitatem. Cum hæc mẽte gero, non poſſum, non mirari illud, quod accidit Viro Dei, 3. Reg. 13. Cui à Ieroboamo in ſuum populum reuertenti leo immittitur, rapit fera hominem, interficit, ſed nec cadauere paſcitur, nec contingere audet, nec iumento, cui inſidebat homo, vllam moleſtiam affert, & cum innatum ſit omnibus animalibus ad leonis viſum pauere, trepidare; aſinus, vt notat Encherius, leoni iunctus intrepidus ſtat. Cur leo non incutit metũ aſino? Cur qui viuum hominem aggreſſus eſt, non vorat occiſſum? D. Greg. Papa lib. 4. Dialog. c. 24. *Qui occidendi auſum habuit, de occiſsi cadauere comedẽdi licentiã non accepit.* Nullum malũ, nullus timor audet proſilere, ſine Dei licentia, ſine diuina permiſsione, nec pilus lædit, qui intra ea non ſit deſignatus, & explicatus, quæ Deus lædi permittit. Notaſti aliquando vniuerſas creaturas in vnum Ionã furere, hunc cælũ nubiũ tenebroſa caligine, & fremitu, hunc aer vẽtorũ rabie, hunc mare fluctuũ flagellis, hunc marina bellua hiante ore inſequitur, & tãdẽ ſub his diris glatitur. Quouſque totahęc creaturarũ rabies? Non ne vt perderẽt vnum hominem? Abſit: licuit creaturis furere, licuit belluę hominẽ vorare, at vel capillũ eius cõminuere minime licuit. Pulchre cecinit D. Alcimus, lib. 4.

Iob. 1.

Chriſoſt.

Greg.

Alcim.

Deglutire virum, fauces implere capaces.
Ardenti monstro cum sit permissa potestas.
Non licuit mordere tamen, nihil dentibus actũ.

Licebat creaturis omnia turbare, vt fugitiuus Dei voraretur à Ceto, vbi autem voratus est, nulli permissa est potestas, vt lædat virum, in quem nec impauulata beluæ viscera aliquid possunt. Vnus Deus est, cuius nutu omnia
Isaias 45. Amos. 3. eueniunt, siue mala, siue bona, vt apud Isaiã 45. *Ego Dominus faciens lucem & creans tenebras.* Et Amos cap. 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?*

Et post hæc dixit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius. Domine si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret.

§. XII.

Quæ vera amicitia.

PROPRIAM securitatem amantes discipulos eo trahere studet Dominus, vt Lazari bono postponant suum. Sed qua id ratione conuincit? ea qua dicit: *Lazarus amicus noster*: sunt enim amici causa spernenda pericula, & propria commoda postponenda illius saluti. Multa in rem præsentem congerunt humaniores literæ, quorum omniũ me tædere facit vnum aut alterum ex diuinis. Primus Ionathas Saulis filius & regni princeps, hic amicum Dauidem fera regis persecutione iactatum sic alloquitur. 1. Reg. 23. iuxta D. Aelredi lectionem. *Tu quidem eris Rex, ego autem secundus post te.* Quorum verborum salem eleganter exprimit ipse Aelredus in speculo charitatis lib. 3. cap. 19. dicens. *Aelred.* *O virum summis laudibus efferendum! virum expertem inuidiæ, qui amicum regno prætulit, qui quod videbatur suum, esse voluit alienũ. Ego ero, inquit, secundus post te. O summæ humilitatis pectus! Vir regy seminis, cui ex successione sperabatur hæreditas, cui spem auxerant culminis potiundi, genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipsius etiam mirabilis fama triumphi, quo vno tantum munitus comite armatos cuneos agminis hostilis inuasit, ac suæ genti insperatam victoriã reportauit, infra seruum semet deijciens, ego, inquit, ero secundus post te.* Pulchra hæc sunt, sed accipite alia, quibus ipse pergit, haud inucunda. *Tu, inquit, eris Rex, & ego ero secundus post te. Quis rogo hæc etiam de vterino suo fratre* *Idem.* *sine immani saltem cogitaret inuidia? Quis amici causa tantam spem in desperationem deduceret? Filij Iacob, paternæ gratiæ, qua vnus cæteris dulcius fouebatur, immoderatius inuidentes seruitutem fratri, patri summam inuexere tristitiã. Sapientissimus Salomon fratrem æmulum regni, accepta qualibet occasione, deleuit. Ionathas solus infra amicum, patrem, patriam, regnumque despiciens, tu, inquit, eris Rex, & ego ero secundus post te. Qui si dixisset, ego ero Rex, tu autem eris secundus post me, nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violaret.* Hæc ille: nec enim apicem tantæ põderationis volui vobis debere. Sed iam aliud amicitiæ exemplum proferamus. Id inuenies in Dauide: etenim vbi duo amici Ionathas & Dauid sese viderunt in agro. 1. Reg. 20. *1. Reg. 20.* in amplexus mutuo ruentes *fleurunt pariter sed Dauid amplius.* Cur inter amici amplexus lachrymæ? Cur Dauid laxiores protendit habenas lachrymarum? Sané vbi regnum ab amico in se transferendum audit; vbi se pro Ionatha regnaturum excipit, sic ægre id fert, vt dolori & lachrymis nunquam parcendum iudicauerit. Ita D. Aelredus vbi supra. *Cur igitur Dauid amplius? prædixerat nimirum Ionathas suum quodammodo defectum, amici profectum; se regno priuandum, Dauid assumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compassione amici fleret iniuriam.* Exerat mundialis vanitas suas amicorum penè innumeras bigas, qui bus ego oppono vnum hoc amicorum par, duo amicitiæ lumina, qui de veri Dei charitate limpidissimos hauserunt latices amicitiæ. Id est amicorum præcipuum, vt bona sua amicis postponant, & amicorum calamitatibus & miserationem, & leuamen afferant. Quod docebat Iob amicos suos cap. 19. aiens. *Iob 19.* *Miseremini mei, vos saltem amici mei.* Quocirca D. Amb. 3. officiorum cap. 16. fatur. *Non* *Amb.* *quasi abiecti ista vox, sed quasi censoria. Nã cum iniuste argueretur ab amicis, respondit: Miseremini mei amici mei: hoc est misericordiam debetis præstare. Opprimitis autem vos & impugnatis hominem, cuius æruminis cõpati pro amicitia debeatis.* Lædit amicitiæ iura, qui læsũ amicũ totis viribus non nititur leuare, & tunc magis, cũ læsio spiritualis est, in animaque fixa latet.

Amicus nos excitet a somno peccati.

CREDIDERIM amicos nobis à Deo datos, vt per illos ab animæ morbis liberamur, à lethali q; peccati sopore excitemur in vi tã gratiæ. Dicebat Dñs amicis Iob 42. *Iob antẽ* *Iob. 42.* *seruum meum orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia:* Sed cur noluit

noluit Deus amicis parcere, niſi Iob interueniret? D. Amb. vbi ſupra ait. *Ignoſcere his per amicũ maluit dominus, vt amicitiæ ſuffragium remiſsio fieret peccatorum. Proficit illis amicitia, quibus offuit inſolentia.* Oſtendebatur, quo deberent fœdera amicitiæ ſpectare, nimirum, vt amicorum peccata de medio tollerẽt. Et quãdo non eſt bonus, qui non dormitet, qui non corripiatur peccati ſopore, fœlix erit, ſi habeat amicum, qui accedat, vt excitet eum à ſomno, vt amicitiæ ſuffragium fiat abolitio vitiorum. In quo ſupremum amicitiæ genus ponit merito, Clem. Alex. lib. 2. ſtromatum, inquiens. *Amicitiæ primum quidem genus eſt, idque optimum, ac præſtantiſsimum id, quod eſt ex virtute. Valida enim eſt, quæ eſt ex ratione dilectio.* Quæ rationis legibus obſeruandis ſeruit dilectio, ea pro muro eſt hominibus à Deo conceſſa. Aiebat Nacian.

Fidis amicis nihil puta præſtantius:
Qui profutura conſulunt, non quæ placent.

Quorum munus præclare exprimebat Angelus Eliæ cuſtos, & familiaris: ait enim 3. Reg. 19. *Proiecitque ſe Elias, & obdormiuit in vmbra Iunperi, & ecce Angelus Domini tetigit eũ, & dixit illi, ſurge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſus obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum dicens ſurge, &c.* Vidiſti ſomniculoſum Prophetam iterum, & iterum dormientem, ſed fœlix fuit, cui amicus fidus Angelus Domini aſtitit, toties excitans, quoties dormitaret. Vtinam tales amicos excitatores habeamus, quando de fragilitatis humanæ more, in via Domini dormitemus. Sic Dominus ait. *Amicus noſter dormit, vado, vt â ſomno excitem.*

Amicitia, quæ ex Deo venit, nunquam creſcit, a principio perfectiſsima eſt.

AMICVM diuturna cõuerſatione probatum iam Dominus poſſet vocari amiciſſimum, ſed non habet augmentum amicitia Chriſtiana, à primo enim exortu naſcitur perfectiſsima. Ita ſcribebat D. Paulinus ad Pamachium epiſt. 35. *Nec volo amicitiam noſtram tempore metiaris: non enim hæc vt ſæcularis eſt, quæ ſpe ſæpius quam fide paritur: ſed ſpiritualis illa, quæ Deo authore generatur, & arcana ſpirituum germanitate coaleſcit. Quo fit, vt non diuturnitatis vſu creſcat ad amorem, neque docimẽti expectatione pendeat, ſed vt filia veritatis dignum eſt, ſtatim firma, & magna naſcatur, quia de pleno incipit orta per Chriſtum.*

§. XIII.

Fœlix qui nouit rebus ſæcularibus obdormire.

PRAETEREO modo rem per ſomnum in præſenti ſignificatam, nempe mortem naturalem, vt de ſomno ſalubri, & noxio aliquãtulum agam. Bene enim cum Dominus ſomnum amici ſui excutere velit, diſcipuli è contra aſſerunt ſomnum eſſe ſalutarem. Eſt enim ſomnus, qui omnino abigendus eſt, vt maxime noxius nimirum, quando oculi obnubilantur craſsis terrenarum rerum vaporibus, ne cæleſtia proſpiciant: eſt ìtem ſomnus ſalutaris maxime, vbi ſæculo dormimus, & Deo vigilamus. Diſcipuli Ieſu oculos grauatos habebant in Getſemani altoque ſomno ſepulti ſemel, & vis à Ieſu excitãtur ſomno enim grauabãtur. Tãdem vbi tertio ad illos acceſsit, ait: *Dormite enim iam, & requieſcite.* Expende verba, dormite, & requieſcite, quaſi ex tunc ſomnus fuerit ſalutaris, & requietis cauſa. Sed qui ſomnus hic eſt? Somnus, qui dum mundialia depellit, ſic ad Ieſu bona nouit vigilare. Drogo lib. de Sacra. paſs. ait. *Quid eſt Domine, quid tertio rediens copiam dormiendi præſtas? Dormite iam, inquis, & requieſcite. Nunquid alium cõcedis ſomnum, vbi requieſcitur, & alium prohibes, in quo oculi grauantur? Ita eſt: qui enim vigilat in te, ſuauiter dormit, & ſilet, & ſomno ſuo requieſcit: qui autem dormit â te, ſicut ebrius nocte, neſciens grauiter agitatur.* Eſt ſomnus, & ſomnus: ſomnus, inquam, maxime ſalutaris, nempe ſomnus, quo rebus ſæcularibus nuntium remittimus, & quieti ſumus in Chriſto: ſomnus eſt etiam nociuus, quo rerum mundarũ fumo conſopiti in mortem grauamur, & afligimur. Fœlix eſt, qui ſic rebus ſæcularibus obdormit, vt nullum illarum ſenſum percipiat, hic prorſus vigilabit in vitam. Hoc ſomno ſopiebatur Chriſti amaſsia, de qua ipſe Can. 3. *Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ per capreas, ceruoſq; cãporũ, ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectã, donec ipſa velit.* Mirarer ſponſæ ſomnum placuiſſe, niſi ſcirem ſomnum eſſe diuinis ſponſis ſalutarem, quo nuntium remittũt mundo, quo intimius illuſtrantur, & aluntur in vitam. D. Ber. ſer. 52. in Cant. de hoc ſomno ſponſæ ait. *Ab illa alienus exiſtit ſomnus, quo obdormitur in mortem, cũ videlicet in peccato, quod eſt ad mortem, irreuocabiliter perſoueratur. Magis autem iſtius modi vitalis ſomnus vigilq; ſopor ſenſum interiorẽ illuminat, & morte propulſata, vitã tribuit ſempiternã.* Hic eſt vitalis ſomnus qui facit homines viuos, mũdo mortuos, quo quieti, & trãquilli, ſic viuemus, vt videamur

nullum magis vitæ ſenſum habere, quam habent mortui. De hoc ſomno neceſſe eſt ſuſcitari in vitam. Pſal. 3. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi.* Non ſic impij dormiũt, quos ipſa vera mors adhuc vigiles tenet, adhuc vigilijs premit, vt dicat Iob cap. 21. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Vide ſancti, iuſtique viri quietẽ, cui & vita, & mors ſomnus eſt, à quo ſuſcitatur in vitam, impius autem etiã in ſepulchro, in ipſa congerie mortuorum vigilijs premitur. Vnde D. Amb. lib. 1. offic. cap. 16. inquit. *Pulchrè vigilare in ſepulchro impios Iob dixit, quia ſoporem quietis habere non poſſunt, quem ille dormiuit, qui reſurrexit.* Non ſic ſoporantur impij vt quietem habeant, ſed vt magis grauentur, quãdo, & in mortis ſopore nociuas patiuntur vigilias, peccatorum ſtrepitus, mundialium rerum imagines, quaſi per inſomnia illos perturbant. Qui nouit obdormire ſæculi rebus, ipſe illum quietis ſoporem ebibit, quo excitatur in vitam.

Pſal. 3.

Iob 21.

Amb.

Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi, ſed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didimus, ad condiſcipulos. Eamus & nos, vt moriamur cum eo.

§. XIV.

In ærumnis & laboribus, qui vtilitatem ſalutis afferant, gaudendum eſt.

DE amici morte gaudet Dominus, vt inde nobis chara ſint ea mala, quæ ſalutem afferunt; vt minime iam miremur Thomæ auſum, & fortitudinem, vbi ait: *Eamus & nos, vt moriamur cum illo.* Etenim videbat Dominum in amici morte gaudentem, quo audet appetere mala, à quibus videt parturiri gaudia, cuiuſmodi ſunt mala Chriſto Domino famiſiaria. Hinc Dominus vaſtiſsimo dolorum gurgite immerſus Thren. 1. ſic deſignat, qui ſint dolores amputandi, quæ amanda mala. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Quippè cum vniuerſæ carnis via plena ſit ſpinis, plena doloribus, curet quiſque diſcernere inter dolores, & dolores, & videat, an dolores, quos patitur, ſint ſine ſalutis vtilitate, imò cum animi diſpendio; an verò ſint æternæ ſaluti vtiles; illos putet dolores inferni, hos amet, & amplexetur vt dolores Chriſtianos, qui Ieſu doloribus ſimiles ſunt. Sic prædicta verba expendit Drogo lib. de Sacram. paſſ. aiens. *Tranſite âme in vos, & videte ſi ſimilis dolor in vobis ſit, ſicut dolor meus. Et nolite fiere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flete. Nam ille, quem tranſitis, & non attenditis, magis eſt flendus quam dolor meus: propter ſcelus enim veſtrum percuſsus ſum.* Et quidem vix attenduntur dolores, qui cum vitijs naſcuntur, & adoleſcunt, qui ſoli & flendi, & reſpuendi ſunt; & dolores qui ordinantur ad peccata tollenda & ſalutem generandam, hi Chriſtiani ſunt, amandi ſunt. Non expuendi labores. Quis enim nõ ſub labore gemit? quis non verbere agitatur ex his, qui in mũdo ſũt? Videndus igitur eſt labor noſter & examinandus, an labor ſit ſimilis labori Chriſtiano, & tunc dole, cum te agitari videris alienis ærumnis. Dicebat Dominus ad ſuos Lucæ 22. *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticũ.* Ecce iuſtorum agitatio qualis ſit, ſicut triticum; & triticum & palleæ agitantur, ventilantur in area mundi, nullus eſt ſiue iuſtus, ſiue impius, qui ſub malorum agitatione nõ ſit. Iniuſtus doleat, quod agitatur ſicut pallea, vt poſt longam agitationem mittatur in ignẽ: iuſtus gaudeat, qui agitatur ſicut triticum, vt poſt agitationem aſſeruetur in vitam. Rem attigit D. Amb. lib. 2. de interpell. cap. 5. dicens. *Iniuſti ſicut palleæ ventilantur, iuſti ſicut triticum. Audi dicentem Petro dominum. Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Deficiunt qui ſicut palleæ ventilantur, non deficit, qui ad ſimilitudinem illius grani eſt, quod cecidit plurimorum fructuum acceſsione cumulatum.* Optandum nobis eſt, quod ſicut vitalis tritici granum, qui cadens in terram, & emortuus multum fructum attulit, tundamur & nos, quod dolor noſter ſit ſimilis Chriſti dolori, vt ſic reſeruemur in vitam. Pſal. 6. ait: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Vbi Aſterius in cat. Greca fatur. *Quomodo beatitudinem non recuſas, qui correctionem metuis & diſciplinam detrectas? Atqui non arguitionem, inquit, de trecto, ſed furorem metuo, quo ſoles arguere, nec correctionem fugio, ſed eam, quæ cum ira fit.* Timebat ventilari, vt palleæ ventilantur, ſed amabat ventilari, vt ventilatur triticum. Timebat experiri flagella in mortem, ſed flagella in vitam amabat. Accedit D. Iſidorus Peluſ. epiſt. lib. 1. 249. fatus. *Iracundiæ poculũ Deus peccantibus comminatur. Quæ quidem ab Hebræis epota eos quidem temulentos reddit: meliore autem vita non donauit.* At verò Chriſtus ex hauſto vno in cruce poculo & amaritudinem

Drogo.

Luc. 22.

Amb.

Pſalm. 6.

Aſter.

Peluſ.

nem ſanauit, & voluptatem inuexit. Excipe tu labores, qui pariant felicitatem.

§. XV.

Pericula a Ieſu ſuſcepta quam auidè amplectenda ſunt.

NON dubitat Thomas in mortem ire ſecuturus Ieſum, ait enim; eamus & nos & moriamur cum illo. Habent equidem hoc pericula â Saluatore ſuſcepta, vt auide appetantur à creaturis. Mortuo Ieſu in cruce, terræmotus magnus factus eſt; cœlum tenebris ſuffunditur, terra tremit, lapides ſeſe quatiunt; & quid tam inuſitatibus motibus putas intendi â natura? Crediderim vniuerſas creaturas feſtinare, vt ſimul commorerentur cum Chriſto. Ita Sedulius lib. 5. Paſc. cap. 16. inquit. *Dubio pependit natura ſub termino, ne ſummus apex, ad inferna deſcendens, omnem protinus molem ſecum iugiter inclinaret in mortem, atque proprium comitatus authorem præceps in Chaos mundus effluueret.* Vbi Chriſtum in mortem ire vident, vniuerſæ res ſeſe in mortem præcipitant; nulla eſt tam inſenſibilis creatura, quæ non feſtinet mori, poſtquam videt creatorem ſuũ morti ſuccubuiſſe. Quis mortem non deſpiciat, quam videt in Chriſto calcatam? D. Cyprianus de laude Martyrij fatur. *Porrò autem contemnenda tibi mors eſt, vbi Chriſtus occiſus eſt.* De Ieſu ſanguine habet mors, habent vniuerſi cruciatus, quo ab hominibus expetantur. Nec enim ærumnarum mortiſque tolerantia efficaciùs perſuadetur, quam ſi Ieſu effuſus ſanguis oſtendatur. Apocal. 6. ait Ioan. *Vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum* &c. Non ſic apparuit Dominus apud Zachariam, imò albedine quaſi depoſita, aut tincta ſanguine oſtẽditur cap. 1. *Ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & poſt eum equi rufi* &c. Cur qui albedine gaudet, albiſq; ſtolis donat domeſticos ſuos, modo totus rubeus & ſanguineus, ſanguinolentiſque ſocijs ſtipatus apparet? Veniebat modo captiuum populũ apud Babylonios cõſolaturus, captiuitatis autem immenſus labor & dolor nulla ex parte poſsit leuari, imò & appeti quàm vel adorato Saluatoris effuſo ſanguine. D. Hier. id innuebat aiens. *Qui nunc captiuo populo rufus oſtenditur, in Apocalypſi in cãdidis veſtibus, & in candido equo ſedere deſcribitur.* Quæ captiuitas, quis dolor, quæ mors non auide ſuſtinetur, vbi Ieſus ob oculos ponitur ſanguine madidus? vbi Ieſu commilitones videntur tincti ſanguine? Ieſus equum rufum aſcendit: poſt Ieſum equi rufi plurimi, & primi apparent, non ſeſores adhuc videntur, ſed equi tantum demonſtrantur. Mira res; Cur Domine vbi aſcendis equum rufum, ſtatim te equi ſimiliter ſequuntur ſine ſeſoribus? Poſt Ieſum aſcendentem ſuper equum rufum, neceſſum iam erat ſimiles equos apparari, non enim poterant deficere innumeri, qui velint ſimiliter equitare. Imo, prius deficerent equi rufi, nimirum prius deficerent eculei ſanguinei, gladij, tortores, quam deficere poſſent in numeri, qui ad eculeos, ad ſanguinis effuſionem aduolaret. Hinc quaſi vrgebat Chriſtianos ad Martyrium D. Cyprianus fatus. *Si iuſtus es, & Deo credis, quid pro eo ſanguine fundere metuis, quẽ pro te toties paſſum eſſe cognoſcis? In Iſaia ſectus, in Abel occiſſus, in Iſaac immolatus, in Ioſeph vendatus, in homine crucifixus.* Is eſt Ieſu labor, is eſt Ieſu effuſus ſanguis, vt non poſsit non perſuadere ſimilia pericula, ſi videatur. Iſaias 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edon? Tinctis veſtibus de Bozra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens, in multitudine fortitudinis ſuæ.* Quæ fortitudinis multitudo eſt hæc in adeo formoſo viro? Siue quæ formoſitas hæc in ſanguinolento veſtimento? Habet ſanguinolenta Ieſu facies eum decorem, qui violentiam ſeminet in omnibus, quibus apparet. Id quod clariùs ſeptuaginta fantur. *Sic formoſus in ſtola ſua, qui violentia incedit cum fortitudine.* Quid ſperes à viſo Ieſu ſanguine, niſi violentiam, quam patiaris, vt ſi milem trophæum rapias? Annuit Theodoretus relatus hic à Leone de Caſtro, qui exprimens paſsi Ieſu decorem, ait. *Et violentam habet pulchritudinem, quæ vniuerſos cogit intuentes.* Neſcit videri Chriſti ſanguis, quim ſtatim ad ſuos pluat violentiam, ſcutum, bellum, & arcũ. Apocalip. 19. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatũ eſt nomẽ eius verbũ Dei. Exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum.* Iam nõ chori, ſed exercitus, quia viſa ſanguinea veſte, nemo eſt, qui non ambiat bellica certamina. De hoc ſupra lib. 6. cap. 3. §. 44.

Sedul.

Cyprian.

Apoc. 6.

Zachar. 1.

Hieron.

Cyprian.

Iſaias 63.

Theod.

Apoc. 19.

Text. Venit itaque Ieſus, & inuenit eum, quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hieroſolimam, quaſi ſtadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerunt ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo.

§. XVI.

Vt religiosus est luctus pro mortuis.

MINIME à religiosa disciplina alienus est pro mortuis pius luctus, imo is non parum pietatem commendat, & religionem
Eccli. 38. auget, Eccleasisticus 38. *Fili produc lachrymas in mortuo, & quasi dira passus incipe plorare, &*
Paulin. *nõ despicias sepulturã illius.* Ex quo D. Paulin. epist. 35. Pamachium laudat, qui honesto luctu vxorem defunctam parentauit. *Quam*, inquit, *non vacuam fletibus, nec vano pomparum inanium honore comitatus, sed remedijs salutaribus, & viuis operibus, (hoc est eleemosinis) prosecutus es, debito ordine primum charo funeri iusta persoluens pijs lachrimis, & largo charitatis rore perfusus religiosas exequias honorasti. Itaque istius pietatis opus in te laudabo. Nã id quoque Deo placitum monstrat scriptura, cum dicit. Fili produc lachrymas* &c. Hoc pijs hominibus innatum fuit, charorum mortes lamentis honestare, & largo lachrymarum rore funestam incantare mœstitudinem. Id etiam
Eccle. 22. Bern. confulebat Ecclesiastici 22. *supra mortuum plora, defecit enim lux eius.* Vnde D. Bernar. Ser. 26. in Cant. sic fratrem defunctum lamẽtabatur. *Plango primum super mea ipsius plaga, atque huius iactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certè & super vniuerso statu nostri ordinis, nostræ professionis, qui de tuo Gerard de zelo, consilio & exemplo non mediocre robur capiebat. Plango postremo, & si non super te, propter te tamen.* Quis dilectissimi pignoris absentiam non doleat? Quis auulsionẽ a charorum conturbernio siccis oculis ferat? Pul-
Basil. sel. chrè D. Basil. seleu. orat. 2. de Lazari suscitatione fatur. *Interdictum ne est homini mortuorum causa lachrymas fundere? Istud ego non dico; non enim, ne lugeas, inhibeo. Non exui hominis sensum, non sum immanis, aut crudelis quispiam, noui naturam dolore pressam, solamen, familiarumque consuetudinem inquirere solere. Fas est vtique dolore tangi; nam suo hoc Christus exemplo ostendit. Fleuit is enim super Lazarum.* Sed quando Iesu lachrymas pro amico mor-
Pauli tuo memini, præstat addere D. Paulini verba epist. ad Pamachium id elegantius notantia. Etenim ait: *Bonæ lachrymæ charitatis, in quibus pater Abraham matrem repromissionis eluxit. Bonæ lachrymæ pietatis, quas Ioseph iustus impendit patri. Sed quid sanctorum mortalium prædicem fletus? Fleuit & Iesus amicum: hanc etiam passionem de nostra infelicitate dignatus, vt mortuo infunderet lachrymas.* Debemus hoc naturæ nostræ, debemus hoc infelicitati, in quã nascimur; debemus & sanctissimorum exemplis virorum, vt fratrum funera honestemus lachrymis: vt dira passis fletu nostro aliquale demus leuamen. Ecclesiasticus monet cap. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Honos est aliqualis defunctorum lugubris pompa, sed & luctus præsentissimum est ad virtutem calcar. Vnde Ecclesiastes cap. 5. *Cor sapientum in domo luctus.* Equidem luctus, funebrisque apparatus sapientes facit. Ibi Olym
Olymp. piodorus: *Vir sapiens & funebri luctu secum animo deputans sese natum de corruptibili carne breui ex hac vita migraturum; mortales cæteros, qui eadem sunt nati conditione, affectu pio prosequitur. Contemnit autem quæcumque ob oculos obuersantur, vt casui mortique subiecta.* Hæc pariunt bona funebres lachrymæ, concursusque in domum luctuosam, qualis sit in morte Dinastarum.

Eccle. 7.

Eccle. 5.

§. XVII.

In aliorum interitu nostra agnoscenda mors.

CONCVRRVNT Hierosolymitani proceres in Castellum Bethaniæ, vt Marthã & Mariam de illarum fratris morte consolentur; solemnissimum enim est mundialibus hominibus semper mortem alienam, nunquam suam esse cogitare. Dolebant Iudæi mortem fratris Mariæ; nullus erat, qui in mortuo Lazaro communem mortem videret, propriamque suam ibi latitantem & appropinquantem notaret. Cũ Iosaphat rex Iuda, & Achab rex Israel cum ingenti exercitu irent aduersus Moab, factum est vt tam ipsi quam vniuersus exercitus siti & aquarum penuria premerentur maximè. Tunc Elisæus afflictis regibus promittit in crastinum & aquarum abundantiam, & Moabitarum vastationem. Ve-
4. Reg. 3. nit manè: & ecce sibi imprimis inundans torrens aquarum Israeliticos exercitus pertransit, nec sistit ibi, sed pergens vsque in Moab colorem sanguineum induens Moabitis vicinam mortem & occisionem propinauit. Quid plura? 4. Reg. 3. dicitur: *Primo mane surgentes, & orto iam sole ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras, quasi sanguinẽ, dixeruntque, sanguis gladij est: pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel percussit Moab.* Expende illud: *Sanguis gladij est, reges pugnauerunt cõtra se & cæsi sunt* &c. Nouerunt Moabitę occisionẽs

ciſionis ſignum, noüerunt mortem præcurrentem largo flumine, ſed putauerunt mortem & occiſionem eſſe Iſraelitarum, non ſuã: indeque miſere decepti currentes ad ſpolia, in gladios inciderunt. Ah quoties currentẽ mortem per plateas, per compita videmus! Quoties feretra funeralia nobis ob oculos obuerſantur, ſed putamus vicinorum mortem, minimè noſtram, & ſic repente inuadimur. Vides domi feretrum, vides cadauer parentum, fratrum mortem ſentis, non tuã, & dum itur ad ſpolia, ad hæreditatem miſere & improuiſe à morte raperis. Frequentiſsimum ſanè eſt hominibus videre mortem, & putare illam alienam, nunquam cognoſcere ſuam. Nabuchodonoſor, Dan. 4. & florentem ſuum ſtatum, & contritionem eius per ſomnium vidit. Florebat arbos procera & ſublimis de cœleſtium luminum amicitia ſuperba, de fructuum copia ditiſsima, de frequentia populorum celeberrima. Interea, *ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit: clamauit fortiter & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius.* Quid euidentius? Audit præciſionem, audit ruinam, audit mortem, non tamen putat ſuã, nec percipit qualiter ad ſe poterat pertinere præciſio. Richar. Victor lib. 2. de erud. interioris hominis parte 1. cap. 3. ait. *Nonne Nabuchodonoſori hoc idem contigit, qui diuinam ſententiam de arboris abſciſione ex Dei reuelatione cognouit: verum tamen oſtenſæ arboris ſimilitudinem ad ſe ipſum trahere ignorauit?* Nemo eſt qui ſecum loquentem mortem audiat; nemo eſt qui mortem alijs non attribuat, & ignoret ſuam. Pulchre Seneca in epiſt. 102. ait. *Nauigationes longas, & per erratis littoribus alienis ſeros in patriam reditus proponimus, cum interim ad latus mors eſt: quæ quoniam nõ cogitatur niſi aliena, nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis exẽpla, non diutius quam dum miramur haſura.* Hinc piiſsimus ille Abraham vt hoc caueret periculũ, tota animi contentione curauit exhibito pretio emere ſibi ſepulchrum. Etenim ait Gen. 23. *Intercedite pro me apud Ephron, filium Seor: vt det mihi ſpeluncam duplicem, quã habet in extrema parte agri ſui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſsionem ſepulchri.* Cur tam anxie curauit emere ſepulchrum, quãdo nullam aliam terram emiſſet? E quidem pius vir quod ad mortem pertinebat, nolebat illud, vt alienum reſpicere, ſed vt proprium ſuum. Annuit D. Amb. lib. 1. de Abraham cap. 9. *Feſtinauit pro loco ſepulturæ pretium ſoluere, cum gratis daretur, vt non in alienis locis, ſed in noſtris potius ædificemus tumulos.* Sit ſepulchrum noſtrarum poſſeſsionum fructus, vt mors inde exiſtens videatur loqui nobiſcum, & quotidie vocare nos ipſos. Vnde ſoli Ieſu vt fuit mors aliena, ſic aliena debuit eſſe ſepultura.

Dan. 4. *Richar.* *Sen.* *Gen. 23.* *Amb.*

Text. Martha ergo vt audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi. Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum, Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.

§. XVIII.

Peccatorẽs vitam citius dilatat Deus quam iuſti vitam.

ET fides, & ſapientia in Martha paruã viſitur; fides, quia abſentiam putat impedimento fuiſſe, quo minus frater à Ieſu ſanaretur; ſapientia, quia nimis ſecurè apperit amici mortem Deo intolerandam fuiſſe. Et fidelius & ſapientius putaret Dei amicum vrgente Deo in mortem præcurriſſe. Rapiuntur enim in breui Deo dilecti, & crebriùs peccatores à periculo mortis eripiuntur. Dauid ſecundum cor diuinum effictus homo, cum parricidam filium interfectũ audiuit 2. Reg. 18. ſic clamat. *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon, quis mihi det, vt moriar prote.* Quaſi bonus pater vellet ipſe mortem ſubire, vt filius nequam adhuc ſuperuiueret. Dilectiſsimum ſibi Ionatham longè aliter flebat, nunquam enim petiuit pro illo mori. Cur ergo vt Abſalõ viuat, cupit ipſe mori, & non vt Ionatha viuat & ſi huius mortem vehementiſsimè dolebat? Sanè iuſto virò moleſta eſſet reuerſio ad calamitoſam vitam, non ſic filio parricidæ, qui cum vita ſpem poterat pœnitentiæ concipere. Ità eleganter D. Aelredus in ſpeculo charit. lib. 1. cap. 34. vbi inquit. *Dicebat quidem hoc de filio parricida ſanctus Dauid; quis mihi det vt ego moriar pro te: Nunquid hoc dixit de Ionatha amico ſuo? De parricida dici debuit, quia mors peccatorum peſsima. Pium erat velle mori pro impio, vt eſſet quem pœniteret, eſſet cui miſereretur Deus ne in æternum periret. At ille tranſlatus ad requiem, non erat vlterius in hanc miſeriam reuocandus.* Imò gratificandum maximè Deo eſt, qui amicos ſuos florente adhuc ætate ad ſe rapit, vt ſecuros teneat; & qui tam auarus eſt in demetendis iuſtis, largiſsimus eſt ſæpius in proroganda vita tyrannorum, longiſsima illis concedens tempora, ſi fortè reſipiſcant. Memento Abelum & Cainum, ille iuſtus erat, hic peccator; ille Deo amicus, hic hoſtis, ille florenti æuo vitę

2. Reg. 18. *Aelred.*

eripitur,

eripitur, ad Deum rapitur: huic autem largissima promittitur vita. Gen. 4. *Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum, omnis, qui inuenisset eum.* Demetitur florens Abel, Caino datur longæua vita, illi signum ponitur, sub quo longa temporis spatia impleat. Pulchre D. Basil. seleu. orat. 4. *Celerem Abelo mortem Cain adduxit, serus mortem appetijt.* Sed adhuc explicatius D. Amb. lib. 2. de Abel & Cain cap. 10. ait. *Ecce iustus innocens, pius propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc ani sublatus est parricidio: & iniquus, sceleratus, impius etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permissione diuina.* Facilior est Dominus & liberalior ad dandam longæuitatem peccatoribus, quam iustis: quando iusti immature abripiuntur, vt Deo fruantur, peccatori longæuitas datur, vt viam emendationis capiat. Psal. 117. aiebat peccator. *Non moriar sed viuam: & narrabo opera Domini. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Lõgè missa morte, reseruor in vita, vt emendationi dem locum. Ita Cyprian. lib. 3. ad Quirinum ait. *Fidelem emendari & reseruari in Psa. 117. Emendans emẽdauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Sed age vide Deum in danda vita iustis parcissimũ. Sap. 4. *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illũ de medio iniquitatum.* Expende illud, properauit, & verte animum ad id, quod fit cum peccatoribus apud Malach. cap. 3. *Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgauit filios Leui.* Ibi properat, hic sedet; properat vt iustos ad se abducat, sedet moras trahens longas, vt prolongata vita peccatores mundentur, & purgationem accipiant.

Gen. 4. Basil. sel. Amb. Psal. 117. Cyprian. Sap. 4. Malach. 3.

Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus, dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.

§. XIX.

Maximum in morte solatium est memoria resurrectionis.

BENE Dominus dilectis suis hoc primũm & omnis solatij fundamentum prætẽdit, nimirum à mortuis resurrectionem. Huius vel odore pessimus ille vates Balaam, Num. cap. 22. aiebat. *Moriatur anima mea morte iustorum.* Quæ verba expendens D. Amb. lib. de Fide Resur. ait. *Qui viderat ortum Christi, vidit eius triumphalem mortem, vidit in eo perennem omnium resurrectionem: & ideo mori non timet resurrecturus.* Mortis horror, & metus omnis tollitur, vbi resurrectio claret; quis non contemnat malum, à quo & ditior & glorioſior est egressurus? D. Paul. ad Corinth. 2. cap. 5. ait. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur; quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Morale est omnibus hominibus veteris domus dissolutionem gaudẽter spectare, cum nouam & illustriorem sibi inde reputent acquirendam. Habet animus noster corpus pro domo sua, qui vbi sperat illustrioris habitationis reædificationẽ, gaudet in depositione & ruina veteris tabernaculi huius. D. Macharius Hom. 5. *Idcirco enim qui re vera & strenuè Christiani sunt, confidũt & gaudent migrantes è corpore, quia domum habent illam non manufactam: quæ quidem domus est virtus spiritus sancti in illis habitans. Itaque si fuerit dissoluta domus corporea, non metuunt, quia cælestem habent domum Spiritus sancti, & gloriam illam incorruptibilem, quæ in die resurrectionis reficiet, & glorificauit domum corporis.* Nõ metuit dissolutionem domus, qui reædificationem augustiorem & glorioſiorem videt. Vnde D. Paul. 1. ad Thessalonicens. cap. 4. vt omnem mortis tristitiam eliminet, ait. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Vbi post triduum resurrexisse Dominum credimus, & resurrectionẽ eius confitemur, cur tristabimur in morte? Cur à morte timemus? Cur potius salutem non amamus? Dauid 1. Reg. cap. 20. Saulis insidijs exagitatus, totus pauidus, in tantum mortem timebat, vt diceret coram Ionatha, *viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vna tantum (vt ita dicam) gradu ego & mors diuidimur.* Quem Ionathas totis viribus conatur consolari, & securum efficere; & semel & iterum iubet metum mortis deponere, & sperare salutem. Cui Dauid: *Dimitte ergo me, vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.* Ecce tibi sub quo signo, sub qua conditione à metu mortis velit Dauid liberari, nimirum, quod per triduum abscondi liceat. Sed quid videbat in illa triduana absconsione, qua metum mortis à se volebat omnino eliminare? Fallor, nisi hic aliquid odorabatur de Saluatore nostro, qui post triduum resurgens, spẽ resurrectionis omnibus concedens, nullũ sinebat tremere mortis sub falce. Huc accedit D. Athanasius Hom. de semente fatus. *Dauid cum videret se insidijs*

1. Cor. 5. Macharius. Tessalon. 4. 1. Reg. 20. Athan.

appeti

appeti per triduum ſe in latebras abdidit. Quid nil qui etiam vim tridui, eiuſque myſterium nouerat. Efficax omnino eſt quælibet reſurrectionis lux, vt mortem & latibula, & mundiales contemptus, & perſecutiones, & ærumnas animoſe & alacriter ſubeamus.

Text. Dicit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet: & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.

§. XX.

Ab vno Ieſu reſurrectio, & vita.

SCIEBAT Martha reſurrectionem mortuorum, ſed fraternæ reſurrectionis dilationem verebatur, quem metum expellēs Dominus, ſimul & docens non ab alio pendere reſurrectionem, quam â ſe, ait. *Ego ſum reſurrectio, & vita* &c. Quaſi diceret, non poteſt reſurrectio Lazari tardare, quādo ego adſum qui reſurrectio, & vita ſum, quis cohibere poteſt calorem, ne calefaciat, dum adeſt? quis vitam detinere, ne viuificet? Quis reſurrectionem ne reſurgere faciat? Procul dubio reſurget, qui Chriſto approximauerit, in vitam immortalem. Num. 16. Sæuiente flamma, populus vorabatur, tunc cucurrit Aaron, *& ſtans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & flamma ceſſauit.* Id effecit Aaron Deum precatus, quia non ipſe reſurrectio & vita erat, & ideo oratione eguit, verum Ieſus reſurrectio & vita ſtans omnia ipſe per ſe viuificabit. Pulchè D. Amb. lib. 1. epiſt. 5. *Aarō quidem ſemel ſteit in medio, ne mors tranſiret ad viuentium agmina. Hic autem Ieſus ſtat quaſi qui in hunc mundum venerit, vt aculeum mortis hebetaret, deuoratorium eius obſtruent, viuentibus æternitatem gratia daret, defunctis reſurrectionem concederet.* Non prævalet mors vbi Ieſus eſt, quaſcumque mors habuit machinās, vt homines perderet, amittunt efficaciā ſuam & penitus hebetātur, dum ad præſentiam Ieſu deueniunt. Sonet vox Ieſu, & ſepulchra mortuorum vitam halabunt. Ioan. 5. dicebat Ieſus de patre ſuo Deo: *Sic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius.* Quid quod mortui audiant vocem filij hominis? Quid magnum dicitur de filio hominis per id, quod vox eius audiatur à mortuis? Equidem magna mortuorū felicitas eſt, quod vocem filij hominis excipiant, cuius ſonno percuſſa halabūt vitam ipſa ſepulchra, & oſſa arida reuiuiſcent. Huc referendum illud ab Ezechiele exaratum cap. 37. *Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putas, ne viuent oſſa iſta?* Ezech. 37. Quæſtionē fecit D. Hieronymus, quod Ezechiel ſupra omnes Prophetas frequentius filius hominis diceretur. Sed ego amplius dubito, cur cum inter aridorum oſſium cumulos conſtituitur, & ibi maximè vocabulo filij hominis nobilitatur? Vocāda erant in vitam oſſa illa, quæ & ſi aridiſſima erant, in vitam vocata ab eo, qui filius hominis dicebatur, non poterant non ſentire tanti agnominis efficaciam. Ita D. Iuſtin. mart. qu. 45. *Quoniam ab Ezechiele per viſum ſcribenda erat mortuorum reſurrectio, quæ futura eſt re ipſa, vi filij hominis ex illo quod ſcriptum eſt, venit hora, quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij hominis: ſic Ezechiel filij hominis nomen accipit, & viſione mortuos vi nominis excitat.* Iuſtin. Vel ſi Ieſu nomen tenet, ſufficit, vt vitam frigidis cineribus inſtillet.

Text. Credis hoc? Ait illi: vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti: Et cum hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens, magiſter adeſt, & vocat te.

§. XXI.

Pro fratrum ſalute a diuinæ contemplationis gaudiis ſuperſedendum.

MIRABERIS quòd Martha Chriſti præſentiam nacta, ad ſororem vocādam receſſerit? Quid mirum? Non ne hoc ipſa contemplabatur in verbo Dei, dū ait: Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti? Filius enim Dei, qui erat in ſinu patris, vt fratres ſibi cohæredes acquirat, venit in mundum. Quod Martha confeſſa, vbi ipſa Chriſti præſentia potitur, non manet ſed ſtatim ſororis memor inde abſcedit, vt illā tanti gaudij faciat participem. Id notabat D. Cyril. Cyril. Alex. cap. 19. ſatus. *Aliquanta conſolatione accepta deluit*

doluit ipsius medici, & optimi consolatoris præsentiam, sororem suam latere: sed eam huius boni participem efficere studuit. Sic fratrum amor facit perfectissimos quosque anathema fieri à Christo. Deo dilecta sponsa fœlix in dilecti sui sinu cubabat, & fœlicior ibi obdormiebat illo somno, cuius custos ipse sponsus factus sic clamat Cant.2. *Adiuro vos filiæ Hierusalē, ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit.* Et fieri potest vt ipsa aliquando à dilecti sui sinu suscitari vellet? Vellet quidem, quia eo ipso quod quiescat in sinu dilecti, non poterit non excitari, & pungi fraternæ salutis memor. Eleganter id expendit D. Aelredus ser. 18. in Isaiam dicens. *Rogo quando ipsa volet? Quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu, vel pectore volet separari? Certe quando charitas ipsa, quæ eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit, stans ad ostium & pulsans: aperi mihi soror sponsa. Audiens illa caput amici plenum rore, euigilat, surgit, relictis delicijs, ad capillos illius, idest, qui fide illi adhærent, erudiendos, charitate suggerente pertransit.* Hinc censeri debent Christi amatores, quod prosiliant in fratrum salutem cōparandam; quod sciant fieri Christi anathema pro fratribus suis. Quē spiritum hausit simul cum aqua viua fœlix illa Samaritana, quæ vt Iesum nouit, nil morata Iesum reliquit, vt illum fratribus annuntiaret. Ioan.4. *Reliquit ergo hydriam suam mulier: & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus, venite, & videte* &c. De qua D. Chrysost. hom. 23. in Ioan. *Credidit continuo mulier, longe Nicodemo sapientior, & fortior. Ille huiusmodi pluribus auditis, neminem aduocauit, neque sibi cōfidit: hæc Apostolico officio functa est, omnibus audita annuntians, & populum extra ciuitatem ad Christum aduocans.* Nacta Iesu præsentiam nihil sibi primum faciendum putauit, quam fratres suos, conciues suos vocare, vt Iesu conspectu fruantur.

Cant. 2.

Aelred.

Ioan. 4.

Chrysost.

§. XXII.

Maria virgo quasi obligat Deum, ne ab hominis salute supersedeat.

IN mortuo Lazaro, & fœtente luxuriosi hominis miserum statum considerant. Ad quem antequam veniat Dominus, non sine mysterio quæritur, & vocatur Maria, quasi sola Deiparæ virginitatis vmbra potens sit Deum trahere ad humanam efficiendam salutem. Accipite aureum Chrysologi os in rem præsentem aiens, ser. 64. *Martha mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum: quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Sic secretum virginalis vteri Deū adduxit, vt de hominis reparatione cogitaret. Vbi de Mariæ virginitate Deus hausit, quasi tenetur peccatores non repudiare. Ne pro libito dimitteretur vxor ab Hæbreis, cauet lex, vt parentes eius signa virginitatis apud se retinerent, quando autem vir iratus à se fœminam dimisserit, tunc ait Deuteronomi. 22. *Tollent eam pater, & mater eius, & deferent secum signa virginitatis eius ad seniores:* Quo nullo modo poterit talis fæmina repudium pati. Itaque peccatrix anima, quando audit à Deo nomen pessimum, quando timet à verbo aspero, curet Marianæ virginitatis signa in se habere, illaque Deo obijcere, nec amplius timeat repelli, quando Virginis Mariæ haustus sanguis Deum peccatoribus propitium reddit. Do Rup. lib. in Deut. ca. 19. sic dicentem. *Prius quam incarnaretur Christus Dominus amorem Ecclesiæ gentium professus fuerat Dominus in omnibus Prophetis. Sed tanquam mutato consilio obyciebat illi, nomen pessimum. Non inueni eam Virginem, sed multorum Deorum, tanquam multorum virorum millibus prostitutam. Verum id frustra fuit. Nā in illa incarnatione filij Dei sacrosancta vestigia virginitatis spectanda reposita sunt.* Frustra equidem rigor repellere nititur peccatrices animas, vbi virginea Deipara mediauit, de cuius sanguine habet Dominus ad peccatores inclinari. De cuius Virginis patrocinio habent quicūque sub eius signis militant Dei misecordiā sperare. Quō alludens Cellensis Abb. lib. 6. epist. 23. fatur: *Sublunarem regionem arētem mediante nube Virginea, riuis de sanguine, & doctrina irrigauit Dominus. Collactanea eius misericordia mitiores leges impetrauit.* Expendo illud. *Collactanea eius misericordia,* quasi à lacte virgineo, quod Iesus hausit, & misericordia eius adoleuisset, vt mitiorem Deum in peccatores faceret. Cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Cur non solum hinnuli, sed & capreæ similitudinem exprimit? Sane quia vel in iudicio vult, non obliuisci, quam in matris vberibus habuit misericordiam. D. Bern. ser. 73. in Cant. ait. *Vult itaque, & si in iudicium venire, non tamen ibi in forma Dei apparere, sed in ea, qua nobis, natus est, idque de solo fæmineo sexu. Cur hoc? Nempe vt ex vtroque admoneatur infirmo mitescere in die iræ.* Caro enim illa de muliere, hoc est de Maria facta, etiā in die iræ misericordiam consulet. Habebat Saluianus parententes suos valde iratos in filios, sed vt patres emolliat, inducit natu maiorē filiam sic ad eos loquentem in epistola. *Aduolvor vestris, ò charissimi parentes, pedibus ille*

Chrysol.

Deut. 22.

Rup.

Cellen.

Ber.

Saluian.

ego

Ego veſtra palladia. En ego illa ſum, perquã vobis illa primum, & parentũ nomina, & auorum gaudia contigerũt, & quod vtroq; præſtat, vtrũq; feliciter cum fructu adipiſcendi, & beatitudine perfruẽdi. Multo efficacior Maria pro omnibus, & pro ſingulis ſtat apud Deum iratũ. Quid negabit Deus Mariæ, diuinis pedibus aduolutæ pro peccatore? Hæc illa eſt, perquã prima Patris Dei nomina claruerunt, dũ peperit dilectiſſimum filium denſo cinctum fratrum examine. Illa eſt, perquam pater omniũ Deus repleuit domum ſuam filijs, qui beatitudinis æternitate fruantur. Qualiter ergo timeamus repulſam, vbi pro nobis tantam virginem exhibeamus? Rectè Arnol. Carnot. in tractatu de laudibus Mariæ, ait. *Illa oſtendit Chriſto pectus, & vbera, nec poteſt vllo modo eſſe repulſa.* *Arn. Car.*

Tex. Illa, vt audiuit, ſurgit cito, & venit ad eũ, nondum enim venerat Ieſus in caſtellũ: ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudei ergo, qui erãt cũ ea in domo, & cõſolabantur eam, cũ vidiſſent Mariam, quia cito ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicẽtes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.

§. XXIII.

Vanitas plures habet ſequentes, quam Chriſtus.

VIDE, quã conſideratione ducti vniuerſi Iudæi ſequantur Mariã abeuntẽ, nimirũ, dicentes: *Quia vadit ad ſepulchrũ, vt ploret ibi:* & quidẽ ſi ſciretur Maria ad Chriſtũ ire, ab omnibus eſſet derelicta. Accinit D. Cyril. dicens: *Si audiſſent Iudæi eã vocatã fuiſſe à Ieſu, non ipſam fortè ſequerentur.* Sequũtur homines auidiſsimè vanitates, & amant mendacia. Videas vanitatum aras frequentiſsimas, fumoſas hominum imagines plenas populo; Dei templa deſerta. Metuo, ne his tẽporibus repetat Dñs illam apud Ierem. c. 2. querelã, fatus. *Quid inuenerũt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerũt à me, & ambulauerunt poſt vanitatẽ, & vani facti ſunt? Et non dixerũt, vbi eſt Dñs, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti.* Hæc eſt inuiſcerata malitia hominũ, intimis proſus imbibita medullis, vt ad vaniſſimæ gloriolæ, ſiue voluptatis fulgorẽ proſiliãt, currãtq; ſiue per Syrtes, ſiue per inhoſpitalẽ Caucaſum. Ad verũ gloriæ lumẽ Deũ nec gradũ faciãt. Pulchrè D. Clemẽs Alex. 2. pedag. c. 12. ait. *Ecce totũ cœlũ apertũ eſt, & Deũ nõ quæritis: abſconſum autẽ aurũ, & lapides hiſcrutãtur apud eos, qui ſunt capitis dãnati.* Cõcurritur populatim ad mũdialia bona, etſi abſtruſa, etſi apud dãnatos incarcerata: patentiſsima Dei bona contẽnuntur, Deus ipſe omniũ bonorũ artifex, vt ſuſpectus cauetur. Subſcribit Iſaias c. 5. *Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatẽ ſectandã, & potandũ uſq; ad veſperã, vt vino æſtuetis: cithara enim, & lyra, & tympanũ, & tybia, & vinũ in conuiuijs veſtris, & opus Dñi non reſpicitis.* Nec gradũ faciũt vaniſsimi homines propter Deũ, vt opus Dñi reſpiciant; conſurgunt tamẽ, & concurrũt ad ebrietatẽ ſectãdã. Septuaginta expreſsius. *Væ, qui conſurgitis manè, & ſiceram ſequentes, &c.* Nõ Deũ, ſed potũ & eſcã, ſed gloriolas, & voluptates humanas ſequuntur homines. Quæ lues adeò per omnes homines graſſatur, vt dicat Pſalm. 13. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirẽs Deũ. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonũ, non eſt vſque ad vnũ.* Vſque ad vnũ ait; vnus enim, aut alter inueniri poteſt, qui Deum ſincere requirat, hominum autẽ frequentia non ſequitur, niſi vanitatem. Quò ſpectat Apoſt. ad Philip. 2. *Spero autem in Domino Ieſu Timotheum me cito mittere ad vos: Neminem enim habeo tam vnanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſolicitus ſit. Omnes enim quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Et quidem Apoſt. non loquebatur de communi hominũ fæce, ſed de ſelectiori parte, de eis, quos ipſe ſocios habebat ſub ſigno crucis. Quod explanans amplius D. Bruno, ait. *Vere neminem habeo, omnes enim, qui mecum modo ſunt, quærunt, quæ ſua, non quæ Ieſu Chriſti.* Quis nõ doleat, quod etiã ex his, qui cum Paulo Chriſti crucem ſequebãtur, vnus, aut alter poſt Chriſtum ibat, omnes poſt vanitatem. Rem finiat Saluian. lib. 3. de Guber. Dei, de his, qui ſequuntur Ieſum, fatus. *Qui renuntiare diuitijs videntur, non ſic renuntiant, vt penitus renũtiaſſe videantur. Et qui putantur crucem portare, ſic portant, vt plus habeant in crucis nomine dignitatis, quam in paſſione ſupplicij.* Ecce tibi etiam ex his, qui portant crucem Chriſti, rapit plures ad ſui ſequelam vanitas.

Cyril. *Iere. 2.* *Clem. Al.* *Iſai. 5.* *LXX.* *Pſalm. 13.* *Philipp. 2.* *Bruñ.* *Saluian.*

Tex. Maria ergo cum veniſſet, vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.

§. XXIIII.

Durandum inhumanitatis actibus est ei, qui Deum sibi amat diuincire.

SEMPER Maria ad pedes visitur confugere Iesu, semper se statuere ad pedes, primo stans retro secus pedes, deinde secus pedes audiebat, nunc etiam cecidit ad pedes, nullo successu pedum obliuiscitur, quia semper placitura Deo humilitatis meminit. De tyranno Babylonico dicitur, quod vbi supplicium sibi imminens ex Daniele percepit. *Tũc cecidit Rex in faciem suam, & Danielem adorauit.* Expendit paruam humilitatis moram in illo, *tunc*, Richar. Victor. lib. 1. de erud. interioris homin. part. 1. capit. 63. inquiens. *Tunc cecidit Rex in faciem suam cum Daniele prædicante periculum suum agnouit. Sed illa humiliatio, quæ sine perseuerantia est, imminẽti periculo repugnare non potest.* Radices agat humilitas in corde eius, qui velit Dei affectum solicitare. Sanè reprobatus ille Esau de amissa benedictione paterna multum doluit, multum lacrymatus est, ait enim Genes. 27. *Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno, & consternatus ait: benedic etiam, & mihi pater mi.* Expende illud, *consternatus*, quasi diceret magna animi consternatione se se dimittens, humique procumbens summisse, & humiliter patrem precabatur, vt benedictionem impetraret: nec tamen Deo inde potuit placere. Cur Deo non placuit? Quia summissio illa, & consternatio non in animo radices agebat, sed leuissima erat, & leuissimo vento inde exhibilanda. Diu. Ephren. de Pœnit. fatur. *Esau pœnitentiam non legitimè fecit, ideò reprobatus est. Quamobrem non pœnitentia imbecillior fuit ad reconciliandum peccatorem: sed leuitas actionis radicem acerbitatis continebat in mente.* Expende illud, *leuitas actionis*, leuissima erat tota illa consternatio, leuissima humiliatio, leuissima humi cubatio, & ad momentum solum duratura. Et adeò leuis consternatio, & humiliatio non tollebat vitiorum acerbitatem è mente. Hinc argute monebat Ioann. apud Lucam cap. 3. *Facit ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quid est facite fructus? Sanè vitis, quæ tantum acerbas profert vbas, quasi sterilis habetur, & infructifera; illaque solum arbos dicitur dare fructus, quæ acerbitate deposita, in maturitatem deducit fructus suos. Inde præcursor Christi in pœnitentia fructus requirit, hoc est illos humilitatis, & consternationis actus, qui acerbitatem omnem deponentes vsque in maturitatem durent: & maturi vbilibet persistant.

Dan. 3.

Rich. Vict.

Genes. 27.

Ephr.

Luc. 3.

Tertul. lib. de pũdicitiã, ait. *Facientes dignum pœnitentiæ fructum. Quid enim ex pœnitentia matureſcit, quam emendationis effectus?* Nulla humilis pœnitentiæ operatio censetur, nisi quę durat, nisi quæ perseuerat, quando emenda conspicua est per virtutum longum studiũ, tunc dicitur pœnitentia ferre dignos fructus. Tertul.

Text. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudęos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine veni, & vide.

§. XXV.

Incauta bonorum temporalium receptio sæpe hominem desperatum iam, et deploratum designat.

LACRYMIS circunstantium permotus sese Dominus accingit, vt resurgentis Lazari signum populo exhibeat; interea tamen infremuit spiritu, hoc est, quid minax, & supercilioſum in populum Iudaicum ostendit. Cur minæ, & supercilium proditur, quando tantum exhibetur beneficium? Perfidia apparebat Iudæorum, quæ nondum contenta signis, & virtutibus tantum morientis, & resurgentis Lazari cogebat signum; quibus iã desperatis, & deploratis dabatur hoc ingens beneficium. Siccine, qui temporalibus indiscretè inhiant, accipiunt ingentia sæpè bona, sed à Deo indignante, sed quæ deploratæ præstantur saluti. Proijciens Abraham Agar ancillam figurat expresè Synagogam à Deo repulsam; ergo Gen. 21. *Tollens panem, & vtrẽ aquæ imposuit scapulæ eius* (nempè Agar) *traditáq; puerum, & dimisit eam.* Non quidem in donatam dimisit, sed noto donorum genus, nimirum, vtrem aquæ, ex quo deploratã eius salutẽ sic colligit D. Ambr. ser in c. 1. Isaiæ, dicẽs. *Non cũ vini, sed cum vire aquæ de tabernaculis effugatur. Aqua sola ager protrahitur, lãguidus sustentatur. Cõueniens enim erat, vt quæ viuentis non merebatur alimoniã, vel solatiũ morientis acciperet.* Dantur moribũdis, & deploratis aquæ, vel aliorũ solatia, quæ valentibus, & victuris minime conceduntur; sic Synagogæ, sic homini terrena incautè, & indiscretè quærenti, sepissime ab indignante Deo dãtur, vt deploratæ salutis solatia. Num. 22. præmonuerat Dominus Baalam, ne vllius boni prætextu ad regem Balac iret, vt populum Israelis execraret. At ille munerum cupiditate cap-

Genes. 21.

Ambros.

Num. 22.

captus ſemel, & iterum conſulturus Deum acceſſit, an liceret ire. Cui tandem Dominus: *Surge, & vade cum eis.* Ecce tibi datur homini nequam, & munerum aſpectu corrupto facultas à Domino, vt optata perficiat, vt viam concupitam ineat, & ad regem abeat, regalibuſque fauoribus magnus fiat. Sed quæ hæc facultas? An veniens à Deo dilectore in dilectum ſuum? Abſit: imo à Deo valde irato deſcēdit permiſsio illa in hominem deploratæ iam ſalutis. Eleganter Anaſtaſ. Nizen. quæſt. 32. inquit. *Indignatus ergo Deus dicit: Surge, & eos ſequere. Quod ſæpe ſolet etiam fieri à medicis, qui non nunquam quidem iubent abſtinere à cibis noxijs: cum autem ad eos propenſi ſunt ægroti, & quodammodo vim afferunt medico, vt eis permittat ſumere, tunc medicus irraſcens permittit: ſcit enim eos nolle corrigi.* Quid pulchrius? Væ, qui indiſcrete, & intemperanter ſemper inhiant bonis perituris, dantur ſæpe multa huiuſmodi, & optata permittuntur a Deo vehementer irato, qui nouit deploratam iam, & deſperatam miſeri hominis ſalutem.

Anaſt. Nizen.

§. XXVI.

Creaturæ omnes diræ ſunt in peccatores, quorum mala longiſsime a Deo abſunt.

NON ignorántis eſt illa Domini interrogatio, vbi poſuiſtis eum? Sed potius interrogatio eſt ponderantis, & demonſtrantis lanienam, in quam creaturæ omnes peccatorem hominem trahunt. Vbi poſuiſti eum? Vbi ponitur peccator à creaturis? In qua miſeria? In quo carcere? In qua laniena, in qua carnificina? Dire equidem creaturæ vniuerſæ peccatores tractant. Iona ille à Dei mandato fugitiuus quales creaturas expertus eſt? Venti, & mare, & cælum, & omnia commouētur donec eum Ceto tradant. Cur cælum, cur venti, cur mare tam malè fugitiuum miſerum tractant? Pulchre Claudianus Mamertus in carmine contra Poetas vanos, ait.

Claud.

Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoſcens, timuit, per ſe quaſi conſcia tutum
Ferre reum, & vētis fugitiuum vinxit, & vndis.

Timent creaturæ per ſe tārſire peccatores innocuos, & tutos, & ideo in illos inſurgunt, totiſque viribus nituntur illos plectere, illos verijs malis conſtringere. Exodi capit. 14. mare hinc, inde ſcinditur, vt Dei ſeruis pandat iter: *Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſiccī maris: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum, & læua. Perſequētesque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, &c.* Eccetibi, ò mare, per te trāſijt peccatorū exercitus, an ſecurus trāſibit? An innocuus peccator intra te aget? Cur non vniuerſos inuadis? Argute Saluianus lib. 1. de guber. Dei Iſraeliticum tranſitum miratur, aiens. *Pharao ad fugientes peruenit, caſtris iungitur, ſiccatur pelagus, Iſrael graditur, officioſa vndarum patientia liberatur.* Expende argutum illud verbum, officioſa vndarum patientia? quippe vbi per mare tranſibat etiam Pharao, patientiam eamque maximam præſetulerunt vndæ, ne fœuirent, ne omnia peruerterent, vt peccatorum ruinam accelerarent, ſed magis officium ſeruis Dei præſtarent. Patientiæ inuſitatę opus fuit, illudque exhibitum Iſraelitis, quod vndę, vel vnum gradum tutum per ſe facere permitterent Dei hoſtibus, quin illos ſubmerſos alliderent ad cautes. Quando autem peccator minime ſecurus tranſit per creaturas, ſed vniuerſæ illum infeſtant, illum corrodunt, non miror, quod in breui eius locus ab approbante Dei ſcientia penitus diſpareat. Quippe Pſal. 36 *Adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies.* Quis ſciat peccatoris locum, qui etiam à Deo quęritur, & non inuenitur? Non dixit, quia non eſt locus peccatori; eſt equidem vt optime D. Aug. notat peccatori locus, *quomodo eſt in fornace artificis locus palleæ*: vt affligatur, & torqueatur, vbicūque fuerit peccator: non tamen Deus iſtum peccatori pœnali loco cum inuenit, quia longiſsimus, & remotiſsimus a Deo eſt locus damnoſus homini. Naum, cap. 3. aiebat. *Sol ortus eſt, & auolauerunt, & nō eſt cognitus locus earū, vbi fuerint.* Mirū quod ita euaneant mundiales poteſtates, vt vel tota luce ſolis, non appareat locus earum, nec Soli cognitum ſit, vbi fuerint. Sed quod mireris magis, hæc verba explicat Rup. adducto exemplo ex 4. Reg. 18. quando vna nocte interfectæ ſunt ab Angelo centum octingenta millia Aſſiryorum. Qui occiſi nocte oriente ſole apparuerunt iacentes per caſtra. Cur ergo dicitur eorum locus minime cognitus Orienti Soli? Nonne Sol oriens eorum cadaueribus plenum locum vidit, & manifeſtauit? De alio Sole nempe Deo loquitur, cui ſane incognitus eſt, & abſens locus tanta hominum plenus ſtrage. Huc ſpectat Ruper. ſatus. *Ortus eſt ſol, & loca cuſtæ auolauerunt, quia propitius factus eſt Dominus, & vna nocte interfecta ſunt caſtra Aſſyriorum. Nonne velociter auolarunt locuſtæ eiuſmodi, & non eſt cognitus locus earum vbi fuerint?* Non eſt ſane cognitus Deo, quia nociuus homini. Quidquid enim nociuum eſt hominibus, quaſi à ſe Deus ablegat, & remouet, vt longiſsime abſit. De benefactore ſuo Deo aiebat Pſal. 138. *Ecce Domine*

Exod. 14.

Naum 3.

Rup.

Pſal. 36.

Aug.

Pſal. 138.

tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Verum, vbi Deum infensum homini cupiebat diabolus, ait Iob 2. *Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, &c.* Illic dicitur Deus manus suas nobis imposuisse; hic petitur non quod ponat manus, sed quod mittat manus: ponit manus, qui iuxta, & propese agit, & locat eas; mittit, qui à se ablegat, & longè remouet, vbi ergo percussio hominis postulatur, rectè petitur à Deo, vt mittat manum, quia quidquid homini damnosum est, debet à Deo longe esse remotum, & ablegatum. Dydimus in Cat. *Potestas Dei est, quæ munit, & protegit, adquam illud pertinet: Posuisti super me manum tuam. Igitur: mitte manum tuam, pro illo est, male illum accipe, & affligе.* Quasi enim missum facit Deus, & à se alienum quidquid homini est damnosum.

Iob. 2.

Dydim.

§. XXVII.

Quisque per seipsum, suæ salutis negotia peragat, ne omnino fidat aliorum officiis.

QVANTA solet esse vanissimis peccatoribus de aliorum meritis spes? Noui nobiles, & Principes homines nimium fidentes in aliorum orationibus, & vigilijs, & lacrymis, & ieiunijs, cum nihil ipsi horum efficerent. Vtilissima fateor iustorum hominum officia, etiam tibi, sed semper requiritur à Deo opus tuum, ieiunium tuum, lacrymæ tuæ. Misericordiam impertiturus Dominus Lazaro, vidit Mariam, & Martham deuotas Deo fœminas, & supplicantes, & lacrymantes pro illo, & nihilominus dicit: *Vbi posuistis eum?* Quid Domine requiris in mortuo? Non ne piæ sororum lacrymæ commouent viscera tua? Non ne ad illarum vota respiciens fratri mortuo vis impertiri salutem? Cur moraris adhuc, & requiris videre defunctum? Equidem inter aliorum officia semper à Deo requiritur videri aliquod, quod sit proprium eius, qui salutem est adepturus. Pulcherrime Diu. Ambros. lib. 2. de Pœnit. inquit. *Veniet ad monumentum Christus, etsi viderit flere pro te Martham boni fœminam ministerij, & flere Mariam, quæ attente audiebat verbum Dei: mouebitur misericordia, cum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet: Vbi posuistis eum? Hoc est, in quo reorum statu est, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis: vt lacrymis suis ipse me moueat.* Præter aliorum lacrymas, adhuc requiritur lacryma tua, vt salutem accipias. Is equidem apud Deum valet plurimùm, quem propriæ lacrymæ, proprius sudor, proprius sanguis commendat effusus. Vnde D. Nazian. extollit Basilium suum, & præponit Abrahami sacrificio, dicens: *Abraham sacrificium promptum suo obtulit Datori, & ad iugulationem vsque produxit: sed nec Basilius illo minus fecit: seipsum enim Deo obtulit, & nihil, tanquam idem esset, supposuit: quid enim erat victimam offerre?* Magnum obtulit Abraham, sed obtulit affectu filium, & sub gladio posuit; sed nec in effectu obtulit filium, sed arietem iugulauit vice filij. At Basilius non alium, non vicarium sui quæsiuit, sed seipsum Deo obtulit, seipsũ Deo litauit, & proprio sudore, & puluere brauiũ immortalitatis ambiuit. Nõ sic impij sed alienis laboribus cœlestia refrigeria sibi obuentura falsissimè putant. Pessimus ille diues cum esset in tormentis, adhuc hãc vanissimam præsumptionem non exuerat: clamabat enim Luc. 16. *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Errat misere, & nec vexatione capit intellectum, vt sciat mundialium nobilium renuntiare nefariæ consuetudini, qui de pauperum laboribus, & sudoribus semper voluit viuere. Non alieno digito, sed propria manu peccator obtinebit salutem. Cellensis Abb. lib. de panibus, capit. 25. *Conscientia de grauibus confitentibus nõ alterius, sed proprio digito velit amouere pœnam.* Vide infra lib. 10. cap. 3. §. 13.

Ambr.

Nazianz.

Luc. 16.

Cellens.

§. XXVIII.

Miserrimus status illius, qui nullos habet apud Deum patronos, nullos intercessores.

QVID miserius, quàm sic solum in mortem ire, vt nullos habeas intercessores apud Deum? Quatuor dies egit Lazarus in sepulchro catenis inferni vinctus, & cur non amplius agit? Sane habebat sorores, cuius lacrymæ apud Deum clamabant, & tandem impulerunt Iesum, vt illum redderet viuis. Vidit Iesus eam plorantem, vidit sororum, & totius populi lacrymas, & ad Lazari resurrectionem festinat. Non habuisset Lazarus sorores, non habuisset patronos, & in sepulchri carcere forsan mansisset. Recole tibi durissimam seruitutem Israelis apud Babylonios, & mirare, cur Dei populus tamdiu fuerit à Deo derelictus in tam horribili seruitute. An non habebat patronos, qui apud Deum intercederent? Accipe Daniel. 12. vbi Gabriel Angelus, dum de libertate populi agit, sic

ſic ait. *Nemo eſt adiutor meus his omnibus : niſi Michael princeps veſter.* Quæ verba ſic explanat Theodoretus, aiens. *Non ſolum Perſarum, & Græcorũ Principes vobis aduerſantur, quinimo nulla earum virtutum, quæ ſuper cælo ſunt vult populum veſtrum boni alicuius compotem fieri, propter multa videlicet ſcelera, niſi ſolus Michael, cui veſtri tutela credita eſt.* Quid miſerius, quam eò deueniſſe propter peccata, vt nullus cælicum velit eorum partes apud Deũ agere? Merito aiebat Eccleſiaſtes 4. *Conſideraũs reperi aliam vanitatem ſub ſole. Vnus eſt, ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamẽ laborare non ceſſat.* Ideo laborare non ceſſat, quia vnus eſt, quia non curauit ſibi fratres ac quirere, quorum officijs poſſet à laboribus releuari. Non diſſentit Græcus author. *Si quis fratrem non habet, hic preiudicio ſpiritum adoptionis filiorum non accepit. Is autem merito, ne vitioſitate quidem exſatiatur.* Semper in vitiorum ærumnis, & laboribus volutabitur, cum nulli fratres ſint illi, qui apud Deum pro illo intercedant. Ille fælix, qui fratres, qui propinquos ſibi nouit apud Deum facere, horum officijs multa obtinebit bona. Qui amiſſerat ſeptem filios in laboribus ſuis Iob, recepit poſt modũ alios ſeptem. Cur etiam, & primi illi reſtituti non fuerunt? Cætera bona duplicia dabantur, vt & prima amiſſa, & totidẽ alia reſtituerẽtur. Non ſic in filijs, ſed alios ſeptem accepit; primi autem non reſtituuntur, ſed apud Deũ manent. Cur non reſtituuntur? Tertul. putat non reſtitui, vt ſanctiſſimus vir etiã in felicitate patientiæ exercitiũ haberet non ſanato illo vulnere de morte filiorũ primorum accepto. Ego crediderim id ad maiorem fælicitatis cumulum factum fuiſſe, vt haberet vir ſanctus quatuor decim filios, quorum ſeptem conſpectu ſuo parentem recrearent; alij vero in cæleſti curia aſſiſtẽtes negotia parentis agerent apud ſuprem um iudicem. Huc reuòca D. Baſil. in Græca ſantem. *Ergo cum rurſus recente filiorum, filiarumque prole ornatur diuinitus: geminatam quoque filiorum poſſeſſionem accepit. Ipſi enim, qui parentis erant ad oculos oblectandos, manebant in vita: qui vero antegreſſi fuerãt liberi: ei, a quo ſati erant, præſolabantur: tũc illi coram affuturi, cum iudex humanæ vitæ cautum omnem collegerit, &c.* Quis Iobo fælicior cui apud Deum ſunt tot filij, qui negotia parentis efficiant? Inacceſſibilis prorſus eſt iam calamitatibus, Dæmoniaciſque incurſibus, qui tantum apud Deum habet filiorum patrocinium. De hoc patronorum apud Deum officio dicebat, Amoſ. 6. *Nunquid currere queunt in petris equi?* Quot ſanctos habes apud Deum pro te loquentes, tot lapides iuxta te cumulas, ne poſsis inuadi Dæmoniorum incurſibus. Ita D. Hier. ibi: *Petra Chriſtus eſt, qui donauit Apoſtolis ſuis, vt ipſe quoque Petræ vocentur: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Qui in iſtis Petris fuerit, aduerſariæ poteſtates, quæ appellantur equi, perſequi eum non potuerunt curſibus præpeditis, & per ſingulas petras corruentibus.* Tantum intereſt ſanctorum ambire patrocinia, quorum officijs, & liberamur à Dæmonio, & incurſu meridiano, & ſummũ iudicem delinimus.

Theod. Eccleſi. 4. Græc. D. Baſil. Amoſ. 6. Hier.

Text. Et lacrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?

§. XXVI.

Vita hæc temporalis odioſa eſt, et inuiſa iuſtis viris.

AMABAT Ieſus Lazarum, & plorat, illum in vitam euocaturus, fundit amaras lacrymas, vitæ ſpiritũ cũ refundit. Hæccine eſt humana vita, magis ſane flenda, quã appetenda: vt præſenti ponderat D. Iſidor. Pel. lib. 3. epiſt. 173. *Quoniã ipſum ob ſuam gloriam à morte ad vitam excitaturus erat, collachrimauit, his prope verbis vtens. Eum, qui portum iã appulerat, rurſum ad fluctus, & procellas voco: eum, qui iam coronam conſecutus erat, ad certamina rurſum duco.* Hinc penſanda eſt mortis, & vitæ noſtræ conditio; quòd mors amicorum lacrymas noſtras eliciat; fletus cogat; verum vita noſtra lacrymas trahat etiam diuinàs. Ploramus merito in morte charum, ſed in vita ipſe Deus lacrymas refundit, qualis ergo erit noſtræ vitæ conditio? Quam inuiſa viris iuſtis? Bethlemiticis infantibus interfectis dicitur, quod: *Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari.* Non miror quod ploret mater de filiorum interitu, ſed valde miror, quod noluit conſolari, quod nullum lacrymarum ſolamen concupiſcat, præcipue eo tempore, quo exiſtente in mundo hominum vita Ieſu, poſſet ſperari quod eius vi infantes omnes reuiuiſcerent? An non eſſet maximum materni planctum ſolatium, quod reuiuiſcerent? Quid de hoc ſolatij genere Rachel? Adhuc noluit;

Iſidor. Pel.

ita consolari; maluit enim filiorum lamentari casum, quam triste illud solatium accipere, quod à felici morte in vitã, à corona in arenam euocentur filij. Pulchrè D. Aelredus in speculo char. lib. 1. cap. 34. inquit. *Consolaretur, si filius à morte reuocaretur, si eius aspectibus iterum mater frueretur. Hoc noluit Rachel. Quia si ille à mortuis reuocaretur, de beatitudine ad miseriam deuolueretur. Ideò Rachel plorans filios suos, noluit consolari.* Noluit pia mater consolationem accipere pignoribus suis tam detrimentosam, propter quam ipsi cogerentur ad hanc miseram vitam reuocari. Sanè spiritus ille, quisquis erat, siue Samuelis esset (quod verum absolutè reputo) siue alius, qui. 1. Reg. 28. apud Saulem, personam Samuelis representabat iam defuncti, præclarè iuxta sancti viri prudentiam aiebat. *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Molestum erat viro pijssimo, vel ad breue tempus ad hanc vitam iterum euocari. Ne iam miremur, quod scriptura meminit de magni illius Tobiæ filio capit. 14. *Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.* Non luctus protrahunt, vt Deum timentis funus agant, sed potius in gaudia vertunt lamenta sepulturæ, quando timentibus Deum lætissima adest mors, & vita molestissima. Psalm. 104. Israelis à seruitute egressionem memorans, inquit. *Eduxit eos in argẽto, & auro.* Quę verba ponderans Eusebius Gallican. fatur. *Ecce filios Israel inimica AEgyptus mundi speciem præferens, dum incolitur, afflixit; dum relinquitur, locupletauit.* Hæccine est vita humana, dum incolitur, affligit, dum relinquitur, locupletat, & maximis bonis auget.

D. Aelr. 1. Reg. 28. Tob. 14. Psal. 104. Enje. Gal.

§. XXX.

Lacrymis homo reparatur in vitam æternam.

INTVLIT Dominus peccatori homini mortem, non vt figmentum suum totaliter disperderet, sed vt ex fragmentis solo iactis posset iterum in vitam immortalem reparari, non ne fragmenta vasis testacei, figuli arte sæpius in nouum vas reformantur? Reformantur sanè: sed per adiunctam humiditatem aquæ. Vide modo qualiter diuinus figulus reformaturus Lazarũ illacrymetur; irrorat equidem testacea fragmenta, vt inde vas splendidum repuerascat. Sic impius, vt puluis factus de lacrymarum aqua sperat in vitam æternam reformari. Dauid. Psalm. 2. huc spectabat, aiens. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Vbi Athanas. in Cat. Græc. sic expendit. *Conterit figulus vas, quod emanibus cadit, non delens, sed reformans, non alium lutum, quam vetus, aquam tantum addens: quod & Christus fecit.* Itaque sola adhibita aqua poterit Christi virtute peccatorum puluis in vitam coagulari. Misera peccatorum conditio est, felicitatis integritas vni iusto competit viro, vt dicat de eo Psalm. 1. *Et erit tanquã lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Non sic impij non sic, sed tãquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Tota iusti felicitas ab adiunctis oritur aquis; impius perit, qui puluis est facilè à quouis vento exsufflabilis. Sed puluis vndè poterit acquirere sibi soliditatem? Sanè ab adiuncta lacrymarum aqua: adde hanc aquam pulueri, inquem te redigunt peccata, & ita solidaberis, vt possis viuis lapidibus reædificari. Annuo Diu. Hieronymo, qui putat vnicum restaurationis remedium, & defensionis sub ministrari prorsus diutæ ciuitati, dum ait Nahum. 3. *Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca subigens, tene laterem.* Quasi dicat, dum aqua tibi suppetat, ne nimium expaueas hostium incursus, de ipso puluere concusi muri poteris adhibita aqua lutum facere, subigere, coquere in lateres, quibus reparares vniuersas ruinas, & te in nouũ ædificium exaltes. Hãc vnicam aquarum curam habe, quisquis hostes expectas, vt reparationem possis citissimam sperare. Vbi aqua suppetat in obsidione hostili, quot accipias ruinas, tot reparabis. Dominus Iesus apud Lucam cap. 19. ibat Ierosolimam: *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens. Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coãgustabunt te vndique, & ad terram prosternent te.* Ecce tibi miserãm Ierosolimæ obsidionẽ Dominus præmeditatur, qua gloriosa illa ciuitas à Deo dilecta solo æquanda erat, & in puluerem redigenda. Et quod remedium tantæ ruinæ, & spirituali, & temporali suggerit? Hoc vnum remedium præparat, nimirum ab oculorum fontibus haurire aquam: ait enim, *fleuit super illam,* quo in sola præuẽtione lacrymarum, præuentione aquæ, tanti casus reparationem futuram meditabatur. D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 6. ait. *Ipse Dominus Ierusalem fleuit, vt quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret.* In tanta hostium insurgentium obsidione, in tã ingenti excidio ciuitatis, vnum erat remediũ si sup-

Nahum. 3. Luc. 19. Ambros.

Psalm. 2. Athanas.

ſi ſuppeterent āquæ, quibus puluis humectaretur, & fieret lutum, & fierent lateres ad reparandas ruinas; vnum ſcilicet erat medium, vt ſuppeterent lacrymæ, quæ ex puluerulentis peccatorum ruinis poſſent nouam Ieruſalem reædificare. Has aquas, quia non curabant Ieroſolimitæ, Dominus præmittebat, ne deficeret, vndè reliquiæ Ieruſalem ſaluæ fierent, ſed potius haberet collapſa ciuitas, vndè poſsit reparari.

Tex. Ieſus autem rurſus fremens in ſemetipſum venit admonumentum.

§. XXXI.

Miſericordia ſemper præueniat rigorem.

A Lacrymis, & compaſsione tranſit Dominus ad fremitum minacem; quo rebellibus Iudæis multa minatur. Etenim quāuis neceſſum ſit rigoris gladium exerere, ſupplicia prætendere, nunquam id à bono ſit iudice, niſi prius miſericordiam, & benignitatem proteſtatus. Memini Ægypti Proregem Ioſephum non adeò aſperum in fratres ſe exhibuiſſe, quin ſæpè inter ſeueritatis fabulam proſilientes non cohiberet lacrymas; quem Chriſto Domino adiungēs ſic fatur D. Aelred. Speculo charit. lib. 3. cap. 26. *Ioſeph ſanctus prius lacrymis naturalem erga fratres proteſtatur affectum; quem ſi vir ſanctus naturali poſtpoſita ratione ſequeretur, nequaquam fratres ſalubri dolore à proditionis crimine purgarentur. Saluator quoque pium erga ſuos indutus affectum, ruituram ciuitatem compaſsione mirabili deplorauit; nihilominus tamen ciuitatis ſcelera ſummæ calamitatis iniuria ex rigore iuſtitiæ caſtigauit.* Proteſtatus prius lacrymis agninam manſuetudinem, ſi ſcelera vrgent, immediatè ad leoninum fremitum tranſit, quo irā peccatoribus & minatur, & infligit. Inuenies quidem in Deo miſericordiam, inuenies viſcera pietatis, ſed caue tibi à peccatis, ni velis iudicium, idque duriſsimum extremū pati. Pſalm. 32. *Diligit miſericordiam, & iudicium.* Vbi Diu. Baſil. ait. *Ante iudicium miſericordiam diligit, & poſt eam prærogatam ad iudicium venit.* Is eſt mos diuinus ſemper miſericordiā præmittere iudicio, beneficentiam ſeueritati, amorē iræ. Iſaias cap. 51. *Propè eſt iuſtus meus, brachia mea populos iudicabunt.* Tunc venitur ad iudicium, cum prius ſalus, & miſericordia orbem peruaderent. Quippè eā eſt miſericordia, quæ primum ſemper locum in omnibus velit occupare. 3. Reg. 17. ſic monebat Elias viduam. *Vade, & fac, ſicut dixiſti: verumtamē mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem.* Cur ſibi primum poſtulat? S. Proſp. lib. de Promiſ. cap. 29. *Ex hoc ipſo Propheta ſibi prius offerri iubet, vt miſericordia primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei Scriptura teſtatur.* Hinc narrat Diu. Ambroſ. á Ioſue optimi Gubernatoris munus adimpletū; cum enim cap. 6. militibus ſuis de Ierico mādaſſet; ait. *Sola Raab meretrix viuat, &c.* De quo Ambroſ. lib. 7. in Lucam, fatur. *Meretricis prius mandat ſalutem, quam excidium ciuitatis.* Sic apud bonum gubernatorem miſericordia primas habet. Attamen non ideò contemnamus iudicium, ſed amplius extimeſcamus, ne miſericordia præmiſſa, illud duriſsimum maneat. Id quod monebat Diu. Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſt. 71. *Quod quidem Deus ad miſericordiam propenſus ſit perſpectiſsimum habeo. Quod autem acerbiſsimas etiam ab his, qui ipſius miſericordiam contemnunt, pœnas exigat, tum ſcriptura, tum res ipſæ teſtantur. Quiſnam enim dilubium induxit? Quis ſodomiticam terram vna cum incolis concremauit? Quis Ieroſolimam perſecutus eſt? Quamobrem, nè benignitate, ac miſericordia ſola freti peccemus, verum iuſtitiam quoque cogitantes reſipiſcamus.*

D. Aelre. — *Baſil.* — *Iſai. 51.* — *3. Reg. 17.* — *Proſper.* — *Ambroſ.* — *Idem.* — *Iſid Peluſ.*

Tex. Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus: tollite lapidem.

§. XXXII.

Rigor, & iuſtitiæ aſperitas viam miſericordiæ aſtruit.

EXPAVERAM leoninos, & minaces Saluatoris fremitus, & cū mille cędes metuiſſem, ecce audio ſepulchra reſerari, & mortuum in vitam reuocari. Hiſunt diuinæ iræ fremitus? Hæ ſunt Dei minæ? Facit, & hoc diuina ira, vt ſæpè miſericordiæ diuinæ viam pandat. Irato Domino in Iſraelitas peccantes, ſtetit Phinees, & Dei iraſcentis ſuccēſus zelo Iuuenem cum Scorto tranſfodit; tunc Deus Num. 25. ait. *Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filijs Iſrael.* Quod expendens Diu. Cyril. Alexandr. lib. 1. contra Iul. ait. *Hic oro, vide miſericordem Deum, qui ſæpius, vt occaſio manſuetudinis ſit, aſperitatem amplectitur.* Non ſemel

Num. 25. — *Cyr. Alex.*

tantum asperitas, & rigor nouit, misericordiæ viam astruere; imò efficacissima res est aduersus peccatores ira, & punitio, vt deinde possit venire benignitas, & misericor-

3. Reg. 17. dia. 3. Reg. 17. vide Eliam irascentem, & minantem: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius cõspectu sto; si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Quò hæc spectant Elia? An vis funditus delere Israelem? An cupis vniuersos omnes interimere? Imò cupit, vt super vniuersos Dei misericordia deueniat, & ideò omnes concludit sub ira, vt omnium misereatur Dominus. D. Basil. Seleu. orat. 11. *Videns*

Basil. Sel. *Propheta Iudæorum populum, cultum Deo debitum in dæmonia transferentem, ira pietatis auxiliatrice ad sumpta, voce, quæ cœlo legem siccitatis imposuit, claustra nubibus iniecit. O ira pietatis plena.* Nescit ira in peccatores durare; exardescit aliquando Dei ira, & populos vastatura pergit, sed medio in itinere mille vias mi-

Exod. 32. sericordiæ pandit. Exodi 32. dicitur. *Percussit Dominus populum pro errore vituli, quem fecit Aaron.* Nec est parua quæstio, quãdo hæc percussio facta sit? Crediderim percussionem factam, vbi Leuitæ à porta in portam iuerũt percutientes quotquot obuios inuenicbãt. Sed, quæ percussio hæc pro tanto scelere? Nõne omnis peccauerat populus? Non ne à Domino percussio mandabatur in populum, cur interfectis solum his, qui obuiter veniebant, quieuit? Sanè ea est ira Dei, quæ cũ omnia vastatura egreditur, tamen medio in itinere a' inceptis desistit, viam misericor-

Saluian. diæ aperiens. Saluian. lib. 1. de Gubern. Dei. *Quod potuit maius, & euidentius de peccatoribus Deus ferre iudicium, quam vt statim consequeretur pœna peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur non est in omnes emissa damnatio? Quia pius scilicet Dominus partem percussit sentemiæ suæ studio, vt partem corrigeret exemplo.* Quasi nesciret ira progredi, nisi vt misericordiæ viam panderet. Incipit ira sæuiens, sic puniens, vt remedia præbeat peccãtibus, vt possint misericordiam sibi compara-

Psalm. 59. re. Pulchrè Psalm. 59. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos; iratus es, & misertus es nobis. Commouisti terram, & conturbasti eam, sana cõtritiones eius, quia commota est. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis. Dedisti timentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Ecce tota ira Dei repellens, destruẽs, commouens orbem, conturbans, sed vt misericordia veniat. Pro quo Berengosius Abb.

Berenz. serm. in natali martyrum, fatur. *O ira misericors, & salubris indignatio. O ira misericors, quæ sic irascitur, vt subueniat: sic minatur, vt parcat; sic aufert, vt restituat: sic tradit, vt eripiat: sic destruit, vt muniat: sic abijcit, vt recipiat.*

§. XXXIII.

Homo peccator durior lapide ad Dei vocem excipiendam.

QVAESTIONEM omnibus facit, cur Iesus iusserit remoueri lapidem ab ostio monumenti? Cur non potius ipse verbo, & lapidem, & defunctum extra vocauit? In Lazaro faciens peccatori verba saluator noluit simul loqui cum lapide, ne lapis videretur promptius obedire Dei voci, quã homo peccator. Prompriores sunt lapides, vt Deo obedientes fiant, fusci rentur in filios Abrahę, quam peccator, qui solus potest diuinæ resistere voluntati. Missus Propheta. 3. Reg. 13. vt sacrilegum regem emendaret, ille relicto rege, sermonem conuertit ad lapides dicens: *Altare, altare.* Quod meditatus Diu. Chrysost. proœm. in Isaiam, ait. *Cum lapide verba facis? Etiam, quando Rex minus est compos sensuum, quam lapis. Et audiuit lapis: ipse lapis in scisuras disfractus est, & victimam effudit. Homo ille non exaudiuit.* Longè equidem insensibilior est homo peccator, quam lapis, quam res in animatæ ad hoc, vt voci diuinæ obediat. Diu. Paul. 1. ad Corinth. 15. sic ait. *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti.* Cum primum diuinæ tubæ vox sonuerit, ipsi lapidei mortui, & prorsus insensibiles vocem filij hominis audient, vociq; primæ parentes euigilabunt. Cum hoc audio, & simul noto illa verba Diu. Paul. data Thessalonicensibus. 1. epist. cap. 4. in hunc modum. *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendit de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui residui sumus, &c.* Supradixerat Paulus, quod ad sonum solius tubæ mortui euigilabunt, modo addit, præter sonum tubæ, & iussum, & vocem Archangeli, an quia sola tuba non sufficiet? Et cur non sufficiat tuba? Cur necesse est addi vocem Archangeli, & imperium? Primo in loco solũ agit Paulus de mortuis, qui euigilaturi erant: secundo loco, non solum mortuos meminit, sed etiam viuos, qui superstites erunt, cum veniet Christus, vt fert multorum opinio. Vbi autem res cum mortuis agitur, sufficit vox tubæ, vt audiant ipsi, vbi autem ad viuos etiam, & peccatores venitur, & iussus, & vox Archangeli, & tubæ addantur, vt velint audire. Ita Diu. Hieronym. epist. 152. *Forsitan simplicis tubæ clangor dormientibus, & mortuis in Christo necessarius est: vox autem*

3. Reg. 13.

Chrysost.

ad Cor. 15.

Paul. 1.

Hieron.

autem Archangeli, & tubæ Dei ijs, qui viuunt, & in præſentiam Dei reſeruantur. Poſſunt quidem inanimatę res, & inſenſibiles calcaria adhibere hominibus, quibus ad vocem Dei audiendam currant. Hinc eſt, quod Tertul. ſiue alius quiſque auctor lib. de Trinitate rationem reddens, cur fluctus maris ad arenæ littoris nutum ſe contineant, inquit. *Fines littoribus concluſit: quo cum fremens fluctus, & exalto ſinu ſpumans vnda veniſſet, rurſum in ſe rediret, nec terminos conceſſos excederet ſeruans iura præſcripta: vt diuinas leges tanto magis homo cuſtodiret, quanto etiam illas elemẽta ſeruaſſent.* Vtinam peccator homo diſceret à lapidibus ab elementis voci obedire cœleſti. Non enim inſenſibilia ſolum, ſed & belluæ docent hominibus obedire Deo. Non ne refugam Ionam Deus tradidit Ceto? Et cur inuiſcerauit Dominus prophetã Ceto? Ne poſſet refugere Dei mandatum; ſed quantocius voci diuinæ obediret. Theodoretus ſer. 10. de Prouid. *Fugam ſtultè molientem Ceto tradidit. Irrationalis autem piſcis rationalem hominem eo deduxit, vbi prædicare iuſſus erat.* Incorporari debuit Ionas belluæ, vt quantocius Dei vocem ſequeretur.

Tertull.

Theodor.

§. XXXIIII.

De vana ſepulchrorum ambitione, & ſimul de illorum vtilitate.

NON caſu Euangeliſta meminit ſepulchri ſtructuram in ſpelunca elaborato lapide concluſam, ſed vt paſſim miremur humanam ambitionem, quæ tunc magis profunditur, quando cætera omnia humana coarctantur. Hanc pungebat Pſalm. 48. *Et ſepulchra eorum domus illorum in perpetuum*: quaſi diceret ſic ſepulchris ſtruendis incũbũt, quaſi ſibi æternum duraturis conſtruant palatia. De quo Diu. Chryſoſt. ibi fatur. *Quid hac amentia poſſet eſſe deterius, quam putare ſepulchra eſſe domum perpetuam? Quam in his gloriã ambitioſe perſequi? Multi ſæpe ſepulchra conſtruxerunt magnificentiora domibus.* Hi fuere vaniſsimi Ægyptij, vt ex Herodoto lib. 3. & Diodoro lib 3. cap. 5. conſtare poteſt. Maior his vaniſsimis cura fuit ſepulchrorum, quam domorum. Non ne cineribus recludendis illa barbara pyramidum miracula exædificabantur? Quam barbariem ſic pungit Plinius lib. 36. cap. 13. Adeò veſana dementia quæſiuit gloriam, impendio nulli profuturo. Et quidem oſsibus aridis quid conferant gloriæ ſepulchrales? Illas piorum animæ exoſas habent. Pulchrè Diu. Hieronym. epiſt. ad Paulam de morte Bleſillæ, fatur. *Poſt quam autem ſarcina carnis abiecta, ad ſuum anima reuolauit auctorem, & in antiquam poſſeſsionem diu peregrinata conſcendit: ex more parantur exequiæ & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamẽ obtenditur. Videbatur mihi tunc clamare de cœlo: non agnoſco veſtes, amictus iſte non eſt meus, hic hornatus alienus eſt.* Sic grauant pias animas pompoſi funeris ambitiones; ſic gloriæ ſepulchrorum exoſæ ſunt animabus, quæ ſolidas iam glorias præguſtarunt. Vana ergo ſemper ſepulchri glorioſi fames? Abſit: imo ſæpius in his conſtruendis naturalis quidam eſt æternæ animæ affectus, & conatus, qui vt cætera mundi bona ad corporis cultũ, & ornatum, & ordinate appetit, & temperate quærit, ſic etiam bonum laudis, & famæ præclaris facinoribus debitum ſibi, vbi vixit præoptat æternare. Ex quo naturali affectu teſtatur immortalem animam Tertul. cap. 4. lib. de teſtim. animæ, ſatus. *Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, vt literaturæ operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſeruet.* Halat anima immortalitatem ſuam, dũ bonum nomen, quod habere poteſt, etiã poſt mortem, & ruinam aliorum bonorum ſepulchrorum flexuris curat æternare. Huc ſpectabat Simon Machabæus lib. 1. cap. 13. de quo. *Mach. 1. 13.* *Ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retro, & ante. Et ſtatuit ſeptem pyramidas, vnam contra vnam patri, & matri, & quatuor fratribus. Et his circumpoſuit columnas magnas: & ſuper columnas arma ad memoriam æternam.* Honeſtè quæritur rectè factorum memoria, & laus perpetua, quæ æternos defunctorum animos ornet, & viuentes excitet ad ſimilia facinora perpetranda. Sic huiuſmodi factum honeſtat Carthuſianus in præſenti fatus. *Ad memoriam æternam ſtrenuiſsimorum operum bellicorum Mathathiæ, filiorumque eius, imò in recordationem auxiliorum diuinorum, ac triũphorum eis deſuper conceſſorum, atque ad intuẽtium ædificationem, vt conſiderarent qualiter ſit pugnandum pro defenſione legis diuinæ, & pro conſeruatione iuſtitiæ, ac pro bono communi.* Nũ abſimili honeſtate in re diſsimili Iacob, vt vidit ſponſam Rachelem. Geneſ. 35. *Erexit titulum ſuper ſepulchrum eius.* Vndè Lyppom. in cat. *Non ergo improbantur tituli ſepulchrorum, qui charitatis monumenta ſunt.*

Pſal. 48.

Chryſoſt.

Herodot.

Plin.

Hieron.

Carth.

Gen. 35.

Tex. Dicit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fætet: quatriduanus eſt enim.

§. XXXV.

Carnales fratres, & cõsanguinei nil promtius faciunt, quam impedire nobis diuina beneficia.

PRAECLARE notatum est officium sororis defuncti, quæ sola ex omnibus circunstantibus fratris resurrectionem retardat, & vna Saluatori proponit obstaculũ. Id quod in præsenti Orig. notauit, vt iam suspecta habeamus officia carnalium fratrum, quicumque ad Dei dona excipienda euolamus. Nescio, an sit aliqua res, quæ magis diuina beneficia exsufflet, quam amor iste carnalis propinquorum, consanguineorum. Lucæ 9. aiebat quidam adolescens: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt.* Non magna mora, non grandis permissio erat, quod liceret coram renuntiare domesticis, consanguineis, fratribus. Nihilominus ait illi Iesus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Sed ille nolebat retro respicere, imo suis coram renuntiare volebat, cur ergo tam dira sententia deterretur? An renuntiare suis coram, est respicere retro? Sic nociuus est consanguineorum conspectus his, qui sequuntur Christum, vt quouis prętextu ad illos venias, merito censeri posses, à via cœlesti deflexisse. Quam sentẽtiam sic claudit Diu. Basil. in regulis breuioribus interrogatione 179. inquiens. *Quod si de eo, qui renuntiare tantum voluerat, tale iudicium est, quid de alijs dicendum est?* Fugiendi prorsus sunt carnales propinqui, quando neque illis coram renuntiare possumus, quin incurramus periculum diuinæ iræ. Vix audio imprecatum fuisse illud horrendum væ alicui non sceleratissimo citius, quam carnali propagini, quam omnis propinquitatis, & necessitudinis radici. Ait Dominus Matth. 24. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus.* Dictum fuerat aliquando. *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida:* nec miror; sceleribus erant plenæ ciuitates; sed quæ scelera? Quæ facinora in prægnantibus? In nutrientibus? Cur illis deploratorum væ occinitur? Non propter scelera manifesta, sed propter impedimenta necessaria, quæ in necessitudinum, & cognationum propugnatione fundantur, quibus multi irretiti à brauio æternæ retributionis ablegantur. Ab hac sententia stat Tertul. lib. 1. ad vxorem, fatus. *Cur Dominus væ prægnantibus, & nutrientibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur, in illa die expeditionis incommodum futura?* Quos nõ iste carnalis amor suorum in via Domini retardauit? Quos non à via salutis retraxit? Merito exclamat Diu. Bernard. epist. 4. in iuuenem ab auunculo ad vitam sæcularem reuocatum. *O puer insensate! O puer magis sensu, quam ætate: quis te fascinauit ab incepto itinere tam cito deflectere? Auunculus, inquis. O aunculum crudelem, qui statim moriturus, nepotis animam prius interfecit: quem vt peccatorum suorum haberet hæredem, à Christi sorte priuauit.* Maluit in suis facultatibus habere successorem, quam pro iniquitatibus intercessorem. Vtinam hæc lues non vsque ad nos serperet: vtinam cognatorum impedimenta, sanguinisque laqueos non experirentur nostrates. Huc cognati omnes, huc fratres, huc parentes spectant, vt à suis arceãt Christum. De vnico Abrahamo ait Dominus Genes. 18. *Scio, quod præcepturus sit filijs suis, vt timeant nomen meum.* Quando Deus à carnali parente simile sperauit? Sanè viderat Abrahami dextram gladio armatã, vt filium redderet Deo, inde colligit Abrahamidum felicitatem non impediendam esse à consanguineis. Eusebius Gallicanus homil. 4. de Epiph. ait. *Prædicatur, quod posteros suos eruditurus esset in Domino, qui iam ad hoc fidei virtute peruenerat, vt filium posset immolari pro Domino.* Ille solus parens non officit filiorũ saluti, qui præuidebatur audenter filium pro Deo iugulaturus.

Luc. 9.

Basil.

Matth. 24.

Tertul.

Bernar.

Genes. 18.

Euse. Gal.

§. XXXVI.

Diuturni peccati comes infamia.

IN quatriduano mortuo peccati consuetudinem notans Cyrill. lib. 7. capit. 23. pulchrè ait. Bene de illo, qui peccare consueuerat, dicitur, fœtet. *Incipit enim habere pessimam famam tanquam odorem teterrimum.* Quis est homo, in quo peccata degant, quẽ non sequatur famæ odor teterrimus? Sanè nihil prius peccatum agit in homine, quam eius boni nominis æstimationem turpare, & vertere in vituperium. Ecclesiastes 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Etsi olei effusi instar sit nomen tuum, etsi eà floreas famà, quæ vniuersis comparetur pigmentis, vbi tetricæ peccatorum muscæ in te putrescant, necessum est, vt pessimus statim tuæ famæ erumpat extrinsecus fœtor. Caldæus Complutensis id exprimit, dicens: *Appetitus autem malus, qui moratur ad portas cordis, sicut musca adducit mortem in sæculo, eo quod fœtere faciat sapientem in tempore,*

Cyr.

Eccles. 10.

Chald.

quæ

quo peccat, & diſperdit nomen bonum, quod ante hoc ſimile erat oleo vnctionis, quod confectum eſt aromatibus. Vane fidis præteritæ famæ de bono nomine, vane gloriaris, vbi malus appetitus, vt muſca animo tuo inſederit, nullis aromatibus, nulla bona æſtimatione præcedenti facies, quod ad peccati putredinem non
Eccleſ. 47. ſequatur peſsimus nominis fœtor. Eccleſiaſticus capit. 47. ſic monebat. *Inclinaſti fœmora tua mulieribus. Poteſtatem habuiſti in corpore tuo; dediſti maculam in gloria tua.* Vbi noſter habet, *maculam*, poſuit Græcus, *Momos*, dediſti Momum in gloria tua, Momos tibi aderit. Eſt autem Momos vocaliſsimus, & maligniſsimus Deus, qui deorum commiſſa publicabat. Haud dubium quin peccatoribus Momos adſit, qui gloriam fœdet, & de bono nomine corrupto fœtorem peſsimum exire faciat. Quis neſciat æternum nomen, quod ſibi, & ſuis comparauit ſanctiſ-
Eccleſ. 49. ſimus Ioſias? De illo Eccleſiaſtici 49. *Memoriæ Ioſiæ incompoſitionem odoris facta opus pigmentarij, in omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* Moritur Ioſias, aſcendit regnum Ioachaz filius eius, & tribus ſolum menſibus regnauit, ſtatim à Pharaone ſpoliatus, & in Ægyptum du ctus. Sed præſtat modo audire Ezechielem
Ezech. 19. capit. 19. de iſto Ioſiæ filio fantem. *Leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo gentes, &c.* Quid eſt, & audierunt de eo gentes? Vbi ſe facinoribus impleuit, ſtatim Momos adfuit, ſtatim famæ fœtor orbem peruaſit; tota illa odoris compoſitio, & opus pigmentarij familiæ Ioſiæ perdita eſt, corrupta eſt de vitiorum Ioachazi muſcis, & malitia mordaci rumore, vt
Lyran. ait Lyranus, publicata fuit. *Quiſquis enim peccat, diſperdit nomen bonum, quod ante hoc ſimile erat oleo vnctionis.* Nec grauabor notare, quam perdatur, & corrumpatur boni nominis vnguentum peccatis, ex obſeruatione doctiſsimi viri Gaſparis Sanchez circa filios Ioſiæ; Ioſiæ, inquam, cuius memoria compoſitio odoris, & opus pigmentarij. Etenim religioſus Rex, vt familiam ſuam condecoraret, filijs ſuis ea nomina impoſuit, quæ ex alicuius nominis Dei notis coruſcarent: verum propter peccata eò deuenerunt filij, vt quidquid Dei erat, amitterent ex nominum ſuo-
4. Reg. 23. rum vocabulis. Habes apud. 4. Reg. 23. *Regemque conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ, pro Ioſia patre eius, veritque nomen eius Ioacim.* Ecce vobis, qui de Dei nomine El, vocabatur Eliacim, expuncta Dei nominis parte, vocatur Ioacim. Merito effecit hoc diuina prouidentia in impijſsimo viro, vt notum ſit omnibus, quam perdant vnguentum muſcæ morientes, quam corrumpant, & turpent bonum nomen peccata. Qui enim de patre veniebat, cuius memoria in compoſitione odoris, vbi patriam religionem adiurauit, & idolorum imagines corpori ſuo inuſit, nihil boni Dei meruit habere in nomine, ſed potius eius corrupto nomine fama peſsima ab eo volabit.

Text. Tulerunt ergo lapidem. Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.

§. XXXVII.

Qui viuimus, defunctorum onera poſſumus tollere, eoſque iuuare.

POSSET Chriſti virtus, vt Lazarum à ſepulchro, ſic & ſepulchri lapidem ſimul tollere; ſed maluit id operis alijs mandare, quod & ipſi fecerunt, & lapidem ab oſtio monumenti remouerunt. Cur hoc maluit Dominus, niſi vt innueret, quod defunctorum leuamen poſſunt, & debent viui homines procurare? Diu. Damaſc. orat. *Damaſc.* de defunctis ſic loquitur. *Hic rurſus bemgnitas Dei latam ſententiam vicit: ſemperque vſque ad extremum referendæ mercedis tempus ſperabit. Nam tum nundinæ ſoluentur, nec ferendi auxilij tempus erit, ſed vnuſquiſque ſarcinam ſuam geſtandam habebit. Nunc verò, & opis ferendæ tempus eſt, & tempus negotiandi. Nam hoc miſericors ille vult, gratumque habet, vt nos omnes tum in vita, tum poſt confectum vitæ curriculum mutuo alij ab alijs iuuemur.* Hæc Damaſcenus ait, pulchrè docens peccatorum pondus, ſub quo etiam vita functi premuntur, leuari à viuis poſſe. Et ſanè paruis laboribus noſtris ingentes defunctorum labores poſſumus tollere, quibus vel maximis ſumptibus deberemus præſtare opem. Nota eſt hiſtoria. 2. Reg. 2. de ſeptem filijs Saul actis in cruces à Gabaonitis; ſuffiguntur ergo in cruce filij regis: *Tollens*

le ns autem Respha filia Aia cilicium *substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos.* Quid est donec stillaret aqua super eos? Cur bona fœmina tamdiu defunctis astitit, donec aqua cœlesti perfunderentur. An innuitur ibi officium pro defunctis præstãdum à nobis, donec ipsi cœlesti rore perfusi refrigerium capiãt salutis? Ita Bachiarius epist. ad Ianuarium ait. *Melior fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eo vsque accincta sacco, hoc est, cilicio, custodiuit, donec eis rora ret aqua de cœlo: id est donec prouenia eorum, misericordiæ cœlestis stilla defluereret.* Debitum sane officium filijs regis à pijssimo rege internectioni traditis fœmina hæc persoluit, quo nos docuit, idem præstare omnibus in Christo defunctis, quos credimus torqueri purganti igne. Nonne quotquot in purgatorio sunt, filij Dei sunt? Quis ergo sciat filios Dei vehementer torreri, & nolit assistere illis in cilicio, in eleemosynis, in precibus, donec cœlesti rore refrigerium accipiant? In inferni tormentis exist tenti epuloni nec gutta aquæ à Lazari digito stillans permittitur: at his, qui in purgatorio sunt maxima refrigerij flumina parant viuorum virtutes. Iudith. cap. 10. vbi discrimen illud subibat pro patria salute, dicitur, quod *induit se vestimentis iucunditatis suæ.* Notanter dictum est, quod ad vestes iucunditatis suæ cõfugerit, nimirum ad eas, quibus vti solebat, vt iucundaret viuentem maritum. Ad eas, inquã, notanter dicitur confugisse, vt videretur similiter tantæ virtutis opus à Iudith assumptum iucundaturum marito vita functo, vt iucundabant splendida ornamenta viuo. Amb. lib. de viduis inquit. *Vestem illam iucunditatis suæ, quam viuente viro vestire solebat, induit quasi placitura viro, si patriam liberaret.* Quis neget defunctos sanctos ex suorum facinoribus, & virtutibus ingens accipere leuamen, in gentem que lætitiam? Vnde merito D. Paulinus epist. 31. Alethium Senatorem vxoris funus eleemosynis prosequentem laudans, ait. *Egena corpora fouens redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione diuina, tuum potius spiritum saginasti, & benedicta coniugis animam refecisti (in illam transfundente Christi manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur) cum in tuitu oculi permutata, in cœlestes cibos carnalis esca transiret.* Hæc ille, & insuper finit totam epistolam pergens ita. *Coniux tantum tibi gratiæ in cœlestibus parat, quantum tu illi à terrenis opulentiæ tribuis: non illam luctibus cassis honorans, sed viuis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet: iamque illi huius operis tui vsus in fructu est. Iam honoratur tuis illa meritis, iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus in vestitu deaurato circumamicta varietate. Non eget aliena manus digito refrigerari, propriis ipsa digitorum suorum roribus, (id est, dextræ tuæ operibus) infussa.* Hæc & alia fatur.

Iudith. 10.

Amb.

Paulin.

§. XXXVIII.

Gratiarum actio multiplicat beneficia diuina.

MIRABERIS postea in vno hoc miraculo resurrectionis Lazari plura miracula conuenire; ad vocem enim Iesu reuixit mortuus, ligatisque adhuc pedibus ambulat; vnde hæc multitudo miraculorum quando verba Saluatoris, nil aliud videbantur sonare quam viuificationem Lazari? Crediderim quod multiplicationem hanc beneficiorum causarit præmissa gratiarum actio. Memini in Iesu manibus paucos panes adeo fuisse multiplicatos, vt ingentem hominum multitudinem satiarent, cuius rei causam moralem quærenti statim sese mihi obtulit Ioan. cap. 6. sic rem memorans. *Accepit ergo Iesus panes, & cũ gratias egisset, distribuit, &c.* quasi de actione gratiarum manasset tota illa panum multiplicatio. Eleganter Franconius Abb. tom. 10. de gratia fatur. *Tanta autem post gratiarum actionem secuta est vbertas benedictionis, vt de paucis panibus tot millibus satiatis fragmenta, quæ superfuerant, decem cophinos exuberarent.* Quid non sibi acquirat animus gratus? Fœcundissima est gratitudinis virtus, nescit sterilescere, quin potius multiplicatos semper fructus capit, nouisque in dies augmentis gloriatur. Post vnicum obtruncatum Philistæum miro iuuencularum plausu cantatur Dauidis facinus 1. Regu. 18. quippe aiunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Cur dauid decem millia? Cur ab vno hoste reportata victoria tot induit vultus, quibus adeo multiplex, & videatur, & cantetur? Ex quo fonte vnum facinus habuit, quod multiplicibus regis Saulis victoris æquetur, imo plurium victoriarum speciem habeat? Crediderim id natum fuisse ex animi gratitudine, qua nobilis Dauid totam victoriam adhuc cum in arena esset, Deo atribuebat, illique libens sacrabat. Etenim ait, ad hostem capitulo 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel: Et dabit te Dominus in manu mea.* Ecce nilsuæ dextræ tribuit, omnia Deo accepta refert, illique soli victoriæ spolia sacrat. Id quod meditatus D.

Franc.

1. Reg. 18.

Basil.

Baſil. Seleu. orat. 15. ait. *Prædicit victoriam ac victorem conteſtatur. Gratus ſeruus, qui vel ante operam operæ fructum offert Domino.* Tota victoria de gratitudinis fonte manauit: tanta fuit Dauidis gratitudo ad Deum, vt ante acceptum munus, iam muneris fructus Deo ſacraret, quo ſic fructus auxit, vt vna victoria multarum victoriarum gloriam ſibi vendicaret. Multa equidem conficiuntur in vno gratitudinis actu. Sanaturus Dominus decē leproſos miſit illos ad Sacerdotem iuxta legem Moyſis, ex quibus ſanatis in via vnus, qui erat Samaritanus Lucæ 17. *Regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ſuam ante pedes eius, gratias agens.* Quid tunc Dominus imperaret leproſo ſanato? Qui ante ſanationem miſerat ad Sacerdotem, vt legem leproſus impleret; poſt ſanationem legis actum magis commendaret, nimirum vt munus Sacerdoti offerret? Sed nihil horum meminit Dominus, ſed vt vidit gratias agentem; nihil aliud exigens remiſit in pace, quaſi in actione gratiarum omnia legis officia viderentur peracta. Pulchrè Tertul. lib. 4. in Marcionem ait: *Vnde & vnum illum ſolutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia ſatis iam obtulerat, gloriam Deo reddens.* Vbi gratitudo vigebat nil amplius requiritur, quandoquidem gratitudo ſola inſtar multorum facinorum eſt: & multorum facinorum ipſa ſpeciem capit.

Baſil. Sel. — *Lucæ 17.* — *Tertul.*

Text. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamauit: Lazare, veni foras.

§. XXXIX.

An fidelium animæ apud ſepulchra ſui cadaueris aliquando degant?

GENTIBVS error fuit mortuorum animas ſepulchris etiam cum cadaueribus ſuis degere, quem errorem ex pulſurus Ieſus, vt ait Cyril. in preſenti magna voce vſus eſt ad Lazarum ſuſcitandum, vt oſtenderet animam Lazari à longinquo, & ſeparato loco euocari. Accinunt Teophyl. Leont. Euthi. apud Maldonatum. Sed age miſſum faciamus errorem, & quæramus, an aliquando ſaltem ſanctæ fideliū animæ apud ſepulchra degant?

Cyril. — *Maldon.*

Pro quo celebris eſt illa hiſtoria à Cæſario relata lib. 12. cap. 46. vbi fatur. *In ciuitate Bonnenſi quædam inclusa erat habitans, religioſa ſatis atque deuota: hæc cum nocte quadam rimulis cellæ ſuæ ſplendorem immitti cerneret, & diem eſſe putaret, territa propter horas nondum dictas ſurrexit, feneſtram verſus cœmeterium aperuit: & ecce iuxta caput ſepulchri cuiuſdā ſcholaris, recenter illic ſepulti, miri decoris fœminam ſtare conſpexit, gloria corporis eius eamdem lucem creauerat, ſtabat & columba niuea ſuper tumulum, quam illa rapiens miſit in ſinum ſuum. Inclusa vero, licet iam intelligeret, quæ eſſet, tamen cum reuerentia, quænam foret, requiſiuit. Cui illa. Ego ſum mater Chriſti, & animā ſcholaris huius qui verè martyr eſt, tollere veni.* Huc vſq; Cæſarius: quibus conſtat animas fidelium, dum ob culpas aliquas detinentur in terra, ſæpe reliquias ſui corporis conuenire, ibique aliquādiu degere. Accedens enim Beatā virgo ad ſepulchrum adoleſcentis dicti non voce magna vtitur, vt à longinquo euocet animam, ſed manu ſolum extenta inde rapit illam. Id quod probat etiam mos apud fideles pios receptiſsimus, quo aqua benedicta ſepulchra aſpergunt, aliaque ſacramentalia ibi applicant, non ſanè vt cineribus aliquam vtilitatem inferant, qui incapaces ſunt omnis vtilitatis: ſed vt animabus defunctorum ibi aliquando conuenientibus refrigerium non parum impetrent. Pro quo accipe quid anima Sacerdotis cuiuſdam dixerit nouicio canonico regulari apud cœnobium S. Iſidori Legionenſis degenti: *Dominicis*, inquit, *diebus propter gloriam Dominicæ reſurrectionis, & præcipuis anni ſolemnitatibus, atque quando pro nobis Sacerdotis in Miſſa miniſterio immolatur Deo hoſtia ſalutaris, multi noſtrūm nulla pœna afficimur; & ad loca quo corpora noſtra iacent venire permittimur: quaſi incenſo vel aqua benedicta inuenimus aſperſa, tanto perfundimur refrigerio, vt nobis ferè quaſi paradiſiaca requies videatur.* Hæc narrat Lucas epiſcopus Tudenſis in hiſtoria miraculorum ſancti Iſidori ca. 31. quibus lucem accipit conſilium illud Tobiæ ca. 4. vbi ſic: *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Vel vt Hæbraicè habetur: *Non ſit durum in oculis tuis panem tuum, & vinum tuum effundere ſuper ſepulchra iuſtorum.* Et cur panes effunduntur ſuper ſepulchra? An hoc ex gentiū ritu? Abſit. Imò plures exiſtimāt comendari eleemoſynas, quæ pauperibus fiant ob ſalutem animarum apud purgatorium degentium. Sed ego crediderim præcipuum aliquod officium ibi mandari ad defunctorum ſepulturam faciendum; nimirum oblationes panis & vini, quæ

Cæſario. — *Luc. Tud.* — *Tobiæ 4.*

à fidelibus conſtituuntur ſuper ſepulchra, quas accepturus Sacerdos ſepulturam adit, ibique defuncti animam Deo commendat, & reliquiarum loculum benedicta aqua aſpergit, benedictionibuſque munit. Hac oblationum occaſione luſtrata ſepulchra abdubium quod accedentibus ibi animabus inferant refrigerium. Quo ſpectat D. Amb. relatus à Gloſſa his verbis. *Amb.* *Eſt & illa Prophetica, vt ſupra ſepulturam iuſtorum ponamus quædam: non quo cibus imperetur, aut potus, ſed ſacræ oblationis veneranda communio reueletur.* Quaſi vellet Amb. ibi Prophetiam contineri panis, & vini à fidelibus conſtituendi in iuſtorum ſepultura.

§. XL.

In nullo maius, et ſublimius oſtenditur Dei regnum, quam in viuificandis hominibus, in nullo minus, quam in vlciſcendis, et vindicandis.

VTITVR voce magna iubens Lazarum viuere, quaſi tunc diuini magnitudo imperij exhibeatur, quando hominibus vitam Deus elargitur. Huc adeſt. D. Cyril. in Cat. Græca dicens. *Deo dignum, & regium imperium eſt, Lazare veni foras.* Nil enim tam digne oſtenditur, quam dum viuificandis incumbit hominibus. Magnitudini Dei adeo reſpondet beneficentia in homines, vt quo quis plus habeat de Deo, eo beneficentior in- 4. Reg. 2. ueniatur. Eliſeus 4. Reg. 2. ad Eliam aiebat. *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Cur potiùs non petit eumdem ſpiritum Heliæ? Quod ſi abſterum, & ſeuerum ſpiritum non amabat, ſed beneficentiorem cupiebat, cur non petit alterum ab Helia ſpiritum? Sanè hoc petebat, vt ſpiritus Dei in Helia habitans in ſe creſceret, & duplicaretur, ſciens quod ſpiritus Dei duplex, hoc eſt, magnus haberet ſibi propriam, & annexam beneficentiam in homines. Rigor, & ſeueritas à paruo naſcitur, à magno, & duplicato Dei ſpiritu tota beneficentia manat. Huc ſpectat Iuſtinus martyr. quæſt. 84. aiens. *Iuſtinus.* *Eliſaus oſtendit duplicem abundantiam doni ſpiritus, quo præditus erat. Atque ab Elia quidem ad vſum factum eſt olei incrementum: ab Eliſeo autem etiam vltra vſum. Helias ignem deuocauit de cælo ad vlciſcendos hoſtes: at Eliſæus equos, & equites igneos deuocauit de cœlo ad auxiliandum Iſraelitis.*

Simplicem Dei ſpiritum ſignat ſeueritas, duplum beneficentia. Hæc magnificat Deum, illa quaſi minuit. Iſaias cap. 3. *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* Se exaltat parcens, ſe humiliat vindicans. Id ex eo lucem accipiet, quod apud Daniel. accidit cap. 5. Vbi *Iſaiæ 3.* inter epulas Regi Balthaſari adeo diminutè *Daniel 5.* obijcitur diuinitas, vt ſolum parui eius digiti appareant. *In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis.* Cur ſolum digiti apparent? Cur non potiùs ingentem ſuam magnitudinem exerit Deus, vt percutiat potentiſsimum tyrannum. Equidem percuſsio hominis non eſt opus magnificans, ſed potiùs demittens & exinaniens immenſam Dei bonitatem. Sic D. Iſidor. Peluſ. lib. 3. Epiſt. *D. Iſidor. Pel.* 161. fatur. *Illic Dei per indulgentiam ſe demittentis conſilio, manus viſa eſt, vt illud oſtenderetur omnium regem calculum aduerſus tyrannum efferre, ac ſententiam ſubſcribere.* Vbi expende illud, *Dei ſe demittentis*, quippe ſuam demittit, & anguſtat magnitudinem Deus, vbi ad hominum internectionem procedit. Huc refero illud Iſaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* *Iſaias 11.* Expende quam aliter loquatur vates de virga, & de flore: vbi de virga loquitur, ait ſolum quod virga egredietur, nullos virga meminit aſcenſus: verum de flore aperté fatetur quod aſcendet. Anguſta eſt virgæ ſeueritas, & humilis, & quaſi humi repens: florida autem beneficentia ſublimis eſt, ingenteſque ſibi comparat aſcenſus. Notat id Orig. Homil. 9. in Numer. vbi ſic finit. *Sic ergo qui verberibus* *Orig.* *indiget, exit ad eum virga, qui autem proficit ad iuſtitiam, aſcendit in florem.* Nunquam Deus in flore non ſublimis, non altiſsimus, nunquam in miſericordia, & beneficentia non meditatur aſcenſiones in corde ſuo. At in virga furoris ſemper humilis apparet, & demiſſus. Gen. 11. aiebat Dominus. *Venite deſcendamus, & confundamus linguam eorũ.* *Gen. 11.* Nunquam non oſtenditur deſcenſus Dei, & demiſsio, vbi inferendum eſt ſupplicium homini. Ad hæc D. Greg. Papa lib. 2. in Iob. *D. Greg.* cap. 5. *Aſcendunt Angeli in eo quod creatorem conſpiciunt; deſcendunt angeli in eo quod creaturam ſeſe in illicitis erigentem examine diſtrictionis premunt.* Et cur non deſcenderent Angeli, quando & homines deſcenſum, & humiliationem putant, quod teneantur peccatores vindicare. Sic Paul. 2. ad Cor. 12. ait *Ne iterum vbi venero humiliet me Deus meus apud vos; & lugeam multos eorum, qui antea peccauerunt.* Minatur aduentum ſuum in virga,

in virga, in quo, ſi accidat, putat ſe humiliari à Deo. Sic Eccumenius ait: *Vltionem ſumere de ſontibus, vocat ſui humiliationem.*

§. XLI.

Vel Chriſti Domini halitus ſuffeciſſet ad omnium hominum reparandam vitam.

VBI Chriſtus Dominus vocem emittit, cur omnes defuncti non proſiliunt in vitam? vbi ad ſepulchrum clamat, cur non deſerta manent tartara? Is ſanè erat Dominus, cuius vel labiorum motus ſufficeret vitam vniuerſis comparare, ni ipſe perſe vnum Lazarum elligeret & nominaret. Mortuo adoleſcenti Lucæ cap. 7. ſimili er ait. *Adoleſcens, tibi dico ſurge.* Vbi non otioſè puto appoſitum illud, *tibi dico*, ſed noſcens vocis diuinæ efficaciam, & cauens, ne omnes mortui viuificarentur, vnum elligebat, & nominatim ſignabat. Stat D. Baſil. Seleu. orat. 10. aiens. *Cur addidit illud, tibi? Simpliciùs enim dictu fuit: heus mortue ſurge: ſed Saluatoris vox alios fuiſſet etiam virtute ſua mortuos excitatura. Ideò adiecit illud, tibi: vt ad eum tantummodo adoleſcentem mortuum gratia ſua vim exſereret.* Suffeciſſet, quod vnus Ieſu halitus inferna tangeret, vt omnibus mortuis vitam daret. Niſi ipſe actiuitatem ſuam ad vnum determinaſſet, nullis alijs legibus poſſet detineri, quo minus omnia impleret vita & ſanitate. Merito paralyticus ille, qui accuſabatur, quod contra legem in Sabbato fuiſſet ſanatus, aiebat Ioan. cap. 5. *Ieſus eſt, qui me fecit ſanum.* Quæ verba explanans S. Gaudentius tract. 2. ait. *Ille ergo, inquit, me fecit ſanum, cuius & nomen ſalus eſt. Et quomodo poterit ſalus per præſcriptam legem prohiberi, ne ſanet?* Nullis legibus teneri poteſt Ieſus, quo minus vitam omnibus & ſanitatem halet. Semel exerta Chriſti virtus vel in voce, vel in vmbra omnium fugaret mortes, omnium infirmitates. Quis neget diſcipulo Chriſti Petro virtutem ineſſe magiſtri, in cuius nomine & ipſe operabatur? Accipite Actor. cap. 5. *Itaut in plateas eycerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.* Expende illud, *& liberarentur omnes*; quis enim cohibeat virtutem Chriſti exortam ad vnum, ne peruaderet vniuerſos? Habet hoc vox Chriſti, habet vel ipſa vmbra Chriſti, vt vniuerſas creaturas ſuas reparet. Iſaias 51. *In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram & dicas ad Sion Populus meus es tu.* Quid pulchrius? diuini brachij, ideſt, Chriſti vmbra promittitur ad fundanda vniuerſa cælorum & terrarum, ad euocandos, trahendoſque in vitam populos. Accinit explicatius Forerij tranſlatio noua, vbi ſic. *Vmbra manus meæ protexi te ad plantandos cælos, ad fundandam terram* &c. Nullis terminis difinitur Chriſtianæ poteſtatis vmbra; cui & cæli & terra parent, & in nouum ſplendorem, nouamque vitam reuocantur. Quis legem imponet Ieſu virtuti? Aut quomodo ſalus per legem poterit impediri ne ſanet? Leproſis decem dicebat Ieſus Lucæ 17. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Impertiendæ ſaluti præponere ſtudebat adimpletionem legis Moſaycæ, & ideò ſanandos ſacerdoti mittebat, quaſi reueritus ipſam legem; verum eius virtus ſanandi non contineri quiuit, vt legem expectaret, ſed dum illi ad obſeruantiam legis eunt, mundati & ſanati ſunt. Cur ante legem obſeruatam ſanantur? Cur Ieſus ad legem mittit ſanandos, & ante legem ſanat? Equidem non poteſt ſalus per præſcriptam legem detineri, ne ſanet. Nullam legem veretur virtus Chriſti, vt effundat ſanitates; vnam ſolam fidem ſolet Dominus expectare, qua poſita vniuerſas leges tranſilit virtus Chriſtiana. Tertul. lib. 4. in Marcionem. *Vt vidit Dominus illos agnouiſſe legem Ieroſolymis expungendam, ex fide iam iuſtificandos ſine legis ordine remedianit.* Quos fide carentes videbat, legi remittebat, vt autem fidem in illis notauit, nulla lex potuit impedire, aut cohibere eius virtutem, ne efficeret ſanitates.

Luc. 17.

Baſil. Sel.

Ioan. 5.

Gauden.

Actor. 5.

Iſaias. 51.

Luc. 17.

Tertul.

Text. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus inſtitis: & facies eius ſudario erat ligata.

§. XLII.

Viuere vt mortuus debes, qui mortem vincere cupis.

VIDE quam vitam recipiat mortuus Lazarus; ait enim, *prodiuit mortuus ligatus*

ligatus & manus, quasi eam vitam elligat seruatis ligaminibus funeralibus, quæ vbique præseferat mortis imaginem. Optandum omnibus esset bis mori, vt quod primo errauit, secundo homo restauret. Ecce tibi Lazarum, cui bis mori datum est, ipse post primam mortem, versus secundam cœpit ambulare ligatus pedes, & manus institis. Quid nobis loquitur hæc noua forma viuendi, & ambulandi? An quod in imagine mortis ad mortem properemus? An vt sic viuamus, sic in hac miseriæ valle ambulemus, quasi funeris institis illigati, quasi defuncti sæculo pedes manusque ligatas habeamus? Hic sanè habitus *Chrysol.* victores nos per veræ mortis angustias deducet. Quò spectabat Chrysol. aiens. *Mox Lazarus ab inferis reuersus occurrit apportans vincendæ mortis formam.* Hæc est vincendæ mortis forma, nimirum defuncti habitus, quo quis velut sæculo mortuus ligatus pedes & manus vitam agat, hoc est, eam rationem *Auguſt.* vitæ instituat, quasi mortuus sit, quasi sepulchrali habitu adornatus. Quod Augusti. Hom. 2. innuebat: *Lazarum ideo Christus vitæ nostræ restituit: vt vnus homo semel nasci, & bis mori disceret.* Felix qui bis mori nouerit; fœlix qui & in vita sic moritur mundo, sic consepelitur Christo; vt fere nihil *Nazian.* quod agat, in eo habeat mors futura. Apud Nazianzenum fratres Machabæi sese ita exhortantur ad mortem subeundam. *Non ne aliquando, nolimus, velimus, moriendum nobis erit? Proinde quod facere necesse habemus, viro, liberaliterque faciamus: callidum consilium circa mortem ineamus. Nemo nostrum huius vitæ amore flagret.* Ecce tibi callidum consilium contra mortem initum, nimirum vt vitam hanc contemnamus, nosque mortuis in illa conformemus. Cum audio illud callidum consilium, non me tempero, quin tale consilium acceptum referam callidissimo omnium animali, nimirum vulpi. Hæc vt omnis calliditatis mater sic aduersus mortem callidissimè sese armat. Cum enim sic à venatoribus circumvenitur, vt nullum effugium videat, tunc spiritus intra pectus cohibens, corruit velut prorsus exanimis. Quam si calces, si vulneres, si hinc inde pellas, iacias, pœnè mortuam experieris, nullum vitæ signum, nullum sensum notabis, quo astu vbi te securum reddit de fuga, protinus effugit. Hanc vulpis ebibat calliditatem, qui mortis velit ridere pericula; sic se in vita componat, quasi mortuus sit penitus mundo. Extremæ mortis pericula & tormenta sic præueniat, vt antea velut mortuus sese exponat insensibilis contemptui, conculcationi, vulneri: vt vrbs non tam viuendi stadium sit illi, quam sepulchrum. Ex quo lucem capit non facilis Iobi locus apud Septuaginta cap. 6. vbi sic. *Si enim dederit, & mea venerit postulatio, & spem meam dederit Dominus; cum cœperit Dominus, vulneret me: in finem autem non me interficiat. Sit autem mea vrbs sepulchrum, in qua super muros saliebam in ipsa.* Expetebat iustus vir mortem extremam, illamque assidue petebat à Deo, non tamen audet accedere ad illam, quin prius callidum aduersus illam consilium suscipiat, quin prius ad mortis simulacrum se effingat, & sensum in contemptu, in vulnere dissimulet, & in vrbe inter viuos degat, velut tumulatus inter sepulchra. Ideo ait, si Deus optatis meis annuat, & mortem velit inferre, incipiat iam me præparare, incipiat priorem mundo mortem infundere, incipiat me vt mortuum inculcationi & vulneri exponere, faciat quod viuendi vrbs sit potius mortui sepulchrum. Quò etiam retulerim acutam interpretationem loci ex Actorum 20. quam crediderim insinuatam à Lorino. Quippe *Act. 20.* ait Paulus: *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans. Nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* Vincula imminentia sibi Ierosolymis prænidebat, ad illaque ibat, sed qualis ibat? Alligatus spiritu; nimirum, quæ verè ventura erant, vincula sibi ipse in spiritu antea iniecerat, iam velut vinctus, cateniſque constrictus agebat, quo absque dubio ventura vincula contemneret, & mortem ipsam. Sic ligatus manus & pedes institis sese armabat imagine mortis in mortem venturam.

Iob. 6.

§. XLIII.

Expeditissimum se quis experitur inter virtutum laqueos.

NOVVM virtutis diuinæ miraculum, quod ligatos habens pedes, & faciem sudario obnubilatam nihilominus expedite ambulet Lazarus. Quo mihi sese statim objiciunt virtutum ligamina, inter quæ expeditissimus quisque inuenitur, vt ingentia facinora patret. Quæ solutior & dissolutior vita, quam vita illius Aegyptiæ, quæ Ioseph castitatem soluere cupiebat? huius

huius inter laqueos, vt expeditior eſſet, ſeſe caſtiſsimus adoleſcens temperantiæ reſtibus alligauit. Quod ponderans Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 11. ait. *Non ita conculcauit Ioſeph illa mulier, victa eſt autem Aegyptia fornicatrix & ſumens vincula temperantiæ potentior apparet ſoluta poteſtate.* Non impediunt, ſed potius expediunt virtutis vincula; ea enim ſunt, quæ homines ad Deū quā expedite volare faciunt. Aiebat Pſal. 78. *Intret in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* Expende illud, *intret*; quippe ille poteſt intrare, cuius pedes ſoluti ſunt: at qui compeditus eſt qualiter poterit intrare? Aut qui ſunt compedes illi, qui quos premunt pedes, permittunt in gemitu ad Deum intrare? D. Auguſt. ibi. *Poſſunt intelligi compediti, qui præceptis ſapientiæ colligati ſunt.* Vbi vinculum virtutis habes, expeditiſſimus ad Deum euolabis. Ex hoc do lucem ſomnio Aeſdræ lib. 4. cap. 3. *Poſt hæc vidi ipſum hominem deſcendentem de monte & vocantem ad ſe multitudinem aliam pacificam: & accedebant ad eum vultus hominum multorum, quorumdam gaudentium, quorumdam triſtantium: aliqui vero alligati* &c. Ecce tibi vocanti filio hominis occurrunt viri alligati, non dubito quin alligati virtutis vinculis, quæ ſola ſecurum hominem reddunt, & expeditum, vt ad Deum vadat. Quo reſpiciebat pulchro exemplo D. Hieronym. epiſto. 49. ad Ruffinum, aiens. *Delectatus eſt vlyſſes Symphonia Sirenum, ſed quia Sirenum voces, & Circes pocula cognouit, virtutis vinculis ſibi vim fecit, vt vitaret voraginem. Ego autem in Domino ſperans adyciò, quod Vliſſis imitator eris.* Ecce tibi vlyſſes expeditionem ſuam à virtutis vinculis commendat: imò D. Hieron. de Vlyſsis exemplo docet, quam expedite viam noſtram ad patriam inter Sirenarum voces, & lenocinia voluptatum conficere poteſt, quiſquis ſibi virtutis vinculis vim facit. Non premunt, non implicant nos virtutum vincula, imò & fortiores, & lætiores reddunt. Iſaias cap. 45. parum à vulgata diuerſus apud D. Amb. lib. 1. de Fide cap. 2. ait. *Labor Aegypti, & mercatus Aethiopum & Sabain, viri excelſi ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui, & poſt te ſequentur alligati vinculis.* An in eo labor Aegypti ſitus eſt, quod Aegyptij alligati poſt Chriſtum abierunt? Apage: imò vincula hæc Chriſtiana gentes à labore liberarunt, & à ſeruitute in libertatem expeditiſsimam traxerunt. Id quod ponderans D. Amb. Pſalm. 37. ait. *Labor Aegypti & mercatus Aethiopum & Sabain, viri excelſi ad te tranſibunt. Laborauit Aegyptus antequam cognoſceret veritatem; ſed tam non laborat, poſtquam tranſiit ad Chriſtum. Sequuntur volentes Sabæi, qui ante fugiebant: quia tenent eos vincula charitatis.* Nullus eſt labor, nulla ſeruitus, vbi ſunt virtutum vincula, vbi charitatis in Deum laqueis conſtringimur, à quibus id potius emolumenti accipimus, quo ſecuriùs, & expeditiùs ad Dei regna euolamus. Vt meritò clamet Zacharias 9. *Conuertimini ad munitionem vincti ſpei*: Vanè enim vocaſſet vinctos, niſi ſciret virtutum vincula calcaria eſſe, imo alas, quibus curras & euoles in via. Quo reſpiciebat Oſeas cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Dixiſſet aptius in calcaribus, in alis: ſed ſciebat Dominus ſuorum vinculorum virtutem, qua ſuper pennas ventorum euolamus.

Clem. Alex. Pſal. 78. Aug. 4. Aeſdr. 3. Hieron. Iſaias 45. Amb. Zachar. 9. Oſeas 11.

Text. Dicit eis Ieſus: Soluite eum & ſinite abire.

§. XLV.

Meditatio mortis fideliſsimus dux eſt ad vitam.

NON ad ſe trahi petit redeuntium hominem Saluator, ſed liberam abeundi præſtat facultatem, *ſinite*, ait, *abire*, ſciebat enim hominem mortis memoria ſeptum non perditum ire; fideliſsimus dux eſt mortis meditatio, quæ nos in vitam deducet. Sichimitarum mortem ſpeculatus Clemens Alexan. nunquam ſatis miratur, quod Deus iter agenti Abrahamo in terram promiſſam, tam lacrymabilem hominum mortem obiecerit: vt quid Deus tot ſepulchris Sichimitarum ſeruum contriſtaris abeuntem? Sanè non pro triſtitiæ ſymbolis poſuit Deus Sichimitarum ſepulchra, ſed pro itineris fideliſsimis ducibus. Ita Clemen. lib. 3. Pedag. cap. 2. *Sepulchrum eis eſt ſupplicium, & pœna monimentum nos ducit ad ſalutem.* Huc ſpectant vniuerſa defunctorum monimenta, vt nos in viam ſalutis dirigant, vt humani itineris laudabiliter conficiendi duces fiāt. Senior Tobias c. 14. ſic moribūdus ad filios & nepotes ſuos aiebat: *Quacūq; die ſepelieritis matrē veſtrā circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc.* Expēde illud, *ex eo dirigite greſſus veſtros*, ex eo, inquit, nimirū ex ſepulchro māterno greſſuum directionem

Clemen. Alex. Tobias 14.

ctionem accipere iubet. Eſt equidem ſepulchrum optimum humanæ viæ directorium, quo propoſito ob oculos nemo ferè inuenietur, qui declinet à via. Trucidabant tyranni Sanctiſsimos parentes, eorumque conciſa cadauera obijciebant filijs, vt parentum morte territi, à via veritatis reſilirent. Sed cur non magis parentum morte conſpecta hærerent Deo filij? Pſalm. 78. *Secundum magnitudinem brachij tui poſside filios mortificatorum.* Pſal. 78. Expende illud, *poſside*: quaſi nil iam habet, quod agat Deus, vt ſibi acquirat filios, qui parentum mortis conſpectu armati ſunt. Alios adiuua, conforta, confirma, libera, illos poſside, qui à ſepulchris parentum prodidere. Non multum abeſt Auguſtini acumen innuens. *Filios mortificatorum dicit, quia non ſolum non ſunt territi præcedentium paſſionibus, ſed in eum, pro cuius nomine paſſos eſſe nouerant, accenſi.* Aug. Non eſt mortis conſpectus talis vt à Deo ſeparet, ſed potius, vt iungat nos, & alliget Deo. Quam alius eſt in Dei via, qui memoria mortis comitante, iter arripit! Compone modo priſtinos Hebræos ab Aegypto exeuntes, & ad terram promiſſam pergentes, & eorum ſtrenuiſsimum ducem Moyſem. Illi ſæpè pro Aegyptiorum eſcis ſuſpirant, ſæpe Deum offendunt, ſæpè mulctantur: hic autem ad Dei colloquium vocatur, pro ſuis ſtat, fideliſsimus inuenitur. Vnde tantum diſcrimen ſimul gradientium? Hebræi ſe præparant ad viam vaſa aura petentes ab Aegyptijs, de Moyſe autem ſingulariter dicitur Exod. 13. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum* &c. Exod. 13. Quod dum expendis, & quæris rationem tanti diſcriminis, cur Moyſes ſic Deo chárus, Hebræi ſic infenſi? Merito reſpondet Græcus in cat. Lyppom. *Præterea quod Iudæi vt pote infantibus ſimiles aurum, atque argentum detulerunt; Moyſes vero intemerati animi vir, Ioſeph oſſa deportauit.* Lyppom. Cur non redderent acceptum Deo portatorem arida Ioſeph oſſa? Cur mortui cinere comite non pergeret homo Deo ſemper gratus? ſanè vt Deus faceret omnes Hebræos ſibi obſequentiſsimos cum ex Agypto liberat, cum ſiccos per mare ducit, cum ad ripam maris lætos & victores ſtatuit ſuffocatis Aegyptijs, protinus illorum cadauera ad eandem ripam miraculoſe trahit. Exod 14. Liberauitque Dominus in die illa Iſrael de manu Aegyptiorũ, & viderũt Aegyptios mortuos ſuper littus maris. Sic ibi. Non ſolum ſuffocat Aegyptios, ſed cadauera eorum (quod fieri non ſolet in alijs ſuffocatis) facit ſtatim ſupernatare vt videantur ab Hebræis, vt à tanto mortuorum conſpectu ſic greſſus dirigerent, ne toties aberrarent. Exod. 14. Vnde deſperatam Hæbræorum conditionem præ Aegyptijs peponibus ſuſpirantem hinc exagerat Orig. Hom. 7. in Exod. fatus. *O populus ingratus deſiderat Aegyptum, qui Aegyptios vidit extinctos! Carnes Aegypti requirit, qui Aegyptiorum carnes vidit maris piſcibus, & cœli alitibus datas!* Orig. Deſperata conditio eſt illorum qui nec viſa morte emendantur, quando meditatio mortis fidiſsimus dux eſt viæ ſalutis. Id quod docet Euſeb. Gallicanus Hom. 1. de Epiphania inquiens. *Per ſalutiferas gradimur vias quando anima damnatis voluptatibus, id potius cogitat, quando ſepoſitura ſit tabernaculum ſui corporis.* Euſeb.

LIBER NONVS.

DE PARALYTICIS ET LEPROSIS CVRATIS.

POST mortem deuictam, nos vocant morbi illi, qui & totum hominem inficiunt, & aut nunquam aut difficulter curantur. Hi sunt & Paralysis & Lepra, quæ mala Iesus noster ab hominibus suis depellens, eorum speciem subit, vt dicat Isaias cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum.* Quis non amet medicum, qui non veretur pro infirmis infirmari?

CAPVT PRIMVM.

De Paralytico per tegulas dimisso.

IAM dudum Capharnaũ ciuis factus Dominus, quod ideò patriam suam nuncupauit, oppidum intrauit. Tunc ad eum quatuor viri quendam detulere languentem, vix adhuc hominem, iam cadauer. Quem vt Dominus supernæ virtutis egere virium restitutione conspexit, à peccatis priùs curauit absoluere, quę malorum omnium sunt radices, vt in hominem depulso sordium squallore mundatum, tanquam præparatam sibi salus introiret in domũ. Nec non vt murmura Iudęorum comprimat, dicit iacenti: Surge, tolle grauatum tutum, & vade in domum tuam. Non moratus ille parere iussis, assurgit ex imbecilli validus, ex desperato confisus, ex moriente victurus, & mente, & corpore diuina Christi virtute, perfectè sanatus.

Luc. 5. Et factum est in vna dierum & ipse sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Hierusalem. Et virtus Domini erat ad sanandum.

§. 1.

Christi verbi suauitas, et beneficentia congregat, et curat efferatissimos quosque. Vbi de ornatu sermonis.

ET doctrinæ explicandæ, & infirmis cũrandis dans operam Iesus ad se populos adlectabat: & cur populi non currerent ad Iesum, apud quem viuidi & sapientiæ, & beneficentiæ fontes largis effundebantur canalibus? Et rurales turbæ & Ierosolymitani superbissimi Dynastæ Iesu operante, quasi vnius moris in domo sedem habent. Huc spectat illud Isaiæ cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Per aquam Procop. in præsenti intelligit Spiritum sanctum; & *Isaiæ c. 12.*

quidem Spiritûs ſancti dona & ſcientiæ, & gratiarum è viuido Ieſu fonte, dum omnes hauriunt, nemo exhaurit. Quid inde Iſaias? *Confitemini Domino & inuocate nomen eius; notas facite in populis ad inuentiones eius.* Expendo quod dicat, *notas facite in populis*: quippe apud Oſeam ca. 1. ait. *Voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus*; ſed quaſi iam efferi homines & non populi, in populum ſint effecti, lætabundus Iſaias ait, notas facite in populis adinuentiones eius. Iam ſibi Deus adinuenit populum; iam Dei ars & inuentio patet in populo congregato. Sed quæ hæc ars & adinuentio Dei? Sanè in eo, quod ante dixit, conſiſtit, nimirum, haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Non vane & caſſe Saluatoris fontes hauriuntur: adinuentio eſt, quæ tanti fontis hauſtibus nouit populos lactare, & adlectare, vt efferis moribus dimiſsis, iam vnius moris in domo viuant Chriſtiani. Meminit Sarmacidem fontem Tertul. aduerſ. Valent. qui Iſaiæ verbis haud obſcuram præferet facem. De illo ſic Vitruvius etiam datus lib. 6. cap. 3. §. 49. lib. 2. Architect. *Cum Melas & Arenarias ab Argis & Trezene coloniam communem eò loci deduxerint, barbaros Caras & Lelegas eiecerunt. Hi autem ad montes fugati, ſe congregantes diſcurrebant, & ibi latrocinia facientes crudeliter eos vaſtabant. Poſtea de Colonis vnus ad eum fontem propter bonitatem aquæ, quæſtus cauſa, taberna omnibus copijs inſtruxit, eamque exercendo, eos barbaros allectabat. Ita ſingillatim decurrètes, & ad cœtus conuenientes, è duro feroque more commutati in Græcorum conſuetudinem & ſuauitatem ſua voluptate reducebantur.* Hæc ille aiebat de Sarmacidis fontis adinuentione, quem ego libenter memini, vt in noſtri Saluatoris fontibus, eas pietatis adinuentiones explicarem, quibus populi ſuauiantur, alliciuntur, & inter doctrinæ latices, & beneficentiæ circa egentes, ſuauitates, mores etiam imbibunt Chriſtianos. Accinit Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, ſcidit columnas ſeptem, miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Vbi enim incarnata ſapientia cœpit homines diuina doctrina paſcere, communeſque & verbi & ſacramentorum paſtus omnibus exhibere, ſacrificia veri ritus explicare, non amplius homines efferi & errabundi per deſerta, ſed in ciuiles, & humanos mores efformantur. Iam à Chriſti verbo paſti vocantur, imò reuocantur ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, hoc eſt, abiectis ſpeluncis ferarum, ciuiliſsimæ hominum vrbes ædificantur. Vbi incarnata ſapientia Triclinium adornauit in terris, verbi panibus plenas menſas apoſuit, iam non domûs vnâ, ſed ciuitati condendæ mœnia ampliſsima, & arces parabãtur. Iam à mẽſis allecti ad cœtus conuenientes è duro feroque more commutati faſtuoſiſsimi, & barbariſsimi in conſuetudinem humaniſſimam reducebantur. Id quod ſpectabat Iſaias cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Argutiùs in rem præſentem Septuaginta pro illis verbis, *habitabit, accubabit, morabuntur*, ponũt vbique, *paſcentur*, vt innuerent tantam ferorum cordium humanitatem, comitatem, ciuilitatem à Verbi diuini paſtu fuiſſe deriuatam. Cui ſuffragatur Procopius relatus à Leone de Caſtro in præſenti, fatus. *In eccleſia vitulus & leo & pardus mutatis ferinis moribus ſimul paſcentur, eiuſdem ſpiritualis eſcæ participes, ideſt reges & principes viri, dimiſſo illo faſtu, & fœditate ſimul cum pauperibus verſabuntur.* Sic Saluatoris latices, ſic diuini Verbi paſcua cicurant efferiſsimos homines, lupoſque conuertunt in agnos, faciuntque & leones & oues in vno grege ſub eodem paſtore commorari. Quem non cicurent, & manſuefaciant viuida Saluatoris verba? Daniel. cap. 4. *Ecce arbor & folia eius pulcherrima: & fructus eius nimius & eſca vniuerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ.* Miraberis tot fera animalia, tot beſtias carniuoras adeò manſuete & pacifice ibi ſimul habitare & vitam agere; quo id carmine factum eſt? Verte oculos ad fructus arboris, verte oculos ad pulcherrima folia illius, nimirum ad ſapientiæ verba, quæ ſola cicurare valent efferos mores, & in manſuetudinem humanam reducere. D. Thom. Opuſc. 58. cap. 3. *Sub folio pulchro animalia ſibi inimica, vt lupus & agnus, columba & vrſus pacifica erant. Quia verba ſapientium inimicos reconciliant.* Hoc à D. Thom. libentiſsimè accipio, vt liberem diſſertas & ornatas linguas à ruſtica cenſura multorum, qui pulchritudinem dicendi contrariam putant Chriſtiano ſpiritui. Imo vitæ arbor Chriſtus & dulci ſapientiæ eſca, & pulcherrimis verborum folijs, inimica & fera animalia ad humanitatem reducit. Quantum in hoc poſſunt ſapientiæ verba, nouit prudens illa Eſter, quæ aſſitura infenſiſsimo Hebræorum hoſti Aſſuero ſic precatur cap. 14. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis.* Vel Leonem cicurare ſperabat, & flectere in manſuetudinem, ſi ſapientiæ diuinæ reciperet ſermonem compoſitum in ore ſuo. Qui eſt ſermo compoſitus? Carthuſianus ait. *Sermonem ornatum, ac audienti beneplacentem.* Vtiliſsimum Chriſtiano eſt, de fontibus Saluatoris haurire, quo ornate dicat; quando & ipſe Saluator ſplendenti flumine

Iſaiæ c. 12.
Oſeas 1.
Tertul. Vitruu.
Prouerb. 9.
Iſaias 11.
Procop.
Daniel. 4.
D. Thom.
Aeſter 14.
Carthuſ.

flumine orationis lapideos,& feros homines trahebat in mores humanissimos.Ioan. 4. ad discipulos dicebat: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem,&c.* Nec tũc in priuato sermone à figurata locutione, oratorumque pulchris methaphoris voluit desistere. Quod si quæras,cur etiam,tunc figurate,& cum ornatu loquitur? Respondet Chrysost.hom.23. in Ioan.*Vt iucundior narratio esset, & diutius animo immoraretur*. Habet hoc sermonis ornatus, vt sententiam altius animo infigat, præterquam,quod allectat homines, & cicurat. Psal.141.*Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Alij legunt apud D. Chrysost. *Quoniam speciosa fuerunt.* Multum possunt verba speciosa,vt se audiri,& percipi faciant.Cant.1.dictũ est sponsæ:*Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Vbi noster posuit murenulas,ponunt alij similitudines aureas,quas reducit Bern.ad diuinas inspirationes,cordisque loquelas,quibus angelorum ministerio mouemur ad virtutes.Sed cur hæ similitudines dicuntur argento vermiculatæ ? Ber.ser. 41.in Cant.ait.*In quo mihi significare videtur, non modo similitudines intus per Angelos suggeri: sed nitorem eloquij per ipsos extrinsecus ministrari, quo congrue, atque decenter ornata ab auditoribus facilius capiantur, & suauius*. Hæc ille de ornatu,nitoreque sermonis.Act.15.*Iudas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerũt.* Vbi noster ponit.*Verbo plurimo*, legit Syrus. *Sermone diuite*, quasi efficacia persuasionis à diuite ornatu orationis veniat.

Ioan.4. Chrysost. Psal.141. Cant.1. Ber. Act.15.

Marc.2. Venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur; & cum non possent offerre eum illi præturba, nudauerunt tectum, vbi erat,& patefacientes submisserunt grabatum,in quo iacebat paralyticus.

§. II.

Proximorum virtutes ponderet,& ampliet Christianus,qui in defectibus cæcutiat,et taceat.

PVLCHRVM charitatis facinus uit,cũ alitern non possent,infirmũ ex apertotecto dimissum Christo Domino præsentare:sed quã ta id molestia eorum, qui Iesu aderant factũ est? Equidem crediderim,non potuisse tectũ nudari tegulis,& tabulatis sine metu,& molestia eorum,qui intra domum erant, præcipue cum tanta esset hominum frequentia, vt tenerentur,& puluerem,& deciduos lapillos, & lignorum particulas excipere. Hanc facti molestiam auditoribus exhibitam dissimulant Euangelistæ,cum multi sint in charitatis opere explicando. Plurimũ enim decet Christianum ad defectum, & inconsiderantiam proximorum cæcutire,& eorum virtutes maxime ponderare. Id quod seruabit magister noster Christus,etiam cum iudex sederit ad iudicandum mundum.Matth.25.*Tunc dicet Rex his, qui adextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurijui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedisti mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. Incarcere eram, & venistis ad me.* Quis non videat,quam largus hic rex in ponderandis sibi præstitis officijs? Quã memoret,& expendat singula singillatim, ne quid iũctum cum alio videatur? Non sic cum malis operibus agit;ibi aliqua confundit, aliqua miscet:quippe ait: *Hospes eram, & non collegistis me. Infirmus, & in carcere, & nõ visitastis me.* Expende illud, infirmus, & in carcere. De quò sic fatur Origen.hom.24. in Matth. *Iustis quidem de infirmitate dicit. Infirmus fui, & visitastis me. Separatim autem de carcere, in carcere fui, & venistis ad me. Ad iniustos autem præcidens, & compendians narrationem, subnanit vtrumque, dicens, Infirmus fui, & incarcere, & non visitastis me. Quoniam misericordia indicis erat benefacta hominum largius prædicare, & ampliare; malefacta autem eorum transitorie memorare, & breuiare.* Sic maximus bonorum operum ponderator,& prædicator, etiam in pessimis hominibus, & omnino de ploratis cæcutit ad scelera,illaque breuiat, & pertransit.Quis fratris non prætereat peccata, vt virtutes exaltet? Quis respiciat festucas errorũ, cum possit magnalia virtutum fraternarum prædicare? Vrgebatur D.Hieronimus, vt sanctorum virorum aliquales, etsi leuissimas culpas exereret, alioquin Pelagius roboraretur aduersus fidem,asserens posse hominem viuere absque aliqua labe peccati. Quid tunc Hieronimus? Causa Fidei erat, vt minuta aliqua peccata in sanctis viris quereret,nihilominus sanctissimus vir hac prudenti ratione ab illa inquisitione abstinet lib.2.contra Pelag. *Quæris vbi Abel, vbi Enoch, vbi Iesus Naue, vbi Hæliseus peccauerint? Non est necesse nodum in scirpo quærere. Vtinam possem manifesta reticere peccata.* Absurdissimum est, vbi floridissimæ vigent virtutes,fragilis naturæ indagare. & publicare

Matth.25. Orig. Hieron.

blicare errores, imperfectiones taxare, & celebrare. Audisti is Magdalenæ facinus, quo effudit in Christum totum vnguenti alabastrum? facinus sane, non adeo illustre, (si consideretur in Christi scola;) verum vt factum fuit à fœmina pietate, & deuotione plena ma-
Matth. 26. ius omni laude. Hoc vbi viderunt multi, respuerunt Matth. 26. *Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Qui neget hanc imperfectionem in facto illo secundum se considerato? Et nihilominus magister, & Dominus virtutum sic pro muliere fatur. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Et quidem ò Domine nemo negat bonum fuisse opus, sed solum carpunt inutilitatem, & imperfectionem, cur ergo reprehendis, & molestos vocas eos, qui imperfectionem carpunt. An non imperfectum erat opus illud in se spectatum? Erat sane, sed summa charitate, & deuotione fœminæ factum, & molestissimum, & indignissimũ in opere bono quærere, quid vituperes, & videre imperfectiones, cum possis totum habere, quod laudes. D. Isidorus Pe-
D. Isid. Pel. lus. lib. 2. epist. 88. *Quoniam mulier oleum effundere antevertit, absurdissimum esse diuina sapientia iudicauit, ipsius fidem obterere. Atque ipsius patrocinium suscepit, vt verbis: Bonum opus fecit. Non enim dixit, bonum opus factum est: sed fecit. Nec enim ipsum facinus priuatim expendit: verum vna cum mulieris persona.* Et quidem opus in se consideratum non adeo à Iesu laudaretur, ideo illud Dominus considerat, qua parte illud debet laudari, & aliud præmittit. Is enim est spiritus Christianus laudare bona, excutire ad mala.

§. III.

Nullum vitium incurabile, vbi diligentia adest.

INTERCLVSI viderentur omnes salutis aditus huic paralytico, quando propter constipatam multitudinem hominum nõ poterat ad Christum intromitti: sed intercluſi communes aditus nullam desperationem faciunt diligentissimis portitoribus, qui nulli parcentes diligentiæ, nec labori nouam inueniunt viam obtinendæ sanitatis. Sic quidem Deus sanabiles facit omnes nationes, quæ dili genter studeant obtinendæ sanitati: nullum vitium, nullum peccatum incurabile est, vbi dili-
2. Reg. 1. gentia adsit. Amalecites ille 2. Reg. cap. 1. Saulem lancea transfossum inuenit, quẽ & ab ipso persuasus interfecit, factique rationem reddens, ait: *Stans super eum occidi illum, sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam.* Hinc miserum Saulis interfectorem statim interfecit Dauid. Sed cur miser homuncio sententiã mortis incurrit? Sane debuerat percusso regi suam prius præstare diligentiam, vt illum à morte eriperet, quam desperasse de remedio, dicens sciebam, quod viuere non posset. Elegan-
Bachiar. ter Bachiarius epist. de recipiendis lapsis ait. *Illum Dauid statim morte damnauit, cum per cussum ab hoste desperasset esse victurum, & eum sublata spei fiducia iugulasset.* Citius credidit non esse victurum, quam diligentiam adhibe ret, vt viueret. Mẽrito offendit Dauidem, qui maluit desperare de percussi vita, quam diligentia adhibita procurare illum retinere in vita. Quippe nunquam desperandum est de pec-
Cyprian. catoris vita, dum licet aliquam adhiberi diligentiam, vt viuat. Id quod pulcherrime docet D. Cyprianus ser. de cæna Domini prope finẽ inquiens. *In eodem articulo temporis, cum iã anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia spirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est, quod verum; & quacumque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia.* Nullis carceribus, nullis difficultatibus, nullis anguſtijs intercluditur aditus ad salutem, vbi à diligentia facienda prorsus non impedimur. Quorum salus magis deplorata, quam Niniuitarum? Sic Dei sententia tulerat Ionæ cap. 2. *Adhuc quadraginta* Ioan. 2. *dies, & Ninive subvertetur.* Hanc sententiam excipiunt Niniuitæ; hanc audit rex, nec tamen desperat, imo ad nouam, & inauditam pœnitentiam prædicandam festinat. *Homines, ait, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clamẽt ad Deum in fortitudine, & cõuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si cõuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Sane lata mortis sententia obstructissimus videbatur aditus ad salutem, non tamen desperat bonus rex, dum habet quid agat ex his, quæ solent negotiari veniam. Ad hominum lacrymas brutorum lamenta adiungit; & dum tam none diligentiæ studet; iratum Deum cõuer-
Basil. tit in mansuetudinem. Pulchre D. Basil. orat. 4. de Pœnit. fatur. *Talis erat diligens illa Niniuitarum pœnitentia, & sapiens ac coacervata illa tribulatio, quæ nec bruta quidẽ animantia supplicij expertia esse voluit, &c.* Expẽde illud, *diliges, pœnitentia*, quippe sola indiligentia, & incuria perdit miseros peccatores, qui si diligentiã adhiberent, abdubiũ quin reciperent salutem.

Dum

Dum adest diligentia non intercluditur aditus saluti; per tectum intrabit, quando per ostium non potest: verum vbi diligentia deficit, prorsus venia excluditur. Id quod manifestè patet in Nabuchodonosor, cui præcisionem à Regno Daniel Prophetans, statim subijcit ca.4. Quamobrem consilium meum placeat tibi, Rex, & peccata tua eleemosynis redime: forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Bonus consiliarius etiam sententia lata non desperat omnino; sed diligentiam consulit, qua depelli possit. Et quid tandem factum

Daniel. 4. est? *Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulauit, respondensque rex ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonosor rex regnum transibit à te,* &c. In qua re expendendum est illud, *post finem mensium duodecim:* Sententia lata erat, consilium Danielis de eleemosynis faciendis regi exhibitum, cur post hæc duodecimus mensis expectatur ad supplicium? Cur non statim immediatè post sententiam contigit Nabuchodonosori supplicium, vt contingit Balthasari filio eius? An acquieuit Danielis consilio & eleemosynas fecit? Equidem acquieuit consilio Danielis, & dum per annum eleemosynis incumbit, aditum inuenit saluti; qui prorsus intercluditur, vbi duodecimo mense eleemosynarum oblitus ad pristinam reddit superbiam. Quippè se in arcto posita eleemosynarum diligentia inuenit salutem, quam funditus perdit cessatio, & incuria. Do D.

Hieron. Hieronymum sic sentem. *Fecit Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes, & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia. Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur & dicit. Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui? Bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.* Dum eleemosynarum persistebat operatio, & diligentia pauperibus alendis adhibebatur, inter sententias latas erat saluti aditus, quem obstruxit cessatio. Quisquis ergo salutem cupis, nullis cedas angustijs, diligentiam adhibe, & erit salus. Non te difficultas & incertitudo premat, sed quo difficilior videatur salus, eo maiorem diligentiam adhibe, & magis extraordinariam. Sic dicebat Rex

Ion. 2. Niniuæ Ionæ. 2. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* Dubiam veniam proponit, & fortiores clamores petit? Cur non magis certam veniam promittit? Vt quo difficilior, & incertior videretur salutis aditus, eo fortiùs & vehementiùs ad extraordinarias pœnitentiæ diligentias euolarent. Remig. apud Glos. ait. *Ideo ambigue profert, vt dubij de salute fortius agãt pœnitentiam.* Solet sæpè dubia spes nouos, parere conatus.

§. IV.

Charitatis ingenium, et acumen maximum in iuuandis proximis.

QVANDO salutis communes viæ occlusæ paralytico erant, nouã aliam viam excogitauit portitorũ charitas, vt qui per ostiũ non poterat, per tectum intraret. O charitatis ingenium! Artificiosa planè est, & acuta charitas in proximis iuuandis. Sed præstat recolere Micholis facinus, vt Dauidem liberaret. Hæc vt nouit à rege Saule peti in mortẽ Dauidem, æstu curat deludere conatus regios. Quid plura? 1.Reg.19. dicitur: *Tulit autẽ Michol statuam, & posuit eam super lectũ, & pellem pilosam caprarũ posuit ad caput eius, & operuit* 1. Reg. 19. *vestimentis. Misit autẽ Saul apparitores, qui raperent Dauid: & responsum est, quod ægrotaret.* Quis hanc artem, hoc ingeniũ dedit fœminę, nisi charitas, qua impellebatur vt virũ suum iuuaret & defenderet? Argute D. Basil. Sel. orat. 16. fatur. *At mihi qua solertia, qua charitate mulier in virum fuerit. Persuasit quoq; lectulo,* Basil. Sel. *vt in valitudinis simulationem adiuuaret.* Quid argutius? eo peruenit charitatis ars, charitatis ingenium, vt lectulo ipsi persuaderet simulationẽ facere, vt conatus suos iuuaret. Quæ lectulo potuit persuadere, cur non audeat homi nem suis trahere artibus? Ea est charitas, quæ doceat fœminas persuadere lignis; & doctas orationes conficere, vt proximis salutem adipiscantur. De venefica illa, quam Saul penè deploratus consuluit, sic loquitur. 1.Reg.28. *Ingressa est itaque mulier illa ad Saul, dixitq; ad eum. Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui* 1. Reg. 28 *animam meam in manu mea, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas.* Non simpli citer petit ab infirmo, vt comedat; sed argumenti vim exerit, & pulchro orationis filo sic reluctantẽ conatur constringere, vt non posset abstinere à cibis. Petrus Damianus epist. 34. fatur. *Argumentis vtũtur homines, vt è propryis domibus hospitari nolẽtes eyciant. Siquidem locus ille depretiatur. Hic per inclementiam an-* Petrus *nonnæ tempestatis agra seges negare fertur agri-* Dam. *colis victum. Hæc autem prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, vt ita loquar, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum respuit, ad edulium prouocetur.* Fœmina à charitate docta vincit rhetorum flumina, superat oratorũ ingenia, sophistarum acumina, vt egentibus etiã reluctantibus præstet auxilium.

Matth. 9. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

§. V.

Præstantissima, Deique digna ea fides, quæ operibus charitatis visibilis exhibetur.

MAGNA fides baiulantium fuit, Deoq; gratissima, quæ non solum mentis oculos, sed & corporeis oculis potuit percipi, quãdo per insignia charitatis opera lucidior apparuit. Cur fidem non commendarent ea opera, quæ Deum ipsum videntur quasi extollere, & commendare? Isaias cap. 35. inquit. *Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Et vt explicet, quę sit Dei gloria, & decus cõtinuo addidit eius charitatis opera in infirmis iuuandis, dicens: *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Quem locum sic tractat Tertul. lib. 4. in Marc. *Videbit, inquit Isaias, populus sublimitatem Domini, & gloriã Dei. Quam sublimitatem, & quam gloriam? Conualescite manus dimissæ, & genua dissoluta.* Etenim clarior fit, & lucidior sublimitas, & gloria Dei ex inmensæ charitatis operibus, quæ præferunt debilibus sanitatem. Vt hinc constet, quam pateat decor, & gloriã fidei, vbi per charitatis opera visibilis apparet. Exodi cap. 12. vbi agni mandatur sacrificium, sic lex cauet: *Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus.* Cur cauet, vt sit masculus? An opera digna viro requirebantur in anniculo? Ruper. in Exod. cap. 8. subscribit, fatus. *Erit, inquit, absque macula, sanctus, innocens, impollutus, sed parum haberet gloriæ sola innocentia, si nõ adesset fortitudo quoque ad agenda perfectæ iustitiæ opera.* Quæ obijciũtur oculis virtutum facinora, ea gloriam publicant fidei, redduntq; illam veri Dei gloriæ non absimilem. Non multum gloriæ esset fidei, quæ charitatis operibus non esset conspicua, quãdo inter alia Charitatis sunt opera, & miseric ordiæ, quæ Deo faciunt fidem nostram conspicabilẽ. Isaias cap. 58. *Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Et qualis erit homo fidelis inter tot miserricordiæ, charitatisque facinora? *Tunc erũpet quasi mane lumen tuũ, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Vel apud Septuag. *Et gloria Domini circumdabit te.* Bene per illud lumen erumpens innuitur à Glossa veritas errores dispergens, ex illoque, & cæteris subsecutis notat Adamus hominẽ fide, & operibus charitatis conspicuũ. Quibus expensis: eccẽ tibi vbi proximis iuuãdis incubueris, rutilat inte fides, matutini luminis instar, formam, & speciem tibi reddens, qua gloria, & pulchritudo tua talibus illustrata misericordiæ operibus oculos spectantiũ omniũ possit implere. Non ne cõmuniter dicitur matutina lux reddere formas, & speciẽ rebus? Quæ noctis fuligine inuisibilis erãt pulchritudines, nõ ne à matutino splendore, glorioſas facies induũt, quibus possint discerni? Sic cuius fides in opera misericordiæ excreuit, fit quasi matutinũ indens homini formã, & speciẽ, sic illustrans faciẽ charitatis operibus, vt iam videatur homo sub diuinæ gloriæ specioſus podere, & ab vniuersis fæditatibus discretus. Miraris forsan fidelis faciẽ illustrari, conspicabilẽque reddi operibus charitatis, sed accipite fidelissimi hominis faciẽ, vt opera illustrãt, & glorioſam faciũt apparere. Non ne Abraham fidei exẽplar est? De illo sic Gen. 22. habes. *Tentauit Deus Abraham.* Quid est tentauit Deus? Erat fides Abraham obducta calligine, nondum aspectabilis erat omnibus, quare Deus in ardua, & difficilia opera Abrahamum vocauit, vt iret ante faciem iustitia eius, & gloria Domini circumdaret eum, hoc est, vt per insignia opera fides reciperet, & glorioſam, & aspectabilem faciem. Ad hæc D. Basil. Sel. orat. 7. *Tẽtat ergo Dominus, vt iustum populis inuulget, vt serui virtutem pluribus faciat testatiorem. Tentatione purgat Abrahamum patientiæ* (forte melius fidei) *simulacrum, vt nitidiore opere ostenta to spectantem rapiat in admirationem.* Ideo opera petũtur à fideli, vt de operum facie rutilet fides, & spectatorũ impleat oculos. Quod penicillus obscuræ imagini, hoc est tentatio fidei, hoc charitas, & misericordia, vt nimirũ nitidiori opere ostentato glorioſior spectãtibus occulis appareat fides.

§. VI.

Fidei vltra debitum plura beneficia a Deo exhibentur.

ET paralyticus, & eius baiuli corporalem à Saluatore expectabant sanitatem, sed Saluator beneficentior exoptãtam præstiturus salutem, de suo addidit peccatorum solutionem. Cuius id rei gratia factũ? Nota consequentiam verborũ: *Videns illorũ fidẽ, ait paralytico: Dimittũtur tibi peccata tua:* qui fidem videt, qui ad fidem attendit, non petito munere arctatur, imo ad plura se se accingit beneficia præstanda. Hanc fidei excellentiã notauit Paul. ad Rom. c. 4. fatus. *Credidit Abrahã Deo, & reputatũ est illi ad iustitiã. Ei autẽ qui operatur*

tur, merces non imputatur, ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Diſtinguit ibi Paulus Abrahami munera ab illorũ muneribus, quę ex debito acquiruntur; quia quæ ex debito acquiruntur, ſic temperantur operi, vt minimè excedãt; at in Abrahamo, cuius fidei opus non ſecundum debitum, ſed ſecundum iuſtitiam, hoc eſt, gratiam cenſetur, plura ſi erunt munera, & beneficia diuina exhibita. Sic pulchrè S. Theodulus ibi fatur. *Theod.* *Vides, quod operanti merces ſecundum opera tribuitur: credenti verò iuſtitia imputatur: innumeras autem merces iuſtitia continet.* Cum iuſtitiam inquit, nõ quæ munerat, vel punit, ſed quæ iuſtificat, nempè gratia intelligitur. In fide ergo non ſolum debiti expectes ſolutionẽ, ſed plures ibi ſpectabis gratias, & beneficia, quæ ſuperabũdanter credentibus præſtantur. Cui dãtur gratiæ, niſi fidelibus? Super quos ampliſsima effunduntur dona quotidie, niſi ſuper eos, quos *ad Heb. 11.* fides deſignat? Paul. ad Hebræos c. 11. inter fidei commendationes hanc ponit. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Caim obtulit Deo, per quam teſtimonium conſequutus eſt, eſſe iuſtus, teſtimoniũ perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* Expende illud, *hoſtiam fide plurimã*, id eſt plurimarũ gratiarum, multiplicisq; doni occaſionem. Et quis numeret dona, & gratias, quas Deus Abelis fidei præbuit? Nõ ſolũ dedit illi Deus eſſe iuſtũ, ſed & illũ iuſtum ore proprio nominauit, eius hoſtiã ab hoſtia Cain diſcreuit, & cœleſti igne abſumpſit. Quid plura? Adhuc loquẽte eius ſanguinẽ poſt mortem audiuit Dns, vt vna Abelis fides videatur cõciliaſſe omnigena *Ambroſ.* Dei dona, & munera. Pulchrè D. Amb. lib. de Nabuthe c. 16. *Fides eſt, quæ dona conciliat, humilitas eſt, quæ oblata commendat. Fide Abel plurimã hoſtiã obtulit Deo.* Et meritò, quã ſit donorũ conciliatrix fides, ex Abelis hoſtia cõfirmat ſanctus Doctor, vt quæ ſola innumeris gratijs, & priuilegijs valuit inſigniri. Iã nõ *Cypri.* mirer, quod Diu. Cyprianus in expoſitione ſymboli omniũ bonorũ fontẽ putet ſitum in ipſius ſymboli initio, vbi dicitur: *Credo in Deũ*, Etenim in verbo illo, *credo*, agnoſcens fidẽ inquit. *Fons, & origo omnium bonorũ ponitur, cum dicitur: credo in Deũ.* Nulla enim crediderim bona, nulla munera, nullas Dei gratias eſſe quas nõ trahat fides. Nobilis ille Cãdacis Reginæ Eunuchus. Act. 8. quot gratiarum nimbos ſuſcipit? Audit Chriſti baptiſma, & ſtatim *Act. 8.* prõptiſsima illi aqua ſubſilit, vix cathecumenus iã baptiſmi puritate perfuſus eſt, á fonte aſcẽdentẽ illũ ſuſcipit ingens lætitia. *Ibat autem per viam ſuam gaudens*, vndè tantus gratiarum cumulus? Accipè ſcaturiginem, *crede filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Argute Chry-

ſolog. ſerm. 61. *Hunc fides ante rapuit ad gratiam, quam currus ad Indiam.* O Fidei Theſauros Indiarum theſaurorũ præſtantiſsimos, ditiſsimos; ad Indos Theſauros tardè, & difficulter peruenies, etſi pernici raptus curru, & ſi alatis vectus nauigijs. Fides autem ea eſt, quæ te occyſsime in omnium cœleſtium gratiarum theſauros deducat. *Chryſol.*

§. VII.

Carere peccato maximum eſt Dei beneficium.

TANTISPER dilaturus Dominus paralytici curationem his illum verbis delinit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Magnum enim eſt beneficium, ſi à peccatis liberemur, quamuis in doloribus, & infirmitatibus adhuc relinquamur. Præſtantiſsimi iuuenes Hebræi hoc vnum prò maximo habebant beneficio, & prẽmio ſuorum facinorũ. Enim verò Dan. 3. ſic ad Tyrannum loquuntur. *Dan. 3.* *Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Quaſi dicerent; duo nobis poſſunt euenire, aut inter flammas viuere, aut comburi; vtrũque beneficium erit, vtrumque Deo noſtro acceptum referemus; ſi viuimus, id non alienum eſt à Dei noſtri poteſtate, qua ſeruis ſuis ſolet ſubuenire: ſi exurimur, non minus beneficiũ habemus, quod ab idololatria, & peccato erimus immunes. Hoc debebimus flammis, quod deos tuos non colimus, quod in tãtum nefas non poterimus iam adduci. Ita D. Chryſoſt. 1. ad Cor. hom. 18. *Quod ſi noluerit,* *Chryſoſt.* *inquiunt, deos tuos non colimus. Habemus enim hanc remunerationem, quod digni videamur, qui ab impietate liberemur, & ideirco exurere corpora noſtra eligimus.* Adeò nobiles adoleſcẽtes prò magno habent peccatis carere, vt vel exuſtione corporis ſui, vili emptum putent tantum beneficiũ. Seſe flammis dedunt, medijs quibus à peccatis immunitatem vident. Quæſtionem mouerunt plurimi circa ſodomiticum incendium, cur Deus flammis tradiderit tantam ciuitatem, in qua erant plurimi innocentes pueri? Idem ignis nocentiſsimos homines allambit, & ſimul pueros omnis flagitij immunes, cur pueris non pepercit in Sodomis? Sanè de oblata Niniuitis venia ſic Dominus loquitur Ionæ c. 3. *Et ego non parcam* *Ionæ 3.* *Ninive ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam.* Sic doli expertes infantes Niniue Deũ afficiebãt,

vt parceret; & infantes ſodomitici pœnã ſubeunt, eiſdem parentum flammis cõbuſti. Sed merito Alcuinus quæſtionibus in Gen. putat beneficum etiam extitiſſe Deum erga pueros Sodomorum, dum illos tradit flammis, inter quas habent, quod ſine peccato ſint. *Nõne, inquit, prouiſum eſt illis, ne diu viuentes exẽpla ſequerentur patrum? Eſt qualecumq; beneficium, reum non eſſe, qui glorioſus non eſt.* Equidẽ beneficium erat, quod pueri raperẽtur in breui à vita, ne malitia mutaret intellectum; beneficium erat, antequam peccati proprij labe inficerentur, morte abſorberi. Hoc ſemper Deo acceptum referent hi pueri, (ſi aliquando huius vitæ pericula nouerint) quod ab illa peccati expertes exierint.

Genes.

Matth. 9. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

§. VIII.

Soli Creatori patentiſſima omnia cordis humani ſecreta.

QVIS neget Creatorem Deum illũm, cui intima ſui cordis patent penetralia? Vnum illum ſæculorum Regem, & Monarcham, cui, & à quo omnia viuunt, nullum ſecretum latet. Ridete modo ethnicam dæmoniorum Theologiam, cuius magna pars diuinitatis hauſtum quærens in fibris, & præcordis animalium ſcrutandis, meditandis, oleum perdebat, & operam. Non occiſor, ſed creator eſt, qui nouit præcordia ruminari: cui nihil viuit, non ſe iactet de cordium ſcrutinio, mentitur, ſi ſe iactat. Præclara illa D. Chryſologi huius egregij vaticinij irriſio: *Occidebatur pecus: vt quod viuus nihil ſciebat, diuinaret occiſum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore proloquutum.* Vafer, & aſtutus Angelus, dum ſe Deum mentitur, ſigna diuinitatis præſefert, cum ſacrificulis ſuis gloriatur oſtendere latentia arcana intra præcordia, & animalium fibras. Sed male arcana cordis reuelat, qui cordis eſt deſtructor & vitæ; niſi iã Lynceus in vidẽdo cedat Regulo primas, quod huius oculi perimunt quoſcũq; vident. Dices notũ à Regulo, quẽ primo ictu oculi occidit? Nec credas poſſe cognoſci arcana, quorũ notitiã præcedit occiſio. Verba ſunt Adami illa pſal. quibus ſecreta vxoris cordis perſpicua fatetur oculis diuinis, dicens. *Nõ eſt occultatum os meum à te.* Placuit ſapienti viro Deitatis perſpicaciam cõmendare, de fœminæ percallẽdis malitijs, vt quæ ſit in meditandis technis, & ſimulandis illis animal omnium doloſiſsimum. Sed cur maluit dicere os ſuum, quã vxorem ſuam? Equidem cum dicit os ſuum, celebrem à Deo mulieris fabricationẽ meminit, ne videretur vana effutire, cum ait omnia fœminei cordis patere ſecreta illi Deo, à quo prius non deſtructio proceſsit, ſed generis ædificatio fœminei. Accipe pulchram verborũ Adami paraphraſim à D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 330. excogitatam, dum inquit. *Non te fugit vxoris meæ lapſus, quam ex oſſe meo, cum me ſomno graui oppreſsiſſes, occultè condidiſti. Verum animorum noſtrorum latebras perſpectas habes, qui eam occultè procreaſti.* Sit creator, neceſſum eſt, qui occultas cordis noſtri latebras luſtrat. Quis creatoris ſui oculos fugiet? Prodigus ille filius partem accepit ſuã, & patris præſentiam fugiens, Luc. 15. profectus eſt, *in regionem longinquam.* Chryſol. ſer. 2. *Peregre profectus eſt iſte, & in regionem longinquam fugit, ſed accuſatores ſuos, ſed teſtes ſuos diuini Patris oculos non refugit. Hoc Dauid clarius aperit dicendo, Pſal. 138. Quo ibo à ſpiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam? Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me.* Fugit ſanè oculos, qui patris non erant, ſed ſemper ſuper ſe habuit oculos eius, à quo fuerat creatus. Eo accedunt oculi, quo creatoris manus: is creatoris fugit oculos, qui poteſt fugere creatoris manus. Ad Hebræos c. 4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Quid eſt illud, nuda, & aperta? Cum audis nuda, recole victimarum oblationem, quæ pelle nudabãtur, & earum viſcera aperiebantur, vt quidquid internum erat, per ſe pateret oculis creatoris, cui ſoli victimæ, & ſacrificia debentur. Quod notabat D. Iſid. Peluſ. ep. 94. *Hæc verba, nuda, & aperta, translatione ducta à victimis, quæ ad ſacrificium adhibentur à Paulo ingenti ſapientia prædito viro ſcripta ſunt. Quemadmodum enim illæ, cum pelles detrahuntur, omni conſpicuo indumento ſpoliantur, abditarumque interne partium ſtatum, & affectionem indicant, atque ad oſſium omnium, & membrorum indagationem diſſecantur. Sic, &c.* Quibus expendo non ſolum, quod noſtra omnia pateant Dei oculis, ſed quod inſuper intendit incredibilis ſapientia Pauli, nimirum, quod pateant, & nuda ſint, & aperta, vt victimæ, & hoſtiæ. Quippè hoſtiæ, & victimæ nulli aperiuntur, & nudãtur, niſi omnium Deo Creatori, vt in eo ſecreta cordis noſtri victimis ſimilia ſint, quod ſoli creatori Deo nudari poſsint.

Chryſol.

Pſal.

Iſid. Peluſ.

Luc. 15. Chryſol.

ad Heb. 4.

Iſid. Peluſ.

Matth. 9.

Matt. 9. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge, & ambula?

§. IX.

Præstantius Dei facinus apparet in peccatoribus conuertendis, quam in cæteris miraculis patrandis.

QVIS dubitat difficilius persuaderi posse homines peccata alicuius de facto esse dimissa, quam membra restituta fuisse sanitati? Hoc oculis patet, illud tantum consistit in credito attendentis. Licet enim verum sit facilius homines loqui de rebus, quæ in opinione solum manent, quam de his, quæ debent oculis repræsentari; & sic facilius erat Iesu dicere, remissa fuisse peccata paralytici, facilius, inquã, respectu externę effectus probationis, quam dicere illum ad sanitatem fuisse reuocatum, quia de illo solũ opinio, de hoc euidentia facti requirebatur. Tamen vtrumque potens difficilius ad peccatum expellendum accingitur, quam ad vitam defuncti reuocandam: præstantius enim est Dei facinus peccatores ad gratiam, quam ad vitam trahere. Facilius quis dicere potest se dimisse peccata, quam à se morbos fuisse curatos: quia dictum hoc euidentia facti debet commitari, il
Matth. 2. lud non ita. At de facto dimittere peccata, plus est, quam miracula facere. Matt. 2. *Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolimam dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Duo magna filij Dei facinora, quod noua stella appareat in cælo, fiatq; lux hominum, & quod Magi veniant ad Christum. Vtrum maius Dei opus? An quod stella per cœlum, an quod Magus ad Christum veniat? Non dubitare licet, si Chrysologum audimus
Chrysol. ser. 156. vbi inquit. *Plus cœleste de Magis, quam de stella signum est: quod Iudeæ regẽ, quod legis autorem Magus scit.* Fortior manus applicari debuit, vt Magi ad Christum traherẽtur, quam vt noua fieret stella, quam vt totius cœli, terræque natura alteraretur. Exodi 7. ait Dominus ad Moysem: *Multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.* Ecce tibi ad Ægyptij regis emolliendum cor; ea Dei manus applicatur, quę cœlum, terramque, & mare miraculis replet, & portentis: ea Dei applicatur manus, quæ virgam vertat in colubrum, aquam in sanguinem, & millia alia efficiat miracula, Pharaonem tamen meliorem non fecit. Fortior quippe est adhibenda manus, ad conuertendum humanũ cor ad pœnitentiam, quam ad commutãdam vniuersitatem rerum. Pulchre Cellensis Abbas, lib. de Pœnibus cap. 17. sic finit Ægyptia hæc portenta ad conuertendum regem effecta. *Cellen.* *De cimo percussit Dominus omne primogenitum Ægyptiorum, & tunc licet commotus vehementer rex fuerit, non tamen ad pœnitentiam reuersus est. O quam ponderosum, quam graue ad leuãdum, seu reuelandum cor hominis! Laborat manus omnipotentis eripere, nec liberat; Verbis præmonet, & verberibus vrget, nec tamen de fouea sua bestiã fœtentem extrahere potest.* Non equidem extrahere potuit efficaciter à duricia cordis Ægyptium regem omnipotentis manus, ea sola vi, qua tot miracula fecit, tota illa fortitudo, & valida Dei manus, quæ procedebat victrix omnium creaturarum, omnes mouens, & conuertens, & euertens, vbi ad Pharaonis cor accedebat, ibi quasi hęrebat in salebra, & quasi impotens putabatur. Fortissima omniũ est illa virtus diuina, quæ nos à peccatis saluat, fortissima, inquam, & cantatissima à Prophetis, Psal. 76. *Hæc mutatio dexteræ excelsi,* *Psal. 76.* Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Quasi maioris virtutis, & sublimioris dextera requiratur, vt trahamur à peccatis ad gratiam. Paul. 1. ad Thes- *Psal. 117.* salon. 4. *Nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur in nubibus obuiã Christo in aera.* Quæ verba sic à D. Hieronimo explicantur, epist. 152. vt velit ibi agi de immutatione, qua quis in virum abit spiritualem. Quo posito expende illud, *rapiemur*, vt enim ab animali in spiritualem vitam conuertamur, qua Christo accedamus: non qualibet potestate opus est, sed extraordinaria, & peregrina vis adhiberi debet, vt adhiberi solet ad faciendos raptus. Accipe modo Eusebium Gallicanum hom. 2. *Euseb.* de Epiphania fantem. *Videamus quanto plus est, quod præstat gratia.* Qui in Christo, (inquit Paulus,) sunt, resurgent primi, & tunc simul rapiemur obuiã Christo. *Ecce vera miracula, ecce prædicanda miracula, stupendas immutationes, quas quotidie in nobis operatur redẽptor noster, quãdo de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus sæculi amicos Dei. Quæ potest maiora exercere miracula, quã quãdo hominẽ de subsãtia pulueris in Angeli statũ prouehit?* Hæc sunt cãtatissima Christi Domini miracula, hæc excelsæ dexteræ exẽmia sunt facinora, qui modo pulueris eras, qui à facie terræ proijciebaris, sic potẽti manu Dei raperis, vt inter spirituales exercitus Christo obuius appareas. Hoc facinus spectabat triũphalis ille currus, quo Elias 4. Reg. 2. ad cœlũ ferebatur, non enim triumphus ille respõdebat miraculis, quibus mortẽ fugarat, quibus cœlesti flamma armatos milites absumpsit, quibus cœlũ clausit, sed miraculis excellẽtiori *4. Reg. 2.*

bus dabatur tantus triumphus, nimirum his, quibus peccata, prauosq; mores excluserat ab anima. Ita Diu. Ambr. serm. 2. de Eliseo, ait. *Amb.* *Elias non ne Angelis ducentibus ad cœlum raptus est, & quadriga ignea impositus in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt prauimores, quam hostes.*

Matth. 9. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

§. X.

Non dimittendus pœnitentiæ labor peccatoribus, dum sunt in via.

CONTINENT Saluatoris verba argumentum à clariori, & sensibiliori probatione externa ad minus claram: quando potestatem dimittendi peccata manifestare per effectũ sensibilem non poterat; poterat verò manifestare potestatẽ miracula patrandi. Per hanc probat illam, & simul instruit nos, quæ sint patentissima signa aboliti peccati, dum ait, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; non enim dimittitur regulariter peccatum, nisi adhibito pœnitentiæ onere, quod nullo iam condonati peccati prætextu remittere debemus, dum sumus in via ad cœ- *Psalm. 6.* lestem domum. Dauid Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Dicebat hoc peccator, æterno se luctu obstringens, & quod mireris magis, dicebat hoc peccator ille, qui confessus iã fuerat peccatum suum, imò qui ex Dei nomine audierat sui absolutionẽ peccati, & pœnam à Nathan impositã libenti sustinuit ani- *2. Reg. 12.* mo. Ita. 2. Reg. c. 12. *Et dixit Dauid ad Nathã: Peccaui Domino: dixitq; Nathan ad Dauid: Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, &c.* Ecce tibi confessionem peccatoris, ecce absolutionem, & veniam, nihilominus adhuc Dauid sub pœnæ onere præmittitur, hoc in se habens signum remissi peccati, quod peccatoris onus, nimirũ pœnitentiã semper curauit sustinere. D. Bas. Sel. orat. 17. *Basil. Sel.* *Concurrit cum culpæ confessione pœnæ absolutio. Sic doctus Dauid, & accepta per confessionem gratia non quieuit, sed quod pœnitentiæ stadium capessiuerat, modicus tenuit. Medicamentum, ne quidem post curationem, abiecit: at flens per omnem vitam clamabat: Lauabo per singulas noctes lectum meum.* O præclarum dimissi peccati signum! An certo credam dimissum esse peccatũm illi homini, qui sceleribus plenus, lasciuijs fartus semel in anno cursim confitetur peccata, & multũ grauatus paucis orationibus pro pœnitentia, vix & ægre illas transcurrit, nec amplius peccatorum meminit; nec amplius sub pœnitentiæ gemit iugo? Equidem vix video signa dimissi peccati, nisi cum post confessionem, & verba, opera longæ pœnitentiæ, & pœnalis mortificationis onera video. Prætereo apud Lucam cap. 18. Pharisæum illum gloriabun- *Luc. 18.* dum; & aduerto pœnitentem publicanũ, *qui percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Quid hic à Deo obtinuit? An remissionem peccati accepit? De illo Dominus fatur: *Descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.* Non dicitur absolutè & simpliciter iustificatus descendisse; sed solum dicitur iustificatus descendisse ab illo, hoc est, præ illo, præ Pharisæo. Sic per Ezechiel c. 16. *Ezech. 16.* dicebat Dominus Ierosolimæ: vicisti sorores tuas Sodomam, & Samariam peccatis tuis sceleratius agens ab eis: *Iustificatæ sunt enim à te.* Etiam Sodoma iustificata dicitur ab Ierusalem: cur ergo publicanus hic solum dicitur iustificatus à Pharisæo, quod sanè peccatorũ præcisionem, & remissionem non designat? Non ne humilis pectus tundebat? Non ne se peccatorem confitebatur? Quod aliud requirebatur signum patentius remissi peccati? Requirebatur equidem pœnitentiæ diutinæ susceptum iugum: requirebantur pœnalium operum onera diu exercitata. Tota hæc põderatio, & doctrina est tradita à D. Ephrẽm de *Ephr.* Pœnitentia aliquanto à fine: vbi sic de publicano finit. *Averbis incipit pœnitentiæ principium: quoniam, quæ verbo fit confessio, initiũ pœnitentiæ est. Propterea, & salutis initia dãtur publicano, nec perfectè ipsum debitis liberarũt: quia nondum perfectè pœnitentiam fecerat. Non dixit, quod à condẽnatione iustificatus sit; sed plusquã Pharisæũ iustificauit ipsum, vt discamus resipiscendum esse, non solo verbo, sed etiam opere, &c.* Multa deinde addit sanctus vir de subeundo pœnitentiæ onere etiam post confessionem; nequit enim remissio collucere peccati, nisi inter pœnas lõgas, inter diutinos dolores. Cõpone tibi modo paralyticũ istũ in lecto cubantẽ, & Matthęũ sedentẽ in telonio; paralytico *Matth.* dicit Dñs. *Dimittuntur peccata tua;* Matthæo autẽ, *sequere me*, nec verbũ vllũ dicitur de pec- *Idem.* cati remissione. Cur hoc? Chrysol. ser. 30. *Me-* *Chrysol.* *rito Paralytico dicitur; dimittũtur tibi peccata tua, quia cõpensaras delicta doloribus: publicano antè dicitur: Sequere me; vt sequẽdo me reparares, quod sequẽdo pecuniã perdidisti.* Vbi diutini dolores erant, & angustię; bene cadit remissio peccatorum, quæ in nullo nominatur, nisi

post

poſt longos pœnitentiæ labores, vbi illos ſuſtinere licet. Ideò Niniuitæ ſic ſe pœnitentiæ tradiderunt, vt etiam poſtquam liberationem vident, adhuc in illa perſeuerant, vt notat D.Baſil.Sel.orat.12. *Niniuita ſoluto in eos edito decreto, Pœnitentiam ſalutis ſocium non reliquerunt.* Ex quibus D.Ephrem de Pœnit. ſatur. *Toto corde debet reſipiſcens pœnitentiã agere, ſemperque eundem ſe ſe exhibere, vt inceperat, nam ſi defecerit, indicium imperfectæ cõuerſationis præbet.*

Baſil ſel.

Ephram.

§. XI.

Ieſus vbique modeſtiſſimus, & vanæ gloriæ oſor. Vbi de vana gloria.

EBIBE in facinoribus Chriſtianam modeſtiam, non paralyticum circumducit Ieſus, nec illum populis oſtentat, ſed iubet abire domum, ne paſsim popularibus, ſed domeſticis obtentam à Deo ſalutem proponat. Hinc doctus D.Petrus, vbi ruptis miraculoſe catenis ſe ſe vidit liberum à carcere Herodis Actor.12.ait. *Annuntiate Iacobo, & fratribus hæc.* Id quod notans Chryſoſt.hom.27.ſic fatur. *Non dixit, vbique manifeſtam facite hæc: ſed fratribus, & abſceſſit in alium locum.* Vere Chriſti diſcipulus intra ſuorum ſepta maluit virtutum occultare theſauros, quam alienorum oculos illis paſcere. Hãc animi Chriſtiani modeſtiam crediderim commendari Prouerb.6. Vbi ex lect.Septug. dicitur. *Vade ad apem o piger.* Quid doceat apes? Pulchrę D.Antiochus hom.43. *Vir intelligens ingenioſam, & ſolertem imitatur apiculam. Quos externè ſelegerit flores, defert in alueariũ, interne mellificiũ fauumque operoſius conficit. Ne labores tuos humana iſti gloriolæ exponas.* Quiſquis Chriſtianus es, apicula eſto, quos exteriora tractans, collegeris virtutum flores, occulta intra corticem, ne ventorum flabris tuos exponas labores, ne dulcedinem tuam iactes in auras. Ezechias 4.Reg.20. quos oſtentauit theſauros Babyloniorum oculis, amiſit, crede mihi, nil tibi tuũ manebit, quod oſtẽtationis gratia obiecteris oculis peregrinis. Mercenarij Paſtoris hæc inſignia exerebat Dominus Ioan.10. *Mercenarius autẽ, cuius non ſunt oues propriæ.* Euidẽs ſignũ hominis illius, qui inanis gloriæ mercede operatur, nimirũ, quod nihil ſuũ habeat quod perdat omnia. Quod docet in hæc verba D.Anſel.fatus. *Cuius non ſunt oues propriæ: quia virtutes, quas in ſe ipſo cuſtodire videtur, ab eo ſunt alienæ, dũ eas ob trãſitoriã gloriã ſeruat, & non quaſi proprias amat.* Omnia tua exſuflat bona inanis gloria, dum intrat, nil tibi relinquit tuũ, ſed vniuerſa tradit in manus inimici Pſal.77. *Tradidit in captiuitatẽ virtutes eorum, & pulchritudines eorũ in manus inimici.* Quod malũ ſic perdit virtutes, & hominũ pulchritudines? Eucherius lib.4.Reg. *Virtus, & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiſcentiam laudum oſtenditur, occulti aduerſarij viribus mancipatur. Hoſtes namque ad rapinam prouocant, qui ſuas eorũ notitiæ diuitias denudant.* Et vtinam hoc ſibi ſolum malum comparaſſent, vt hoſtium paterent rapinis, qui glorioſam oſtẽtationem ſuorum bonorum faciunt: metũo enim, ne potius ipſi in hoſtilia, mortiferaque vulnera incurrant. Ecce vobis, quid de Hero dicatur Actor.12. *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & cõtionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Quid terribilius? Quid glorioſa oſtentatione hominis dignius? Sic pereunt, qui gloriantur, & non in Domino. Notanter D. Chryſoſt.hom.27.fatur. *Vide, quando Apoſtolum occidit, nihil tale fiebat.* Peſsimus erat ille Herodes, multa, & grauiſsima commiſerat ſcelera, Iacobum Chriſti Apoſtolum occidit, Petrum occidendum incarcerauit, nec terra illum abſorbuit, nec cœlum illum fulminauit; & cui tot ſacrilegia pepercerunt, vna gloriæ vanę oſtentatio funditus exterminauit. Hoc minabatur ſupplicium Pſal.52. aiens. *Deus diſſipauit omnia oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quia Deus ſpreuit eos.* Propone tibi ob oculos Nabuchodonoſor quietum, & immunem poſt Iudæorum ſtragem; poſt templi ſpoliationem, poſt vaſorum ſacrorum captiuitatem, poſt ſtatuam auream erectam, poſt iuuenes flammis datos, qui Dan.4. *Poſt finem menſium duodecim in aula Babylonis deambulat. Reſponditque Rex, & ait. Non ne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domũ regis in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox cœlo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te, &c.* Vide quando vaſa aurea templi prophanis manibus tractãt, quando ſtatuam adorandam erigit, quando pueros innocuos dat flammis, nihil tale audit, nihil tale patitur. Durior illi extitit inanis gloriatio, quam tot ſcelera, & peccata.

Act.12. Chryſoſt.

Prouer.6.

D.Antiph.

4.Reg.20.

Ioan.10.

Anſel.

Pſal.77.

Euch.

Act.12.

Chryſoſt.

Pſal.52.

Dan.4.

Matth. 9. Surrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

§. XII.

Quisquis cœlestis domus teris viam, caue, ne deflectas ad diuerticula.

SANATVS Paralyticus iussus fuit à Domino ire in domum suam; ipse autem dicto citius paternę domus arripuit rectam viã, nil curans diuerticula, nilque magis in optatis ferens, quam vt domum accedat, domesticisque manifestet propriam salutem. Vtinam sic omnes, qui cœlestem petimus domum, omnia fugeremus diuerticula. Vaccæ illæ, quibus arca Domini imposita fuit Philistinis, eam viam arripuerunt, nemine ductante, à qua nec pãlulum declinabant. Etenim dicitur. 1. Reg. 6. *Ibant autem in directum vacca per viam, quæ ducit Bethsames*: Quod ibi mysterium situm sit, noscesex significatione vocabuli illius Bethsames, quod sonat, *domũ Solis*. Quis ergo, etsi bobe crassior sit, non fugiet diuerticula, dum sciuerit se ad radiantem cœli domum contendere? Pulchrè Diu. Gregor. lib. 7. in Iob cap. 18. ait. *Bethsamis quippè dicitur domus Solis, & Propheta ait. Vobis antẽ, qui timetis Dominum, orietur Sol iustitiæ. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, dignum profecto est, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus.* Cur quærat diuerticula, qui ad Solis domum cõtendit? Qui regiam Solis occupaturus festinat? Vt audacem filium regia sua possit reuertentem excipere Sol pater, sic monebat apud Ouidium lib. 1. Metamorph.

1. Reg. 6.
Gregor.
Ouid.

Medio tutissimus ibis
Neu te dexterior tortum declinet ad anguem
Neue sinisterior pressam rota ducat ad aram
Inter vtrumque tene.

Quæuis declinatio ad Solis domum eũti pernicioſa est. Nouerunt id nobiles astrorum obseruatores Magi illi, qui Matth. 2. ad Solis iustitiæ domum festinabant stella duce. De quibus Ambros. Psalm. 47. *Magus, vt Deum inueniret, cœlum aspiciebat. Non ergo quærebat in terris, quem de cœlo fulgens stella monstrabat.* Non terrarum amænitatibus hærebant, non semitas aspiciebant in terris, ne diuerticula inuenirent, sed ducenti stellæ confixi, rectà in veri Orientis domum festinabant. Vtinam hos sequutus fuisset Israel, sed de hoc Oseas cap. 4. lamentatur ruinam. *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel.* Quid est declinauit? Carthusianus ait. *A rectitudine viæ Dei per omnium diuerticula vitiorum enormiter euagando.* Lasciuiens vacca nunquam rectam sequitur viã, tot diuerticula amplectitur, quot pascua videt; hinc inde rãpitur à virentibus herbis, quæ obijciuntur. Sic miser homo toties euocatur à recta via, quoties illum vocant mundialium voluptatum diuerticula. Viam arripit aliquando salutis, sed ecce apparent inde florentissimæ mundi voluptates, ad quas dum declinat, hæret ibi miserè moriturus. Sic Iesu Domino in heremo agenti adfuit tentator Luc. 4. *Et ostendit ei omnia regna mundi.* Cur hæc representatio mundialis regni fit Domino? Chrysolog. serm. 3. *Sic diabolus, quemadmodum simplices deciperet, confitetur.* Manifestauit tentator artes suas, qualiter, vt faciat declinare homines à via salutis, obijcit mundanas delicias, vt ibi hærentes ad cœlestem domum minimè possint peruenire. Age ergo, non hæreas diuerticulis, quisquis cœlestia cupis limina pertingere, quisquis commilitonem Deum cupis habere in via, vt feliciter te in domum suam deducat. Isaias 43. *Cum transieris per aquas, tecum ero.* Pulchrè Diu. Ambros. Psalm. 47. *Cum transeunte est Deus, non cum desistente.* Dum nõ deflectas, dum nõ desistas à via, tibi adest Deus, qui te ad domum lucis reducet; verum vbi voluptatum diuerticulis captus declinaueris, simul Deum amittes. Psalm. 52. omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.

Luc. 4.
Chrysol.
Isaia. 43.
Ambros.

§. XIII.

In cœlesti domo maximi huius vitæ labores parui, aut nulli videbuntur.

IVSSVS est paralyticus surgere, & portare lectulum humeris, & ire in domum; & statim dicitur surrexisse, iuissequeinsuam domũ; reticetur autem, quod humeris portarit lectum. Cur id putas factum? Quia cum peruenimus ad domum illam nostram cœlestem, maxima etiam laborum onera, quibus in via premebamur, quasi nihilo reputantur; nec digna censu videntur. Isaias cap. 54. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas. Non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscaris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Tẽpus equidem felicissimum expectat fideles; vbi cœlestem patriam fuerint ingressi, tantâ lætitia, tot gaudijs exundabunt, vt nullus præteriti laboris recordationi pateat aditus. Explicatius adhuc ipse Isaias cap. 65. apud Septuag. dicebat, abdubium, quin de incolis æternæ ciuitatis. *Obliuiscentur tribulationis suæ primæ, & non ascendit super cor eorum. Erit enim cœlum nouum, & terra noua; & non recordabuntur prio-*

Isaias 54.
Isaias. 65.

priorum, nec venient ſuper cor eorum: ſed gaudiũ, & exultationem inuenient in ea. Vbi expendendum eſt illud, *& non recordabuntur priorum*: qui ppè non ait non recordabũntur priorum laborum, nec priorum ærumnarum, ſed tantum priorum; quia inter tót lętitiæ exũdationes, nec ærumnarum poſsint meminiſſe vocabula. Quò expectat Abbas Cellenſis lib. de panibus cap. 7. fatus. *Nomen mortis, nomen langoris, nomen paupertatis, nomen doloris, nec nominatur apud vos, ciues cœli, domeſtici Dei. Quid Autem? Vita, iucunditas, iubilatio, exultatio, glorificatio.* Abſorbet gloria domus Dei omnem priſtinorum laborum recordationem, adeò, vt nec eorum nomina cœleſtiũ ciuium ſubeant memoriam. Accinit Dominus apud Ioan. cap. 16. *Mulier, cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cum autẽ peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, &c.* Tantum eſt regenerationis æternæ gaudium, vt non ſinat nos meminiſſe ærumnarum, quas ſuſtinuimus in ſtadio. Alcuinus in cat. Diu. Tho. *Cum deuicto laborum certamine, ad palmam peruenerit, iam non meminit preſſuræ propter gaudium perceptæ retributionis.* Hinc eſt, quod Dominus Ieſus reſurgens à mortuis, vt eat in domum paternam, vulnerum cicatrices impreſſas in carne ſua ſeruauit; niſi enim ſic impreſſæ manerent cicatrices, vix fieri poſſet, vt inter gloriæ gaudia maneret memoria preſſurarum. Sic Auguſt. ſerm. 156. de tempore, acutè obſeruat. *Neceſſarium enim erat, vt manifeſtarũ præſens expreſsio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obdiuerat veritatem, & cognitionem quodammodo obſcurauerat.* Tot ora, quot vulnera fuerunt, manere debebant impreſſa rediuiuæ carni: ne veritas antea actę paſsionis periclitaretur inter cœleſtia gaudia. Equidem tot erant luminum radij: tot gaudiorum exundationes, vt pene videretur impoſsibile paſsioni vnquã ibi fuiſſe aditum. Nec miror ſic ærumnarum memoriam funditus abſorberi in illa domo, vbi tot pariũtur deliciarum examina. Multa de hac domus Dei felicitate patres; do in præſenti Venantium in orationem dominicam fantem. *Magis illud regnum quærendum eſt, vbi ſemper lilium, roſarumque blãdior lux arridet. Vbi pictura floris odoriferi non marceſcit, vbi loci fœcunditas, neque nube premitur, neque ſole ſiccatur, vbi non finitur cum poſſeſſore poſſeſsio: vbi quidquid deſiderat animus, dat aſpectus: vbi iuſtus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges non habent in coronis: vbi mortalitas tranſlata in immortalitatem cum Angelis ſorte ſimili gloriatur. Vbi hominibus, & Deo fit vna poſſeſsio.* Quid ſuauius? Vndè huc poteſt intrare memoria ærumnarum? Quis in hac poſſeſsione conſtitutus dabit locum laboris priſtini recordationi? Addit Damianus epiſt. ad Blancam cap. 15. *Et certe de illa cœleſtis Ieruſalem beatitudine ſempiterna incomparabiliter plus eſt in re, quam poſsit humana mens concipere. Quid ergo plura de illis beatorum ciuium gaudys eloquar: quandoquidem eorum felicisſimæ voluntati cuncta prorſus elementa deſeruiunt: & cuncta ad eorum nutum, ad eorum vertuntur arbitrium.*

Celle. Ab.

Ioan. 16.

D. Tho.

Aug.

Venan.

Damian.

CAPVT SECVNDVM.

De paralytico ad piſcinæ probaticæ ripas ſanato.

ERROR in celebrem Ieroſolimorum piſcinam, cui greges loti nomen dederunt probaticæ: confluxus aquarum ex templo denominant Bethſaidam; ſed præ cæteris illam nominatiſsimam faciunt omnigenæ ſalutes, quæ Angelo mouente aquas in hominum vitam ſaliunt. Felix, qui motam aquam attingit, vnus is fit ſanus, & vnius ſolius ſalus ſic cunctorum tenebat ſpes infirmantium, vt quinque porticus ad ripas piſcinæ elaborati vix infirmos caperent. Veteranus ibi paralyticus agebat trigeſsimum octauum annum in infirmitate, quẽ humani auxilij penuria dum arctat, auxiliatrix diuina manus adeſt. Surgit iuuente Chriſto ſanus, erectoque ſalutis trophęo, lectum ſubſtollens humeris triumphum agit. Quid plura? Feſtus is erat dies, ſiue Paſcha, ſiue Pentecoſtes, cur examinẽ, quod Euangeliſta aliàs feſtorum notator, hic non putauit declarandum? Maldonatus Pentecoſtem mauult, Toletus Paſchã, quodcumque illud eſſet, de feſti religione arma ſumunt Iudæi aduerſum Ieſum paralytici ſanatorem. Sed dũ legisfragum perſequuntur, legiſlatorem publicant de miraculo; non ne veræ requiei erit ſtator, qui laborum eſt propulſator, & expulſor omnium infirmitatum? Non feſtum violat, qui triumphum agit, nec ſarcinam portat, qui ſanitatis trophæa exaltat.

Ioan. cap. 5. Eſt autem Ieroſolimis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, quinque porticus habens

bens. In his iacebat multitudo magna languentium, cęcorum, claudorum, aridorũ, expectantium aquæ motum.

§. I.

Gratiſsimum Deo opus eſt templorum ædificatio, monaſteriorumque erectio.

HOc mihi imprimis accidit ponderandum, nimirum quinque illæ porticus, quibus lacuna coronabatur; porticus, inquã, factæ in illorum commoditatem, qui cœleſtem ſalutem ab Angelicis manibus expectabant. Sic notat Ruper. fatus. *Porticus iſtas habebat, ne multitudo languentium ad cœleſtis remedij opificem piſcinam excubans, tectum non haberet, ne opem ſupernam expectare non liceret, æſtu vrente, vel turbine, aut pluuia vrgente.* Ex quo nunquam non laudabo fidelium hominum curam, qui ſuis pecunijs porticus, domos, templa ædificant, ne æſtu vrente, vel turbine vrgente non liceat opem ſupernam implorare; quin potius habeant homines, vbi ad cœleſtem opificem excubent, & æternam implorent ſanitatem. Prætereo bona, quæ tulit Salomõ propter templi ædificationem, quando, & qui ligna ceciderunt, & miſerunt Tyrij, ingentem apud Deum gloriam conſequuti ſunt, & in Eccleſia Dei fuerũt adſcripti. Pſalm. 86. *Et Tyrus, & populus Æthiopum; hi fuerunt illic.* Ad quæ verba Diu. Bruno de laudibus Eccleſiæ cap. 6. ſic fatur. *Glorioſa ſunt hæc, quæ, & iuſtis, & peccatoribus magnam ſpem dare poſſunt, & immenſam ferre lætitiam. Vis in Eccleſia ſuſcipi? Tyrios imitare, quorum opere, & auxilio templum ædificatum eſt.* Auxilium præſtiterũt Tyrij, vt templum ædificaretur, quo maximè ſibi Deum deuinxerũt & ingentem reportarunt mercedem, aſcripti in Dei Eccleſia. Quid glorioſius dici poteſt de ciuitate Dei, quam quod in ea augeantur hi, qui nauant operam conſtruendis porticibus, vbi diuinum auxilium imploretur? Solet equidem Deus non ſolum templa ſibi ſacrata grata habere, ſed & lignum oblatum, & lapidem in ſcrinijs ſuis adſcriptum habet, vt pro illo immenſa beneficia faciat. Quid aliud obtulit Iacob in Bethel præter lapidem? Gen. 28. *Tulit lapidem, quem ſupposuerat capiti ſuo, & erexit in titulum.* Quid plura? Maritus iam factus Iacob, & ingẽtis familiæ Dominus, multiſque pecoribus ditatus, accepit à Deo reſponſum, vt reuerteretur in terram ſuam ſecurus, & diues. Scire cupis propter quale ſeruitium ſic Dominus propitius ſit Iacob? Ipſe ait Geneſ. 31. *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nunc ergo ſurge, &c.* Non ne vides, quam manet alta Dei mẽte repoſtus lapis ille Deo oblatus? Felix, qui in domo Dei, vel lapidem vnum offerat, eo ſanè habebit Deum ſibi deuinctum: Qui, quem poſueris lapidem, æternum meminit, & tibi acceptum refert. Vt conſtrueretur tabernaculum, petita ſunt munera ab vniuerſo populo, & ea munera, quorum aliqua nullus eſſet pauper, qui offerre non poſſet, quando, & pili caprarum petebantur Exodi 25. inſuper Exodi 35. dicitur. *Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſen.* Omnes offerunt aliquid, nec vllus pauper eſt, qui non habet aliquid ſuum in tabernaculi opere; quod ad maximum ſingulorum popularium bonum fuiſſe diſpoſitum pulchrè expendit Orig. hom. 13. in Exod. fatus. *Iuſtum eſt enim, vt in tabernaculo Domini inueniatur vnuſquiſque habere portionem ſuam. Non enim latet Deum vnuſquiſque quid ei offerat. Quam glorioſum tibi eſt, ſi dicatur in tabernaculo Domini. Aurum iſtud (verbi gratia) quo arca teſtamenti obtegitur, illius eſt; argentum ex quo baſes, & columnæ, illius eſt: æs, de quo annuli, & candelabrum, & non nulla columnarum baſes factæ ſunt, illius eſt: & cætera quæque per ſingula!* Nec lapis vnus à te offeretur conſtruẽdo Dei tabernaculo, qui in magnam tui cõmendationem, & vtilitatem non ſtet ſemper in oculis diuinis. Et quam ſalutare tibi putas, quod non poſsit Deus oculos ad ſancta ſua conuertere, quin ibi ſtatim videat lapidem tuum, lignum tuum, aurũ tuum, lanam tuã! Et quam miſerum, quod nec vllus lapillus videatur in tẽplis Dei oblatus ab illis, qui quotidie mittunt innumeras lapidum ſegetes in aceruos Mercurij, ædificantes regias, & Babylonicas turres, vt faciant nomen ſuum magnum in terris! Finiat rem Orig. ſupra. *Et turſum, quam indecorum, quam miſerum erit, ſi Dominus veniens requirere ædificium tabernaculi, nihil muneris tui inueniat in eo, nihil à te cognoſcat oblatum? Sicut enim Princeps huius mundi venit ad vnumquemque noſtrũm, & quærit, ſi quid de ſuis actibus inueniat in nobis, & ſiquidẽ inuenit, ſibi nos vendicat: ita & è contrario ſi veniens Dominus aliquid tuum inuenit in tabernaculo ſuo, ſibi te defendit, & ſuum te dicit.* Hæc ille: quibus vides, quam magnum emolumẽtum ſit, quod diuino tabernaculo ædificando operam nates. Diuiniſsima, & vtiliſsima res eſt homini templorum ædificatio, quo etiam

ethnj-

Rup. Bruno. Pſalm. 86. Geneſ. 28. Exod. 25. Origen. Idem. Geneſ. 31.

ethnici diuinum nomen sibi compararunt: de duobus enim Samariæ regibus sic loquitur
Ioseph. Iosephus lib. 11. cap. 2. *Vsque in præsens tempus tam Adadus, quam Hazael eius successor diuinis apud Syros colũtur honoribus, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè tẽplis extructis Damascenorum vrbem ornatiorem reddiderunt.*

§. II.

Magna peccatoris infirmitas inde substantiam quærere, vnde cœlum non videat.

VERE languentes, qui sanitatẽ ex aquarum motu nituntur expiscari. Non ne homo præcæteris animalibus os sublime accepit? Non ne iussus est rectum ducere ad astra caput, ne cœlestia vnquam obliuiscatur? Quis hominem ad ima deflexit? Quis in ferarum morem eius curbauit ceruicem, ne pascatur in altis? Sanè langor, & infirmitas peccati. Homo sanus escas in lignis paradisi accepit, vt simul manum fructibus, oculosq; cœlo daret, verum dum infirmitatem incurrit, deorsum ad terram vergit, ex imisque elementis escas quærit, quæ totum ad se hominem rapiant, & oculos, & manus. Digna
Tertul. hæc ponderatio Tertul. lib. de cibis Iudaicis, vbi fatur. *Nam & innocentia dicerpturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines ad superna subrexit, & commissum delictum ad conquirenda frumenta terræ, soloque deiecit.* Is erat incolummitatis humanæ status, qui & inter conquirendas escas cœlum inspiciendum dabat, ò quam salubriter decerperetur fructus ab eo, qui simul cœlum, inque cœlo Deum prospectabat! Post epulas continuo surrexit Anna, vt oraret Dominũ.
1. Reg. 1. Reg. 1. cap. 1. & vt videret Dominum, vndè Chrysostom. viri cuiuspiam felicitatem sic notat. *Qui se conuersus est ad orandum, non audet quicquam absurdè loqui, ne in medio quidem cõuiuio.* Sic conuiuia, sic epulas condit directio oculorum in Deum, quæ fit per orationem; quid si inter ipsas epulas cœlestibus intenderentur oculi? Hoc confirmatę salutis signum
Cant. 2. notabat illa in dilecto Cant. 2. dum ait: *Similis est dilectus meus capræ*, expendit similitudi-
Ambros. nem Diu. Ambros. Psalm. 118. in hæc verba: *Merito sicut capreola, quia in altis pascitur.* Nõ aliorum brutorum more caprea dimittit oculos ad terram, vt metat herbas; sed erecto corpore ad arborum ramos ore folia carpit, & oculis miratur cœlum. Sic bene sanus homo, dum salubres potuit epulas metere, in altis pascuam habebat. Verùm commissum delictum ad conquirenda frumenta terræ, soloq; deiecit, bructorumque de more fecit ab imis elementis victum, substantiamque expectare. Eu hominum pecuinos mores? Eu infirmum pecus, cœli immemor, & totum se terrenis trà dens. Fallor, nisi hos pungat Hieronymus ep. Hiero.
ad Marcellatus. *Vbi sunt instar palatij opibus priuatorum extructæ basilicæ, vt vile corpusculum pretiosius inambulet, & quasi mundo quicquam posset esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere, quam cœlum?* Et cœlestem fastidientes rorem, turbidis, & cæno plenis insistunt aquis. Turbidis, inquam, insistunt aquis, & quanto hoc fit salutis dispendio? Accipe Dauidem, qui 2. Reg. cap. 11. *Cum de ambularet* 2. Reg. 11.
in solario domus regiæ, vidit mulierem se lauantem. Sanè deiecit oculos ad cisternas dissipatas, spectauit aquæ motum, & bibit pelagus infirmitatum. De quo Theod. quæst. 25. ait. Theodor.
Vidit mulierem, quæ lauabatur, & formæ inescatus pulchritudine deuorauit hamum peccati. Huic similes senes illi duo apud Danielem ca Dan. 13.
pit. 13. qui paradisum nobilis viri introeuntes non altos arborum fructus, sed reptantis laticis stagna prospicientes, illius vxoris Susannæ amore infatuati, miseram sibi mortem venantur. Sic de illis notanter textus inquit. *Exarserunt in concupiscentia eius, & euerterũt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt nõ viderent cœlum.* Ecce ruinam, ecce casum, & infirmitatem, *declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum*, pecuino more inclinati; non quæ in altis erat pascua, sed turbidam aquam spectantes fuerunt mortem adepti. Latet equidem anguis in herba, latet Leuiathan in aquis, langor est, infirmitas est ab imis his substantiam inuestigare. Expende in Nabuchonosor, quid afferat homini oculos ad terrenũ fœnum dimittere, seu ad cœlũ leuare. Dan. Dan. 4.
4. *Ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, &c.* Tandiu brutuit Rex, quandiu oculis ad inferiora coniectis humi repentes herbas pascitur. Vbi autem cœlum aspexit, vbi tulit in astra caput, statim brutum exuit ad hominis formã reuocatus. Ab altis cibum quærat homo, ab altis escam expectet, quo videat cœlum, à quo in cœlestia solicitetur. De impio Achab dicitur 3. Reg. 21. *Loquutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam,* 3. Reg. 21.
vt faciam mihi hortum olerum. Ecce tibi possessio iusti vinea est, altis plantata palmitibus, vt ab altis expectet iustus fructus suos: possessio autem

autem impii hortus est olerum humi repentium, vt cœlum non videns æternã vitupera-
Basil. tionem incurrat. D. Basi. in 1. c. Isaiæ. *In vituperationem cadit horti memoria, cum Achab vineã Naboth concupiscceret, vt illam cõuerteret in hortum olerum.* Non amat impius ab altis expectare salutares cibos, sed irrigua prata, humi repẽtia olera spectans, cœlestia omnia o-
Sap. 2. bliuiscitur. Sic illi sapientiæ 2. aiebant: *Nullũ sit pratũ, quod non per transeat luxuria nostra;* nihil aliud expectant quã aquæ motum, quo olera crescant, minimè oculos tollunt supra hæc infima elementa, vnde nihil lucrantur
Isai. 1. præter ruborẽ, & gemitum, vt dicat Isaias c. 1. *Erubescent super hortis suis, quos concupierũt.* Cur non erubescant, qui nil viderunt vltra motum aquæ rigantis olera hortorũ. Altiora prospiciat, cœlũ spectet, qui prorsus felix esse velit. Hinc monemur à Domino incessanter precari illud: *Adueniat regnum tuum*; ante omnia alia ob oculos nobis proponamus cœlorum regnum, quo nil timendum restabit, sic Venãtius ait, ibi: *Veniat in corde nostro regni tui sincerum desiderium, vt possimus diaboli vincere blandimentum: tunc enim in nobis hostis non prœualet, quando nos conflanter respexerit diuini regni desideria concepisse.* Felix ille, cuius ab oculis nunquam regnum cœlorum abest.

§. III.

Caduca bona caducos, æterna æternos faciunt suos spectatores.

LANGVENTES expectabant aquæ motum; cur non languerent, qui mobilium, fluxarumque rerum erant expectatores. Induunt spectatores naturam rerum, quæ spectantur; quippè æterna, & solida bona æternos, & solidos faciunt spectatores suos; à caducis, & fluxis rebus nihil potest venire, & obuenire tibi, nisi langor, nisi infirmitas, nisi vertigo capitis. Huc refero quæstionem
Chrysost. propositam ad Chrysostom. super capit. 5. ad Ephesios, vbi sic: *Cum tantam celsitudinem à tellure in cœlum vsque videntes nihil mali patiamur; in turri tamen aliqua sublimi constituti, mox atque terram desuper, vel modice deflexi intueri volwerimus, vertigo quidem nos, & caligo deprehendit. Dic mihi huius rei causam?* Sane possum firmus, & securus in mensam pene cœli altitudinem spectare, quia cœlestia, & æterna, ex quacumque distantia appareant, suis spectatoribus conferunt firmitatem. Nõ sic firmus sum, si oculos ab alto in terram vertero, sed tunc & vertigo, & caligo me deprehendit, quia fluxæ res ad se trahunt spectatores suos, eosq; præcipites agunt. Hinc Exodi c. 34. ex colloquio diuino, dũ affert Moyses splendentẽ faciẽ, non datur Israelitis, vt possint videre gloriam vultus Mosayci, cum tamen posteriores Christi Dñi gloriæ ab Apostolis fuerint visæ, & prædicatæ. 1. Petri ep. c. 1. *Præmuniãns eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est, &c.* 1. Petr. 1.
Sed cur Moylis gloria non permittitur videri reuelata facie, Christi autem posteriores gloriæ apertissime reuelantur? Gloriæ Christi posteriores æternæ erant, & ideò reuelabantur, vt spectatores suos æternũ glorioſos facerent. Gloria autẽ Moyses fluxa erat, & re-
uocandã, ideò nequit videri spectatoribus suis conferens caliginem oculorum, & vertiginem capitis. Elegantèr hoc insinuat D. Damascenus ex 2. ad Cor. 3. orat. de transfigura-
2. Cor. 3. tione satis. *Israeliticus populus in Moysis faciẽ, quæ abolenda erat, intendere non potuit. Nos autem reuelata facie gloriam Domini intuemur, à gloria in maiorem gloriam transformati.* Ecce tibi quid fluxæ res, quid æternæ efficiant, in se singulæ suos spectatores conuertunt, & ad se rapiunt; cœlestis gloria visa nos transformat à gloria in gloriam, æternitatemq; affert: verũ illius faciei gloria, quæ abolenda erat, quæ vo lubili rerum statui subiecta erat, vt terrena võ rago nequit aspici; caliginem enim, & vertiginẽ facit, vt ad se trahat. Merito Ecclesiast. 31. Ecc. 31.
Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt. Quid est post aurum non abijt? Habet aurum caducarum rerũ proprietatem, quod dum ad suam naturã spectatores suos trahit, eos in profundissimam voraginẽ præcipites agit. De quo Chrysol. ser. 29. *Nascitur aurum in terra profunda, sectatur ipsa mõtium fundamenta: perq; ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus, semper alta mentium, semper in terrena demergit.* Sic mobilia bona ad se tra-
hunt spectatores suos, obscurant oculos caligine, vertiginem faciunt, præcipitia astruunt, omnesq; naturæ propriæ defectus nostris inferunt animis. Sic cœlestia, & æterna bona, vel solo aspectu spectatoribus suis induũt æternitatem. Gen. 15. de Habraham dicitur, quod Genes. 15.
accepit, *tria animalia, arietem trimum, vaccã, trimam, capram trimam, & turturem, & columbam.* In solis animalibus numerantur anni; cur in auibus nõ numerantur anni? D. Au-
August. guſt. Pſ. 13. concione 3. ait. *Significantur in auibus quidam spirituales, quorum ætas temporalis propterea tacetur, quia æterna meditantur.* Et verè, vbi æterna præ oculis sunt, sic in se
transformãt spectatores suos, vt in illis videãtur cõsumpsisse quidquid erat tẽporale. Dicebat Psal. 88. *Quis similis erit Deo in filijs Dei?* Psal. 88.
Quasi à similitudine Dei etiã perfectissimos

quos-

quōsq; excluderet. Ioannes tamen. 1. ep. Can. 3. ait. *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus.* Dauid negat esse Deo similes, Ioānes asserit nos Deo similes futuros, & vterq; vera dicit; licet enim nulla possit creatura ita Deo assimilari, vt sit in perfectione æqualis; tamen si Dei bona oculis appareant creatis, non possunt non assimilare sibi spectatores suos. Vndè D. Greg. lib. 18. in Iob. c. 31. fatur. *Huic sapientiæ diuinæ, & similes erūt ad imaginē, & tamen non erunt similes ad æqualitatem: aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis, vt æterni sint: & dum visionis eius donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur, quod vident.* Sic æterna æternant, dum caduca faciunt caducos spectatores suos.

joan. 1.

Gregor.

§. IIII.

Efficaciora sunt mala ob Christum sumpta ad trahendum homines, quam bona omnia sæcularia.

ECCE salutem scaturietē in aquis Bethsaidæ, & ab his tantum quæritur hæc salus, quos quinq; porticus capiūt. Sed in aquis Baptismi Christiani, mors est, ad quā ex tūc initiamur, imò expostulamur, dū cōmori, & cōsepeliri cū Christo Iesu iubemur, & innumeras Ecclesias replent, qui ad has euolant aquas. Fortius sanè pelliciunt, & trahunt homines mortes Christianæ, quā deliciæ, quā sanitates corporales. Sibi Menander confixerat de vndis stygijs lauacrum, quod hominibus dabat immortalitatē, & immortalitate obiecta rarissimi, aut nulli inueniebātur indagatores tanti lauacri. Menandrū sic ridet Tertul. lib. de anima, fatus. *Vbi nā ista felicitas aquarū? Quod hoc Menandri balneum? Comicum credo. Sed curtā infrequens, tam occultum, quo paucissimi lauant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi, atq; tutissimi Sacramēti, apud quod, nec pro Deo ipso mori lex est; cū è contra omnes iā nationes ascendant in montē Domini, & in ædem Dei Iacob, morte per martyrium flagitantis, quā de Christo etiā suo exigit.* Videte lauacrū, & lauacrū: imò cōponite Menandri lauacrū cum Christi Dni lauacro illud mortem ablegabat, delicias scaturiebat, & tamen raros, paucissimos trahebat. Sic omnes prophanę balneę, omnes voluptuosissimorū hominum sectæ, vitā promittūt, delicias, voluptates, & nihilominus si ad illarum sectatores spectes, apparēt rari nantes in gurgite vasto. At Christi lauacrū mortem, sepulturāq; flagitans, vniuersas ad se nationes rapuit. Quę gēs ad halātis mortē lauacri portū nō se recepit? Quæ nō doluit videns suos pro Christo morte priuatos? Apud Mat. c. 2. *Rachel plorat filios suos.* Cur Rachel filios suos ploret, cū illos videat incolumes, dū videt sororis filios ab Herode morti datos? Orig. hom. 3. in diuersos: *Ploravit Rachel filios quasi nihil passos pro aduentu Dni, & quasi nō essent existimauit ad illos, qui pro Christo mortui sunt, & martyrij tulerūt coronā.* Sic curritur ad mortē pro Christo, vt dolendos reputemus eos, qui viui manēt. Non negabo in præsenti verba illa religione plena, quibus Castellæ Rex Alphōsus insignē victoriā de Mauris scribit Pōtifici Max. apud Marianā lib. 11. c. 25. *De exercitu autē Dni, quod nō sine grādi gratiarū actione recitandū est, vix vigintiquinq; Christiani, aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quāta lætitia! O quot gratiarū actiones! Nisi de hoc dolendū sit, quod tā pauci martyres de tanto exercitu ad Christū martyrio peruenerint.* Expēde, quid dolendū putet pius Rex, nimirum, quod pauci pro Christo mortui fuerint, quādo omnibus talis mors esset appetenda. Currūt sanè pro Christo ad mortē Christiani. Sed quæ huius ratio? Sanè, quia salus, quæ à prophanis est, aut vana est, & fallax, aut mille motibus, mille curis emitur; ait enim, *expectantū aquæ motū.* Verū mors ipsa, quæ in Christi lauacro prophanatur, placidissimū offert, & ab omnibus malis tutamen. Id quod expressum inuenio. Apoc. 14. vbi sic habetur. *Beati mortui, qui in Dño moriuntur, à modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Ex illa particula, à modo iā dicit spiritus, vt requiescant, colligit acutè, & verè Alcazar, notari in præsenti, nō qui vita functi sunt, sed qui se se exponūt morti, vt ille, qui dicebat. 1. Cor. 15. *Quotidie morior.* Hi ergo, qui adhuc in sæculo degunt, & mortē pro Christo sibi eligūt, imò appetūt, nō funereas presbyterorū voces expectant, quibus cadauera iubētur requiescere in pace, sed à modo, à momento, quo animo suo mortē amplexati sunt, sibi requiē omnimodā, & à laboribus vacationē cani audiūt per spirituū voces immortaliū. Huc spectat nobilissimus Christi Athleta D. Greg. Nazian. Apol. 1. fatus. *Licet ignē minetur, licet gladios, licet feras, licet præcipitia, licet omnes, qui furore acti sunt sæuitia, & crudelitate superet; licet iā inuentis supplicijs acerbiora tormentorū genera cōminiscatur. Vnū mihi aduersus hæc omnia in promptu est remediū. Vnū ad palmā iter, nimirū, vt pro Christo mortē appetā.* Expēde, quo remedio vtatur, quo balneo aduersus omnes infirmitates, aduersus dolores, tormēta cruciatus, nimirum quod, *pro Christo mortē appetat.* O mors omni salute prophana quietior! O Angeli mortis vox, nō cōmouēs, sed trāquillās amaricantes feri maris fluctus! Huic mortuo omnes Angelorum chorus iubet, vt requiescat à laboribus suis, vt viuēs adhuc vacationē habeat ab huius

Tertul.

Matth. 2.

Origen.

Rex Alph.

Apoc. 14.

Alcazar.

1. Cor. 15.

Nazianz.

ius vitæ doloribus. Accinit D. Chryſoſt. hom. 1. ad illud Apoſtoli, *ſalutate Priſcã*, vbi ſic. *Qui ſemel vitã deſpexit præſentem, magna cum facilitate conſicit omnia, cœli municeps eſt, & ad futuram feſtinat vitam.* Vbi ergo mors, vel cõcupita, tutamẽ eſt aduerſus omnes infirmitates, portus eſt, qui tranquillitatem, & quietẽ habet, quid mirum, quod efficacius homines trahat, quam mundaliales voluptates?

Chryſoſt.

§. V.

Corporalia bona rapidiſsimo motu euanescunt, non ſic ſpiritualia.

VIDE cuius à vulba corporalia bona parturiantur, ait enim expectabant *aquæ motum*, vt nimirum, cum motu proſiliret ſalus, hoc omniũ bonorum corporalĩ ingeniũ eſt, quòd rapidiſsimo motu tradãtur. Hinc felicitatem illius, qui ad ſpiritualia ſeſe conuertit, commendat Pſaltes 24. dicens. *Anima eius in bonis demorabitur.* Vbi Hugo victorinus in annotatione ellucidatoria fatur. *Quidquid carnaliter dulce eſt, ſuæ delectationis experientiam fruentibus præſtat, ſed diu cum eis morari non poteſt; quia dum guſtu appetitum prouocat, tranſitu deſiderium fraudat. Spirituales autem delicias, quæ nec guſtatæ tranſeunt, nec deficientes decreſcunt, nec ſatiantes tædium gignũt, diu cum fruentibus permanere poſſunt:* Hæc ille: id æternũ habes, quod ſpirituale eſt, quod ab hac corporali ſpecie deſœcatum, quæ autẽ ſunt bona corporalia perniciſsimo pertranſeunt volatu. Pſalm. 126. putatur à Salomone confectus, eo ipſo tempore, quo templum ædificãbat, & ciuitatẽ Regijs ampliabat. Equidem inter ædificandũ, nil prius, quam ædificij ruinas aſpexit, fatus. *Niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eã.* Ad hæc eleganter D. Zeno ait. *Scit in vtiles eſſe humanarum cuſtidiarũ vigilias, ſcit in caſſum eſſe conſurgentiũ matutinas ſolicitudines. Ciuitas, & à ſe inſtituta, & ab alijs reſtituta, iã nulla eſt, non proficit ædificatio, vel prima, vel conſequens. Et recte ipſe ille cuertẽdæ ciuitatis Propheta eſt, qui auctor fuerat extruendæ.* Sic fluũt humana omnia, vt in ipſo initio ciuitatũ, & regnorũ, nil prius videatur, quã finis. Accedẽs tẽtator ad Ieſum Matth. 4. *oſtendit ei omnia regna mũdi, & gloriã eorũ.* Et cur Dominus paſſus eſt accedere tentatorẽ non ſolũ, ſed cũ omnibus regnis, & glorijs mundialibus? Vt velocius euaneſceret tẽtatio; quippe mũdalia bona adeo fluxa ſunt, tã pernici agũtur motu, vt qui cũ illis venit, nequeat diu permanere in eodẽ ſtatu, ſed citiſsime neceſſum eſt, vt euaneat. Ita D. Chryſoſt. in Pſal. 2. fatur. *Quando Chriſtus aſcendit in montem, vt tentaretur à diabolo, tunc Archidæmon in punctο temporis omnia regna mundi coegit, & gloriam eorum, & cum omnibus viſus eſt, vt cum omnibus euaneſceret.* Qua ſi à regnis mundialibus habiturus eſſet diabolus, vt non ſtaret, & permaneret, ſed ſtatim euaneſceret, & fugam caperet. Neſcio, an ſit aliqua creatura fugacior, & mobilior, quam bona omnia mũdialia; vento comparauit Iob vitam hominis: ſed quæ vento æquari potuit vita, bonorum mundialium vincitur velocitate. Eccleſiaſtici cap. 11. id demonſtrat ſatis. *Fili, ne in multis ſint actus tui: & ſi dives fueris, non eris immunis à delicto, ſi enim ſecutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcucurreris.* Quid eſt illud, ſi enim ſecutus fueris? Hugo Cardenalis ſubintelligit ibi diuitias, quæ adeo velociter fluunt, vt ſi ad illas ventorum pennis curras, non tamen apprehendes, & ſi quando præcucurreris, anteque ipſa bona cũrſum inceperis, te ipſa quam citiſsime præteribunt. Lucem his verbis affero ex Ouidio Metamor, vbi Hippomenes certans de velocitate cum Athalanta, ſemel, & bis, quam nõ aſſequebatur puellam, aureis pomis obiectis nititur remorari:

Obſtupuit virgo, nitidique cupidine pomi,
Declinat curſus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes, reſonat ſpectacula plauſu:
Illa moram celeri, ceſſatam tempora curſu,
Corrigit, atq; iterum iuuenem poſt terga reliquit.
Et rurſus pomi iactu remorata ſecundi,
Conſequitur, tranſitque virum.

Neſcit aurũ tardare, neſcit vinci velocitate, ſi ſequaris, non apprehendes, ſi expeditus iuuenis præcucurreris, facili negotio morã corrigit, & te ſemel, & vis poſt terga relinquet, & pertranſibit. Quò pulchre ſpectat illud Eccleſiaſtici cap. 31. *Beatus vir, qui poſt aurum non abijt.* Cur non etiam beatus dicitur, qui ante aurũ non abijt? Cur maluit dicere, poſt aurum? Equidem auri proprium eſt vniuerſos præterire, & poſt terga relinquere ſua. Sic currũt bona mundialia, ſic aurum volat, vt quamuis velociſsimus accedas, ſola eius terga nota habeas Pſal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Cur ſolum dorſum meminit aureum? Non ne columbæ pectus, & collum rutilat, & fulget, cur ad ſolas ſcapulas, & dorſum aureum aſpexit? Crediderim ibi in colũba figurari bona terræ, quæ à glebis euolutis in cleros parturiuntur, quę bona adeò volãt, vt quatũuis occurras citus ſpectator, ſola earum dorſa notabis. Huc reuoco illud Exod. 33. *Cum tranſibit gloria mea: Videbis poſteriora mea, faciẽ autem meã videre nõ poteris.* Omnis enim gloria tranſitoria, quæ in hoc valle lacrymarum habetur, ea velocitate tranſit;

Pſal. 24.

Hugo.

Matth. 4.

Chryſoſt.

Ouid.

Eccleſ. 11.

Hugo.

Eccleſ. 31.

Pſal. 67.

Exod. 33.

vt nulli niſi à tergo pareat. Et cur non rapidiſsimè tranſeat humana gloria, quando homo ipſe omni raptu velocior tranſit Pſal. 101. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt.* Ecce ſumma ponderatio velocitatis, quod tranſeant dies ſicut vmbra, hoc eſt, ſicut ipſe homo, illi omnino ſimiles. D. Auguſt. ibi. *Quid mirum, dies tui facti ſunt ſimiles tui?* Nil amplius poteſt dici de rerum mundialium mobilitate, quam quod ſicut homo tranſeant.

Pſal. 101.

Auguſt.

Text. Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua.

§. VI.

De Angelorum miniſterio honoratur a Deo, & ſeruatur natura humana.

PROH ingens Dei in homines dilectio, quorum morbis & infirmitatibus Angelos medicos deputauit. Maximo ſanè in honore eſt apud Deum homo, cui mittit Angelos ſuos, vt famulentur infirmitati. Act. 12. Herodes Principem Apoſtolorum coniecit in carcerem, vbi dum iacet Petrus ferreis obſtrictus catenis, loci pædore vexatus: *Ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius*, &c. Sed cur Angelus mittitur Petro liberando? Nonne ipſe Petrus virtutem & poteſtatem habebat, qua poſſet & vincula rumpere, & aperire carceres? Qui alios à mortis caligine, à ſepulchro viuos educebat, non ſe poterat à carcere liberare? Equidem, ſed principis Apoſtolorum honor & dignitas hoc ſibi obſequium requirebat ex Angelis. Id quod D. Chryſoſto. Hom. 26. in Acta attigit ſatus. *Quare non illos perſe ipſos ſic liberat? Quare? etiã hac re honorat illos Deus per Angelos eripiens.* Maximus honor hominum eſt, Angelos ſibi officioſos experiri, quorum beneficia & officia in homines tunc incipiunt, cum incipit cuiuſque hominis vita. Vnde Gen. 21. Cum Agar filius penè eſſet exanimis; *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo dicens; quid agis Agar? Noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri.* Cur ibi Angelus adeò præſto adfuit? quia cauſa pueri penè exanimis agebatur, cuius cura & tutela à primis vnguiculis Angelis deputatur. Ita Theodoretus. q. 2. *Aptiſsimè præfecto Deus per Angelum, quæ ad puerum procreãdum pertinebant, effatus eſt.* Vbi primã hominis cunabula videbantur, iam neceſſum erat, quod appareret cura patroni Angeli; ſic enim nobiles hi ſpiritus erga homines affecti ſunt, vt ſimul homo vitam, & Angelus eius curam accipiant. Aiebat Iacob ad vxores ſuas Gen. 31. Dixitque Angelus Domini ad me in ſomnis Iacob? *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti.* Quibus verbis quæſtionem mouet D. Baſilius lib. 2. aduerſus Funoſium, cur, qui ſe Deum vocat, vocatur a Iacob Angelus Dei? Enim vero qui loquebatur, modo ait, Ego ſum Deus Bethel, & idem in Bethel, ait, Ego ſum Deus Abraham &c. & nihilominus Iacob de illo eodem agens fatur, *Dixitque Angelus Domini ad me.* Cur, quẽ Deum ſcis, Angelum nominas? Sanè de naturæ in homines beneficentiſsimæ vocabulo, de notiſsimi hominum patroni curatoris nomine maluit diuinum numen appellare. Sic gaudent paſsim homines beneficas ſibi excellentias de notiſsimorum benefactorum & patronorum appellare vocabulis. Sic in Athæneo ſupremi principes cõſueuere vocari Mœcenates. Sic Iacob Deum Optimum Maxi quem tutorem, & curatorem rerum ſuarum ſingularem experitur, vocat Angelum, cuius eſt hominibus patrocinari. Quippe vbi homines promouentur, clarè cernitur officium Angeli. Dan. 10. ait Gabriel Angelus quod poſt Danielis orationes Domino præſentatas, & prælium commiſſum cum Perſarum Angelo: *Ego remanſi ibi cum rege Perſarum.* Quod ſic exponit Rup. *Quid autem commodi Gabrielis remanſio iuxta Regem Perſarum attulerit, patet ex ſacra hiſtoria, quæ docet Cyrum, inſtinctu Dei captiuitatem Iudæorum ſoluiſſe. Et qualiter multis annis poſt Aſſuerus retentus fuerit à Deo, ne peſsimum Amani conſilium perficeret. Vnde hæc tam feliciter euenerunt, niſi quia bonus iſte Angelus remanſit iuxta regem Perſarum?* Vbi enim hominum ſalus dabatur, conſpicua erat negotiatio Angeli. De quo ſupra.

Act. 12.

Chryſoſt.

Gen. 21.

Theod.

Gen. 31.

Dan. 10.

Rup.

§. VII.

Non ſtatim quis ad ſuprema ex imis: ſed trahendus per media.

TRAHENDI homines à terrenis cupiditatibus ad cœleſtia, vide prius qualiter paulatim, & per gradus promouentur. Terris altius elementum aqua eſt, ſed terræ proximam habet ſedem, inde à terra iubentur priùs expectare aquæ motum homines terreni, vt ſic paulatim promoueãtur in cœlũ.

Inde pulchrè D. Aũgũ. miratus Chriſtum Dominum ambulantem in fluctibus, lib. 3. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ inquit. *Dominus de terra diſcipulos petens, neceſſe habuit in vndis ambulare.* Non enim imis adhærentes terris, ſtatim ad cœli alta raperentur, ideò in aquis ſubſtitit Dominus, vt à terra parum leuati vſque ad aquam iam diſponerentur ad altiſſima cœli. Sanè Paulus adhuc ſpirans minas, nihilque niſi terrenum ſapiens ſubito ad cœlum euocatus eſt, ſed quantò id accidit oculorum diſcrimine? Accipite verba ex Act. cap. 9. *Cum iter faceret, contigit, vt approximaret Damaſco; & ſubito circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, cur me perſequeris,* &c. Expendo quod perſecutor ſubitò euocetur ad colloquium diuinum, ſubitò ei lux de cœlo affulgeat. Quid inde? *Surrexit*, ait, *Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.* Sic ſic feruntur etiam hi, quos bonus Deus amat, ſi repente ab imis euolent ad ſuprema. Vnde meritò monet Nazian. orat. in ſancta lum. dicens. Quo circa ſe quiſque priùs purget neceſſe eſt, atque ita demum cum puro colloquium ineat, alioquin *verendum ne oculorum ſenſu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cum priuſquam à perſecutionibus expiatus eſſet, colloquium cum eo, quem perſequebatur, miſcuiſſet.* Adhuc terrenus ſubitò ad cœlum euocatur, adhuc ſpirans minans, & ſubitò tranſit ad colloquium diuinum, ideò oculos amittit, quos ſeruaſſet, ſi à terra ad aquas, antequam ad cœlum proſpexiſſet. Feliciſsimis illis Magis, vt venirent ad Chriſtum, data eſt ſtella, quam à cœlo ducentem ſequerentur: aiunt enim Matth. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Cur data ſtella? Equidẽ ne ab Idololatriæ tenebris ſubitò in patrem luminum, verumque Iuſtitiæ ſolem conuerſi, tanto lumine offenderentur, iuſsi ſunt priùs ſequi ſtellam, vt inde ad ſequendum ſolem facilius, & ſecuriùs promouerentur. Ita D. Chryſoſtom. ſer. 87. *Hinc eſt, quod & Magos adhuc noctis incolas, & totis obſtupeſcentes oculis, tenuiter micans ſtella aſſuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipſum fontem luminis, & dierum.* Non enim ſecurè quis proſilit à tenebris immediatè ad lucem clariſsimam; mediet aliquid inter tenebras & lucem, per quod paulatim, & per gradus proficiat. Iſaiæ. 9. *Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt.* Non ſedentibus in regione tenebrarum, ſed in regione vmbræ lux oritur: vmbra enim media eſt inter tenebras, & lumen, ideo qui velit ad lucem ire à tenebris, in vmbrã proſiliat, & inde in lucem Orig. Hom. 2. in Cant. *Sedentibus enim in regione vmbræ mortis lux orta eſt. Et tranſeamus ab vmbra mortis ad vmbram vitæ. Semper ipſius modi ſunt profectus, vt in exordio deſideret quiſpiam ſaltem in virtutum vmbra conſiſtere. Ego puto ideò natiuitatem Ieſu ab vmbra capiſſe.* Spiritus, *inquit*, Sanctus veniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. *Non ſolum in Maria ab vmbra eius natiuitas cœpit, ſed & in te, ſi dignus fueris, naſcitur filius Dei.* Pulcherrimus ordo, vt à minimis per media aſſuefacti gradatim aſcendamus ad ſublimia: non enim is eſt homo, qui poſsit ſubitò ſumma capere. Id quod notauit D. Irinæus lib. 4. cap. 74. & 75. vbi eo refert, quod filius Dei venerit nobis carne occultus, puſsio, & tenellus infans, quia, nimirum, homo perfectionem ſummam quam exclara Dei viſione accipere debebat, capere non poterat, niſi priùs gradatim aſſuefieret ad illam. Enim verò ait Irinæus ſupra cap. 75. *Initio Deus potens fuit dare perfectionem homini; ille autem nuper factus non poterat illam accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum eſt homini Verbum Dei, non propter ſe, ſed propter hominis infantiam: ſic capax effectus homo, quemadmodum illum capere potuit.* Itaque per media gradatim homo dedit aſcendere ad ſumma, ſi ſecure velit proficere. De hoc ſupra.

Augu. Act. 9. Nazian. Matth. 2. Chryſoſt. Iſaiæ 9. Orig. Irineus.

§. VIII.

Baptiſmi Chriſtiani præſtantia, dum homines facit Angelos, et ad cæleſtia promouet.

MIRARIS piſcinę virtutem, quæ Angelum Domini recipiebat, & ſalutem hominibus donabat. Sed mirare magis Chriſtiani Baptiſmi prę ſtantiam, in quo vnda recipit homines infirmos, ſerpentino viro afflatos, & parturit Angelos. Quod eleganter põderat D. Zeno ſer. 2. ad Neoph. fatus, cũ omniũ aquarũ natura ſit talis, vt cũ in profundum homines ſuſceperit viuos, vomat mortuos, *noſtra aqua ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos; ex hominibus in Angelos tranſituros.* Ea eſt ſacri baptiſmi vnda, quæ non recipiat, ſed potiùs Angelos parturiat, à qua homines Angeli facti in cœleſtia ferantur & ſublimia. Matthæus Chriſti natiuitatem dicturus ab Abrahamo per Patriarchas & reges, & duces deſcendens, eò peruenit, vt dicat. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Longè aliter D. Lucas, qui poſt baptiſmum Ieſu, eius genealogiam ediſſerens à Ieſu per omnes

Zeno. Matth.

eius

eius maiores aſcendit ſuper omnia vſque ad Deum ipſum. Cur quam Matthæus per deſcenſum, Lucas per aſcenſum docet Genealogiam Chriſti? Sanè Lucas ſuſcipit Ieſum à Baptiſmo, quo factum eſt, vt nihil niſi aſcenſiones poſsit Lucas excogitare de Chriſto.

Aug. Accipite Aug. ſer. 15. de verbis Domini, vbi ſic ait. *Matthæus generationem Chriſti memorabat, qua deſcendit ad nos, ideo quando natus eſt Chriſtus, cœpit numerare deſcendendo. Lucas autem quia tunc cœpit numerare, quando Baptizatus eſt Chriſtus: ibi eſt initium aſcenſionis.* Quaſi vnda Baptiſmi Chriſtiani non poſſet non homines in ſuperiora & cæleſtia agere. Hanc Chriſtiani baptiſmi efficaciam adumbrauit in Geneſi vox illa diuina ad aquas matis facta

Gen. 1. cap. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Ecce tibi in aquis priùs reptile, deinde volatile vſque ad cœlum: vt terrenis repens mens humana vbi aquam baptiſmi attigit, volucris fiat, quæ aſcendat obuiam Chriſto in aera. Id quod acutè notabat D. Anaſt. Sinaita lib. 5. Exame. fatus. *Collocat piſces ante volucres, dicens nobis Deus, quod reptilia, & quæ humi, & in terra verſantur animæ, fiunt volucres cœli volantes ſuper terram ſecundum firmamentum cœli; & ad imitationem omnium, ſpiritualem Angelorum oſtendunt vitam. Cuius modi eſt illa volucris, quæ volauit vſque ad tertium cœlum, & dixit noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Quid pulchrius dici poteſt pro piſcina baptiſmatis Chriſtiani? Hæc eſt, quæ non expectat motionem Angeli, vt ſalubris ſit, quin potiùs adeò ipſa ſalubris eſt, vt quos repentes humi accepit, reddat pennatos, Angelicorumque imitatores volatuum. Neſcio an viderat hunc fontem illa, quæ dicebat Cant. 1.

Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Enggaddi.* Quippe Enggaddi ſignificat Carthuſiano & alijs fontem hædi, qui procul dubio fons Baptiſmi eſt pro hædis ſuſcipiendis inſtitutus. Sed qui hædi in Dei ſiniſtris ad deſcenſum, & præcipitium æternum parabantur, tanti fontis beneficio aſcendunt agni facti, qui in dextris Dei locum habeant. Ita Aponius lib. 3.

Apon. in Cant. vbi fatur. *Vineæ ſunt multarum gentium nationes, quæ vineæ agnito Chriſto habent in medio fontem hædi, qui eſt ſacroſancti baptiſmatis fons, vbi hædi deſcendunt, qui erant deputati à ſiniſtris ante tribunal iudicis æterno igni tradendi: & aſcendunt agni immaculati, qui à dextris iudicis congregentur æterno regno donandi.* Hæc ille.

Text. Et qui primus deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fiebat, a quacumque detinebatur, infirmitate.

§. IX.

Rari ſaluantur ex his, qui prius turbationem mortis incurrunt, quam pœnitentiam velint agere.

INNVMERI aquæ turbationem expectabant, vt ad ſalutem currerent, ſed poſt turbationem aquæ ſanabatur tantum vnus. Quis iam exſpectet turbationem, vt quærat ſalutem? Quis raritatem ſanatorum non expaueat? Sanè multi homines adeò ſalutem animæ ſuæ negligunt, vt prius expectent ſe lethali corripi morbo, membra diſsipari, turbari totam familiam, clamare medicos, & poſt has anguſtias, & mortis appropinquantis turbationem tunc ad ſalutem feſtinant. O Fallax pœnitentia! ô ſalus maximè dubia. Accipite apud Ioſue cap. 7. Acham filium Char-

Ioſ. 7. tin, qui furatus de Anathemate lineam auream ſic obtegit furtum, vt quamuis Deum iratum in vniuerſum populum videret, ipſe taceret, nec confiteretur peccatum ſuum. Caſtigatur à Deo populus, turbatur exercitus, conſulit dux ſapiens Dominum, mittit ſortem, & ſors cecidit ſuper domum Acham, manifeſtatur reus, conuincitur Deo perſequente, fatetur tunc ipſe delictum ſuum & ſine venia ex præcepto Dei iubetur obrui lapidibus. Cur non parcitur illi? Non ne tandem humilis confeſſus eſt delictum? Grauiter rem attigit Rup. lib. 1. in Ioſue cap. 21. dicens: *Non tamen vllam mereri veniam debuit, quia videlicet confeſsio nimis tarda fuit. Ante enim turbatus eſt Iſrael quam ille reatum agnoſceret, & ante ſors veridica Deo auctore prodidit perſonam, quam ipſe culpam.* Væ qui mortis turbationem expectant, vt culpas recognoſcant, væ qui prius de morte inſtante familiam turbari vniuerſam, propinquos gemere, feſtinare medicos, & ſe reum lethali morbo ſignari exſpectat, quam delictorum confeſsione ſalutem quærat. Metuo ne rariſsimi ſint, qui ex his ſaluentur. Nabuchodonoſorem iam pene excidium minabatur, iam in ſomnis audierat imperij ſui ſucceſsionem, iam ſecuris ad radicem poſita erat, & vigil de cœlo dixerat, *ſuccidite arborem.* Tunc ad illum Daniel cap. 4. *Daniel. 4.*

Peccata tua eleemoſynis redime, & forſitã propitiabitur Deus delictis tuis. Expẽde illud forſitã,

quo etiam inter eleemosynas & virtutes salus proponitur dubia à Propheta. Quod notat Saluianus lib. 1. ad Eccles. fatus, *Hoc ipsum, quod dicit forsitan, opem indicat, non fiduciam pollicetur.* Cur misericordi non fiduciam pollicetur? Cur peccata sua flenti, & eleemosynis redimenti ingerit dubium de salute acquirenda? Sanè nimis serò hæc agebantur, ante enim rex in somnis turbatus erat, antè præcisionem regni viderat, ante se gladio dari audierat. Pergat Saluianus inquiens. *Ex quo intelligi potest, quam difficile iam in extremis constituti peccatores, qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam peruenire possint: quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere non ausus est promerendam, dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu; hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit.* Hæc ille & pulchrè & verè; dubia est salus, quæ non quæritur, nisi post turbationem mortis, nisi post commotum vitæ flumen. Dubiam dixi, quia scio vnum latronem saluatum: at alijs desperata esset salus illa. Etenim Oseas 5. ait. *Et vidit Ephrain langorem suum, & Iudas vinculum suum, & abyit Ephrain ad Assur, & misit ad regem vltorem, & ipse non poterit sanare eos.* Prius se vinculis constrictos viderunt, quam auxilij petendi meminissent. Quid plura? ipse non poterit sanare eos, ipse rex regum, ipse Dominus peccatorum vltor, non poterit illis salutem dare, sed qualiter qui omni potès est, non poterit? Auctor apud D. Hieron. inquit; *Quod sanare non possit Dominus nequaquam sua imbecillitate, sed eorum merito, qui sero auxilium postulauerunt.* Quid mirum, si nullus aut rarus salutem recipiant, si illam non quærunt, nisi post mortis conturbationem, postquam sese rudentibus inferni iam trahi experiuntur. Putat D. Alcimus quod ipse Pharao cum se marinis fluctibus circumseptum videret, cognouerit stultitiam suam a Deo meritò puniri: sed quid illi profuit illa cognitio, tam sera, tot concurrentibus fluctibus, tot lethi vicini spectris interrupta? Vnde sapienter ille monet lib. 5. de transitu maris rubri.

Saluian.

Idem.

Oseas 5.

Hieron.

Alcim.

O si compunctas humana superbia mentes
Ante obitum mutare, nec expectare suprema
Fata velit, quanto infelix felicior esset!
Pœnitet ambigue, quem sero pœnitet.

Ambigua satis & dubia, & minime secura pœnitentia, quæ sero extorquetur.

§. X.

Quam rari sanctitatem adipiscuntur ex his, qui sese immergunt curis sæcularibus.

VIDERES forsitan plures ad piscinam descendisse, turbatisque obrui aquis, vnumque solum extulisse caput sanitate lætatum. Eu, doluisses tunc eorum vicem, qui sese implicant, & mergunt curis sæcularibus: equidem aiebat Iob, *Gigantes gemuni sub aquis*, vix est vnus ex his, quos obruit mundana vnda, quos non stimulet gemitus, & dolor, quibus non difficilima maneat salus. Apostolus 1. ad Corinth. 7. ait. *Innupta cogitat, quæ Dei sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt huius mundi, quomodo placeat viro.* Quibus in verbis illud maximè notandum est, quod cogitationem huius mundi nulla sequatur sanctitas, etenim definit Apostolus de ea, quæ Deum cogitat, quod est sancta corpore & spiritu: at, quæ mundum cogitat, quæ curis immergitur sæcularibus, quam pertinget sanctitatem? De ea silet mysterio Apostolus, id quod ponderat S. Sixtus Papa epist. de Castit. fatus. *Innupta cogitando quæ Dei sunt, virinsque substantiæ sanctitatem dedit, & corpore & spiritu. Nupta verò solius mundi solicitudinem, & vt marito placeat, dispersauit; de sanctitate vtrinsque partus penitus siluit. Subtiliter enim Apostolus videtur diffidere, quod reticet.* Adeò rarum est, quod vlla sanctitas obtingat his, qui curis sæcularibus merguntur. Diffidit equidem Apostolus quod reticet: quasi diffidit sanctam euadere mentem, quæ cogitat, quæ mundi sunt, mundialibusque curis est occupata, & ideo de huius sanctitate omnino tacet. Metuo, ne mundialibus curis coniunctior sit culpa, quam sanctitas. Quippè Ecclesiasticus cap. 11. Sic monet. *Fili, ne in multis sint actus tui; & si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Innatum est mundialium bonorum sollicitudini suffocare verbum Dei, imò culpas & defectus contrahere. Et scire cupis, quam sit annexa culpa curis sæcularibus? Expende structuram orationis Dominicę, qua sic à Domino iubemur postulare. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Dimitte nobis debita nostra.* Adhuc panè peris, & iã solicitus es, quod remittãtur debita, q̃ dimittantur peccata, quasi non liceat vel ad hæc temporalia bona respicere, quin sentiamus laqueos peccati, à quibus curemus liberari, ne bonis

1. Corin. 7.

Sixtus.

Eccle. 11.

ne bonis his ad macellum aptari videamur. Id quod acutè expendens Tertul. de orat. Dominica fatur. *Conſequens erat, vt obſeruata Dei libertate in poſtulato pane etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderũt, ſi illis reputamur reuera quaſi taurus ad victimam?* Etiam quid efficiunt bona temporalia, ad macellum præparant, quod ſolum euadit, qui ſimul vna manu panem curat accipere, & altera iam tundit pectus poſtulans à Deo remiſsionem peccati. Et quis eſt hic? Pulchrè Eccleſiaſticus 3. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic?* Rarus eſt qui hoc facit, vnus e mille eſt, & adhuc penè ignoratus. Ita D. Amb. lib. de Nabuthe cap. 13. *Quaſi is cognitus eſſe non poſſit, eum ſibi deſiderat demonſtrari, aiens. Quis eſt hic?* Non vulgaris eſt homo, ſed rarus, ſed vnus è multis, ſoli Deo notus, qui à mundialium bonorum fluctibus incolumis euadat.

Tertul. Eccle. 3. Amb.

§. XI.

Peccatorum adunatio difficulter expungitur, illam tamen Chriſti virtus euertit.

NE tribuas Sanatoris impotentiæ, quòd vnus ſanabatur, immò ibi ſumma Chriſti Domini potentia exprimebatur & virtus, quando generis humani vnitum peccatum à mundo eliminauit. Huc ſpectabat vnius ſalus, quo nullum Chriſtiferæ virtutis potuit exemplum figurari viuidius. Ecce clariſsimũ teſtimonium de Chriſto apud Ioannem cap. 1. vbi ſic, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Proh Deus immortalis! mundus ſcatebat peccatis, quid magnum dicitur de Chriſto Domino, quod tollat peccatum? non maius eſſet, ſi diceretur tollere peccata mundi? Eleganter reſpondit D. Cyprianus lib. de duplici mart. inquiens: *plus eſt tollere peccatũ, quam peccata: & peccatum non huius, aut illius, ſed mundi.* Et ſanè omne regnum diuiſum deſolabitur, vnitas verò etiam peccati firmiùs hæret, intimiùs figitur, difficiliùs expugnatur. Gen. 11. de illis, qui turrim ædificare volebant poſt dilubium, dicit Dominus. *Ecce vnus eſt populus, & vnum eſt labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Inde hominum obfirmatio in malum, ſine reſipiſcentia cauebatur, quia populus erat vnus, & vnum erat omnibus labium. Quis enim diſſolueret facinus tanta concordia firmatum? Quis adeò vnum peccatum exterminabit? Iã vocat Dominus peccati iſtius peremptorem aiens: *Venite igitur, deſcendamus & confundamus ibi linguas eorum.* Sed ſcire cupis, cui dicat Dominus, venite? Procopius, & Gloſſa Græca, & alij plures, quibus non repugnat Auguſt. lib. 16. de ciuit. cap. 6. putant ibi filium Dei à patre fuiſſe vocatum, & quidem rectè, vt qui aſſumpta carne humana, expugnaturus erat vniuerſas vires peccati, etiam de vnitatis munime confirmati. Pulchrè D. Proſper. lib. 2. de vocatione Gent. cap. 14. *Quam mirabiles erga cohibendam hanc inſolentiam fuit diuinæ cenſura iuſtitiæ. Quæ vnam illorum populorũ loquelam ſeptuaginta duarum linguarum varietate confudit, vt inter diſſonas voces operantiũ pereunte concordia inſanæ molitionis machina ſolueretur. In iſto autem opere prouidentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Chriſtianæ.* Et meritò ibi aduati populi ſcelus curabatur, gratia illuſcebat Chriſtiana, cuius virtus vnitum mundi peccatum valuit eliminare: Nulla peccatorum concordia, nulla adunatio eſt, quam non ſuperet Chriſti gratia Pſal. 2. *Quare fremuerũt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Quid tunc Dominus? Quando ſic peccatores furiunt, quando ſic adunantur aduerſus Deum, poterit gratia Chriſti locum inuenire, vnde illis medeatur? Iam dicit Pſaltes. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Populi furiunt, populi in vnũ conueniunt aduerſum me, ait Dominus, ego autẽ illorum rex conſtituor, illos ſub meis recipio alis, & legibus traho. Quid Chriſto Domino dignius? Præclarè D. Leo ſer. 11. de Paſſ. ait: *Furit in vnum populus, & miſeretur omnium Chriſtus.* Ea eſt Chriſti miſericordia, quam non effugit vlla peccatorum advnatio.

Ioan. 1. Cyprian. Gen. 11. Præcop. Gloſſa. Proſper. Pſalm. 2. Leo.

Text. Erat autem homo ibi triginta & octo annos habens in in firmitate ſua.

§. XII.

Tollit Deus ærumnas ab his, qui earum hũcra neſciunt facere.

NON ſatis laudatus eſt languidus hic ab Eutimio, & alijs, quòd longiſsima infirmitate correptus, patienter, & inoffenſè perſeuerauerit à Deo expectans ſanitatem. Vis videre patientiſsimi hominis præclarũ exemplar? Mirare hunc, qui interrogatus an ſanari vellet; vt põderat Theophylactus, *nil blaſphemũ reſpondit, non arguit Chriſtũ, vt ſtultam interrogatio-* Theophyl.

rogationem interrogantem, ſed manſuete & placide reſponſum dat. O nobilem vitæ æternæ negotiatorem? O ſtrenuum virum etiam de ærumnis diteſcentem? His equidem ærumnarum credit Dominus talentum, qui ſic negotiantur, & lucra faciunt cum illo. Componite modo duos interſe ſanctiſsimos viros Petrum & Paulum, vterque in carcerem conijcitur, vterque vinculis ferreis alligatur, Petrus Actorum cap. 12. dum in carcere dormit, ex-
Actor. 12. citatur ab Angelo, & à vinculis eripitur. Ait enim textus, *in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini aſtitit, & excitauit eum*, &c. Paulus autem cap. 16. coniectus in interiorem carcerem, & vinculis præpeditus, noctem orans, & Deo gratias agens tranſegit, quo in carcere per multos dies manſit, nec Deus feſtinauit illum eripere. Cur ita factum eſt? Cur Petrus ſtatim liberatur à Deo, &
Chryſoſt. Paulus tandiu in vinculis relinquitur. Pulchrè rationem reddit D. Chryſoſt. Hom. 26. in Acta dicens. *Illic Paulus hymnos dicit, hic autem Petrus dormit.* Non dormienti, ſed negotianti credit Deus ærumnarum talentum diues. liberat Petrum vbi catenarum talētum ſomno ſepeliri vidit, vbi infirmitatum lucrum ceſſare notauit. Linquit in vinculis Paulum diutiùs commorari, quia vidit illum negotiantem, gratiaſque agentem. Ex quo languidi præconium maximum æſtima, cui Deus triginta & octo annos credidit ærumnarum, quibus non dormiebat ipſe, ſed negociabatur, & diteſcebat in dies. Non iam miraberis pijſſimi Tobiæ tentationem: is enim poſt proximi ſepulturam defatigatus extra domum ſe ſomno dedit, & incurrit cæcitatem. Dormiebat ſanè ante tentationem, at poſtquam tentationem incurrit, non iam ſomno, ſed ſolicitus nūdinator ſe laudibus diuinis tradit, ne acceptum tētationis talentum otioſum habeat, ſed mirum in modum augeat. Ait enim cap.
Tob. 2. 2. *Non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* O felicem nundinatorem, qui de accepta tentatione tantum nouit lucrum facere.
Cyprian. D. Cypr. lib. de mortalitate ait. *Et Tobias poſt opera magnifica cæcitatem luminum paſſus, timens & benedicens Deum per ipſam corporis ſui cladem creuit ad laudem.* Bonus negotiator nouit nullam præterire occaſionem augendi virtutum ſubſtantiam. Hinc explico illa ver-
Tobiæ 12. ba Angeli Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Expende illud, *neceſſe fuit*, quippe cum tentationum talentum tradere Dominus conſueuerit illis amicis ſuis, qui illo negotiari rectè noſcunt; inde neceſſum erat illud talētum tradi à Deo negotiatori tanto, nimirum, Tobiæ. De quo Auctor quæſtionum ex vtroque teſtamento quæſt. 119. ait. *Vnde quorumdam decretio minuitur, inde augmentum facit laude dignus Tobias.* Cur non neceſſum fuerit dari huic tentationum talentum?

§. XIII.

Aerumnarum dies integri, et completi apud Deum ſunt.

ECCE quàm exactè & integrè numerentur infirmitatis anni, ait enim triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Verum Saul, qui quadraginta annis fuit in ſolio regni Iſrael, dicitur. 1. Reg. 13. *Duobus annis* *1. Reg. 13.* *regnauit ſuper Iſrael.* Cæteris omnibus oblitioni traditis. Ex quadraginta enim regni annis vix duo permanent apud Deum, triginta & octo euanent; at ex annis ærumnarum & laborum omnes integri & conſtantes apud Deum numerantur. Notanter dicebat Paulus ad Philemonem, *cum ſis talis, vt Paulus* *Ad Phil.* *ſenex, nunc autem & vinctus Chriſti.* Tunc enim ætatis ſuæ longæuitatem audet numerare, cum patitur vincula & carceres pro Domino ſuo. Id quod notans D. Amb. in Pſalm. 35. *Amb.* inquit. *Ibi ſe ſenem eſſe gloriatus eſt, vbi iam in vinculis tenebatur.* Plenam ætatem, plenos annos vitæ ſuæ confidit, quando ſe in vinculis videt; ærumnarum enim dies pleni & integri habentur in cenſu diuino. Sic Ioan. 21. ait Dominus ad Petrum: *Cum eras iunior cingebas* *Ioan. 21.* *te, & ambulabas, vbi volebas: cum autem ſenueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Ecce tibi venerabilis Petri ſenectus, & dierum plenitudo vnde cenſetur, nimirum ex vinculis, ex laboribus, ex cruce. Similiter D. Amb. in Pſalm. 36. ait. *Amb.* *Ante certamen iunior dicitur, in certamine ſenex, quod omne certamen impleuerit.* Equidem ærumnarum certamina dant homini completos dies, vt ætas ſenectutis perfectiſsimæ ſit labor, & ſudor, & infirmitas, qua in mundi ſtadio homo probatur. De Abrahamo dicitur Gen. 25. *Deficiens mortuus eſt in ſenectute* *Gen. 25.* *bona, prouectaque ætatis, & plenus dierum.* Illud verbum, *deficiens*, putat D. Hiero. in Cat. Lyppom. malè fuiſſe additū à Septuag. quia tanto viro non videtur conuenire vllus defectus, cūius anni non poſſent deficere, vt qui in ſenectute bona, ideſt perfecta & completa defunctus eſt. Sed tanti Doctoris venia crediderim illud *deficiens* fuiſſe poſitum, vt fundamentum ſequentis elogij, nimirum quod

mortuus

mortuus sit plenus dierum & in senectute bona. Etenim ideo dicitur deficiens mortuus fuisse, quia infirmitatis labore ad mortē peruenit, infirmitas autem & labor, etsi minuāt corporales vires, dies complent, senectutemque omnino perfectam & bonam efficiunt. Ita Richar. victorinus de differentia sacrificij Rich. vict. Habr. & Mar. fatur. *Senectus bona quando exterior sensus decrescit; interior verò excrescit. Senectus bona quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo infirmatur.* Ecce tibi ætas senectutis, & plenitudo dierum est infirmitatis labor. Ab hac sententia stat Sap. 4. Cap. 4. *Consumatus in breui expleuit tempora multa.* vbi Vatablus legit. *Defunctus paucis longa impleuit tempora.* Et qualiter defunctus paucis potest longa implere tempora? Non ne mors potius absumit tempora, consummit aureos annos, qualis ergo mors festinanter susceptа tempora longa implet? Non hic de qualibet morte loquitur, sed de morte, quam in fidei & virtutis stadio Martyres subeunt. Sanè laborantibus Martyribus ipsa laniena, ipsa mors immatura longissimas annorum ætates implet. Vt pulchrè dicat Rabanus apud Hugonem: Raban. *Ipsa mors fuit eis ætas annosa, quæ eis peperit vitam æternam.* Quid magnum, quod ærumnarum dies completi sint, quando ipsa mors ætas annosa est viris iustis? Et sanctus Iob, 2. Iob, cap. 2. recolens pristina felicitatis suæ tempora, vt mavult D. Thom. ait. *Sic & ego habui menses vacuos*, quasi ad solam tribulationem, & labores sequatur dierum plenitudo; vt Psal. 90. Psalm. 90. *Clamauit ad me, & ego exaudiā eum; eum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum.* Prior à tribulato exit clamor, deinde lōgitudo, & plenitudo dierum adest.

§. XIV.

Id solum te habere reputa, quod ex laboribus et ærumnis habes.

NOTANTER dicit textus de languido hoc, *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, quasi id quisque solum habere certo æstimetur, quod ex ærumnis habet. Porrò nil magis hosti nostro cordi est, quàm si nobis dies eripiat, namque Exod. cap. 5. dicebant Hebræi ad Pharaonem, Dominus præcepit nobis, Exod. 5. *vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus.* Rex autem per plagas aliquanto mollior factus permittebat, quod sacrificarent in ciuitate sua, & illis instantibus de itinere trium dierum, tandē ait Exod. 8. cap. 8. *Ego dimittam vobis, vt sacrificetis in deserto, verumtamen longè ne abeatis*, quasi de tribus illis diebus aliquid minuere conaretur. Quod ponderans Orig. Hom. 3. ait: *Hoc cupit impetrare, ne longius abeant, ne totum triduū proficiscantur, & dicit, ne longè abeatis. Non vult longe à se fieri populum Dei: non vult totum à se triduum proficiscantur. Vult in nobis vel vnum diem suum habere, in alijs duos, in alijs totum triduum ipse possidet.* Ecce quanto studio curat hostis habere sibi nostros dies, & nobis aut plures, aut vnum saltem eripere. O te fœlicem, qui nullum diem tuum amisisti, qui triginta & octo annos habes in infirmitate tua. Et sanè ideò habes integros dies, quia in infirmitate habes, solum enim securè habetur, quod ab infirmitate, quod ab ærumnis custoditur. Mirabar Iobum omnibus spoliatum bonis, in sterquilinio positum sic clamantē cap. 29. Iob 29. *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meū, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Expende illud, pelle mea, in carne mea, & oculi mei; etenim mirabile est, quod omnibus spoliatus, tot sua adhuc numeret. Nec non & de quolibet iusto post ærumnas dicitur Psal. 90. *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Vtrumque locum ponderans Ber. serm. 8. in Psalm. qui habitat, sic fatur. *Considerandum* Bern. *attentius quod Iob ait, oculi mei, sicut in Psalmo oculis tuis considerabis. Numquid enim mei esse oculi nunc videntur? Planè non mei. Occupauit membra omnia lex peccati, liberè intrabat mors per fenestras, cuius nimirum factus eram seruus etiam ego ipse.* Vnde ergo tanta præsumptio, vt dicantur oculi mei? Vnde oculorum possessor dicar? Venundata sunt omnia sub peccato, quis me habere, possidere ve oculos credat? Pulchrè ipse Ber. rationem attingit, fatus. *Non simpliciter oculis, sed oculis, ait, tuis considerabis: istis vtique qui nunc langueni præinopia; ipsis plane qui totis interim fluunt lachrymis, ac crebris compunctionibus atterunter.* Ecce quæ bona certo habeas, quorum possessor sias, quæ verè tua sunt, nimirum quæ langor, quæ infirmitas, quæ dolor tibi permittit. Id solum tibi seruatur inamissibile, quod custodiunt ærumnæ. Merito quis dubitari posset, cur populus Israeliticus post trāsitum maris rubri non statim numerati sunt, certosque in cathalogos deducti? Cuius rei causam assignat Orig. Hom. 1. in Num. dicens. *Sed,* Orig. *nec cum mare rubrum transiens venit ad desertum, dicitur numerari. Nondum enim tentati, nondum ab hoste fuerant impugnati.* Nullus censebatur haberi à Dei populo, quem nondum probauerat tentatio, quem non exagitauerat labor hostilis, & ærumna. Notanter de Iesu

locutus Lucas cap. 2. inquit. *Iesus autem proficiebat sapientia, & ætate.* Et quis est autē, qui potius non deficiat, quā proficiat ętate? Quos vixisti annos, eos minus habes, & Iesus meus ætate proficit, omnes dies suos habet integros. Quod expēdebat S. Dionis. Alex. epist. contra Paulum Samos. aiens. *Non enim accessio horarum, aut annorum est accretio vllius hominis, sed potius quotidie deficit. Puer autem Iesus Deus Israel, Deus est idem ipse, & anni eius non deficient.* Et qualiter deficerent anni, quos continua crux, & tentatio custodiebant? Vt solus Iesus à conceptionis suæ puncto nesciuit à passione, & gemitu vacare, sic solus Iesus semper omnes dies, & horas vitæ perfectè suas habuit: vt de hora passionis dicitur Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius.* Qui non habebat, vbi caput suum reclinaret, non potuit non habere, & æstimare vt suum, quod tot infirmitatibus, & ærumnis comparauerat. Hinc bonus ille senex, vbi Israelis consolationem, & manibus, & corde accepit, statim cecinit Lucæ. 2. *Nunc dimittis seruum tuum in pace.* Expende illud, *seruum tuum*, quasi iam se alienum reputat, quasi nihil inse suum inde videt. Et cur se reputat alienum, & non suum? Sane finita videt suspiria, quibus quotidie ad Deum clamabat; finitas videt dolentes illas voces, & se totum lætitiæ immersum, indeq; non amplius suus, sed totus æstimatur Dei esse. Id quod innuit D. Methodius explanans dicta verba his verbis: *Hinc bonus ille senex totus in lætitia: non amplius suus, sed totus eius, qui ab ipso sperabatur.* Vide illud, nō amplius suus, vbi non enim res in lætitia erāt, vbi pro gemitibus gaudia successerant, non amplius suus, quasi ex ærumnis, & laboribus haberet, quidquid suum habebat.

Luc. 2. Dion. Alex. Ioan. 13. Luc. 2. Method.

§. XV.

Huius vitæ ærumnæ diuisim, & paulatim accidunt: illarum præmia non sic.

ECCE magnum infirmitatum leuamē, triginta, & octo annos, ait, habens in infirmitate sua: per tot annos diuisa infirmitas, per tot dies doloris malitia dispertita, haud dubium quin tolerabilis sit. Si tot annorum dolor simul iunctus inuaderet, quis sustineret? Quæ illi non succumberet vita? Vnde monebat Dominus Matth. 6. *Nolite solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit enim diei malitia sua.* Quasi prę ueniat suos, ne plurium dierum ærumnas simul, & in vno die sumant, sed dum sub hodierna ærumna sunt, nil cogitent de crastina; sufficiat vnius diei ærumnā, dum hæc est, non addatur, quam venturus dies afferet. Intolerabilis fiet multorum dierum malitia simul sumpta: At vt eius minor, & tolerabilis sit impetus, quasi in frustra diuiditur, & per momēta plura attenuatur in vitam. Liceat modo noui ter eliquare vobis illud Paulianum satis tritum 2. ad Cor. 4. vbi sic. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Fallor, nisi hic lateat aliquod Philosophicum de continuo rerum mundialium motu: quod enim per continuum motū habetur, nunquam integre possidetur, sed tātum est secundum aliquid sui; vel si mauis iuxta Zenonis ingenium cūtinua omnia per indiuisibilia, vel momēta partiens; continuę, fluxæque rei nihil præsens habes, nisi momē taneum, adeo, vt per momenta amittas, & acquiras alia, & alia. Ex fluxis ergo nihil tibi aderit magnum, quando solum momentanea pars potest tibi adesse, & prius abire debeat vna, quam alia veniat. Ecce tibi modo Pauli acumen, aiens, quod in præsenti est momentaneum tribulationis nostræ, hoc est, quod tribulatio, quod infirmitas huius vitæ adeo diuisa, & paulatim venit nobis, vt per minutissimas, & momentaneas particulas adueniat. Quidquid infirmitatis in præsenti habes momentaneum est, id quod præterit momento, vt aliud veniat, nunquam simul habes doloris totum, sed diuisim per momentaneas particulas. At doloris, & infirmitatum præmiū æternum est, hoc est, iuxta Boetij æternitatis definitionem, totum simul, & perfectè possidetur. Huc me D. Ber. minatur ser. de Fallacia præsentis vitæ, vbi explicans illud tribulationis momentaneum, & præmij æternum, ait. *Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit: in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis. Flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet. Æternum, inquit, gloriæ pondus.* Sane tranfit cum tempore res temporalis, manet cū æternitate res æterna, hæc tota simul perfectè habetur, & possidetur; illa per minutias diuisa, & per plurima annorum liquata momenta guttatim subitur, & transit. Compone modo rursus istum infirmitatis censum: ait enim, triginta & octo annos habens in infirmitate sua: cum alio remunerationis censu à D. Paul. 2. ad Tim. 4. prolato, vbi ait. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Quid sibi vult tot annorum labor, & vna dies coronæ? Dixerim in multitudine annorum, infirmitatum significari leuamen, & attenuationem in vnius diei corona ingen-

Matth. 6. 2. Cor. 7. Ber. 2. ad Tim. 4

ingentem gloriæ possessionem demonstrari.

Bernard. Accipite D. Ber. vbi supra dicentem. *Quid tibi dies, & annos numeras? transit hora, transit, & pœna, nec accedunt sibi, sed potius succedunt. Sufficit enim nunc cuique diei malitia sua, nec laborem suum poterit reseruare sequenti, sed omnium merces laborum in vna illa die reddetur, cui altera nō succedit. Reposita est mihi, ait, corona iustitiæ, quam reddet mihi, non in illis, sed in illum diem iustus iudex.* Ecce quam guttatim, quā diuisim per minutias multorum annorum tē poralis pœna subitur; quam integre, quam pleno ore, quam iunctim remunerationem posſi demus, non per plures dies diuisam, sed simul ęternè habitam. Compone iterum pœnam tē poralem Israelitis ab Osea propositam, & felicitatem iustis à Zacharia decantatā. Oseas

Oseas 5. enim cap. 5. ait. *Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis.* Quid est deuorabit eos mensis? Non ne plurium annorum sustinuere miseri calamitates? Nonne pœne æuiternos hostiles incursus passi sunt? Cur solum ait, deuorabit eos mensis? Sane diuturnæ erant prælio-rum calamitates aduersus Israel, sed tamen sic diuisæ veniebant, vt non viderentur vnquam excedere vnius mensis calamitatem, ait D.

Hieron. Hieron. *Per singulos menses hostis aduenit, & cuncta vastabit.* Totus certaminis impetus & finietur, & instaurabitur singulis mensibus, & calamitas, quasi ardētissima potio, per plures hausſtus diu isa temperabitur. Non sic felici-

Zachar. tas iustorum, de qua Zacharias 14. ait. *Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux.* Non erit dierum numerus, vt fiant hebdomadæ, aut menses, aut anni, sed vna simplex, & indiuisa lux omnium plena bonorum. Vbi nihil præteritum euaneat, neque futurū speretur, & omniū simul perfectissima possessio detur. D. Ephræ.

Ephræ. de Pœnit. *Quis igitur vsus amplius rerum temporalium in statu illo sempiterno? Quis annorum numerus in æternitate temporis erit? Quomodo porro erunt anni: quando nullæ erunt noctes? Aut hebdomadarum numerus, cū menses nō fuerint? Nam vnum habet diem sæculum futurum. Aitque Propheta: non erit nox, neque dies; sed vesperi erit lux.* Felix, qui per amaritudinum sorbitiunculas comparat sibi interminabilem

Psalm. 89. vitæ salutem! Dauid Psal. 89. ait: *Et exultauimus: & iucundati sumus in omnibus diebus nostris.* Hoc est in die illo, in quo nobis omnes simul dies veniunt. Vbi enim disiūcti veniūt,

Augustī. non est plena iucunditas. Aug. *Dies ille, dies est sine fine. Simul sunt illi omnes dies, ideo sat iant. Non enim succedentibus cedunt, vbi nō est aliud, quod non veniendo non dum sit, & veniendo iam sit. Omnes simul sunt, quia vnus est qui stat, & nō transit, ipsa est æternitas.* Hæc ibi, & alia pulchra.

§. XVI.

Venturi æui pœna tota simul miseros diuexat.

VIDISTI temporalis pœnæ solatium aliquale, quod per plures annos suum amarore diuidit, & attēperetur per plures, breuesque hausſtus diuisa. Quod leuamen in suis laboribus notabat sponsa Cant. 3. *In lectulo* Cant. 3. *meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Gillib. Expende illud, *per noctes*, quod notans Gilliber. Abb. ser. 1. in cant. ait. *Per noctes, inquit, multæ sunt noctes eius, non est vna ex illis ingis, & cōtinua.* Deuisæ equidem dantur in hac vita calamitates, multæ nos premūt noctes, quia singulis horis minuitur, & deperditur aliquid de ærumna. Miseri illi, quos vna ingis, & æterna premit nox, quos nulla pœna præterit, sed omnes dolores simul præsentissimi sunt, & iuncti simul afficiunt. Longę ærumnam, dum clausus tenebatur in ventre lethi, ponderans D. Alcimus lib. 4. sic ait apud Francisci Ireneti Alcimus. notas in Tertul.

Inuasusque cibus ieiuna vixit in aluo.
Dum tres luce dies, vna subnocte Prophetæ
Sol ageret.

Et quidem rectè expenditur Prophetæ labor, quem vna nox trierum dierum malitias complectēs diuexebat in piscis aluo. Quis ergo dicat damnatorum tormenta, quos vna ingis, & perpetua nox infinitorum annorū malitias simul continens, mandit? Nullius diei malitia præterit, sed simul omnes sunt inferētes misero damnato malum. Ex quo poderanda sunt illa D. Pauli ad Rom. verba cap. 2. *Se-*

cundum autem duritiam tuam, & impœnitens Roman. 2. *cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Mirabar sępe, quod Apostolus, vt exaggeret ingentes irę thesauros à peccatoribus acquisitos, solum dicat, thesaurizas tibi iram in die iræ. Qualis est thesaurus, qui vnico die exhauritur? Vna dies quomodo tantam multitudinem rerum prætendet, quæ faciant thesaurum? Aliter thesauros suos exaggerabat ille diues, apud Lucā Lucæ 12. 12. dicēs. *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ; Anima habes multa bona posita in annos plurimos.* Vter maior thesaurus, qui in annos plurimos, aut qui in vnam diem asseruatur? Impius thesaurizat bona in annos plurimos, & thesaurizat iram in die iræ, non ne felicior est ex thesauris, qui ad plures annos, quam infelicior ex thesauro, qui in die vna, etsi iræ sit, & calamitatis? Absit, imo ex inde decrescit felici-

tas im-

tas impiorum, quod eorum bonorum thesauri ad plurimos annos sint, nec valeat simul haberi, simulque suos possessores oblectare: sed necessaria est aliorum bonorum perditio, vt alia succedant. Et exinde accrescit vehementer impiorum labor, quod iterum, & dolorũ thesauri simul in vna die sint, in qua nulla malorum successio, nulla diminutio, sed tota malorum congregatio in defectibus premat, & affligat damnatos. Huc spectat D. Ephræm. de Pœnit. *Statuit Deus diem, qua iudicaturus est orbem terrarum in iustitia: non dies multos, sed vnum. Sanctis vna dies est, aeterna lucis fruitio, & peccatoribus vna nox aeterna custodia, & carcer: Ideo Iesus dicit: Ibant hi in vitam aeternam: iniqui autem in supplicium aeternum.* Nihil mali voluit Deus abesse ab impijs, & nihil boni á pijs, quando non in pluribus diebus, sed in vna die, & iræ, & misertcordiæ claudit thesauros, vt sicut interminabilis lucis tota simul, & perfecta possessio iustos beat, sic peccatores vna, & tota simul, & iuncta diuexet malorum congregatio: Vna illos affligat nox infinitos annos dolorum simul claudens. De hoc infra lib. 12. cap. 4. §. 3.

Ephr.

Text. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Dicit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum enim venio ego, alius ante me descendit.

§. XVII.

Ea sit cura præcipua laborantibus, vt peccatum tollant ab anima, ni velint omnia remedia frustrari.

ERAT tota causa infirmitatis huius peccatũ, vt ostendit Iesus infra dicẽs. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat,* dũ ergo peccatũ nõ remouebatur, frustra languidus tot aquæ motus expectabat. Quid iuuat mouere omnia, tẽtari omnia, vbi solũ peccatũ in quo tota erat causa mali, quietũ, & immobile manebat in anima? Ionæ cap. 1. *Dominus misit ventũ magnũ in mare: & facta est tẽpestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Sed quid sit à nautis in tanto hoc periculo, & iactatione nauis? Quid sit in naui hac vt possit saluari? *Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deũ suũ, & miserunt vasa, quæ erãt in naui: & Ionas descendit in inferiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Ecce vobis irritus nautarũ labor: Ionas, qui auctor erat tẽpestati, cubabat quietus, somno stertebat, à nemine inquietabatur, sed potius illo relicto curritur ad preces, curritur ad effusionẽ bonorũ in mare. Proh nautarũ ignorãtia! Quid prodest omnia mouere pro salute, si immotũ seruatis authorẽ tẽpestatis? Pulchre D. Basil. scl. orat. 12. ait. *Quid his? Mare iactatur, & sortem in medio nominas, & auctorẽ tẽpestatis finis considere?* Hæc est peccatorum insciti, periclitatur illorũ salus, corpus crebris infirmitatum fluctibus iactatur, quæ dum sustinent, currunt ad sanctos currunt ad Deiparam, vota emittũt, medicos adhibent, remedia quærunt, pecunias effundunt, fagos vacuant, nullum non mouent lapidem sub dolore gementes, solum peccatũ totius mali authorem, & causam immotum, & prorsus intactũ relinquunt in fundo animæ. Quid mirum, si nihil lamenta vtilitatis afferant, si mali radix medullitus immota asseruatur? Mirabar ego Esau vehementem dolorẽ ob amissam benedictionẽ; quippe is Gen. 27. vbi se benedictione paterna vidit orbatũ, ad gemitus currit, ad lachrymas, ad preces. *Quippe irrugijt clamore magno, & consternatus ait. Benedic etiam, & mihi pater mi.* Rursus addit. *Nũ quid nõ reseruasti, & mihi benedictionẽ?* Insuper: *Num vnã tantũ benedictionẽ habes pater? Mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, &c.* Quæ salus tot lamentis, tot precibus non posset instaurari? Quæ ruina non possit reparari? Et tamen non reparatur Esau ruina, quia cũ totus currit ad preces, currit ad lachrymas, omnemque lapidẽ mouet, vt flectat patrẽ, sola immota relinquit cordis peccata, quæ prius remouere deberet, vt benedictionem cœlestem sibi traheret. D. Ephræm. de Pœnit. *Lacrymatus est Esau, non quia peccauit. Occupabat mẽtem malitia, & per solam linguã voluit benedictionẽ impetrari. Sed ista cur dico? Vt tu si amaritudinem in anima habeas, primũ eam radicitus euellas, & postea sic ad Deum accedas.* Id in primis tibi curandum est inqualibet calamitate, vt conscientiam euoluas, & peccatum remoueas, alioquim vane confugis ad vota, ad lachrymas; Vane effundis thesaurum, cœlumque tangis eiulatu. Apud Malachiam cap. 2. *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu, & mugitu, ita vt nõ respiciam vltra sacrificium, nec accipiam placabile, quid de manu vestra. Et dixistis: quam ob causam? Quid Dominus testificatus est inter te,*

Basil. scl.

Gen. 27.

Ephr.

Malach.

Ioan. 5.

&

& vxorem pubertatis ſuæ, quam tu deſpexiſti. Quid prodeſt ad lachrymas currere, ad aras euolare, ad ſacrificia, & nihil immotum relinquere, quando deſpectus vxoris Deum teſtẽ habet? Omnia ſanè irrita ſunt quæcumque facias, dum in medio cordis ſerues peccatum.

Micheæ. 6. Quo etiam reſpicit illud Micheæ cap. 6. *Ego cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis. Tu comedes & non ſaturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes, & non ſaluabis.* Ecce tibi perditio inſtat, & percuſsio, hinc inde hoſtes vrgent & fames: horum cauſa, nimirum peccatum in medio tui cordis eſt, tu autem peccatum in medio cordis præteriens, apprehendis arma, confugis ad remedia, ſed omnia tentas vane, non enim obtinebis ſanitatem. Non eſt hoc abſimile illis hominibus, qui cum habeant in medio ciuitatis hoſtes, illos prætereunt, & euolant ad arces, ad mœnia ciuitatis, vbi arripiunt arma, ignea fulgura, tela, & totum belli opus dirigunt in campos. Quando hi ſaluabunt ciuitatem? Quando hi victoria potientur?

§. XVIII.

In temporalibus pœnis aliquam æterni ſupplicii ſpeciem immittit aliquando Deus, vt nos cautiores reddat.

ECCE homo miſer in diuturniori morbo conſtitutus, omni auxilio penitus deſolatus, adeo vt inter triginta & octo annorum dolores, non haberet in quem reſpiceret, à quo aliquale auxilium ſperaret? Clariſsima ſanè imago eſt & repræſentatio ſupplicij poſt vitam hanc venturi, in quo eminent inter alia & dolorum diuturnitas, & omnimoda deſolatio. Sic Dominus aſſolet in pœnis temporalibus æterni ſupplicij ingerere ſpeciem aliqualem, qua nos reddat magis cautos. Ioan. 2.

Ioan. 2. Volens Dominus prophanatores templi caſtigare, dicitur feciſſe *quaſi flagellum de funiculis*, &c. Cur funiculos in flagellum aſſumpſit? Cur non potiùs fuſte aliquo vſus eſt? Sane funiculi repræſentabant laqueos illos æternos, quibus peccator ligatus pedes & manus mittendus eſt in tenebras exteriores, vt habet Matth. 2. Voluit igitur Dominus in ſupplicio temporali aliqualẽ æterni ſpeciem prætendere, cuius metu abſterrerentur homines à peccatis. Ita D. Auguſt. tract. 10. in Ioannem ait.

Auguſt. *Fecit flagellum de reſticulis, & ad hoc admonet eos, vt mutent ſe, & ne ſint negociatores: nã ſi ſe non mutauerint, audient in fine: ligate illis manus, & pedes, & proijcite in tenebras exteriores.* Videant peccatores in tẽporali flagello funes, ſiue rudentes inferni, quibus æternum conſtringendi ſunt, ni ſibi caueant. Ventura inferni vincula expaueant, dum ſe temporali vident affligi verbere peccatores. Pſalm. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos; ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Expende illud, *pars calicis eorum*: temporale enim flagellum, quo miſeri in præſenti affliguntur, pars quædam eſt illius æterni, quod poſt vitam manet. Quippe miſericors Deus partem ſeu guttulã æternæ amaritudinis peccatoribus propinat, vt aliqualem guſtum & ſaporem habeant æterni calicis, quo ſunt in inferno potandi. Huc ſpectabat D. Greg. lib. 15. in Iob. cap. 21. fatus: *Non totum calicem, ſed partem calicis dixit: quia eorum poſtio hic quotidie per dolores incipitur, ſed in vltione perpetua conſummatur.* Hic ſolum pars eſt calicis, ſolum datur guſtus & ſapor aliqualis æterni illius ſupplicij, quod in inferno expectat eos, qui illud non metuunt, nec expauent, dum ſuſtinent temporale. Nihil enim magis curat Deus in inferendis ſupplicijs, quam vt peccatores æterna illa, & ineuitabilia odorentur, & ſibi caueant Gen. 19. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo; & ſubuertit ciuitates has, & omnem circà regionem.* Cur ad igneam pluuiam recurrit Dominus? Nonne, vt mundum perderet Deus, cœlum manauit aquis, cur modo ad paucas vrbes perdendas maluit ignem à cœlo mitti, non aquas? Sanè modo partem æterni ſulphurei calicis propinabat vniuerſis peccatoribus, non vt inebriarentur ira diuina, ſed vt guſtarent aliquid de ſulphuris inferni flammis, & ab illis fugere procurarent. Id quod docebat Saluianus lib. 1. de Gubernatione Dei, fatus. *Dum cum iudicio malos perdidit Dominus, iam ad inſtar futuri iudicij iudicauit. Cum enim ad ſupplicium malorũ gehennam in futurum arſuram eſſe manifeſtum ſit, Sodomam, & vicinas eius vrbes cœleſti flamma conſumpſit. In præſenti autem illud, quod futurũ eſt, Deus voluit declarare iudicium, quando ſuper impium populum gehennam miſit è cœlo.* Et ſimul peccatores in præſenti caſtigabantur, & ſimul futuræ gehennæ ſpecies mundo explicabatur vt ſaporẽ haberent homines aliqualem ſupplicij illius, quod poſt vitam manet, cuius expanentes immenſum ardorem rectam vitã agerent, quaſe ab illius incendio liberarent.

Saluianus.

§. XIX.

Dilectis ſuis non ſinit Deus creaturas, quas reſpicere poſsint, et quibus fidant, ſed ipſe pro omnibus rebus adeſt.

QVIS credat per tã longum infirmitatis tempus non adfuiſſe hominẽ huic paralytico, à quo auxiliũ poſſet ſperare; niſi qui nouit Dei curã, & ſolicitudinem in remouendis

creaturis

creaturis, vt solus ipse pro omnibus apud dilectos suos, & adsit, & valeat? Is est Deus, qui nihil aliud à suis videri sinat præter se, se vbique præponens omnia omnibus factus. Quã
Psal. 138. Dei naturã expertus Dauid fatur Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sic à Deo præoccupamur, vt nihil aliud videre liceat prius quã Deũ. Quoquò tevertas, statim Deus, ipse in cœlo, ipse in terra, ipse in mari, ipse itineris socius, ipse in periculo adiutor, ipse in omnibus omnia, nõ dabit, vt videas
Græcus. aliũ. Accipite pulcherrima cõmẽtariahuius loci, quæ dedit author Græcus Nicolaus Cauasila lib. 1. de vita in Christo, fatus. *Saluator in ipso viuentibus sic semper, & omnimodis adest, vt ipsis sit omnia, nec aliò prorsus se vertere, nec aliunde quarere sinat. Et cum sit altor, simul est alimentum. Et ipse est qui panem vitæ dat, & vita est viuentibus, & vnguentum spirantibus, & vestimentum operiri cupientibus. Ipse est, per quẽ ambulare possumus, & ipsa via, in super, & terminus viæ, adeoque, & diuersoriũ. Membra nos sumus? Ipse caput. Certamus? Vnà certat. Præclare certamus? Præses, & arbiter est. Vincimus? Mox corona est. Sic vndecumque mentem nostrã*
Psal. *ad se ipsum aduertit, nec ad aliud patitur effundi, nec vllius rei amore implicari. Seu illuc eas, ibi est, seu alio, etiam aliam occupat, transeunteſq; manu comprehendit.* Si ascendero in cœlum, *inquit*, tu illic es, si descendero in infernũ, ades, si sumpsero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. *Coactu quodam ad mirando, & suaui Tyrannide ad se solum nos trahens, sibique copulans, & astringens.* Quid pulchrius? Sane studet Dominus facere, ne quid salutare tibi inuenias præter ipsum. Ipse vbique adest, omnia factus, imò homo factus, vt vndique cõueniat oculos tuos, & spes tuas, ne respiciant aliò. Senex ille felix Luc. 2. canebat. Nunc dimittis seruum
Luc. 2. tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciẽ omnium populorum.* Attende verba; parasti, inquit, salutare, hoc est, aptasti, carnẽ induisti, hominem fecisti ante faciem omnium populorum. Diceres Hispanicè: *Hizose Dios hombre para llevarse los ojos, y las esperanzas de todos. Para que no huviesse hombre aquien boluer los ojos.* Vt ad se mentes oculosque omnium raperet. Id quod attigit
Athan. D. Athanas. orat. de Incarnat. verbi fatus. *Ideo hominum amator Deus, & communis omnium Saluator corpus sibi assumpsit homo inter homines versaturus, vt hominum sensus præoccuparet. Vt homines humana sola cogitantes, quocũque suos sensus conferrent, ibi se anticipari, præoccuparique animaduerterint.* In id totum incumbit Dominus, vt solus ipse salutaris appareat, vt nemo alius spectari possit, in quo spes
Isai. 26. hominis innitatur. Isaias 26. *Vrbs fortitudinis nostræ, Saluator ponetur murus, & antemurale.* suffeciſſet quod Saluator murus poneretur. Cur etiam ponitur antemurale? Ne vnus quidem lapis sit præter ipsum, in quo humana spes nitatur, & non solum oculi septem iuxta Zachariam, sed vniuersi oculi sint super lapidem vnũ, qui verus Saluator est, & non alius præter eum. Inde omnem creaturarum fortitudinem, & auxilium euacuat, vt ipse solus spectetur, qui est vera Salus. Dan. 3. vbi
Dan. 3. missi sunt tres pueri in fornacem. *Flamma erupit, & incẽdit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem domini descendit cum Azaria, &c.* Supponendum est, quod hic An
Hypol. gelus erat ille magni consilij Angelus, qui iã tunc gentibus reuelabatur, iuxta D. Hipolyti commentaria, quod etiam confirmat ipse Nabuchodonosor aiens. *Video quatuor viros solutos: & species quarti similis filio Dei.* Quo posito notandum est, quod non prius se se videndum præbeat magnus hic salutis Angelus, quã flama Chaldæos consummat. Et quos Chal-
Hieron. dæos consummit flamma? Iam dicit Hiero. *Viri consumpti flama erant, de quibus supra dixerat. Et viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis pedibus Sidrach, Misael Abdenago mitterent eos infornacem ignis ardentis. Non ergo fortuito quoscumque ministros perdidit Nabuchodonosor, sed viros fortes de toto exercitu suo, & ad bella promptissimos.* Merito rex videt totam exercitus sui fortitudinem defeciſſe, vt rapiantur oculi eius advidendũ verum auctorem salutis. Nec aliter se reuelat Saluator, nisi prius euacuans omnem aliã virtutem, illamque suspectam reddens hominibus. Infensissimus Niniuitis Propheta Io-
Ion. 3. nas, illis suæ ciuitatis ruinam annuntiauit. Quid tunc Niniuitæ? Ionæ cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, &c.* Nullus in tota Niniue, qui Prophetam conueniat, nullus, est, qui vt in periculis solet fieri, ad Prophetæ pedes conuoluatur, qui Prophetæ verbum faciat, sed omnes, relicto Propheta, ad vnum Deum confugiunt. Cur ergo ad solum Deum respiciunt, nec de Prophetæ patrocinio curant? Sane Deus, qui se solũ respici â Niniuitis optabat, adeò in illos durum Prophetam immisit, vt ab illo fugientes nullum alium Saluatorẽ
Ephræm. præter Deum spectarent. Id quod insinuans D. Ephræm. in Ionam fatur. *Videbant Niniuitæ*

uitæ prophetam durum ac sauum: relictoque duro ad Deum misericordem confugerunt. Ea semper est Dei prouidentia, quæ creaturas omnes, aut imbecilles, aut duras, & asperas, in suos faciat, quo ipsi in vnum Deum currant, ab eiusque solius auxilio pendere valeant. Hinc docemur dicere in oratione Dominica: *Pater noster, qui es in cœlis.* Cur dicimus, qui es in cœlis? Vt abiuremus omne auxilium, quod mortales pertinaciter à stellis solent expectare. Sic enim hæret medullis hominum fixus error, quo bona sua stellis ferãt accepta, vt nolit Deus audire quemquam, qui prius non abiurauerit omne auxilium
D. Thom. creaturarum, etiam stellarum. Diu. Thomas opuscul. 3. capit. 7. *Sunt aliqui, qui res humanas fatali necessitati syderum subdunt. Vt igitur, nec hoc errantium fiducia obsit, dicimus: qui es in cœlis, tanquam motor, & gubernator eorum. Et sic per virtutem cœlestiũ corporum, auxilium, quod à Deo speramus, impediri non potest.* Sic infirmat Deus omnes auxiliatrices creaturas, sic studet stellarum fauores ab hominis remouere oculis, vt homo feratur in solum Saluatorem.
Malach. 3. Malach. 3. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, sanitas, in pennis eius.* Oritur enim nobis Saluator, vt salutaris Sol, quia ablegatis stellis, solus ipse ad se rapit oculos hominum. Vt Oriente Sole, nemo est, qui ad stellas aspiciat, sic oriente Christo, & stellæ, & quæ uis alia auxilia fallacia eripiuntur homini. Non ne Magos stella deduxit?
Tertul. Pulchrè Tertul. de Idol. *Ideò nunc, & Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? At scientia ista vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito, nemo exinde nativitatem alicuius de cœlo interpretetur.* Vanus es, impius es, qui ad stellas auxiliatrices respicis, vbi habes Christum, quem solum auxiliatorem respicias.

§. XX.

Omnia desunt, cui deest Iesus.

NON miror paralytice, quod hominem non habeas, non enim habes Iesum, etiam si iuxta te positus sit, inde iam consequens erat, quod nihil proficuum tibi haberes. Piscantibus vndecim discipulis, appropinquauit triumphator mortis Iesus, & ait illis
Ioan. 12. Ioan. 12. *Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt illi: Non.* Vbi eleganter
Chrysol. Chrysol. ser. 78. *Et quid haberent, qui Christum iam secum positum non habebant?* Dum astantem tibi Dominum non habes, omnia te fugient bona, nihil tibi proficuum aderit. Cuncta veniunt bona pariter cũ Dei sapientia, nec quicquam est, vbi nõ habetur Dei filius. Speculaturus puer Elie, an cœlestis nubes appareret, de Domini præcepto ascendit. 3. Reg. c. 18. Qui cum ascendisset, & speculatus esset, 3. Reg. 18.
ait, *Nõ est quicquam.* Vbi Ioan. Ieroſolimit. de instit. Monach. c. 33. inquit. *Quia nubecula illa, mater Iesu non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi; ideò puer dicit, Non est quicquã.* Quando enim non erat, ex qua Iesus esset, ex qua nobis filius Dei veniret, rectè dicitur, quod non est quicquam, nihil namq; est, cui non est Christus. Quocunq; versus oculos conieceris, nil boni inuenies, si Iesum non inuenias. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitq; Deus: Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, &c.* Donec ad lucem ventum est, nil bonum dicitur vidisse Dñs, cætera omnia potius præseferebant inanitatem, & vacuitatem, quia dum verus Patris splendor Iesus non apparet, nec quicquam bonum apparet, sed terra inanis, & vacua, & tenebræ super faciem aquarum. Eleganter D. Anast. Sinaita
D. Anast. lib. 1. Exame. *Si omnia, quæ fecit Deus, sunt valde bona, quo modo non dicit scriptura illas tenebras, quæ erant ante lucem, esse bonas? Sed neque aquas illas bonas, neque abyssum, quæ obscurabatur, bonam dicit. Dicens ergo: & vidit lucẽ, quod esset bona; ostendit, quod omnia illa, quæ venerunt ante veram lucem Iesum, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & terrã obscurarunt, demerserunt, & suffocarunt, non esse bona.* Quod sine Iesu venit, vanitas est, tenebræ sunt. Quod sine Iesu venit ruina est, & perditio, sub quã gemas misero suffixus grabato.

§. XXI.

A Iesu nemo discedit vacuus, si tamen ad illum iuerit.

ECCE communem miseriam illorũ, qui cum creaturis negotiantur, non cũ Deo. *Dum enim, ait, venio ego, alius ante me descendit,* si vel vnus te præueniat, exhaurit totam substantiam, quam tu sperabas, si serus accedas, laborem perdis itineris, & redis vacuus præuentus ab alio. Non sic in Christiano stadio, si cum Iesu negotieris, etsi multi alij præueniant, & Christi fores præoccupent, & tu iam serus accedas, si tamen accedas, non redibis vacuus. Ioannis 19. vbi felicissimi illi viri memorantur, qui corpus Iesu obtinuerunt, illudque sepulturæ mandarũt, dicitur. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat*
Ioan. 19.

nerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam
Ioan. 3. myrrhæ, &c. Habes ex capit. 3. Ioannis, quod Nicodemus ad ſcholam Ieſu nocte acceſſerit, quod in præſenti non ſine myſterio voluit Ioannes meminiſſe, quando Nicodemus dicebatur adeò felix, vt ipſe præ omnibus Apoſtolis mereretur accipere corpus Ieſu, illudq; mandare ſepulturæ. Sed cur, vbi tam ingens beneficium accipit Nicodemus, eius occultus, & ſerus ad Ieſum acceſſus notatur? Dicit Ioan. venit, & Nicodemus, quia venerat ad Ieſum nocte primum; quid neceſſum fuit hoc exprimere? Merito id notat Ioannes, vt inde exprimat felicitatem illorum, qui ad Chriſtum accedunt; quantumuis enim ſeri, & tardi accedãt, non manebunt vacui. Vnde D.
Ambroſ. Ambroſ. lib. 2 3. in Lucam ait. *Veni, & tu vel ſero, vel nocte, vel quacumque hora: quandocumque veneris, inuenies Ieſum ad ſuſcipiendum paratum, nec minorem ſeruis venientibus mercedem, pia largitate ſoluentem.* Quis neget ingentia comparaſſe bona, qui Deo matutinus acceſſit? Qui primus faciem eius præoccupauit? Sed non ideò alij tardiores recedent vacui. Non exhauritur pietatis fons à primo accedente, etſi tardius, etſi ſerus, etſi poſt vniuerſos accedas, ſi tamen accedis, multum ha-
Cant. 1. bes, quod haurias. Cant. 1. *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua; exultabimus, & lætabimur in te.* Ecce tibi multæ currunt ad Chriſtum, multæ exultant, & lætantur, vna verò dicitur introducta in cellaria. Vndè hæc differentia, quod vni cellaria dentur, exultatio, & lætitia concedãtur alijs? Currebant omnes, ſed non omnes currebant æqualiter, vna, quæ cæteris præcucurrit, præoccupauit Domini cellaria, cæteræ ſerius accedunt, nulla tamen redit vacua, ſed omnes accipiunt, vndè poſ-
Orig. ſint lætari, & exultari. Do Orig. hom. 1. in Cant. ſantem. *Currunt ergo adoleſcentulæ poſt ipſum, & in odorem eius, vnaquæque tamen pro viribus; alia quidem velocius, alia paulò tardius, alia etiam inferius cæteris, & vltimo, alia primo loco. Verum tamen currunt omnes, ſed vna eſt perfecta, quæ curruit ſic, vt præueniret, & acciperet palmam. Sola eſt, quæ dixit, introduxit me Rex in cubiculum ſuum. De his autem adoleſcentulis, quæ poſt ipſam currunt, & procul ab ea in currendi ſpacijs remanſerant; dicitur. Adducentur regi virgines poſt eam, adducentur in lætitia, & exultatione.* Sic omnes, qui accedunt ad Chriſtum, etſi tardius, etſi ſerius, etſi omnium poſtremo accedant, habẽt quod accipiant.

§. XXII.

Vbi homo deficit, peculiari iure tenetur Deus prouidere.

MAGIS iuſtè, quam ſcienter langũidus hic Dominum conuenit de defectu ſubleuantis hominis; ſi enim ſciret Deũ eſſe illũ, cũ quo loquebatur, iuſtius arguere poſſet hominis defectum, cui vices ſuas Dñs ad cuncta ſubleuanda dederat. Hoc venuſte do-
Chryſol. cuit Chryſol. ſer. 148. his verbis. *O homo, qualiter ſic honoratus à Deo teipſum taliter inhonoras? Quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? In te imaginẽ ſuã poſuit, vt terris inuiſibilẽ conditorẽ viſibilis imago præſentẽ poneret, & in terrenis dedit tibi vices ſuas, vt non fraudaretur Dñi vicario mundi tã larga poſſeſsio.* Enim verò queri poſſet mundus defraudatus homine, quaſi Dñi vicarius officio, muneriq; ſuo, in ſubleuandis rebus, deeſſet. Nõne dominorũ eſt proſpicere ſuis, vel per ſe, vel per vicarios ſuos? Vbi ergo homo Dei vicarius deeſt, ne poſſeſsio fraudem patiatur, Dñs illi ſubuenire tenetur. Neſarie Marcion obijciebat Chriſto Dño, quod diſcipulos mitteret ſine ſacculo, & ſine pera, & ſine calceamẽtis, ex quibus illum diuerſum aſſerebat à Deo Iſraelis, qui eũ ſuos ex Ægypto educebat, ſimul iuſſit, vt vaſa aurea, argentea, oues, & boues, imò & farinã aſportarent ſecũ. Hæccine Dei, & Chriſti diſſe rentia? Imò in hoc putarim maximã vtriuſq; identitatẽ; nõ enim ſine magno myſterio tollitur, & exhibetur cõmeatus illud ſubſidiũ. Namq Dominus omnium, vbi vicarios ſuos prouidit, qui cuncta poſsint, & debeant miniſtrare, ſubſidia tollit ſua: vbi autem vicarius deeſt, iã ipſe per ſe de ſuorum cõmeatu prouidet. Sic mittens diſcipulos per mundi ciuitates, diuerſaturos apud homines, nullo ſubſidio grauari in via permittit, vt pote qui vicarios Domini ſui haberent, à quibus refici deberent. At populum ducturus per deſerti inuia, & aquoſa, vbi vicarius deerat, tunc ipſe Dominus per ſe prouidet, iubens aſportari quidquid ad longi itineris ſubſidium videbãtur egere. Accipite hæc à Tertulian. acu-
Tertul. te notata lib. 5. in Marc. his verbis. *Profectionem filiorum Iſrael creator, etiam illis ſpoliis aureorum, & argenteorum, vaſculorum, & veſtium præter onera conſpartienum offarcinatam eduxit ex Ægypto: Chriſtus autem nec virgam diſcipulis in viam ferre præſcripſit. Illi enim in ſolitudinem promouebantur: hi autem in ciuitates mittebantur. Conſidera cauſarum differentiam, & intelliges vnam, eamdemque poteſtatem.* Et quidem verè; quando quidem vnius

vnius est Dñi, & vicarios habere, & defectus illorum supplere; & subditos vicarijs permittere, & vbi vicarius deficit, per seipsum subuenire, & prouidere. Vbi iter agendum erat per ciuitates, apud quas tot Dei dispensatores, & vicarij erant, quot homines, merito mittūtur discipuli sine sacculo, & pera, vt quos vicarij Dei homines alere tenerētur. Vbi per inhospitale desertum iter instituebatur, adest Dñi cura, & prouidentia, quia omnino deficit hominū cura. Dan. c. 7. *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabāt in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna: bestia alia similis vrsi: alia quasi pardus: bestia quarta terribilis, atq; mirabilis, & fortis nimis.* Dan. 7. Ecce tibi bestiæ ferissimæ sunt, quæcumque apparent in terra, nullus videtur homo, qui humane agat, qui humane viuat, in bestias mutatis hominibus, hinc leo, inde pardus, & vrsus prosiliunt, vt dominentur terram, & luctuosam exerceant carnificinam. Quid tunc? *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis, &c.* Quid magis connexum, & coniunctum! Vbi nullus non bestia apparebat in terra, statim filius hominis è cœlo dilapsus claret. Vbi in terra nil respicis præter feras, leones, vrsos, pardos, statim Deus aduolat, qui sui vicarij hominis erga homines officium agat. Huc spectabat D. Chrysol. ser. 156. fatus. *Merito, quia humana desunt, diuina succurrunt; & adest Deus ipse, cui homo nō erat, qui adesset.* Chrysol. Abeunt homines in feras, vt efferati nihil non crudele, & ferum efficiant? Necessum inde est, quod Deus in hominem veniat, vt humanus hominis exerceat officia.

Tex. Dicit ei Iesus: Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sublstulit grabatum suum, & ambulabat.

§. XXIII.

Firma est salus, quæ per opera pœnitentiæ roboratur.

NON solum sanat Dñs languidum, sed & firmissimæ, robustissimaq; salutis testimoniū cōmendat excō portatione grabati. Sic salutis firmitudo monstratur, sic sanitatis robur nobis inseritur, cum pœnitentiæ oneribus exercemur, grauamur. Quam pessimè nefarius Nouatus pœnitentiam æstimabat, à qua casus ansam præberi humanæ imbecillitati prædicat. Cui pulchrè S. Patian. ep. 3. ad Tymph. respondit, fatus. *Fortasse paterer hoc credi, si pœnitentia deliciæ putarentur; cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui inges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo sanatus iterū sē secari, rursus exuri?* Patian. Sanè pœnitentiæ grauedo salutem non infirmat, sed confirmat, sed roborat. Qui enim duriter in se castigauit peccatum, qui se flagellis confodit, qui lacrymarum absinthio se potauit, haud dubiū est, quin se sanum amplius nitatur conseruare. Post largissimā lacrymarū effusionem in tēplo dicitur de Samuelis matre. 1. Reg. 1. *Vultus ei non sunt amplius in diuersa mutati.* 1. Reg. 1. De quo D. Gregor. in Pastorali p. 3. c. 31. ait. *Quia videlicet mens eius nequaquā post preces inepta lætitia lasciuiendo perdit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisiuit.* Gregor. Nō enim facilè perditur, quod rigor fletuū acquirit. Præclarè D. Paul. 2. ad Cor. c. 2. postquā illos vehementer obiurgauerat, D. Paul. ait. *Quis est, qui lætificat me, nisi qui contristatur ex me?* Cur Paule in tristitiā proximorū lætificaris? Tristantur illi, & tu gaudes? Lugent illi, & tu in luctu eorum lætaris? An exuisti humanitatē, vt læteris de proximorū doloribus, & calamitatibus? Lætabatur equidē Apostolus in Corinthiorum lacrymis, quas ipse dura reprehēsione extorserat, vt salutem illorū, & misericordiam à Deo obtentam magis cōfirmaret. Pulchra sunt D. Ambr. verba Psal. 38. vbi ait. *Obiurgando enim Apostolus, dolorē, tristitiam, gemitus excitabat, vt agerent pœnitentiam, quæ irreuocabilem veniam, & salutē, cuius Deum non pœniteret, mererentur.* Ambros. Non solū curabat Paulus Corinthijs salutē, & peccatorum remissionē; sed eam salutē, & remissionē procurabat, quæ non reuocaretur, quæ diutius duraret. Ideò dolores, tristitias, lacrymas in peccatoribus excitabat, quæ pœnitentiæ onera valent ad sanitatē confirmandā. Equidem tunsionibus, & gemitibus accepta gratia confirmatur, roboratur. Cant. 7. *Comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.* Cant. 7. Cur additur illud vincta canalibus? Cur non sufficisset dicere, sicut purpura regis? Nō solū cōmendabat coloris nobilitatē, sed & ipsum opificiū, & laborē, quibus lana dispōnitur, vt adhibita tincturæ canalibus eum splēdorē imbibat, quē non deponat amplius. Ex quo pulchrè insinuatur, vnde confirmēt, & æternent Christi fideles splendorē gratiæ deriuatum à Sacramentorum canalibus. Lana enim post mille fusi torturas, post mille terentium pressuras, post mille ferreos pectines ligneo traditur malleo, quo semel, & bis tunditur, premitur, cōstipatur, & tunsionibus cōstipata purpureo inficitur decore, quē nunquam

perdere valeat. Quisquis de Christi canalibus inficiendus es, premere, constringere tunsionibus, flagellis, luctibus, & quã semel imbibis, diu retinebis gratiæ nobilitatem. Huc
D. Ephræ. spectabat D. Ephræm de pœnit. fatus: *Constringamus nos ipsos pœnitentes, vt veniæ gratiam tanquam veram tincturam non respuamus: sic enim innatus nobis flos, mentibusque nostris inustus nõ amplius recedet. Lacrymis te ipsam abluc, sicut tinctores lanam, te ipsum humilitati, & angori, atq; mœrori trade: sic enim Deo te ipsum astringens, paratus accedes ad susceptionem gratiæ.* Adhæret equidẽ mẽtibus nostris amplius gratiæ tinctura, & vix recedit ab eo, qui constrictionẽ, & onera pœnitentiæ adimplet exacte. Propone tibi ob oculos Dei spiritũ adhærentem Sansonis comis, his recisis à fœmina, recedit spiritus à Sansone: verum vbi renatæ fuerunt comæ; spiritus non amplius recessurus remeauit, quo Sanson, & Dagonis tẽplum, & plures hostes interfecit moriens, quã viuens. Sed scire cupis, cur Spiritus Dei fortius hæserit in renatis Sansonis crinibus, quam hæserat antea? Post crinium tonsionẽ, & spiritus discessum Sanson carcere inclusus totam ergastuli molem versabat Iud. 16. sub qua mole afflictus pœnitẽtia, (vt auctor est Arias, & Auctor mirabiliũ sacræ Scripturæ. 2. c. 6.) spiritum solicitabat, & in renatis crinibus vehementius firmabat. Hinc D. Paulin.
Paulin. ep. 4. Sic vniuersos monet, vt pœnitentiæ subeant onera post peccatum. *Homo*, inquit, *qui præuentus fuerit in aliquo peccato; & salubriter pœnitẽdo ad instaurationem gratiæ, quasi capillis renascentibus reuertitur: ponens vt arcum aereũ brachia sua: id est, fidem spei veræ, & spem fidei non fictam; exercens idem ad præliũ manus suas operibus pietatis: tum, vt quibusdam fidei firmæ lacertis, audebit inuadere, & poterit vertere inimicorum columnas*, &c. Hæc ille.

§. XXIIII.

Obedientia nostra passibili aduentu Deum leuat.

SALVTEM homo languidus nãcisci tur ip se grabatũ suum portans, mirabile dictu! Non ne lignũ, & infirmitates portaturus nostras venit Iesus, vt inde salutẽ præstaret hominibus? Eia age Saluator mundi, quando hominem sanas, grabatum ipse tu porta, grauare ligno; quis te hoc onere leuat, ô bone Iesu, quis est adeo bene sanus, vt Saluatorem, quãtum est ex se, passibili liberet onere? Sanè de
Cyril. hoc paralytico dicebat D. Cyril. Alex. quod *obedientia, & fide, quod longis temporibus optauerat, fuit consequutus.* O mira obedientis præcellentia; & salutẽ habet, & nullum onus prebet Saluatori, sed ipse sibi portat onus, & crucẽ. Vbi obedientiam memini, fateor me vobis debere exemplar illud huius virtutis, nimirũ Abrahamum. Is dũ parat iugulare filiũ, dũ gladiũ stringit, dũ dexteram tendit, ecce
Genes. 22. Gen. 22. *Vocauit Angelus de cœlo, dixitq́; Abraham, Abrahã.* Sed cur modo, ô magni Consilij Angele, Abrahamum vocas de cœlo? Aliàs, vt cũ Abrahamo loquereris ad terras venire cõsueueras, eius intrare domũ, peregrinũ habitũ induere, modo cœlum minime linquis, cuius rei causa? Pulchrè notat Chrysost. ho. 47. fa-
Chrysos. tus. *Quia videbat iustũ iã accinctum, & paratũ ad immolationem, & volentẽ implere mandatum Domini, idcirco vocat eum de cælo.* Non necessarius est Dñi à cœlo in terras aduentus, non necessaria Dei passibilis peregrinatio, ligniq; super humeros portatio, vbi homo inuenitur obediens. Ecce vobis Mat. 27. vbi Iesus incidit in Simonem Cyrenensem, à Crucis onere leuatur, quod subijt ipse Simon. Rẽ pulchrè
Vict. Ant. attigit Victor Antiochenus in Mar. 15. fatus. *Dñs noster crucis suæ molem baiulauit, donec obuiã venit Simon Cyrenæus, qui dilassatum Iesum ab onere illo subleuauit.* Sed cur Iesum vnus subleuat Simon ab onere? Iã id explicat
Origen. Orig. in Mat. tract. 35. dũ inquit. Simon autẽ interpretatur obedientia. *Cui autẽ magis cõueniebat, vt crucẽ Christi portaret, nisi obedientiæ?* Ille à cruce Christũ leuat, qui obediens est; ô homo custodi tu isles obedientiã, & lignũ tolleres à Iesu humeris. Hinc conijcere licet, cur Petrus, & alij Apostoli orbi terrarum præficiuntur post Dñi in cœlos ascensionẽ, cur nõ antea iubentur portare orbẽ, quando Dñs simul cum illis vitã agebat passibilẽ, & posset proprios etiã adhibere humeros? An Petrus melior Moyse, melior Prophetis? Nãq; Moyses dũ præficitur populo, humeros Christi requirebat, dicens. *Mitte, quẽ missurus es:* similiter Ieremias infantiæ suæ prætextu se ab one re excusabat expectans, qui patiatur Christũ. Sanè obedientior his Petrus iubetur portare orbẽ post Christũ in cœlos assumptũ, præstãs enim obedientia in cœlo Deũ quiescere finit, nõ sub onere premit gemebundum. Accipite
Chrysost. Chrysost. hom. 4. in Acta sic fantẽ. *Quod mirabilius est, Apostoli, cũ mitterentur, nihil excusarunt, neq; dixerunt se gracili voce esse, linguaq; inexplanatæ. Siquidem Moyses illos in hoc erudierat. Non dixerunt se iuniores esse: nam Ieremias hic illos reddit verecundos. At qui multa audierant terribilia, multoq; plura, quã illi, & tamen veriti sunt contradicere. Ex quo liquet illos lucis Angelos fuisse, & cœlestium negotiorum administratores. Attamen istis quidem nullus è cœlo apparuit adhuc agentibus in terra. Sed postea quã abyt homo superna petens, simul spiritus è supernis dilabitur.* Hæc ille.

Tex.

Tex. Erat autè Sabbathū in die illo; dicebāt ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat, Sabbatū est, nō licet tibi tollere grabatum tuū.

§. XXV.

Festum agit Deo hominum salus.

MALE nouerant malitiosi illi Dei festa, cum miraculosæ salutis signum expro brabant, sane multus est Epiphanius Hær. 66. Tert. lib. 4. contra Marc. in demonstrando minime nocuisse festis, quod hominum conducebat sanitati corporis, vel animæ. An infirmi non curabantur? An pueri non circumdebātur? An victimæ non cædebantur, & asportabantur? Et quidem quidquid saluti conducit hominum, id festiuissimum est Deo, id so-
Num. 28. lum dies festos Deo agit. Numer. 28. ait Dominus de sacrificijs offerendis. *Quæ offeratis*
Orig. *mihi in diebus festis meis.* Ex quo pulchre Origen. hom. 23. *Habet ergo Deus dies festos suos? Habet. Est enim ei magna festiuitas humana salus.* Hoc erat inter summos labores Saluatori maxime festiuum, si homines sanaret, iā diu Neomenias Iudæorum, & sabbata exhorrescens Dominus, eos sibi faciebat dies festos, quibus hominum incumbebat saluti. Sane
Ioan. 7. Ioan. 7. Cognati Iesu, vt ad festum irēt, petebant, quibus ipse ait. *Ego non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus non dum impletū est. Hæc cum dixisset ipse, mansit in Galilæa, vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* An contrarius sibi Dominus fuit? An aliud fecit ab eo, quod promisit? Non ne iuit ad festum, ad quod negauit se iturum? Absit: expendenda enim sunt verba Euāgelistæ, ego, ait, non ibo ad festum illum, qua re istud? Ad istud, quod vobis festum habetur, nimirum festum otiosum, & delitiosum. Verum tamen postea ipse ascendit ad festum non ad istum festum: sed ad festum quale ipse sibi ex hominum salute fecerat. Sic D. Aug.
Aug. quæst. 78. Noui testam. explicat dicens. *Ascendit non quasi ad diem festum, sed quasi ad litem: illi enim omnes læti ascenderunt, quasi ad perfruendas delicias dei festi. Certum est enim, quod non ascendit ad diem festum. Is autem illi fuit dies festus, quo passione sua redimit mundū. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem.* Ecce qualiter ascendit, & non ascendit ad festum: non ascendit ad festum Iudæorum otio, & gaudijs constās, sed ascendit ad festum suum, quā do laboribus suis, & sanguine proprio humanam erat comparaturus salutem. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem, in quo redimit mundum, in quo hostibus devictis hominis, aut obtinere, aut sperare potuit salutem. Psal. 75. *Cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Equidem salutem consecuti homines, & confitentes, laudantes Deum festum agunt Domino, qui nunquā magis festiuus, quam vbi se videt causam humanæ salutis.

§. XXVI.

Festa diaboli, vitiorum, & peccatorum fomenta.

LEGE Euangelium, & videbis Iudæos occasione festorum in Deum, & in Christum eius petulantiores, impudentiores. Quisquis hæc videas, fallar si Iudaica Sabbatha iā non Dei, sed Dæmoniorum festa facta prædices; quandoquidem non Dei festi est seruire & turpitudini, & errori. Isaiæ c. 1. ait dominus Iudæis: *Neomeniam, & Sabbathum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri: Kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Ecce tibi Sabbatha, & festa, quæ peccatis seruiebant, minimè ea vocat sua Deus, aliena à Deo sunt festa vitijs seruientia: & nullū indicium euidentius est festi, & Sabbathi, quod nō sit Dei, quam si hominum libidinibus seruiat. Merito illud Kalendas, & Sabbata vestra, expendit Tertul. 2. contra Marcionem his verbis. *Vestra dicendo, quæ secundum libidinē suam, non secundum religionem Dei celebrando, sua iam, non Dei fecerant.* Inde incipiūt festa à Deo esse aliena, vnde incipiunt prauis hominum seruire appetentijs. Indenon Dei, sed diaboli festa censetur; vnde liberius peccandi subministrant materiam. Gen. 39. *Accidit quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quicquam absque arbitris faceret, & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret: dormi mecum.* Audis hoc quadā die fuisse perpetratū scelus, & scire cupis, quæ fuit illa dies, vt eā nigro notes calculo, vt illam vehementer horrescas, quæ tantum laqueum parauit animæ innocentis. Putatur hæc dies fuisse vna ex festis his diebus, quæ Dæmonibus in Ægipto cōsecratæ erāt, nec melior index diabolicæ solemnitatis potest esse, quā quod tāto scelerī subseruierit. Annuit D. Basil. Seleuc. orat. 8. fa-
Basil. Sel. tus. *Mulieris insidias adiunās diabolus salutē hominū per Dæmonis festiuitatē inuexit. Accidit, inquit, quadā die, &c.* Ex hoc nosces diaboli festiuitates stemmate, si parent laqueos innocentibus.

centibus: si festorũm solemnitate abvtaris, vt Deo bellum facias, quæ sunt Dei, tua festa facis, imo omnino a Deo aliena; & prorsus festa diaboli.

Ioan. 5. Respondit eis. Qui sanum me fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

§. XXVII.

Beneficia diuina sequi assolet labor, & ærumna.

ECCE qui à Domino sanatus fuerat, mortis periculum incurrit propter Sabbathi violationem; si enim pàrua ligna colligẽs antiquitus lapidatus est; cur qui totum grabatũ ligneum Sabbatho portabat, non timeret sibi à Phariſæis, ne occideretur? Rursus, qui Lazarum suscitatum volebant occidere, vt resurrectionis obnubilarent auctorem, cur homũcioni parcerent, præcipuè quando legum suffragio possent facinus defendere? Has in angustias mortis coniecit hominem salus diuinitus acquisita; vel hinc salutis auctorẽ Deũ demonstrans, cuius beneficium fere semper sequitur labor, & ærumna. Proprium signum est diuinitus acquisitæ sanitatis, quod grabatum in Sabbatho iubeatur tolli sine legis fragio, sed non sine periculo legalis supplicij. Nullũ beneficium à Deo habebis in hac valle lacrymarum, quod non exoluendum sit laboribus, & ærumnis. Quis dicat triumphum, & gloriã, quo Iesus exceptus fuit à Ierosolimitis cum palmarum ramis, cum lætissimis populi acclamationibus? Sed quis siccis oculis aspiciat ingẽtes passionis tempestates, quæ statim obortæ sunt? Hodie acclamationes, laudes, Peana; cras continuo accusationes, cõtumelię, blasphemiæ. Pulcherrime de hac re ipse Dominus apud Gualricum Abb. serm. 3. in Ramis philosophatur. *Iustum quidem est, ô pater, vt qui se exaltat, humilietur; sed numquid similiter iustum erat, vt, quem tu exaltaueras, ita confusibiliter humiliaretur? Et gloriam, quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Numquid mihi Pater iratus fuisti, quo vel ad horam hic me passus sum honorari? Et illud etiã perexiguum, quod susceperã de bonis huius mũdi, exoluendum erat ante mortem in pœnis, & contumelijs, ne postea mihi posset obijci: Fili recepisti bona in vita tua?* Et quidem huiusmodi est hominis cuiuscumque conditio in hac lacrymali vita, quæ vniuersum bonum accep-

Galric.

tum statim exoluat calamitatibus, & ærumnis. Psalm. 101. *Eleuans allisisti me*: vbi argutius legit D. Augustin. *Quoniam leuasti, & elisisti me*; quippè propinqua semper est eleuationi elisio; altitudini deiectio, gloriæ humiliatio. *Non ait, quoniam leuasti, & elisisti me, sed quoniam leuasti, elisisti me, ideò elisisti, quia leuasti: vnde hoc? Homo in honore positus factus est ad imaginem Dei. Leuatus in hunc honorem erectus à puluere, erectus à terra.* Exoluenda erat tanta leuatio, tantus honor, tanta sublimatio, tot calamitatibus, & ærumnis, quas homo patitur. Ea sunt beneficia diuina, & exundationes gratiarum diuinarum, quæ semper secum afferant calamitatum arenas, ad quas elisæ possint conseruari. Hinc ingentem Christianæ Ecclesiæ gloriam miratus Moyses in Zabulonis benedictione, ait Deut. 33. *Inundationem maris, quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum.* Inundantur sanè Christiani lacteis cœlestium gratiarum fluctibus, bibunt totum, quod super cœlos est, mare; mare, inquàm, gratiarum, sed cum thesauris absconditis arenarum. Qui sunt isti arenarum thesauri, qui mare gratiarum circumcingunt? Glossa moralis ait. *Per thesauros arenarũ intelliguntur sancti, qui contempti sunt in hoc mũdo, & cõculcati, vt arena.* Nullus sanè fluctus gratiæ venit, quem non excipiat elisio, & cõculcatio arenæ. Vt tumentibus mũdialis maris fluctibus opponuntur arenæ; ad quas blãdè elisæ cohibẽtur. Sic gratiarum exundationibus elisiones arenæ dantur, quæ teneant lacteas vndas, & thesauros augeant. Sic dicebat de se Paul. 2. ad Corint. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Ecce exundans gratiarum mare in Paulo, cuius tamen lactei fluctus, quò magis eleuabantur, eò citius ad arenas siue persecutionum, siue tentationum, siue infirmitatum elidebantur.

Isaias 61.

Augustin.

Deut. 33.

Glossa.

2. Cor. 12.

§. XXVIII.

Animæ salutem consequatur pœnitentiæ labor.

CONVENIANT hunc paralyticum nũperi docmatistæ, qui de Iesu Saluatore confisi rident nostra opera pœnalia. Quam præclare hic ait, *qui fecit me sanum, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Nõ sanauit, & gaudere, & otiosum esse iussit, sed me in has coniecit angustias. Non enim is est Iesus, qui sanet, vt stertas in lecto, sed vt sublato lecto laborem capias; non sanitatem animæ propinat, vt rideas, sed vt fleas amarè. Multũ doluerat

doluerat Dauid pro peccatis commissis, & nihilominus mittitur ad illum Propheta, qui trium suppliciorum optionem det, nimirum
paral. 21. famis, mortis, belli. Cui Dauid. 1. Paralip. 21. ait. *Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius: misit ergo Dominus pestilentiam.* Quibus nunquam satis miratus sum Dauidem, qui noscens multitudinem miserationum diuinarum, supplicium sibi pro peccato elegit, & non magis contendit, vt omne supplicium tolleretur! Cur nobilis peccator, qui culpæ veniam obtinuerat, nō etiam instat pro condonatione pœnę, sed magis supplicium eligit, nisi quia impudentissimi hominis est sic abvti Dei misericordia, vt velit omni afflictione satisfactoria
Ambros. carere? D. Ambr. in Psalm. 37. *Numquid donari sibi pœnam popposcit erroris? Quod si fecisset impudentiæ notaretur, quod moderationi diuinæ fuisset ingratus. Elegit, nō quod à flagello esset immune, sed quod moderatius iudicauit, vt Dei lenitati se committeret.* Impudens est, & ingratus Deo, qui animæ salutem non ostendit per aliquam corporis pœnam; qui sanari à peccatis vult, vt in lecto liberius stertat, vt funditus se committat otio; qui pœnitentiæ iugū, quasi graue onus à se repellit, nesciens in iugo pœnalis satisfactionis non onus, sed alas esse, quibus peccator facilius ascendit ad ex-
Psal. 17. celsa. Psalm. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione; & in Deo meo transgrediar murum.* Nescio quo fundamento verbis illis, *in Deo meo,*
D. Ephræ. præposuit D. Ephrem hæc, nimirum, *in pœnitentia*; & tamen illa præposuit, fortè, quia putauit peccatori necessarium esse pœnitentiæ iugum vltra Dei gratiam, vt auibus est necessarium alarum onus, quo possint altissimos scandere, & superare muros. Sic enim loquitur sanctus vir de pœnit. *Rectè quoque ait; in pœnitentia, & in Deo meo transgrediar murum. Nam lex veluti murus impium vetat ad Deum accedere: at pœnitentia alas ei præbens, efficit vt altius euolet vsque ad conspectum Dei.* Cur ait in pœnitētia, & in Deo meo? Suffeciſſet in Deo meo; vbi enim Deus adest, omnia sana sunt, omnia integra, cur onus aliud mandatur? Sufficit, fateor, Dei gratia ad salutem, sed vt confirmetur salus superaddendum est pœnitentiæ onus, quæ salutem ostendat, & præbeat alas, quibus possis ad Deum vsque euolare. Quis credat te ab infirmitate sanum, dum onus nullum sustinere vales? Dum per misericordiæ opera non exsurgis aliquanto? Ille verè sanus est, qui alijs veretur oneri esse, sed ip-
Tertul. se portat onera sua. Quò spectabat Tertul. lib. de Pœnit. sic fatus. *Plerique naufragio liberati exinde repudium, & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam, scilicet memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecūdiam, nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse.* Quippè onus est diuinæ misericordiæ, quod à naufragio peccatorum eruimur; semper enim, quæ perierat ouicula, premit pastoris humeros, dū ipsa per se arduas, & asperas nō terit virtutis vias. Onus fuit Dei, quod humeris suis nos à peccato leuauit, ideò ne maneremus ibi otiosi, & delicati nimis ab omni asperitate fugientes, humeros prementes diuinos? Absit hoc à Christiano, qui æstimat salutis beneficium. Is vereat vt adhuc esse oneri misericordiæ diuinæ, ipse sua onera portet, se se asperis, & arduis virtutum operibus cōmittat, ab omni pristino abstineat luxu. Qui enim nimis delicatus ab onere pœnitentiæ abstinet; illud totum committens misericordiæ diuinæ, aut impudentiæ, & inverecundiæ, aut male sanati notam incurrit.

Ioan. 5. Quis est ille homo, quid dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.

§. XXIX.

Diuinitatem prædicat beneficentia in homines.

BENEFICVM sibi non ausus est paralyticus vocare hominem; dicit enim solum: *Qui me sanum fecit, dixit: Tolle grabatum tuum, &c.* Malitiosè Iudæi, vt hominen dicant, occultant beneficium illatum, & solum meminerunt onus impositum in die Sabbathi. Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum? Non beneficium memorat, sed legisfragium, quo miser homo pœnæ criminali expositus erat; vt sic omnem diuinitatis suspicionem tollerent à Iesu, qui non tam beneficus, quam iniurius, & causa angustiæ, & damnationis videbatur. Vt enim nil magis prædicat Deum, quam beneficentia; sic nil magis tollit diuinitatis suspicionem, quam damnum illatum. Vndè eleganter Iob suam sapientiam commendans, quā nullam in Sole Deitatem adorarit, fatur, cap. 31. *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem* *Tob. 31.*

clarè. In Sole & fulgor, & ardor est; fulgur gratissimus oculis, suauis, & vitæ perquam vtilis, ardor autem molestus, iniurius, qui viuidis animantium fibris corruptionē affert. Itaque Iob, vt omnem speciem Deitatis Soli eriperet, fulgorem eius pręterijt, nō vidit, beneficium dissimulauit, quo ardoris eius malitia, & iniuria Solem à deorum consessu eliminauit. Accinit Theodoreti obseruatio lib. 3. de dijs, & Angelis, vbi fatur. *Deus tamen, ab eodem Sole vehementiores radij nonnunquam intenderentur, instituit, qui & hominum, & cæterorum animantiū corporibus permolesti essent, fœtusque corrumperent à seminibus, arboribusq; profectos. Nullamque aliam ob rem ita instituit, nisi ne Solem vitæ causam esse, auctoremque opinemur.* Quis credat Deum Solem, cuius radij multis vitam eripiunt, & omnibus permolesti sunt? Nihil à Deo magis alienum ex his, quæ infert creaturis, quam interitus hominis. Dauid insensissimum sibi hostem Saulem dormientem inuenit. 1. Reg. 24. cui statim milites sic inquiunt. *Ecce dies, de qua loquutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.* Facilè Dauid contempsisset occasionē tantam securitatis suæ, facilius contempsisset suorum militum verba cędem hostis adhortantia; at multū erat ad Dauid, quod illi Dei voluntas proponeretur, Deique promissio adimpleta, cum dicunt: *Ecce dies, de qua loquutus est Dominus, &c.* Quid ageret Dauid fidissimus, & pijssimus vir, Deique virtutis æmulus? Quia Dei æmulus erat, quia secundum cor diuinum habebat cor, etsi audit Dei promissionem in cæde illa adimpleri, non sibi potuit persuadere Deo placiturum interitum hominis, & non magis salutem, & incolumitatem. D. Basil. Selen. orat. 16. *Nec verò Dei commemoratio Dauidem ad cædem faciendam excitauit. Hominis interemptio Dei donum non est, neque oculus diuinus arridet. Esto inimicum tradiderit, Dominum suum satis nouit humanitate delectari.* Nunquam non placet Deo sui hominis salus; nunquam hominis ruina Dei donum est. Alienus prorsus, & extraneus à Deo est, qui iniurius est homini, adeò, vt Iob 1. post acceptam in hominem potestatē volens diabolus illa abuti, dicitur: *Egressusq; est Sathan à facie Domini*, quasi non ferat Deus aspicere quemquam homini male affectum suo. Sic Didimus in Catena Græca, fatur. *Nisi extra Deum fuisset diabolus, contra Iobum is nihil moliturus fuisset.* Non licet ipsi insensissimo generis humani hosti nocere hominibus, dum Deo vicinus est; se à Deo separare, & maximè alienare debet, qui homines cupit infestare. Vt enim Deus à se ipso non potest deciscere, sic ab hominum nunquam cessat charitate. Psal. 105. *Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in AEgypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Expende summa Dei ira, quousque peruenit, dixit, vt disperderet eos, si nō Moyses stetisset; quippè totam iram, totum furorem ad vnius hominis preces mitigabat. Cur sic Domine hominem vnum respicis, quando te vniuersi offendunt? Cur sine respectu nō perdis eos, qui sine respectu peccarunt? Pulchrè D. Cyril. Ierosol. catechesi. 4. *Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit Dominus à sua benignitate. Negauerunt Deum homines: sed Deus seipsum non negauit.* Negaret seipsum Deus, si homines sua non amplecteretur benignitate.

Theod.

1. Reg. 24.

Basil. Sel.

Didim.

Psal. 105.

Cyril. Ier.

§. XXX.

Felicitas temporalis mentem obtenebrat, ne auctorem bonorum nostrorum cognoscamus.

QVAM innatum est felicitati temporali auctoris sui obliuionem, & ignorationem facere. *Is autem*, ait, *qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset*, nimirum suæ salutis auctor. Sic felicitas temporalis, sic Dei ipsa beneficia nouerunt mentem hominum implere, ne ibi locum habeat eorum auctor, vt merito dicat Lactantius lib. 2. instit. diu. cap. 1. *Tunc maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficijs eius fruuntur.* Misera hominum mens adeò impletur felicitate quadam temporali, vt nec auctorem felicitatis capiat, imò quasi necessum sit, vbi nos implent Dei beneficia, Deum ipsum excludi, & nostra memoria penitus elabi. Exod. 32. Israelitæ religionis cultum vitulo aureo exhibētes sic clamāt. *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* Suffecisset dicere, hi sunt dij tui, cur addunt beneficiorum diuinorum recordationem, quæ lippis, & tonsoribus notum erat à vitulo aureo non fuisse profecta? Cur ingentem illam felicitatem, qua submersis in mari hostibus ipsi triumpharunt, meminerunt; eo præcipuè tempore, quo ab auctore felicitatis deficiunt? Merito tunc tantam memorāt felicitatem, quia felicitas temporalis, & tantorum beneficiorum acceptio in fragili natura humana nefariam illam defectionem, & Dei obliuionem causabat. Vbi tanta felicitas, & gloria implebat homines, iā illorum effectoris notitia excludebatur. Lucem affero huic ex cogitationi pulchris verbis

Lactan.

Exod. 23.

Cyr. bis Diu. Cyril. Ieroſol. catech. 6. notantis, quæ pepererint in mundo Dei ignorantiam. Ait enim: *Vinum datum eſt, vt exhilaret cor hominis, & Baccus pro Deo celebratur. Frumentum Deus fecit, cum diceret: producat terra herbas graminis, quod ſeminet ſemen ſecundum genus, vt panis cor hominis confirmet: vnde eſt, quod Ceres colitur, &c.* Sic quò plura veniebant homini beneficia, eò plures veri Dei ignorantiæ, & apoſtaſiæ ingerebantur; ſingulis beneficijs ſinguli errores ex hominum abuſu veniebãt coniuncti; ſic implebãt vnaquæque bona hominum mentes, vt Auctoris ſui notitiam excluderent. *Deut. 32.* Quò reſpiciens Moyſes Deut. 32. ait. *Conſtituet eum ſuper excelſam terram, vt comedcret fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſsimo: Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſsimũ. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum.* Ecce tibi in quantam ſui Auctoris ignorantiam, & obliuionem rapiant humanas mentes abuſus felicitatum temporalium! Hinc non miror Ioſephi cautelam, qui *Geneſ. 40.* Geneſ. 40. cui Pharaonis miniſtro felicitatẽ diuinarat, eumdem ſic monebat. *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni:* Quæ verba *Lxx.* ſignificantius exprimunt Septuag. apud D. Ambroſ. fantes. *Memor eſto mei per temetipſum, cum bene tibi fuerit, & facies in me miſericordiam, & memor eris mei.* Non ſemel tantum, ſed & bis petit, vt ſit ſui memor; nouerat enim quantum felicitatis poteſt ad effectoris ſui, ſiue excitatoris memoriam euacuandam. *Ambr.* Do Ambroſ. lib. de Ioſeph capit. 6. vbi fatur. *Ideò ſecundo repetiuit: memor eris mei, quia ſciebat nõ recordaturum, cum potentiã recepiſſet.* Sic temporalis felicitas mentes implet humanas, vt auctori ſuo nullum locum ſinat: ſic obumbrat, imò obcęcat oculos, ne videatur verum omnium bonorum principium. Vndè quaſi rariſsimum mirari debemus, quod ſtellarum interpretes, fortunarũq; inſpectores, vel ſemel viderint Auctorem di- *Matth. 2.* uinum: aiunt enim apud Matth. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente.* Quid magnum dicunt ſtellarum inſpectores, & adoratores, quod ſtellam eius viderint? Sanè rarum erat, & ſingulariſsimum, non quod viderint ſtellam; ſed quod viderint ſtellam eius, hoc eſt, quod viderint, cuius opus ſit ſtella, à quo effecta exiſtat, quando ſtellarum felicitas, & fortuna ſolet prorſus ex cæcare contemplatores ſuos, ne *Chryſol.* auctorem videant, quo expectans Chryſol. ſerm. 156. ait mirabundus. *Aliquando videt Magus.* Non ſemper, nec communiter, ſed aliquando, & rariſsimè poteſt inter ſtellarum fortunas Magus ſic claros habere oculos, vt Auctorem ſtellarũ videat; quod enim frequẽtiùs accidit, eſt, quod huiuſmodi ſplendor, & felicitas obcæcent ſpectatores ſuos.

Tex. Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi; Ecce iam ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

§. XXXI.

Reincidentia in peccatis quam timenda.

VÆ qui ſemel, & ter diuinam expertus vindictam adhuc ad peccata reuertit; timere merito poteſt, ne funditus pereat. *Oſeas. 5.* Oſeas 5. *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Magna Dei ira effunditur ſuper Iuda, non abſimilis iræ, quæ alias effuſa eſt per aquam ſuper vniuerſum mundum, vel ſuper Ægyptios in mari rubro. Quid fecerunt Principes Iuda, propter quod tam magnam iram meruerunt? *Facti ſunt quaſi aſſumentes terminum*, ſiue vt explicatius aiunt Septuag. *Facti ſunt quaſi transferentes terminos.* Nullũ terminum iniquitatis fixum, & immobilem habebant. Sed ſæpè conuerſi ad cor iniquitatibus ſuis terminum ponebant, quem iterũ transferebant nunquam fixi, nunquam in virtute perſeuerantes, ſed ſemper alio, & alio trãſlatis terminis in noua peccata ruentes. Hinc Theophylact. in præſenti fatur. *Quando verò quiſque Princeps Iuda exiſtens confeſſus fuerit,* *Theophyl.* *ac promiſerit ſe non eiſdem prauis ſtudijs admoturum mentem, idque ſecum decreuerit, & interim tranſmouerit tales fines, atque decretum ſuũ fecerit irritum, ac reuerſus fuerit inſtar canis ad proprium vomitum; ira Dei ſuper talem prorſus effunditur: perinde ac rubri maris aqua ſuper Pharaonem, quia ſæpius fuerat mentitus.* Quoties Pharao ponebat malitiæ ſuæ terminum plagis conſtrictus, toties à plaga leuatus reuocabat, & tranſmouebat terminum, quo meruit maris rubri aquis ſuffocari. Caue tibi, quiſquis decretos malitiæ tuæ terminos trãſponis, quiſquis ad vomitum redis, quiſquis neſcis durare in recta virtutis via, ſed quo-

quoties incipis; toties declinas decreta tibi Pharaonis pœna est, qua miserum interitum incurras. Exemplum timoris istius nobis præbuere Iuda Principes toties malitiæ terminos assumentes, toties à peccatis conuersi, toties pœnitentiam agentes, & toties ad similia prolapsi, imò relapsi delicta, quo se tandem incapaces fecerunt recipiendi vitæ suæ Auctorem Christum. De illis Sulpitius lib. 1. hist. fatur. *Sulpit.* *Reputare animo soleo, populum tot beneficijs obligatum, tot cladibus, cũ peccaret, coercitum, expertumque misericordiam, & seueritatem Dei, neq; aquam emendatum: & cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam. Nihil mirum videri potest Christum ab his non esse receptum.* Cur reciperet Christũ, qui durare non poterat in venia accepta? Qui nullum firmum terminum iniquitatibus suis præfigunt, sed totum virtutis ædificium super arenam fundant, vt quoties exsurgat, toties ruat: procul isti à Christo excipiẽdo, cuius domus firmis, marmoreisque amat stare columnis. *Matth. 27.* Matth. 27. Vbi de sepulchro excepturo Christum agitur, dicitur: *Posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra*, non arena, non puluis, sed petra recipit Christum, hoc est, ille, qui firmitudinem habet in virtute. *Dam.* Pulchre D. Damascenus orat. de Sabbath. sancto inquit. *Lapis ille angularis, quique nulla manu sciди poterat, in petra scisa occultatur. Molles enim, & quæ facile in voluptates effunduntur animæ, diuinum verbum admittere non sustinent: sed firmæ tantum, & masculo quodam robore ad virtutem amplectendam, exercendamque præditæ.* Non super ædificatur Christus in arena, in qua lapsus, & relapsus frequentes sunt, sed in marmoreis pectoribus, quæ semel acceptum Christum conseruent immobilem aduersus tempestates, & hostium incursus. Vnde maxime doleo illorum vicem, qui tam cito post veniam ad peccata reccurrunt, vt videantur, ideo ad salutem venisse, vt validius, & vehementius se iterum dedant vitijs. Similes hi sunt Sauli reprobo, qui cum spiritu nequam exagitaretur, psallente que Dauide aliquantulum leuatus, & refocillatus *1. Reg. 19.* 1. Reg. 19. *Nisus est cõfigere Dauid lancea in pariete.* Id quod *Basil. Sel.* ponderans D. Basil. Sel. orat. 15. fatur. *Paullũ à Dæmonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam eiaculatus medicinæ pretium eadem obtulit, quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, vt iterum seruiret inuidiæ.* Sic vidi sæpissime homines sub infirmitate gementes, ad Deum clamantes, peccata expuentes, & cum recepta animæ salute conualescunt, sic iterum se se in vitia effundunt, vt ideo videantur, se ad salutem recepisse, vt vehementius ruant in peccata; Saulis vitæ similes, Saulis interitum sibi caueant. Quando enim reincidentibus deterius aliquid non contingit? Vide 1. Reg. 5. *1. Reg. 5.* vbi capitur arca Dei, constituitur iuxta idolum Dagon, sed subito Dagon inuentus est, in terra iacens. Erigitur Dagon à suis, & iterum redditur altari iuxta arcam. Quid tunc? *Ecce Dagon ceciderat in faciem suam interram, coram arca Domini. Caputque Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisæ erant ad limen: porro Dagon solus truncus remanserat.* Hebraice significantius, & expressius dicitur: *Tantum Dagon relictus est.* Quid est tantum Dagon relictus est? Dagon, teste Caietano, idem est ac piscis: Erat autem idolum piscis habens hominis caput, & manus, vbi autem secundo ponitur ante arcam, iam non solum cecidit, sed ablato capite, & manibus hominis, tantum piscis mansit, crebra enim reincidentia quidquid rationale est, videtur absumere, & solum relinquere animale, vt potius bellua, quam homo videaris. Et dicat merito Habacuc cap. 1. *Facies homines quasi pisces maris*, ablato enim per reincidentiã, quod est hominis, quod est belluæ tantum manet.

Ioan. 5. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

§. XXXII.

Muneris æstimatio ex Deo dante incomparabiliter crescit.

ET benefactori Iesu gratus, & sibi grãtulans hic homo Iesum propriæ sanitatis auctorem Iudæis prædicat. Maxime enim commendabat donum, quod non fuerit à cõmuni, & noto homine profectum, sed quod illud acceperit ex Iesu clarissimo viro, imò Deo, vt tot miracula, & facinora eius demonstrabant. Sane felix homo non erubescebat benefactorem suum, imo magis de datore gloriosus, quam de dono sanus exultabat. Satnuelis mater, vbi quem negauerat natura, filium ex cœlesti fauore accepit, tota effunditur in diuinas laudes, sic aiens 1. Reg. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus, & non est iustus, sicut Deus noster.* *1. Reg. 2.* Solent matres suauijs suos delinire exoptatos infantulos, non est puer, vt puer hic meus;

meus; hic pulcer, hic formoſus, hic bonus: at Anna dilinimenta pueruli ad Deum transfert, & vni Deo præſtat, quæ dictura erat filio ſuauia: *Non eſt ſanctus, ait, vt eſt Dominus.* Cur mater filio adeò optato non facis hæc verbula? Chryſoſtom. ibi hom. 5. rationem attigit, dicens. *Acceptagratia, magis de datore gaudebat.* Multum gaudebat in munere adeò exoptato, ſed multo magis gaudebat, quod munus accepiſſet à Dei manibus. Offendit enim viros ſanctos munus, quod à Deo non eſt, vndè nobiliſsimus Daniel cap. 5. Regi Babylonio multa offerenti, ait. *Munera tibi ſint & dona domus tuæ alteri da: ſcripturam tuam legam tibi, Rex.* Munera reſpuebat, quæ à Deo ſuo ſibi venire non videbat, quaſi alienum eſſet à fidelis hominis mente in munere gaudere, quod à Deo ſuo non habeat. Vnde vehementer pungit Tertul. Marcionitas hæreticos, qui Deum creatorem cœli, & terræ, & ſtellarum diuerſum putabant à Deo ſuo, & nihilominus gaudebant acceptam referre vitam ſuam ſtellis, quæ alieni Dei erant munus. Sic enim ait lib. 1. in Marcionem. *Sunt Mathematici plurimum Marcionitæ; nec hoc erubeſcētes, de ipſis etiam ſtellis viuere Creatoris;* quippè maximè erubeſcendum eſt homini, quod munus aliquod acceptum referat ali quàm Deo ſuo. Inde enim incomparabiliter creſcit muneris etiam exigui æſtimatio, quod acceptum à Deo ſit. Miraberis Iacobum moriturum tam anxie à filio petiuiſſe ſepeliri in Chanaam, non in Ægypto; ait enim Gen. *Non ſepelias me in terra hac, ſed dormiam cum patribus meis:* ſimili deſiderio Ioſeph petebat trāſferri oſſa ſua. Vndè ſanctiſsimi viri in cœlum jā iam euolaturi, tanti æſtimabant Chananæ telluris ſepulturā? Acceperant à Deo promiſſionē terræ illius, adeòq; lætabātur in munere ex datore Deo, vt etiam, cum in cœlum auolabant, æſtimationem oſtenderent diuini muneris. Id quod expendit Rupert. lib. 9. c. 21. dicens. Quid autem Patriarcha tantus, cœli ciuis, cui viuenti totus mundus exiliū fuit, tantopere de ſuo corpore curauit, & ſerio ſcire voluit, quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem? *Videlicet, quia terra repromiſſionis Domini erat, dicentis. Terram, in qua dormis, dabo tibi, &c. Donum autem Dei, qualecumque ſit, ſiue magnum, ſiue paruum, cœleſte, ſiue terrenum pro honore, vel charitate dātis pretioſum eſt, & debet eſſe in oculis ſapientis.* Hoc vnum præ omnibus debes æſtimare in munere, quod illud à Deo Opt. Max. accipias, ex quo minutiſsima quæque ingens pretium apud ſapientes viros recipiunt. Hinc Pſalm. 9. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in ſalutari tuo.* Inde exultat, inde gaudet, quo Dei beneficio ſalutem obtinuerit: quaſi nihil aliud ſpectabile inueniat in obtenta ſalute, niſi quod illam per Deum acceperit. Chryſoſt. ibi. *Hoc eſt mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te ſalutem adipiſci.*

Chryſoſt.

Dan 5.

Tertul.

Geneſ.

Rup.

Pſalm. 6

Chryſoſ.

CAPVT TERTIVM.

De Centurionis ſeruo ſanato.

CENTVRIO Romanorum nobilis, Iſraelitarum fidem ſuperans, apud Ieſum ſtat pro puero paralytico. Non medici ſperat manus; imò nec præſentiā, ſed ſummi Dominatoris vocem requirit, cuius vel nutu non dubitat & pelli poſſe morbum, & ſalutem reuocari. Mirabilis in hoc ſigno paralytici ſalus, abſentis Chriſti verbulo reuocata, ſed multo mirabilior Centurionis fides, quæ ipſi Domino extitit ad miraculum.

Matth. 8. Acceſsit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.

§. I.

Ille ſolus nobilitatis verus titulus, qui neque in morte exuendus.

AVDIVNTVR ſæpe in theatro Cōſules, Reges, Centuriones, Imperatores, quos nihilominus ſpernunt, & rident omnes, quia finita comedia, nobilē exuūt perſonā. Sanenō eſt verus nobilitatis titulus, qui cum infamia expectatur exuendus. Ille vere Imperator, & Rex, & Conſul, & Centurio, qui ſic viuit, vt nec in morte deponat, ſed perpetuo nobilitatē æternet ſplēdore. Sic in præſenti Chryſol. ſer. 15. *Verè Centurio, qui ſtipendia terrena cētenariū cœli mutauit in fructum, & ſeruitutem militiæ temporalis in diuinam ſuſtulit dignitatē.* Verē hic erat Centurio, nō quia ſub ſe habebat milites, non quia inter militares copias præcellēti fulgebat dignitate, ſed quia Chriſti fide, & fideli humilitate, & charitate inſeruum ſuū ſic nouit in ſe dignitatis ſplendorem æter-

Chryſol.

æternare, vt nullo interitu spoliandus sit, sed
Isai. 32. à gloria in gloriam transmutandus. Isaias cap. 32. *Non vocabitur vltra insipiens princeps*; quæ verba sic ex originali redduntur; *non vocabitur vltra stultus princeps*. Vox originalis stultitiæ instabilitatem semper, & mobilitatem refert; vnde illam posuit quasi stulti paraphrasim Ecclesiasticus 27. dicens. *Stultus vt luna*
Eccl. 27. *mutatur*, & diuiti illi Luc. 12. *Stulte, hac nocte*
Luc. 27. *repetent animam tuam*, quasi stultitiæ comes sit instabilitas, & mutatio. Is ergo, qui certæ mutationi subiectus est, qualem principatus dignitatem, qualem nobilitatem habebit? Nullus vere princeps, nullus nobilis nisi, cuius no-
Eccles. 4. bilitas iuuenilibus semper viresceat annis. Quo reuoco Ecclesiasten cap. 4. vbi sic. *Melior est puer pauper, & sapiens rege sene, & stulto, qui nescit prauidere in posterum*: Siue vt argutius vertit Symachus apud D. Hieronim. *qui nescit præcauere vicissitudinem*. Nulla equidem dignitas, nullus splendor est ille, qui senescit, qui mutatur, qui vicissitudinem patitur irremediabiliter: è contra illa est vera nobilitas, quæ despectis mundialibus bonis, scit iuuenili splẽdore æternum repueraſcere. Hinc D. Pauli-
Paul. nus epist. 31. de Alethio Senatore Romano in gentes diuitias in pauperes effundente sic fatur. *Poteras, Roma, intentas tibi in Apocalipsi minas non timere, si talia semper ederent munera Senatores tui. Vere nunc tibi nobilis esset illa nobilitas, quam sacrati patres Abrahã, Isaac, & Iacob paternis similibus excipiunt, quam cœli Senatus agnosceret; quam post togam nulla immundi sanguinis sanie funestam regali promissa lucis stola Christus indueret: & in libro albo, hoc est, libro vitæ perennis adscriberet*. Vna illa vere nobilis nobilitas, quæ scit præcauere vicissitudinem, quæ nescit splendorẽ suũ facere perpetuum, æternaque iuuẽta vigere. Ille vere princeps, & vere nobilis qui sibi cauet in posterum, ne sentiat damna senij vel interitus. Pulchre ad hæc
Ephræm. respicit D. Ephræm. in imitatione Prouerbiorum sacus. *Rex fidelis semper in memoria habet iudicium æternum: & qui iusti meminit iudicis, non obliuiscetur liberationis animarum, quæ in necessitatibus constitutæ sunt, & angustijs, quæque in carceribus, & exilijs detinentur. Beatus vir, qui in temporaria, ac momentanea sua potestate permanentem gloriam possidet. Nam qui hodie Rex, cras morietur: at qui facit voluntatẽ Domini, manet in æternum*. Expende illa verba nimirum, *in momentanea sua potestate permanentẽ gloriam possidet*. Quomodo in momentaneis dignitatibus permanentium potest esse quis possessor? Si ita vtatur temporali gloria, vt sit iungenda cum æterna, qui hoc facit vere nobilis est, & principatus possessor, quem nunquam perdet. Cæteri autem ea splendẽtes pura, quam depositũri sunt, nullum nobilitatis habent nomen: vel dic, qui vocabatur diues ille purpuratus, aut ille alius epulo, cuius anima nocte repetitur? De his D. Paulin. epis-
Paulin. tol. 31. *Hi diuites inuisi Deo obliterati memoriæ, qui æternis caduca peruerterint, qui maluerunt terræ potius, quam Deo credere. Talium nomina non scribuntur*; vt pote minime nobiles, sed omnino putantur similes illis de quibus Dio. orat. 4. de regno. *Accipiunt Persæ vnum ex captiuis ad mortem, collocantque in regis thronum, & eundem illi dant vestitum regium, & imperare sinunt, ac viuere, & diliciari, & concubinis vti illis regni diebus. Post hæc autem exutum, virgisque cæsum suspendunt*. Non nobilem, sed miserum vocem, cuius purpuram, & regium splendorem nuditas, & æternus sequetur interitus. Vnde bene monebat Sap. cap. 6. *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis*. Quæ verba sic explanat Saluianus lib. 1. ad Eccles. fa-
Sapien. 6. Salu. tus. *Si vsu vestrarum rerum penitus carere non vultis, id agite, ne aliquando careatis. Delicias à vobis rem, & voluptuariam poscimus: qui sine diuitijs omnino esse, nõ acquiescitis id agite, vt diuites esse semper esse possitis, secundum illud: si ergo delectamini sedibus, &c.*

Luc. 7. Seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus.

§. II.

Vel ad vnius perditionem sic Christus Dominus afficitur, ac si omnes amittat.

ID proprium habent, quæcumque sunt hominibus pretiosa, vt in vnius amissione sic afficiamur, quasi omnia perditũ inierint. Aut si mercatori instar omnium bonorum est amissio aurei vnius, parenti optimo non sufficit filiorum caterba superstes, vbi vnum amittat. An Iacobi lacrimas absoluit turba nepotum, quando Iosephum perdidit? Eo bonus senex in amarore vixit, ac si nullius ei filius superuiueret. Accipite de Centurione
Basil. Sel. loquentem S. Basil. Seleu. oratio. 19. *Non seruili contempsit afflictionem herili fastu turgens, neque præ voluptate, quam ex numeroso satellitio capiebat, pueri immobilis oblitus est; verum obibat inuestigans periculo remedium*. Sic pretiosus puer Centurioni, vt in amissione illius nullam voluptatem præstaret numerosum militum

litum satellitium. Non militum phalanx superstes, & obediens vnius pueri tolleret orbitatem, quia puer pretiosus erat Domino suo. Vis homo videre, quã pretiosus sis Christo? Adeo pretiosus es, vt vel in amissione seruuli vnius, quasi reputet se viduari omnibus seruis. Matth. 22. Matth. 22. Inter plures discumbentes nuptialibus mensis accessit vnus non habens vestem nuptialem, quem, vt vidit Rex, ait ministris suis; *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, & pauci sunt electi.* Ecce tibi multi fuisse dicuntur vocati, multi ad mensas procumbebant, & pauci eliguntur. Sed statim suboritur quæstio: cur dici possint pauci electi, cum è multis, qui aderant, vnus tantum excluſus videtur? Vt multi ad paucitatem rediganturmaiorem sui partem debent perdere, alioqui pauci non erunt, hîc solum vnus de perditur, & vnus, qui de perditur, paucitatem adeo facit magnam, vt ille quasi omnes, vel plures perdidisset, sic paucitatem remanentium lamentatur Dominus. Huc accedit D. Augustin. serm. de Nuptijs filij regis inquiens. *Certe vnus erat ille, qui non habebat vestem nuptialem. Proijcite eum. Quare proijcitur? Multi sunt vocati, pauci vero electi. Dimittite paucos, proijcite multos: & certe vnus erat.* Quippe in vnius perditione sic cœlestis Dominus afficitur, ac si multos perderet: non æstimantur nonaginta nouem oues apud diuinum Pastorem, vbi perditur vna, pro qua sic afficitur, quasi alias haberet nullas: cœlestis pater, aut omnium, aut multorum iacturam factam putat in iactura vnius filij. Quò reuoco figuram illam excogitatam à Ioab 2. Regu. 14. & positam in ore mulieris viduæ, qua faceret, ne Dauid perditioni Absalomi consentiret. Etenim ait: *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit. Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, & deleamus hæredem: quærunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.* Tota hæc figura efficta est, vt Dauid traheretur ad hoc, vt parceret Absalomo percussori fratris sui: sed nulli videbitur recte efficta figura, quando tota rixa constituitur inter duos solos fratres, qui ambo si extinguerentur, nulli alij remanebant, qui hæreditatem, & nomen paternum stabilirent. At Dauid plures alios habebat filios, imo & nepotes, & quando Absalom periret, multi alij supererant, quibus pater orbitatem vnius non sentiret. Cur ergo adeo ineptè figura effingitur, vt dicat, quærunt extinguere scintillam meam, vt non supersit viro meo nomen? Non superest patri nomen, vbi extincto vno filio centum alij remanent filij? Equidem, qui vere pater est, sic afficitur in vnius cuiusque filij interitu, & perditione, quasi multos, vel omnes perdidisset, omnium se reputat filiorum orbatum, eo ipso, quod vnum amittit.

§. III.

Opera nostra correspondere debent pretio pro nobis exhibito a Christo Domino.

ILLE pretiosus est Domino suo seruus, qui magno pretio emptus sic fideliter seruit, sic res Domini curat, vt pretio dignas reddat Domino vsuras. Quis vilior, quam qui nihil proficit, etiamsi mille aureis constiterit? Quis pretiosior, quam qui pretium, quo emptus est, vtilitate æquat, aut superat? Pudeat seruum Christi de pretiositate sua malis operibus aliquid minuere: pudeat ipsum vilescere, quando sæculari seruo honor est, quòd sit pretiosus Domino suo. Hinc Christi seruos, & terret & monet D. Petrus Canon. 1. capitul. 1. dicens. *Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vnius cuiusque opus in timore, incolatus vestri tempore conuersamini.* Haud dubium, quin Deus pater noster sit, sed & iudex rectissimus est, vnde qui sapitis, non anticipetis illaboriosam filiorum hæreditatem: sed dum hoc in incolatu estis, potius sub humili timore debitæ seruitutis officium perfecte implete, ne apud exactoris iudicium minus habentes inueniamini: Vnde hoc? *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Hinc sane seruitutis officio adimplendo monemur studere in omni timore, quia magno pretio empti sumus; cui respondere debet operum vtilitate, qui veretur à Domino inueniri minus habens. Nouit enim ille pretium, quo sibi stamus, nec patietur, quod in vtilitate operum vilescamus. Huc pulchre spectat.

Euſebius. Euſebius Emiſſ. Hom. 1. de Symbolo ſatus. *Ille pro commiſſa nobis ſalute rationem exacturus eſt, qui pro noſtra redemptione damnatus eſt. Qui tantum contulit, ſcit quantum repoſcat. Nouit quanti ei conſtiterit homo ſuus: non ergo viles nobis ſimus, qui tam pretioſi Deo fuimus: nihil ille à nobis abiectum, nihil mediocre ſuſcipit: vult conſentire cum generoſitate pretij, dignitatem redempti. Tale conuerſationis noſtræ expectat meritum, quod ſanguinis ſui poſsit valere commercium.* Quid dici potuit pulchriùs? Multum derogat emptori ſeruus, qui vtilitate ſua non adæquat pretium, quo emptus eſt; vilis factus in opere, qui pretioſus fuit in emptione. Siquidem ſanguinem ſuum pro nobis fudit Dominus, ille pretioſus vtilitate eſt Domino ſuo, qui ſe & omnia pro Domino effundit. Pſalm. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Erogatio in pauperes ad miſericordiam ſpectat, vnde poteſt iuſtitiæ eſſe fundamentum? Cur dicitur manere iuſtitia illius, qui ſua diſperſit? Quia bonus ſeruus tanti ſanguinis diſperſione emptus iuſtitiæ ſatisfacit, cum pretio emptionis ſuæ curat operum vſuris reſpondere. Et tunc reſpondet iuſtitiæ, quando non vileſcit in opere, ſed qua poteſt æquale reddet pro ſe effuſo pretio, & effuſioni pretij effuſio bonorum reſpondet. Hinc dicebat Amb. in Pſalm. 37. *Vilis eſt pecunia, cum conditur; pretioſa cum diſpergitur. Sic enim ſcriptum eſt: diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Si igitur talis fueris, vt poſsis contemnere non ſolum omnia tua, ſed etiam carnem tuam pro iuſtitia; contemne, quia nulla poteſt eſſe locupletior poſſeſsio.* Tunc homo non vileſcit Domino ſuo, non derogat emptionis ſuæ pretio, quando & ſe, & ſua effundit, tunc Dominicis pro ſe impenſis ſatisfacit; tunc adæquat pretium, qua parte poteſt, & fit locuples, & pretioſa Domino ſuo poſſeſsio. Pretioſa, inquam, cum diſpergitur, quæ eſſet vilis, ſi clauderetur, vt quæ derogaret effuſo pro ſe pretio. Vnde ſapientiſsimè ignorantia Phariſæorum dicebat Matth. 27. de nummis à Iuda refuſis in templum. *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Quaſi derogaretur effuſo ſanguini Saluatoris, ſi pretium eius concluderetur, & non penitus effunderetur in pauperum commoda. Quippè non licet tibi non effundi, & ſupereffundi pro Domino tuo, qui pretium diuini effuſi ſanguinis es. Inde quaſi ex iure D. Paulus Hebræos conueniebat capit. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Non dum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Videntes Ieſu ſanguinem effuſum pro nobis, deficimus, & derogamus debitis noſtris, donec ſanguinem effundamus pro illo. D. Amb. lib. de Ioſeph. cap. 7. *Ergo id pretium debes, quo redemptus es, & ſi ille non ſemper exigat, tu tamen debes. Suum eſt quod à te Chriſtus repoſcit. Ipſe vitam omnibus dedit, ipſe pro omnibus mortem ſuam obtulit. Solue pro auctore, quod ſoluturus es lege.* Dum huc peruenit Saluianus lib. 2. ad Eccleſ. Catholic. ſic audientium aures ſuauiat. *Quid ſoluere homo poterit, cui ſe per vltimam panarum acerbitatem Chriſtus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repenſabit, qui ipſum Deo, à quo redemptus eſt, Deum debet? Hæc ergo cauſa eſt, quæ deuotiores eſſe nos Dominus ſibi velit: quia tam magno deuotionem noſtram pretio comparauit. Ideo Paul. Quis,* inquit, *nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An angustia? An perſecutio? An fames? An gladius? Non Apoſtolus ſolas pecunias, nec ſolas deberi à nobis diuitias Deo dicit; ſed tribulationem, angustiam, famem, gladium, mortem denique omni panarum genere conditam.* Hæc ille.

Amb.

Pſal. 111.

Matth. 27.

Hebr. 12.

Amb.

Saluianus.

Matt. 8. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum.

§. IV.

Solus Ieſus apud peccatores exiſtens, illos ſecuros, & incolumes reddit.

FELIX infirmus, qui non remittitur ad alios, ſed veri & vnici medici ſolatur aduentu. Non me contineo, quin in præſenti infirmi hominis à peccato felicitatem commendem; quod non propheta neque legatus, neque Angelus, ſed ipſe Ieſus ad illum venerit. Quis ferret peccatorum infirmitates videre, niſi ſolus Ieſus? De magno Elia, peccatorum flagello dicitur Eccleſiaſtici. 48. *Elias, qui in turbine tectus eſt.* Cur ait, tectus eſt? Sanè tegitur Elias ne peccatores videat, & ſic tectus abducitur à Deo ne ſaltem paſsim, dum rapitur, oculos ad peccatores conijciat, & non poſsit ſuſtinere

Eccl. 48.

nere illos; solus enim Deus peccatores cernere, & inter illos agere, & illorum sustinere infirmitates sciuit. Pulchrè apud D. Basil. Seleu. orat. 11. Deus ad Eliam, cum raperetur, & tegeretur, dicit. *Tibi peccantes*
Basil. Sel. *cernere graue spectaculum: mihi vero qui sum Dominus, lex de humanitate præscripta est; me ipsum debitorem clementiæ constitui. Tu ergo subi diuersorium à peccato liberum, carne vestitus cum Angelis conuersare. Ego vero ad homines per incarnationem veniam, ego in eorum salutem curram.* Vnus Deus, nouit inter peccatores versare; vnus Deus si adsit peccatoribus infirmis, eorum curat infirmitates, eorum negotiatur salutem. Veniat ipse ad nos, & omnia sunt nobis tuta. Gen. 28.
Gen. 28. Sodomæ clamoribus excitatus ait Dominus: *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Felices fuissent miseri illi peccatores, si vt sonant Dei verba, sic impleta fuissent, & Deus ad illos per se ipsum descendisset, fallor nisi vindictam differret, misericordiam recordatus, verum non descendit per se ipsum, sed descendit per Angelos, qui non sustinuere pessimorum hominum conspectum, sed statim omnes tradi-
Ibid. 19. derunt flammis. Quippè ait cap. 19. *Venerunt que duo Angeli Sodomam, &c.* Ad quæ
Gregor. respiciens D. Gregor. 19. Moral. 23. citatus à Lypom. in catena fatur. *Ecce vt per Angelos ad cognoscenda mala descendit, mox facinorosos percutit.* Non est pacificus ad peccatores creaturarum aduentus; solus est Deus, qui potest sustinere, & portare infirmitates nostras, & peccata. Cuius accessus ad peccatores, & salutis, & gaudij occasionem affert. Audisti postquam Iesus in cruce spirauit, terram mirabiliter commoueri; ait enim Matth. *& terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Et quales istos terræ motus putas? D. Damascenus credit motus illos fuisse quosdam lætitiæ saltus; quod non possum non valde mirari, præcipuè cum audio terræ prauam
Psalm. 105 dispositionem à Dauide cantatam Psal. 105. *Infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum.* Terra malis operibus infecta, cur sanguinem Saluatoris excipiens exultaret? Cur lætitiæ saltus ederet terra, dum Iesu excipit sanguinem, quæ vindictæ, supplicijque voces audiebat, dum Abelis sanguine aspergebatur? Ad sanguinem iusti hominis vindictæ vocibus quatitur, & ad sanguinem iusti Dei gaudio exultat? Equidem solus Deus peccatrici terræ adesse nouit, illi securitatem & indemnitatem illargiens, vnde quæ timeret cuiuscumque creaturæ accessum, vehementer gaudet susceptura Dei sanguinem, à quo non vindictam, sed medelam sperat suæ infirmitati. Non longè abhoc abest Damascen. *Damasc.* Hom. in Sabbat. sanct. fatus. *Terra concussa est Dominico respersa cruore, tabem, sordesque Idolorum ex sese excutiens lataque ob hanc suam lustrationem exultans.* Nil sibi cauet à Dei accessu terra peccatrix, non timet voces vindictam clamantes in Iesu sanguine, sed potiùs præsentit medelam infirmitatum, & exeussis peccatis, de salute exultat & repletur gaudio. Quò respiciens Sophonias cap.
3. ait. *In illa die dicetur Ierusalem noli ti-* *Sophon. 3.*
mere: Sion, non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit. Non timeat ciuitas peccatrix, & si mille referta sceleribus, quod Deus illi accedat, vbi enim Deus est, ibi salus, omnium medela infirmitatum.

Matt. 8. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres subtectũ meum sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus.

§. V.

Vbi veri Imperatoris Iesu humilis est fides & confessio, facili negotio, verbulo inimica mala propelluntur.

NEMINEM absentis Christi verbo sanatum nouerat nisi forsam cuiusdam principis filiam, cur ergo hic Centurio de solo absentis verbo sperat serui morbum depellere? Cur tam facili telo committit de infirmitatibus victoriam? Profecto has illi spes parturiebat fides, qua diuinum Imperatorem apud se verebatur agentem. Dominum cœlestium exercituum fide videt, & humilis confitetur, cur vel leuiori telo victoriã de malis omnibus non speret? Nobilis ille Imperator Israel Iosue ca. 5. vbi principem exercituum Domini ad se venientem nouit; *Cecidit pronus in terram, & adorans ait. Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?* Quid plura? Ibi iussus est de solo tubarum sonitu sperare victoriam: etenim ait cap. 6. *Cumque sonuerit vox tubæ longior atq; concisior, & in auri* *Iosue 5.*

bus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent. Sic ſola venit victoria voce vbi ſummi Imperatoris Chriſti fides humilis & reuerentia præceſſerit. Id expendet D. Amb. in prologo libr. 1. de Fide ad Gratianum fatus. *Amb.* *Ieſus Naue hoſtes, quos totius exercitus manu valida ſuperare non poterat, ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono vicit: ibi ducem militiæ cœleſtis agnouit. Ergo iam vincere paras, qui fidem vindicas.* Non poteſt non ingentes parturire victorias vel verbulo obtinendas humilis fides: non tibi magna manus neceſſaria ad expellendos hoſtiles incurſus, ad mala vniuerſa exſibilanda; vna fides humilis adſit, & vel verbulo poteſt ſperare victorias. *Num. 20.* Numerorum cap. 20. vt ingentis populi ſitim extingueret Dominus, id ſolum monet ſeruum ſuum Moyſem: *Tolle virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus & loquimini ad Petram coram eis, & illa dabit aquas.* Vel ad ſolam verbuli prolationem promittit de petra aquarum fontem: & ſolum verbum ex Dei imperio ortum ingentes poſſet fideli populo facere ſcaturire fontes miraculorum. Sed accipite quid faciat Moyſes, accedens ad petram ait. *Audite rebelles & increduli. Nunquid de Petra hac vobis aquam poterimus eſſcere? Cumque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ.* Qui iuſſus fuerat verbo aquam educere, non verbo, ſed duplicatis ictibus vtitur, & adhuc dubitat an ictibus daret petra aquas, quas expectabat populus. Cur hoc facit Moyſes? Cur tantum miraculum non ſperat, vel à verbulo, vt iuſſerat Dominus? Cur ictus duplicat, cur geminas percuſſiones? Totam ipſe cauſam exponit cum ait; *audite rebelles & increduli*; non erat fides in populo, non humilis ſubiectio ſuo Saluatori, vnde non audet ſoli verbo credere tantam aquarum copiam, ſed addit maiorem vim, maioremque conatum vt ſemel & bis percuſſus lapis ſi non aquarum, ſaltim de vulnere fundat lacrymarum fontes. Quo minor eſt fides, & humilitas, maior vis & conatus neceſſarius eſt, vt fiant opera, quæ leui verbo faceret humilis fides, & fidelis ſubiectio cuiuſcumque hominis. Promiſerat item Dominus ſe daturum carnes populo vſque ad ſatietatem Numerorum cap. 11. at Moyſes inquit. *Num. 11.* *Nunquid ouium & boum multitudo cædetur, vt poſſint ſufficere ad cibum? Vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſaties? Cui reſpondit Dominus: Nunquid manus Domini invalida eſt?* Cur Domine manus tuæ fortitudinem præ tendis, vt carnium æſum, & capturam piſcium firmam facias? An non vel verbo tuo quoduis facinus conſiſtere poſſet? Nõne vt piſces exhauriret maris aiebat Petrus? *In verbo tuo laxabo rete.* Luc. 5. Sciens à ſolo Dei verbulo poſſe omnes piſces in capturam trahi? Cur ergo Moyſi non Verbum oſtendis, ſed manum, ais enim, nunquid manus mea invalida eſt? Præclaram huius rei attigit rationem Lyra aiens: *Hæc Dei reſponſio erat ad dubitantem.* *Lyra.* Non fuit tunc fidelis ſubiectio in Moyſe, quæ erat in Petro, & ideô Moyſi tota Dei manus & potentia obijcitur, qua innixus ſperet, Petrus autem eam fidem & ſubiectionem habebat, qua vel vno verbulo potuit miracula præſtare ingentia.

Matt. 8. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites & dico huic vade, & vadit, & alio veni, & venit, & ſeruo meo, fac hoc, & facit.

§. VI.

Vaniſſimus Dominorum titulus, vbi ſubditi inexcuſabiliter miſeri mortique ſubiacent.

QVI ſub ſe milites & ſubditos habebat, poſſet ſplendenti aliquo dignitatis titulo compellari, quaſi diceret, ego dux ſum, ego centurio ſum, ego Dominus ſum, verum ſapientiſſimus ille omnes dominationes titulos dimittit & ſe tantum hominem ſub poteſtate conſtitutum meminit. Et quidem vanum eſſet de dominatus titulis gloriari, qui ſeruos nouit tot ſubiectos calamitatibus. Sic poſt transmiſſum Iſraelem in Babylonem. 4. Reg. 25. *Populo qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiſerat Nabuchodonoſor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam.* *4. Reg. 25.* Non dicitur quod factus fuerit dux ſiue princeps populi; ſed tantum quod præfectus fuerit, hoc eſt, quod ſubſe habuerit calamitoſas populi requias. Quod notans Diuus Seuerus Sulpitius libri primi. Hiſtoriar. ait. *Nabuchodonoſor abducto populo, reſiduiſque quos belli conditio vel præda faſtidium relinqui à victoribus fecerat, Godoliam eiuſdem gentis* *Sulpit.* præpo-

præpoſunt abſque vllo inſigni regio, aut imperij nomine: quia præeſſe paucis, & calamitoſis nulla dignitas erat. Cur nobilitaretur dominatus titulis, qui miſeris, & calamitoſis hominibus præficiebatur? Vaniſsimus titulus eſt regni, vel dominij, vbi ſubditi omnes pauperes, & calamitoſi homuntiones ſunt. Legeſe cundum caput Geneſeos ab illis verbis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem*: quippe ex inde per totum caput, vbi homo ditiſsimo ſtatu conſtituitur, vbi paradiſus fundatur, vbi pulchra ſpõſa creatur, vbi primę nuptiæ explicantur, nunquam non dicitur Dominus Deus, gaudens ipſa diuinitas ſplendenti dominatus titulo decorari. Verum vbi homo paradiſo eiectus ſudori, tribulis, ſpinis datur, tunc ablato Domini titulo iuxta Lyppomani, & D. Anaſtaſij Sinaita, ſolum Deus nominatur. Dicit enim in horum lectione cap. 3. *Emiſit eum Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Quo circa præclare addubitat Sinaita lib. 7. Examer. aiens. *Quam ob rem autem, ò Iudæe, diuina ſcriptura, quæ in ſeptendecim capitibus conſequenter in paradiſo Deum duplici nomine nominabat, & eum Dominum, & Deum appellauerat; ſtatim poſt hominis è paradiſo egreſſum, ipſum Deum appellauit, ſed non Dominum, & Deum?* Non ignorabit cauſam, qui miſerum hominis ſtatũ non ignoret, vt enim gaudebat Deus dici dominum hominis opulẽti, fælicis, tota ditati poſſione paradiſi. Sic hominis ærumnoſi, de paupertati dominum nequit appellari. Indignum prorſus eſt dignitatum dominatuſque titulos oſtentare, vbi ſubditi calamitate preſsi iacent. Vnde merito dicebat ille apud Iſaiam cap. 3. *Nolite conſtituere me principem populi: ruit enim Hieruſalem, & Iuda concidit.* Quis ruinarum, & deiectorum principatus amabit? Aliter Septuag. reddidere prædicta verba, nimirum. *Non ero dux populi huius*, quaſi non ſolum petat ſibi non deferri, ſed omnino illum contemnat, & expuat. Sed vnde priſcis temporibus tantus regni cõtemtus ortus eſt? Iam explicat aiens. *Quia diſſoluta eſt Hieruſalem, & Iudæa concidit.* Non abſolute principatum, ſed principatum deiectorum expuit. Ita D. Baſil. ibi fatur: *Non abſolute ait: Non ero dux populi huius, ſed cauſam ſubiunxit: Quia diſſoluta eſt Hieruſalem, &c.* Nihilo æſtimanda regia dignitas, ridendus principatus, vbi ſubditi paupertatem, & infirmam vitam agunt, vbi prociuiũ infirmitate, & paupertate ciuitates ruinam minantur.

Gen. 2.

Sinait.

Iſai. 3.

Baſil.

§. VII.

Vnus Deus poteſt homini imperium parare.

HOMO, inquit, ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites, &c. Etenim quis homo eſt, non à ſe, ſed à ſuperiori poteſtate habet, quod ſibi ſubijciantur creaturæ. Superioris eſt poteſtatis, imò operis eſt diuini, quod ſub homine aliqui viuant, eiuſque ſeruiãt nutui. Huc ſpectat illud Ioan. cap. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Et ſane poſt condita ſæcula dicitur Deus ab opere requieuiſſe, omne operis negotium dimittens cauſis ſecundis. Quod ergo opus eſt, cui perpetuo Deus perſe inſudat? Sane vt conditæ creaturæ ſub hominis poteſtate valeãt viuere. S. Caud. tract. 10. Sic præcedentem locum ediſſerit: *Quod elementa, tã cæleſtia, quam terrena humano generi ſeruiunt, ipſius opus eſt. Quomodo enim, non contemnerent exiguum terrenumque hominem, niſi creatoris ſui imperio obedirent?* Quæ creatura ſub hominis poteſtate, & dominio velit viuere, niſi Deus id in dies procuret? Quis homo homini nomen daret, niſi id negotiaretur Dei nutus? Merito diuina ſapientia Prouerb. 8. ait. *Per me Reges regnãt*, quippe ſolus Deus hoc potuiſſet imponere iugum ſuper filios Adã, vt velint homini ſeruire. Matth. 1. de Ieſu Domino locutus Angelus ait: *Saluum faciet populum ſuum*, ex quibus verbis agnoſcit S. Proclus de Fide ad Armenos, diuinitatem Ieſu, quod dicatur Saluaturus populum ſuum, quis enim homo populum haberet ſuum? Quis non Deus ſibi populum adſcriberet? Quippe ait ille: *Populus autem non poteſt eſſe populus hominis, ſed Dei.* Tota vis, & induſtria humana non poſſet cogere homines in vnum populum, vt ſub vno principe viuerent, id poteſtatis eſt diuinæ. Nulla hominum poteſtas, & ſapientia poſſet ſibi vnum regem præficere. Ideò primo Reg, cap. 16. Vbi inaugurandus erat Dauid, ſic loquitur dominus ad Samuelem. *Imple cornu oleo, & veni: mittam te in Bethlem ad Iſai, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Cur non explicat nominatim, quem ſibi prouiderit? Cur iubet ire Prophetam ad filios Iſai, vt vngat regem, nec dicit, quis ſit vngendus? D. Baſil. Seleu. orat. 14. hanc reddit rationem, nimirum. *Ne humanæ videatur eſſe gratiæ vnctio; ne ve Samuelis electio videretur regni adiectio, communi filiorũ appellatione, filium iſtum tegit.* Derogaretur ſanè veritati, vel ſuſpicio eſſe poſſet, quod reges crearentur ab hominibus, cũ regis inuẽtio penes Deũ ſit. Ille ſolus poſſet facere, q̃ hominũ imperiũ ſub eat homo vnus, qui voluntates hominum vitijs purgatas in vnitate ſpiritus fecerit ambulare.

Gaud.

Prouer. 8.

Matth.

Proculus

1 Reg. 16.

Baſil. Sel.

Rom. 13.

Hic est Deus, & præter Deum nemo alius.
Roman. 13. Vnde D. Paul. ad Rom. cap. 13. ait. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* Maluit dicere, omnis anima, quam omnis homo, vt doceret, quodqui humanam politiam colit, sub principibusque vitam agit, à carnalibus affectibus debet esse perpurgatus. Solus enim, qui carnalibus vitijs non immergitur, suaue & leue putat iugum potestatem: alioquin quo modo feret homo carnalis, alterius legibus, & dictis stare? Quo posito præclarè educit Apostolus illud. *Non est enim potestas nisi à Deo.* Cui
Anselm. subscribens D. Anselmus ait. *Numquam enim posset fieri nisi operatione solus Dei, vt tot homines vni seruirent, quem considerant vnius secum esse fragilitatis, & naturæ. Sed quia Deus subditis inspirat timorem, & obediendi voluntatem, contingit ita.* Qui solus humanis mentibus virtutes potest indere, hic solus potestates in mũdo valet introducere. Equidem carnalium & impiorum hominum illa est vox Sapientiæ
Sapien. 2. cap. 2. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Quis impius legislatorem ferat? Iniquitatum vltorẽ, iustitiæ vindicem quis sustineat non sanus? Solus ergo, qui noluit virtutes perficere, noluit Reges creare. A Deo pendetis ô Reges, ideo hominum dominamini, quia Dei imaginem portatis, vt dicat D. Amb. in epist. ad
Amb. Rom. 13. *Regis propter corrigendam vitã creantur, Dei habentes imaginem, vt sub vno sint cæteri.* Hinc pessimo Regi, qui fortitudini suæ regnum attribuebat, vox de cœlo ait Daniel. 4.
Dan. 4. *Regnum tuum transijt à te, & ab hominibus ejicient te: Donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.*

§. VIII.

Quam reuereantur creaturæ hominis regale ingenium.

EX tot pulcherrimis corporibus, quæ oculis cernuntur, vnius hominis iussa fiunt, vnius hominis nutum creaturæ sequuntur: sane quia vni homini regale ingenium inest. Is est homo rex à Deo constitutus, cui omnis creaturarum orbis militat, quẽ nunquam non verentur creaturæ. Quæ creatura magis in homines rebellat, & insultat, quam gehenna? Hæc hominem à regio culmine deiectum suscipit, vt puniat; peccati seruum videt, vt ignorans eius regiam naturam, vt seruum verberet, imò exurat. Sed adeò notum est regale ingenium hominis vniuersis creaturis, vt ipsa gehenna, dum punit, simul & reuereatur hominem, eiusq; conseruationi ministret. Do pulchra verba Eusebij Emisseni serm. 2. de symbolo, vbi inquit.
Euseb. *Hanc solam debet damnato homini rationabilis ille ardor, ac vindex flamma reuerentiam; vt traditos sibi reos, cum possit punire, non possit extinguere, sed deputata in paululum suum corpora, & consumat & nutriat.* Nec licet æterno igni omnem reuerentiam negare homini etiam reo, sed in ipsa carnificina reuerentiam habet suo principi. Ex quo lucem capit illud sapientiæ cap. 12. vbi sic: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Disponit nos Dominus cum magna reuerentia, quando nullo casu permittit, quod aliqualis reuerentia non habeatur homini à creaturis. Nullibi non habent homini reuerentiam creaturæ, etiam in pœnis constituto, etiam in gehenna posito, gehenna reuerentiam habet aliqualem, qua non potest extinguere reos, sed nutrit. Vt meritò dicat Salui-
Sapien. 12. anus lib. 2. de Guber. Dei. *Ecce habes iugiter disponentem Deum, iugiter gubernantem: quamuis in isto loco non gubernatio tantum sæua, sed etiam dignitas declaretur humana? In hoc autem, quod ait, disponis nos, vis diuinæ gubernationis: in hoc autem, quod cum magna reuerentia, culmen humanæ ostenditur dignitatis.* Ingens procul dubio est hominis dignitas, cui nunquam licet creaturis non habere aliqualem reuerentiam. Imò nihil non sustinent creaturæ, vt hominum commodis studeant. Ecce tibi Elias quam dure propter homines vniuersas creaturas percutit. 3. Reg.
3. Reg. 17. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxtà oris mei verba.* Id quod ponderans Eucherius lib. 4. in Reg. ait: *Commouit omnem creaturam vnus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans*
Euch. *aera, cœlumque concussit: turbatus est humani ministerij ordo, & à sæculis institutæ elemẽtorum armoniâ contabuit: sed elementa pœnam suam lætà suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honorem proficiat conditoris.* Nil sibi durum reputant creaturæ, quod hominum saluti sit proficuum: sic Regi suo operam impendere habent ab ipsa natura.

§. IX.

Subditi non instar famulorum, aut seruorum tractandi sunt.

PRAEFECTVS erat cẽturio hic militum, insuper & domesticorum Dominus ser-

uorum

norum, vt ergo ſuæ poteſtatis oſtenderet vſum, non indiſcrete ait, dico meis facite hoc, & faciunt, ſed diſtinctione vtitur, & aliter cũ ſubditis militibus, aliter cum famulis ſe oſtendit habere. Odi enim prælatos illos, ſiue Dominos, qui etiam ingenuos ſubditos inſtar famulorum tranctant, hi equidem & ipſi Deo odioſi ſunt, qui paſtores Iſraelis minitans apud Ezech. cap. 34. hanc minarum rationem ponit. *Cum abſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Meritò odibiles ſunt Deo præfecti, qui ingenuos ſubditos deſpotice, & cum auſteritate vt ſeruos moderantur. Bonus iſte Centurio ſeruis iubebat, verum militibus nõ iubet, ſed dicit: quippe ait, *dico huic vade & vadit*, nec verbo potentiam, & imperium exerit, ne tam dux quã commilito appareat. Sapientia 12. aiebat ad Deum: *Et cum magna reuerentia diſponis nos.* Reuerentia non habetur niſi ſuperiori, Deus autem cum naturâ ſit omnium Dominus, non poteſt creaturæ reuerentiam habere, tamen in exterioribus effectibus ſic ſe gerit, cũ cauſas hominum diſponit, ac moderatur, quaſi illos vt ſuperiores reueretur, & metueret illos offendere. Cur hoc niſi vt mundialibus principibus, & prælatis imperandi præbeat præclarum exemplum? Quod enim reſpectu Dei fieri nequit, id reſpectu mundialium præfectorum paſſim accidit: quod nimirum habent ſubditos ſibi longè præſtantiores, & ſuperiores omni ſapientia, omni fortitudine, omni rerum agendarum dexteritate; hos norint duces, & prælati, & illos magna cum reuerentia diſponant. Ecce vobis Maria & Ioſeph accipiunt imperium in Ieſum: ait enim Lucas ca. 2. *& erat ſubditus illis.* Imperabat quidem Ioſeph Ieſu, homo Deo, vas figulo, ſanctus vir longè ſanctiori & ſapientiori; conueniant huc vniuerſi prælati, & diſcant à Ioſeph ingenuis, & præſtantioribus ſubditis imperare. De quo Orig. Hom. 20. in Lucam ait. *Puto quod intelligebat Ioſeph, quod maior ſe erat Ieſus, qui ſubijciebatur ſibi: & ſciens maiorem eſſe ſubiectum, trepidus moderabatur imperium. Videant ergo vnuſquiſque quod ſæpè melioribus præpoſitus ſit inferior* &c. Oculatiſsimi ſint mundiales principes, & prelati, videantque quos ſuperiores & præſtantiores ſibi habeant ſubiectos, imo pro modeſtia Chriſtiana, quaſi ſibi ſuperiores reputent vniuerſos, quos trepidi moderentur magna cum reuerentia. Nec quod neceſſum ſit punire, & caſtigare ſubditorum errores, ideò obliuiſcantur prælati reuerentiæ ſubditis debitæ; ſed ſic puniant, ſic caſtigent peccata, vt immediatè poſt punitionem, quaſi ſanctiſsimis exhibeant honorem. Do huius rei præclarum exemplũ. 3. Reg. 13. exhibitum: vbi cum homo Dei ignoranter contra Dei præceptum egiſſet, expertus eſt ſe ſubiectum eſſe Leoni, à quo caſtigaretur, & puniretur propter peccatum. Sed qualiter leo accipiens poteſtatem in hominem Dei, illa vſus eſt? *Inuenit enim Leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, & leo ſtabat iuxta cadauer.* Caſtigat ſibi ſubiectum hominem Dei immanis bellua, imo occidit, vt morte corporis expiet mentis culpam; & poſt iuſtum ſupplicium inflictum, nil amplius audet, imo ſtans iuxta cadauer veretur iuſtũ, & honorem exhibet vel illius cineri. Pulchrè D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 24. ait. *Qui occidendi auſum habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iuſtus ex morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necauerat, cuſtodiuit poſt modum cadauer iuſti.* Sic quicumque in ingentios & præſtantes viros accipiunt poteſtatem, dum errantes & peccantes nouerint, illos puniant, illos corripiant, ſed caueant, ne inde inſultent, imo poſt punitam culpam, iuſtos & ſanctos habeant, eoſque reuereantur, & metuant, quod illis offendere valeant.

Ezech. 34.

Sapien. 12.

Luc. 2.

Orig.

3. Reg. 13.

Greg.

Matt. 8. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Non inueni tantam fidem in Iſrael.

§. X.

Chriſtus Dominus longe ſuperat laudatores ſuos in laudum retributione.

CENTVRIO diuinam Chriſti odoratus poteſtatem, ſe ſolum poſtpoſuit poteſtati diuinæ; à minori enim arguens ait, & ego homo ſum, & dico huic vade, & vadit: ſuum ſolum imperium confert cum diuino, vt inde extollat diuinum. Quam largior Dominus reſpondit fidem centurionis præferens non vnius hominis, ſed omnium Iſraelitarum exiſtentium fidei? *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Sic ſemper nouit Dominus excedere & ſuperare laudibus vniuerſos laudatores ſuos. Ioan. 1. Vidit præcurſor Domini Ieſum ambulantem, & ait. *Ecce agnus Dei.* Sed Dominus nactus occaſionem loquendi ſic præcurſorem ſuum extollit laudibus Matth. 11. *Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum.* Ioannes vocat agnum Ieſum, Ieſus autem

Ioan. 1.

Matth. 11.

vocat Ioannem Angelum. Id quod ponderas
Chryſoſt. D. Chryſoſt. Hom. 27. in Matth. fatur. *Ioannes quidem teſtificatus erat de Chriſto: Ecce agnus Dei. Sed amplius recepit à Chriſto quam præſtitit. Ioannes enim Chriſtum glorificans, humanam illi contulit laudem. Chriſtus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iſte illum agnum oſtendit, ille autem iſtum Angelum prædicauit. Iſte minus laudauit in Chriſto, quam erat. Nam non ſolum peccata mundi abſtulit, ſed etiam vitã æternam mundo donauit. Ille autem iſtum ſupra quam videbatur, erexit: vt qui homo erat Angelus diceretur.* A nemine patitur Ieſus vinci, maiora ſemper retribuere nouit, neque in laudibus par pari, ſed magna minimis refert. Et quando Ieſus non retulit maiora ſuis laudatoribus? Poſt illuſtrem illam confeſsionem, quam Perrus à Patre acceptam reddidit Ieſu Matth. 16. Vide quàm ſe effundat Ieſus in
Matth. 16. Petro laudando: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelabit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Non potuit Saluator in præſenti maiora Petro referre, ſiquidem ab illo dictus fuerat filius Dei viui, quo maius eſſe nequit. Verùm qui breui ſermone ſuam diuinitatem ex ore Petri percepit, longiſsimis ſermonibus, & laudum incrementis Petri concinit excellentiam: ex parte ſaltim laudatoris maius quid refert Petro, cum ait: *Et ego dico tibi.* Id quod ponderans D. Leo ſerm. 3. ait. *Et ego,* in-
Leo. quit, *dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam.* In quo poſſum te excedo, dum qui laudes per hominem accepi, Deus cum ſim hominis fio laudator egregius.

Matt. 8. Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno coelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.

§. XI.

In Heroum genealogiis non propagatio carnis, ſed virtutum ſimilitudo attendenda.

VANE de patre Abraham gloriantur, qui eius fidei minimè adhæſerunt, non enim in Heroũm familijs cenſentur filij ex propagine carnis, ſed ex virtutum facinorumque imitatione. Nec otioſe cautum eſt in lege, in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ſed vt omnes iam excluderentur ab Abrahamidum cenſu, qui Iſaaci minimè exiſterent æmuli. Non ne Iſmael Abrahami fuit proles? Cur ergo ſolum dicitur: in Iſaac vocabitur tibi ſemen? Cur ſolum iuxta Iſaaci cenſum Abrahamides habentur? Iſaacum non tam fecit natura filium Abrahami, quam gratia, quam Dei promiſsio, vnde ex illo iam innuebatur, quod non ſpectandi erant magnorum filij iuxta carnis propagationem, ſed iuxta gratiæ facinora, & ſpem ingentis promiſsionis. Notat Theodulus in cap. ad Rom. 9. *Nam Iſaac non*
Theodul. *eſt natus lege naturæ, ſed virtute promiſsionis, igitur qui ſic nati ſunt, filij ſunt Abrahæ.* Non parit natura Abrahamides, ſed gratia; magnorum proles non adoleſcunt de carnali lacte; ſed de cœleſtium expectatione, de virtutum operatione. Hinc Matthæus Genealogiam Saluatoris depingens, eum patrem appoſuit, nimirum Ioſephum, qui ſecundum carnem minimè fuit Ieſu pater. Quid agis nobilis ſcriba? Genealogiæ lineis interſeris, quos minimè nouit natura patres? Odorabatur Euangeliſta Abrahamidum nobile ſtemma, quod non per naturæ, ſed per gratiæ facinora erat euulgandum. Rupert. de Trinit. lib. 1. in euãg.
Rup. cap. 4. *Quæ ratio eſt, vt generationis linea contingat Ioſephum, qui Ieſum Chriſtum non genuit? Euangeliſta diuinus generationem carnis Chriſti minus curauit, quæ paucorum erat, nec eiſdem ad ſalutem ſolam ſufficiebat, ſed ad generationem gratiæ intendit, quæ multorum eſt, vel eſſe poteſt, & eis ad ſalutem ſola ſufficere valet.* Cur in Chriſti genealogia non poneret, quem Chriſtianæ gratiæ virtus commendabat? vidit Ioſephi virtutes propinquiſsimas Saluatori, & non dubitauit inter Ieſu parentes Ioſephum annumerare. Neſciunt ſacri hiſtoriographi alium filiorum ordinem, niſi quem dant virtutes patriæ, inter illos agnoſcunt filiorum & parentum ordinem, inter quos virtutum ſimilitudines adnotant. Hinc eſt quod 4. Reg. 4. Reg. 23.
23. duos Ieroſolymæ reges memorans textus nimirum Ioachaz & Ioachim à ſantiſsimo pijſsimoque Ioſia ſatos, de Ioachaz ait. *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* Rurſus de Ioachim eadem repetit. *Ficit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.* At Ioſias, à quo geniti sũt, ſanctiſsimus, religioſiſsimuſque fuit, cur abſolutè dicuntur feciſſe malum, iuxta omnia, quæ fecerant patres eorum? Nonne pater eorum Ioſias? Abſit; non enim carnis propagatio, ſed animi virtus Heroum hominũ genus facit.

facit. Illius filius quiſque eſt in diuino cenſu, quem moribus refert, modus viuendi aut facit aut abiurat filios, aut patres. Conueniant huc qui in luctu ſunt, quod ſucceſſoribus careant carnalibus, & diſcant longe veriores & præſtantiores filios ſibi procreare. Ad quos *Hieron.* præclarè loquitur D. Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinian. ex ſententia Theophraſti fatus. Porro liberorum cauſa vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non intereat, vel habeamus ſenectutis præſidia, & certis vtamur hæredibus, ſtolidiſsimum eſt. Quid enim ad nos pertinet recedentes à mundo, ſi nomine noſtro alius nominetur: cum & filius non ſtatim patris vocabulum referat: & innumerabiles ſint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ ſenectutis auxilia ſunt, enutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut peruerſiſsimus ſit moribus? Aut certè cum ad maturam ætatem venerit, tarde ei videaris mori? *Hæredes autem meliores & certiores amici ſunt & propinqui, quos iudicio deligas, quam quos velis nolis habere cogaris.* Quis hoc neget? Quis adeo animalis homo eſt, qui non ſibi melius putet iudicio quam natura filios facere? Is ſanè melior & certior filius eſt, qui ſic omnes bonas exequitur patris voluntates, vt ſemper ſummis laudibus dignum conſeruet & iudicium, & electionem patris. Illos æſtima filios, quos non caro & ſanguis, ſed maiorum tuorum virtutes tibi pariunt: inter multa mala hoc bonum dicebat Tertul. lib. de Monogamia. *Tertul.* *Quid ſi de poſteritate quis cogitet iſdem animis, quibus oculis vxor Loth: vt ideò quis repetat matrimonium; quia de priore liberos non habuit: hæredes ſcilicet Chriſtianus quæret, ſæculi totius exhæres? Habet fratres, habet Eccleſiam matrem.* Quæ poſt ſe relinquebat laſciuis oculis vxor Loth aſpexit, & perijt: vereor ne laſciuus ſit etiam animus, qui ex carnali copula quærit, quos poſt ſe relicturus eſt. Habet Chriſtianus tot filios & patres, quot ſunt in Eccleſia Chriſtiani eiuſdem fidei nomine & moribus ſeſe inuicem repræſentantes. Hos quære filios, quos virtus parit.

§. XII.

Fœliciſsimum homini eſt, quod præſtantiſsimos viros, parentes poſsit facere ſuos.

NESCIO an ſit aliquid magis adnatum humanæ naturæ, quam ſibi grandes parentes affingere, nec in nulla re magis naturaliter homines mentiuntur. Parum eſt, mentiuntur, imò infami notâ non dubitant verorum parentum infamare nomen, dum ſe grandibus alijs adſcribant. De Alexandro & Auguſto pulchrè cecinit Sidonius in Paneg. *Sidon.* Authemij.

Magnus Alexander, nec non Auguſtus habentur
Concepti ſerpente Deo: Phœbumque Iouemque
Diuiſere ſibi: namque horum quæſijt vnus
Cyniphya ſub ſyrte patrem: maculis genetricis
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi.

Eſt ne modo aliquis, qui etiam ſuæ genitricis maculis quærat Heroes parentes? Equidem plurimi ſunt; his fœliciorem & faciliorem modum, quo ſe grandibus adſcribant familijs, Dominus propinat; illorum enim ſe poſsint facere filios; quorum æmulẽtur virtutes; quorum effulgeant gloria facinorum. *Multi*, ait, *ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, & ſi extremis mundi oris, à terra vel à ſyrte aliqua naſcaris, tibi Abrahamidum genus adſcribes, æmulus Abrahamidum fidei & facinoris. Mulier illa Chananæa Mar. 7. vt à Domino audiuit, non licet tollere panem filiorum, & mittere illum canibus, & Iſraelitas filios, & ſe canem æſtimauit; & illo ſpiritu quo aiebat Abraham, *loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis*, aiebat illa; *Etiam Domine nam & catelli cõedunt de micis, quæ cadunt de menſis dominorum ſuorum.* Quid tunc? Dum humilitatis Abrahamidis ſpiritum æmulatur, ſe à cane filiam fecit Abrahæ. Sedulius lib. 3. Paſcali cap. 22. fatur. *Vox humilima, fides excelſa, quæ ſoſpite filia canem tranſtulit in ouem, inque ſenibus ſuæ gentis exortam, Hebræi gramine fecit intoire per paſcua.* Venit mulier Chananæa, & dum ſe cani aſsimilat, inter Abrahamidum heroes renaſcitur. Vbique gentium hunc ilitas & fides regenerat & parit Abrahamides. Apud Lucam 18. adeſt humilis publicanus, ſtat Phariſæus de generis ſuperbus nobilitate; Hic heroum ſtemmatibus glorioſus, ille de tabellis abiectus, vterque Deo ſupplicabat. Publicanus autem percutiens pectora ſua aiebat; *propitius eſto mihi peccatori.* Verum Phariſæus longè aliter profert verba plena ſuperbia, plena faſtus, aiens: *Non ſum ſicut cæteri homines.* Ad *Baſil. Sel.* quæ ſtatim D. Baſil. Seleu. orat. 35. fatur. *Non ſic olim ad Deum loquebatur progenitor tuus Abraham, vel potius publicani progenitor, nam ſibi Abrahami genus publicani mores adiungunt.* Non natura, ſed mores, ſed virtutes Heroum familijs filios parturiunt. Tibi licet & genus & paucos eligere, dum naues operam eorum efficiendis virtutibus. Similiter contundit Phariſaicum faſtum peccatrix illa mulier ad

pedes

pedes Christi procúmbens, illoſque lachrymis lauans, & tergens capillis, quo ſe præ Phariſæo aſſeruit Abrahamidum filiam. Sic D. Pauli. epiſt. 4. *Tu Phariſæe, pedes Chriſti nec linteo, illa crine deterſit. Quos tu indigne, nec manibus contingere voluiſti: illa oculis mulcere non deſtitit. At certe tu potius hoc miniſterium in domo tua recepto hoſpiti debuiſſes, ſi vel exemplo patrũ fas hoſpitale ſeruaſſes. Sed ſufficit vobis ad ſuperbiam iactare patrem Abraham: & ideo te illa præuenit, quæ affectu fideli, ſe potius patris tui filiam comprobauit: à quo te de generem etiam iſta inhumanitas arguit, qua dedignatus es lauare pedes Domini: cum & Abraham Angelorum, & ipſe Dominus lauerit ſeruulorum.* Nemo deinde queratur abiectis ſe parentibus ortum fuiſſe, cum ipſius ſit poteſtatis per æmulationem virtutum Heroum ſe familijs adſcribere. De hoc ſupra lib. 6. cap. 8. §. 16. & alibi.

Paulin.

§. XIII.

Quaſi poſſeſſa habentur ea, quæ a Deo nobis promiſſa ſunt.

ECCE regni filij, hoc eſt, quibus regnũ cœlorũ promiſſum erat, eijciũtur foras; & quomodo foras eijcitur, qui nunquam intus erat? Sed intus erat, qui promiſsionem Dei habebat, quaſi enim in poſſeſsione ſumus eorum, quæ nobis à Deo ſunt promiſſa. Pſal. 104. locutus Dauid de Abrahamo, Iſaac, & Iacob, ait. *Tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.* Nondum in terra Chanaam regnabant, non dum Hebræorum erat regnum, cur ergo dicuntur tranſiiſſe de regno ad populum alterum? Quia illius terræ regnum promiſſum erat Iudæis, quod in Dei promiſsione habebant, quaſi in eiuſdem poſſeſsione reputantur eſſe. Aug. *Merito quæri poteſt, de quo regno tranſierunt? Nondum enim regnabant in terra Chanaam, quia nondum fuerat regnum conſtitutum in populo Iſrael. Quomodo ergo intelligi poteſt, niſi forte, quia ibi regnum futurum erat ſeminis eorum?* Quod à Deo promiſſum erat regnum adeò certo futurum erat, vt de illo quaſi iam poſſeſſo, & habito loqui poſſent. Reputa tibi iam obtigiſſe, quidquid in Dei habes promiſsione, quo circa aiebat Iſaias cap. 54. *Lætare ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quam eius, quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, clauos tuos conſolida, ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit.* Expende verbum, hæreditabit, quod proprie dicitũr de bonis, quæ ab vno poſſeſſore ad alios ex teſtamento deuoluuntur, at quando quis de noue acquirit bona, quæ à nullo antea ſuorum poſſeſſa fuerunt, neſcio quomodo illorum hæredem poſsit dici. Et quando genus Abrahæ gẽtes poſſedit? Quando ſub ditione ſua habuit nationes? Quod ſi patres nullam nationũ poſſeſsionem habuere, non dicantur filij hæreditaturi, ſed acquiſituri de noue illas. Habebant tamen antiqui patres nationum promiſsionem, & quia in promiſsione Dei erant gentes, quaſi iam in poſſeſsione eſſent, merito gentium hæredes dicuntur filij, qui modo poſsident illas. Adeo enim certa eſt Dei promiſsio, vt res à Deo promiſſæ, quaſi iam poſſeſſę putentur â ſanctis viris. Gen. 28. dormienti Iacobo apparet Dominus, illique ingentes glorias, ingentemque ſubſtantiam promittit. Etenim ait: *Terram, in qua tu dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Erit ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem. Benedicentur in te omnes gentes.* Ad hæc autem Iacob expergefactus, gratitudine plenus, gratias Deo referens, erigit lapidem in titulum, vouit votum, & ait. *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum: erit mihi Dominus in Deũ.* Valde miratur Chryſoſt. quod ſanctus Iacob, vbi tantarum rerum promiſsiones accepit, nihil illarum meminerit, nec regna, nec populos, nec Gentium benedictionem, ſed ſolius panis; & veſtimenti meminit, panemque ſolum, & veſtitum à Deo petit. Cur non potius vt firma, ſanctaque habeat ingentium gloriarum data promiſſa? At ſanctus vir quas glorias in promiſsione accepit, adeo æſtimat illas vt poſſeſſas, & habitas; vt magis pro acceptis illis vota facere, quam petitiones curet inſtituere. Chryſoſt. homil. 45. in Gen. *Iam fidei oculis non multo poſt futuram præuidens abundantiam, ſuam declarabat gratitudinem: & qui nihil adhuc acceperat, vouet, digniorem fide æſtimans promiſsionem Domini, quam rerum poſſeſsionem. Neque enim ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus, & videmus, vt promiſsionibus Dei etiam, ſi non eueniant ſtatim primo tempore.* Sic æſtimant ſancti viri promiſsiones diuinas: Sic illas æſtimabat nobilis Centurio Matth. 8. *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Quid eſt. *Dic verbo?* D. Baſil. Seleu. orat. 19. *Pollicentem videam, & optata conſequar.* Nullum eſt dubium de rerum conſecutione, vbi auditur promiſsio diuina.

Pſal. 104.

Aguſt.

Iſai. c. 54.

Gen. 28.

Chryſoſt.

Matth. 8.

Baſil. ſel.

Matth. 8.

Matt. 8. Dixit autem Ieſus Centurioni, vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

§. XIV.

Valde glorioſum eſt, quod tibi & aliis vtilis ſis ad ſalutem.

QVIS non extollat Centurionis huius fidem, quæ ſic exundauit meritis, & non ſolum ſibi, ſed & ſeruo ſuo attulerit ſalutem? Pulchrè aiebat Euſebius Gallicanus Hom. de Quadrag. *Fœlix per quem etiam in alienam ſalutem exundant merita propria: felix in cuius mentem redundat ſalus aliena.* Quam magna ſunt merita, quæ proprijs ſubducta limitibus, ad aliena egredi conſueuerunt! Iſaias cap. 4. ait. *Omnes reges gentium dormierunt in gloria.* Quæ verba explanans D. Aelredus ſerm. 18. putat glorioſum illum ſomnum, quando qui dormit, non ſibi vni vacat, ſibi vni attendit, ſed alijs etiam proficere poteſt. Etenim ait. *Obdormiuit diues in contumelia, & ſepultus eſt in inferno; Lazarus obdormiuit in miſericordia, qui in ſinum deducitur Abrahæ. Ipſe Abraham in gloria, qui non ſolum ſibi ſed etiam Lazaro potuit eſſe conſolationi.* Bene reges dicuntur, qui tanta gloria nobilitantur, qua & ſibi ſufficiunt & alijs. Memini apud Lucam cap. 16. Sic eſſe conſultum diuitibus huius ſæculi. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis excipiant vos in æterna tabernacula.* Et dum ſcire cupio, qui ſunt hi tam felices, tam glorioſi amici, qui in æternis tabernaculis non ſolum ipſi degunt, ſed & alijs poſſunt locum præſtare; ſic indigitat ipſe Saluator, dum ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Ad ſolos illos, qui reges ſunt, poſſet tanta gloria pertinere, quod ſibi habeant & alijs. Pulchrè ad hæc D. Bern. in declamationibus ait. *Communicate eam pauperibus, quorum eſt regnum Dei: vt cum venerit hora eorum, reminiſcantur, & deficientes vos recipiant in æterna tabernacula ſua, & conſolationem ſuam: Menſuram enim bonam, & coagitatam, & ſuper effluentem dabunt in ſinus eorum, nec erit illud pallium breue, quod duos operire non poſſet, aut ſtratum coangſtatum, vt decidat alter.* Sic nobilitantur illi, qui regio in cœlis fulgent decore, vt ſibi & alijs abundent. Fallor ſi fuit regnantium vox illa apud Matth. 25. *Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis: ite potius ad vendentes.* Feliciores equidem, & regaliores, & glorioſores ſi ſic meritis exundarent, vt ſibi & alijs ſufficere, imo abundare poſſent. Habent equidem glorioſi reges menſuram bonã, coagitatam, & ſuperefluentem, vt ad alios perueniat. Regnum abiurat, cuius pallium adeò breue eſt, vt neminẽ præter illum capiat, cuius tabernaculum adeò anguſtum vt non ſufficiat ſibi & alijs. Illa regalium hominum demonſtratio eſt, quam exhibet ſponſa Cant. 1. aiens. *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Rex eſt regaliq; gloria inſignitus, qui non ſibi vni prouidit cellarium, ſeu tabernaculum, ſed multa habet, quibus excipiat alios S. Bern. ſer. 23. in Cant. *Innuit hic etiam ſermo quem dixit: quia introduxit me rex in cellaria ſua; dum non in vnam aliquam cellam, ſed in cellaria pluraliter ſe introductam oſtendit.* Regalis gloria ſuperefluens eſt, & exundans ad alios, & multis abũdans. Vnde meritò nos omnes monebat D. Cæſarius Arel. Hom. 18. ſatus. *Taliter vos exhibere debetis, fratres, tam ſanctè, & tam iuſtè, tam pie, vt merita veſtra non ſolum vobis ſufficere, ſed etiam peccantibus alijs in hoc ſæculo poſſint veniã impetrare.* Hæc ille. Hoc nouerat Moyſes quando offenſum Deum, & iratum aduerſus Iſraelitas ſic orabat, Exo. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* Cur cum tanto ſui diſpendio ſuorũ quærit Moyſes ſalutem? An non bonum illi erat, ſi ſolus ipſe apud Deum regnaret? Chryſoſt. Hom. 79. ad Pop. ait. *Nullum meritum eſſe magnum poſſet, niſi lucrum & alijs communicaret; ſiue ieiunus maneas, ſiue dormias humi, ſiue fauillam comedas, ſiue ligeas continue, & nulli proſis alteri, nihil magnum efficis.* Imò iuſtè timere ſibi poteſt, qui adeò aliorum curam dimiſit, vt vni ſibi conſulens, ab aliorum abſtineat ſalute, cum res tulerit, procuranda. Huic darẽ verba, quæ Aeſteri dedit Mardochæus c. 4. *Si enim nunc ſilueris per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pararetis?* Et quidem alij pro alijs in vita ſtamus, quare dum nobis ſolis conſulimus, metuendum eſt, ne aliter ſalus veniat proximis, & nos in pericula deueniamus. Quod in Iona animaduertẽs D. Chryſoſt. ſupra, ait. *Ianas vero, quoniam propriã vtilitatem quæſiuit, etiam periclitatus eſt; & ciuitas quidem ſtabat, ipſe verò ſubmergebatur.* Non eris ſecurus, vbi non es proximis ſalutaris, ſed tibi vni vacas, aliorum negligens neceſsitates.

Euſebius

Iſaias 4.

D. Aelre.

Luc. 16.

Bern.

Matth. 25.

Cant. 1.

Bern.

Exod. 32.

Chryſoſto.

Aeſter. 4.

Chryſoſto.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De Leproſo mundato.

CHRISTO deſcendenti de monte leproſus dicebat, Domine, ſi vis, potes me mundare. Nec fuit iſtius parua fides in verbo, qui ſuæ mundationis effectum in diuinâ tantùm voluntate credidit inſtitutùm. Namque vt eum Dominus ſacra contigit manu, dicens, volo, mundare, confeſtim bicolor ægritudo diſceſsit, ponenſque miraculoſè cutis horrorem peregrina corpus caruit fœditate.

Matth. 8. Ecce leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.

§. I.

Vbi ſpirituale negotium agitur, noli temporalibus commodis incumbere.

HOc dixerim propter eos, qui in alto religionis monte, inter ipſas religioſæ diſciplinas vitæ, inter Eccleſiaſticos apices, inter feſtorum ſolemnia hoc imprimis agunt, & moliuntur, vt ſeſe temporalibus commodis augeant. Neſcio, an ſatius iſti ab alto ſanctiſsimæ diſciplinæ deſcenderent, ſi velint ſemper ſæcularibus commodis incumbere? Sanè Ieſus in monte erat docens, & dum ibi erat, non acceſsit leproſus, verùm cum primùm finito ſermone, deſcendit Ieſus, tunc videres leproſum currentem per decliue, & venientem ad Ieſum, ab illoque poſtulare munditiem. Non enim in montis alto, vbi ſpiritualis diſciplina tradebatur, auſus eſt meminiſſe temporalis ſalutis, ſed vt meminerit, priùs deſcenſionem expectat, & ſeſe, vt poſtulet, deorſum mittit. De quo Orig. Hom. 5. de diuer. ait.

Orig. *Deorſum currens rogas, o homo, & in monte nil dicis:* Quare ſic? Quia tempus, & tempora omni rei ſub cœlo tempus doctrinæ, & tempus curationis in monte docuit, illuminauit, animas curauit. Ecce vobis in monte animæ curantur, non corpora; in alto ſacerdotij culmine, in religioſæ diſciplinæ ſublimi ſpiritualia negotia aguntur, non carnalia. Adulteros planè vocat D. Paul. eos, qui in altò diſciplinæ ſpiritualis vel oculos conijciunt ad carnalia: ait enim 2. ad Corinth. 2. *Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei*; vel ſi mauis legere cum ſeptuag. *cauponantes verbum Dei.* Tam longe abeſſe debet à viris religioſis, à Sacerdotibus Dei cauponatio, hoc eſt, temporalis quæſtus, & emolumenti inquiſitio, vt adulterium. Adulter enim eſt, qui inſpiritualis vitæ culmine quæſtus ſectatur temporales. Vnde D. Thom. ſic hæc verba explanat. *Adulterantes verbum Dei, id eſt, prædicantes, vel propter quæſtum, vel propter fauorem laudis. Sic enim mulieres adulteræ dicuntur, quando recipiunt ſemen ex alio viro ad propagationem prolis. In prædicatione autem ſemen nil aliud eſt, quam finis, ſeu intentio tua, vel fauor gloriæ propriæ.* Iure adulterij accuſantur, imò damnantur, qui ad ſacerdotij, & religioſæ vitæ montem aduolant, & ibi non animarum, ſed temporalium bonorum mercatum faciunt, & ſpectant quæſtum. Hi vehementer reprehenduntur ab Iſaia, quaſi potiſsima eſſent cauſa ruinæ Iſraelitici populi. Etenim ait c. 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua.* Explicatius ſeptuag. reddidere; *caupones tui miſcent aquam vino.* Infelix permixtio, quando puriſsimis ſpiritualis vitæ negotijs adduntur fluentium bonorum quæſtus: rectè D. Amb. ſerm. 78. *De cauponibus loquitur, qui præſunt Eccleſijs, non tabernis: qui ſitientibus populis non concupiſcentiæ calicē porrigunt, ſed virtutis. Iſtos ergo caupones Propheta arguit, & queritur eos vino aquæ ſpeciē permiſcēre. Hoc increpabat in eis: cum functionum diuinarum eſſent præſules; ſectatores rerum factiſunt humanarum.* Perniciosiſsima hæc permixtio, tantarum ruinarum cauſa, fallor, niſi magnam partem ſpiritualium montium peruadat. Sanè Saluianus lib. 1. ad Eccleſias ita loquitur. *Maxima quippè nunc filiorum Eccleſiæ portio mortiferarum rerum negotiatrix eſt: propoliſque & cauponibus ſimilis terrenis, imò tartareis, perituris ſimul, atque perdentibus ſtudet nundinis. Lucro enim pecuniæ damnum vitæ ementes, vt acquirant, quæ non ſunt ſua, prodigunt, quæ ſua ſunt* &c. Nec miror quod mercatus iſte tam iunctus perditioni æternæ aſſeratur; quando qui propter vitæ ſtatum propinquant magis diuini ſolis radijs, ſi luteis rebus inhiant, facti & ipſi lutei, neceſſum eſt, vt cordis duritiem nanciſcantur, qua miſere perdantur. Non ne audiſtis ſæpe cor Pharaonis à Deo fuiſſe obduratum? Accipite modo Originem Hom. 2. in Cant. afferentem huius obdurationis cauſam. *Erat vtique cor eius ſecundum ea, quæ cogitabat, lut eum, & limoſum.*

2. Corin. 2.

D. Thom.

Iſaia 1.

Amb.

Saluianus.

Orig.

Et ſicut

visibilis stringit, & indurat, ita sol iustitiæ ijsdem radijs, quibus illuminat populum Israel Pharaonis cor, cui inerant luteæ cogitationes, pro ipsis motuum suorum qualitatibus indurabat. Caue tibi, quisquis iustitiæ solis radijs propinquus es, ne de rerum lutearum solicitudine luteus fias; in cordis enim duritiem incides, qua funditus perdaris.

§. II.

Vna Dei voluntas in omnibus spectanda est, & adoranda.

QVAM pulchre leprosus hic munditiem suã in Dei coijcit voluntatem, illamque, quæcumque fuerit, venerabundus adorat. Siue lepra aberit, siue aderit, vnam suspitio causam, nempe Dei voluntatem, quã etiã in vtroq; extremo adoro. Sic sanctissimus Iob macie, & tabe confectus, cap. 23. iuxta sept. *Iob. 23.* aiebat. *Vias eius custodiui, & non declinem à mãdatis eius, & non transgrediar: Si autem & ipse iudicauerit me, quis est, qui contradicat ei? Ipse enim voluit, & fecit.* Quasi dicat, non adeò grauor peccatis: vt cogar sub tanto reticere flagello, sed nec adeò innocentiæ meæ fido, vt indigne patiar, vnum sciẽs, nimirũ, quodcumq; bonum, vel malũ pœnale à Dei voluntate pẽdere, quam solam suscipio, & adoro, pro omnibusq; rationibus mihi vna volũtas Dei est. *Chrysost.* Quod sic exprimit D. Chrysost. in Cat. Greca. *Nouit Deus viam meam, nec non tenet illud, me diligenter laborasse, vt sibi morem gererẽ. Verũsi iudicũ de aliquo statuerit, quis ei aduersetur? Nempe mea, quibus sum ipse conscius, sunt huiusmodi: sed tamen illius vincat decretum, nec quisquam illius iudicijs obsistat. Nãsi me vel iuste agentẽ condemnauit, quis ei contradicat? Certe nullus, siquidẽ illius volũtas potestatẽ comitẽ habet, nec aliud, atq; visum fuerit illi, fit. Sane illud vnum est mihi intellectum, nullius me rei conscientia opprimi: tametsi huiusmodi exercear malis, nihilominus rationẽ, quemadmodum administret humana, non perquiro. Verum cum ea res me fugiat, hoc tãtũ affirmo, ea demũ, quæ voluit ipse, fecisse: vultuque demisso eũ adoro.* Vna in omnibus Dei volũtas suspiciẽda, & adoranda est, siue altitudo, siue profundũ, siue mors, siue vita, siue diuitiæ, siue extrema paupertas obueniat; nil horũ respiciat homo iustus, sed vnũ hoc, nimirũ, quòd volũtas Dei fiat. Ecce vobis ardens fornax obijcitur tribus Hebræis pueris Dan. 3. *Dan. 3.* Tunc illi voraces videtes flammas vno ore inquiunt. *Deus noster, quẽ colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis: & de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, ò rex, quia Deos tuos nõ colimus.* Expende illud, *quod si noluerit*: quippe tantis medijs angustijs, nõ liberationẽ spectãt, sed vnã Dei voluntatẽ; quam in omni euẽtu suspiciunt, & vnã adorãt. Id quod expendens Theodoretus ait. *Ne ab his quidem malis temere liberare petimus, sed ipsi Deo omnem nostri gubernationem, & prouidentiam permittimus, & eius, quod futurum est, ignari, gubernatori nostro, quocumque ei libuerit, nauem dirigendam committimus. Pro certo enim habemus, posse illum nos è manibus tuis eripere, vtrum vero id facere velit, ignoramus, sed cum sapiens sit, et rerum nostrarum moderationẽ committimus, quamlibet iudicij eius sententiam, tanquam meliorem, nobisque vtiliorem libenter accepturi.* *Theodor.* Hic sit vnus nobis scopus, vt in omni euentu volũtati diuinæ nos subdamus; & ita pro Dei voto viuamus, vt inde filiorum spiritum demonstremus, qui in omnibus faciunt voluntatem patris. Vnde Chrysost. hom. 1. in Symbolum, ex eo quod Deum patrem omnipotẽtem cõfitemur, sic fatur. *Ecce patrem Deũ vocatis. Ad honorem patris venite; mores patris colite, eius voluntatem implete, si vultis hæreditatem eius accipere. Quis est filius contemnens patrem, qui mereatur accipere eius hæreditatẽ? Ergo si desideratis ea, quæ promittit mereri, viuite pro voto eius.* Pro voto patris viuat filius in omnibus subditus paternæ voluntati, siue placẽtia iubeat, siue malit dura portari. Hoc est enim legitimi filij signum, quod non solũ faciat, sed & sustineat patris voluntatẽ. Non ne hæc erat filij Dei oratio Luc. 22. *Verum tamẽ non mea voluntas, sed tua fiat?* An volũtas filij nõ erat pro nobis mori? Nihilominus hæc dicẽs, voluit ostẽdere, quã propriũ filiorũ Dei sit sustinere & in aduersis voluntatẽ patris. Ita Tertul. lib. de orat. ait. *Ipse erat voluntas, & potestas patris, & tamen ad demonstrationem sufferentiæ debitæ, voluntati se patris tradidit.* Nihil pro Deo facis, dum non te commitis eius voluntati. *Tertul.*

Chrysost. *Luc. 22.* *Tertul.*

Tex. Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens, volo: mundare, & confestim mundata est lepra eius.

§. III.

Summa Christi Domini mundities expenditur.

INTER lepræ contagia extẽsa Christi manus munditiem extendit suã, cui nulla potest officere labes. De quo Tertul. libr. 4. in

Tertul. Marc. fatur. *Tetigit leprosum, à quo etsi homo inquinari potuisset, Deus vtique, non inquinaretur, incontaminabilis scilicet.* Diuina est mundities, quæ nec lepræ attactu inquinatur, quam mũditiem, vt in se Dominus prætendat attactu rus leprosum, extendit manum, vt vel digituli incontaminatio omnibus clareat. Frequentissimum semper in Christo Domino fuit diuinitatis indicium, innocentiæ, & incontaminabilis vitæ reuelatio; quam vt pleniorem faceret, id mortis genus elegit, quo expansus in cruce, & manus, & pedes, & vniuersa membra nudà inimicorum oculis exposuit, vt illis

Psalm. 21. asserentibus suam munditiem relinqueret testatam. Ait enim Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me.* Extenduntur in cruce, & Christi manus, & pedes, & vniuersa membra, vt nuda, & distincta singula inimici inspicerent, & considerarent, in singulisque diuinam munditiem

Theod. prænotarent. Quod pulchrè expendit Theodoretus serm. 10. de Prouid. fatus. *En diligentius nunc nudum in cruce; hoc videns scrutare. Inspice linguam omni probro carentem, & auditum omni noxa liberum: oculos item, qui nullam extrinsecus corruptionem senserunt; & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autem iustitia ornatas: pedesque non in malitia currentes, sed virtutis stadium emensos, scrutare quam diligentissimè omnia corporis membra:* omnia extensa sunt, & manifesta omnia patent, vt singulorum possit mundities euidentissimè cõstare. Equidem de illo dicebat Prouer. 3.

Prou. 3. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Vbi D. Salonius ait. *Quæ sunt istæ viæ sapientiæ? Viæ sapientiæ sunt actiones Domini, quas gessit in carne, quæ viæ pulchræ sunt, quia diuinæ.* Quacumque ex parte Iesum videas, scruteris, se se pandit diuinitatis mundities, & pulchritudo, nullibi non sanctus, innocens, impollutus, & immaculatus, & à peccatoribus segregatus. Non prius Iesus oculis paret, quam se ostendat omni liberum macula, & expedi-

Cant. 2. tum laqueo. Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Non nego his verbis eius munditiẽ posse commendari. Sed explicatius id fiet, si eadem verba iuxta lectionem receptissimam

Origen. Ambros. Patribus Origini, Ambrosio, & alijs expendantur. Ea sunt: *En ipse stat post parietem nostrũ, eminens super retia.* Non aliter nouit Dominus apparere, quam eminens super retia, omninò immunis, & expeditus ab omni retis macula, hinc docens suos, qualiter fugiant omnem immunditiem peccati, D. Ambr. ser. 6. in

Ambros. Ps. 118. ait. *Bene eminẽs, quia solus est, quẽ retia nõ inuoluerint peccatorũ. Omnes intra retia erãt; imò adhuc intra retia sumus: quia nemò sine peccato, nisi solus Iesus. Talis ergo necessarius erat, quẽ vincula generationis humanæ delictis obnoxia non tenerent: nõ cepisset auaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Iesus, qui cum huius carnis se circũdedisset vinculis, captus non erat alligatus: sed disrũpens ea, atq; dissoluens ad se magis vocauit Ecclesiã prospiciens per laqueos, eminens super retia, vt & ipsa disceret vinculis non teneri.* Et quando non possumus laqueos non incurrere, saltem discamus à duce nostro Iesu non diu in illis detineri; siquidẽ vni illi omnimoda à laqueis immunitas, & mundities reseruata erat. Vndè Tert. lib. de præscrip. fatur. *Saul bonus præ ceteris, liuore postea euertitur. Dauid vir bonus, secundum cor Domini, postea cadis, & stupri reus est. Salomõ omni gratia, & sapientia donatus à Dño, ad idololatriã à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur, sine delicto permanere.* Imò omni repletum esse virtutum splendore, & munditie.

Tertull.

§. IIII.

Quæ peccati labes non est, facili negotio tollitur; illa ægre, & difficulter nunquam sine igne.

EXTENSA Dei manus tangit leprosum, & lepra fugit; sic vniuersæ maculæ, quæ peccati maculæ non sunt, leui tactu tollũtur; at peccati maculæ ferro indigent, & igne. Vt Isaię 6. os purũ redderetur, quod opus? Qui labor? Accessit vnus è Cherubim, & forcipe tulit prunã de altari, qua Prophetæ purificanetur labia: verũ de se loquẽs Ieremias, ait.

Ie em. *Extendit Dominus manum suam ad me, & tetigit os meum, &c.* Cur ad Isaiam, & ferrum, & ignis, ad Ieremiam solus extensæ manus tactus applicatur? Isaias vir erat pollutus labijs, Ieremias sanctus ab vtero matris, in quo, quia nulla peccati macula resideret, sufficiens erat, vel leuis tactus diuinæ manus. Orig. hom. 1.

Orig. in Ierem. ait. *Ieremiæ autem, quia sanctificatus fuerat in vulua, non forceps mittitur, neq; de altari carbo succensus: nihil quippè habebat igne dignum: sed ipsa manus Dñi tetigit eũ, propter quod dicit. Extendit Dñs manum suam, & tetigit os meum, &c.* Vbi culpa nõ erat, vel leuis diuinæ manus attactus sufficiebat, qui vniuersa omnia alia mala eliminaret. Verũ ad peccata expurgãda, & forceps, & ignis mãdatur, quia malũ culpæ nõ de leui expũgitur; igne, & ferro opus habet, quisquis peccati vulnera cupit delere. Ier. c. 2. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua corã me, dicit Dñs.* Nõ quæuis lotio nos mũdat à maculis peccatorum; sunt maculæ, quæ vel leui manus attactu, vel ad summũ nitro addito

Ierem. 2.

addito penitus expurgantur; non sic peccatorum lethalium maculæ, quæ non leui manu tactu, non leui lotione nitri, vel cuiusuis herbæ, sed igne, & ferro indigent, vt tollantur. Ita
Hieron. D. Hieron. *Qui leui sordè maculatus est leuibus mundatur monitis. Porro peccata grauia, quæ ad mortẽ trahũt, nec herba Borith diluipossit, sed grauioribus tormentis indigent. Vnusquisque enim opus quale sit ignis probabit.* Fallitur qui leui satisfactione pro peccatis facta contẽtus est, sumat, oportet, pro grauibus delictis grauia tormenta, nõ enim nitro, sed igne purgantur. Miraris, quod dicat Hieronymus grauia esse tormenta sustinenda pro grauibus sceleribus? Sed quod mirere magis, ego addo nulla esse tormenta adeo grauia, quæ pro peccatis diluendis, non videantur quasi leuia, & ipse igneus cruciatus quasi aquæ perfusio appareat. Marc. 10. Saluator locutus ad Ioannẽ,
Mar. 10. qui ardenti oleo immergendus erat, & ad Iacobum, qui erat capite truncandus, ait. *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.* Quid ais Domine, baptismum, hoc est aquæ tinctionem vocas gladium, oleum ardens, & durissimam tuæ passionis crucem? Vnde gladius, & ignis, & durissima crux potuit videri quasi tinctio aquæ? Fallar, nisi huius causam insi-
Theoph. nuat Theophilactus in cat. dicens. *Baptismũ crucem nominat, tanquam emũdationem nostrorum facientem peccatorum.* Vbi peccatorum labes emundantur, & gladius, & ignis, & crux adeo leuia videntur, vt censeantur quasi tinctio aquæ. Huc accedit pulchra D. Synesij ex
Synes. cogitatio, qui locutus de pœnis in Republica statutis ad vindictã scelerum ait epist. 121. *Publicus gladius, non minus quam lustralis aqua, quæ in templorum vestibulis collocatur, ciuitatis est piaculum.* Quibus id expendendum venit, quod gladios, ignes, cruces comparet aspersioni aquæ lustralis, quæ poni consueuit in templorum vestibulis. Quid grauius gladio & igne? Quid leuius aspersione aquæ lustralis? Et tamen pro peccatis mundandis grauissima quæque supplicia sic æstimari debent, & summi, quasi essent aspersio aquæ lustralis.
Osee 5. Ex quo lucem capit Oseas cap. 5. Vbi sic. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminũ; super eos effundã quasi aquã iram meam.* Effusa fuit ira Dei super Iudã in captiuitate Babilonia, tamẽ ibi potius effusa fuit ira quasi ignis, quã sicut aqua. Cur ergo tanta pœna dicitur effusio aquæ, nisi quia erat pro peccatorũ mũditie, pro qua leuia reputãtur grauissima? Ru-
Rup. pert. ibi: *Captiuitas Iuda fuit peccatis debita, sed sicut aqua mundat sordes, sic illa captiuitas mundauit populi peccata.* Cur ergo non censeatur quasi aspersio aquæ lustralis?

§. V.

Non qualibet eleemosyna mundantur peccata.

EXTENDIT Dominus manum, vt leprosi misereatur, & vix extremis digitorum tangit, quando tota lepra mundatur, non sic à peccatis mundamur; sed quisquis mundari velit, extendat quidẽ manus ad subleuandos pauperes, nec putet quamlibet extẽsionem manuum sufficere, sed tantum eroget, necesse est, quãtũ est debitum peccati. Balthasar ille Babyloniorum rex salutis suę cupidus extendit manus, vt Dei Prophetam ditaret, sic Daniel capit. 5. *Tunc iubente rege, indutus est Daniel purpura, & circũdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfectus est Balthasar rex, &c.* Sic cum regia liberalitate in Dei Prophetam venit coniunctũ ipsius regis excidium? Et manus dat rex, vt ditetur captiuus, & simul perijt? Vbi est efficacia beneficentiæ? Vbi quod elemosinæ mundent peccata? Equidem eleemosinæ munditiem peccatorum afferunt, sed debent tantæ esse eleemosinæ, quanta fuerunt peccata? Preclare D. Hieron in præsenti ait. *Balthasar dum Dei Prophetam honorat, sperat se veniã consecuturum. Quamsi non impetrabit, maius fuisse credendum est sacrilegium in Deum, quam honorem in hominem.* Debent equidem peccata, & satisfactio æqualance librari. Tunc mũdities omnimoda peccatorum causatur, quando eleemosinæ exæquant peccatorum debita: & tam extensa est manus ad largiendum, quam extensa fuit ad peccandum. Vnde ipse Daniel cap. 4. sic Nabuchodonosori suggerebat: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Expende illud, *redime*, quippe tunc res dicitur redimi, quando tantũ pro illa soluitur, quantum ipsa valet. Sic peccata redimenda sunt eleemosynis, vt quanta sunt peccata, tantæ elemosinæ soluantur. Do Saluianum libr. 1. ad Ecclesiasticum fantem.
Salvian. *Quid est aliqua redimere. Opinor pretium rerum quæ redimuntur, dare. Hoc facito, quod Propheta dicit. Peccata tua in misericordia redime. Noli tãtum Deo relinquere, quantum habes; si pro peccatis tuis necessarium non putas, quantum habes. Æstima diligentissime culpas, quas ad missi, æstima peccatorum diuersitates: cumque omnium supputaueris numerum, expende pretia singulorum, & post hac non quæro, vt pro peccatis totum Deo reddas, quod habes: hoc solũ redde quod debes, si potest æstimare quod debes.* Dumque totum peccatorum debitum non ada quas noli esse securus, quod extenderis manus ad pauperem.

§. VI.

Diuina voluntas ſaluti hominum ſtudet, nec indiget aliquo ad præſtandum.

ECCE tibi totus ſcopus diuinæ voluntatis, nimirũ, *volo, mundare*: eo enim ſemper ſpectat, id ſatagit, vt homines ſalutem, & animæ munditiem adipiſcantur. Iubemur in Orat. Dominica poſtulare indefinite: *Fiat voluntas tua.* Cur non potius: fiát voluntas tua in me bona? Mihi ſalutaris? An non poſſet eſſe voluntas Dei hominum ſaluti contraria? Abſit: imò neſcit omninò voluntas diuina homini non eſſe ſalutaris. Tertul. lib. de Orat. *Petimus ergo ſubſtantiam, & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, vt ſalui ſimus, & in cœlis, & terris: quia ſumma eſt voluntatis eius ſalus eorum, quos adoptauit.* Hæc eſt diuinæ voluntatis ſumma, hic ſcopus, ſcilicet hominum ſalus. Quidquid in voluntate Dei eſt, & vtile, & ſalutare eſt ſuis hominibus. D. Paul. 2. ad Cor. 1. *Dei enim filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis eſt, qui per nos prædicatus eſt; non fuit in illo,* Eſt, & non, *ſed, eſt, in illo fuit.* Ad quæ verba D. Amb. ait. *In Chriſto Ieſu non fuit, Eſt, & non, ſed Eſt in illo fuit: quia nunquam aliud voluit, quã quod eſt vtile; ſemper enim voluntas eius cũ vtilitate eſt.* Tota Dei voluntas ex ſe in hominum ſalutem incumbit, hominum vtilitati, & commodis ſtudet; & vna ſine alterius adminiculo potens nos in ſummam felicitatem promouere. Vt eleganter dicat Franconius Abb. tom. 11. de Gratia. *Quantus putas eſt iſte artifex, qui pulueremaridum, & ſtabilem ſic ſolidat, tantum exaltat, vt non ſolum terrenis, ſed & cœleſtibus eum præficiat? Quid putas de electa materia artifex hic faceret, qui de vili, ac pene nulla tanta facit, ac talia? Sed artifex noſter materia, nec vili, nec pretioſa indigebat, cui pia voluntas ſua materia eſt, ad omnia ſufficiens.* Felix, qui vni nouit ſe committere voluntati, in qua omnia ſimul bona habet, quæ ſola ſine alterius adminiculo poterit illi vniuerſa præſtare.

Tertul. Ad Cor. 1. Francon.

Tex. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

§. VII.

Nec minima obſeruantia prætermittenda eſt prætextu vanæ gloriæ fugiendæ.

SECRETVM facinoris ſui cõmendat Dominus, vniq; iubet Sacerdoti id notum fieri; ſed ſecretius eſſet, & occultius opus, ſi nec Sacerdoti reuelaretur: fateor: verum lepræ munditiem Sacerdoti probandã lex cauebat, nec tam nimius debet eſſe quis in fama fugienda, vt huius prætextu abſtineat ab obſeruantia legis. Fuge vanam nominis claritatẽ apud homines, cęla facinora tua, ſed qua viâ legum obſeruantiæ non deroges. Ita de Chriſto Domino in præſenti fatur Tert. lib. 4. in Marc. *Quantum enim ad gloriæ humanæ auerſionem pertinebat, vetuit eum denulgare; quantũ autem ad tutelam legis, iuſsit ordinem implori.* Nec vnum legis apicem paſſus eſt præteriri, vt gloriæ humanæ auerſionem prætenderet. Matth. 5. ſic monebat Dominus: *Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciũt in Synagogis, & vicis.* Quis nõ crederet per hæc verba eleemoſynas publicas vetitas eſſe Chriſtiano? Sed abſit: maximum eſſet malum, ſi pauperi miſericordiam neges, eo quod in plateis poſtulauit. Pulchrè D. Chryſol. ſer. 9. ait. *Ergo in cõuentu, in plateis, in triuijs neganda eſt miſericordia? Non prebendus eſt victus? Plane & in omni loco, & in omni tempore facienda eſt miſericordia, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda: ſed ſic, vt miſericordia non terræ ſit nota, ſed cœlo, non hominibus inſinuata, ſed Deo.* Ne adeò ſis animo puſillo, vt vanæ gloriæ metu à debitis te contineas officijs; ne metu lapſus, adeò talentum occultes, vt à lucris abſtineas, niſi velis Dei indignationem incurrere. Imò ita compone mores tuos, ita vnum Deum reſpice in operibus bonis; vt nullus timor te à negotiatione debiti officij detineat. Bonus negotiator, & ventis, & mari credit nauim; nec ventis terretur, nec fluctibus, dum modo lucra conquirat. Sed cur non terretur ventis? Quia ſecreto claui motu non vẽtos, ſed Arctoum ſydus aſpiciẽs, nauem dirigit: ſic tu non ad terrenos vanitatis ventos aſpicias, ſed ſecreta cordis intentione vnum Deum conſpice, nõ homines nõ terrã, ſed cœlum, & lucris ſpiritualibus faciẽdis te committe. Hinc lucẽ capit illud Prou. 30. vbi de muliere forti dicitur. *Quæſiuit lanã, & linũ, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Facta eſt, quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Ecce vobis fortis mulier dedita negotiationi, dedita lucris, nullis operibus parcens, à nullis ventorum ſibilis ſibi timẽs. Et cur non timeat à vanitatis ventis? Cur non magis opera ſua tegat? Iam dixit: *Facta eſt quaſi nauis, ſecreto cordis motu cœleſte ſolum ſydus ſpectans, ſic ſuos curſus dirigit, vt non ſolum ſibi à ventis non timeat, quin potius ipſis ventis abutitur, vt viam ſuam felicius*

Tertul. Matth. 5. Chryſol. Prouer. 30.

in

in portũ instituat. Nõ multũ ab est Glossa sic præsentem locum edisserẽs. *Sãcta anima quasi nauis institoris transit desiderio fluctus sæculi, sola quæ in cœlis sperat gaudia, meditatur æterna, quidquid occurrit aduersi, superare contẽdit.* Dum enim æterna sola spectat, nõ abstinet à via metu reflantium ventorũ, imo illos superare contendit, vt negotietur.

Gloss.

CAPVT QVINTVM.

De Decem leprosis à Christo Domino sanatis.

A Samaritis repulsus Dominus, vt meminit Luc. cap. 19. & à Iudæis mille affectus iniurijs, adhuc non cessat percurrere Samariã, & Iudæam pertrãsiens benefaciendo. Nouerant id decem viri leprosi, qui ab hominũ conuictu de more ablegati transeunti Domino quoddã oppidum siue Castellũ, à longe occurrentes, sanitatem deprecabantur. Quos iubet Iesus, vt confestim se sistant Sacerdotibus, etenim penes sacerdotes erat iudiciũ de his, qui lepra mũdatos se prædicabãt. Igitur hi eam de Iesu cõceperãt opinionẽ, qua adhuc lepra affecti audent ad Sacerdotes quasi sani propè rare. Nec fefellit eos sua opinio, quãdo eũtes se experiũtur mũdatos. Inter decẽ vnus Samaritanus erat, qui de mũditie exultãs statim ad Iesum redijt, immortales illi referens gratias. Ad hæc Iesus sociorũ ingratitudinẽ carpit, fidelẽ Samaritã recipit, eiusque fidei à se concessam attribuit sanitatem.

Ex Luc. ca. 17. Et factum est, dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe: & leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.

§. I.

Ille sis, qui duro insudans labori, felleisque curis confractus, dulcedinem aliis noueris manare.

QVAM pauci sunt, quorum dulcedinis non siccetur fons inter amaras vitæ curas, à duris laboribus exagitati. Cur Ficus laboriosum ligni imperiũ non accipit sibi oblatum? Sic illa inquit Iudic. 9. *Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promoueari?* Iud. 9. Et si melleus sis, & si ingenti madidus suauitate, vbi humeros oneri subdis, vbi mordenti cura pungeris, vbi laboriosam viam arripis, eu, in quãtam amaritudinem mutaberis? Deseritur dulcedo, siccatur suauitas, vbi subitur labor, vbi sub amaricãtibus gemitur aquis, vbi ligni regno insudatur. Hæc indita fuit hominibus cõditio à ficu illa, ad quam Dei profugi confugerunt; vtinam non ad ficum, sed ad vitæ arborem irent, quam longè aliam conditionem caperent, qua summis etiam exasperati laboribus sciuerint dulcedinem exundare. Ecce tibi arbor vitæ Iesu, medijs curis laborans, non dulcedinem deserit, imo, quando lõgis itineribus frangitur, quando Ierosolimam durissimi ligni imperium humeris subiturus pergit, tunc dulcior, & suauior, tunc dulcedinem manat, qua languidi, & leprosi recreantur. Felix eris quisquis hanc Iesu ebiberis conditionem, vt labori incumbas, & dulcis maneas alijs, & suauis. Sane docens Dominus Abrahamum, quod sibi sacrificium per gratũm existeret, ait Gen. 15. *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimem, &c.* Gen. 15. Quod meditatus Richard. Victorinus tract. de dif. sacrif. Dauid, & Habr. acute inquirit. *Quid, quæso, est, quod Dominus à summo Patriarcha non bouem, sed vaccam quæru?* Rich. Vict. Gratior masculus esse debuisset, gratior enim extitit aries, gratior agnus, gratior vitulus. Cur modo reiecto masculo in vna vacca complacet Dominus sibi? Scimus, ait ille, de boue, quod iugum portare potest, lac autem dare non potest. Contingit vero vaccam vtrumque facere, & lac dare, & iugum Domini sui portare. *O quale sacrificium, & obediẽtiæ iugum humiliter portare, & inter qualibet obedientiæ arcta cordis dulcedinem seruare: & nihil aliud quam lacteum dulcorem per verba distillare!* Qui etiam sub iugi onere pressus dulcedinẽ stillat, simulq; & iugũ, & vbera amplectitur, doctus diligere triturã, & suauitatẽ manare, is gratissimũ Deo extitit sacrificium. Non absq; mysterio apud Luc. cap. 19. notatur ex nomine, arbor, quæ Zachæũ Domino commendauit, etenim ait, *& præcurrens ascendit in arborẽ Sycomorũ.* Luc. 19. Cuius naturã arboris D. Basil. aitán cap. 9. Isaiæ. Sycomorus arbor est supra modum fructuum vbertate redundans, qui nullius qualitatis obtinent dispositionem, nisi siquis eos fructus punctim vellicando, qualemcumque

ſuccum ex ipſis exprimat, qui guſtum ſuauitate oblectet. *Vnde, & optamus hanc arborem ſymbolum præferre eius congregationis, quã ſi quis acrimonia verbi compungere potuerit, feliciimmutatione indulcata conuertitur ad reſoluendam Deo gratiarum actionem.* Iam non mirabor amplius, quod puſillus Zachæus Domino gratioſus extiterit, quem ſycomorus ſuſtollebat; arbor inter puncturas dulceſcens, quam ea virtus commendabat, qua ſub ſeriẽtibus loris, ſub grauanti iugo preſſa, minimè ſuam dulcedinem deſereret, ſed tunc dulcior extiterit omnibus, & ſuauior. De bono illo
Iob. 2. virtutum athleta Iob dicitur, cap. 2. quo vlcere percuſſus, *ſedit in ſterquilinio*, Septuag. explicatius poſuerunt: *Et ipſe ſedebat in ſterquilinio extra ciuitatem.* Cur patientiſsimus vir extra ciuitatem ſedet? Non permittebatur eſſe, vel in angulo domus, vel in porticu aliquo ciuitatis? Abſit: ſed qui vlcus ſuum nouerat, ſaniemque manantem, & fœtorem plagarum ſenſerat, elegit extra ciuitatem viuere, ne cui poſſet eſſe moleſtus. Sic inter acerbiſsimos do
Origen. lores ſibi durus, alijs dulcis erat. Orig lib. 2. in Iob. *Sedebat ſuper acerbum ſtercoris extra ciuitatem. Non quod habitationem deſerere voluerit: ſed iis, qui in ciuitate erant, moleſtiam ingerere non eſt paſſus. Sedebat extra ciuitatem, me ſolum, inquiens, circundant mala mea, mihi ſoli moleſta ſunt mea vulnera.* Hunc ebibant affectum ſapientes viri, ne malis ſuis alios opprimant, ne mordicante ipſi affecti humore alios ipſi mordeant, ne ſuarum aſperitatum alios participes eſſe velint.

§. II.

Omnes, qui Dei viam currunt, ſalutis brabium obtinebunt, ſi tamen currunt, nec deſiſtunt.

ECCE vobis decem viri leproſi mundiciem obtenturi Chriſto Domino occurrerunt, & ſane felices, qui Domino occurrerunt, nullius vanus curſus extitit, omnes inueniuntur mundati. Hinc penſat Apoſtolus eorum felicitatem, qui in Euangelij currunt
Ad Cor. 9. ſtadio. Sic enim ait. 1. ad Corinth. 9. *Neſcitis, quoniam hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brabium? Sic currite, vt comprehendatis.* Expendo, quod omnes moneat: ſic currite, vt comprehendatis; non ait, vt comprehendat vnus, ſed vt omnes currrẽtes comprehendatis. Sed iam quæris, qua id conſequentia dicat Apoſtolus, nimirum, qui dixerat, quod in ſtadio omnes currunt, ſed vnus accipit brabium? Si ergo ex omnibus vnus accipit, cur monet omnes currere, vt omnes apprehendant? Sanè, & eſt ſtadiũ, in quo ex pluribus currentibus vnius curſus coronatur, quale eſt rerum mundialium ſtadium, & eſt aliud longè præſtantius ſtadium, nimirũ, virtutis, in quo omnes, qui currunt, coronam ſalutis capiunt. Sic in præſenti Diu. Thom. *D. Thom.* fatur, comparans curſum temporalis brabij, cum Euangelij præmio. *Non ſic eſt de Euangelij præmio, vel de curſus brabio, quia hic vnus accipit brabium, ibi omnes accipere poſſunt.* Quotquot currunt, obtinent cœleſte brabiũ. Quis cucurrit, & currens perſeuerauit, & ſine pallio in cœleſti via manſit? Accepto Dominicæ Reſurrectionis nuntio, ecce vobis Petrus, & Ioannes ad ſepulchrum contendunt; de quibus ait Ioan. cap. 20. *Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina, &c.* An quia Ioannes præcucurrit, ideò Petrus curſus præmium non habuit? Abſit: etſi enim præcucurrit Ioannes, tamen Petrus cucurrit, & nemo, qui in via Dei currit, redit vacuus. Notanter Orig. ait. *Intrat Petrus in monumentum, deinde Ioannes: ac ſic ambo currunt, ambo intrant.* Nõ currunt ambo, & vnus intrat, ſed quotquot currunt, intrant in Domini gaudia. Vnde Diu. Auguſt. ſerm. 97. de *Aug.* diuerſis ſic monebat. *Vocamur, veniamus, & ne non perueniamus, curramus.* Nemo qui currat, non perueniet, nõ accipiet coronam. Quò iterum ſpectat Paulus. 1. ad Corinth. 9. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum.* Quaſi ſi *Ad Cor. 9.* hoc ſit diſcrimẽ inter eum, qui currit in Domini ſtadio, & eum, qui currit in mundi ſtadio, quod hic non omnes certi de corona currunt, quando vnus ſolus eſt illam accepturus; ibi autem quotquot currunt, certi ſunt, quod coronam capiẽt. Ita Diu. Anſelm. *Non curro,* *Anſel.* *quaſi in incertum, ſicut illi, qui currunt ad ſæculare brabium, nec ſi poterunt accipere, ſunt certi.* Nos autem, qui currimus in Dei ſtadio, etſi præueniamur, tamen certi ſumus, quod niſi à curſu deſiſtamus, coronam capiemus ſpectatam. Ad hæc Diu. Bernard. ſerm. 2. de Nat. *Bernard.* ait. *Ergo, quia paratæ ſunt nuptiæ, & omnis nos curiæ cœleſtis frequentia deſiderat, & expectat, curramus, non quaſi in incertum, curramus deſiderijs, & profectu virtutum.* Nulla eſt incertitudo de præmio, vbi in curſu duras.

§. III.

Ne Deum tibi quasi obligatum expectes, sed eius gratiam inquirere festina.

EA erat Christi clementia erga infirmos, vt etiam non quærentibus salutem offerret ipse; non tamen ideò hi leprosi pigritant, sed soliciti de salute, cum primum norũt prætergredientem Iesum, occisimi aduolant in occursum. Minimè se se de nimia in Deu fi
Tertull. duciafallũtur, vt alij plurimi, quos pũgit Tertul. lib. de Pœnit. dicens. *Quidam sic opinantur, quasi Deus necesse habebat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem eius faciunt seruituem.* Adeò pernicioſe de Deò miſerturo ſibi blandiuntur, quaſi eum ſibi obſtrictum, & obligarum habeant, ipſeque teneatur eorum placito, & voluntati inſeruire. Qua fallaci præſumptione, ſuperuacaneum putant in eius inquirenda gratia inſudare, illi que clamantes occurrere, ſed pigri, & deſidioſi degunt, de venia, & ſalute ſecuri. Hos
Pſal. 102. pulchra ſimilitudine monet Pſaltes 102. ſaltus: *Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua*, nimirum aquila dum ſenio laborat, pigroſque enitit volatus, ipſa de vitâ ſolicita ſe ſe renouare curat, & nouas induta plumas aera tranat, perpetique volatu ſublimia quæque ſolicitat. Quem morem meditatus Diu. Ambr.
Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 3. inquit. *Vnde ad animam dicitur, renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua. Et ideò festinat ad verbum, & rogat, vt trahatur, ne forte derelinquatur; quia festinat Dei verbũ, & non est alligatum.* Caue veteris aquilæ volatus pigros, quicumque Dei verbum indiges, volat irreuocabile verbum, etſi benefacit omnibus, tamen benefaciendo pertranſijt, nuſquam alligatum eſt, nuſquam ſubſiſtit, de renouatæ aquilæ more tibi feſtinandum eſt, omnique grauedine depoſita curandum, vt feſtinãtem præcurras, vel illi ſaltem occurras. Capitur, & tenetur Dei verbum aliquãdo, ſed abea quia ſciuit lectum dimittere, & per vicos, & plateas currere, & illi occurrere. Dormiens erat in lecto ſponſa, vt placet Aponio, & Ludouico Legionenſi, & Delrio noſtro,
Cant. 2. LXX. Cant. 2. & ſomnians ait iuxta Septuag. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, eminens ſuper retia.* Cogita totam ſponſæ domum cinctam retibus, & oſtia, & feneſtræ omnes mille retia prætendebant, adeò, vt nec paſſerculus poſſit accedere, quin retibus implicaretur, & teneretur. Nihilominus Dei verbum adeſt, nec alligatur, nec tenetur, imò ſuper omnia retia eminet ſuperior. Et ſanè non ſe patitur illigari Dei verbum dormientibus, & in lecto quieſcentibus. Relinquat ſponſa lectum, percurrat vicos, & plateas, hac, illacque quærens ſolicita Dominum, & fallar, niſi eum capiat, teneatque manibus. Huc ſpectabat illud Amos capit. 3. *Numquid cadet auis in laqueum terræ abſque aucupe?* Inſuficientia ſunt retia ad aues capiendas, vbi abeſt diligentia, & ſolicitudo aucupis. Auceps enim, vt aues capiat, nulli loco, & tempori fidit pro ſuo arbitratu, nec quaſi certã habeat fiduciam, quod aues ad laqueos venturæ ſint, ipſe domi ſecurus iacet. Imo foras egreditur, occurrit prædæ, paſſim retia mutat, & alio transfert, prout videt aues frequẽtius euolare, nec ideò, quod heri hoc in loco cœpit multas aues, ideò hodie, & cras pertinaciter eidem loco aſsidet: ſcit enim non ibi eſſe aues alligatas, ſed libero frui cœlo, & ad longè remotiora, prout libet, euolare. Sic quiſquis Deum ſpectas, eſto auceps, occurre prædæ, volat Dei verbum libero cœlo, nuſquam eſt alligatum, niſi feſtines occurrere, & quærere, & eius inueſtigare volatus, nullum fructum ſalutis ab eo capies. *Amos. 3.*

§. IIII.

Diuinum præceptorem sortiti, stultè corporalia meminerunt.

MIRABERIS immenſam Ieſu miſericordiam ſe continuiſſe, & beneficium ſalutis diſtuliſſe, dum iſtos adhuc lepra affectos ad Sacerdotes remiſit. Cuius hoc culpæ ſupplicium? Sanè hi ſtultiſsimi homines diuinum nacti præceptorẽ, & magiſtrum, nil de eius doctrina curant, ſed tori ſaluti corporali obtinendæ inhiant, dum dicunt: *Ieſu præceptor, miſerere noſtri.* Præceptorem fatentur, & non doctrinam, ſed corpoream flagitant ſalutem. Pulchrè monebat virgines Diu. Baſil.
Baſil. lib. de vera virginit. dicens. *Vt is, qui in ſole magiſtrum alloquitur; non magnopere curat intueri vmbram manuum, ipſius motum conſequẽtem, ſed totus ex ore præceptoris pẽdet: ita & virgo nil penitus lineamenta corporea formoſa illa ſint, an informia curat, ſed illa, & quæ illorum ſint irridens, & ad præceptorem, ſponſumque ſuũ tota intentione conuerſa, hunc ſemper in luce cãdidiſsima per vitæ conuerſationem alloquitur.* Par ſtultitia eſt, dum ſortiris magiſtrum, & præceptorem diuinum mundialium harum pulchritudinum, ſeu bonorum meminiſſe, quam ſi ad eloquentiſsimum, dulciſsimumq; oratorem in ſole verba dantem minimè reſpiciẽs, totus ſolicitus ſis in notãdis vmbris, quas motu manus, vel corporis depingit. Non ne,

qui sic vmbris intentus est, præceptorem offenderet, quouis supplicio dignus? Papæ, ridiculus est, & vt puerulus verberandus, qui præceptorem nactus, in quo summam posset spectare felicitatem, ipse ad illius euadendas spectat vmbras, relictaque vera, & solida gloria, gaudet vmbratili imagine. Hinc cognoscite durissimum verber, quo Salomon à Deo flagellatus est, vt in tantum peccatorum barathrum decideret, quo dubiam reliquit salutem. 3. Reg. 3. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: Postula quodvis, vt dem tibi.* Quid peteret homo à tam potenti datore? Quid spectaret in adeò magnifica oblatione? Spectaret ad veras, & solidas glorias, an ad vmbras gloriæ? Ecce vobis ait Salomon: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Nil malum petit, sed non petit, vt potuit, summum bonum, imò prætermittens veram cœlestis regni gloriam, ad hanc gloriæ temporalis adumbratam imaginem vertit oculos. Accipite Rupert. lib. 4. de vict. 24. *Cum Dominus dixisset illi: Pete quod vis, vt dem tibi, & tanta sibi oblata gratia, possit æternitatem gloriæ cœlestis vna petitione adipisci, quæ summa beatitudo est. Ille temporali gloria delectatus, & apud homines volens haberi gloriosus, leue, seu mediocre bonum petiuit. Dabis, inquiens, seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum. Sed cur non dixit, sicut dixerat pater eius Dauid: vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? Videlicet, quia cor eius non erat perfectum cum Domino Deo suo.* Merito dimittitur in desideria cordis sui ire, qui tantũ muneratorem, tàm diuinum præceptorem nactus, non gloriæ veritatem, sed vmbratiles spectauit imagines. Quam aliter Magdalena, quæ nobilioribus Ierosolimę principibus circumsepta domi sedens, vbi accepit venisse Iesum, nemine salutato, egreditur foras. Ioan. 11 & cecidit ad pedes eius. Cur Maria tam inciuilis fit Ierosolimitanis? Cur non respicis tot Principum personas, sed vniuersos oblita, vnis Iesu assides plantis? Equidem vbi præsentem tantum præceptorem nacta est, omnia præterijt humana, & temporalia. D. Basil. Sel. serm. 2. de Lazaro, ait. *Præceptore præsente humana omnia posthabuit, totaque in vnum hoc incubuit, vt suus magistro constaret honos.*

3. Reg. 3.

Rupert.

Basil. Sel.

§. V.

Plurium concordia in precibus efficacissima ad impetrandum.

NON otiose factum est, vt cum nouem leprosi Iudæi, vnus Samaritanus esset, inter quas gentes consuetudo nulla erat, Ioan. 4. 9. in vnam tamen societatem coijssent: non solum conciliante eos, atque cogente communi morbo, vt Theophylactus, & Euth. obseruarunt, sed studio etiam coniungente: vt quasi facta manu Christum expugnarent. 1. Machabeorum capit. 3. post ingentem hostium concursum visum dicitur. *Et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium; & vt orarent, & peterent misericordiam, & miserationes.* Expende illud, *vt essent parati in prælium, & vt orarent*: quippè res videbantur maximæ disiunctæ prælium, & oratio; bellicus tumultus, & quies orationis; excursus militum, & humi cubationes orantium. Cur ergo res adeo disitas simul ponit sapiẽtissimus auctor? Cur conspirationes ad bellum vocat simul conuentus ad orandum? Equidem oratio multorum conuenientium germanissima est bellatrix, imò debellatrix diuinarum misericordiarum. Non resistet Deus oranti in concordia multitudini, sed quasi deuictus adest. Id quod meditatus Diu. Chrysostom. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura sic monet suos. *Cur quoties ad cœlestem Imperatorem placandum ire pergitis, vt eius iræ eximatis vniuersos peccatores terræ, omnes dæmone agitatos à flagello liberetis diaboli, foris sedetis, non vniuersi cõcurritis, & Ecclesiam penetratis, vt Deus vestram reueritus, atque exosculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata absoluat?* Veniunt in præsenti notanda verba illa nimirum, *Deus reueritus, atque exosculatus cõcordiam*: solet enim deuictus, & cõfractus homo victores suos reuereri, & dominantium sibi manus exosculari: sic Deus vnanimi multorum prece expugnatus, quasi deuictus victricem concordiam reueritus, & exosculatus, nil inde negabit. Iudith capit. 4. *Clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter.* Vbi merito interlinealis ait: *Quod charitatis vnanimitate petitur, cito impetratur.* Quasi nesciat Deus diu resistere, vbi multitudo concors in oratione clamat. Sic. 2. Paralip. cap. 20 pijssimus Iosaphat orabat ad Dominum vniuersa eius beneficia memorans, præsentissimam misericordiam postulans. Sed quo id apparatu faciebat? *Omnis verò Iuda stabat coram Domino cum paruulis, & vxoribus, &c.* Quibus clamantibus statim Deus auxiliator venit. Ita notabat Theodoretus citatus in Glossa. *Hæc cum dicerentur à Rege, tota stabat multitudo cum clamore Deo supplicans. Deus autem misericors soluit metum bonorum promissione.* Quãdo multitudini in nomine Domini cõcordi Deus non annuit? Non est auxiliatus? Ionæ capit. vlt. sic Prophetam trahebat suum in Nininitarum commoda: *Ego non parcam*

Machab. 3

Chrysost.

Iudith. 4.

Theodor.

Nin.

Ninive ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures centum viginti millia hominum? Promptissima semper est Dei misericordia ad audiendas suorum orationes, ad ostium domus suæ cubat, vt vel leuiter pulsans exaudiatur: verum cum plures sunt, qui in oratione conueniunt, tunc mirum est, si se vel paruo temporis contineat Dominus, quin respondeat. Chrysost. hom. 3. de incomprehensib. Dei natura, ait. *Non sine re amplum populi numerum ibi proposuit; sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum consensu agitur, & ingi concordia plurium hominum.* Chrysos.

Tex. Quos vt vidit, dicit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.

§. VI.

Qui Christianæ viæ incumbit, quæ sunt illius communia, perficere contendat, nil curans præ illis singularia.

PENES Sacerdotes erat iudicium de leprę sanitate, & munditie, nemo se mundum profitebatur absque Sacerdotū calculo. Quod vt communissimum in populo erat, sic obseruandum leprosis proponitur à Domino ante sanitatem exhibitam, quasi monens, quã sint amanda, & obseruanda communia quæque his, qui velint Dei inescare voluntatem. Aliquando discipuli, vel nomine Iesu inuocato, dæmonia ab humanis expellebant corporibus, qua læti gratia singulari. Luc. 10. sibi apud magistrum congratulantur. Quibus ille, ait. *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Vtrũq; sané erat mirandum, & lætitiæ plenum, & quod dæmonia exibilarent, & quod nomina in cœlo scripta haberent: cur de vtroq; vetantur lætari? Cur non liceat Apostolis gaudere, quod expellãt dæmonia, & liceat, quod sint scripti in cœlo? Ad hæc Diu. Gregor. homil. 20. in Ezech. fatur. *Admonentur priuatam lætitiam deponere: de communi autem, & perpetua felicitate gaudere. Non enim omnes electi dæmonia eiciunt, sed electorum omnium nomina cœlo tenentur scripta.* Nil cures singularia, sed quæ sunt status communia, ea amplectere, quo Deum maxima afficies voluptate. Non tam respicit Deus ad singularia facinora, quã ad ea, quæ communia sunt status, quem vnusquisque habet. Matth. 9. dicitur. *Et cum transisset inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio.* Cur vidit hominem? Cur nõ potius Matthæum? Cur non magis de particulari, quam de communi vocabulo virum notat? Pulchrè Diu. Chrysolog. ser. 28. *Vidit Deus hominem, scilicet, qualem condiderat suo prototypo, & creatori persimilem.* Hoc gratissimum diuinis oculis accidit, quod cõmune est omnibus cuiuscumque status: tunc rapis diuinos oculos, cum communibus tui ordinis legibus conformaris. Nec mirum, quod quis adeò placeat diuinis oculis ex communi modo viuẽdi, quãdo talis hæc vita cõmunis, & habitus, vndè euanescere posset, nõ habet. Hinc se commẽdabat sponsa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* In lectulo, ait, sponsa, nõ in arena, non in stadio, non in eremi habitu; sponsis enim cõmunior lectulus, quam arena, quam stadium. Nec solum ait in lectulo, sed addit per noctes; vita enim communis sic de multorum similitudine obtenebratur, vt oculos mortalium fugiat, eo securior ad palmam, quo minus eius perfectio patet. Do Gillibertum Abb. serm. 2. in Cantica sic fantem. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Illorum videtur vox ista maximè fratrum, qui & quieti ex solicitudine, & quasi perditi, & absconditi sunt à multitudine, habentes in altero lectulum, in altero noctis obscurum. Quodammodo enim absconditur cuiuslibet, quantumlibet excelsa conuersatio, vbi in altitudinem æqualem tota se fratrum numerositas attollit. Iuxta illud Isaiæ cap. 50. Ambulant in tenebris, & non est eis lumen, sed humanæ laudis lumen, vt liberiùs speret in nomine Domini, & nitantur super Dominum suum, quorum abscõditus est vultus eorum.* Et quidem, vbi te cõmunibus tui status regulis tradis, minus vanitatum flabris times, & magis in Dei tui nomine confidis.

Luc. 10. Gregor. Matth. 9. Chrysol. Cant. 3. Gilliber.

§. VII.

Nulli periculo debent sacerdotes parcere pro hominibus saluandis.

EA erat leprã, quę vel halitu propinquos inficiebat, cui prospiciens periculo lex, ab hominum commercio leprosos arcebat: vni Sacerdotes tenebãtur leprosos expectare, vt iudicium ferrent, siue de illorum immunditie, siue sanitate. Quod enim cum hominũ salute coniunctum periculum est, minimè à Sacerdote refugiendum, sed subeundum, & amplexandum. Bonus ille pastor Paulus. 2. ad Corinth. 12. aiebat. *Ego autem lubentissimè impendam, etsuper impendar ipse pro animabus* Ad Cor. 12

bus vestris. Super impendár ipse ait, hoc est, nulli parcam sumptui post bona omnia consumpta, se ipsum consumendum tradere est
Chrysos. animus. Chrysost. hom. 28. ibi: *Quod dicit, impendar, insinuantis est. Si & ipsam carnem suam insumere oporteat, non parcam propter vestram salutem:* Vbi animarum periclitatur salus, cur metuat pastor sumptibus, quando & vitam propriam debet insumere bonus pastor? Ad
Bernard. hæc D. Bern. lib. 4. de Consid. ait. *Fuerunt autem, qui se totos ouibus pascendis exponerent, pastoris opere, & nomine gloriantes: nil sibi reputãtes indignum, nisi, quod saluti ouium obuiare putarent: non quærentes, quæ sua sunt, sed impendẽtes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere seipsos. Vnde vnus illorum, & ego, ait, super impendar pro animabus vestris.* Non solum bonorum, sed & sanguinis impensis, &
Genes. 31. sumptibus tenetur bonus pastor saluti suorũ prospicere gregum. Gen. 31. sic officij sui rationem apud socerum dabat Iacob. *Oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furtum peribat à me exigebas: die, noctuque æstu vrgebar, & gelu, fugiebatque somnum ab oculis meis.* Ad hæc optimi pastoris verba sic de se solicitus
Cellen. aiebat Cellensis Abbas lib. 3. epist. 1. *Hæc lego, & non inconsolabiliter inertiam meam lugeo? Vbi namque oues curæ meæ? Vbi capræ non steriles? Vbi Iacob, vbi Abbas tam sedulus exhortator, tam feruidus redargutor, tam cautus prouisor, tam benevolus persuasor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morbos sapiens, tam ad aeris intemperiem patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commisso, tam vigil in cauendo damno, tam perseuerans in seruitio?* Timeat pastor, qui nihil nouit pati pro gregibus, qui nulli se opposuit lupo, qui nullas vigilias fecit, qui nullam in temperiem, seu in-
Zach. 11. iuriam passus est. Zacharias cap. 11. *Hæc dicit Dominus Deus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant: & vẽdebãt ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus; & pastores eorum non parcebant eis. Et ego nõ parcam vltra, &c.* Vbi noster posuit;
Lxx. Nazian. *Et pastores eorum non parcebant*, ex Septuag. transtulit Nazianzenus Orat. Apolog. vt vniuersos pastores deterreret; *Et pastores earum nihil patiebantur, nec dolebant pro his. Propterea non parcam vltrà.* Quasi hoc maximè diuinã irritet irã, quod pastores animarum, nihil patiantur, nulli se se damno committant, dolori item nulli, vt gregum suorum saluti prospiciant.

Tex. Et factum est dum irent, mũ dati sunt.

§. VIII.

Firma in Deo fiducia nequit frustrari.

NON multum itineris conficiunt, & ecce leprosi omnes sani facti sunt; tanta enim eos fiducia in Iesu verbis impleuerat, vt media vix calcata via, iam integram obtinuerint salutem. Fallar si tardior fuerit, & angustior bonorum possessio, quàm pes in Domino confidẽtis. Deut. 11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Tam cita bona veniẽt, quã citus fuerit pes ad illa obtinẽda. Sed cuius pes requiritur, nisi pes confidentis. D. *Bernard.* Ber. serm. 32. in Cant. ait. *Quemcumque locum calcauerit pes vester, vestrerit. Magna siquidẽ fides magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Nescit fiducia in Deo repulsam pati, imò ipsa sola potest accelerare bonorum exceptionem. Quis sperauit in eo, & fuit cõfusus? Quis Deo fidit, & non festinanter accepit, quidquid præstolatus est? Dauid vbi in arenam descendit cum Philistæo ait. 1. Reg. 17. *Ego* *1. Reg. 17.* *venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminũ Israel, & dabit te Dominus in manu mea, &c.* Quam Deo fidit, qui in limine arenæ iã victoriæ palmam prædicat! Et quidem tantæ fiduciæ vox non poterat non sonare vel ante pugnam victoriam, vt dicat D. Basil. Seleu. o- *Basil. Sel.* rat. 15. *O plenas amoris diuini voces, vel ante victoriam potitas victoriæ.* Vox adeò secura de Deo, non poterat, non palmam optatam præferre in ipso primo per stadium ingressu: non enim pes ad victoriam velocior currit, quam fidenti in Deo venit felicitatis concupitæ possessio. Propone tibi ob oculos Annã Samuelis matrem, quæ. 1. Reg. 1. fiducia plena ora- *1. Reg. 1.* tionem, & vota fundebat Domino, tanta animi contentione, & affectu, vt ab Heli Sacerdote putaretur ebria. Excusat se nobilis fœmina, & ebrietatis notam depellens, orationes suas, & preces Sacerdoti exponit; tũ Sacerdos, ait. *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam.* Quid ais Sacerdos? Audis nõ ebrietatis ructus, sed humiles preces, sed fide plenas orationes, & iubes, vt abeat, vt ab oratione desistat, & prolem spectet? Cur non magis orare iubes? Cur non consulis precibus ardentius instare, sed mauis, vt oratio cesset? Si ab oratione abeat, in quo accipiet, quod postulat? Abijt ab oratione, sed non à fiducia, qua orabat, & quam tanta comitatur fidu-

fiducia, etiam dum abeat, accipiat postulata.
Chrysost. Pulchrè D. Chrysost. hom. 1. in præsenti fatur. *Coacta est obedire sacerdoti, & ab oratione cessare. Et vox quidem illi intercluſa est, sed non est excluſa fiducia.* Quid si ab oratione abeat, dū fiducia maneat? Oratio cessat, sed abeuntem fiducia comitatur; cui sine dubio Deus Israel petitionem suam dabit. Quid aio, petitionem dabit? Satius dixissem; quod Deus fidēti petitionem restituit; quātumuis enim currant postulata ad hominem Deo fidentem, nō possunt non tardare, & ius fiduciæ quasi lædere, dum non præcurrant vocem postulantis. Accipite Chrysost. supra in principio. *Se,*
Idem. inquit, *ad magnam restituit fiduciam, dum è petra quemadmodum infrugiferam spicam messuit comantem.* Expende illud, *ad magnam se restituit fiduciam, &c.* Quippè ex quo fidens fuit in Deo, quasi vis inferebatur fiduciæ, & illius aliquod eripiebatur, dum ad prolem Anna nō accipiebat fœcunditatem, quæ obtenta fecit satis fiduciæ; debitum ius illius celeritate doni resartiens, quod quasi læsum erat, dum vel momento postulata tardabant.

Tex. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est; regressus cum magna voce magnificās Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus.

§. IX.

Cæcus est, qui in acceptis bonis Deum Auctorem non vidit.

EX decem, qui munditiem acceperūnt, vnus solum memoratur vidisse, quod mundatus est, qui & Deum salutis acceptæ Auctorem magnificat. Et merito, qui Deum recognoscit Auctorem, solus dicitur vidisse salutem; excæcatur enim acceptis bonis, qui sic illis tenetur, vt Deū non meminerit. Matth. 2. Magi Ierosolimam veniunt, natum regem inquirunt, & aiunt. *Vidimus enim stellā eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Non ne stellarum cognitioni dediti, stellas antea viderant? Quid magnum dicunt, quod viderint stellam eius? Magnum sanè est, quod stellarum adorator stellam videat, nec illam videre posset, nisi in ea Auctorem eius Deum viderit, quem muneribus suis magnificat. Do
Chrysol. pulchra verba Chrysologi serm. 156. aientis, *Aliquando videt Magus: qui habet stellam, non habetur à stella: & stellam iam non credit esse Deum, sed indicat esse conseruam, quam cernit suis obsequijs mancipatam.* Adorabat Magus stellas, earum pulchritudine irretitus, & tunc non videbat stellas, quæ illi erant scandala, & insaniæ falsæ. Cum autem non adorator, sed possessor fit stellæ, & donum, & obsequium illarum sibi à Deo venisse credit, tunc videt stellas, tunc, cæcitate ablata, claris oculis dicitur stellas nouisse, & aspectasse. Cæcus es homo, dum bonorum temporalium splendore teneris: affectus illi, qui te dimisso Deo creaturis subijciunt, qui te in desideria cordis rapiunt, te protinus excæcant, ne videas, ne cognoscas ipsa bona, quibus totus inhæres. Quis dicat infinita pene bona illius diuitis, cuius Lucas mieminit, cap. 12? Is sic tenebatur bo- *Luc. 12.*
nis possessis, vt nihil amplius videret, imò nec bona ipsa videbat, nec hæredes, qui iam in foribus erant. Etenim ait: *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare; Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuā repetunt à te: quæ parasti cuius erunt?* Ecce vniuersitas illa bonorū vix erat vnius noctis, & putabatur ab illo, quasi plurimorū annorum: rursus nata erant alteri, & miser ille dicebat sibi nata fuisse; insuper erant bona corporis, at ille putabat illa animæ pauula. Cur sic errat? Cur sic ignorat substantiam bonorum? Cur nō videt, ad quē pertinerēt bona illa? Sanè non habebat oculos ad videndum, qui in bonis suis acceptis nullam mentionem Au- *Paulin.*
ctoris Dei faciebat. Ita san. Paulinus epist. 31. *Consumpta iam vita de vita apparatibus cogitāti dictum est: Stulte, hac nocte exposcetur anima tua: quæ parasti, cuius erunt? Cui thesaurizant, ignorant, quia nolunt intelligere, cui debeant thesauros suos: digni, qui nesciant, quo successore dimittant, quia nesciunt, quo largiore possideant.* Simul coeunt obliuio Auctoris Dei, & cęcitas, ne videatur qualitas temporaliū bonorum. Vbi Deum non meminisli, sic cęcaberis bonis, vt illorum essentialem fluxum non videas, vt sit iam in foribus tuis possessor alter, nec tamen cernere possis illū.

Tex. Luc. 17. Non ne decem mūdati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic

à lin-

alienigena. Et ait illi: Surge, & vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

§. X.

Gratiarum actio minus placet Deo, vbi non ab omnibus ſimul exhibetur, qui beneficia receperunt.

TOTVS in gratiarum actiones effuſus accedit Samaritanus hic felix, & inuenit Deum excandeſcentem in eos, qui nõ ſimul ad gratias accedebant. O bone, cur ſic excipis gratum hominem? Si alij ingrati ſunt, illos corrige, modo huius gratitudini applaude, huic te benignum exhibe, cur te ſeuerum facit aliorum abſentium ingratitudo, & non magis placabilem, & dulcem reddit gratitudo præſentis? Equidem minus Deo placet gratitudo, quæ non habet ſocios omnes eos, qui beneficium acceperunt. Fallor, niſi huc ſpectauit Diu. Maximus ſerm. 8. de beneficentia, & gratia, vbi ex Plutarcho dicit. *Gratia tanquã Luna, cum plena eſt, & perfecta, tunc pulchra videtur.* Non adeò pulchreſcunt in oculis diuinis gratiarum actiones, quæ per partes fiũt, quæ habent admixtum plurium defectum, illa gratiarum actio Deo acceptior, quæ ab omnibus partibus, ab omnibus participantibus beneficium exhibetur. Danielis cap. 3. de tribus pueris in caminum coniectis notanter dicitur. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias orauit, &c.* In quibus, vt bene notat Lyra primo tres ſimul pueri Deum laudant, Deo benedicunt; deinde vnus Azarias ſtans orat. Cur vnus Azarias orat, & non vnus Azarias laudat? Cur ad orandum vnus ſufficere videtur, & non ad laudandum? Azariæ oratio ſatisfactoria erat, ideòque à Diu. Cypriano, & Paciano vocatur exomologeſis, hoc eſt, pœnitentium oratio, idque demonſtrant ipſius verba dicentis: *Peccauimus, iniquè geſſimus.* Vbi ergo peccatorum, & luctus meminiſſe oportet, vnus Azarias ſufficiebat, qui omnium os eſſet; verum vbi ad gratiarum actiones pro accepto beneficio ventum erat, non vnus, ſed omnes ſimul, qui beneficium participarant, in laudes diuinas decantandas perueniunt. Merito Diu. Bernard. ſerm. 12. in Cant. fatur. *Neque, qui peccatorum recordãtur, in vnum habitant, cum quiſque peccata propria lugeat, atque deploret. Qui verò in gratiarum actione verſantur, ſolum Deum intuentur, & cogitant, ac per hoc ipſi verè habitant in vnum.* Vera gratitudo non gaudet ſingularitate, ſed toto conatu, procurat, vt copulentur in actione gratiarum, quicumq; beneficij acceperunt partem. Nõ enim adeò gratæ ſunt gratiarum actiones, niſi beneficij ſocijs fiant plenæ. Hinc eſt, quod Noe. Gen. 8. ereptus à diluuio: *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, ac volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Cur obtulit de cunctis? Non ne ſuffeciſſet par vitulorum, aut agnorum? Cur neceſſum fuit, vt cuncta animalia munda tàm de pecoribus, quam de volucribus holocauſto inſeruirent? Erat holocauſtũ hoc gratiarum actio pro accepta ſalute, quã, quia ſimul & homines, & animalia acceperãt, noluit iuſtus vir, vt aliquis in gratiarũ actione requireretur à Deo, quo minus placeret ſacrificiũ. Non lõgè abeſt ab hac ſententia Rup. lib. 4. cap. 27. inquiens. *Holocauſta, quæ obtulit Noe Domino, gratiarum actiones fuerunt, ſua præſentia beneficiorum memoriam confitentes, vt dignum erat. Et quia non ſolum hominem, ſed propter hominem, iumentorum quoque, & cunctorum animalium reliquias in eàdem arca ſeruauerat, merito illi de cunctis pecoribus, & volucribus mundis ſuper altare ab homine offerũruntur holocauſta.* Ne ex his, qui participauerunt beneficia, deſideretur vel minimus paſſerculus in actione gratiarũ, vt ſic relatæ ſint omni ex parte perfectę. Cauit hoc diuinus ſpiritus, quando primum canticum pro actione gratiarum inſpirauit. Id fuit Exodi 15. vbi dicitur: *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmẽ hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Dño, &c.* Non Moyſes ſolus, ſed vniuerſus populus canit, adeò, vt nec infans deſideretur: ſic notat Aug. de mirabilibus, c. 21. aiens. *Cunctiſenes pariter cum pueris, & omnes ætates eodem inſpirati famine vno quaſi ex ore eaſdem concinentes literas, conſpirarunt in vnum.* Quaſi in hoc eſſet decus gratiarum actionis, ſi nec paruulus deſideraretur eorũ, qui beneficia receperunt. Vndè Iudith, quæ ſola in arenam deſcendit, vbi victoriam reportauit, pro gratiarũ actione, ait c. 13. *Sine pollutione peccati, reuocauit me vobis gaudẽtem in victoria ſua, in ſaluatione mea, in liberatione mea. Confitemini illi omnes, quoniã bonus.* Omnium petit gratiarum actiones, ne gratitudo ſua minus placere poſſet. Id quod cauit etiam Anna Samuelis mater, quæ cum ob ſterilitatem oraret. 1. Reg. 2. vt excuſaret ſuſpicionem temulẽtiæ, quod poſtulabat, reticęs, animi ſui amarorem Heli Sacerdoti oſtendit, cuius compaſſione tactus Sacerdos ipſe, & cum illa, & pro illa ſimul orauit. Poſt acceptum orationis pignus, cũ primùm licuit, grati animi fœmina filium Domino attulit, tũcq; ſic ad Sacerdotem fatur. *Ego ſum illa mulier, quæ ſteti hîc orans Dominum. Pro puero iſto orani, & dedit mihi Dñs petionem meã, &c.* Cur accepto filio tam ſuſe explicat Sacerdoti poſtu-

D. Maxi.

Dan. 3.

Cypr.

Bernar.

Gen 8.

Rup.

Exod. 15.

Auguſt.

1. Reg. 2.

postulationes suas, quas antea secretas habuit? Nimirum ideo modo explicat, vt Sacerdos, qui fuerat petitionis socius, esset etiam socius gratitudinis de filio habito, nec deficeret in gratitudine, qui in oratione affuit. Ita D. Chrysost. Hom. 2. in præsenti: *Deo dante quod postularat, tunc demum Dei beneficentiam aperit Sacerdoti, cupiens illum in agendis gratijs habere consortem, quemadmodum priùs habuerat in precando.* Sic curet omnes participes beneficij etiam gratiarum actionum esse consortes, quisquis vellet dignas Deo referre gratias.

Chrysost.

§. XI.

In solis virtutis facinoribus vera laus.

QVID homini commendabilius, quàm à se ipso habere, quo cæteros excedat? Sanè mundiales homines de alienis semper extolluntur, solos virtutum studiosos sua cõmendat. Ait enim: Fides tua te saluum fecit: non ab Indis allata pigmenta; non Arabum medicatæ herbæ, sed quę in te fides adoleuit, ea tibi salutem acquisiuit. Hinc D. Hier. de Virg. ad Demetriadem sic loquitur. *Habes hic per quæ meritò præponaris alijs, imo & hic magis. Nam corporalis nobilitas atque opulentia tuorum intelliguntur esse, non tua. In his ergo iure laudanda es: in his merito cæteris præferenda es: quæ nisi ex te, & in te esse non possunt.* Vt nihil magis nostrum Dei munere habemus, quàm virtutum opera, quæ ipsi facimus, sic nullum laudis fundamentum præstantius nobis est. Cætera laudum fomenta, aut sors efficit, aut tulit casus, & ideo vanissimus est, qui illis fidit, aut gloriatur, quas ex virtute habes laudes, ita à te sunt, vt sine te nequeant esse. Deuth. 10. *Ipse est laus tua, & Deus tuus:* quasi innuat Dei bonitatem erga homines, qui laudum fundamentum, nempe, virtutem voluit esse nostrum. Sese nobis Deus donauit, se nostris actibus inseruit, vt de nobis nasceretur, quo laudari possimus. Quo spectabat Nazian. orat. 1. Apol. dicens: *Summæ ac singularis Dei bonitatis argumentum est, facere, vt virtus nostra aliqua ex parte sit.* Itaque hoc fecit Deus hominibus magnum, quod Deum suum habeant, quod nimirum virtutem verè suam efficiant; vt sic verum & solidum fundamentum laudis habeant. Id quod explicatius posuit Nazian. Scoliastes Elias Cret. inquiens.

Hieron.

Deuth. 10.

Nazianz.

Tam excellens fuit erga genus humanum Dei benignitas, vt virtutem non beneficio tantum suo hominibus contingere voluerit, verum etiam effecerit, vt ad ipsam adipiscendam ipsi quoq; partes suas adiungant: atque ita rerum gestarũ laus non tota sit Dei, sed aliqua ex parte hominum. Et si enim omnes virtutes Deo inspiratori & cooperatori debemus, nihilominus ex Dei munere venit, vt etiam ex voluntatis humanæ actione aliquam proprietatem habemus in illis, qua veræ laudi immortale ponimus fulcrum, vt dicat Prouerb. c. 10. *Memoria iusti cum laudibus.* Vnde D. Ieronymo in principio dato annuit Bernard. epist. 13. sic ad nobilem virginem fatus. *Proinde benedicta tu in nobilibus, quæ pro gloria certantibus cæteris de contemptu gloriæ gloriosius sublimaris, & sublimius gloriaris. Insignior plane, atque illustrior, quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis. Illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum. Porro quod tuum est, tanto carius est, quanto rarius. Nam si in viris virtus, rara est auis in terris, quanto magis in fœmina fragili, & nobili?* Hoc equidem illustrius, & laudabilius in nobis est, quod nostrum est, quod de munere Dei à nostra volũtate venit profectum. Quapropter Dauid Psalm. 114. aiebat. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me; tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocabo.* Vide nobilis athletæ præstantiam, non est contentus se inuentum esse à periculis, à doloribus, sed vltra ipse operam dat laboribus inueniendis, & portandis. Cur si à laboribus inuentus est, alijs ipse inueniendis operam nauat? Sanè illos inuitus pati cogebatur, in quo minor erat laus, & ideò ipse voluntarius alijs se tradit, vt ex se habeat fundamẽtum laudis D. Basil. ait. *Nihil mediocre se passum dicit, sed ad periculum vsque descensus ad inferos deductum. Num hæc semel tulit, de quibus gloriatur? An eadem quidem sæpe, ac inuitus? Nihil autem eorum, quæ inuiti subimus, laudabile est. Sed vide athletæ huius magnanimitatem. Postquam pericula inferni inuenerunt me, tantum abfuit, vt concederem animo, vt multo pluribus perferendis me voluntarium obtulerim. In his, quæ mihi retro contigerunt, pericula inuenerunt me; hic verò tribulationem, & dolorem voluntarius inueni.* Tunc solum contentus cum à mea volũtate habui laudis & gloriæ fundamentum: quia quæ me inuenerant mala, peregrina erant, & non mea erant, sed potius ego eram illorum, ab illis possessus: quæ autem ego inueni per voluntatẽ, mea feci.

Prou. 10.

Bernar.

Psal. 114.

Basil.

LIBER DECIMVS.

DE COECIS ET ALIIS MORBORVM GENERIBVS.

NON eſt animus quotquot curauit morbos Dominus, in præſenti expendere, qui omnem excludunt cēſum, & plurimi illorum adeò ſimiles ſunt, vt ex his, quos illuſtrabimus, fiant etiam manifeſti. Seruari in finem cæcitatum curationes, vt quæ poſt reſurrectionem mortuorum ſuperiorem teneant locum, & maximè diuinam poteſtatem in Ieſu latentem manifeſtent. His adduntur varia alia circa infirmos facinora, quæ omnia ex ſumma breuitate temporis, felicitate, imperio, & modo, quo efficiuntur, diuinitatem Auctoris, natura obſtupeſcente, commendant.

CAPVT PRIMVM.

De duobus cœcis illuminatis.

DVos Ieſus conſpicit viros, a miſsis luminibus ſauciatos, talibus à tergo vocibus deprecantes: Miſerere noſtri, fili Dauid. Illam ſcilicet beneficentiam deprecabantur, quæ noctem ſegregans caligantem, ex cunctis diem vultibus præformauit. Quam tutum eſt credere, quam ſanum eſt in Deo ſtudioſè confidere! Corde ſiquidem iam videbāt, qui Chriſto gradiente, lucis ſemitam ſentiebant. Tunc oculi mœſtā cæcitate compreſsi, tactu micuere diuino, dextraque ſerenitatis applicita, ſuis lucernis radiarunt ora videntia.

Matt. 8. Tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cœci clamantes & dicentes, Miſerere noſtri, fili Dauid.

§. I.

Proſperitas diuiſionem, aduerſitas vnitatem, et concordiam parit.

CVM duos audio omnino conformes, & vnanimes poſt Ieſum clamantes, ſimul ſcio aliqua illos aduerſitate conſtringi; nouit enim vna aduerſitas miſeros adunare, & conglutinare; felicitas autem diſcordiarum & diuiſionum mater, omnes ſocios faſtidit, nec vnius conſortium patitur. Vide apud Luc. ca. 18. tumentem Phariſæum, quam à ſe abijciat vel vnum publicanum, qui fortuito ſimul ad Deum orabat. Quippè ait faſtidioſus ille. *Non ſum ſicut cæteri homines, velut etiam publicanus hic.* Quid ais homo? Cur tecum orantem publicanum pungis? Cur faſtidis vel vnius conſortis orationem? Non contenta eſt ambitio humana, niſi ab omnibus ſe diuidat, omnes à ſe ableget. Ait Chryſoſt. in cat. *Non ſatiauerat contemptum eius tota humana natura, ſed & publicanum aggreſsus eſt.* Iam ſe ab omnibus diſcreuerat, cum dixit, non ſum ſicut cæteri homines, ibi omnes contemſerat, *Luc.* 18. *Chryſoſt.*

tempserat, sed quia aduertit sibi orationis socium publicanum adesse, non contentus communi omnium reiectione, publicanum aggreditur, vt à se faciat quam longè esse. Humanior sanè est aduersitas, quâ intimè misseli homines adunantur, sibique inuicem adhæresc unt. Hanc fidelium ex aduersitate vnionem laudabat ille Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Commendantur præcipuè dentes ab æqualitate, & stricta interse vnitione; quæ vnitas tunc maximè cernitur in fidelibus, quando facti oues occisionis stolas suas in sanguine agni dealbant. Quippè oues de lauacro venientes solèt frigus metuentes interse stipari, & corpora corporibus applicare; vt qui de longinquo prospiciat vnum corpus album continuum putet moueri. Sic frigus, sic aduersitas constipat, & vnit interse oues Christianas. Quò spectauit Zachar. cap. 11. fatus. *Et assumam mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, alteram vocaui funiculum.* Assentior Cyrillo, qui in prima virga legem veterem, in altera euangelium intelligit; nec miror, quod euangelium virga vocatur, quando Psalm. 2. etiam virga ferrea dicitur. Ait enim: *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Meritò virga ferrea, sub quâ tot cruces, tot mortes, tot persecutiones, tot lupi insequuntur oues Christi; sed quo ipse plures persecutiones patiuntur, quo pluribus feriuntur virgis, eo magis interse constipantur, vniuntur. Adeò vt ferrea virga iure possit a Deo vocari funiculus, quia oues Christianas arctissimè facit in vnum constringi. Sic Ioan. 20. *Erant discipuli congregati propter metum Iudæorum:* quippè à Iudæis excitata persecutio Christi discipulos cogebat in vnum; & quo magis furiebat hostium rabies, eo arctiori charitatis vinculo sese constringebant discipuli. Fallar, nisi hucrespexerit D. Paul. ad Rom. cap. 16. vbi inquit: *Salutate Andronicum & Iuliam cognatos & concaptiuos meos*; nullibi enim arctioris cognationis vinculum inuenitur, quàm illud quod nascitur ex simultanea captiuitate & passione: vt canat Ecclesia de Ioanne & Paulo martyribus, *quos eadem fides & passio verè fecit esse germanos.*

Cant. 4.

Zachar. 11

Psalm. 2.

Ioan. 20.

Ad Rom. 16.

§. II.

Quod non valet omnis sapientia creata, Iesu humanitas sola misericordiam persuadet Deo seueriſsimo.

NOBILES oratores cœci hi multâ Dei magnalia congerere possent, propter quæ sperarent posse ad misericordiam flecti seueritatem diuinam, sed omnibus alijs dimissis, solum Dauid filium oculis diuinis obijciunt. Quippè aiunt: *Iesu fili Dauid miserere nobis:* erat etiã Iesus Dauidis parens & Dominus, vt ipse Dauid testatur Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ibi Dauidis Dominus dicitur, vbi conculcandi ponuntur inimici: verum cœci hi missa facientes magnalia, nimirum Dominum, potestatem, victorias: id malunt attingere, quod ad blanditias spectat, vt inde flectant, & inclinent ad misericordiam seueritatem diuinam. Hinc aiunt, fili Dauid, miserere nobis, Dauidis filium obijciunt, qui seuerum cupiunt flectere Dominum & iudicem. Non absimilem rem meminit Saluianus epist. ad Parentium his verbis. *Perorans in Romano foro Seruius Galua, consumptis iam cunctis oratoriæ artis, & ingenij subsidijs, cum parum se promouisse intellexisset: paruulum, quem secum habebat, Galli clarissimi, & nupermortui filium, & paruas ante subsellia audientium indoles suas, in confessu iudicum produxit; quas cum laturis sententiam commendaret; fratris affectu omnium mentes & inclinatæ sunt.* O quot blanditias in filio Dauidis, quam gratiosas eius indoles nouerunt, qui demissis alijs orationis copijs, & subsidijs, vnum obijciunt Dauidis filium, quo solo flectere diuinam seueritatem sperant! Sanè ad miserorum leuamen vnus filius hic Dauidis sufficiet. Notate modo trita Isaiæ verba cap. 9. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principatum super humerum eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, &c.* Vbi expende, quod id, quod nobis in præsenti datum dicitur, solus est paruulus filius; is natus, & datus est iam nobis: cætera omnia de futuro promittuntur: ait enim non quod vocatus est, sed quod vocabitur admirabilis, Deus fortis, pater futuri sæculi. Enim verò quæ maiestatem sonant, ea potius ad futurum sæculum spectat, vbi omnia ex iustitiæ calculo administrantur: in præsenti autem, quando

Psalm. 109.

Saluianus.

Isaias 9.

nobis misericordia diuina; & inclinatio negotianda est, & paruulus & filius Dauid datur nobis, quo vno obiecto Dei misericordiam pulsabimus. Vnde noscens Dominus filij Dauidis sanguinis efficaciam & voces ad extorquendam misericordiam compositas, cauit, ne intra Hierosolymorum ciuitatem pateretur, sed ciuitate relicta pergeret in montem nouus, & verus Isaac sacrificandus. Id quod notans D. Leo ser. 10. de Passione fatur. *Eunte itaque dilectissimi, Domino ad locum clarificationis suæ; & misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, vt adimpleretur, quod scriptum est. Psalm. 118. Longe est à peccatoribus salus, sequebatur eum multitudo magna.* Quibus id pondero, quod idem sit, quod exeat Iesus ab Hierosolymis, & quod exeat misericordia, & salus, quasi hoc solum sufficeret ad extorquendam misericordiam, & salutem à patre, quod vnus Iesus cerneretur intra illam infœlicissimam ciuitatem. Felix ille qui vnum Iesum sibi habere, & acquirere præsumit, qui vnico Iesu contentus est, quia inde & patrem, & omnia patris bona sibi putet donata. Luc. 14. aiebat Philippus rudis adhuc: *Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Non ad patrem solitarie, sed per istum Dauidis filium spectasses, & acceptior esses patri. Dissimula paulisper patrem, ad hunc recurre filium, quo solo contentus esto, & omnia habes. Pulchrè Cellen. Abb. lib. 3. epist. 12. ait. *Qui cum Iesum haberent, patrem nihilominus videre cupiebant. Non dum nouerant, quia cui filius non sufficit, nec patrem habere poterit.* Sufficit equidem vnus hic nobilis Dauid filius, vt patri gratiam, & misericordiam persuadeat erga genus humanum, & nobis patrem acquirat, & omnia bona patris.

Leo.

Luc. 14.

Cellen.

Matth. 9. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cœci. Et dicit eis Iesus: creditis, quia hoc possum facere vobis?

§. III.

Virtutum facinora occultanda sunt.

NON in via sed intra domum voluit Dominus oculos duobus his hominibus præstare; vt domus secreto facinora sua aliquo modo tegeret, doceretque fidelibus, quam debent omnes splendentis virtutis decora obumbrare. Quod in præsenti notarunt Chrysosto. Euth. Theophil. Quis iam non discat illustria sua ab oculis mortalium celare facinora? Psalm. 6. *Laboraui in gemitu meo.* Totus gemitibus plenus Deo assistebam, sed id mihi maximum facessebat laborem, vt intra pectora abscondita, & occulta frangerentur dulcia suspiria, ne gemitus foras erumpentes possint ab hominibus sentiri. Ita D. Ephræm de Pœnit. inquit. *Laboraui in gemitu meo: Cur ita? Vt nullus planè audiat. Nam gemitum prodeuntem retinere negotium facessit.* Hæc cura viri iusti, hic labor, hoc opus sit, vt opera virtutum celet, milleque velaminibus occultet. Samson ille fortissimus Iud. 16. sic explanat virium suarum fundamentum, vnde toties deuastabat inimicos. *Ferrum nunquam ascendit supra caput meum, quia Nazaræus, idest, consecratus Deo sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Itaque tanta vis, & fortitudo inerat Samsoni à capillis, quanta nulli mortalium vnquam fuit, licet memores fabulosos labores Herculeos. Sed cur sic fortis erat propter Deo consecratos capillos? Quæstionem tractat D. August. ser. 107. quam simul definit. *Quid est, quod & in capillis virtutem Sanson habebat? Et hoc fratres, diligenter aduertite. Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipso capite: sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli, quid comæ? Et nos videmus, & interrogatus Apostolus respondet nobis: coma velamentum est. Et in velamento Christus habet virtutem.* Ecce vobis vnde Christianæ virtutes vires sumant, nimirum, à velamẽtis. Quo plus occultæ, quò plus celatæ sint virtutes hominis Christiani, eò plus valentiores ad resistendum hostibus, imò ad hostes funditus exturbandos. Componite modo præceptum Christianum, & Iudith nobile facinus, vt hostiles exercitus expugnaret. Matth. 6. ait Dominus. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Hoc fecit Iudith ieiunis enim & tristitia confectam faciem, vt in arenam descendat, lauat & mille lætitiæ ornatibus opperit latentem animo mœrorem: sic enim cap. 10. *Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominũ, vocauitque Abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium: & lauit corpus suum & vnxit se myrto optimo & discriminauit crinem capitis sui: induit se vestimentis iucunditatis suæ, &c.* Quid plura? Accipite Chrysost. Hom. 10. ex varijs in Matth. sic fantem. Sanctissima Iudith cum magno mœrore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduam ieiunij, capite vncto, & lota facie ita internæ afflictionis tristitiam texit,

Psal. 6.

Ephræm.

Iudic. 16.

Aug.

Matth.

Iudith. 10.

Chrysosto.

texit, vt simulato gaudio lætari hostibus videretur: *ac sic dum lætitia vultus ieiunium texit, de hoste triumphum victoriæ reportauit.* Tota ergo vis, & hostium expugnatio à velamento venit, quo sciũt opperiri virtutes Christianæ. Quis hostium non vereatur virtutes latentes? Iob. 19. Iob cap. 19. *Fugite ergo à facie gladij*: vbi significantius septuag. posuere: *Cauete & vos à tegmine.* Fortissimus enim est, & hostilium incursuum detriumphator, quisquis nouit virtutes suas tegere. Pulchrè D. Amb. lib. 3. Amb. offic. cap. 5. post illud fabulosum commentum de Gigæo annulo, quo homo occultabatur, vt quid vellet, faceret impune, sic monet. *Vir iustus non personam suam, indutus annulum, sed vitam suam, Christum indutus abscondat, sicut Apostolus ait Coll. 3. Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Nemo ergo hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet. Nolebat se Christus hic cognosci, nolebat prædicari in euangelio nomen suum cum in terris versaretur: venit, vt lateret sæculum hoc. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus.* Hæc ille. De hoc etiam infra §. 7. & capit. 2. §. 8. & libr. 12. capit. 4. §. 6.

§. IV.

Iesus in Ecclesiæ domo inuentus salutaris est, non extra.

VANE extra Ecclesiæ domũm lumen fidei Christianæ requiris, in domo tua, in Ecclesia tua conueni Christum, & illum experieris salutarem, & de Christianæ fidei radijs micabis. Mar. 4. Mare. 4. ascendens Dominus nauiculam post longos sermones ad turbas factos, petit aliò transferri: tunc, *dimittentes turbas, assumunt eum, ita vt erat in naui.* Meritò non aliter placet Christum assumi, nisi ita vt erat in naui, quia Christus solummodo est accipiendus, vt est in Ecclesia. Id quod notans Chrysol. Chrysol. ser. 21. aiebat. *Laus fidei est ita Christum recipere, vt est, & habetur in naui, hoc est in Ecclesia.* Quis linquat nauim, vt inter fluctuantes hominum mentes, siue spumantes voluptatum appetitus quærat Christum? Ostendunt terrena hominum corda in nostro euangelio suum Christũ; ostendunt & Christum suum belluini homines, penitus exleges, non aspicio, non fero, nec aliter amo Christum, nisi vt est in Ecclesia. Si extra hanc cœlestem domum, vel pedem exerere debeo, vt Christum inueniam, non amo Christum extra Ecclesiam decumbentem. Luc. 15. dragmam perditam, vt inueniret prudens fœmina, intra domum se continet, Luc. 15. ait enim: *Euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat.* Id quod notans Tertul. adhuc Tertul. sui compos, lib. aduers. Hæret. vbi quærendus Christus sit, docet: *Non apud hæreticos, vbi omnia extranea, & aduersaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui, sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum, & stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum dragma requirebat.* Suspectum tibi sit extra Ecclesiam aliquid inuenire; vnius Ecclesiæ septa sint tibi præfinita, vt Christum inuenias; huc veni, hanc nauim ingredere, hanc domum intra, ibi accende lucernas, ibi volumina euolue, ibi lætare de Christo inuento. Luc. 2. parentes Ie- Luc. 2. sum quærunt, & triduum consumunt in quærendo, tandem eum inueniunt: quippè ait, *& inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum.* Vbi inueniendus erat Iesus, nisi inter Doctores, inter magistros, sapientia plenos? Sed non inter vniuersos Doctores, & magistros inuenitur, nisi inter magistros, & Doctores, qui sedebant in templo, qui erant in Dei Ecclesia. Ita Orig. Hom. 20. *Vbicumque magistri fuerint in medio magistrorum inuenitur* Orig. *Iesus, si tamen magister sedeat in templo, & nunquam egrediatur ex eo.* Doctores extra Ecclesiam positos caue, quorum cathedræ procul dubio sunt pestilentiæ, quæ plenæ mortifero veneno omnia inficiunt, omnia morte replẽt. Si audisti aliquem à dilubio saluum ex his, qui foris extra arcam manserunt, puta salutem inueniri posse extra Ecclesiam. Verum sicut salus solis illis obtigit, qui intra arcam fuerũt, sic solus ille saluabitur, qui nullo prætextu exierit ab Ecclesia. Non vacat multa in hanc rem congerere, hæc prælibasse sufficiat, quibus fidem astruit D. Gaud. ser. 9. vbi sic fatur. Gaud. *Peruisse constat in illo dilubio omnes ipsius temporis homines, præter eos, qui intra arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc omnino salui esse non poterunt, qui ab Apostolica fide, & ab Ecclesia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio vnus quisque nostrûm permanere in domo Domini exercens opera percepta gratia congrua.* Hæc ille.

Matt. 9. Dicunt ei vtique Domine: tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis: & aperti sunt oculi eorum.

§. V.

Fides viatorum in cæleſti domo parit Dei viſionem.

REQVIRITVR in cœcis his fides, vt eiſdem conferatur viſus, vt hinc meminerimus, quam proprium eſt fidei viatorum, quod in Dei domo clariſsimam gloriæ viſionem pariat. Quò ſpectauit Paul. 2. ad Corinth. dicens: *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti.* Hoc ſibi aſciſcunt malum infideles, vt æterna cæcitate pereant. Quando, dũ abeſt fides, non eſt vnde gloriæ viſio cernatur parturiri. Et notanter poſitum eſt illud verbum, *fulgeat*, vt expendit Theophilactus, quo denotatur fulgor ille ſubluſtris, & ſubobſcurus Auroræ ſimilis: eſt enim illuminatio fidei ad gloriam viſionis beatificæ, quod Lucifer, ſiue Aurora ad ſolem, vt Aurora ſubluſtris dicitur ſolem parturire, ſic ſub obſcurus fidei fulgor parturit viſionem beatificam. Cui ſenſui pulchre annuiſſem, niſi eſſet mendoſa Chryſoſtomi lectio, quę in codice Venetijs excuſſo ad ſignũ Spei anno. 1594. Sic habet. *Ne illuceſceret illis illuſtratio Solis gloriæ Chriſti.* Ecce tibi Euangelica fides ſic comparatur ad viſionis gloriam, vt ad Solem matutinus crepuſculus: Non longe abeſt D. Petrus 1. epiſt. cap. 1. vbi ſic. *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nũc quoq; non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili.* Credentes, ait, non exultatis de præſenti, ſed exultabitis de futuro lætitia inenarrabili, nimirum, quæ ex clara Dei viſione percipitur. Sic fides parit viſionis beatificæ inenarrabilem lætitiam: ſic ſubobſcurus noſtrę fidei fulgor non ſinet nos ſub triſtiſſima noctis imagine cæcutire, imo impellet in illam æternitatis diem, qua nobis donetur cõſpicua Dei viſio, & gloriæ Chriſti. Id quod perpendẽs D. Irinæus lib. 5. cap. 7. ait. *Credentes autem exultabitis gaudio inenarrabili. Facies enim noſtra videbit faciem Dei viui, & gaudebit gaudio inenarrabili: Videlicet, cum ſuum videat gaudium.* Facit equidem hoc fulgor fidei, vt annuntiet, imo pariat nobis viſionem, in qua & perfectum gaudium conſiſtant, & beatitudo. Vndê Aug. 2. de ſymb. monebat. *Gaudeamus & nos credendo in eum, quem non videmus, vt ſecuri illum videamus, cum ad ipſum peruenerimus.* Hæc vna nobis cura ſit, vt vigeat in nobis fides, quam ſequantur clariſsimi illi oculi, qui Deum vident. Sic Pſalm. 44. *Audi filia, & vide,* cum dicit audi, fidem commendat, quę intrat per auditum, ſine qua nemo ad viſionem venit: impleatur primo fide auditus, & conſequenter oculi accũentur ad viſum. D. Bernard. ſerm. 41. in Cant. *Audi filia, & vide, videre deſideras, ſed audi prius, gradus eſt auditus ad viſum. Proinde audi, & inclina aurem tuam, vt per auditus obedientiam perueniasad gloriam viſionis.* Non aliter manantẽ gaudijs viſionem expectes, niſi ſubdas fidei auditum. Hinc Pſalm. 50. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam;* & mirum eſt, quod gaudium de auditu ſperet, qui nouerat plenam ſaturitatem in viſione conſiſtere: etenim aiebat Pſalm. *Satiabor, cum apparuerit.* Et quidẽ in viſione ſaturitas eſt, gaudij eſt plenitudo, ſed quæ pariatur per auditum fidei. Bernar. ſerm. 28. in Cant. *Auditus qui tulit, reparet viſum: quoniam niſi crediderimus, nõ intelligemus. Ergo auditus ad meritum, viſus ad præmium. Vnde propheta: auditui meo, inquit, dabis gaudium, & lætitiam, quod fidelis retributio auditionis beata viſio ſit.* Merito datur fidei viſio Dei, vt qui ſub obſcuris fidei carceribus nouit intellectum tenere captiuum, in claritatem viſionis exurgat: & de collirio fidei eam munditiem oculorum accipiat, vt Deum videat. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Sed à quo veniet iſta cordis mundities, niſi à fide? Ideò D. Paul. act. 15. dicebat. *Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda illorum.* Ecce cordis mundities, quæ Deum videat, venit per fidem.

2. Cor. 4.

Chryſoſt.

1. Petr. 1.

Irinæ. 5.

Aug.

Pſalm. 2.

Bernard.

Pſal. 36.

Bernard.

Matth. 5.

Actor. 15.

§. VI.

Dei manus non ſinit otioſas eſſe creaturas, ſed eas in opera mouet.

CHRISTI manus', vt tetigit cæcorũm oculos, ecce tibi ſeſe aperiunt palpebræ, pupillæ reformantur, & ſe in lucis negotium accingunt. Odit torporem otij manus diuina, nihilque ab illa dilapſæ creaturæ citius diſcunt, quam ad opera ſurgere. Recens natum Adamum audio Dei manibus ſublatum in paradiſum: ait enim Geneſis 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.* Felix homo, qui meruit, & tangi, & vaiulari manibus diuinis. Et quam virtutem attacto homini prius imprimunt diuinæ manus? Multæ ſane impreſſæ fuerunt animo eius, ſed quæ exterius imprimi dicitur, ea eſt; nimirum, *vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Nil citius, quam expulſionem otij à diuina manu ediſ-

Geneſ. 2.

ediſcunt creaturæ. Huc ſpectabat S. Baſil. Seleu. orat. 12. dicens. *Exundans bonitatis diuinæ opulentia, mox vt creatæ res fuerunt, mouit ad operationem, fecitque creaturam ſuæ bonitatis inſtrumentum: Propterea hominum manibus terram fecit excoli &c.* Sic manus diuinæ quãcumque rem tangunt; mouent illam ad operandum. Matth. 4. dicitur, quod, *ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo.* Quippè baptizatum à Ioanne Ieſum ducit Spiritus ſanctus in deſertum, & ad quid ducunt manus diuinæ cœleſtem Adamum in deſertum? Deſertus non admittit culturam paradiſus; quia coli petebat: ideo ponitur ibi Adam, & poſitum ad opus inclinant diuinæ manus. Verum ſecundus Adam, in deſerto ponitur, an vt otio indulgeat? Abſit; nequeunt enim manus diuinæ aliquem tangere, cui non imprimant ad operationis impulſum. Ponitur ergo Ieſus in deſerto, vt nobilis athleta in ſtadio, vt magiſter in armorum ludo, qui hoſtiles impetus retundat, & certamina inſtituat, & de ictibus coronas faciat parturiri. Huius rationem reddens D. Paſcaſius lib. 3. in Matth. ait. *Neſcit enim Spiritus ſanctus quoſcumque poſſederit, inefficaces atque inexpeditos relinquere: ſed proſiliit ad certamen, vt poſt victoriam quicumque abillo aguntur, per eum Chriſto configurati felicius requieſcant.* Expende illud, quod neſciat ſpiritus diuinus, quoſcumque attingeret, & poſſederit, in efficaces, atque in expeditos relinquere. Imò vix quæuis creatura tactum in ſe diuinæ manus ſenrit, & tota ipſa manus fit, vt in operationes exurgat diuinas. Quis non credat aquas vim regenerationis habere, vt quos in ſe peccatores recipiunt, filios Dei factos reparturiant? Sed vnde tantæ operationis virtus aquis potuit infundi? An ex eo, quod ſemel Ieſu tactum præſenſerunt in baptiſmo Ioannis? Accipite D. Anſelmum ſer. in 3. cap. Luc. ſic loquentem. *Baptizatus eſt Dominus, non ipſe aquis mũdari, ſed ipſas mundare cupiens aquas: quæ ablutæ per carnem eius, peccati vtique neſciant, baptiſmi ius aſſumerent, & quod ſub lege baptiſmata nequiuerant contra præuaricationis malum, vim regeneratiuæ ſanctificationis conciperent.* Ecce vobis Ieſu tactus aquis imprimit eam diſpoſitionem, qua ad tantæ operationis virtutem poſsint aſsumi. A Ieſu tactu in aquas ea vis deſcendit, qua eam actiuitatem, & efficacitatem poſsint induere, vt aduerſus præuaricationis malum ſe accingant, & filios Dei parturiant. Nec miror, quod Ieſu tactus tantam rebus efficacitatem tribuat, quando vel eius vmbra poteſt ſimiles virtutes, & efficacias indere. Quam inualidus erat Iſrael aduerſus Philiſtiin? Vnius Goliathi voce ſic omnes defecerant Iſraelitæ, quaſi nulla eſſet manus, quæ poſsit illi reſiſtere. Quid tunc? Prodijt in arenam adoleſcens Dauid puer adhuc ætate, exercitio militari tyro, ſed brachiatus miles, ſed totus manicatus in hoſtium vindictam. Vnde puero & tyroni tanta brachia? Vnde tot manus ad victorias? 1. Reg. 17. *Erat autem adoleſcens rufus & pulcher aſpectu.* Sanè roſea pulchritudo, purpureus genarum rubor aptior eſt ad amoris otia, quam ad belli negotia, cur ergo brachiati iuuenis virtutes maluit diuinus auctor à genarum rubore, & pulchritudine cõmendare? Latebat ſub illo purpuraſcenti ſplendore ſanguis Chriſti, à quo Dauidis manus ad prælia docebantur. Sic Franconius Abb. tom. 5. de gratia Chriſti fatus. *Dauid aſpectu pulcherrimus, roſeo rubore in myſterio ſanguinis Chriſti ſuffuſus, expaueſcere non nouit populi Dei inimicum.* Vel de myſterio Chriſti ſanguinis perfuſus Dauid nullum facinus veretur aggredi, nulli operi magno non applicat manus.

Baſil. Sel. *Matth. 4.* *Paſchaſ.* *Anſel.* *1. Reg. 17.* *Franco.*

Matth. 9. Et comminatus eſt illis Ieſus dicens: Videte, ne quis ſciat.

§. VII.

Non omnibus licet Dei magnalia in ſe peracta prædicare.

PLACET D. Hilarius, qui ideò putat his hominibus ſerio impoſitum fuiſſe ſilentium, ne quilibet putaret homo, licere ſibi Dei magnalia, etiam in ſe peracta, prædicare. Non equidem cuilibet homini, & ſi ſpectatæ ſit virtutis, concedit Dominus publicare reuelata ſibi cœleſtia arcana. Ecce vobis quid de ſe Paulus loquatur 2. ad Corinth. 12. *Et ſcio huiuſmodi hominem, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Fiunt Paulo magna, & indicitur ſilentium ipſi Paulo; reuelantur illi cœleſtia arcana: & non datur facultas, qua poſsit illa populis explicare. Hinc extollit Origines fauores diuinos præſtitos Ioanni, fatus Homilia 2. in diuer. *In tertium cœlum raptus, ô vas electionis, audiſti verba: quæ non licet homini loqui. Ioannis intimæ veritatis inſpector vltra omne cœlum, ideſt, in paradiſo paradiſorum audiuit vnum verbum, per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illum verbũ dicere,*

2. Corin. 12. *Orig.*

hominibuſque prædicare. Conueniant huc magiſtri ſpirituales, & notent differentiam eorum, quibus Deus ſe communicat, ſuaque liberaliter pandit arcana. Non omnibus æqualiter id præſtat, ſed aliquibus quaſi ſecreto, vt non liceat illis de ſauoribus cœleſtibus verbum facere ſine metu elationis, imo & derelictionis à Deo. His non abſimilis Iſaias cap. 24. vbi clamat: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Id quod etiam Iſaias cap. 16. monebat dicens. *Ini conſilium, coge concilium, pone ſicut noctem vmbram tuam.* Quid eſt quod iuberis ponere ſicut noctem vmbram tuam? Quæ hæc vmbra? Memini ex 3. Reg. 19. de Elia, quod, *obdormiuit in vmbra Iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede &c.* Vmbra ergo hæc, in qua Angelus apparet, & arcana reuelat, abſcondenda eſt, & toto nocturno ſilentio obnubilanda. Ita D. Aelred. ſer. 28. ait. *Ini conſilium, id eſt, diſcretionis diſce virtutem, & ſic coge concilium, multos videlicet colligens ad ſalutem, qui cum Elia ſub vmbra Iuniperi, angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera tua, quaſi in nocte celebrantur.* Audiant hæc, qui prætextu acquirendæ ſalutis animarum, fauores ſibi à Deo factos publicant; ſanè minimè permittimur concilium cogere, populos congregare ad ſalutem, niſi vbi vmbra noſtra, hoc eſt cœleſtis fauor, & Angelicum colloquium nocturno ſilentio maneat obnubilatum. Porrò alij ſunt, neſcio, an in hoc feliciores, quod diuina non ſecretò patiuntur, ſed vt illa ad Dei gloriam publicent: è quibus vnus Ioannes hoc præſtantiſsimum habuit, vt quæcũque arcaniſsima Dei verba exciperet, poſsit illa ſecuriſsimè & feliciſsimè alloqui & prædicare. Quid plura? Do in præſenti re Stephanum de quo Act. 7. *Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Quis non miretur ſanctiſsimum, humilimumque virum ſic ſuas reuelationes publicantẽ? Sic non vereris Stephane, popularibus manifeſta tibi arcana patefacere? Is erat Stephanus, cui non ſecreto Deus magnalia ſua pandebat, ſed ita vt ea eloqui poſsit, & ſecurè publicare. D. Aug. ſer. 94. de diuerſ. ait. *Vidit Ieſum ſtantem à dexteram patris: vidit, vt non taceret. Non tacuit ille, quod vidit, vt perueniret ad eum, quem vidit.* Fiebant hæc Dei magnalia coram Stephano, non vt celarentur, ſed potius vt notiſsima eſſet populariboſ, ideò ſanctus vir illa prædicat, imo ex illorum publicatione ſibi coronas parat. Magna equidem viſio fuit Iſaiæ facta cap. 6. vbi Deus ſublimi Throno eleuatus apparuit inter Seraphinorum cãntus. Tunc Iſaias ait. *Ve mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominũ exercituum vidi oculis meis.* Totus Prophetæ fletus eſt in eo, quod tantã viſionem obtineat, & labia parata ad loquendum non habeat, ſed nec ſit homo in populo tam puris labijs, vt illam poſsit euulgare. Sed cur tanto pere deflet immunditiem labiorum? Profecto ſancti viri in Dei reuelationibus, & viſionibus non adeò labia requirunt, nõ adeo labiorum officia otioſa deflent, plures inuenias, qui fleant habuiſſe labia, quibus viſiones, & reuelationes euulgarunt, quo illis mãſerunt priuati. Cur ergo Iſaias in tanta viſione ſolũ deflet, & requirit labiorum officia, tã pernicioſa ſanctis? Præſenſerat propheta tantã fieri ſibi viſionẽ, vt non taceret, ſed vt illam prædicaret. Ideo tanto ſtudio requirit labia.

Iſaias. 24.

3. Reg. 19.

Aelred.

Act. 7.

Aug.

Iſaias 6.

Iſaias 16.

§. VIII.

Periculoſum eſt, ſi non vocatus te Apoſtolicis muneribus ingeras.

NOn ſimpliciter impoſuit Dominus ſilentium hominibus iſtis, ſed comminatus eſt eis, ſi loquerentur, vt innuat, quam timere debet, ne incidat in Dei manus, quiſquis non vocatus muneribus Apoſtolicis ſe ingerit. Comminatus eſt eis: quare comminatus? Quale peccatum eſſet, ſi hi Dei in ſe magnalia publicarent? Non ne impune quiſq; poteſt diuinæ miſericordiæ præco exiſtere? Abſit: in ò periculoſé ſe quis non vocatus obſequijs diuinis ingerit. D. Paul. ad Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Quod eſt rationabile obſequiũ? Ita obſequium præſtes Deo, vt poſsis reddere rationem particularem, cur ad te pertineat tale obſequium præſtare. Equidem nõ impune quis ſe ingerit illis obſequijs Deo præſtandis, quæ ab eo non petuntur, ad quæ ipſe minimè deputatur. Pulchrè D. Chryſol. ſer. 109. fatur. Quantũ placet obſequium, quod ratione ſubnixum eſt: tantum, quod rationẽ non habet, exacerbat. Rationabile obſequium, quod non præſumptione turbatur, nõ temeritate confunditur. Ad obſequiũ regis militaris ſtatio contremiſcit; quia & cauta deuotio præmium iuſtæ remunerationis acquirit, & temeritatis pœnam præſumptrix ſeruitus non euadit. *Quis non vocatus ad aulæ regis ſe prorripit ſeruitutem? Quis ſine titulo militari militem ſe auſus eſt profiteri? Quis ſine dignitatis inſulis nomen dignitatis inuadit? Et ſi hæc penes homines ſolicita, cautaque ſunt,*

Ad Ro. 12.

Chryſol.

sunt,si ratione constant,si conualescunt ordine,si tremore seruantur, quanto penes Deum magis, cauta est deuotio,magis tremenda seruitus, magis solicitus cultus, vt diuinũ ratione præstet obsequium? Quid pulchrius dici potuit, vt quis caueat obsequium non rationale præstare Deo? Vt quis metuat regi maximo non vocatus ad esse,placiturus de munere præsumpto? Hos iustissimos timores illustrant verba illa Æsteris c.4.data Mardochæo. *Vade, & congrega omnes Iudæos,quos in Susam repereris, & ora te pro me. Non comedatis,& nõ bibatis tribus diebus,& tribus noctibus,& ego cũ ancillis meis ieiunabo.* Cur tot preces requiruntur? Cur tot ieiunia indicuntur? An vt damnatus à rege populus absolutionem obtineat, & salutem? Minime,pro vna tantum Ester tot bonorũ operum auxilia petuntur, vt non vocata ingrediens ad regem possit viuere. Sic ipsa post precum,& ieiuniorum postulationes,immediate subdit: *Et tunc ingrediar ad rẽgem contra legem faciens nõ vocata,tradensque me morti,& periculo.* Adeò sibi periculosum putabat Ester ad regem non vocata accedere; alioquin illi gratissima: quanto penes Deum magis cautus quis esse debet: quanto magis timere debet sibi,ne pro obsequio præsumpto mortem incurrat? Quis neget Ozan cadenti arcæ obsequium præstitisse, sed quanto id fecit malo suo,qui statim vitam amisit? Quam cautus Isaias se diuino obsequio obtulit:capit. 6. ait. *Audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego,mitte me.* Duo quærebat Dominus;primo, quem mitteret: secundo,quis iret: Isaias tamen ad vnum respondens,ait,ecce mitte me,de cætero omnino silet,non dicit,*& ego ibo*: Cur vt se mittendũ offert,non addidit illud,& ego ibo? Sane cautissimus Propheta ad obsequium diuinum,nihil suum audet offerre,ne executio tanti muneris videatur opus sui arbitrij,sed vnam electionem,& vocationem expectat diuini numinis. D.Basil.in præsenti ait: *Non adiecit: & ego ibo. Siquidem susceptio istius apostolicæ legationis penes nos sita est, & à nostro pendet arbitrio: confirmare autem ad profectionem, eius est, qui infusione gratia nos corroborat.* Se ad obsequium paratum ostendit,& mitti, & vocari postulat,paratus munus suscipere. Verũ quod ingredietur,aut ibit,id non audet promittere,nolens se defacto ingerere muneri, sed à Deo mittente expectat ingeri. Iuxta Apost. ad Hęb. 5. *Non præsumit sibi honorem,nisi à Deo vocatus,vt Aaron*: vt sic Dei iram caueat, qui Oseæ 8.fatur. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt,& ego non vocaui eos.* Circa quę verba D.Ber.de conuers.ad Clericos, capit.27.fatur. *Vnde tantus prælationis ardor: Vnde ambitionis impudentia tanta? vnde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeat ne aliquis vestrũm terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare?*

Esther 4.

Isaias 6.

Basil.

ad Hæb. 5.

Ber.

*Matth.*9. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

§. IX.

Gratitudo fortissimus, et vigilantissimus est custos. Vbi de gratiarum actione in Eucharistia.

VRGET hos viros hæreticũs nescioquis, quod non paruerint Domino seriò silentium imponenti, qui religiosius excussantur à D.Chrysost.Beda,& Theophilacto; pũtarant enim silentium sibi indictum non tam ab imperio obligante,quam à modestia,& humilitate Saluatoris profectum, quod frangunt,non tam,vt non obedirent,quam vt grati essent. Sed otiosæ sunt aliæ rationes defensionis,pro illis viris, pro quibus stat præcelsa animi gratitudo. Quis virtutem illius carpet,aut corrodet, quem defendet gratitudo? Pulchre D.Paulus ad Colloss.cap.3.post innumeras congestas virtutes,sic finit. *Super omnia autem hæc,charitatem habete,quod est vinculũ perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris: in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* Primum omnes virtutum mánipulos colligit, & apponit, deinde singulorum vinculum addit charitatem, ne absque vinculo inuenti manipuli, vt palleæ exsufflentur. Denique post ligatos manipulos charitatis vinculis,ne fur rapiat,ne fera corrodat,videte qualem adhibeat in fine custodiam,quippe,ait,*& grati estote*. Id quod notans Chrysost.hom.26.in Matth.dicit. *Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.* Nullo sic defenduntur in te Dei beneficia profecta, quam si gratitudine custodiantur, murus est gratitudo, quo cinctus à nemine lędi potes. Miraberis,quod putem gratitudinem adeò validum murum, quem nullus incursus hostilis superet? Et vt mirere magis nõ tam murũ,quam panopliam quamdam, sed cassidem putem gratitudinem, qua indutus omnia pericula facile deuinces. Matth.26.dol censurus Iesus in passionis suæ arenam, inter alia humilitatis,& charitatis exẽpla, quibus

ad Colloss.3

Chrysost.

Matth.26

nos

nos armari debere docet, ad ſecuritatem de periculis comparandam, hac etiam gratitudinis caſside ſeſe armat. *Accipiens enim calicē, gratias egit, & dedit illis.* Expendite illud, gratias egit, quaſi ad paſsionis calicem ſubeundum, & beneficia diuina conſeruanda inter pericula, & incurſiones malas ſecuriſsima cuſtodia, & fortiſsimum munimentum conſiſtat in actione gratiarum. Ait Franconius Abb. tom. 10. de gratia Chriſti fatus. *Vbique gratias egit, maximè autem in articulo paſsionis: vbi quanto magis ex infirmitate ſua caro nutat, ac trepidat, tanto magis manu diuina conſolationis indiget.* Itaque pro confirmatione trepidantis carnis ad pericula, merito confugit ad actionem gratiarum. Potens enim eſt gratitudo quaſi nutantem carnem confirmare, imò penè labentis animos tenere, ne medijs tentationibus & periculis labatur. Non dum finita cœna vltima, cum non dum à menſa Dominus exurgeret, ſed adhuc ſuis manibus eſcam ſuæ carnis porrigeret, dicitur de Iuda, Ioan 13. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo.* Nihil moratus eſt, non gratiarum actionem expectauit, ſed buccella in ore poſita, exiuit, quo ſuum miſerum exitium præmonſtrauit. Chryſoſto. Homil. de Baptiſmo Chriſti: *Quando vltimæ cœnæ communicauit Iudas nocte illa poſtrema, cæteris omnibus recumbentibus, ipſe ſe propipiens exceſsit: illum imitantur & iſti, qui ante vltimam gratiarum actionem diſcedunt. Niſi enim exiſſet ille, proditor factus non eſſet.* Ibi tantus Doctor ponit occaſionem tantæ proditionis, tanti lapſus, quod dimiſſa gratiarum actione exceſſerit Iudas à Chriſti Domini altari. Potuiſſet gratiarum actio illum tenere, ne tantū raperetur ad lapſum: potuiſſet gratiarū actio illum cuſtodire, ne tantis ſe dederit proditionis laqueis. Verum miſer nullas agens gratias, pernix currit ad præcipitium, & pernitior deſcendit in barathrum. Caueamus & nos, quicumque diuina menſa refecti, nihil temporis damus actioni gratiarum, nulla in re tantis beneficijs nos oſtendimus gratos. Fallor, ſi huius gratitudinis defectus non publicant & miſeri, & frequentes lapſus. Pulchrè D. Ennodius lib. 5. epiſt. 10. ait. *Pro impenſis gratias non referre, & Deus in carne conſtitutus exhorruit.*

Matth. 26.

Francon.

Ioan. 13.

Chryſoſto.

Ennod.

* * *

CAPVT SECVNDVM.

De Cæco Bethſaidita.

APVD Bethſaidam offertur cæcus Ieſu, qui illum extra populum educens, & ſputo, & manus impoſitione, ea imprimis reſtituit lumina, quibus imperfectè & confuſè videat. Qui poſſet verbulo perfectos oculos refingere, maluit multa facere, vt cæcum curet, & dum curam iterat exſufflata cæcitatis nocte, ab aurora ducit hominem in perfectum diem.

Mar. 8. Veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret. Et, apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum.

§. I.

Miſericordia Dei, vbi effunditur, neſcit vicinos non pertingere.

PERFIDIS Bethſaiditis iratus Dominus, eorum vicum fugit cæcum curaturus, ne de benignitatis Theſauro aperto, neceſſum ſit aliquid effluere ad indignos. Ita alibi datus D. Leoſer. 10. de paſsione putat, quod Ieſus ideò extra Ieroſolymam paſſus eſt, ne cum ſalutiferi ſanguinis effunderentur theſauri, propè eſſet reprobata ciuitas, ſed longè eſſet à tabernaculis peccatorum ſalus. Miſericordia enim Dei, vbi effunditur, neſcit non tangere vicinos, multâ licet illi alioquin indignitate repellantur. Mirabar, quas decantet viro bono Pſal. 1. felicitates, quas ſic finit. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Non ait, erit tanquam roſa, nec tanquam oliua, aut quæuis alia pulchra, & formoſa arbor in particulari; id quod de ſe dicebat diuina ſapientia Eccleſiaſt. 24. *Et quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas.* Cur igitur iuſtus ille non aſsimilatur ſiue platano, ſiue oliuæ, ſiue roſarum plantationi, ſed tantum dicitur ſimilis ligno plātato ſecus decurſus aquarum? Equidem dummodo diuinis fluentis proximè aſsiſtat, non multum eſt, quod dicatur platanus, aut roſæ plantatio; lignum

Pſalm. 1.

Eccleſ. 24.

lignum quodcumque ſit, quamuis aridum, & ſiccũ in flores, & in fructus aletur immortales. Quando proſiliens miſericordiarum vena vicinam plantationem non tangit? Hinc laudanda Chananææ fœminæ prudentia eſt, quæ tunc credidit ſe non poſſe repulſam pati, cum audit inter filiorum Dei conuiuia, ſe ſaltim canem reputari. Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Prudenter equidem expectauit, nam ſicut nequit filijs menſa apponi, ex qua deciduæ micæ non dentur etiam accedentibus canibus: ſic nequit miſericordia diuina effundi, quin vicinos quoſque, & proximos aliquo modo tangat. Pulchrè apud D. Baſil. Seleu. orat. 20. fatur ipſa fœmina. *Canem vocaſti, cum ſim familiæ pars, Domini fruar menſa; inter filios partem micarum adipiſcitur canis.* Felix qui vel quaſi canis ſinitur appropinquare filiorum conuiuijs; non enim adeò parca eſt Dei manus, quæ dum frangit filijs panem, nõ ſinat & micas proſilire aſsiſtentibus canibus. Gen. 8. *Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum &c.* Quaſi neſciat à Dei manu effundi miſericordia ſuper hominem, quæ non pertingat vniuerſos illi proximos, & vicinos. Hoc diuinæ beneficentiæ ingenium præſenſerat peccatrix illa apud Lucam ca. 7. quæ, *Vt cognouit, quod accumberet Dominus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro &c.* Qua fiducia acceſsit peccatrix ad Ieſum menſis accumbentem Simonis Phariſæi? Vnde accedit adeò perdita fœmina à Ieſu ſperare ſalutem? Expende verba, vt cognouit quod Ieſus accumberet in domo Phariſæi: hæc illi extitit cauſa fiduciæ, quod videret pietatis, & miſericordiæ fontes in domo Simonis pleno amne decurrere, meritò credidit ibi, ſi adeſſet, poſſe ipſam perfundi. Pulchrè D. Chryſol. ſer. 93. *Inclinem ad miſerandum ſupernã diduxit maieſtatem, & ideo credidit, quod eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæi tam promptus venit ad menſam.* Neſcit diuina beneficentia tam anguſto amne diffundi, vt dum ad vnum properat, non aſpergat, & riget quos ibi inuenerit proximos ſibi & vicinos. Felix qui adſit, vbi miſericordiæ diuinæ vena ſeſe alicui pandit, etiam de proſilienti, exundantique fluctu fœcundabitur. Felix qui adſit, vbi Dominus conuiuia filijs parat, haud dubium quin de micis cadentibus etiam catellus alatur. Meritò canebat Dauid Pſal. 78. *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum, ſecundũ magnitudinem brachij tui poſside filios mortificatorum.* Sic prò ſuis orabat, ſic erga ſuos diuinam miſericordiam ſolicitabat, erga ſuos, inquam, qui egebant, qui afflicti erant, & pene enecti a vicinis gentibus. Et quid tunc? *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Redde ſeptuplum, hoc eſt, iuxta D. Brunonẽ, acceptam exomologeſim, & pœnitentiam veram ſuorum peccatorum. Sed cur non potius petit Dauid vltionem & vaſtationẽ hoſtium vicinorum? Equidem nouerat Dei miſericordiæ mores, quæ neſcit ad vnum fluere, quin ſuperefluat ad vicina & proxima; ideò & ſi à vicinis percuſſus, petit, vt veniat in auxilium ſuum Dei bonitas, quamuis neceſſum ſit, vt etiam vicini communicent miſericordiæ bonis.

Marc. 8. Expuens in oculos impoſitis manibus ſuis interrogabat eum, ſi aliquid videret.

§. II.

A bona lingua ſplendor, & lux oritur.

PVLCHRE D. Chryſol. ſer. 176. hoc Saluatoris facinus expendit, aiens: *Domino ſputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat ſaliuam.* Et cur luciferam ſaliuam? Sanè lux & ſplendor legitimæ ſobolis ſunt ortæ à bona lingua, diuinoque ore. Nil bona lingua emittit, nec ipſam ſaliuam ſeu ſputum, in quo lux, & ſplendor non ſit. Ecce vobis vbi primum Dei lingua ſonuit; vbi primum creatrices omnium voces dedit. Gen. 1. ait. *Fiat lux*, non potuit lingua diuina perſonare, quin ſimul lumina offunderet oculis mortalium. Pulchrè notabat D. Baſil. Seleu. orat. 1. aiens. *Primaiam vox à Deo mittebatur, & lux naſcebatur.* Quidquid enim lucidum eſt, primum locum obtinet in bona lingua. Hic eſt primus bonæ linguæ index, quod lumina fundat. Ad Philipp. cap. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes.* Quod eſt verbum vitæ? D. Thomas ait verba vitæ æternæ, à quibus lumina è naſcuntur. Neſcit iuſti lingua luminis, & claritatis materiam non ſecum verſari. Ecce tibi poſt dilubij caliginem, poſt ſerenatum cœlum mittitur columba Noemo nuntia ſerenitatis. Ait enim Gen. 8. *At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo.* Et quidem nil aptius oſtendebatur ab ore columbæ, quam oleæ, ramus,

Chryſol. *Baſil.* *ad Philip. 2* *Gen. 8.*

mus, ſicut nil aptiùs oſtenditur ab ore iuſti venire, quam materies luminis, & claritatis.

Amb. Id quod notans D. Amb. lib. de Noe, & arca cap. 19. ait. *In ore quoque, non fruſtra ramulus oleæ videtur eſſe delatus, eo quod virtus, & ſapientia in ſermone ſui habeat claritatem, & ipſa ſtatim ſpecie lumen eius effulgeat.* Neſcit diſsimulari ſanctitas, dùm lingua loquatur, quæ tot faces emittit, quot verba, & quot ſonos dat, tot

Pſal. 44. exerit fomenta luminis, & claritatis. De quo locutus Dauid Pſal. 44. ait. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Cur linguam comparat ſcribentis calamo? Lingua iuſti lucem parit, ſplendentes emittit ſermones: calamus vero non lucem, ſed attramentum, non ſplendorem, ſed nigredinem promit. Melius ergo ſolari radio, lucenti flammæ lingua cõpararetur, quam ſcribentis calamo. Sed cum calamo comparat Dauid linguam ſuam, calamum intelligit â fulgenti, & flammanti diuini ſpiritus ſplendore illuſtratum, qui non at-

Baſil. tramentum, ſed radios, ſed flammas pariat. Accinit D. Baſil. in præſenti fatus. *Lingua iuſti, ſpiritu ſancto eam mouente cordibus credentium verba inſcribit vitæ æternæ, tincta quidem non attramento, ſed ſpiritu Dei viuentis.* Impiorũ linguæ, & ora, more ſępiarum attramẽtũ ſpuũt, quo omnia inficiunt, & proximorum obſcurant famam; verum iuſti lingua, & ſi velut calamus ſit, eſt tamen calamus à Spiritu ſancto motus, â quo nihil in linguam venire poteſt, quod ſplendidum non ſit, & lucidum, vt non ad obſcurandum, ſed ad illuminãdum valeat. Huc reſpiciebat ratio reddita à D. Proſpero, cur ſpiritus ſanctus venerit in ſpecie linguarum igne arum, nimirum, vt ex ſplendore, luceque ſermonum cognoſcantur qui à Diui-

Proſp. no ſpiritu mouentur, inſpirãtur. Sic ille epiſt. ad Demetriadem ait. *Ideo in ſpecie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum eos, ſuper quos inſederat, fecit affari: vt dubium non eſſet per ipſius inſpirationem, vtilem affectum, rationabilem ſermonem miniſtrari.* Sed

Leo. clarius D. Leo ſerm. 1. in Pentecoſt. id docet aiens. *Ab hoc die ad veteres tenebras abigendas nouæ lucis fulgura coruſcabant cum micantium ſplendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum.* Vbi ſpiritus Domini inhabitat, nihil in lingua videbit, non lucidum, non mille ſplendoribus illuſtratum. Bene inde colligit, qui tenebrarũ plagã Ægypto allatam fuiſſe ab iniurio eorum ore, potius quàm ab alio ſcelere dicat.

Alcim. Ita D. Alcimus lib. 5. de tranſitu maris rubri ait.

Tres perdidit iſta
Nocte dies, digna pendens periuria tellus.
Quæ Pharioregi ſuberat: nec ſenſerat vllas
Sole fruens ſolito plebes hebræa tenebras.

Itaque tellus periuria, tellus, inquam os hã bens periurijs plenum, quid niſi tenebroſum parturiat.

Marc. 8. Et aſpiciens ait: Video homines vt arbores ambulantes.

§. III.

Profuſiſſimam Dei miſericordiam creaturarum anguſtiæ coarctant.

MANVM cæli lumina parientem omniã excipiunt huius hominis oculi, & tamen adeò paruo lumine perfunduntur, vt nihil clare, confuſe, & obſcure omnia videant. Quæ luminis parcitas non à diuina manu parata omnes luminis theſauros effundere, ſed ab hominis imperfecta fide proficiſcitur. Quippe creaturarum anguſtiæ profuſiſsimã Dei beneficentiam iam pridem nouerunt reduce- *Exod. 16.*
re ad anguſtias. Memini apud Exod. cap. 16. cœlum mãna pluentem, ibi profuſus cœleſtis panis imber vaſtiſsimam complebat heremum, ait tamen Moyſes: *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum: Gomor per ſingula capita, &c.* Cœlum immenſe, Moyſes præſcribit panis menſuram. Cur cœli largitatem ad parci Gomor menſuram reducis? Sa-
ne anguſtiæ imperfecti temporis cœleſte *Baſil. Seleu.*
donum anguſtant. Ita D. Baſil. Seleu. orat. 33. fatus. *Eſcam librans cœlum Iudæis dimittebat, & tempus donum vincebat, ac intra modum gratia cohibebatur.* Cogitur Dei donum anguſtari, & minui ab anguſta noſtri cordis capacitate: nos ſumus, quo profuſiſsimam Dei miſericordiam cohibemus, ne niſi guttatim ad noſ- *Pſal. 8.*
tra pectora proficiſcatur. Vnde apud Pſal. 8. ait Dominus. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægipti: dilata os tuũ, & implebo illud.* Non ſiccati ſunt beneficentiæ diuinæ fontes, qui plenis amnibus rigarũt Iſraelem proficiſcentem ab Ægypto; non arctata eſt manus illa, quæ pluit manna in abundantia, quæ largiſsimos ſciuit bonorum cumulos profundere. Illa ipſa manus, ille ipſe Deus beneficẽtiſsimus adeſt nobis; quidquid minus ab illo acceperimus, non in eius parcitate, ſed in noſtri cordis conſiſtit anguſto. Noſtra incapacitas vincit donum, & cogit gratiam ad modum cohiberi. O quam creſcũt do-
na, & gratia diuina, vbi cordis humani cam- *Hier.*
pos dilatatos inuenit? D. Hieron. in præſenti. *Dilatate ora veſtra, ipſe eſt, & Dominus, & panis.*

nis. Ipſe hortatur nos, vt comedamus, & ipſe noſter cibus eſt. Quantum cumque dilataberis, tantum accipies. Non eſt igitur in mea poteſtate, ſed in tua eſt. Si volueris, totum me accipies; ſi nolueris, accipe ſaltem partem. Expende penes quem ſit poteſtas curtandi, ſiue augendi dona diuina. Non eſt in mea poteſtate, ait Dominus, hoc eſt, in dãdis muneribus non ſpecto, quod abſolutè poſſum, ſed quod capiunt creaturæ, quod vult humana voluntas. Quo hæc ſe dilatauerit, eo profuſior veniet ad illam gratia diuina; & ſumus tam miſeri, vt noſtra malitia vincat donum, & ad curtiſſimam menſuram gratiam reducat, Cant. 1. *Oleũ effuſum nomen tuum: ideò adoleſcẽtulæ dilexerunt te.* Cur oleũ effuſum? Cur neceſſum fuit diuini nominis oleum effundi, ſpargi, exinaniri? Expende inſinuatam rationem verbis illis: *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Paruulæ adhuc ſponſæ cogebãt oleum effundi, & ſpargi, minimè alioquin illud capturæ. Ita D. Ber. ſer. 19. in Cant. inquit. *Hic fructus, ò ſponſe, effuſi nominis tui, quod propterea adoleſcentulæ dixerunt te. Effuſum ſiquidẽ ſentiunt, quod integrum capere non poſſent: propterea dilexerunt te. Effuſio quippè nomen facit capabile, ſed adoleſcentulis dumtaxat. Qui capaciores ſunt, integro gaudent, effuſo non indigent.* Puericia noſtra, imperfectio noſtra; aut guttatim ſpargit, aut omninò exinanit nominis diuini virtutes, & gratias; quo refert Chryſoſ. præſentis temporis inefficaciam tanti nominis. Ita enim fatur ho. 27. ad pop. *Quare quæſo ſub Apoſtolis virtutes edebantur, ſub nobis verò nequaquam cum idem ſit Deus, idem nomẽ? Sed non eſt par vſus.* Nomen Dei in Apoſtolico ore mira operabatur dona curationũ, dona gratiarum cumulabat, in noſtro ore adeò exinanitum eſt, vt nil horum faciat, quia pueritia noſtra, ſeu imperfectio non id patitur.

Cant. 1.

Bernard.

Chryſoſt.

§. IIII.

A Chriſti rore perfuſa mortis caligo virentes præſeferet paradiſos, vbi mortuorum reſurrectio.

ECCE tibi Ieſu ſalibã oculorũ depellit caliginem, homineſque, vt virentes arbores apparere facit. Quid plura? Dum Chriſtus irroret, reuiuiſcent ſpecioſa deſerti, & campi replebuntur vbertate, imò ab ipſis cinereis ſepulchris exurgent florida ligna vitæ. Aiebat Iſaias capit. 26. *Interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus.* Expendo fundamentum ſpei reſurgentium hominum nimirum, quia ros lucis, ros tuus; quia irrorans Ieſus lucem cauſat, lucem cœcis infundit, iam nullus ſit ſepulchralis puluis, qui de tanto rore non germinet ligna vitæ. Pulchrè in præſenti Chryſolog. vtrumque coniungens, inquit. *Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia membra poſſe reuiniſcere: cum videat parua Domini ſputi gutta arentes cœcitate oculos ſubito ſic ſuſcitatos in lucem. Exurgent, inquit Iſaias, mortui, & reſurgent, qui in monumentis ſunt. Quo modo? Ros enim, qui à te eſt, ſanitas eſt illis: quod eſt pluuia ſemini, hoc eſt, reſurrecturis Dominicus imber.* Vidiſti à pluuia campos fœcundari, vireſcere, in plantas, & in arbores ire, ſic de Chriſti Domini rore omnia vegeta virtute florent, & arentia hominum oſſa conuertuntur in ligna paradiſi. Quis non miretur in tenebris, & in regione vmbræ mortis paradiſos refloreſcere voluptatis? Et facit hoc ros, qui à Ieſu venit, qui vt ros lucis eſt, & tenebras depellit, & lumina creat, & facit, vt poſt mortis tenebras homines velut arbores floridæ æternumque virentes appareant. Dabo in præſenti pulcherrima Guarrici verba, qui ſerm. de ſcripturæ vtilitate, ſic fatur. *Etſi ſepulchra in hortis; numquid tamen horti in ſepulchris? Ita fortaſsis; ſed in ſepulchris iuſtorum. Ibi plane vernabit gratiſsima quadam amœnitas ſanctorum, verno ſcilicet illo tempore reſurrectionis eorum; cum reflorebit caro eorum, & non ſolum oſſa iuſti, ſicut herba germinabunt, ſed & totus iuſtus germinauit, ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Ecce tibi in ſepulchris hortos: ecce tibi poſt tenebras, & mortis caliginem hominis velut virentes, floridiſsimæque arbores ambulantes apparent. Sed cur ſic non appareant, quando Chriſti rore rigantur? Sanè ex quo Chriſti ros ſuorũm oculos liniuit, iam nihil in homine funeſtũm vident, nihil lethale, ſed omnia florent, omnia virent, & ſicut lilium florebunt in perpetuas æternitates. Hæc ſunt iuſtorum ſepulchra inſtar hortorum germinantia. Geneſ. 35. poſt Rachelis ſepulturam celebratam dicitur: *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius.* Vni Rachelis ſepulchro titulus erigitur ex omnibus fœminis, quæ antea deceſſerant, nimirum, qui vna Rachel præ alijs clariùs ſignificat Chriſti Eccleſiã, in qua ſepulchra non luctus, ſed trophæos paritura erant. Ita auctor Cat. Græcæ, ait. *Cum plures ſanctorum patrum mulieres dormierint: ſoli Racheli cippus erectus eſt. Ea enim typum geſſit Eccleſiæ, quæ ſola victrix trophæum mortis tulit in Chriſto.* Merito, vbi Chriſtiana

Iſaiæ 26.

Gen. 35.

Græc.

ſtiana ſepulchrã delineabántur, tituli erigebantur, quibus conſtaret Chriſti potentia, quæ abolita morte è ſepulchris hortos conſtitueret, vbi mille germinarentur arbores vitæ.

§. V.

In amicorum morte debemus parare nos ad eandem viam.

HOC primùm dominicus tactus fidelium animis ſuggerit, vt videant homines non firma radice ſtare, ſed ſicut arbores ambulare, & in interitum ire. Non eſt homo columna in mundo, ſed arbor ambulans, & annuis mutationibus ſubiacens, eoque quiſque affectu ſe componere debet, vt ſemper ſit præcinctus ad vniuerſæ carnis viam. *Pſal. 1.* ſic de ipſo omnium Domino dicitur Pſalm. 1. *Et erit tanquã lignũ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Lignum equidem erat Ieſus, arbor erat vitæ plantatus ſecus decurſus aquarum, hoc eſt, iunctus populis concurrentibus in mortem. Sunt hominum vitæ, inſtar rapidiſſimi fluctus, qui ſe ſe in mortem præcipitãt. His acceſsit Ieſus factus arbor vitæ, ſed nihilo magis quietior in vita, quã cæteri homines; currebant illi in mortem, currebat hic, & velociſsimus alios omnes ſequens, & *Bruno.* ipſe ibat. Ita fatur Diu. Bruno, inquiens. *Quamuis Ieſus lignum eſſet vitæ, tamen erat ſic conceptus, vt naturam haberet in mortem decurrendi, vt populi qui aquæ ideo dicuntur, quia labiles, & defluentes ſunt in mortem, vt aquæ defluunt.* Ambulabat quotidie nobilis arbor vitæ in mortem, noſcens naturam humanam defluentem, videns multos ſingulis momentis effluere, ſe ſe ipſe accingebat ad ſimilem viam. Non abſimilis tanto filio fuit pater Dauid, qui cupiens puerum detinere in vita, mille preces ad Deum fudit, mille vota emiſit; ſed poſtquam puerũ è vita nouit effluxiſſe, abſtinuit à luctu, lauat faciẽ, comam pectit; cur hæc facit Dauid? Cur non magis plorat? Cur non magis lamentatur defunctum? Ipſe *2. Reg. 12.* dicit. 2. Reg. 12. aiens. *Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me.* Pulchrè egregius Vates definiuit, quid nobis reſtet faciendum, & meditandum in amicorum morte: nimirum, quod ad illos veniemus cito, quod in eadem ſumus via, adeò vt ad illos conſequendos debeamus curare accingi. S. Paulinus epiſtol. ad Pamachium, inquit. *Docuit* *Pamach.* *Rex Propheta, quam poſt noſtros ſolicitudinem debemus induere, videlicet, vt de noſtro itinere laboremus.* Hæc ſit prima cura, & prima ſolicitudo noſtra in charorũm funere, vt ad eãdem viam terendam nos accingamus; vt idem iter mente, & cogitatione arripiamus, vel nos ita geramũs, quaſi in eodem itinere verſemur. Non ne ita ſe gerebat Abraham in dilectiſsimæ vxoris funere? Is vbi defunctam vidit coniugem, Geneſ. 23. *Surrexit, & adora-* *Geneſ. 23.* *uit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos. Si placet animæ veſtræ, vt ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui.* Cur vocat ſpeluncam duplicem? Placet auctori hiſtoriæ ſcholaſticæ, & non diſplicet Abbulenſi, duplicem ſpeluncam vocari, quia duos habebat loculos, in quorum altero viri inferretur cadauer. Ergo Abraham in morte vxoris eodem ſtudio, eadem cura parat vxori ſepulchrũ, & ſibi; tam ſolicitus de ſuo ſepulchro, quam de ſepulchro vxoris, vt qui nouerat, quam curreret ad illam.

Mar. 8. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cæpit videre, & reſtitutus eſt: ita vt clarè videret omnia.

§. VI.

Quæ poſteriora a Deo veniunt dona, prioribus illuſtriora ſunt.

NON is eſt Deus, qui donando defatigetur, & quia multa dederit, iam dona minuat, imò ſemper augmẽtum eſt in donis diuinis, ſemper quo poſteriora, eo illuſtriora ſunt dona diuina. Bis manus oculis hominis imponit infirmi, bis dona tribuit lucis, ſed poſterius donum, quo clarè omnia videt, longè ſuperat primum. Creator orbis, quantis replet orbem diuitijs? Dat orbi cœlum, & terram, dat lucentia ſydera, dat arbores fructiferas, dat viuida animalia, poſtremo hominem cõcedit mundo. Cur hominem concedit poſtremum? Baſil. Seleu. orat. 2. rationem indi- *Baſil. Sel.* gitat. *Extremus ille quidem fabricatione, verum dignitate primus emicuit. Sic porro diuinæ bonitatis imber delatus poſterioribus donis obſcurat priora.* Hæc eſt diuini ſponſi mens, quæ in poſterum ſeruet melius vinum: quæ non deficiat in munere; ſed quo poſterius venit à Deo munus, eo largius fiat. Quis apud Iudæos Salomone ſapientior, & felicior? Quid templo ſanctius, & diuinius? Tamẽ mentionẽ ingerẽs Ieſus de Meſsiæ aduentu, ſeque indigitans ait Matth. 12. *Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic.* Sed vnde conuinci poſ- *Matth. 12.*

ſent

sent Iudæi Messiam, quid augustius, & diuinius templo esse? Nimirum, quia post Salomonem, & templum erat venturus, postremaque dona, & maiora, & augustiora solent esse primis. Eleganter Diu. Irinæus hoc argumentum edisserit lib. 4. capit. 22. inquiens. *Irinæus.* *Vnus, & idem Dominus, qui plusquam templum est, & plusquam Salomon, & plusquam Ionas donans hominibus, id est, suam præsentiam, & resurrectionem; sed non Deum immutans, nec aliũ prædicans patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet plura metiri domesticis, & plura, & maiora donans.* Tam longè abest, vt queat exhauriri beneficientia diuina, vt ab vno dono ad alia plura, & maiora exurgat. Sic loquebatur per Nathan ad Dauid. 2. Reg. capit. 12. *2. Reg. 12.* *Ego vnxi te in regem super Israel, & ego eripui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dediq; tibi domum Israel, & Iudæ: etsi parua sunt ista, adjiciã tibi multo maiora.* Ecce tibi, quæ prima fuerũt à Deo in Dauidẽ profecta munera, etsi magna, etsi splendida, etsi regia, nihilominus adhuc restabant alia multo maiora, quæ proculdubio Deus in posterum largiturus esset. *Abul.* Ita Abbul. quæst. 4. in præsenti. *Non solũ Deus dederat ei illa bona; sed etiam erat paratus dare alia maiora.* Quando enim ex primis donis non exurgit Dominus ad maiora? Quando non obscurat prima sequentibus? Felix es, quisquis aliquid à Deo recepisti, aude inde multo maiora, & illustriora expectare. Apud *Luc. 25.* Lucam cap. 15. sub pastoris parabolam, hoc Dei beneficum ingenium depingitur. Quippè ait. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: etsi perdiderit vnam ex illis, non ne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, &c.* Suffeciisset, quod diuinus pastor ad ouẽ perditam iret, illiusque reductionem curaret, sed qui diues est in misericordia, minimè his contentus constitit; insuper maiora multo dedit, oui portandæ humeros submittens? Quid miraris? Ea est beneficentia Christi Domini, quæ dum semel incipit, nescit non crescere in elargiendo maiora beneficia. Ad quæ pulchrè *Alcim.* spectabat. Diu. Alcimus lib. 3. de sententia Dei, de hac oue, & quæsita, & humeris susceptа ita loquutus:

Sarcina sit, quæ cura fuit: neque quærere tantum
Illa satis cœlestis habet clementia Christi.

Nullo satiatur dono exhibito Dei clementia, nec nouit quiescere, semper plura, & maiora propinans.

Marc. 8. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, etsi in vicum introieris, nemini dixeris.

§. VII.

Vanissimi hominis est de paruis velle æstimari.

QVI in hominũm conspectũ mortuos euocabat in vitam, dum cœcum sanat, vel alia minoris ponderis patrat facinora, multus est in illis occultandis; magnanimi enim, & generosi est cordis, vbi magna efficit, de paruis nolle æstimari. Vanissimus ille Pharisæus, qui tanta iactarat apud Lucam capit. 17. sic tandem finit. *Non sum, sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Quid magnum, quod vir adeo insignis, qui tot Deo obsequia exhibita publicabat, vel vno hominis tione publicano videretur maior? Cur miser post tot facinora non erubescis te vni publicano absimilem ostendere? Ea est vanissimi hominis conditio: quẽ parua, & minima inflent. Diu. Basil. Seleu. orat. 35. *Vel publicani præsentia rapitur in alimentum superbiæ Pharisæi.* Nihil adeò minimum, & paruulum est, quod non auide arripiatur à vanissimis hominibus in alimentum vanitatis, & superbiæ suæ. Orabat Mardochæus ad Dominum, Esther 13. dicens. *Scis quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt nõ adorarẽ Amã superbissimum.* Nisi fallar, crediderim nullum alium in sacra scriptura vocatum fuisse superbissimum. Videbis apud Iudith capit. 4. Holophernem superba iactantem: videbis. 4. Reg. 18. Rabsacem aduersus Dei auxilium superbientem, multaque Israelitico populo minantem: videbis apud Danielem. 3. in eam superbiam deueniisse Nabuchodonosor, vt statuam suam auream erigeret populis adorandam. Et inter hos, & alios incredibilis pene superbiæ homines vnus Aman superbissimus æstimatur, & vocatur: an quia maiores in Deum blasphemias congessit? An quia vires suas Deo præposuit Holopherne audacior? An, quia sibi aras struxit, & statuas erexit Nabuchodonosore insanior? Sanè nihil horũ dicitur fecisse, non tantos superbiæ apices attigit; hoc de illo audies celebrari, quod exaltatus inter regni primos, captiui hominis Mardochei ciuilẽ adorationẽ sic requireret, vt propter illius defectũ in omne Iudeorũ genus exarserit. Et merito, qui inter tot regni

Basil. Sel. *Esther. 13.* *4. Reg. 18.*

decora captiui hominis reuerentiam adeò requirebat superbissimus, vanissimusq; omniũ habebatur. Vanissimus enim, & superbissimus est, qui nescit contemnere has minutias, & gloriæ paruitates: imò inter magnalia suæ ambitionis decora amat de minimis æstimari, celebrari. Horũ vanissimum genus carpit Amos cap. 6. fatus. *Qui lætamini in nihili: qui dicitis: nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Ecce tibi quo usque pertingit insania, vt fortitudinem, & regium splendorem sibi adscribant, & hi tam potentes robore Dominico, nihilominus lætantur in nihili; vanissimis auris.

Amos. 6.

§. VIII.

Iustus celet iustitias suas.

IVBETVR homo, nemini salutem ostendere suam, quasi ei diceretur, ait Hier. in cat. *Si in vicum introieris, nemini dixeris, id est, cœcitatem vicinis enarra, non virtutem.* Quippè, hoc est, iustorum insigne, quod multi sint in virtutibus suis minuendis, celandis. Matth. 25. iusti vbi sua opera audiunt à summo iudice publicata, sic mirabundi loquũtur. *Quãdo te vidimus esurientem, & cibauimus, aut sitientem, & potauimus, aut nudum, & vestiuimus, aut peregrinum, & collegimus?* Sic per singula discurrunt opera, & singula, quasi resutare, & occultare nituntur. Id quod notat Orig. hom. 24. in Matth. aiens. *Sed & iusti immorantur in vnoquoque verbo dicentes. Quando te vidimus esurientem, & cibauimus, aut sitientem, & potauimus, aut nudum, & vestiuimus, aut peregrinum, & collegimus? Quoniam proprium est iustorum beneficia sua diligenter, & per singula refutare causa humilitatis.* Hoc propriissimum iustorum studium est, quod sua occultent facinora; quod virtutes propriæ magis vigeant celatæ, quam in ore hominum floreant comendatione sublimes. Aiebat illa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Ecce quo tempore quærit, vt possit inuenire Deum, per noctes, inquit; per noctes quærit illa, quæ Cant. 1. ardenter clamabat: *Indica mihi, vbi cubes, vbi pascis in meridie.* Meridianam Dei cubationem scire cupiens per noctes quærit; sed per noctes quærẽs offendet diuini meridiei lucem? Cooperatur plane ad lucidam sponsi accubationem inueniendam secretum noctis, quo se, & studium suum, & opera sua, quis obtenebrat, ne videatur ab hominibus. Psalm. 138. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Et quando hæc nox non traxit nos in meridianam lucem? In illa se ambulasse, vt Deum quæreret, fassus. Hierem. capit. 17. ait. *Et diem hominis non desiderauí, tu scis.* Ecce tibi modo dies diei contrarius, & nox diei amica, vt inueniant cubantem in meridie, fugiunt diẽ hominis, & sese nocti tradunt, cuius secreto tecti, & celati seruntur in lucem. Huc spectat Gilliber. Abb. serm. 1. in Cant. *Miraris, quod bona nox, & dies malus? Diem hominis, inquit Propheta, nõ concupiui. Nescio, quo pacto sibi aduersantur, & alterutro se obscurant dies Domini, & dies hominis. Siquidem, dum alter exoritur, alter reconditur. Diem, inquit, hominis non concupiui, hoc est humanum fauorem, hominum gloriam, & inter reliquos, imo præ reliquis spectabilis videri.* Rectè hanc diem Propheta abiurat. Melior ergo hæc nox die. Omnes superat dies illa nox, qua se quis ab hominum oculis subducit, qua hominum oculos, & laudes fugit. De hoc supra cap. 1. §. 3. 7. & lib. 12. cap. 4. §. 6.

Hieron.

Matth. 25.

Orenig.

Cant. 3.

Cant. 1.

Psal. 138.

Hieron.

Gilliber.

CAPVT TERTIVM.

De cœco nato.

PER transiens Dominus cœcum conspicit naturalem, qui miseræ matris ex vtero in lucem, sine luce peruenit. Tunc humani sator principij, sui oris fabrica, non passus est, vt iaceret in tenebris, sed lutum diuina aspersum saliba adhibens, quasi de adhibito oleo lumina accendit. Nec prius tamen ille sumpsit aspectum, quam Domini præceptis admonitus Siloæ salubrem venisset ad laticem, & totos consanguinei medicamento iam luti vnda oculos habuisset infusa. Mox itaque sanis ex vultibus acies gemellæ fulserunt, dignæ conspicere, quem prorsus ignotum habuerunt primitus diem. Proh lumina, cœco nato exhibuistis lucem, sed inuidis Iudæis ministratis ignem!

Ioan. 9. Et præteriens Iesus vidit hominem cœcum à natiuitate.

§. I.

Gratuitum Dei munus est perfecta corporis species humana. vndè, quod pulchritudo non causet peccatum.

NON

NON casu, sed attentâ diligentia coniecit Dominus oculos in cæcum natum quasi quid ibi notarit, animoq; voluerit. Et quid notarit in cæco nato speciosus forma præ filijs hominum? Crediderim id nobis voluisse maximè prænotari, nimirum, vniuersam speciositatem, non homini adnatam necessario, sed gratuito Dei munere ad nos dilabi. Ecce (sic diceret) homo sine oculis nascitur, vel lineamentis, vel defectibus alijs, nequis putet naturæ deberi suæ, quod speciosus, quod ingeniosus sit, sed id gratuito Dei muneri acceptum habeat. Similiter Adamus creatur à Deo simus extra paradisum, ne cum pulcherrimam illam paradisi possessionem frueretur, putaret sibi à natura debitam, sed potius illam Deo referret acceptam. Ita D. Basil. Seleu. orat. 2. rationem reddit, cur homo extra pulchritudinem paradisi creatus sit, scilicet: *Ne cognationi naturæ donum adscriberet, quia gratuita potius munificentiæ.* Sic plures homines nascuntur deformes, orbati oculis & mētis, & corporis, ne cognationi naturæ ascribamus vtriusque hominis pulchritudinem, & decorem. Sed illam acceptam referamus creatori: dicamusque cum Sap. capit. 13. *Speciei enim generator hæc omnia constituit.* Et quidem nulla species, nulla pulchritudo est, quæ Deum non clamet suum progenitorem. Vndè meritò Diu. August. serm. 143. de tempore, ait. *Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, & difusi aeris, interroga pulchritudinem cœli: interroga ordinem syderum, interroga Solem fulgore suo diem clarificantem, interroga Lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras temperantem: interroga animalia, quæ nouentur in aquis, in terris, quæ volant in aere, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, inuisibiles regendas: interroga ista. Respondēt tibi omnia: Ecce vide pulchra sumus, pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcer in se ipso?* Quidquid pulchritudinis venit ad creaturas, ab illo summo bono, & pulchro Deo dilapsum venit, illique soli debet referri, cui soli est essentiale, cum nobis sit accidens, vt Diu. Dionisius Areopag. notat lib. 4. de diuinis nominibus, part. 1. vndè nemo sui lapsus vocet in culpam pulchritudinem, quæ cum gratuitæ beneficentiæ diuinæ sit opus, nisi ex nostra abusione nunquam esset causa peccati. Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt vxores sibi.* Ad quæ verba Diu. Chrysostom. homil. 3. in 6. Isaiæ caput, ait. *Quid igitur? Num pulchritudo causa est peccati? Absit. Est enim diuinæ sapientiæ opus, opus autem Dei nunquam possit esse causa peccati.* Non in pulchritudine, quæ à Deo venit, sed in prauitate videntium laqueus est. Iudith. 10. *Cui etiam Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Ecce tibi totam hanc pulchritudinis segetem à Deo datam, sed datam, vt peccatum causaret? Absit: expende verba Iudith orantis, capit. 9. *Capiantur laqueo oculorum suorum in me, & percutias eum ex labijs charitatis meæ.* Non dubitat linguæ suæ attribuere Holophernis flagellum; at pulchritudini suæ nullum tribuit malum, sed totum illud male aspicientis oculis attribuit, quando pulchritudo in nullius perniciem, sed in auctoris laudem ordinatur. Chrysostom. in Psalm. 43. *Formam eo vsque mirare, vt gloria, & honore afficias artificem, vlterius autem, ne progrediare, animi perturbationem excitans. Pulchrum opus. Is ergo, qui fecit, est adorandus, non contumelia, & probro afficiendus.* Hoc in singulis pulchritudo clamat, vtpote Dei donum, licet ex infimis donorum gradibus.

Basil. Sel.

Sap. 13.

Aug.

Dion. Ar.

Genes. 6.

Chrysost.

Iudith. 10.

Iudith. 9.

Chrysost.

Ioan. 9. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cœcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.

§. II.

Non est diuinæ benignitatis supplicium inferre ante peccatum.

NON quærebant discipuli, an homo ille peccauerit ante cæcitatem, quem cœcum natum sciebant, sed, vt probabiliter putat Leontius, quærebant, an ideò cœcitatē illi intulerit Deus, quia prætuidit postea inficiendū esse peccatis. Quod nō solū discipulis, sed & multis post doctioribus quæstionē fecit asserētibus sæpe infantes male perire, quia adulti peccaturi prænuidebātur. Sed absit hoc à diuina bonitate, quod supplicia prę-

peccatũ. Equidẽ prẽsciebat Deus Adę peccatũ, & tamẽ illũ in paradiſo cõſtituit. Id quod notans Theodoretus, ait. *Qua de cauſa Deus hominem in paradiſo poſuit, cum paulò poſt inde eſſet eum ex paradiſo expulſurus? Primum quidem, quia Deus neminem ex præſcientia damnat. Sed poſtea quã peccauerit.* Quis crederet Deũ adeò procliuem in ſupplicium, vt ante ab eo infligeretur verber, quam peccatum exiſteret? Antea pœna veniret, quam oriretur culpa? Imò potius is eſt Deus, qui neſciat offendi, nec iraſci, niſi tunc cum exiſtentia iam peccata illum cogant in ſupplicium venire. Non ne Saulem beneficijs cumulauit? Non ne eũdem regno honeſtauit? Cur tanta congerit beneficia in hominẽ, quem ſciat rebellem ſibi futurum? Eucherius reſpondet in quæſtione veteris teſtamenti. *Quia Deus incorruptum indicium ex æquitate depromit, non ex præſcientia eligit: quempiam cum meretur reprobat, cum electione indignus efficitur. Cæterum nequaquam conuenire ſacroſanctæ veritati, iuſtitiæq́ eius videbatur, vt peccatum offenſa præcederet.* Indigna prorſus Deo eſt tam antelucana peccatorum damnatio: aiebat crudelis Pharao. Exodi 21. *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eum.* Hoc crudeliſſimi regis iudicium eſt, quod præcedit reorum natiuitatem, de quo eleganter Diu. Auguſt. ſerm. 89. de temp. ait. *O prodiga furoris audacia. Nec dum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo inſaniam tuã, quos nec dum vides exiſtentes inſequeris. Quid ſceleſtius? Nondum natos occidis? Seruet ordinẽ feritas tua, naſcantur ante, quos punias.* Quid pulchrius? Hic eſt ordo punitionis, vel à ferociente Principe præſtandus, quod prius exiſtat, quod puniendum eſt. Abſit, quòd in Deo ſit tam prodigus furor, qui in ſolis crudelitatis apicibus inuenitur. Iudæi tunc, cum ferale cor induũt, ſic loquuntur Matth. 27. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Vbi no tanter Diu. Maximus hom. 3. de Paſ. inquit. *Crudelis impietas Iudæorum, quæ facinore ſuo non ſolum præſentes liberos, ſed etiam non natos occidit.* Quam crudelis manus, quæ Chriſti ſanguinem iaculat in nondum natos, vt ante damnatio contingat illis, quam culpa? Et putabit non nemo eam eſſe manum diuinam a qua damnationis, & punctionis iudicium antea oriatur, quam decretum vitæ? Antea verber, & ſupplicium accedat, quam ſciatur, an natus ſit verberandus, & an debeat in ſupplicium ire? Merito ridet Ruper. lib. 8. de victoria, cap. 11. Amani ferocientem animum in Iudæos, qui antequam ſciret voluntatem regis circa illorum internectionem, ſortem mittit de die, quo meliùs occiderentur, habes enim Eſter 3. *Miſſa eſt ſors in vrnam coram Aman, quo die, & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici: dixitque Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, &c.* Prius diem occiſionis, & patibuli decernit, & inde vadit ex poſtulatu rus regem, de quo preclare conficit Ruper. *Nondum ſciebat ſtultus, vtrum deberet gens Iudæorum interfici, & ſorte quærebat, quo die.* Metuo ne huius ſtultitiæ notã inurat Deo, qui velit ab illo prius damnationem hominis decerni, antequam videat, vtrum naſciturus ſit homo qui damnationem incurrat; antea pœnam cęcitatis inſtituat, quam noſcat vtrum oriturus ſit, qui debeat peccatis ſuis cæcus venire in vitam. Hoc Marcionitarum placitum refutat Tert. lib. 3. in Marcion. inquiẽs. Quid faceret creator, ne à Marcionitis reprehenderetur? *Bene adhuc agentes prædamnaret iã propter futura delicta, ſed Dei boni non erat nondum merentes prædamnare.*

Theod. Eucher. Exod. 21. Aug. D. Maxi. Matth. 27. Ruper. Eſter 3. Rup. Tertul.

§. III.

Fere ſemper mala aliqua præueniunt peccatum.

RECTIVS dubitare poſſent diſcipuli, an tam antelucana hominis cæcitas, anteambulo eſſet futuri alicuius peccati; ſolent enim malorum vigiliæ præcedere peccatorũ feſtinitates. Perpetraturus diabolus nefariũ illud ſcelus, quo Adamum ſupplantaret, ſeſe ſerpenti immiſcuit, & cur ſuperbiſſimus ſpiritus paſſus eſt validiſſimi repentis animalis ſocietatem? Regnabat ſanè vaſer ille per aera, vt Paul. fatur ad Epheſios 2. *Secundum Principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur, &c.* Ergo, qui aeris ſceptra tenet, cur altiores mentes in ſe non alit? Cur aquilinis non ſeſe inſerit pennis? Cur vocaliſſimo non miſcetur pſittaco? Cur roſtra canora auium deſpicit, & ſibilos ſerpentum amat? Cur perpetes ardeæ alas obliuiſcitur, vt reptet cum turpiſſimo animali? Sanè vilitas hæc, & abiectio Angeli iam notabat ſcelus meditatum: iam in tanto dedecore viſebantur vigiliæ futuri peccati. Pulchrè Diu. Baſil. Seleu. orat. 3. inquit. *Poſt aeris rectionem ſerpentis rector Angelus conſtituitur; turpi facinori turpiter ad repens. Nam qui Deum offendit, ſatis ei ſupplicij eſt dedecus, vel ante ſupplicium.* Expende illud, turpi facinori turpiter adrepens, quippè in multas ſe deijciunt homines vilitates, & dolores, vt ad peccati alicuius facinus poſſint peruenire. Quas tenebras; quas fames, quæ

ad Eph. 2. Baſil. Sel.

vulne-

vulnerã, quæ dedecorã non subit homo, vt de voluptatum cęno bibat? Fallor, si aliquod scelus perpetratum est, quod non præcesserint mille laboris, & dedecoris, & tenebrarũ vigiliæ. De Achab ante perpetratum scelus, quo vineam Naboth eripuit, quid dicitur? Sic habes. 3. Reg. cap. 23. *Turbatus est spiritus eius, & dormiuit in lecto suo, & velauit faciem suam, & non manducauit panem.* Ecce sceleris perpetrandi vigiliæ; ecce quam se deijcit Rex, quam misere laborat, affligitur, quantis se dat tenebris velans faciem, obcæcans oculos, vt turpi facinori inuigilet. Eleganter D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 4. has Achabi vigilias meditatus, inquit. *Diuites eripitis quidem pauperibus vniuersa: pœnam tamen pauperum vos diuites sustinetis. Illi ieiunant, cum non habent, vos cum habetis. A vobis igitur pœnam exigitis, quam pauperibus erogatis.* Quẽ non prius pœna torqueat, & labor, quam ipse peccati facinus adimpleat! Quis ante peccati iucunditatem laboriosas nõ sustinuit vigilias? Actor. cap. 23. dicitur: *Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec Paulum occiderent.* Quasi nesciat venire festum peccati, quin præcedant vigiliæ, quin prius peccatorem opprimat fames, dedecus, & alia mala.

3. Reg. 23.

Ambr.

Act. 23.

Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies: venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

§. IIII.

Peccatum nox est, et tenebræ. In quo nil operaberis saluti æternæ per se aptum.

QVIDQVID Dei est lucidum est, vndique radiat, splendet; fruentur enim Dei opera perpetuo die, imò ipsa diem efficiunt, & bonos semper dies faciunt videre; sola diaboli operatio tenebrosa est, & hominũ peccata longas effingũt tenebras, sic de Ægyptijs diras tenebras sustinẽtibus loquitur, Sap. cap. 17. *Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Quippè dum peccatis obdurabantur, densiorem, & grauiorem caliginem sibi offundebant, quã erat caligo tenebrarum externa. Post primũ hominis lapsum auditi sunt gressus Domini, *Ambulantis ad auram post meridiem:* vbi Septuag. legunt, *ambulantis ad vesperam.* Ecce post peccatum iam vespera fit, & nox, quia nunquam peccatum sine tenebris. Diu. Ambros. Psalm. 89. fatur: *Denique in paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.* Non tantus ab igne fumus, quantæ à peccato prosiliunt tenebræ, quæ & mentis oculos obcæcant, & miseros homines, quasi densa caligine oppressos reddunt ad omnia inefficaces. Quis iam caliginosam peccati faciem non facile deuitet? Quis non contendat tam atram lucem à se dimittere? Iob cap. 3. loquens de tempore, in quo sub peccati debito conceptus est, inquit. *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo.* Quibus expendo quot tenebrarum species congerat Iob, quibus offendatur peccati dies. Et tenebras, & carentiam luminis, & vmbram mortis, & caliginem vocat, vt vel tot obscuritatum nominibus ostendat, quam sit omnium tenebrosissimum peccatum, & quam vel à caligine noscendum, & euitandũ. Seuerianus in cat. Græca, ait: *Illud ad hanc sententiam Iobi pertinet; vt peccatum per se ipsum quale sit, nempè omni priuatum luce, ab hominibus cognoscatur, ne aut insimulatam se se virtutem induat, aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat; sed quo cæca eius perspecta caligine vitari facile possit.* Quippè hoc solum si attendissent homines in peccato, nimirum, cæcam eius caliginem, atram faciem, imaginem tenebrarum, quæ superuentura illi sunt, facili negotio peccati laqueos deuitarẽt. Sed præterquam quod peccati tenebræ omnium obscurissimæ sunt, hoc insuper habent, quod homines, quasi truncos reddunt, vt nihil ad salutem conducens possent operari. Hæc est nox peccati, in qua nemo operari potest, opus nimirum, quod ad salutẽ valeat. De quo intelligerem illud Exodi 10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suũ, nec mouit se de loco, in quo erat.* Nulla operatio, quæ illis lucem, & salutem afferret præ densitate tenebrarum permittebatur. Quo respiciẽs Sap. 17. ait. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, &c.* Quasi tenebræ pro vinculis essent, quibus præpeditæ manus nihil valerent operari. Fallor, nisi ex his tenebris ligantibus pedes, manusque non pateant peccati mala, quæ sic obtenebrant mentes humanas, vt illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ, & sic ligant miseros, vt nil

Sap. 17.

Lxx.

Psalm. 89.

Iob. 3.

Seueria.

Exod. 10.

Sap. 17.

nil iam liceat; nisi tenebras expectare vtrumque respexit Dominus. Matth. 22. cum ad eũ, qui sine veste nuptiali, hoc est, in peccato accesserat, loquitur. *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Vbi enim deficit gratia, & peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat, omnia opera redduntur inutilia, laqueis, & tenebris apta. Annuit Diu. Hilar. homil. 1. in Ascens. dicens. *Ligatis, inquit, manibus, & pedibus, id est, damnatis operibus, & cur sa totius vitæ ejicite eum in tenebras*: Nullum opus fit sub peccato luci æternæ aptum, vnde merito monebat Diu. Paul. ad Ephes. 5. *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum*: vt vmbrosæ arbores, quæ luce Solis non gaudent, infructuosæ sunt, & steriles, sic opera existentis in peccato.

Matt. 22.

Hilar.

Ad Eph. 5.

Ioan. 9. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.

§. V.

Seruis Dei etiam aduersantia mala opitulantur.

QVIS lutum ad oculos venire cerneret, & non sibi cæcitatis perpetuitatem timeret? Quis in perniciem oculorum non crederet puluerem excitari? Sed semper aduersitates militant seruis Dei; sic contraria, & hostilia mala exurgunt sæpe, & in bonum auxilium glomerantur. Vidisti Philisthæum illum Goliath horrẽdo prẽcingi ense, quo præcinctus in arenam descendit pauorem maximum, & metum inermi puero Dauidi incussurus. Siste parumper, & dum vides Philisthæum gladio armatum, irruentem in puerũ inermẽ, quære abeo, ad quid gladium acuit? Ad quid præcinxit? Ad quid fortè strinxit? An, vt periret Dauit? Absit: imo, vt Dauid haberet, quo posit hostem trucidare. 1. Reg. 17. *Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, &c.* Ferratus hostis nõ ruinã, sed arma ministrat, quibus ipse trucidatur. Pulcherrima do verba Diu. Basil. Seleu. orat. 15. sanctis. *Cum igitur Goliath arma fabricaret, ideo se in vsus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduersarij habitu se Dauidi venire subsidio ignorabat.* Aduersarij habitus erat, cũ Goliath gladio procudebat armatus; sed in illo aduersarij habitu, Dauidi veniebat subsidio, & in Dauidis vsus ensem portabat. Sic aduersantia quæque mala nouerunt seruis Dei militare; sic hostiles incursus, sic ignita diaboli tela in aduersarij habitu veniunt subsidio iustis hominibus, illosque magis muniunt, & armant. Exodi 17. de Israelitico populo dicitur postquam mare rubrum pertransijt. *Et pugnauit contra Amalech.* Sed quorum armorum auxilio pugnauit? Cum enim ab Ægypto egrediantur, audio ab illis aurea, & argentea peti vasa; gladios, lanceas, scutos peti non audio, vndè ergo habuerunt arma, quibus audent Amalech expugnare? Hanc mouit quæstionem, & simul soluit Theodoretus citatus in Cat. Græcâ, vbi ait. *Pugnauit contra Amalech. At quibus armis? His nempè, quæ cũ Ægyptiorum cadaueribus ad littora deuoluta sustulerant.* Proh ingens diuinæ prouidentiæ miraculum! Expugnaturi gentes Idololatras exeunt ab Ægypto inermes Israelitæ populi. Quid tunc? Furit Ægyptus, ingens exercitus armatur, & plenus furore, & armis insequitur abeuntes Iudæos. Cur Deus tantam tentationem permittis populo tuo excitari? Cur tantam armatorũ manum post illos finis inuadere? Vis, vt tui pereant inter tot arma? Absit: imò vult, vt suffocatis Ægyptijs Israelitæ habeant arma, quibus possint cæteras nationes debellare. Quis crederet ab exercitu hostium inuadente non inferendam mortem inermibus hominibus? Et sanè non inferebatur mors, sed dabantur arma. Totusq; ille hostilis incursus ideò furere finitur, vt Dei populus habeat arma, quibus armetur, muniatur. Sic aduersantia mala norunt Dei seruis opitulari; sic hostiles incursus, contrarietates, mors ipsa fouet, & armat sanctos, vt inde muniti, & roborati maiora audeant. De Abel dicitur Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Expende illud, *clamat*, qui viuus quasi agnus coram tondente se obmutuit, tunc audet grandia verba, imo clamores dare, & altè loqui, vndè sic roboratus est? Vnde sic audet? An de ipsius passionis telis armatus? Ita D. Basil. Seleu. orat. 4. fatus. *Mortali vita per eadem iusti priuantur; spe tamen bona per mortem non deturbantur, quinimò mortis patrocinio fulti, contra eum, qui iniuria affecit, plus possunt.* Expende illud, *mortis patrocinio fulti*, quasi tela hostilia, & mors non tam ruinam, quam patrocinium, & munimen afferant.

1. Reg. 17.

Basil. Sel.

Theodor.

Genes. 4.

Basil. Sel.

§. VI.

§. VI.

Ex humilitatis puluere magnalia virtutum facinora illustrantur.

ITERVM puluis ad hominis decorā cōficienda venit; nihil enim in homine magnum, nihil illustre, nihil decorum esse potest, quod non stet humilitatis puluere confirmatum. Pulchrè Sedulius lib. 4. cap. 18. hominis lumina per lutum à Christo infecta notans, ait. *Lutum genarū clausſris illiniēs, quodquod in homine minus esse cōspexerat, de veteri bonus opifex cemēto supplenit.* Quippè fallitur, qui magna in se cupit struere, & illustrare, quin meminerit cementum vilitatis, à quo solo, & decus, & ornamentum facinorum apicibus dabit. Ex his non paruam lucem capit Amos cap. 7. fatus. *Dominus super murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* Cur cementarij trulla in manu Domini super murum agentis? Quod nouum opificij genus, quod murorum pinnis adhibeatur instrumentum cemēti? Inter pinnas suprema effulgent vexilla, decora ædificij enitent clariora, ad quid ibi cementi trulla? Equidem diuinus opifex, quidquid decorum in homine, quidquid supremum, & illustre efficit, illud de pristini cementi cognitione facit exurgere. Nullum aptius instrumentum inueniri potest ad decora humana polienda, extollenda, quam est humilitatis, primæuæque vilitatis puluis. Dauid post glorioſissimos victoriarū trophęos, post illustrissima perpetrata facinora se se coram Deo adeò deiecit, vt non dubitaret ante arcam inter saltatores ire. Cuius rei rationem hanc reddit. 2. Reg. cap. 6. *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israel: & ludam, & vilior fiam plusquam factus sum.* Quo se magis exaltatum cernebat, vt firmaret facinora, decoraque sua, se magis humiliabat, vt de cementi puluere illustria magis redderet glorioſa facta. Sic dicebat D. Gregor. lib. 5. in Iob cap. 10. *Coram Deo egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.* Sic fortia, & illustria facta de humilitatis pūluere extolluntur, solidantur. Inde clamabat Dominus, Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* quibus communiter monent sancti Patres, quid Deus nobis proponat edisſcendum, nimirum, humilitatem, & abiectionem. In manu enim sua habet Dominus lutum in præsenti, & similiter Apocalip. 1. *Habebat dextera sua stellas septem:* & nihilominus non stellarum, sed luti opus nobis edisſcendum proponit. Cur non stellarum, sed luti opus proponit? Pulchrè Vrbanus. 4. Pont. Max. in Psalm. 50. ait. *O humilis celsitudo: quā verè, si voluisses, dicere potuisses: discite à me fabricare Auroram, & Solem: siue discite à me quatriduanos mortuos suscitare? Sed quia potentior est solidissima humilitas, quam vemosissima sublimitas: idcirco potius dicere voluisti: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Expende illud, *potentior est solidissima humilitas*; quippè à puluere humilitatis ea potestas exsurgit, qua & clarissima, & solidissima facinora efficiantur. Dauid vbi audiuit à Deo magnalia sibi promitti, 2. Reg. 7. prudenter clamat: *Quis sum ego Domine Deus, & quæ domus mea?* Quasi diceret: ego ille pastor, ille de gregibus assumptus, ille minimus in tribu mea; sic non refugit humilia memorare, & abiecta, vt indè magna, & splendida à Deo fiant. Chrysostm. hom. 2. de Dauid, inquit. *Quam suaue, quam dulce in auditione veræ confessionis, vt diceret se minimum in tribu sua: non erubuit, quod erat, vt esset, quod non erat.* Nihil enim tam solidam parit celsitudinem, quam humilitatis puluis.

§. VII.

Præsentissimum hominis remedium ad suam terrenam originem confugere.

NON multis, nec pretioſis rebus indiges quisquis aduersus mala confirmari cupis, præsentissimum tibi remedium ostendit Dominus lutum, hoc est, si primę originis tuę ob oculos habeas puluerem. Quæri solet cur Adamus à Deo cōditus sit extra paradisum? Si enim statim in paradiso locandus erat, cur non magis ibi & conditus? Sanè id iam faciebat Dominus ex præscientia peccati, ne peccatori expulso ex paradiso deficeret præsentissimum suæ reparationis remedium, nimirū, contemplatio terreni soli, vndè originem traxit. Id quod notabat Gloſſa, dum putat ideò non fuisse conditum Adamum in paradiso: *Quia Deus præsciebat Adamum peccaturum, & inde pellendum ad hanc terram, vbi eū condiderat.* Ne paradiso expulsus careret peccator visione originalis puluerisꝰ ideò extra paradisum creatur, vt eiectus terram originis suæ præsentissimū remedium inueniret. Quis dicat mala, & tentationes, & pericula, quæ draco magnus excitauit aduersus cœlestem mulierem, Apocal. cap. 12? Etenim ait: *Et misit ser-*

pens

sedul. Amos. 2. Reg. 6. Gregor. Matth. 11. Apoc. 1. Vrb. Pont. 2. Reg. 7. Chryſost. Orig. Gloſ. Apoc. 12.

pens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen: vt eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem: & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, &c. Ecce tibi in tanto periculo adiuuit terra mulierem, & absorbuit draconis fluctus: vbi enim cœlestis mulier terrã habet adiutorium, se se terræ æquat recognoscens vilem natiuitatis originem, omnes draconis fluctus ridet. Andræas Cęsarienſis annuit, sic fatus. *At terra, inquit, iuuit illam. Iuuit autem sanctorum submissione, qui verè, rectèque dicere solent: Ego sum terra, & cinis, omnes superbi diaboli vires eneruans. Nihil enim diaboli vires ita frangit, vt humilitas.* Nihil sic cœlestes hominum mentes confirmat, vt puluerulentę cõsideratio originis. Hic sic arbsorbet vniuersos diaboli incursus, mala omnia, vt vix appareant vlla illorum vestigia. Nec caret particulari gratia, quod cœlestis mulier dicatur habuisse terram adiutricem aduersus inuadentes fluminis impetus. Videre enim est, quæ opponuntur saxorum moles maris fluctibus, quanto stridore, quanto verbere fatigentur: quippè furens fluctus, vbi saxum sublime sibi oppositum inuenit, immani illud verbere contundit, horrendoque ibi stridore confringitur ipse. Verum vbi terra mollis, & plana se se subijcit inuadentibus fluctibus, quiete, & sine contusione fluctus sistit; fluctusque ipsi non tàm verberant, quam placidis allambunt terram linguis. Sic prorsus cœlestis homo, qui terram habet adiutricem, hoc est, qui aduersus omnia mala se se terræ æquat, puluerulentàmque originem memoriæ mandat, tutè, & sine aliquo fragore mala venientia consumit. Quò eleganter spectauit Eusebius Gallicanus serm. 1. de Epiphania, inquiens. *Qualibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sicut in planis littoribus, sine aliquo fragore vnda cõsumitur.* Terram natiuitatis tuæ adiutricem adhibe, quisquis cupis absumere omnes malorum fluctus. Se ita muniuit Iob c. 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Non qualemcumque ortum suum recogitauit, sed vt Chrysost. notat in Cat. Græca, particulariter primi illius opificij meminit, quo ab vtero terræ, & limi primi parente coagmẽtatus est, vt sic terræ æquatus, innatæque nuditatis, & vilitatis memor omnes maligni superaret incursus: vtinam ad hoc confugisset illa, de qua Ezechiel capit. 7. inquit. *Et post omnes abominationes tuas, & fornicationes, non es recordata adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.* Quasi etiam post mille peccati tenebras, & vulnera hoc haberet remedium præsentissimum, si vilitatem primæ meminisset originis.

Andr. Ca.

Euseb.

Iob. 1.

Chrysost.

Ezeq. 7.

Ioan. 9. Et dixit ei: Vade, & lauua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abijt ergo, & lauit, & venit videns.

§. VIII.

Vera pulchritudo a pœnitentiæ lacrymis: vbi, quantam addat exterius pulchritudinem pulchritudo interna.

NIL magis vendibile apud patres, quàm si natatorijs Siloe intelligamus sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ adumbrari; ad quæ Dominus mittit quoscumque à fœditate vitiorum transferre vult ad pulchritudinem sanctitatis. Quisquis peccator est, quæcumque alia munera, etiam à Deo data, vt lutum reputet, quo magis conspurcetur, si pœnitentiæ contemnat lauacrum. In pœnitentiæ aquis lutum dimittitur, turpitudo reijcitur, & vera, primigenaque pulchritudo renouatur. Cum duodecim tribus Israel per desertum Deo militabant, ternæ, & ternæ tribus figebant castra, ita, vt Iuda, Isachar, & Zabulon versus orientem manerent sub illa cœli plaga, quę signis Geminis, Libra, Aquario depingitur. Id quod excogitans Venetus in Armonia, Cant. 2. capit. 13. expendit amplius, quod Iudas sub Gemini sedens geminam denotabat naturam in Christo inde oriundo; Isachar, qui significat mercedem sub Libra degebat, vt paruum mercenarijs præmium denotaret. Zabulon ea in parte erat, quę magis respondebat Aquario. Quid plura? Zabulon significat, *habitaculum pulchritudinis*, quasi nullibi melius pulchritudo resideret, quam sub Aquario, quàm sub pœnitentiæ lacrymis. Quippè à lacrymarum fontibus tota venit species, & pulchritudo nostris animis. Psalm. 44. *Specie tua, intende prospere, procede, & regna.* Nec aliam pulchritudinem in peccatoribus agnosces, quam eam, quam pariunt pœnitudinis lacrymæ. Vndè Diu. Laurentius Nouariẽsis homil. de Eleemos. ait. *Et quæ est ista species, quam virtus animæ, & in ea plena plenitudo? Quæve est pulchritudo, quam lacrymæ oculorum, & largitas eleemosynæ?* Immensam

Cant. 2.

Psal. 44.

Lauren.

ſam procùl dubio pariunt pulchritudinem oculi, qui non tam lumina mouent, quam lacrymas fundunt; non tam ſtellarum inſtar fulgurant, quam velut columbæ reſident ſupra fluenta pleniſsima; non tam fulmina iaciunt, quam lacrymarum lauacra præmittunt. Pſalm. 95. *Confeſsio, & pulcritudo in conſpectu eius.* Equidem confeſsio de compũctione, & ſocijs lacrymis afficit pulchritudinem. Id quod Diu. Bernard. expendit epiſtolâ 113. inquiens. *Reuera, vbi confeſsio ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata ſunt, in confeſsione lauantur: ſi bona opera confeſsione commendantur. Cum mala tua confiteris, ſacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus.* Inde ex ſpiritu contribulato, ex luctu, & lacrymis habet confeſsio, quod pulchritudinem parturiat. Ezechiel capit. 27. ad ciuitatem peccatricem, ait. *Dixiſti: Perfecti decoris ego ſum in medio maris ſita.* Et quis peccator non perfectum decorem, & pulchritudinem habebit, dum in medio amaritudinis lacrymarum conſiſtat? Numer. 24. aiebat ille. *Quam pulchra tabernacula Iacob, & tentoria tua Iſrael! Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas.* Malo hæc aliter legere cum Origen. homil. 17. in præſenti, vbi ſic Iacobi pulchritudinem extollit: *Vt nemora vmbrantia, vt paradiſi ſuper flumina, & ſicut tabernacula, quæ fixit Dominus, ſicut cedri iuxta aquas.* Ecce tibi tota Iacobi, imò tota peccatoris hominis pulchritudo ex eiſdem fontibus, ex quibus paradiſus, & arbores vitales, exſurgit, nimirum, ex lacrymarum pro fluuio. Quò ſpectabat Cellenſis Abb. lib. de Panibus cap. 12. inquiens. *Aqua hæc paradiſum rigat: Eccleſiam, vt ſit ſine macula, lauat. Cum enim profuſione lacrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia.* Et quidem lacrymæ, vt paradiſum, & fructiferas vitæ arbores faciunt, ſic hominis pulchritudinem, & perfectum decorem parturiunt. Non enim minimum ſolet conducere ad decorem externum interna animæ mundities. Iudith. 10. poſt exterius ornatum aſſumptum dicitur: *Cui Dominus contulit ſplendorem, quia omnis compoſitio non ex libidine, &c.* Ecce tibi externus ſplendor additus eſt, propter intimam animi pudicitiã. Sic Actor. 6. de Stephano: *Viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* De quo Diu. Fulgent. ſerm. proprio, ait. *Abundantia cordis tranſit in decus oris: in exterioris gloriam candor interioris exundat, & abſcondita peccatoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant, habens intra ſe Spiritum ſanctum, os præſe geſtat Angelicum.* Neſcit interne clau-

pſalm. 95.

Bernar.

Ezech. 27.

Num. 24.

Origen.

Cellen.

Iudith. 10.

Act. 6.

Fulgent.

di animæ pulchritudo, ſed ſæpe ſæpiùs pulcherrima in facie ſe manifeſtat. De Dauid dicebatur. 1. Reg. 16. *Quod erat ruſus, & pulcher aſpectu.* De quo Rupe. in lib. Reg. cap. 26. ait. *Pulcer erat aſpectu, & facie decora, videlicet non ea pulchritudine, quæ laſcivos prouocat, ſed quæ ſapientiæ conditorem pudice delectat, dum lucet in vultu ipſa, quæ ſpirat in mente, gratia.* Sic animæ decor, exterius ſolet in corporis pulchritudine apparere.

1. Reg. 16.

§. VII.

Dei gratia otioſos odit, cooperatores amat.

CVR cœcum iſtum mittit Dominus in natatoria Siloe, cum poſſet illum ſtatim ſanare? Sanè ſuſceptum iter in natatoria, & laborioſum, & verecundum illi erat; laborioſum, quia natatoria Siloe non parum diſtabant: verecundum, quia per mediam ciuitatem iturus erat homo luto conſpurcatus. Cur igitur hic cœcus ſolus iubetur, & verecundum, & laborioſum iter ſuſcipere? Huic vni præ alijs ipſe Dominus nulla obſecratione rogatus ſe ſe vltro exhibuit, obtulitque ſanitatem; Sed non licebat Saluatoris gratiam nihil agenti communicari, ideò præ alijs homo iſte iubetur laborare. Actor. 8. Iubetur Philippus accedere ad Eunuchum, & ſalutis aquam offerre, nil tale cogitanti, ſiccine dabatur gratia non petentibus, nec cogitantibus? Sed non dabatur niſi cooperantibus: ait enim. *Accurrens autem Philippus audiuit eũ legentem Iſaiam.* Id quod meditatus Tertul. lib. de Baptiſmo, dicit. *Spiritus Philippo præceperat in eam viam prætendere, ſpado, & ipſe inuentus eſt non otioſus, nec qui ſubito tingi concupiſceret; ſed ad templum orandi gratia profectus, ſcripturæ diuinæ impreſſus. Sic oportebat deprehendi, cui vltro Deus Apoſtolum miſerat.* Nõ enim vltro datur gratia niſi eis, qui illam operibus noluerint illuſtrare. Otioſos ſemper Dei gratia odit, quæ niſi inter opera, & facinora decorem non habet. Compone tibi modo paralyticum delatum ad Ieſum, Lucæ 5. & Matthæũ. cui ſedenti ad nummorũ mẽſam Ieſus adeſt. Illi dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* huic autem ſolum, ait. *Sequere me.* Cur à paralytico nil petens, ſed remiſsionem peccatorum faciens, à Matthæo ſequelam petit? Paralyticus clamoribus, & gemitibus operam dabat, quibus exorabat gratiam, Matthæus otioſus ſedebat, nul-

Act. 8.

Tertul.

Luc. 5.

lam

Iam ſalutis memoriam habens. Paralyticus iam Chriſtum requirebat: Matthæo autem ſedenti ſe ſe vltro Chriſtus dabat, ideò hinc ad opus vocabat, nec illi aliquid prius impendit, quam ſurgere à telonio, & poſt ſe ire faciat. Chryſolog. ſerm. 30. *Merito igitur paralytico dicitur: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua, quia conperſarat delicta doloribus, publicano autem dicitur: Veni ſequere me. Hoc eſt, vt ſequendo me repares, quod ſequendo pecuniam perdidiſti.* Non in ſedente, & otiante perſeuerat gratia, neceſſum eſt, quod ad opus exſurgas, & te operibus exerceas, quiſquis cupis poſsidere Dei gratiam. Cant. 1. aiebat ſponſa: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina.* Cui ſtatim capit. 2. reſpondet Dominus. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Illa & lectulum meminit, & domos: hic campos, & valles: illa quietem amans mauult lectulos, & domeſticas ſedes meminiſſe, ſed ſponſus quietem perteſus exercitia mauult, & ideò ad campum vocat, & valles, quaſi de operibus, & laboribus viuat eius gratia. Bernard. ſerm. 47. in Cant. *Ego flos campi, & lilium conuallium. Illa ergo monſtrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat* Iam dudum ſe ſe in virtutis curriculo exercentes amat diuina gratia; & eos magis amat, qui operibus neſciunt finem dare. Ex hoc cenſebat Dominus Dei amicum, Lucæ 11. fatus. *Quis veſtrum habet amicum, & vadit ad illum media nocte.* Ecce amicia diuina in eo ſita eſt, quod vadas ad eum media nocte. Cur media nocte? Pulchrè Chryſolog. ſerm. 39. ait. *Hoc tempus eſt, quod inter præteritos, & futuros labores ardens animus ad diuina nihil indulgeat corpori, nihil quieti; ſed antequam finiat tranſacti diei opera, incheat, & anticipat iam futuri. Iſta ſatis hora eſt efficax impetrandi.* Nulla aptior hora ad diuinam gratiam habendam, quam illa, in qua otio, & quiete abſſente, ſe ſe iungunt, & labores præteriti, & futuri. De hoc ſæpe alias.

Chryſol. Cant. 1. Idem. Bernard. Luc. 11. Chryſol.

Ioan. 9. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant, non ne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alij dicebant, quia hic eſt; alij nequaquam, ſed ſimilis ei eſt.

§. X.

A Chriſto Deo ad altiora ſemper tranſire diſcimus.

QVAM aliùs factùs eſt hic homo, ex quo ad Chriſtum acceſsit! ex quo licuit ei colloquia miſcere cum Chriſto! Ferè ſupra ſe ipſum videtur vicinis ſuis tranſiuiſſe. Hæc prima eſt notio Chriſtianæ diſciplinæ, quod non hæreamus in limine, ſed ad altiora ſemper properemus tranſire. Lucæ 12. *Beati ſerui illi, quos, cum venerit Dominus inuenit vigilantes, amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Etſi venerit in ſecunda vigilia, etſi in tertia vigilia venerit, beati ſunt ſerui illi.* Nota ſeruorum Chriſti felicitatem in eo eſſe ſitam, quod inuenti ſint à Domino vigilantes in ſecunda vigilia, & in tertia vigilia. De quo elegantem mouet quæſtionem Chryſolog. ſerm. 24. inquiens: *Quare tamen à ſecunda vigilia cepit, & tacuit primam?* Potuit dicere, etſi venerit Dominus in prima vigilia, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi; ſed omiſſa prima vigilia maluit incipere à ſecunda, vt moneat tunc cenſeri Chriſti ſeruos, cùm proficiunt, cum ad altiora incipiunt tranſilire. Habet enim hoc Dei halitus, vt ſuos alumnos ſemper agat in ſublimia, nec hærere ſinat in limine. Geneſ. 25. dicitur: *Abijt Rebbecca interrogare Dominum.* Quod quæſtionem facit Origini ſic dubitanti homil. 12. *Abijt. Quo abijt? Ex eo loco, in quo erat Dominus, ad locum in quo non erat? Non ne vbique eſt Deus? Quo ergo abijt Rebbecca? Ego puto, quod non de loco ad locum, ſed de vita ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora tranſierit, de ſanctis ad ſanctiora properaret.* Vbi Dei halitu tangeris, neſcis hærere priſtinis, ſed alia meliora, & excellentiora tranſiens prorſus videris à te exceſsiſſe, & mutatus eſſe in alterum virum. Apparet aliquando ſponſa Cant. 3. circumiens ciuitatem, & per vicos, & plateas quærens dilectum ſuum, apud cuſtodes, & vigiles illius exquirens notitiam, & paululum cum eos pertranſit, inuenit ſponſum, tenet, alloquitur. Quid plura? Sic mutatur, vt qui modo viderant illam, admiratione pleni hæreant dubij, & dicant. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, quaſi virgula fumi ex aromatibus?* Modo viderant, imò allocuti eam fuerant, & eam vix agnoſcunt, imò prorſus dubitant de illa; vnde tanta mutatio? Quid medium interceſsit? Equidem inuentio ſponſi à cuius manibus adeò profecit, vt ægre, & difficulter videatur ſui ſimilis. Gillibertus Abb. ſerm. 15. in Cant. *Quid ſi & ipſis, quaſi noua, & inſolita de ſecreto dilecti ſinu procedit? Noua plane. Nam ipſa nouitas admirationem inducit. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit? Quaſi dicant, non eſt cum illa, ſicut heri, & nudius*

Luc. 12. Chryſol. Geneſ. 25. Orig. Cant. 3. Gilliber.

nudius tertius. Non iam amplius circuit ciuitatem; non discurrit per vicos, per plateas, per vigiles, sed itinere directo ascendit. Quæ est in hac ipsa tam subita nouitas? Quid ni in noua procedat de complexu dilecti? Felix est quisquis Dei in se manus experitur; non hærebit in salebra, non veteri adhærebit vitæ, sed prorsus mutabitur in virum alterum renouatus de die in diem. Ad Dominum clamabat Psaltes. *Tange montes, & fumigabunt*, nec montes fumigarent ad tactum diuinæ manus, nisi manus diuina ignea esset, miraris dixisse manum Domini igneam? accipe quid Gillibert. dicat vbi supra. *Puta caminus est: aurum admone. Si purum est, purgatius redit, & rutilans metallum recentem de fornace fulgorem educit. Hoc camino decocta non potest, nisi noua, & velut altera prodire creatura in Christo.* Quid mirum, si cœcus expertus manum diuinam, velut alter appareat, non tam ipse, quam sui similis?

Psalm. *Gillibert.*

Ioann. 9. Ille vero dicebat: Quia ego sum.

§. XI.

Innatam vilitatem non erubescunt iusti.

QVI diuino afflantur spiritu non erubescunt abiecta secundum carnem natalitia memorare; nec fauoribus diuinis euecti dedignantur primæuam mendicitatem confiteri, dicentes, quia ego sum ille pauperculus, ille mendicus, ille abiectis ortus parentibus. Magnus ille Moyses inter regias proles cooptatus in captiuorum parentum cognitionem venit, nec dedignatus est vilia natalitia, imò præ illis aspernatus est regios fastus. Quod Moysis facinus post Paulum maximè extollit D. Gregor. Nyssenus, de vita Moysis fatus. *Cum verò in regia educatione, doctrinaque sæculari ex ephebis iam esset egressus, inglorius degere apud suos maluit, quam fictam illam, cuius adoptatus in filium erat, matrem profiteri.* Plures sunt, qui inglorios, sed veros natales erubescentes de effictis propinquis gloriantur: Moyses autem regium adeptus genus, vt fictum aspernatur, & inter aulæ decora, splendoremque dignitatum, captiuos, & pauperes, sed veros parentes suos amabat, minimè dedignatus humiles, abiectos natales. Libet in præsenti non præterire Dauidis felicissimi facinus. Is post regnum, post victorias mille, post ingentes Dei promissiones sibi, & filijs suis à Deo datas, hæc verba facit, 2. Reg. cap. 7. aiens. *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Quasi diceret, memini Deus meus, à quâ paupertate, & abiectione me in regnum sublimasti; ego sum ille pauperculus, ille minimus fratrum suorum, ille pastor ouium, qui nunc diuino beneficio populos pasco. Præclarè D. Chrysostom. homil. de Dauid, hęc verba commentatus ait. *Nouerat se pastorem esse ouium, & non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnouit se ex nihilo fuisse subleuatum: & quia non est oblitus, quis natus erat, perseuerauit in culmine regali.* Nullus honor, nullus triũphus, nullus thronus potuit facere, quod Dauid obliuisceretur, qualis fuerit natus, quibus ortus pauperum natalibus, quo sibi regum æternauit dignitatem. Vereor, ne multorum pariat ruinas abiectæ originis obliuio. Quæ dignior principe vox, quam illa, qua se extollit Sapiẽs, cap. 7. *Sum quidem, & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius hominis, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.* Quibus notat Lorinus noster, quod in natalitij commemoratione, matris, ac mulieris mentio distincte fiat à regalissimo rege. Et cur distinctius meminit matris, nisi quia totus ille splendor regalis maxime ex matrum vilitate, & abiectione claudicabat? Quippe in regia Iudæ linea ignobiles matres fuere notissimæ Raab meretrix, Ruth paupercula, & mendica, Bersabe vxor vnius de grege militis. Hos non dedignatur sapiens, imo inter cæteras natalium vilitates, has quasi digito ostendit, dum distinctius meminit matris. Quid plura? Tantæ confessionis præmium explicans pergit adhuc. *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Quò refero nõ absimilem confessionem D. Pauli 1. ad Timoth. 1. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.* Ille se vilem à natalibus meminit, hic blasphemũ, & cõtumelioſum: ille nõ erubescit abiectiones suas in medium proferre; hic peccata, & vilissimos mores suos. Sed neuter absque præmio, quando ille media confessione ad spiritum sapientiæ, hic ad Dei misericordiam peruenit, vt dicat D. Chrysostom. hom. 2. de Dauid: *Videtis, quomodo remuneratur omnis, qui non obliuiscitur, quid erat, & efficitur, quod non erat?* Laudabile est, & magno præmio dignum, si melior effectus memineris, quod habuisti vile.

2. Reg. 7.

Chrysost.

Sapient. 7.

1. Ad Tim. 1.

Chrysosto.

Ioann. 9. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

§. XII.

Virtutes aliorum ediſcendæ, vt ſimilia adimpleas.

QVISQVIS ſanùs eſſe cùpis, interrogà eos, qui ſani facti ſunt, quibus peruenerint ad ſalutem; ne tuâ contentus ſis ſapientia, aliorum reſpice, & inquire virtutes, & earum æmulus, cura etiam præſtare ſimilia. De
Ioann. 20. Maria Magdalenâ dicitur, Ioann. 20. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris.* Non inueniebat intus Ieſum, & ſtabat foris, nimirum ea, quæ foris erant circumſpiciens, ſi fortè ab
Origen. aliquo doceretur ire ad Ieſum. Vndè Orig. ibi monebat: *Si non inueneris in corde tuo Ieſum, ſta foris, & plora, permane in fide, & reſpice foris ad alios, ſi forte in aliquo videris eum, & plorando ora Ieſum, vt dignetur intrare in te, & habitet ibi:* Multum proficies, ſi ad virtutes, quæ in alijs factæ ſunt, proſpicias; ſi cures doceri aliorum profectus, qua cura, & diligentia dimiſſa, mirabor ſi multum itineris confeceris
Pſalm. 26. in via virtutum. Pſalm. 26. *Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hoſtiam iubilationis.* Expende, qua ſe præparet diligentia Dauid ad immolationem faciendam; circuibo, ait, cur non magis ſeſe in cubiculo abdat? Cur non magis ſecretum quærat? Cur non magis quietem procuret? Quando circuitus nõ ſuſpecti? Quando qui foras egreditur, non indiget ſaltem, vt pedes lauet? Attamen optimus ille circuitus eſt, qui non ad vagãdum, ſed ad virtutes aliorum inſpiciendas, & æmulandas inſtituitur. Sic circumeat, qui præclaram Deo cu-
D. Gregor. pit hoſtiam parare. D. Gregor. homil. 17. in Ezechiel. accinit. *Ecce, vt immolaret iubilationis hoſtiam, circuibat: quia niſi animam huc, illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipſe vſque ad iubilationis ſacrificium non peruenire.* Equidem efficaciſsimum eſt medium ad proficiẽdum, ſi aliorum inquiras, & obſerues virtutes. Et adeò efficax eſt alienarum virtutum inſpectio, vt imprimat animis noſtris ſimilẽ virtutem, vt vel ipſe nocentiſsimus Cain fieret innocens, ſi Abelis obſeruaſſet virtutes. Interrogatus enim à Deo de Abele fratre, im-
Geneſ. 4. pudenter reſpondit, Geneſ. 4. *Neſcio: numquid cuſtos fratris mei ego ſum?* Qualis iſta reſponſio Caini? Sanè reſponſio hæc non ſolum oſtendit impij cordis malitiam, ſed & radicem, & occaſionem, ex qua in tantum barathrum peruenit, nimirum, quia ab obſeruatione, & inquiſitione fraterna-rum virtutum oculis auerterat, quas ſi reſpexiſſet, ſi inquiriret, poſſet ipſe ſceleſtiſ-
Ambr. ſimus pietatem bibere. D. Ambroſ. lib. 2. de Ab. & Cain. cap. 9. *Etſi contumeliam precant hic ſermo; ſonat tamen, quaſi bonum fratrem conſideraſſet, cuſtos debuit eſſe pietatis.* Pietatem, & innocentiam Abelis imbiberet, ſi vel ad tantas virtutes reſpexiſſet. Nouerat profectò Chriſti ſponſa, quantum ipſa poſſet de aliorum obſeruatione proficere, ideo non vaga, ſed prudens per vicos, & plateas dilectum quærens, Cantic. 3. ab omnibus ſciſcitatur: *Numquid, quem diligit anima mea, vidiſtis?* Et quid ad ſponſam, quod illi vidiſſent? Nonne vtilius curaret ipſa videre, quam quæreret, an alij viderint? Pulchrè Gillibert. Abb. ſerm. 1. in Cantic. *De viſione illorum ſe viſuram præſumit, ideo diligenter inueſtigat cuſtodum viſionem, eorum ſpirans alloquio, vel in ſecretiora deduci, vel doctoribus affici.* Non inaniter quærit, an alij viderint: ſed ideo de alijs inquirit, vt ſimilia præſumat ſibi: quando aliorum virtutes, ſi noſcantur, potentes ſunt ſui ſimilitudines, etiam duplo gratiores animis noſtris imprimere. Quò refero illud à B. Ennodio, lib. 7. epiſtol. 13. in Boetij laudem decantatum, nimirum. *In cuius manibus duplicato igne rutilat, qua veteres face fulſerunt. Nam quod vix maioribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in lumine.* Equidem iuſtorum lumina neſciunt ad ſectatorum manus delabi, niſi duplicato ibi creſcentes lumine. Ex quo illuſtra illud D. Lucæ 12. *Lucerna ardentes in manibus veſtris.* Cur lucernæ in manibus, & non lucerna; quandoquidem de ſeruorum more aptius, & vſitatius venit, quod portent in manu lucernam? Sed vbi de lucernis illis ſermo eſt, quas Deus poſuit ſupra Eccleſiæ candelabra, hæ neſciunt à candelabris ſuis in ſectatorum manus venire, niſi duplicato igne fulgentes.

Cant. 3.

Gillibert.

D. Ennod.

Luc. 12.

Ioann. 9. Reſpondit: Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad Natatoria Siloe, & laua; & abij, & laui, & vidi.

§. XIII.

Felix ille, qui ſalutis ſuæ negotium non alteri committit.

EXPENDE illud feliciſsimi omnis inſigne; *vade, & lauare; & abij, & laui, & vidi.* Cui datũ eſt, vt ſalutis ſuæ negotia ipſe per ſe ipſum

ipsum perficiat, nulli illa credat, nulli com-
Nazianz. mittat. Quam sapienter Theologus Nazianz. orat. in Baptismum monebat, dicens: *Quamdiu mentis adhuc compos es, ad baptismũ accurre; quamdiu bonum tuum non in alijs situm est, verum tui ipsius est arbitrij.* Quis alijs omnino vitam suam credat, cum ipse per se illam possit habere in tuto? Quis in summo discrimine velit ab aliorum pendere diligentia, cum ipse posset sibi sufficere? Hoc quod insanissimum reputatur in discrimine vitæ tẽporalis, quotidie fit ab hominibus in summo æternæ salutis discrimine. Remittunt infelicissimi homines negotia animæ suæ in id temporis, quã do vel ipsi morbo correpti vix verbum facere possunt, nec aggredi opus vllum, vel defuncti in purgatorio igne constituti, nihil prorsus sibi salutare possunt efficere; sed omnia sibi salutaria in aliorum diligentijs sunt constituta. Felicissimus ille sanè est, qui non alijs tãta negotia committit, nec vult aliorum egere diligentia, sed ipse per se omnia salutis suæ administrat. Vbi de agni sacrificio lex dabatur. Exod. 12. sic monet Deus. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.* Cur vnusquisque tollere agnum iubetur? Nonne magis ad festum conduceret, si vnus agnum summeret, & cęteris omnibus pararet magnificum conuiuium? Nonne latiores essent in fratrum conuiuijs, quam singuli domi sedentes, & tristes manducassent? Equidem in tanto discrimine, vbi sacrificia agebantur salutis, optimum erat, vt vnusquisque agnum sibi prouideret, nec dependeret ab aliorum e-
Nazianz. tiam fratrum conuiuio. Ita Nazianzenus, orat. 2. de Pascha, inquiens. *Mirandum non est, quod maxime quidem per singulas domos agnus requiritur: quandoquidem optimum est, sibi vnumquemque ad perfectionem sufficere: seque hostiam sanctam, vtuamque vocanti Deo offerre.* Et quis Israelitarum, quando intempesta nocte transiens Angelus Domini, & calles, & plateas, & vicos replebat morte, nõ vellet magis apud se habere, quo se ipse muniret, quam ab alijs expectare munimen? Gladius euolabat percutiens, quid si frater tardasset agninum sanguinem afferre? Quid si impediretur ne posset offerre sacrificium? Sanè in tanto discrimine ille erat felix, qui nullius moras pateret, nullius timeret tarditatem auxilij, sed ipse ex se haberet præparatum, vndè liberari posset à periculo. Hanc mentem bibat, quisquis sapit, & negotia salutis suæ alijs non credat,
Genes. 18. sed ipse perficiat. Genes. 18. Abrahã vbi Dominũ in peregrinis recipit hospitio, etsi multa esset seruorum cinctus familia: *Ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum: Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Nihil non perficit per se ipsum: quod forsan alias notauero; sed modo pergo ad c. 24. vbi Abraham cum de vxore fi- *Genes.* 24. lio suo quærenda agit, totum negotium seruo suo committit. Etenim, *dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, &c.* Ecce tibi de peregrinis excipiendis nihil seruo mandat, ipse per se excipit, de vxore filio quærenda non ipse per se tractat, sed id negotium, etsi graue, etsi parẽtibus omnibus potissimum, seruo penitus committit. De quo Chrysost. tom. 6. ad *Chrysost.* illud Psalm. 48. *Nolite timere, cum diues factus fuerit,* sic fatur. *Abraham hospitalitatis ius, & munus executus est, nec seruo id oneris imposuit, sed sibi, atque vxori. Cum autem, & vxor, & nuptiæ filij apparuerunt, seruo, vt abeat, præcipit. Hic contra faciunt. Si enim cum aurifice agere velint, nullo pudore prohibentur, sed per se exẽt. Sed non ita Abrahamus, verum cum peregrinos vellet excipere, per se, & per vxorem hoc officium præstabat, cum autem nuptias facturus fuit, seruum adhibuit.* Sic felicissimus vir virtutum officia, salutis negotia nulli mandat, sed ipse per se ipsum curat perficere, quæcumque alia sint temporalia negotia nõ ille, sed seruis, & amicis mandat. Vide supra lib. 8. cap. 3. §. 27.

§. XIIII.

Is est Iesus, qui breuissimi temporis angustijs ingentem nouit operari salutem.

EXPENDE maximè, quàm breui curãtur cęcus natus; ait enim, *Abij, & laui, & vidi.* Ea est Dei clementiæ efficacia, quæ breuissimo, imò instãtaneo tẽpore ingentẽ noue rit operari salutẽ. Ante effusionẽ diluuij, vt ho mines sibi procurarent salutẽ, sic Gen. 7. Cle- *Genes.* 7. mẽtia diuina prædicabat: *Adhuc enim, & post septem dies ego diluuiũ inducam.* Qualis est ista clementiæ diuinæ prædicatio? quale salutis acquirendæ proponit vniuerso orbi spatiũ? Quomodo intra solos septẽ dies tanta hominum multitudo, tot peccatorum myriades possent salutem negotiari? Vel quomodo etsi cœlum plueret salutes, possent totum orbem attingere intra septem dierũ spatia? Equidem ea est misericordia Dei, quę nõ egeat tempore ad miserandum, dum homo velit, quam

breuiſsime, ácci piet à Deo ſanitatem. Sic D.
Baſil. Sel. Baſil. Seleu. orat. 5. fatur. *En quod ſalutis occaſiones excogitat, ſiquidem forte ſalutis cupientem inueniat. Adhuc enim, & poſt dies ſeptem. Sufficit mihi, inquit, vel breue tempus ad peccatorum ſalutem.* Nullæ temporis anguſtiæ officient vē ruræ ſanitati modo illam velis capere; non ad tempus reſpicias, etſi breuiſsimum, etſi feſtinatiſsimum, etſi pene tranſactum, ad Dominum clama, cui vel momentaneum tempus ſufficit, vt immenſam ſalutem largiatur. Ionas
Ionas 2. cap. 2. ait. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me.* Nō ait, clamo, ſed clamaui: quando clamauit? Bene notat Hieronym. quod, *ex eo tempore, quo præcipitatus in mare vidit cetum: & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ſe ore ſorbere: Domini recordatus fuit, & clamauit.* Cū iam ſorbebatur, inter ipſas belluæ fauces, tunc in memoriam clamā di ad Dominum venit, & tunc clamauit, & tunc ſalutem, & immunitatem accepit. Non miror, quod inde egreſſus doctus, quam arcto in tempore poſsit Deus ſalutem præſtare, ad
Ion. 3. Niniuitas prædicet iuxta Septuag. lectionem cap. 3. *Adhuc tres dies ſunt, & Niniue ſubuertetur.* Tres dies proponuntur, vt tam ingens ciuitas poſsit ſalutem obtinere, ſed ab illo Deo, qui vel triduo, vel breuiſsimo alio tempore valet vniuerſo mundo medelam afferre. Vnde
D. Ephr. exclamat D. Ephren lib. de pœnitent. in hæc Ionæ verba. *O pœnitentiæ gratiam, quoniā mundum tribus diebus inſtruxit.* Cur dicam tribus diebus? vel tē poris momento id nouit diuina gratia præſtare. Quod vt probet D. Chryſoſt. Niniuitis adiungit latronem, in quo etſi
Chryſoſt. ſera petitio, celerrima extitit gratia. Sic hom. 28. in Geneſ. fatur. *Niniuitæ tanta multitudine peccatorum aggrauati, quia magnam, & veram pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori, quam trium dierum ſpatio ad prouocandum Dei bonitatem. Et quid dico Niniuitas? Latro in cruce, neque vno die opus habebat. Et quid dico, die vno? Neque breui hora. Tāta eſt Dei erga nos miſericordia: nam vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & feruenti nos deſiderio ad ſe accedere, non retardat; ſed accelerat, dicens: adhuc loquente te, dicam, Ecce adſum.* Nō tam ocIſai. 65. cius volat verbum ab ore, quam ingens à Deo
Baruch c. 4 venit ſanitas, vt meritò dicat Baruch, cap. 4. *Sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem veſtram à Deo: ſic videbunt & in celeritate ſalutem veſtram à Deo, quæ ſuperueniet vobis cum honore magno, & ſplendore æterno.* Adiuncta enim eſt ſumma celeritas ſaluti, quæ à Deo in homines proficiſcitur. Vndè vbi diuina pro-
Eſter 8. uidentia factum eſt, quod Eſter 8. ſecundæ epiſtolæ darentur, quibus Iudæi ſalui eſſe mā darentur, ait. Text. *Egreſſique ſunt veredarij celeres nuntia perferentes.* Quæ verba ārgutiūs in rem noſtram legis, & conſtruis apud Carthuſ. nimirum. *Egreſſique ſunt veredarij celeres nuntios perferentes.* Quid eſt celeres nuntios perferentes? Id explicans Carthuſ. ait: *Veloces ambaſitas ſecum portantes;* quippe hoc eſt propriſsimum, & naturaliſsimum epitheton ſalutis miſſæ à Deo, quod dicatur celer nuntius, vel (vt cum Carthuſ. barbarè loquar) ambaſiata velox, quaſi Hiſpane diceres. *Lleuar ſalud, es embaxada que ſe haze en vn punto.* *Carth.*

Ioann. 9. Et dixerunt ei: Vbi eſt ille? Ait, neſcio. Adduxerunt ad Phariſæos eum: qui cœcus fuerat: erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius.

§. XV.

Ieſu nomen fœdas aufugit linguas, vt quod à limpidiſsimis amet nominari.

DIXERAT bonus homo ſe à Ieſu fuiſſe illuminatum: at peſsimi Iudæi, nominis Ieſu oſores, non quærunt, vbi eſt Ieſus? Sed vbi eſt ille? Fugiebat enim diuiniſsimum nomen fœdis Iudæorum pronuntiari linguis, vt quod à puriſsimis Angelorum labijs debuit nominari. Matth. 1. ſic loquitur. *Chriſti* *Matth. 1.* *autem generatio ſic erat:* Cur non dixit, Ieſu generatio, ſed Chriſti generatio? Equidem humilis Euangeliſta tantum nomen Angelo pronuntiandum reſeruauit. Ita D. Paſchaſ. lib. 1. *Paſchaſ.* in Matth. ait. *Chriſti nomen ſolum ſine additamento Ieſu hic poſuiſſe creditur, vt eum intelligeres, de quo propheta dixerat: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et nomen Ieſu, quod ſubſtātialiter illi inerat, Angelo dicendum reſeruaret.* Cur non fugeret fœdas Iudæorum linguas Ieſu nomen, quod & ab Euangeliſta ſancto Angelis nominandum reſeruatur? Si-
Luc. 2. militer Luc. c. 2. dicitur; *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquā in vtero conciperetur.* Nulla lingua, niſi Angelica eſſet, valuit tantum nomen prius in mundum inferre. Id quod pōderat Orig. hom. 14. *Orig.* in Lucam, fatus. *Vocabulum Ieſu glorioſum, omni adoratu, cultuque dignum, non debuit à parentibus, aut alio homine appellari, neq; ab eis afferri in mundum, ſed ab excellentiori quadam, maiorique natura.* Quærenda erat lingua omni libera fœditate, omni puluere pura, quæ

tantum

tantum afferret mundo vocabulum. Vndè
Isai. 62. Isaias, cap. 62. ait. *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Quasi hæc esset propria nominis notio, & explicatio, quod non nisi à purissimo ore clareat. Quod enim nomen illud nouum, quod non nisi ab excellentiori quadam, superiorique natura amat nominari, nisi Iesu nomen? Id asserit D. Cy-
Cyr. Ale. rill. Alex. lib. 5. de Trinit. aiens. *Nomen enim nouum verbo, Iesus, concurrens cum carnis natiuitate. Et propheticum oraculum iterum adsipulatur, cum dicit. Et vocabunt nomen eius nouum, hoc quod Dominus nominauit. Nonne, ò amice, Gabriel Virgini voluntatem Dei, ac patris conspicuam fecit, dicens. Ne timeas Maria: Ecce enim concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Sic cautum semper est à Deo, vt venerabile Iesu nomẽ per purissimas superioris, excellentioriſque naturæ linguas ad nos perueniret, quasi inde ostendens, quam à fœdis labijs abhorreat, quam ab omni puluere alienis linguis tantùm nomen amet tracta-
Malach. 1. ri. Malach. 1. *Ab ortu enim solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gẽtibus, dicit Dominus exercituum.* Notanter dixit Deus offerri nomini suo oblationem mũdam, vt ostendat, nimirum, munditiem præclarissimi, & celebratissimi nominis Iesu, quod est super omne nomen, & quod nisi mũdatis, & puris labijs nõ amat celebrari. Sed cur nomẽ hoc Iesus suum vocat Deus pater, Dñs exercituum? Sanè, quia ab eius ore purissimo ortum duxit, vndè habet purissimis linguis,
Irina. & labijs velle tractari. Accipite D. Irenæum, lib. 4. cap. 33. sic in verba dicta fantem. *Quemadmodum si quis ex ipse filij sui pingat imaginẽ, ipse suam illam dicit, quoniam filij eius est, & quoniam ipse fecit eam sic & Iesu Christi nomen suum esse confitetur pater, & quoniam filij eius est, & quoniam ipse scribens id, ad salutem dedit gentibus. Bene ergo ait secundum vtrumque. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Hæc Irenæus aliquantulum varians lectionem Vulgatæ in Malachiæ verbis; quibus eleganter deducit pura sacrificia, & oblationes mundas deberi nomini Iesu, ipsumque inter pura, & munda versari ex eo quod ortum habuit à purissimo ore Dei patris. Nec oscitanter Paulus ad Philippens.
Philipp. 2. 2. de Iesu nomine, ait. *Vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis linguæ confiteatur, quia Dominus Iesus, &c.* Vbi de genuflexionibus loquitur, expressè ponit cœlestium, terrestrium, & infernorum; vbi de linguis Iesum celebrantibus, illud præterijt, & maluit potiùs intelligi, quàm dici, ne videretur tantum nomen amare, à minus puris linguis celebrari.

Ioann. 9. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset: ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

§. XVI.

In iudicio nuda facti veritas attendenda est.

PRAECLARVS cœcus hic iudicum doctor, qui apud vicinos multa edixit de Iesu, eiusque verbis, quibus missus fuerat ad fontem; modo, vbi Pharisæorum iudicio sistitur, omnia reticet, solum sine auctoris nomine, sine artificij mentione facinus proponit. Etenim ait: *Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.* Non dicit; Iesus fecit lutum, &c. Sed simplicem positionem luti representauit. Sic integerrimi iudices, non personam respiciant, sed solum factum examinent, ex quo solo, & doctrinam, & veritatem percipiant. Dominus dum tabernaculi opus commendat, & artifices nominat, & materiam præscribit, passim dicens: facies hoc, vel illud, & tamen Exod. 28. aliter loquitur, dicit enim. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Iuxta sermonem solitum dixisset, *facies*, in rationali iudicij doctrinam: sed quia in iudicio nuda veritas ponenda est, auctoris nec suspicionem præfert, nec artificium meminit. *Exod. 28.*
Quod notans D. Seuerianus in Cat. Græc. ait. *Rectè, inquit, impones, non autem facies, perindè, ac de alijs iubetur. Non enim hæc pertinent ad artificium aliquod; sed neque Dominus admonuit, quibus doctrina hæc, & veritas conficienda erant.* Vbi veritas clarere amat, ipsa per se ipsam simplex inspicienda proponitur, nullas artificum refert manus, ne artificum bona, vel mala opinio aliquam iudicibus imposturam faciat. Numquam rectius iudicium fit, quàm cùm res per se ipsam sine auctore, sine artificis fuco ob oculos proponitur: Vndè ille bonus cẽsor habebitur, qui respiciens propositas res, illarum auctores, & artifices penitus ignorat. Ecce tibi iustissimum omnium iudicem, apud Matth. c. 7. sic loquentem. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes mul-* *D. Seuer.* *Matth. 7.*

tas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos. Expende illud, nunquam noui vos: quippe bonus, & rectus iudex, nõ solum post damnationis sententiam, à damnatis oculos auertit, sed & ante sententiam, & cum opera proponebantur, examinabantur, nunquam nouit personas, nunquam vidit, aliquo odij, vel amoris affectu inclinatus in illas. Quę ver
Apon. ba latè ponderans Aponius lib. 1. in Cant. post medium, sic tandem finit. *Quid tam rectum, nisi, vt in iudicando nulla veritati præponatur persona?* Rectissimè sanè iudicat ille, cui non persona obijcitur, sed nuda, & simplex facti veritas proponitur. Et vane aduersus iudicem queritur ille, cuius opera sine persona, & visa, & damnata fuerant. Quam iudicij rectitudinem in damnatione populi sui crediderim ostendi à Deo, apud Abacuch, cap. 1.
Theoph. iuxta lectionem Theophylacti, vbi sic. *Videte contemptores, & intuemini, & admiramini mirabilia, & obscuramini. Nam rem ego arduam perficiam in diebus vestris, cui haud quaquam adhibebitis fidem, si quis recensĕat. Propterea ego excito Chaldæos gentem amaram, &c.* Sic pergit vates annuncians punitionem Iudæorum à Chaldæis peractam. Sed ponderandum est illud verbum ante expressionem damnationis positum, nimirum, *obscuramini*, quod idĕ
Theophyl. est Theophylacto ac, *contegimini*, quasi ostendat Deus in eo iudicij sui rectitudinem, quod non prius ad illud accesserit, quam oculos à personis prævaricatricibus auerteret; quibus prorsus contectis, facinora sola per se suapta iudicarit. Cuius rectitudinis gloriam in iudicijs suis forsan ambiebant illi, apud quos eratmos: vt reorum obnubilarentur capita, de quo habes apud Ester, cap. 7. *Nec dum verbum de*
Ester c. 7. *ore regis exierat, & statim operuerũt faciem eius:* hoc factum fuit ante sententiam latam, ne videretur hæc prodijsse ab ira, & odio personæ; ira enim, & amor vehementer ex cœcant iudi
Bernard. cis animum. Quò spectat illud D. Bern. lib. 3. de consid. vbi ait. *Porro caliginis duæ sunt causæ: ira, & mollior affectus. Is iudicij censuram enervat; illa præcipitat. Quomodo enim ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus clementer nihil intuetur: suffusus muliebri mollitie animus rectum non videt.* Vtraque hæc præcipitia cauet iudex, cui non persona præponitur, sed facinus nudum per se ipsum, & simplex.

Ioan. 9. Dicebant ergo Pharisæi quidam: Nõ hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: quomodo potest homo peccator hęc signa facere? Et schisma erat inter eos.

§. XVII.

Semper veritas aliquale inuenit patrocinium, etiam inter pessimos viros.

QVANDO veritatis causa omnino cecidit? Quãdo etiam inter impios homines non inuenti sunt aliqui, qui subscribant veritati? Impijssimi erant Pharisæi, & tamen inter Pharisæos inueniuntur, qui dicant, quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & aliquale ferant veritati suffragium, & patrocinium. Proiectus fuit in terram callidissimus ille coluber, de quo Apoc. 12. dicitur, *Apoc. 12.* quod sit: *Accusator fratrũ nostrorũ, qui accusabat illos ante cõspectũ Dei nostri die, ac nocte.* Hic igitur nequam accusationis spiritus impiorum cordibus inseminatus, quot metit segetes calumniarum aduersus virtutem, & veritatem? Sed simul immissus nobis est spiritus paracletus, quem misit pater, vt vel inter malorum accusationes, & calumnias erumpat semper aliquod pro veritate suffragium. Huc refero D. Irenæum supra lib. 3. cap. 8. §. 44. ali *D. Iren.* ter relatum, qui lib. 3. cap. 19. sic loquitur. *In omnem terram misit e cælis paracletum, vbi & diabolum tamquam fulgur proiectum, ait Dominus. Quapropter necessarius nobis est vos Dei, vt nõ comburamur, neque infructuosi efficiamur: & vbi accusatorem habemus, illic habeamus & paracletum.* Itaque inter mille calumnias, inter innumerabilia mẽdacia, inter pessimos errores à spiritu nequam disseminatos, vt veritas suffocetur, & comprimatur, non adeò deserta manet veritatis causa, quando cœlestis pater prouidit nobis in terris veritatis aduocatum Spiritum sanctum, quo mouente, & spirante nunquam non cernitur aliquale pro veritate suffragium. Matth. 18. ait Dominus. *In* *Matth. 18.* *ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Cur in ore duorum? Nonne inuenti sunt duo falsi testes, qui omnino comprimant veritatem? Nonne contra Susannam duo nequã viri insurrexerunt, vt falsum testimonium dicerent? Non ergo veritatis causa in ore duorũ stabit? Sed nota illud, quod additur, nimirũ, *In ore duorum, vel trium*, non enim otiosè additum est illud, *vel trium*, sed vt insinuetur officium, & munus beatificæ Trinitatis, cuius est pro veritate stare, ita vt nusquam deficiat aliquod veritati suffragium. Stabit quidem veritas in ore duorum, vel si quando contingat, quod duo opprimant veritatem, pro illa

illa ſtabit diuina Trias proùidens aduocatum, qui excitet, & educat ſuffragia veritatis. D. Aug. tract. 36. in Ioan. cap. 8. Sic explicat illud, *vel trium*, aiens. *Per hoc myſterium Trinitas commendata eſt, in qua eſt perpetua ſtabilitas veritatis. Vis habere bonam cauſam? Habeto duos, vel tres teſtes, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Denique quando Suſanna caſta fœmina, fideliſque coniux duobus falſis teſtibus vrgebatur, Trinitas illi in occulto ſuffragabatur; illa Trinitas de occulto vnum teſtem Danielem excitauit, & duos conuicit.* Quando erit veritas ſine aliquo patrocinio, ſiquidem cœleſtis pater, imo tota Trinitas illi ſuffragia prouidet? Eſt nobiſcum in terris aduocatus, qui non ſinat veritatem ſuffocari calumnijs, & mendacijs, ſed vbicumque faciat veritatis exilire ſcintillas, etiam inter peſsimos viros. Quò fortè reſpiciebat Æſdras, lib. 3. cap. 4. aiens. *Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiã ipſam benedicit.* Non eſt terra, nec ſunt homines adeò terræ mandati, & ſepulti, inter quos veritas aliqualiter non fulgeret, vt dicat Nicetas apud Nazianzenum, orat. 40. *Vndecumque veritatis lumen irradiat, tum à mundo, tum à ſcripturis, tum à nobis ipſis, &c.* Expende illud, *tum à mundo*, quaſi vellet, quod etiam in mundanis cordibus non deficiat aliquale ſuffragium veritati.

Ioann. 9. Dicunt ergo cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.

§. XVIII.

Qui miſericordia fulget, prophetet neceſſum eſt, & diuinet ad pauperum neceſſitates ſubleuandas.

NVLLAM audierat cœcus à Ieſu prophetiam, ſed viderat opus propheticum; quãdo enim abſque ſuis precibus ſenſit lutum à Domino impoſitum, & viſum oblatum, exiſtimabat ſuam videndi voluntatem fuiſſe à Ieſu diuinatã. O quam verè miſericors ille, qui non precum ruborem expectat, ſed præoccupat, & ſilentis egeni diuinat, & prophetat neceſsitatem! Bonus diuinus, bonus propheta, qui prius miſericordiam exercet, quam audiat vocem pauperis; quaſi ante vocem, pauperis deſideria, & voluntates præcognoſceret, diuinaret. Pſalm. 40. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Expende illud, *intelligit*; non enim tam beatificãt hominem exãũditio precis pauperis, quam præſaga ſollicitudo, & intelligentia, qua quis ſupra id, quod homo eſt, ſe eleuat, vt diuinet deſideria, & voluntates pauperum. Id quod præclare animaduertens D. Thom. ibi, ait. *Qui intelligit, non dicit qui ſubuenit, quia debet eſſe miſericors ad modũ Dei: ſed Deus non expectat, quod ſemper petatur. Vnde ſubuenit deſiderio, ante quam petatur; & ideo ille eſt miſericors, qui non ſolùm petentibus ſubuenit, ſed etiam indigenti ſubuenit, priuſquam petatur.* Ille verè miſericors, qui Dei habitum habet, vt non tam audiat, quam præintelligat, & diuinet, & prophetet deſideria pauperum, & præparationes cordis eorũ. Nullus ad ſubueniendum miſeris præſtantior, quam qui nouit ſic anteuertere pauperum neceſsitates, vt videatur illas præſagiſſe, & diuiniſſe. Vndè libet in ſumma miſeria D. Petri expendere felicitatem; quid miſerabilius, quam peccatum? Videte modo Petrum obſcuriſsimis peccati negationum tenebris totum immerſum, omni paupere, omni mẽdico, omni afflicto miſerabiliorem. Sed in tanta miſeria, hoc maxime felicitatis habuit, nimirum quod oculos præſtantiſsima omnium miſericordia polentes incurrerit. Ait enim Luc. 22. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Quid magnũ, quod Dominus reſpexit Petrum miſere egentem, non ne Pſalm. 103. *Reſpicit terram, & facit eam tremere*? Sanè modo Petrum reſpiciunt, non quicumque Dei oculi, ſed illi oculi, qui eius miſeriam, & caſum diuinarunt; qui præſaga vigilantia prophetarunt ruinam, vt ſimul ſuo tempore medelam parerent. Accipite D. Leonem ſerm. 3. de Paſs. ſic fantem. *Reſpexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias Sacerdotum, inter falſitates teſtium, inter cadentium, & conſpuentium iniurias conſtitutus, illis turbatum diſcipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat eſſe turbandum.* Ea veniebat Petro miſericordia in illis Saluatoris oculis, quæ & miſeriam diuinarat, & antequam pauper clamaret, iam præſagiebat cõpediti gemitus, & deſideria pauperis. Felix eſſet hoc ſæculum, ſi ex huiuſmodi oculis plures haberet, qui præintelligerent clamorem pauperum, & diuinarent pauperum voluntates. Is extitit Ægypto magnus ille Ioſeph, cui vbi narratum ſomniũ Pharaonis fuit de macris vaccis, & tenui ſpica, ſtatim beatus vir intellexit ſuper egenũ, & pauperem, & præaudiens inopum deſideria, eorum incipit adimplere voluntates. Sic habes Geneſ. 41. *Sequentur ſeptem alij anni tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia, conſumptura eſt enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinem perditura eſt inopia magnitudo. Nunc ergo prouideat rex virum*

Auguſt.

Æſdr. lib. 3. cap. 4.

Nicet.

Pſalm. 40.

D. Thom.

Luc. 22.

Pſalm. 103

D. Leon.

Geneſ. 41.

virum ſapientem, & induſtrium, & conſtituat eum terræ Ægypti, &c. Quærebatur ex Ioſeph ſomni explicatio, ipſe autem præter ſomni explicationem inſuper addidit conſilium de frumento comparando, & aſſeruando: ſolicitus enim de afflictione terræ miſericordia plenus, non potuit non diuinare pauperum neceſsitates, & præintelligere ſuper deſideria, & voluntates pauperum: adeò, vt antequam ipſi damnarentur, ipſi clamarent, iam ipſe curaret de eorum pabulis, quaſi diuinans eorum voluntates, quæ vellent habuiſſe cibos aſſeruatos.

Ioann. 9. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat. Et interrogauerunt eos dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nũc videt?

§. XIX.

Clariſſimè, & iniuſtiſſimè damnatur filius, quem vterque parens condemnat.

MALITIOSE Iudæi vocant parentes eius, non patrem, aut matrem ſeorſim, ſed vtrumque ſimul, cupientes ab vtroque elicere aduerſus filium teſtimonium, vt clarius damnatio eius pateret. Cauebat Dominus Deut. 21. ſic. *Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, ac matris imperium, & coercitus obedire, contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores, & ad portam iudicij, &c.* Iubetur filius adduci in iudiciũ nõ à patre ſolo, nõ â ſola matre, ſed ab vtroque. Quod notans auctor Cat. Græcæ, ſic ait. *Ad damnãdum filium, cur exequitur vtriuſque parentis conſenſus? Vt accuſationis concordia veritatem conteſtetur. Accidit enim frequenter, vt accuſanti matri aduerſetur pater, & contrariò mater non ſubſcribat damnationi liberorũ. Quãdo conuenerit, occidatur.* Quæ ſpes ſalutis poteſt eſſe filio, qui ab vtroque parẽte reijcitur, ab vtroque accuſatur? Ferus Eſau haud gratus matri ſuæ, Deo odioſus, cur potuit viuere? cur prauis ſuis moribus penitus non fuit obrutus? Sanè habebat pro ſe ſaltem patris ſui ſuffragium, quo ſolo immunem vitam potuit peragere. Sic enim Philo apud Lyppomanum reddit rationem: cur Iſaac noſcẽs prauos Eſau mores, quibus, & matrem ſuam offendebat, nihilominus illi benedictionẽ impartiri mãluit. *Malum filiũ, ait, benedictione adiuuare volebat, ſine qua non niſi infeliciſsimus eſſe poterat.* Iuuit filium nequam vnũ ſuffragium patris, ſine quo neceſſum erat, quod periret, qui & Deo, & matri propter mores ſuos minimè erat gratus, quippe ſi vt mater aduerſabatur Eſau, ſimiliter eidem aduerſaretur pater, nõ niſi infeliciſsimus eſſe poterat, vt eſt ille filius, qui ab vtroque parente damnatur. Quam ſummam infelicitatem præſagit Zacharias cap. 13. teſte Hier. Cyrillo, Theodoreto, illis qui in Chriſti Eccleſia prophetant mendacia. Etenim ait: *Et erit, cum prophetauerit quiſpiam vltro, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum. Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et confingent eum pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum.* Hæc extrema calamitas eorum, qui loquuntur mendacia in nomine Domini, quia ab vtroque damnati parente, non niſi infeliciſsimi eſſe poſsint. Vndè monebat Sapiens, Prouerb. 23. *Audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cum ſenuerit mater tua.* Vtriuſque curam habe, valet enim plurimum vtriuſque ſuffragium, ſiue ad damnãdum, ſiue ad promouẽdum; infeliciſsimus eris, ſi tibi contrarientur pater, & mater, & in ſummas te extollent felicitates, ſi adſint tibi vtriuſque ſuffragia. Quo refert D. Ambr. lib. 2. offic. cap. 16. exaltationes Ioſeph ſuper omnes fratres ſuos, quia nimirum in benedictione eius patris, & matris explicẽtur ſuffragia. Sic enim ipſe legit benedictionem Ioſepho impertitam, Geneſ. 49. *Adiuuet te Deus meus, & benedicat te benedictione cæli à ſummo, benedictione terræ habentis omnia propter benedictiones patris tui, & matris tuæ.* Maiores omnibus felicitates habuit, qui præ omnibus tulit ſimul benedictiones patris, & matris, vt inde merito dicatur filius ampliatus.

Zachar. 13 Hierony. Cyrill. Theodor.

Prou. 23.

Geneſ. 49.

Ioann. 9. Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt: quomodo autem nunc videat, neſcimus; ipſum interrogate, ætatem habet: ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant, &c.

§. XX.

Graue eſt parentibus ſe eſſe cauſam damnationis filiis ſuis.

Auctor.

Phil.

Av-

AVDIO cœci parentes præ timore Iudæorum inquisitionem in ipsum filium conuertisse, quia ipse ætatem habebat, qua pro se stare posset in iudicio. Sed quid timebant parentes? Conspiratio Iudæorum in illos erat solum, qui Iesum confiterentur esse Christum, ab his autem solum quærebatur, quis, & quomodo aperuit filij oculos. Vnde ergo timebant respõdere curatum filium à Iesu per impositionem luti? Quæ timoris ratio ex hac confessione? Sanè timendum erat parentibus, ne dum filij curationem dicerẽt, similiter cogerentur dicere filij gratitudinem, & reuerentiã erga curatorem suũ, quæ filio damnosa, & causa dãnationis existeret. Et nescio, an quid sit magis timendum parentibus, quam quod ipsi causa damnationis existant filijs. Ecce vobis qualem timorem incutiat Dominus, quo parentes à peccatis abhorreant. Sic ait Deut. 5. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem.* Ad deterrẽdos patres, non mortes, non ignes, non cruces minitatur, sed hoc, quod illis maxime erat timendum, nimirum, quod propter sua peccata futuri ipsi erant filijs suis causa damnationis, & mortis. Id quod ponderans Tertul. lib. 2. in Marcionem, hæc pulchra dedit verba. *Nolite reprehendere iudicem, sed reuincite malum iudicem. Nam & patrum delicta ex filijs exigebat. Duritia populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes, legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quam suam curet?* Sanè nouum genus supplicij, nouũ, & maxime horrẽdum, quod parentũ delicta filijs suis, charissimisque pignoribus damnationem conciliarent. Sed totũ hoc tormentum exegit duritia illius populi, quæ nullo alio minore metu posset arceri à peccatis, ideo illi ponitur hæc rerum parẽtibus timendarum maxima. Vt vix inueniturpater, qui nõ magis curet filiorum salutẽ, quam suam, sic non est qui filiorum cladem magis timeat, non doleat magis, præcipuè illam, cui ipse præstitit causam. Peccatori Daui 2. Reg. 12. di hoc supplicium inũgitur. 2. Reg. 12. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui ex te natus est, morietur.* Et quantum putas in patrem supplicium, quod eius peccatum, & error mortem inferat filio? Pulchrè Sal- Salu. uian. de Gubern. Dei, lib. 2. inquit *Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi pijssimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit: vt dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret.* Inde parentis affligebat animũ Dominus, quod non solum videret mortem filij, sed & quod sciret se occasionẽ, & causam extitisse talis mortis, in quo summus dolor, summique supplicij intellectus erat positus.

Ioann. 9. Vocauerunt ergo rursus hominem, qui fuerat cœcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cœcus cum essem, modo video.

§. XXI.

Gratus animus in benefactore suo id solum attendit, quod beneficium fecit.

COGEBANT Iudæi hominem, vt ipse Iesum peccatorem profiteretur, quasi ex tali professione magnam Deo gloriam redderet: verum prudentior illis cœcus maluit in benefactore suo illud solum, & spectare, & meminisse, quod beneficium dederat, quam nodum in scirpo quærere. Huc respiciunt illa. *Vnum scio, quia cœcus cum essem, modo video,* quasi dicat, vnum ad me pertinet scire de benefactore meo, nimirum, quod ab illo beneficium accepi, alij alia scrutentur, ego hoc vnũ considero, hoc vnum video, quod ad meum beneficium spectat. Disce ab hoc cœco, quisquis beneficium accepisti, in benefactore tuo illud solum spectare, quod tibi salutare extitit. Exploratores Israelitæ sic dicebãt ad Raab Iosue 2. *Innoxij erimus à iuramento hoc, quo adurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & liganeris eum in fenestrâ, per quam demisisti nos.* Quid necessum erat, quod funiculus ille ligaretur in illa ipsa fenestra, per quam dimittebantur? Sanè in domo meretricis multæ erant portæ, & luxurię, & auaritiæ patentes, propter quæ peccata merito domus illa, sicut & reliquæ, hostilibus gladijs esset obnoxia: verum exploratores grati tanto beneficio, nihil in illa volunt respicere, nisi fenestram, quæ illis salutaris, & cõmoda fuerat. In hãc vnã volũt oculos conijcere; vnam hanc fenestram cupiũt scire, ne quid in benefactrice videant, quod beneficij accepti memoriam non excitet. Non longe abero, si huc referam illud. D. Pauli 1. ad 1. Corin. 2. Corinth. 2. Vbi ait. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Quasi nobilis hic explorator, cætera præteriens intentus solum sic

ad feneſtrãs illas diuinãrum cicãtricum, per quas ſaluus, & incolumis extitit. Hoc vnum mente voluebat, ab hoc vno oculos numquam auertit, nimirum, â ſalutis beneficio. Magnus Iſaac poſt iurgia mille, poſt excitatãs inimicitias puteorum cauſa, continuo, Geneſ. 26. *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nũc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.* Ecce tibi gratus animus non meminit iurgia, nõ meminit preſuras, & hoſtiles inimicitias, ſed vbi libere puteũ accipit, hunc ſolũ reſpicit; illud ſe ſolũ putat ſcire, quod pertinet ad beneficium, ad omnia alia cœcutiens. Id quod notans Chryſoſt. hom. 52. fatur. *Vidiſti piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum, quæ obliterant, bonorum tantum meminit, & pro illis gratiam Deo offert.* Hoc eſt vere piæ mentis indicium, quod nihil aliud de benefactore ſuo velit inquirere, velit ſcire, velit meminiſſe, niſi illud, quod peperit beneficium, quod ſibi extitit cauſa ſalutis.

Geneſ. 26.

Chryſoſto.

Ioann. 9. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis: Dixi vobis iam, & audiſtis, quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis diſcipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos Moyſi diſcipuli ſumus.

§. XXII.

Solius Chriſtiani proprium eſt, quod ſit diſcipulus Dei, in quo ſignum veræ Eccleſiæ.

HÆc ſeruata eſt gloriã creditũris in Chriſtum, quod diſcipuli Dei ſint, eiuſque imbuantur verbo. Inde eſt, quod filius Dei in mũdo degẽs, docens in Synagoga, ſe nomine principij manifeſtabat: ita Ioan. 8. *Ego principium, qui loquor vobis.* Verum vbi fidelibus proponitur Ioan. 1. ait. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum:* Illis principium dicitur, nobis verbum proponitur, quia verbum illis ſolum traditur, qui illo ſunt inſtruendi. Accipite D. Brunonem Carth. ſermon. 1. de Trinit. *Idem ergo per verbum, & principium ſignificatur. Sed nobis verbũ vocari debuit, qui docibiles ſumus, qui ipſius verbum, & doctrinam audire, & diſcere parati ſumus. Illis verò certè debuit vocari principium, qui eum principium eſſe non credebant, &c.* Nobis filium Dei verbũ apparet, qui eius vitę verbis edocti, eum habemus vitæ magiſtrum, & doctorem. Quos ſpectabat Iſaias cap. 54. fatus. *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Vbi Septuag. reddidere: *Vniuerſos filios tuos diſcipulos Dei.* Magna Chriſtianæ Eccleſiæ laus, & excellentia eſt, cuius filij vniuerſi diſcipuli Dei ſunt, ſalutaremque, & veram ebibunt ſapientiam, magiſtro ipſo Deo. Nec fuit aliquãdo, qui ad hunc diſcipulatum aſcendere poſsit, niſi Chriſti virtute. Exod. 24. ait Dominus ad Moyſem: *Aſcende ad me in mõtem, & eſto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi, vt doceas eos. Surrexeruntque Moyſes, & Ioſue miniſter eius, &c.* Vnus Moyſes vocatur à Domino, vt excipiat diſciplinas legis, nec tamẽ Moyſes ſolus aſcendit in Dei ſcholã, ſed Ioſue miniſtrũ ſuũ fert ſecũ. Cur ſine Ioſue non aſcẽdit Moyſes? Quoniã, niſi Ieſu comitãte, & aſpirãte, & ducente, nemo Dei diſcipulus, legiſque diuinæ auditor poteſt fieri. D. Amb. Pſalm. 47. *Moyſes ille peritus in omni ſapientia Ægyptiorum, in montem aſcendit, atque in nubem intrauit, vt operta, & occulta cognoſceret, adhærente ſibi ſocio Ieſu: quia nemo, ſine vero Ieſu, poteſt incerta ſapientiæ, & occulta comprehendere. Et ideo in ſpecie Ieſu Naue, veri ſalvatoris ſignificabatur affutura præſentia, per quem fierent omnes dociles Dei.* Vanè de ſæcularibus diſciplinis, & de Moyſis diſciplinis gloriatur, qui Ieſum non habet, quando nec ipſe Moyſes in omni ſapientia Ægyptiorum peritus, niſi de Ieſu ſocio, nõ potuit ad diuinam legis ſcholam peruenire, nec fieri docibilis Dei. Sapientia, quæ à Deo traditur, ſic halat Ieſum, ſic halat Chriſtum, vt nequeat imbui illa non Chriſtianus. Ioan. cap. 6. dicebat ipſe Ieſus: *Omnis, qui audiuit â patre meo, & didicit, venit ad me.* Vnde egregiè & acutè argumentatus D. Aug. lib. 1. de Gratia, contra Pelag. & Celeſt. cap. 14. ait. *Omnis, qui didicit, venit, quiſquis non venit, profectò non didicit.* Sapientia diuina demonſtrat Chriſtianum, & Chriſtianus oſtendit ſapientiam, quę à Deo eſt. Ille neget in Chriſti Eccleſia, & docibiles, & doctos ſimul à Deo eſſe, qui in mẽſas doctorum ſegetes non videat in dies illic parturiri. Ex doctorum ſegete prænoſcitur manifeſte ſchola Chriſti, & eius vera Eccleſia, ſicut fons ex riuulis. Vbi plures Dei docibiles, ibi certus Ieſus eſt, quia vera ſapientia à Deo veniens cum Ieſu. Nec te moueat, quod ſignum Chriſti dicantur eſſe Dei diſcipuli, Dei docibiles, & non potius docti; vbi enim Deus magiſter eſt per Chriſtum, idem eſt, & docibilem eſſe, & doctum. Ea enim eſt Dei doctri-

Ioan. 8.

Ioan. 1.

D. Brunon.

Iſai. 54. Lxx.

Exod. 24.

Ambroſ.

Ioan. 6.

Auguſt.

doctrinâ, quę nesciat manere, vel in lectione, vel in auditu, sed sic auditores suos imbuit, vt etiam per opera manifesta fiant. Paul. 1. ad Thessalon. 4. *De fraternitate autem charitatis non opus habetis vobis scribi. Nam ipsi vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem: etenim facitis illud in omnes fratres.* Vbi D. Aug. lib. 1. de Gratia, aduersus Pelag. & Celest. cap. 13. notat. *Vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit: Etenim facitis illud, tamquam hoc sit certissimum, quo à Deo didiceritis, si id, quod diceretur, feceritis. Isto modo sunt omnes, secundum propositum est, docibiles Dei. Qui autem nouit, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secũdum gratiã, sed secũdum legem.* Hinc noscuntur Dei discipuli per Christum ex doctrinæ segete, cum operum fructibus coniuncta qui nõ faciunt, non Dei, sed Moysis sunt discipuli.

1. ad Thes. 4. August.

Ioann. 9. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem, quia Deus peccatores non exaudit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

§. XXIII.

In Deo colendo tota vis felicitatis humanæ posita est.

ILLVD insipienter dixerit homo hic illiteratus, nimirũ, quod Deus peccatores non exaudit; verũ negari nõ potest hoc prudẽtiũsi mè dixisse, quod si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit, hunc beat, hunc ingentes bonorum copias facit reportare. Asserã nullã à te posse ditiorem instituí negotiationem, & felíciorem, quam si Deum colas totis viribus animæ. Nautæ illi Ionam examinant, cap. 1. *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis, quod est opus tuum?* (aliter apud Theophylactum.) *Quæ est negotiatio tua? Quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu?* Sic in naui degentẽ Ionam interrogant nautæ de patria, de causa itineris, de studio, de negotiatione, quasi ille, vt cæteri qui adnauigabant, esset mercator, & per mare negotiaretur quæstus gratia. Quibus ipse respondit apud Septuag. *Seruus Domini ego sum, & Deũ cœli ego colo: qui fecit mare, & aridam.* Pulchrè ad interrogantium mentem respondit, qui omnia eius negotia scire cupiebant, optimam, & ditissimãm omniũm negotiatiõnẽ suam explanans, his solis verbis, *Deum cœli ego colo.* Quę sic apud Theophylactum expenduntur. *Hoc*, inquit, *studium meum, hæc mea negotiatio est seruire Deo vero per mea opera, & colere ipsum per fidem in ipsum.* Negotiationem quæritis, qua bonis acquirendis instem; portus scire cupitis, à quibus soluo, & ad quos appello, vt inde merces meas æstimetis; ecce võbis totum meum studium, ecce vnicam, eamque ditissimam, & felicissimam negotiationem meam, nimirum, seruus Domini ego sum, & Deum cœli ego colo. In Deo colendo sum totus, qua nulla negotiatio ditior: quis Deum ex animo coluit, & nõ habuit sibi Deũ propitium ad omnia sua promouenda studia? Quo solo argumento conuicit honestissima fœmina Iudith cap. 11. Holophernem, sibi omnia à Deo prospera futura, etenim ait. *Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua, & orabo Deum. Et dicet mihi, quando eis reddat peccatum suũ.* Preces suas, studia sua à Deo promouendas fidenter, & secura promittit, ex eo que tantam suam securitatem, & fiduciam confirmat, quod ait: *Deum colo etiam nunc apud te.* Nulla enim felicitas, nullum lucrum dubitari potest in eo, qui toto animo suo colit Deum. Quò spectat Tobiæ, cap. 3. aiens. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit.* Nullo in casu inglorius manebit ille, qui ex toto cor de suo cultor est Dei, siue in probatione, siue in tribulatione, siue in correptione fuerit, diuina misericordia circundabitur, & in maximas felicitates venire licebit. Quare Hierosolymitani Hebræi hoc primum felicitatis fundamẽtum suis fratribus exoptabant. 2. Machabæorum 1. dicentes: *Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus, vt colatis eũ, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volente.* Quid tũc? *Et exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis.* Ecce, quibus gradibus perueniatur ad misericordiam diuinam, si corde magno, & animo volente colamus Deum, nihil non obtinebimus. O cultura! O negotiatio! Fallar, si alia est negotiatio ditior, si alia est cultura felicior, quam colere Deum. Quis ager, quæ merces copiosius respondit cultoribus suis, quam Deus? Prouerb. 31. de muliere forti dicitur. *Considerauit agrum, & emit eum; de fructu manuum suarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit, & vidit, quia*

Ionam 1. LXX. Theoph. Iudith 11. Tobiæ 3. 2. Mach. 1. Prou. 31.

quia bona est negotiatio eius. Ipse Deus nobis ager proponitur, vbi ait Psalm. *Pulchritudo agri mecum est,* cuius agri cultura quæstuosissima omnium est; pro certo enim habeat, quisquis colit eum corde perfecto, quod in omnibus, & semper prosperabitur. Inde illud gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius. Quò spectant illa D. Chrysost. verba, hom. de Fide Annæ. *Tantũ autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam, quæ cum Deo habuerit commercium. Etenim postquam vnum fœtum acceperat, Deus reddidit illi alterum.* Sic Anna ex eo quod colit Deum, negotiationis fructus metit quàm largos,

Psalm. Chrysost.

Ioan. 9. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?

§. XXIII.

Nihil æstimes à parentibus, & omnibus creaturis deseri, vbi Deo curæ es.

OMNES deserunt cœcum hunc; parentes illum in manus Iudæorum derelinquũt, cum dicunt, ætatem habet, ipsum interrogate, Iudæi omnes illum à se abijciunt; sed Dominus abiectum, & reiectitium ab ipsis parentibus hominem suspicit. Quid noceat relinqui à parentibus, abijci ab omnibus creaturis, si suspiciaris à Iesu? Canebat lætabũdus Dauid, Psal. 29. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus assumpsit me.* Et quidem parum eget parentum cura, qui Dei cõmissus est tutelæ. Multis facit quæstionem illud, quod Abraham solus è veteribus patribus filio suo Isaac, & dilectissimo filio moribũdus benedictionem nõ impertiuerit. Quid magis solẽne parentibus moribũdis, quàm benedicere filijs? Sic Isaac benedictionem Iacobo impertiuit: Sic Iacob duodecim Patriarchis. Solus Isaac à parente optimo relinquitur sine benedictione, quia solus ille Deo in holocaustum oblatus, ibique acceptus apparuit: Rem totam sic expendit Theodoretus citatus in Cat. Græc. *Cum quemadmodum Isaac filio suo Iacob, deinceps que Iacob filijs suis benedixerunt, non eodem pacto Abraham benedixerat Isaac? Super vacaneum hoc illi forte videbatur, eum post oblationem filij monumentum illud seruaret in pectore certæ promissionis.* Hoc habuit insigne proprium Isaac, quod à Deo postulatus fuerit in holocaustum sibi, quod & sic se ipse Deo deuouens immolandum posuerit à parente, quod ex tunc sic acceptus fuerit Deo, vt in illo totum firmaret arcanum repromissionis. Qui ergo sic erat Deo acceptus, nihil egebat. Sine benedictione, sine tutela parentum, quamuis omni patris terreni auxilio destitutus, imò ab omnibus creaturis reiectus Deum sibi auxiliatorem habet præsentem, quo nihil mali nouit timere, sed omnia bona sperat. Hinc ipse Isaac, qui paternæ benedictionis dedit exemplum, è duobus filijs nequiori illam impertiri curabat, sic enim ait, Genes. 27. ad Esau: *Affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Cur Esau parat benedicere? An latebant sanctissimum parẽtem Esau efferi mores? Cur potius ad illum dirigit benedictionem, & non ad Iacob? Eo ipso, quod nouerat prauos Esau mores, & nouerat Iacob virtutes, pro nihilo ducit Iacob benedicere, qui enim Deo erat acceptus, parum egebat paterno auxilio, & tutela. Ita Philo apud Lyppom. *Nouerat Isaac bonum filium bonitate propria sibi ipsi satis auxilio fore.* Imò, qui Deo accepti sunt, quò magis à parentibus derelinquuntur, eijciuntur, eò citius, & felicius diuinum sibi congerunt auxilium, & protectionem. Puer ille Ismael Abrahami filius, semel à Deo exauditus legitur; & tunc exauditur, cum à paterna domo expulsus matris brachijs, per solitudinem errabat. Errabat equidem iusti semen per solitudinem à patre eiectus, & siti vehementi premebatur inter matris brachia, nec Deus exaudit eum flentem. Quid plura? Genes. 21. *Mater abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat, & abijt. Seditque è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: non videbo puerum morientem: Exaudiuit autem Deus vocem pueri.* Non antea exauditur à Deo puer, quam eiectus à patre; simul appareat ab ipsa derelictus matre. Eadem siti premebatur in brachijs matris, & non dubito, quin tunc puer præ siti largas funderet lacrymas, & tamen nõ exauditur à Deo: cum vero primum mater abscessit, relicto puero, ecce tibi Deus adest, qui derelictum à parentibus suscipit, & in magnas spes alit.

Genes. 27. Phil. Genes. 21.

Theodor.

Ioann. 9. Et dixit ei Iesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum.

§. XXV.

Munera diuina non finiuntur in prima beatitudinis visione.

MAGNVM beneficium, quod cœcus Ie sum viderit, & ideò maius, quia inde efficitur capax alia recipiendi. Adhuc post primum illum aspectum, restat tibi, quod à visionis tuæ Auctore accipias, dum se se magis aperit tibi. Is enim est Deus, cuius munera, nec in prima beatitudinis visione finiuntur. Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, dedisti lætitiam in corde meo.* Magna, & suprema hominis felicitas est, reuelata facie gloriam Dei contemplari, hoc est, teste Hieronym. apud Nahum capit. 2. lumine diuini vultus insigniri. Hoc quasi supremum spectant spes humanæ, vt lumine illo donentur, quo diuinissimam Dei videant faciem. Ecce iam dicunt æterni candidati, signatum est super nos lumen vultus tui, non solum iam donati rude, sed & supremo gloriæ luminis munere sumus donati. Quid tunc? *Dedisti lætitiam in corde meo*; adhuc post lumen dona, adhuc bona data sunt in cœlesti thesauro, quibus in dies beati noui ter illuminantur, recreantur. A quo non abest illa Ruperti exclamatio lib. 6. de Proces. Spir. sancti, capit. 9. vbi hæc verba Psalmi explicans fatur. *O quanta pater habet, & quanta spiritus veritatis hinc accipere potest; vt annuntiet nobis de his, quæ filio suo thesaurizauit pater; quoniam in ingressu tam fulgidus, tamque ordinatus prospectus sacramentorum, in quibus vitam habemus, ornatus est.* Equidem quando in primo limine tanto lumine insignimur, tanta visione arcanorum ditamur, necessum est, vt inde de cœlestibus thesauris noua in dies dona, noua lumina prosiliant, quibus felices recreentur animi. Paul. 1. ad Corinth. 13. ait. *Nunc cognosco ex parte: tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, & charitas.* Expendo, quod etiam postquam venerit illa plenitudo temporis, in quo cognoscemus Deum, sicut ab eo cogniti sumus, hoc est, videbimus Deum, sicuti est, adhuc in eo statu visionis insinuantur aliquo modo manere fides, spes, & charitas. Ad quid maneat spes, cum adsit possessio? An post visionem Dei restat aliquid sperandum? Equidem is est Deus, cuius munera nesciunt vsquam finiri, etiam post clarissimam Dei visionem, est quid speres, quia Deus adhuc habet, quod cupit præstare. Sic D. Irinæus lib. 2. cap. 77. ait. Reliquis partibus destructis, hæc tantum perseuerant, quæ sunt fides, spes, & charitas: semper enim fides, quæ est ad magistrum nostrum, permanet firma; assueuerãs nobis, quoniam solus verè Deus, vt diligamus Deũ verè semper: quoniam ipse solus pater: *Et speremus subinde plus aliquid accipere, & discere à Deo, quia bonus est, & diuitias habens indeterminabiles, & regnum sine fine, & disciplinam immẽsam.* Etiam postquam viderimus Deum, sicuti est, manet in nobis spes, quia plus aliquid restat semper donandum; non possunt enim exhauriri diuini thesauri, sed semper noua munera sunt, quibus beatorum animę recreãtur.

Psalm. 4. Hieron. Rupert. ad Cor. 13. Irinæus.

§. XXVI.

Infirmitas humana non potest notitiam diuinitatis sustinere.

VBI audita est Iesu vox aientis, & qui loquitur tecum, ipse est; statim procidit cœcus, & adorauit eum; procidit, inquam, statim; nõ enim infirmitas humana stare potest in cõspectu diuinitatis se se manifestãtis. Ioa. 18. memorãs Christi virtutem in ipsa sui cõprehensione, ait. *Vt ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Et quis staret ad vocem Dei se reuelantis? Non equidem valet infirmitas humana tantam vocem audire, quin prona in terram cadat. Hinc pulchrè Ruper. lib. 6. de Proces. Spir. sancti, cap. 14. sic ad Iesum, fatur. *Latebat vultus tuus in illa humanitate, vt crucifigi posset; nisi enim latuisset, nisi se continuisset, & cessasset dicere: Ego sum, omnes abirent retrorsum, & caderent in terram, nec possent comprehendere eum.* Nulla est humana virtus, quæ posset à Deo audire, ego sum, quin cadat in terrã, quin humi prosternatur, minimè sustinens tantum gloriæ pondus. Quam alacer Moyses ibat Exod. 3. vt videret rubum incombustum ardere? Et ecce tibi vox de rubo: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam. Non enim audebat aspicere contra Deum.* Tantæ vocis sono correptus ibi subsitit, oculos dejcit, nec audet vltra respicere, sed maiestatem reueritus faciem obtegit. Id quod notabat Caiet. fatus. *Audita præsentia Dei, timuit oculos suos versus flammam illam, in qua loquebatur Deus dirigere, & propterea ad cautelam, ne respiceret, faciem suam obtexit.* Et merito tam sibi cauet Moyses à voce Dei se manifestantis; quæ enim natura nõ consternatur in cognitione tãtæ maiestatis? Isai. 64. *Vtinã disrumperes cœlos, & descenderes; à facie tua mõtes defluerẽt.* Quasi ex eo, quod cœli aperirentur, & Deus pateret, cõsequens esset, quod creatę altitudines ad

Ioan. 18. Ruper. Exod. 3. Caiet. Isaia. 64.

terram desiderent. Id quod expresiùs insi-
Cyril. Ier. nuat lectio Diu. Cyrilli Ieroſolimitani cathe-
cheſi. 9. aiens. *Si aperueris cœlum, tremor à te capiet montes, & deficient.* Non inutiliter latet diuinitas intra cœlum; cœli enim beneficio habent creaturæ, quod poſsint caput erigere; quod non neceſsùm ſit ſemper terræ adhærere, ſed etiam liceat negotiá tractare vitæ.
Idem. Ita Cyrill. ait. *Propterea ſecundum maximam ſuam benignitatem Deus velum propriæ Deitatis cœlum extendit, ne periremus. Non meus hic ſermo, ſed Prophetæ, qui dixit: Si aperueris cœlum, tremor à te capiet montes, & deficient.* Niſi ceſſaſſet Dominus ſe manifeſtare, omnes creaturæ ad terram deiectæ, ibi hæſiſſent. Nec miror, quod á reuelatione Deitatis creaturæ ſe ſe humi proſternant, quando idem facit, vel Dei gloriæ vmbra Ezechiel capit. 2. *Hæc*
Ezeh. 2. *viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. Et vidi, & cecidi in faciem meam.* Ad quæ verba eleganter
Cyr. Ieroſ. Diu. Cyrill. Ieroſolim. vbi ſupra, ait. *Non ipſum Dominum, ſed ſimilitudinem gloriæ; neque ipſam gloriam vti re vera eſt, ſed ſimilitudinem tantum gloriæ vidit, & cecidit per terram præ timore. Si ergo gloriæ ſimilitudo conſpecta timore, & extremo tremore afficit prophetas: ipſum Deũ, quis tandem cernere ſuſtineat?* Sanè non eſt creaturum virium ad Deitatis maieſtatem non pauere. Non eſt poteſtatis humanæ tantum diuinitatis pondus ſuſtinere. Et diuinitas manifeſtata, quem non ponat ſcabellum pedum ſuorum? Et iuſti volentes, & iniuſti trementes, vbi Deus intonuerit, in terram corrueñt.

CAPVT QVARTVM.

De cœco apud Iericho ſanato.

MATTH. cap. 20. Marcus cap. 10. Lucas cap. 18. tres prope Iericho cœcos ſanaſſe Chriſtum ſcribunt. Et ſunt tam pauca diſsimilia in ſingulorum hiſtoria, vt credam non tres, ſed vnam, & eãdem hiſtoriam ab omnibus fuiſſe conſcriptã. Curatus ergo à Ieſu notiſsimus cœcus, quẽ ſolum attenderunt Marcus, & Lucas, curatus eſt, & alter minus notus; & ambos expreſsit Matthæus. Difficiliùs illud, quod Lucas dicat curationem factam, cum appropinquaret Dominus Iericho, alij, cum exiret. Et quidẽ ſi placet, poſtulata fuit curatio à nobiliori cœco, cum Ieſus appropinquaret Iericho, obtenta autem à duobus, cùm exiret. Ità Mal donatus. Pergo ad hiſtoriam, vt eam tradit Diu. Lucas.

Luc. cap. 18. Factum eſt autem, cũ appropinquaret Iericho, cœcus quidam ſedebat ſecus viã mendicans. Et cum audiret turbam prętereuntẽ, interrogabat, quid hoc eſſet? Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret.

§. I.

Non longè abeſt a recta ſalutis via, qui proximus eſt, vt oret Deum.

RECTE notatur cœcus hic ſecus viám eſſe, cũ iam iã relictis creaturis oraturus erat Deum. Nõ enim per deuia errare, ſeu perdi poteſt, qui orationi ad Deum faciendæ iã approximat. Quam eſt perditus, qui ad creaturarum fores mendicus errat? Quam longè abeſt à recta via? Præclare ad rem dicebat Da uid. 2. Reg. 7. *Propterea inuenit ſeruus tuus cor* 2. *Reg. 7.*
ſuum, vt oraret te oratione hac. Expende illud: inuenit cor ſuum; dum Deum non orabat, ſed creaturarum pulſabat fores, mendicus errabat per deuia, factus homo perditus, factus quaſi miſeri errones, incertis ſedibus vagus: ſed cum ſe recepit, & Deum orare, ab illoque opem decreuit petere, iam inuenit cor ſuum, nõ amplius errat, non amplius deuiat, ſed tam proximus eſt viæ rectæ, quam proximus orando Deo aſtat. Præclare aiebat Tert. in exhort. ad Caſtit. *Si orationem facit ad Dominum, in prope* *Tertul.*
eſt cœlo. Quaſi parum ſit, quod orationis factę ad Deum virtute ſecùs rectam viam ſis, niſi & inſertus etiam inueniaris ipſi ſalutis termino. Erras in via, vagus incertis ſedibus, quoties creaturarum opem mendicas; vbi vni accedis Deo, iam non erraticis vijs latitas, ſed de via ſalutis, immò de prope ipſo termino te poteris inuenire. Audi ſponſam orantem Cant. 1. *Oſ-* *Cant. 1.*
culetur me oſculo oris ſui. Nõ creaturarum petit pulchritudines, nil amat, nihil exoptat, quod ſit in poteſtate creaturarum, ſola petit ſibi diuiniſsimi ſponſi labia, & ſtatim ait. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Introduxit, ait, de prætcrito, vix labia mouet, vt ſagitet, & iam ſe meminit introductam in cella vinaria, quaſi non de oratione veniret

nerit ad cellam, ad domus Dei abundantiam, sed de Dei domo ad orationem illam exierit. Non enim prius relictis creaturis ad vnum Deum spectauit, quam iam se, quasi in salutis termino sensserit collocatam. Non longe abest
Bernard. Bernard. serm. 7. in Cantica, vbi fatur. *Osculetur me*, ait, *osculo oris sui: ipsum, quem amat, quærit, non aliud quidquam ipsius. Quid enim?* Respicit terram, & facit eam tremere, *& ista se ab eo postulat osculari? Ebria ne est? Ebria prorsus. Et forte tunc, cum ad ista prorrupit, exierat de cella vinaria, quo se introductam post modum gloriatur. Nam Dauid de quibusdam dicebat: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et quidem cum sic se se aptabat, vt relictis omnibus alijs vnum Deum sibi peteret, vnum Deum spectaret, illique suas funderet preces, iam quasi in via, imò in termino salutis præexistisse gloriatur. Adhuc Dauid erat in arena nondum aduersus hostem Goliath arma mouerat, & iam non solum, quasi in via certa victoriæ esset, sed quasi esset in ipsa victoriæ
1. Reg. 17. possessione, sic loquitur. 1. Reg. capit. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Nondum certamen inis, & iam te reputas, non solum secus viam victoriæ, sed ipsa potitum victoria? Vndè ante conflictum, te canis adeò victoriæ proximum? Vndè scis te habiturum gladium, quo caput hostis amputes, quando nullum ferrum, sed paucos lapides pro armis cõgeris? Ipse explicat, dum ait. *Ego venio ad te in nomine Domini*, hoc est, à nulla iam creatura emendico robur, solum Deum precor, & ex quo, demissis creaturis, ad Deum confugio, me iam reputo prope ipsam victoriam.
Chrysost. Ita Chrysostom. homil. de Dauid, & Goliath loquitur. *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo, tu in clypeo, ego in prece, tu venis in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur.* Merito inde se saluti, & victoriæ reputat proximum, quia ab omnium creaturarum ope abhorrens, & preces, & spes suas vni præparat Domino.

§. II.

In via omnes ad omnia cæcutiunt, mors reuelat, quod habuerit homo.

ECCE vobis cœcum hominem secus viã positum mendicantem à transeuntibus vitæ subsidium; quo nulla clarior effigies inueniri potest hominis cuiuscumque positi in huius vitæ via. An non mendicant omnes homines? Voluptates, diuitias, honores vniuersi ambiunt: à cibo, à pecunia, à spectaculo, ab agro, ab ædibus, à veste, à tecto, à mercatura, à potentiori, à mari, à terra, à cœlo, à ventis subsidium petunt. Nulla est dies, qua non mendicet à creatura miserrimus homo; & cum tantopere egeat, quid tandem accipiat, infelix idem non sentit: quippè qui, & mendicus, & cœcus sit. Accipit mendicus cœcus, & quid accipiat, nescit, quæ putat munera, ludibria sæpe sunt, & vnde capere multum credit, vacuum remanere cõtingit. Cum nox venerit, vitæ præsentis die peracta, quid bonorum congesserit, ignorat, æs, an aurum, argentum vè sit, quod habet, discernere visu non potest. Et cum ad exàmen ventum est, quantum stipis collegit clamore multo, prolixis votis; id vix ad teruntium peruenire patet, & longè plura ludibria inueniuntur, quam dona: plura venena, quam subsidia. Vnus pro mille adsit Goliath ille. 1. Reg. 17. se se armans aduersum Israelitas, trucemque ensem sibi postulans dari, quo se muniat, quo se roboret. Quid tunc? Ensem accipit manibus, ensem sibi accingit, quid tamen accipiat, penitus ignorat, ipse putat defensionem suam accipere, finietur vita, & patebit non defensionem, sed mortem accepisse. Id quod meditatur alibi datus Diu. Basil. Seleu. orat. 15. inquiens. *Cum Go-* Basil. Sel.
liath arma fabricaret, id se in vsus Dauidis facere, & propry iugulatoris baiulum in aduersary habitu se Dauidi venire subsidium ignorabat. Adeò cæca est conditio nostra, dum sumus in via, prorsus ignoramus, quid acceperimus: veniet nox, & à via in Domum regressi cum simus, ibi apparebunt venena, quæ putabantur munera, apparebunt ludibria, quæ solida putasti dona. Etècontra aliquando, quem via tenet mendicum, domus ostendit diuitem. Quem in viã putabat ludibrijs, & opprobrijs plenum, in termino apparebit muneribus insignis. Qui in via nihil putabatur accepisse, in fine videbitur bonorum cumulatissimus. Non via, sed viæ terminus ostendit, & reuelat bona, quæ habuimus. Quis cum viderit ad Heliæ vocem, ignem de cœlo venire, & quinquagenos vorari milites, non putaret Heliam ruinam esse Israelis? Hunc tamen à viuis exemptum vocat Elisæus. 4. Reg. 2. *Pater mi, pater mi,* 4. Reg. 2.
currus Israel, & auriga eius. Et quidem, qui in via ruina Israelis videbatur, & flamma cõsummens, dum à viuis abscedit, clarè videtur non ruina, sed currus Israelitas custodiès fuisse. Ad Philadelphiæ Episcopum dicitur Apoc. 3. Apoc. 3.
Ecce dabo de Synagoga Sathanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent

ante pedes tuos, & ſcient, quia dilexi te. Quando ſeruis ſuis parauit Dominus tantum triumphum, vt ſciantur, & adorentur? Non equidem dum ſunt in huius vitæ via, in qua prorſus ignoti, & mendici, & deſpecti adeò, vt nec ipſi ſciant, an odio, vel amore digni ſint; recedent à via in domum, & tunc apparebunt, & ſcientur, & adorabuntur ab hoſtibus ſuis. *Rupert.* Rupertus ibi explicat verba dicta. *Conuertentur ex eis, & fauebunt tibi: ita vt veniant, & adorent ante pedes tuos, ſi non interim, dum viuis, certe cum mortuus fueris, & placebunt tua, cum tu diſparueris. Tunc ſcient, quia ego dilexi te.* Non via, ſed viæ terminus eſt, qui facit te apparere felicem, qui reuelat, quæ congeſſeris munera: vndè de morte aiebat *Matth. 10.* Dominus Matth. 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Merito vocat mortem baptiſmum, hoc eſt, tincturam; ſicut enim tinctura, quas lanas accipit rudes, inconſpicabiles, reddit conſpicuas, & rutilas, eo ſplendore aſperſas, quo earũ pretium apparet; ſic mors in Dei ſeruis facit ſplendeſcere virtutes. *Imperfect.* Ita Imperfectus homil. 35. in Matth. *Baptiſmum eſt ipſa mors; dictum eſt autem baptiſmum, ſecundum ſimilitudinem lanæ intinctæ. Sicut enim lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpura, aut alicuius accipiat dignitatem, ſic & nos in morte ſeminamur in ignobilitate, reſurgimus in gloria.* Ecce tibi, qui in via pauper, & pannoſus videbatur, vbi ad vitæ terminum accedit, totus clareſcit purpureus. Et ne mireris ſic à Domino eſſe diſpoſitum, vt via Dei ſeruos mendicos, & pannoſos oſtendat, in qua vel ipſi cæcutiant, & neſciant pretium congeſtarum virtutum, vt in domo eorum pretium, & valor rutilet. *Machar.* Id pulchro exemplo expendit Diu. Macharius homil. 16. inquiens. *Itaque ſicut faber argentarius, & ſculptor, quando diſcũ inſculpit, aliquatenus opperit varia illa animalia: vbi verò perfecit, tunc diſcum ſplendentem profert in lucem: ita Dominus, qui verus eſt artifex, corda noſtra inſculpit, & myſtice renouat, donec è corpore decedant, & tunc eminet dignitas animæ.* Perficimur ſub pannoſo habitu, ſub tenebris huius vitæ, ſub paupertatis, mendicitatis, aliorumque malorum latibulis, cum hinc diſceſſerimus ad domum, tunc clareſcet vniuſcuiuſque dignitas.

Luc. 18. Et clamauit dicens: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei.

§. III.

Deus in hominem miſericordem illapſus, neſcit non miſereri omnium.

DAVIDIS propaginem proponit Deo homo hic, & inde contendit miſericordiam accipere à Deo; quantumuis enim Dominus ſeuerus, & iratus ſit, vbi ad miſericordem hominem peruenerit, neſcit inde nõ miſereri omnium. In quem magis iratus Dominus, quam in Saulem iam ſuis præceptis rebellem? Illum regno priuat, morti adiudicat, & quod magis mireris, prophetam prohibet, ne pro illo fleat, nec fundat preces. Sed ecce tibi, dum Dauid in ſpelunca latebat à facie Saulis, ipſe Saul caſu ingreditur in ſpeluncã illã, neſciens ibi latere hoſtem ſuum. 1. Reg. capit. 24. *1. Reg. 1.* Quid tunc fecit Dominus? An excitauit latentes, vt adeò infeſtum hoſtem trucident? An, vt toties irruit in Sanſonem ſpiritus Domini, vt perimeret Dei inimicos, ſic modo irruit in Dauidem, vt adeò reprobatum hominem morti traderet? Equidem irruit & hic ſpiritus Domini in Dauidem, ſed reprobi Saulis miſereſcens, illique vitã impartiens. Quãuis enim iratus erat Dei ſpiritus, vbi Dauidis viſceribus miſericordiæ plenis illabitur, non poteſt non leniri, & ad miſerendum aptari. Debeo hanc excogitationem Diu. Chryſoſt. *Chryſoſt.* hom. de Dauid, & Goliath. Vbi inter alia fatur. *Denique Saul Dauidem perſequitur innocentem: Dauid verò traditum ſibi illæſum exhibet peccatorem: vt & in Dauide Spiritus ſanctus miteſceret, &c.* Itaque ille Dei ſpiritus tam iuſtè in reprobum hominem irritatus, vbi in Dauidis pientiſsimis viſceribus hęſit, non potuit inde non miteſcere, & plena miſericordiæ flumina irrorare. Nouerãt id, qui dicebãt Exodi 20. ad Moyſem. *Loquere tu nobis, & audiemus; Exod. 20. non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quid intererat, quod loqueretur Dominus, vel loqueretur Moyſes? Non ne, & in Moyſe ipſe Dñi ſpiritus loquebatur? Equidẽ & in Moyſe loquebatur Dominus, ſed Dominus in adeò miſericordi, & pientiſsimo viro exiſtens, non poterat inde vitam, & miſericordiam non inſtillare. Pſ. 11. ait. *Propter miſeriã inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari.* Ponam, inquit, in ſalutari. Quid pones, Domine, in ſalutari propter pauperes, propter peccatores? An pones *Pſalm. 11* iuſti-

iustitiæ gladium? Acutè Diu. Augustin. fatur. *Non dixit, quid ponat, sed in salutari.* Quasi hoc vnum necesse habeamus scire, nimirum in quo ponat Deus; quidquid enim à Deo positum fuerit in salutari, non poterit non salutem, & misericordiam pauperibus, & miseris peccatoribus halare. Si vel ipsa Dei ira scandens, in salutari, & benefico ponatur corde, mitescet statim, & totũ suũ robur in lenitudinẽ cõuersum instillabit. Fallor, si aliò spectãt illa D. Zenon. ser. de Fide, Spe, & Charitate, vbi ad charitatẽ loquutus, sic finiuit. *Recte Deus diceris, quia Trinitatis potentiam sola conuertis.* Adeò potens est diffusa in cordibus humanis charitas, adeo diuinas vires æmulatur, vt etsi tota Trinitatis potentia in peccatores armata sit, si tamen limen hominis charitate affecti tangat, statim in mansuetudinẽ, & misericordiã cõuertatur. Huic excogitationi adstipulatur id, quod Gen. 18. accidit, quando diuina Trinitas armata in Sodomitas, & valde irascẽs, adeò se conspicuã ostendit Abrahamo, vt dicatur de illo, quod *tres vidit, & vnum adorauit.* Ecce tibi Trinitas stragem Sodomitarum mente voluens, nihilq; potius meditans, quã ignẽ, sulphur, flãmas, accedit ad Abrahami domũ, ibiq; risum facit Saræ. Habrahamũ lætificat, & quod mireris magis, petenti misericordiam propter quinquaginta iustos, & propter viginti, & propter decẽ annuit, nullãq; misericordiam postulatã negauit. Vndè tã cito obliuiscaris, ô beata Trinitas iustissimæ iræ tuæ? Quò abijt armata tua potestas, furor ille tuus spirans sulphureas flãmas? Vbi limen viri misericordis Trinitas tangit, in dulcedines, & risus, & misericordiam cõuertit flãmas. Rup. lib. 6. c. 1. *Penes ipsa pierũ tabernacula, easdem indulget delicijs, & ridentibus pene arridens, atq; cõgaudens materiã, causamq; confirmat risus æterni.* Tota Trinitatis armata potestas conuertitur in dulcedinẽ, & pietatẽ, iuxta pij, & misericordis hominis tabernacula. Duraret ibi & pietas, & misericordia duraret. Vide lib. 1. c. 5. §. 8.

Zeno.

Genes. 18.

Rup.

§. IIII.

Multum prodest filiis, quod a strenuis parentibus gignantur. Vbi de gloria vnigeniti a Patre.

INSTAT cœcus iste clamoribus, qui multiplicati non aliud sonant, quã *fili Dauid, miserere mei*, quasi certo sperarec homo non potuisse parentis virtutes ad prolem non dilabi. Præexistens enim in genitore excellentia, & virtus merito speratur, quod in filios transeat. Ideo Dominus, qui misso verbo omnem creaturarum multitudinem perfecit, vbi ad hominem faciendum accedit, ait: *Faciamus hominem*, non verbo, non alteri tantum opus mandat, sed ipse Dominus per se ipsum accedit hominis genitor, & creator. Cur ipse per se ad hominem accedit gignendum? Creandus erat homo Dominus, & Rex creaturarum visibilium, ideò debebat habere genitorem non seruum, sed Dominum, vt a parente facilius, & citius imprimeretur proli virtus dominandi. Aiebat Tertul. lib. de Resurrect. carnis, aiens. *Merito igitur, vt famula iussu, & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerant. Contrà homo, vt Dominus eorum in hoc ab ipso Deo extructus est, vt Dominus esse posset, dum fit à Domino.* Dum genitor Dominus est, regalique fulget ingenio, vix fieri potest, quod filius regale genitoris ingeniũ non sapiat: quãdo paterna ingenuitas haud dubium, quin in filijs clareat. Id non illepidis similitudinibus ostendit Æsdras lib. 4. capit. 9. fatus. *Qualis ager, talia & semina; & quales flores, tales & tinctura: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis cultura.* Vndè quas in filijs Dominus requirebat virtutes, sapientissimè illas in parentibus seminabat, vt quæ inde maiori impetu deuenirent ad filios. Deuter. 18. petebat à Leuitis suis, vt omnibus sæculi bonis, & cognatis renuntiarent, quam virtutem, vt facilius ebiberint Leuitæ Genes. 12. sic ait ad eorũ satorẽ Abrahamum. *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Cur tanta virtus ab Abrahamo petitur? Ambros. de fuga, cap. 2. *Leuitæ relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo: denique & Abrahæ dictum est: Exi de terra tua, & de cognatione tua; sed forte dicat, Leuita non erat; sed habebat in lumbis suis Leui.* Et multum intererat Leuitis, quod in parente præexisterent tantæ virtutes, vt ad illos deuenirent. Vndè apud iuris prudentes viros illud merito decretum est, vt præsumatur filius esse eiusdem voluntatis, & affectus cum patre. De quo Tiraquellus l. 7. connub. num. 8. ex l. si operarum iudicio. D. de ope. lib. Nec minuit id filiorum gloriam; quippe qui virtutes adnatas potius, quam acquisitas habeant. Ideo diuini Præcursoris præcellentias narraturus Lucas capit. 2. sic ab eius parentibus inchoauit: *Erant ambo iusti.* Sed cur parentum virtutes narrantur ad filij commẽdationem? An non gloriosius est rosam à spinis nasci? Do commentatorem Chrysol. serm. 89. santẽ. *Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illustriũ virorũ parãt narrare virtutes,*

Tertul.

Æsdr. 4.

Genes. 12.

Ambros.

Luc. 2.

Chrysos.

auos, atauosque commemorant, vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam. Maior est innata gloria, quam quæsita, præcedit, quod venit ab origine, quod sequitur ex labore. Gloriam beatius est habere, quam quærere: hinc est, quod Euãgelista, vt extollat Ioannis gloriam, Zachariæ patris, Elizabeth matris genus dicit: Auos memorat, scribit merita. Decuit tantum virum non adscititiam, sed virtutem habere hæreditariam: quò respicit illud de Saluatore encomium, Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à patre.* Conspicua erat in Iesu gloria, quã non sudor pepererat; videbatur in illo super omnes creaturas diadema, ad quod nõ venit tritus calside crinis; & purpura, quæ non deposuit thoracem; & manus nullis vacuanda clauis, vt sceptrum tenere posit, sed totius paterni imperij hæres, & possessor videbatur ipse, cui non rapinæ regnum dederunt, sed regia dignitas adnata illum in prædas egit, vt suorum hostes penitus spoliaret. Nescio, an inde laudabat Diu. Synesius lib. de regno, gloriosiorem dignitatem Regis Theodorici, inquiens. *Non ab eisdem primordijs tibi, & parenti vita processit; huic militia regnum conciliauit: te ad militiæ laborem regia dignitas impellit.* Non conquisita, sed adnata gloria est præstantior, illud regnum gloriosius est, quod tecum adnatum te in prælia ducit, vt tuos à raptoribus tuearis, quã illud, ad quod te vocãt, & prædæ, & prælia mille. In quo extollebat Paulus ad Philipp. 4. Iesu gloriam, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, &c.* Non militia, non prædæ dignitatem, & diuinam gloriam Iesu compararunt, sed illum in prædæ laborem regia dignitas traxit.

Iob. 1.

Theodor.

Philip. 4.

§. V.

Summa virilaus sic hæreditariam dignitatem possidere, vt ad illam omnium etiam habeat suffragia.

VERE Iesus erat ille Dauidis filius, qui ab vniuersis sperabatur, quam hæreditariam dignitatem sic administrabat, vt etiam illiterati homines, qui rem ignorabant, illi sua præberent suffragia, vbique clamantes, Iesu fili Dauid. Merito Sydonius canebat in carmine 2. panegyr. ad Authemium Augustum:

Sydon. Paneg.

Soli tibi contulit vni
Hoc fortuna decus, quamquam te poscere ordo
Vt lectus Princeps mage, quam videare relectus.

Quippè magnum viri decus est, vt post iuris hæreditarij ordinem, sic trahat populorum suffragia, vt omnium acclamatione electus Princeps videatur fuisse. Quod in Principe nostro ostendebat sponsa Cant. 5. aiens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cur electus, & non potius hæres ipse inter omnes dicitur? Rebelles illi agricolæ Matth. 21. aiebant: *Hic est hæres*: Ioan. 1. simpliciter cernitur gloria eius, *quasi vnigeniti à patre*: si ergo regis filius est, si hæres naturali iure habetur, cur vocatur electus? Haud dubium quin hoc ille habuerit decus singularissimum, quo, etsi hæres, tamen omnium calculo, omnium acclamatione electus videatur. Huc refero acclamationes illas factas ab vniuersa creatura occiso agno, Apocal. 5. vbi sic. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem.* Sanè nihil illi attribuunt, quod ipse non habeat in se naturaliter; ipse enim, vt filius Dei est, habet, & virtutem, & diuinitatem, & sapientia est, & fortitudo, & honor, & gloria, & benedictio, sed sic omnibus his vtitur ad vtilitatem omnium, vt quod ipse est per se, videatur etiam esse de omnium creaturarum calculo, & suffragio.

Cant. 5.

Ioan. 1.

Apoc. 5.

Luc. 18. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam.

§. VI.

Vt magnes ferrum, sic diuinitas pauperes ad se trahit.

VBI mendico cœco appropinquauit, substitit Dominus, & iussit illum adduci ad se; non expectauit, vt ipse veniret, nec venientem excepit solum, sed maluit, vt adduceretur, & traheretur, vt ostenderet in diuinitate virtutem quandam præcipuam esse ad trahendos pauperes, sicut in magnete ad trahendum ferrum. Me in hanc mentem coniciunt verba Chrysolog. serm. 28. dicentis de

Deo

Deo. *Habentes ſuſcipit, & ad ſe attrahit non habentes.* Hoc propriſsimum eſt bonitatis diuinæ, quod vniuerſos ſuſcipiat; quod eos, qui ad ſe veniunt, non eijciat foras, ſed plenis charitate viſceribus admittat. Verum aliquid aliud peculiarius habet erga pauperes, hos etiam nõ venientes trahit, facitque, vt ad ſe adducantur. De pauperatis Iſraelis reliquijs ſic aiebat Dominus Ieremiæ 31. *Ideò attraxi te miſerans.* *Rurſus ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael: adhuc ornaberis, &c.* Se ſe mutuo inferunt miſeria humana, & attractio diuina: quippè ait Dominus: attraxi te miſerans; & hoc ad ſpoliatam ciuitatem, penituſque egentem, & nudam dicitur, quaſi diuina virtus illud peculiarius ſpectet, vt attrahat ad ſe pauperes, ſicut attrahit palleas ſuccinum, ſicut magnes ferrum attrahit, & ſibi arctiſsime iũgit. De multorum patrum ſententia Dauid pauperes ſpiritu contemplans ſequutos Chriſtum, in eiuſque glorias transformatos, ſic ait Pſalm. 140. *Abſorti ſunt iuncti petræ iudices eorum.* Magna equidem pauperum hominũ gloria, quod abſorta paupertate rapiantur ad ſedes iudicum; quod vbi omnes homines iudicandi cum timore, & tremore apparebunt, illi aſsideant iudici, ſimiliter facti iudices. Vnde hoc tantum munus obueniet pauperibus hominibus? Ipſe Pſalmus inſinuat verbis illis, nimirum, *iuncti petræ*, vbi diuina illa magnetis petra, Ieſus, appareat, neceſſum eſt, vt ad ſe rapiat, ſibique arctiſsime iũgat pauperes ſuos. Audite Diu. Bernard ſerm. 8. in Pſalm. qui habitat, vbi ſic fatur. *Iuncti, inquit, petræ, quã profectò ſolam, vt ſequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempè, hoc eſt, quod interroganti Petro, quid nam acceperi eſſent, petra ipſa reſpondit. Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes. Felix paupertas ſequentium te, Domine Ieſu. Felix plane, quæ tam ſeueros, imò tam glorioſos faciat in illo ſingulari elementorum fragore, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine iudiciorum.* Quis toto corde non amet paupertatem, etſi duram, etſi ferream, quam ſic diuinus magnes ad ſe rapit, ſibique vnit, & proprijs muneribus ditat? Quis non pauper eſſe velit, quando hi in tremenda diſcuſsione, petræ firmiſsimæ iunguntur, nectuntur? Sed vides aliquando à magnete diuino trahi, & pauperes, & diuites: Pſalm. 48. *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem: quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues, & pauper.* Ecce tibi, & vocatur, & trahitur à Deo, & diues, & pauper; verum notanda maximè eſt illa particula ibi poſita, nimirum, *ſimul in vnũ*, quaſi diues non per ſe trahatur, ſed per concomitantiam, prout eſt vnitus cũm pauperе. Ad verba Sacerdotis conſecrantis Corpus Chriſti venit, & trahitur totus Chriſtus, corpus & anima, imò & Pater, & Spiritus ſanctus, verum certum eſt ex vi verborũ ſolum corpus trahi, cætera trahuntur per concomitantiam, propter intimam vnionem, quam cum diuino illo corpore habent. Similiter ſi ferrea ſpicula infixa ſint ligneæ yirgæ; & ferrum, & lignum trahitur à magnete, tamen ex vi occulta, & peculiari magnetis, ſolum ferrum trahitur, lignum exconcomitantia, quod affixum ferrum habeat. Ita prorſus diues, quando trahitur à Deo, trahitur non per ſe, ſed per concomitantiam ex vi intimæ coniunctionis cum paupere qui pauper ſolus trahitur ex vi peculiaris affectus diuinitatis: adeò, vt ex attractione pauperum demonſtraret Tertul. Ieſu æternam cum patre diuinitatem. Matth. 5. orditur Dominus ſermonem, inquiens. *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum.* Primi in Ieſu ora veniunt pauperes, nempè, vt propinquiores Ieſu, vt illi magis in corde, magis familiares, magis præ manibus. Quod ſi ſcire cupis, vndè hic in Ieſum venit ad pauperes peculiaris affectus, non aliunde, quam ex conſubſtantialitate patris. Ita Tertul. lib. 4. in Marc. *Quid ergo mirum, ſi & ab affectibus Creatoris ingreſſus eſt per huiuſmodi dictionem, ſemper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos uſque diligentis, conſolantis, aſſerentis, vendicantis? Vt hanc Chriſti, quaſi priuatam benignitatem, riuulum credas de fontibus Saluatoris.* Adeò eſt priuata, & propria, & peculiaris Deo benignitas in pauperes, vt inde merito agnoſcatur diuinitas alicubi eſſe, ſi ad ſe trahat pauperes.

Ierе. 31.

Pſal. 140.

Bernard.

Pſalm. 48.

Matt. 5.

Tertull.

§. VII.

Perfectus Chriſti aſſecla nihil magis in optatis habet, quam videre Chriſtum, in quo ſalus, & vita.

DISCE homo, quid cupias, diſce quid inſatiabiliter eſurias, hoc nimirum eſuriendum nobis eſt, vt videamus Chriſtum. Si millies interrogatus fuero, quid cupiam, quid eſuriam, vnum hoc reſponſum mihi erit; Domine, vt videam; vt Ieſum aſpiciam, quo nũquam ſatiabor viſu. Hæc mihi cogitanti adeſt Petrus, qui dum poſt magiſtri reſurrectionẽ piſcationi operam daret, vt accepit Ieſum eſſe in maris littore, Ioan. 21. *Tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Non ſuſtinuit volantis nauigij moras, ſed periculoſo etiam compendio ſe tradens fluctibus feſtinauit

Ioan. 21.

nauit ipſe videre Chriſtum. Cur adeò curat videre Chriſtum, non ne antea viderat? Equidem antea viderat, & ſæpe viderat, nunquam tamen ſatiatur viſu, imò quò magis videt, eò minus parcit laboribus, parcit periculis, vt Ieſum videat. Diu. Ambroſ. in Luc. lib. 1. capit. 24. *Non contentus Petrus vidiſſe, quæ viderat, repetit intuenda: & quærendi Domini amore ſuccenſus, non ſatiatur videndo. Vidit ſolus, vidit cum vndecim, vidit cum Septuaginta, vidit, & quando Thomas credidit, vidit cum piſcaretur: ſed non vidiſſe contentus, impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, vbi Dominum vidit in littore, ſerum æſtimat, ſi cum cæteris nauigio perueniret.* Hoc vnicum eſt Petri deſiderium, nimirum, vt Ieſum videat; hac viſione viuit, quam vt habeat, contemnit ſecuritatem, amat pericula. Nec mireris ſic amari Chriſti aſpectum à Petro; quando, nec oculis percipi Ieſus poteſt, quin videntibus ſe præſentiſsimam ſalutem infundat. Luc. 19. *Ecce vir nomine Zacheus quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & præcurrens aſcendit in arborẽ ſycomorum, vt videret illum.* Amabat Ieſum videre, nondum Ieſum ſequi curabat, nondum à Ieſu ſanari cupiebat, ſed eo ſolum contentus erat, ſi videret. Optata complet. Ieſum videt, quis eius felicitates inde ortas numeret? Diu. Laurentius Nouarienſis hom. de Penitẽtia, inquit. Aſcendit feſtinus arborem, & vidit. *Quid vidit? Saluatorem ſæculi. Bene feſtinauit, optimè aſcendit: qui dum auidus cupit videre Saluatorem, ſalutem ipſam, quam ignorabat, inuenit.* Dum Ieſum videt, oculis haurit ſalutem: nec quis adeò improbus, cui Saluatoris viſio non proficiat: vt ſapienter dicat D. Ambroſ. lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 3. *Improbus quiſque Redemptorem ſuum, dum ſuſcipit frequenter, imitatur. Certè veneratur, plerumque etiam diligit.* Nec nouum tibi erit, quod Saluatoris viſio adeò ſit ſalutaris, quando ſponſa etiam ab aliorum oculis videntibus Ieſum, ſibi ſperabat ſalutem. Etenim ait Cant. 3. *Numquid, quem diligit anima mea, vidiſtis?* Non ſolũ cupit noſcere, an de illo audierint, an ſciuerint, ſed hoc petit enixe, an viderint? Gilliber tus Abb. ſerm. 6. in Cant. *De viſione illorum ſe viſuram præſumit; ideò diligenter inueſtigat cuſtodum viſionem, eorum ſperans alloquio dulcioribus affici.* Sic implentur dulcedine oculi videntes Chriſtum, vt etiam alijs poſsint ſufficere; vt fieri nequeat, quin ex oculis, qui viderunt Ieſum, mille ſalutis guſtus ad alios nõ proſiliant.

Ambroſ. *Luc. 19.* *Laurent.* *Ambr.* *Cant. 3.* *Gillib.*

Luc. 18. Et Ieſus dicit illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum.

§. VIII.

Illuminatio oculorum, & Dei ſequela connexa ſint.

ECCE obtenti viſus eũidens ſignum; *Vidit, & ſequebatur illum*: naſcitur equidẽ ab illuminatis oculis Dei ſequela, vt præclare dicat Diu. Euſeb. Emiſ. *Cæci non ſequuntur Ieſum; illi eum ſequuntur, qui illuminati ſunt.* Cœcus eſt quiſquis non ſequitur Chriſtum, quem ſequi ſolus deſinit ille, qui denſa tenetur tenebrarum caligine. Simul concurrunt, & illuminatio oculorum, & Chriſti ſequela, imò illi illuminantur oculi, vt videat, qui ſe ſe Chriſto ſequendo committit. Magna oculorũ præmebatur caligine, & velamine Moyſes, quando clamabat: *Oſtende mihi faciem tuã.* Cui Dominus reſpondit Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum, ponam te in foramine petræ; cũ per tranſierit gloria mea, poſteriora mea videbis.* Ipſe cupit illuminari, vt faciem videat, & dãtur illi videnda poſteriora. Cur videnda poſteriora dantur cupienti videre faciem, niſi, quia quò clarius cernimus, eò alacrius currimus poſt Deum? Sunt equidem maximè inter ſe cõnexa illuminatio oculorum, & Dei ſequela. Ad Hæc Diu. Gregor. Nyſſen. hom. 12. in Cant. *Is, qui videre Deum cupit, deſiderij compos ſit ſemper ſequendo; & diuinæ facici contemplatio eſt ad Deum nunquam interrupta progreſsio, quæ tunc demum nobis præclare ſuccedit, cum verbum à tergo ſequimur.* Tandiu illuminaris, vt videas, quamdiu ſequeris Deum; non tibi deficient lumina, dum non deficiat in te Dei ſequela. Ioan. 8. aiebat Dominus: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Lucem ſe vocat mundi, & merito, quãdo cœcos nouit illuminare, quando cœcorum lumina emortua reaccendit. Sed quæ lux iſta eſt? Lux, quæ nunquam deſerit ſequentes, quæ æternùm comitatur illos, qui à diuina ſequela non deflectunt. Hinc pulchrè Diu. Auguſt. tract. 34. in Ioan. iuſtitiæ Solem, cum mundi Sole componit; cuius verba ſic à Diu. Thom. in Catena concinnantur. *Sequere iſtum ſolem viſibilem, ſi ipſe tendis ab Oriente in Occidentem, quo & ille tendit, etſi nolueris tu illum deſerere, ipſe te deſeret in occaſu. Deus tuus vbique eſt totus, ſi non*

Euſeb. *Exod. 33.* *Gregor.* *D. Thom.*

ab

ab illo faciat casum, nunquam à te ille faciet occasum. Qui enim, inquit, me sequitur, non ambulat in tenebris. Fugat tenebras sequela Christi: nec vllus potest gloriari de illuminatione vultus sui, de claritate oculorum suorum, nisi qui se totum tradit sequendo Christo. Vnde illius amatrix, Cant. 1. enixe cõtendebat: Trahe me post te. Non antea faciem petit sibi ostendi, quam terga, noscens visum sine sequela non consistere; quia ille tenebras exerit, qui sequitur Iesum: adeò, vt dicat D. Bernard. serm. 21. in Cantica. *Dilecta tua Domine, relictis omnibus propter te, concupiscit semper ire post te, semper tuis inhærere vestigijs; ac sequi te, quocumque ieris, sciens quoniam viæ tuæ pulchræ, & semitæ tuæ pacificæ: & quia, qui sequitur te, non ambulat in tenebris.* Expende illud, *semper, & semper*, bis repetitum: interrupta enim post Deum progressio lucem conseruat, quæ à tenebris obseruetur, vbi desinas ire post Christum. Quippè moneris, Ioan. 12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Sunt tenebræ in procinctu, & instant, vt quasi ruptis carceribus suffundant illum, in quo videant minimè profici sequelam Christi. Apud Isaiam 59. dicebant illi: *Palpauimus, sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus; impegimus meridie, quasi in tenebris, in caliginosis, quasi mortui.* Vndè tanta cæcitas venit Dei populo? Iam ipse Propheta reddit rationem, vt notat Hieronym. *Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus: peccare, & mentiri contra Dominum: & auersi sumus, ne irentus post tergum Dei.* Merito cœci, merito caliginosis nubilis obuoluti, qui cessant ire post tergum Dei.

Bernard. Ioan. 12. Isaia. 59. Hieron.

CAPVT QVINTVM.

De Reguli filio sanato.

QVISPIAM Regulus, seu regius ipse sanguine esset, seu palatinus officio, Domino flebiliter supplicabat, vt ægrum morientis filij releuaret incommodum, animamque iam agentis ardentem febrim reprimeret. Tunc, qui credenti nil denegat, nec donum dilatione suspendit, plenam puero suspiratem concessit, dum inquit. Vade, filius tuus viuit. Quam imperiosa Domini potestas est, quãque magnifica, non victurum annuit, sed iam viuere designauit.

Ioan. 4. Erat quidam Rugulus, cuius filius infirmatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius; incipiebat enim mori.

§. I.

Solus Iesus nullis parcit impensis, & laboribus propter salutem, & commodum suorum.

A Iudæa in Galilæam venienti Christo occurrit Regulus pro filio precaturus, qui etsi filium amabat; non tamen decreuerat pro illo Iudæam petere. Nemo est, qui vel in impensarum dimidio non sistat, nisi Christus. Mundialis ille, & prodigus Rex Herodes amatæ puellæ, & tunc denuo placenti pollicetur, Marc. 6. *Quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Vndè carpit Chrysolog. ser. 173. parca mundialium dona, dicens. *Ingratus, inhumanus Rex, qui virtuti tantæ, tam glorioso labori, tam memorabili facto non totum suum regnum, sed dimidium dedit.* Non is est mundialis spiritus, qui omnia, quæ potest, faciat etiam pro dilectissimis. Sed nec legalis cultura tantum affectum inseruit suis sequacibus, vt vltrà parua aliqua velint facere, pro salute. Etenim singuli, Exod. cap. 30. iubebantur offerre, *dimidium didrachma*, hoc est, teste Hieronymo, *dimidiũ sicli.* Cur dimidiũ? Ambr. ep. 1. *Vix enim in Iudæo, vel portio deuotionis poterat inuestigari.* Nõ prophanus, nõ lex, non parẽs pro salute dilectissimi filij omniũ, quę potest, dimidiũ efficiet; vnus Christi spiritus, vbi salutem elaborare incipit, non sistit in dimidio, sed pergit vsq; in absolutissimum finem. Elegantissimè D. Iacobus in Can. c. 5. hanc Christi ab omnibus differentiam proponit, his verbis. *Sufferentiam Iob audistis, finem Domini vidistis.* In Iob enim sufferentiæ enituit singulare exemplum, sed tota Iobi patiẽtia habuit pugnam, à qua cessauit vel in congressuũ dimidio, cũ iterũ bona amissa reciperet, cũ nunquã sine limitatione traderetur Sathanæ potestati: Christi autem patientia, & tolerantia pro dilectorum salute, in finem dilexit

Mat. 6. Chrysol. Exod. 30. Hieron. Ambros. Iacob. 5.

lexit eos, non ãtea ceſſauit, quãm conſummaret omnia, quæ ſaluti eſſent proficua.
Guarric. Guarr. Abb. ſerm. 3. in Ramis. *Sufferentia Iob fuit vſque ad redditum ſubſtantiæ, ſufferentia Domini vſque ad exitum vitæ, qui in extrema, atque grauiſſima finem ſortitus eſt calamitate.* Nemo ad potentiæ vltimum peruenit in ſuſcipiendis laboribus pro ſuis, niſi Chriſtus: vnus Ieſus nullis parcit impenſis, ſed ſe totum impendit, ſe totum pro hominibus effundit.
Ioan. 13. Pulchrè aiebat Ioann. cap. 13. de Ieſu: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Non incepit, & deſtitit, non paruis contentus eſt, ſed nihil nõ fecit, quod noſtræ poſſet proficere ſaluti: etiã ſi à paterna ſede peregrinandum eſſet, etiamſi longum, & Deo incognitum pro nobis mortis ſuſcipiendum iter. Bene Rupert. lib. 11. ait.
Rup. *Quem vſque in finem dilexit ſuos? Sic vſque iam dilexerat eos, vt de cælo ad terram deſcenderit propter eos, & vt, qui erat Deus inuiſibilis in ſinu patris, homo viſibilis de ventre famineo factus fuerat. Sed non erat conſumata iſta dilectio. Nihil enim ſuis profuiſſet, quod homo fuerat factus, ſi non pro illis etiam pateretur. Igitur, & vt oportebat, in finem dilexit eos, id eſt, dilectionem ergà illos eo vſque perfecit, vltra quod non poſſet augeri, videlicet, vt animam ſuam poneret pro illis.* Sic nouit Ieſus diligere ſuos, vt omnibus vijs, omnibus impenſis, eorum vellet comparare ſalutem, quin labori pareceret vlli. Stupebam ſic homines à Ieſu amatos, vt vſq; ad crucis mortem veniret, dum quæreret illos, ſed cum video cœleſtem illum theſaurum à cruce depoſitum terræ mandari, longè maiorem admirationem ſuſtineo. Cur amantiſsime Ieſu, vis nigro claudi ſepulchro? Cum latronibus moreris in cruce, ſufficiat id, rectè operatus es noſtram ſalutem per lignum, cur cum fœtentibus peccatorum cadaueribus vis ſepeliri? Non ne impletum eſt paternum præceptum in cruce? Sic ait Paul. ad Philipp. 4.
Philip. 4. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* In crucis morte abſoluitur, & obedientiæ, & noſtræ ſalutis opus, cur adhuc vadis ad ſepulchrum?
Chryſol. Eleganter Chryſolog. ſerm. 59. *Crucifixus eſt Ieſus. Vt quia per lignum mors vexerat, rediret vita per lignum. Et ſepultus eſt. Vt officia tota mortis impleret.* Expende illud, *officia tota mortis*; quaſi enim integratur mors, & completur doloribus, exhalatione animæ, corporis ſepultura. Vndè Ieſus, qui ſe morti pro nobis tradidit, nihil mortis voluit dimittere, ſed & poſt crucem, ſepulturam accepit, ne dimidiaret, ſed tota mortis impleret officia.

§. 11.

Regnum Chriſti ſinguli poſſidebunt appropinquantes Chriſto, nec inde minus in multis.

NVNQVAM aut rarò apud Hebræos regulus quis nominabatur, quare nõ vana ſuſpicio eſt Regulũ hunc eo myſterio vocari, vt regnũ innuat omniũ appropinquantiũ ad Chriſtum. Equidem, vbi Chriſtus in regno ſuo parebit, quis non Rex illi appropinquabit? Ad hæc ſcienter Orig. in Cat. *Filium Reguli ad mortem pene deductum ſuſcitat, id eſt, populum Iudæorum, qui accedet ſaluandus in fine. Magnus autẽ Rex regũ, qui conſtitutus à Deo eſt in monte Sion ſancto eius: huius, qui viderũt diem, & gauiſi ſunt, Reguli dignoſcuntur.* Ecce tibi, vbi Chriſtus Rex conſtitutus appareret, ſimiliter de eius regno omnes approximantes Reguli cognomen, & ſplendorem ſortiuntur. Tandiu non es Rex, quãdiu non approximas Chriſto: vbi ei approximaueris, nihil citius, quam regium ſplendorem videberis conſequutus. Æſdras lib. 4. cap. 2. poſt incredibilis multitudinis viſionem, ait. *Et in medio eorum erat iuuenis ſtatura celſus, eminentior omnibus illis, & ſingulis eorũ capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: cũq; interrogaret, qui viſionẽ videbat, Angelũ: Ille iuuenis quis eſt, qui eis coronas imponit, & palmas in manibus tradit? Reſponſum accepit ab Angelo: Ipſe eſt filius Dei, quẽ in ſæculo confeſsi ſunt.* Quotquot Chriſto Dño appropinquant, coronas accipiũt, ſub regio ſplẽdore refulgent. Nullus Ieſu aderit, cui deſit regiũ ſedile, dicebat ille apud Lucã 12.
Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Non ſolũ magnis, ſed & puſillis venit regnum à Chriſto, vt eleganter dicat Chryſol. ſer. 23. *O bonitas effuſa, ô inaudita pietas, ô ineffabilis affectio, in ſocietate cenſus paſtor oues aſſumit, atq; ad cõſortiũ dominationis ſeruos Dominus adſciſcit; ad participiũ regni Rex gregem populi totius admittit: ſic dat, cui deſcere cenſus non poteſt, cui regnum minui, cui vacuari poteſtas non poteſt largiendo.* Infelix eſt, qui tanto regi non approximat, vt Rex ſit; ſic enim regale occupat ſolium Ieſus, vt omnes accedentes reges afficiat, nec inde regnum minuat. Quam magnus, quam ſublimis Rex eſt, quem dum cernis, dum ſuſcipis, Rex efficeris. Matth. 13.
Matth. 13. *Fulgebunt iuſti, ſicut Sol in regno patris eorum.* Non ſolum alia erit claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum, hoc eſt, alius erit ſplendor Regis, alius Principum, alius popularium, ſed, & & ſtellæ ſolaribus fulgebunt radijs, & populares

res infimi regali pārebūnt āmicti. Vndè Grę-
Nico. Cab. cus auctor Nicolaus Cabasila lib. 6. de vita in Christo fatur. *Quale spectaculum innumerabilis multitudo luminum supra nubes, homines sublime elati, & volantes, celebritas, cuius nullum extat exemplum: populus deorum circundans Deum non inuidentem illis splendoris communionem, nec arbitrantem gloriam suam imminutum iri, si multos regni sui socios admittat.* Itaque quot apud iustitiæ Solem erunt homines, tot Soles visentur; apud increatum lumen tot lumina: quot apud Deum, tot dij: quot apud cœlestem regem, tot reges: nec ideò in singulis regnum minus. Quippè
Luc. 15. Lucæ 15. dum maior filius quæreretur de iuniori adscito ad paternas sedes, tale à patre responsum sustinuit. *Fili, tu semper mecum es, omnia mea tua sunt.* Qui enim apud Deum manet, nihil amittit omnium, quæ in Deo sunt;
Beda. omnia Dei bona, & titulos, & res ipsas habet, quantumuis plurimi sint, qui ad eadem debeant admitti. Pulchrè Beda ait. *Quomodo possunt esse omnia maioris, si habeat ibi etiã iunior partem suam? Sic enim à perfectis, & purgatis, & iam immortalibus filijs habentur omnia, vt sint omnium singula, & omnia singulorum.* Non minuitur Dei regnum, eo quod habeatur â pluribus.

Tex. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.

§. III.

Nouatorum leuitas Christo Domino odiosa valde est, qui de nouis mutationibus gaudent.

NON quia visis miraculis credunt, reprehenduntur Iudæi, sed quia reiectis visitationibus, & communionibus discendæ veritatis vijs, nouis prodigijs, insperatis mutationibus instent. Adeò enim leuitas, & inconstantia suspecta, & inuisa est Christo Domino, vt illi ex hoc capite minus placeant etiam miracula diuina, quod nouas, & peregrinas mutationes efficiant. Id quod in præsenti ponderat Diu. Augustin. citatus à cat. Diu.
D. Thom. Thom. dum inquit. *Adeò autem Dominus supra omnia mutabilia vult mentem credentis attollere, vt neque ipsa miracula, quæ quamuis diuinitus de mutabilitate fiunt, à fidelibus quæri velit.* Diuinitus equidem fiebant miracula Christi, & quamuis inde placere poterant Iesu, quatenus Patris erant opera, paternaque patrabantur virtute, nihilominus, quia per illa nouæ mutationes apparebant, inde minus placebant, qui flagitabant illa. Nunquam enim leuis nouitas potuit placere Christo, qui visitationibus semper studuit. Mirabar ego, quod Magdalenæ obsequium vngentis & Iesu pedes, & caput pretioso vnguento, potuisset placere Iesu, qui adeò aspernabatur, & aspernari docebat humanas delicias. Vndè puluerulento, & lacertoso duci placuit mollicies vnguenti? Placuit equidem non de mollitie, sed de communiori vsu gentis. Hæc dum meditor, incidi in D. Petri Damiani epist. 106. vbi sic monebat. *Ne peregrinæ adinuentionis studeas super inducere nouitatem. Nam & ipse, qui est magister Angelorum in cœlo, morem in terra tenuit, quem inuenit, nec dedignatus est terrenam seruare cõsuetudinem. Nam, cur sibi caput, ac pedes vnguento conspergi, muliebri ministerio, passus est, nisi quia Palestinæ, atque Iudaicæ regionis mos erat, vt eius accolæ crebrius vngerentur?* Sic amabat veterum vsibus adhærere, sic respuebat peregrinas nouitates. Et quidem nunquã mobile vulgus hominum in Iesu habuit alicuius nouitatis inducendæ fundamentum, nihil in illo viderant, quod non veterum mores oleret: ideò si vulgarium opiniones spectes, de Iesu habes apud Matth. 16. *Alij Ioãnem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Nemo in Iesu cernebat, quid non permanens, non veterum moribus confirmatum, quando ipsi omnis leuiter introducta nouitas vehemẽter displicebat. Hinc Tertul. lib. 4. in Marc. fatur. *Nullum Deum nouum à Christo probatum illa etiam opinio declarauit, quia Christum Iesum alij Ioãnem, alij Eliam, alij vnum ex veteribus Prophetis asseuerabant.* Alienum prorsus est à verò Deo, quidquid mutationem, quidquid nouitatem sapit: vndè, qui irridebant Paulo Actorum 17. dicebant. *Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator*; vbi verti etiam potuisset, vt notat Vatablus, *nouorum deorum*, sed prudentissimè nostra editio, *dæmoniorum*, vertere maluit, quia leuis nouitas inimica est semper veræ diuinitatis, & prauorum spirituum affecla.

Matth. 16.

Tertull.

Act. 17.

§. IIII.

Stultissimum in periculo mortis de alio cogitare, quam de iudicio futuro.

EX-

EXPROBAT Dominus paruam Reguli fidem, quando iam filio animam agente, totus est in remedijs corporis adhibendis, nihil solicitus de iudicio, quod filio imminebat. Huc refero, *nisi signa, & prodigia videritis non creditis*, quasi dicat, vbi est fidelium fides de morientibus? Quando aderit de iudicio solicitudo? Non, credo, memineritis illius examinis, donec illius signa, & *Anſel.* prodigia percipiatis sensu. Ita Anselm. in præsenti: *Non creditis iudicium futurum securitate torpes, nisi mirabilibus excitemini.* Verè miseri homines, dum patentibus signis non mouentur, nil curant iudicium futurum, sed pene in ipso tribunalis seueri limine solum *Iacob. 5.* agunt de augendis bonis huius vitæ. Hos spectabat Iacobus in Canonica cap. 5. vbi post multa diuitibus annuntiata, illorum causam subijcit, dicens. *Thesaurizastis vobis iram in* *Saluian.* *nouissimis diebus.* D. Saluianus lib. 1. ad Ecclesias, solum legit: *Thesaurizastis in nouissimis diebus*: quasi tota causa ruinæ hæc sit, quod instante morte totus occuperis in bonis huius vitæ, nil curans futura. Quippè ait. *Thesaurizastis, inquit, in nouissimis diebus: ac per hoc duplex, & cupiditatis noxa est, & infidelitatis; quia Thesauros, quos crimen vtique fuit, & alio tempore concupiscere, maius absque dubio, crimen per infidelitatem est, etiam in mundi fine cumulare.* Magna equidem noxa est, vbi vitæ finis instat in ipso pene mortis limine, nihil futurum metuere, sed adhuc vitæ bonis, & tẽporali saluti inhiare. Quam felicius nobilem latronem in cruce agentem, inter cruciatus, inter dolores mortis, non leuaminis cura, sed vna de iudicio solicitudo pungebat. Qua Saluatorem adiens, non incolumitatem temporalem petit, non dolorum, & cruciatuum expulsionem, sed omnia obliuiscens, ait. *Domine memẽto mei, dum veneris in regnum tuum.* Quæ verba notans Diu. Augustin. serm. 119. *Quam cito eum repleuit Spiritus sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse, quod sentit; grauius tamen intelligit esse, quod metuit.* Plenus doloribus, in cruce positus, sic vẽturi examinis metu afficiebatur, vt nil aliud quærere, nec dum cogitare poterat. Non ad corporis liberationem, nec ad dolorum imminutionem attendit, vnum solum respiciebat inter dolores, inter mortis pericula, nimirum, iudicium imminens, de hoc interpellabat, propter hoc Iesum conueniebat, cætera parui pendens. Docuit hoc suos Dominus cum morti vicinus. *Luc. 22.* Lucæ 22. *Factus in agonia prolixus orabat.* Et quid tanto tremore, tam ingenti agonia Dominus oraret? Quæ res tantum Dominum mærore afficit? Equidem agnus innocens tot iudicibus, tot tribunalibus sistendus horrore, tremoreque suffunditur, ostendens, quæ debeat esse anxietas suorum in mortis articulo, nimirum, quod sistẽdi sunt ante seueriſsimi iudicis tribunalia. Diu. Gregor. lib. 24. in Iob. cap. 17. *Quid pro se ille cũ in agonia esset,* *Gregor.* *peteret, qui in terra positus cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mẽtis in se certamen expressit: qui vim quamdam terroris, ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Crescit pauor vicina retributione iustitiæ, & vrgente solutione carnis: quanto magis districtum iudicium iam iamque quasi tangitur; tanto vehementius formidatur.* Ecce tibi iustorum solicitudo, & cura in mortis articulo, non de alio, quam de imminenti iudicio, propter hoc, & metus, & angor, & sudor, & anxietas, & vota, & orationes, & solicitudo, cætera omnia ad vitæ commoditates pertinentia obliuioni funditus dantur.

Tex. Dicit ei Regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus.

§. V.

Descensus Christi post mortem maximè metuendus: & ideo præcauendus.

QVAM prudenter Regulus hic prostratus contendit, vt descendat Iesus antequam moriatur filius; descendit vtique Iesus ad vniuersos homines in mortis momento, vt iudex seueriſsimus, vt duriſsimus iniquitatum vindex. Quem descensum notans Isaias *Isai. 13.* capit. 13. ait. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinẽ, & peccatores eius conterendos de ea.* Hic est habitus, hæc facies Iesu venientis ad iudicium post mortem; facies spirantis minas, indignationis, furorisque plena. Damnabiliter ergo peccator non timet sibi à Iesu post mortem veniente, nec illi ante mortem curat prosterni. Amos capit. 5. *Væ* *Amos.* *desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* Loquitur Propheta de die extrema, in qua iudicium fiet de homine; & dignum asserit lamentatione illum, qui hanc diem spectat, illamque desideranter præstolatur. Cur non desideremus hanc diem? Non ne illa est vox Pauli ad Philipp. 1. *Cupio dissolui, & esse cum* *Ad Phil.* *Chri-*

Christo? Sanè, cui postrato, & subiecto Christus ante mortem descenderat, nō miror, quod etiam post mortem veniat desiderabilis. Ille miser, & maximè lamentandus, qui ante mortem Christum non curans post mortem venturum Christum expectat, vt sub iudicis seueri experientia clamet. Hic fugiens leonem sciētem misereri subiectis, & prostratis, incurrit vrsum misericordiam prorsus ignorantem; vt dicit ille, lib. 3. de tristibus, elegia 5.

Corpora magnanimo satis est prostrare leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet,
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi.

Est leo Dominus in primo aduentu, vt placet Ruperto in præsenti, qui prostratis per pœnitentiam parcit, & dat locum, vt effugiant irā; in secundo aduentu est vrsus morientibus instans, nescientes, iam tunc misereri, & omne effugij ostium intercludens. Felix, qui antequam finiatur vita tua, ad Christū curris, illique prostratus pectora tundis, gemitus emittis pœnitentiæ: & maximè miserabilis est ille homo peccator, qui intrepidus omnia momēto mortis remittit, expectans mali annūntiati experientiam, quando iam nulla spes misericordiæ restat, sed abeunte leone, vrsus venit misereri nescius. Pulchrè Theodoret. ad verba Amos, fatur. *Qui prophetiæ finem videre expetunt, nihil differunt ab homine, qui cum leonem impetentem effugisset, mox in vrsum incurrit: nā quemadmodum ille tenebras, & non lucis splēdorem in illa die videt: sic isti altissimis tenebris in illa die vltionis tradentur.* Quomodo non miser, qui leonem, quem humilitate posset delinire, nactus, mauult expectare vrsum, quē audit alienum ab omni misericordia? Quomodo non miserior, qui valens Christum misericordem ante mortem trahere, audiens seueritatem iudicis, calamitatis postremę horæ mauult expectare finem, vt de annuntiati mali experientia clamet? Eu clamor irritus? Eu clamor æterna lamentatione continuus. Ionæ cap. 3. dicitur ad Niniuitas: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Quid tunc factū est? *Et peruenit verbū ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Audit euersionem, & mortem nuntiare post quadraginta dies, & statim pœnitentiæ dat operam. D. Basil. Seleu. orat. 12. *Quid ergo? Prophetiam sperauit? Et surrexit, inquit, de loco, & indutus est sacco.* Non equidem expectat calamitatis diem, non expectat prophetiæ finem, vt qui maluit cum leone, quam cum vrso confligere; qui maluit ad Deum clamare quando illum humilitate, & pœnitentia flectere posset, quando adhuc erat locus effugij, quam vbi iā sub mali experientia, & completa diei malitia omnes conatus, & lacrymæ essent irritæ. Benè monebat Iob cap. 35. *Iudicare coram Domino, & expecta eum.* Quasi vellet, vt quisque aduersus se ipsum iudicium exerceat, se mulctet, & castiget, ante quam Dominus in morte veniat. D. Gregor. lib. 25. in Iob, cap. 6. *Coram Domino iudicatur, qui corde Dominum conspicit, & actus suos sub eius præsentia sollicita inquisitione discernit. Quem tanto quis securior expectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit: non iam coram illo, sed ab illo iudicatur.*

Theodor. *Ion. 3.* *Basil. Sel.* *Iob 35.* *D. Gregor.*

Text. Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.

§. VI.

Tunc filii incolumitatem, & vitam pater procurat, cum illum in Deo sperare docet.

QVi Iesum conuenerat pater pro filij sui rogans vita; iubetur ad filium redire de eius certus salute; nūquam enim pater certius vitam filij sui procurat, & incolumitatē, quam si ad Deū accedat, illique doceat astare filiū. Cur non viuat filius, cuius pater Deo astitit, illique omnia filij commisit? Vtinam parentes hac angerentur cura, vt Deum filijs suis conquirerent, hoc vno illorum incolumitatem, & vitam æternum stabilirent. Psalm. 77. *Quanta mandauit patribus nostris notaface re ea filijs suis; vt cognoscat generatio altera. Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Ecce vobis, quod mandata dedit Dominus patribus pro filijs: nimirum, vt ponant in Deo spem suam, hoc vnum si pater filio prouideat suo, illi omnia prouidit, & substantiam, & incolumitatem, & vitam. Pulchrè Saluian. lib. 1. ad Eccles. fatur. *Videtis, quas parari opes à parentibus, filijs Deus iubeat; non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo saccos, non superbas, ac præeminentes excelsis vrbibus domos, nō supra humanos visus ellata culmina, nec inserta nubibus aereo habitatore fastigia: non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui cōsortes pati indignū asliment, & vicinitatem iniuriā putent. Nō ergo hæc Deus præcipit, nec inseruilia terrenæ procurationis officia, curā patriæ pietatis extendit. Pauca sunt, quæ mādat, sed salutaria, scripto breuia, sed beatitudine sempiterna: vt ponāt, scilicet, in Deo spem suā, & mandata eius exquirant. Cum enim Deus viuorū sit, nec mortuorum, vt ille illa parari filijs iusserit, per quæ in æternū viuerent, nō per quæ in æternitate morerentur.* Hucusque Saluianus, quibus

Psalm. 77. *Salu.*

aliquid decerpsisse piaculum esset: non enim melius depingi potest, vndè patres filijs suis hauriant incolumitatem, & vitam. Ille pater nouit filium in felicitate æternare, qui nouit illum Deo credere, de Deoque fidei committere. Non ne hinc Abraham æternauit filium dilectissimum? Is de mandato Dei, quem victurum credebat, iugulaturus filium; vbi ad necem properat, interrogatus de victima, inquit Genes. 22. *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Quem morti destinat, non vetetur vocare filium, nec superuicturum putat: scit enim à paterna in Deum fide, & deuotione, quasi necessario venire in filios incolumitatem, & vitam. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 8. *Deuotionis minister vocare filium frequenter non timet: hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum indicabat filium, si eum immolaret Deo.* Equidem à paterno fidei, & deuotionis exemplo vita, & incolumitas filiorum sumit auspicium: se, & filium pater Deo credat, & filius felix inter ipsas mortes viuit. Non aliò spectò, quàm ad ipsius Abrahami facinus, cuius à gladio fideli exurgit tota filij felicitas. Sed accipite D. Zenonem, ser. de Patientia, dicentem. *Quid hoc est? Ecce parricida incruentus redit, & qui immolatus est, viuit. Ambo sibi gloriæ: ambo sibi charitatis exemplum. Felix orbis fuerat, fratres, si omnes sic fierent parricidæ.* Et quidem si omnes patres Abrahami fidem, & spem haberent, quam proponerent filijs, qua Deo filios crederent, pignoribus repleretur orbis felicibus.

Genes. 22. Ambr. D. Zen.

Text. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.

§. VII.

Christi fides hominis regium splendorem instaurat.

NON iam dicitur Regulus, sed homo, qùia vbi Christi imbuitur fide, diminuti regni exuit appellationem, & pristini hominis regni incipit plenam gloriam expectare. Pro quo stat D. Anselmi excogitatio, qui Reguli appellationem expendens, sic fatur. *Hominem ad excellentissimi regis imaginem factum, dum bene se rexit, regem fuisse, quis dubitet? Regnum istius regis, paradisus Dei fuit, in quo rex, & Dominus, vt dominaretur, ac præesset bestijs, & piscibus, tamquam rex in solio collocatus est: In eo autem, quod amisit, rex esse desijt: in eo autè, quod præceteris animalibus sibi relictum est, tamquam Regulus vicitauit.* Eu miseram hominis conditionem! A regno lapsus est, & vacuati regni appellationem subijt, dū Regulus appellatur. Ecce tamen modo reiecta Reguli appellatione, dicitur, credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus: Cur nō potius credidit Regulus? Cur relicto Regulo homo credidisse notatur? A saluatoris fide desijt Regulus, & homo suā pristinam recuperat regis dignitatem. Huc spectat Eusebius Emiss. in præsenti fatus. *Iam non regulus; sed rex iste dicendus est. Regulus erat quando venit, sed rex plenus fide recedit.* Sic fides Christi diminuti regni replet dignitatē, regiumque hominis splēdorē restaurat. Vbicūque fides sedem fixerit, ibi totā regalis decoris puta inesse amplitudinē. Sic enim ad fideles suos dicebat Dominus, Luc. 17. *Regnū Dei intra vos est:* nascitur equidem humanis cordibus, siue potius renascitur regia dignitas, regius splendor, cęlestiū principū nō absimilis; quem regiū splendorē non natura seminat in nobis, sed superseminat fides. Vndè eleganter Chrysol. serm. 71. ait. *Et vbi est illud: Regnū cælorū intra vos est? Intra nos est fide.* De fidei beneficio habemus, quod intrinsecus reges simus, nō vt mundiales principes, quorū regnū extrinsecus est, sed vt cœlestes reges, quibus principatus nascitur ab intrinseco. Hoc nobis regnū iam promittebatur in omnium fideliū patre Abrahamo, Gen. 17. vbi sic. *Et ponam te in gentibus, regesque à te egredientur.* Qui reges ab Abrahamo egrediūtur? Rup. lib. 5. in Gen. c. 29. ait. *Reges hic rectè accipiuntur, qui apud Deū pro fidei merito reges sunt.* Operosa est Dei fides, Domini adauget familiam, gentes multiplicat, & singulorum animis regnū indit. O quantū valet fides ad suscitandū regnū in hominibus? De fideli populo locutus Dominus ad spōsam, Cāt. 6. inquit: *Comæ capitis tui sicut purpura regis.* Nihil in fidelium Ecclesia adeò exile, adeò minimū, quod regio splendore nō fulgeat: vel capillus minimus totā regiā dignitatē imbibit. Hæc verba sic explanat Chald. *Pauperes populi futurū est, vt induantur purpura, propter meritū Abrahæ, quem regē cōstituit ab initio.* Nescit stagnari fidei purpura, vbi Abrahamū inficit, ad minimum eius filium vsque trāsmittitur; quis filius Abrahæ, quis Abrahæ fidem hæreditauit, etsi pauper, etsi hūmilis, etsi vilis, & non regio splendore Dei oculis nitet? Huc spectabat ipse Dominus apud Isaiam, cap. 13. locutus. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, & gentium congregatarum.* Expendo illud, *vox multitudinis in montibus, &c.* Quibus verbis putat Basil. significari numerosam multitudinem vnde-

Anselm. Euseb. Luc. 17. Chrysostom. Genes. 17. Rupert. Cantic. 6. Cald. Isai. 13.

vnde vis gentium congregatam, & eiusdem fidei vocem vnam depromentium. Sed qualis hæc multitudo? An multitudo vulgaris, & ignobilis? Absit: erat enim *vox regum, & gentium congregatarum.* Quippe vbi fides tonabat, nõ poterant regij splendores nõ effulgere.

Text. Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit.

§. VIII.

Filiorum incolumitatis famuli sunt præclarissimi indices.

NEMO viuentis filij posset præbere auspicium melius, quam famuli; in famulorũ vita, aperte claret, vt viuant filij, circa famulorum manum pulsus est, qui indicet filiorũ sanitatem. Filium Salomonem vbi ex Bethsabee accepit Dauid 2. Reg. 12. *Misit eum in manu Natham prophetæ, & vocauit nomen eius amabilis Domino.* Quid est misit eum in manu Nathan prophetæ? Acutè satis id explicat pater Pineda in Salomonis pueritijs ex illo Oseæ 12. dicentis. *In manu prophetarum assimilatus sum*; Quippe prophetarum manus, & opera qualem vitam Dei filius apud homines haberet, indicabant. Sic Dauid nato filio prouidit famulum, prouidit ministrum, cuius in manu perspicuam filij notaret incolumitatem. Et quando circa manum famulorum nõ est pulsus filiorum incolumitatis? Meritò monebat D. Hieronym. Furiam. *Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidulus, & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu iudicatur.* Sunt equidem famulorum manus, totius familiæ indices; eu, quoties in famulæ manu scripta inuenta est amantissimæ filiæ infamia. Non id indolenter præteriuit Hieronym. ad Gaudentium fatus. *Solent lasciui, & comptuli iuuenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices, aut alumnas quærere. Et cum clementer intrauerint de scintillis incendia concitant.* Hæc non famulæ manus, sed hostilis manus est, quę deuastet familias, depopuletur ciuitates. Felix pater, cui illi contigerunt famuli, in quorum manibus euidenter semper appareat filiorum sanitas. Hinc Tobias cap. 12. consolabatur vxorem pro filij incolumitate anxiam, aiens. *Tace & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.* Filij sanitatem indubitanter asseuerat ex eo solum, quod scit illi assistere semper fidelem famulum. Vndè D. Chrysostom. homil. 9. in epist. 1. ad Timoth. sic omnibus parentibus verba facit. *Magnum habemus, pretiosumque depositũ filios, ingenti illos seruemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nũc contra penitus facimus. Nam vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro, magno cũ studio tradimus, & agasonem, ac mulionem, procuratoremque, ac dispensatorem, qui nobis magna beneuolẽtia afficiatur, inquirimus; cæterum, quod nobis charissimũ omnium est, omnino negligimus: neque curamus, quemadmodum filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus.* Vtinam sic saperent omnes parentes, & filijs suis eos famulos prouideant, in quorum manibus perennem filiorum salutem effigiatam videant.

2. Reg. 12.

Oseæ 12.

D. Hieron.

D. Hieron.

Tobiæ 12.

Chrysosto.

§. IX.

Famulorum secreta habita cum filiis, siue de filiis suspecta sint patrifamiliàs.

BENE parenti optimo occurrunt serui, & nuntiant filij vitam, nunquam enim seruorum de filijs denuntiatio apud parentes nõ est filijs ipsis salutaris. Caueat bonus pater, nõ quæ aperte nuntiant, sed quæ mandunt famuli inter se de filijs, siue cũ filijs murmura. Mortuus erat adulterij filius, & nemo famulorum Dauidi renuntiabat, sed omnes id inter se clanculo musitabant. Tunc 2. Reg. cap. 12. *Cum ergo Dauid audisset seruos suos musitantes, intellexit, quod mortuus esset infantulus.* Quam rectè prudentissimus Pater mortem filij præsagijt ex clandestinis famulorum musitationibus, & murmuribus. Velim hoc obseruent vniuersi parentes, vt quoties viderint famulos clam de filjs aliquid mandere, seu murmurare, siue quod peius est, quoties famulos viderint cum filijs clandestina seruare secreta, id filijs suis reputent omnino lethale. D. Hieron. ad Gaudentium, de filia educanda sic scribit: *Vocis dulcedines per aurem animam vulnerãtes, puellarumque lasciuia repellatur. Quæ quanto licentius adeunt, tanto difficilius euitantur, & quod didicerunt, secreto docent, inclusamque Danaem vulgi sermonibus violant.* Ecce tibi quam cauenda secreta susurra puellarum cum filia tua. Nihil habeant filij cum famulis, quod non possit, & debeat audiri, & conspici ab ipsorum parentibus. Id quod crediderim insinuatum verbis illis iam datis, ex 2. Reg. cap. 12. vbi de filio Dauidis dici-

2. Reg. 12.

D. Hieron.

2. Reg. 12.

dicitur. *Misit eum in manu Nathan propheta.* Expẽde illud, misit eum in manu, quippe iuxta verbi, *misit*, cõstructionem deberet dicere, misit eum in manum Nathan, sed ne pater videretur omnino à se remouere filium, maluit dicere in manu Nathan, vt pateat, quod filius etiam dum famulis erudiendus traditur, non longe remouetur à patre, sed & ibi manet sub cura, & oculis patris, vt nihil cum famulis habeat, quod non audiatur, & percipiatur à patre. Quando non suspecta famulitia secreta?

Pet. Dam. Petrus Damian. epist. 12. ad Nicolaum Pop. ca. 1. sic lasciuos mores prodit. *Testimonio sunt; discursio nuntiorum, secreta loca, & colloquia.*

D. Hieron. Sed apertius D. Hieronym. ad Lætam de filiæ institutione, ait: *Nolo de ancillulis suis aliquam plus diligat, cuius crebro auribus insusurret. Quid vni loquitur, hoc omnes sciant.*

Text. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.

§. X.

Non sine studio, & inquisitione Christianam obtinebis iustitiam.

A Serùis horam sanita... filij diligenter pater addiscit, & illam conferens cum hora, qua ipse accesserat ad Iesum, ex vtriusque collatione colligit virtutem diuinam, & Christianis imbuitur virtutibus. Accinebat Isaias, c.

Isai. 26. 26. dicens: *Cum feceris iudicia tua in terra; iustitiam discent habitatores orbis.* Expẽdo illud, *iustitiam discent*, quasi iustitiæ opus diligenti studio, & meditatione egeat, & quælibet alia

Theodor. facultas, vt obtineri posset. Ibi Theodoretus dicit. *Non enim, sicut vnum quid rerum naturalium, sic etiam hoc innatum est nobis, vt sine meditatione ipsam iustitiam habeamus; sicut est videre, & ambulare, sed cuilibet studio opus est ad mentem ab iniustitia seiungendam, & ad iustitiam accipiendam.* Quippe virtus, eiusque disciplina nõ nascitur, sed addiscitur: ita vt quisquis iustitiæ acquirendæ debeat studere, nõ enim sine oleo tantum bonum comparatur. Sic vbi hominem Deus iustitia ornatum facere cupit, ecce tibi statim ingeritur cõsultatio,

Genes. 2. ingeritur studium: sic enim habes, Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Qui omnia verbulo iam condiderat artifex diuinus, facturus hominem, vt Nyssenus notat, consultationem instituit, & quasi studium adhibet; qua id difficultate præcipua? Sanè, quia homo iustitia originali, virtutibusque animæ fiebat creatori similis, quod bonum non repente; sed multo oleo, magnoque studio debet acquiri. Quo spectãs

Rupert. Rupert. lib. 2. de Trinit. cap. 2. fatur. *Non dicit scriptura, quia dixit Deus: Fiat homo ad imaginem, & similitudinem nostram: & factus est homo, sicut dixit: Fiat lux, & facta est lux. Quare? Videlicet, quia non repente, sed operose agendum erat, vt consummatus homo staret ad creatoris sui imaginem, & similitudinem.* Quis hominum speret in se virtutem, & iustitiam nasciturum, cum ipse artifex diuinus non aggreditur hominem iustum facere, sine consultatione, sine studio? Equidem oleum, & operam debes adhibere, quisquis cupis iustitiam adipisci: adeundi, & consultandi sunt alij, eorumque placita conferenda, & meditanda, quo facile peruenies ad iustitiam. Dei illa amatrix, Cantic.

Cant. 3. 3. bene consulebat, cum vel à ciuitatis custodibus querebat, num, quẽ diligit anima mea, vidistis? Et ecce vobis post istam inquisitionem statim subdit: *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Dilectũ inuenit, sed post inquisitionem, post operam datam, post acceptum custodum consultum.

Gillibert. Eleganter Gillibert. Abb. serm. 7. in Cant. expendit illud, pertransissem, dicens. *Quod pertransimus, intelligimur illud discutere, & quasi disquirere, & penetrare: nec inutilis hac pertransitio. Paululum enim cum pertransisset, inuenit dilectum. Videtis fratres, quid proficiat consultatio custodũ? Deuotam, sed vagam animam ad inuentionem dilecti perducit. Vtilis quidem consultio: & frequenter, quod non confert eorum, qui cõsuluntur, eruditio, consulentis meretur humilitas.* Itaque vt iustitiam obtineas, præmittendum tibi studium est, inquirendi alij, eorum discutienda, examinanda, conferenda placita sunt; discitur enim iustitia, non nascitur.

§. XI.

Verè Christianus Princeps, cuius ope & famuli ducuntur ad Christum.

ECCE vere credentis Reguli euidẽtissimũ signum, nimirũ, *credidit ipse, & domus eius tota*, nescivit sola esse eius fides, sed adeò fœcũda fuit, vt de illius exẽplo, famulorũ omniũ examina renascerentur Christo. Qualis est fides principum Christianorum, de cuius cura, & exemplo vix accidit, vt inter famulorũ greges,

greges, vel agnellus Iesum intonet? Psalm. 20
Psalm. 20. clamat regius Vates. *Afferte Domino fili Dei, afferte Domino filios arietum.* Prouocantur à Dauide filij Dei, siue, vt alij legunt, proceres, principes, hoc est familiarum capita, vt afferant Deo filios arietum, nimirum, vt inde se filios Dei ostendant, quod inuigilent, vt domi suæ renascantur agnelli, qui Iesum resonent. Hoc est enim clarissimum Christiani Principis insigne, si de eius cura famuli Christum
Chrysolo. quærant. Hinc eleganter Chrysolog. serm. 10. *Afferte Domino filij Dei, afferte quos fides concipiat, non caro: afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura. Quomodo se Christianum credit, aut quomodo domum suam iudicat ouile Dei, vbi non pascuale germen Dei pecus dat balatum?* De tua diligentia, nec pusio famulus, nec agnellus vnus Iesum balat, & habeberis Christianus Dominus, Christianus Princeps? Non mirabor Esther à Deo in regnum sublatam esse, quam video in hoc incubuisse, vt fa-
Esther 4. mulas ad Deum perduceret. Quæ cap. 4. Sic Mardochæo mandabat. *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis, tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Nobilis, & vera regina pro populi sui bono ieiunium promittit, non solum à se peragendum, sed à famulis, & ancillis. Sed quis credat gentiles ancillas tam grande ieiunium subituras? Gentiles erant ancillæ auis, atauisque gentilibus cum ad Esther accesserunt, illas tamen Esther iam ad veri Dei cog-
Carth. nitionem traduxerat. Id quod asserit Carthusianus ibi: non enim tulit nobilis fœmina fidem suam sterilescere, sed inde se fidelem ostendit, quod famulas suas Dei gregibus adscripserit. De Cornelio Centurione Romano dicitur
Actor. 9. Actor. 9. *Vir pius, ac timens Deum cum omni domo sua.* Ex quo D. Chrysostom. hom. 23. sic
Chrysost. vniuersos monet principes. *Audite omnes, qui regibus assistitis. Pius, inquit, erat, ac timens Deum. Et quod maius, talis erat cum omni domo sua. Ita erat huic rei intentus, vt non solum sua hæc constituerat, sed etiam in ministris suis, istud etiam faceret.* Hoc sit Christianorum Principum insigne, hoc singulare studium, vt & famuli venerentur Christum, & fulgeant Christiano cultu. Alioquin metuant, ne & propter famulorum crimina vapulent ip-
Tertul. si. Do Tertullian. lib. de Idol. cap. 15. sic dicentem. *Scio fratrem per visionem eadem nocte caligatum grauiter, quod ianuam eius subito annuntiatis gaudys publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat, aut præceperat: nam ante præcesserat, & regressus reprehenderat factum, adeo apud Dominum in huiusmodi etiam disciplina familiæ nostræ æstimatur.* Numquam non æstimatur apud Dominum bona famulorum institutio, quando etiam in Domino punit, quod famuli delinquunt.

CAPVT SEXTVM.

De Petri socru sanata.

PETRI socrum violenter affectam anhela febris vrgebat, validique lampas ardoris æstuantibus acriter medullis insederat. Pendebat sors animæ trepidantis ambigua inter funus, & vitã, gelidęque mortis aduentu nimis coquebatur flamma membrorum. At vbi Dominus ægram periculis inuolutam tactu salutifero visitauit, lethale subito fugit incendium, surgensque mulier sospitata, quæ modo langue-rat, sui medici fit ministra.

Matth. 8. Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat ei.

§. I.

Concordia inter socrum, & nurum Deum trahit.

IAM omnia Petrus reliquerat, vt Iesum sequeretur; & nihilominus dicitur Petri domus, non quod Petri esset, sed socrus, & quam socrus habebat domum, ea etiam dicebatur Petri, sic omnia erant indiuisa inter socrum, & generũ. Cur ergo domus, quæ sic habebat concordes socrum, & generum, non traheret ad se Dominum domesticæ cõcordiæ amatorem? Miraberis à Matth. in Christi genealogia, illud non otiose notatũ, quod *Booz genuit Obed ex Ruth.* Cur Ruth Moabitis, & alienigena assumitur in Iesu parentem? Nescio, an alia in vita fuerit nurus, quæ adeò se concordem socrui præberet, cui ait. *Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus,* &c. Vnus Deus, vnus populus, vna domus, vnum sepulchrũ nos indiuisas tenebit. Id quod sic adnotat D. Hier. de vera Circunciſ. fatus. *Cur tantum pere-*
Hieronym. *grinæ conceditur, vt suo vtero destinatæ benedictionis semen accipiat, & Israelt non Israelita parturiat dignitatem? Vnde istud, oro, pro-*

meruerit? Credo, quia dicit ſocrui ſuæ: Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus. Fallor, ſi quid habet gratius nupta, quam cum ſocru concordiam, hac Deum ſibi, domuique ſuæ maxime acquirit, & honeſtum maritum deuincit. Maximus ille Patriarcha Iſaac inde æſtimauit prius mores ſponſæ ſuæ, ſi ſocrui eſſent conformes, ideo ante omnia Geneſ. 24. *Introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem.* Meritò dedicabat ſibi ſponſam, eam in tabernaculo matris introducens, vt non antea duceret, quam noluerit, nec minimo à ſocrus moribus deſciſcere. Quò ſpectans Chaldæus, fatur. *Et introduxit eam Iſaac in tabernaculum, & vidit, & ecce opera eius recta erant, ſicut opera Saræ matris ſuæ. Et accepit Rebeccam, & fuit ei in vxorem.* Ecce vobis trutina, per quam Iſaac felicitatem coniugij trutinabat, an ſcilicet Rebeccæ mores ſocrui Saræ eſſent ſimiles, & tunc accepit eam coniugem, quando vidit eſſe talem, quæ à ſocru, nec apice diſcordaret. Id quod quaſi primum boni cõiugij fulgorem cõſtituebant alterius Rebeccæ patres, dum filiæ iuniori Tobiæ nuptæ hæc monita dabant. Tob. 10. *Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere.* Expende, quod primum ponatur inter connubilia monita, nimirum, *honorare ſoceros*, quaſi exinde totius œconomiæ nuptialis felicitas naſcatur. Quod vt rarum, ſic in quocumque inueniatur maxime laudandum, & prædicandum; vnde venit quod Debbora Iudicum, cap. 5. referens Siſaræ matrem, & vxores colloquentes, ſic ait: *Vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur; cur moratur egredi currus eius; quare tardantur pedes quadrigarum illius? Vna ſapientior ceteris vxoribus eius, hæc ſocrui verba reſpondit. Forſitan nunc diuidit ſpolia.* Et cur ceteris vxoribus hæc ſapientior dicitur, quæ adeò errabat? Sanè ceteris omnibus tacentibus, & minimè curantibus ſocrus dolores temperare, hæc vna in ſocrum pia, illam conſolabatur, auſpicijſque bonis demulcebat: vndè ſapientiſsimæ nomen à diuino Spiritu meruit ſibi comparare. Vna eſt & rara, & ſapientiſsima nurus, quæ conſolatur ſocrum; & ſimiliter vna eſt, & rara, & ſapientiſsima, quæ pœnas ſuperbię ſuæ non capiat. Geneſ. 19. *Egreſſus eſt Loth, & locutus eſt ad generos ſuos, qui acceperi erãt filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini de loco iſto, quia deleuit Dominus ciuitatem hãc. Et viſus eſt eis, quaſi ludens loqui.* Quibus aperte claret bonum concordiæ inter generos, & ſoceros, & diſcordiæ malum. Bonus ſocer generorum periculis proſpiciebat, illoſque ſalubriter monebat, & illos ſibi vnire cupiebat, vt ſaluos faceret; illi è contrà ſenem ridebant, ſubſannabant. Quæ ſtulta nurus non ridet ſocrum vetulam, non ſubſannat, quo diſcordiæ, quo rixæ excitantur? Sed prudens, & pius ſocer ſubſannationem fert, ne deſit pietati, ne ſeparentur generi, & pereant. Præclarè D. Chryſoſt. hom. 44. fatur. *Cum audirent generi à iuſto terribiles illas minas, quaſi ſubſannabant, & putabant deliramenta eſſe, quæ dicebantur: verumtamen iuſtus, quod ſuũ erat, faciebat. Et quia ſemel illis filias deſponſarat, voluit eripere eos à plaga: at illi noluerũt, & re ipſa didicerũt, quod magno ſuo damno conſilium iuſti reiecerunt.* Eu, quãto damno vnio inter ſocrus, & nurus reijcitur.

Geneſ. 24. Tob. 10. Iudic. 5. Geneſ. 19. Chryſoſt.

§. II.

Caſtitas vt dominari facit.

SED eſto, quod ad ſocrum pertineret domus, cur, cũ Petrus omnia reliquiſſet ſua, imò, & ab vxorio conuictu receſsiſſet, adhuc tamen ſocrus domus dicebatur Petri? Quia Petrus Chriſti amore ab vxorio diſceſſerat conuictu; ideo potiori iure, & ſocrus, & vxor, & quælibet illarum res illi ſubijciebantur, & Dominum agnoſcebant. Non abſimile illud, Geneſ. 21. Vbi Dominus ſubijcit Abrahamum vxori ſuæ Saræ, propter huius inſignẽ caſtitatem, ait enim,: *Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Vndè vir ſubditur vxori? Sanè audierat Sara Angelos marito ſuo filium promittentes, & memor caſtiſsimi ſui propoſiti, quo ab vxorio conuictu receſſerat, ait. *Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo.* Quaſi cauſaretur à caſtiſsimo mentis propoſito vlla promiſsione recedere, quo meruit, vt mulier viri dominaretur. Sic proxima verba recẽſens, fatur Damianus, epiſt. 137. *Quibus vtique verbis perſpicuum eſt, Saram caſtitatis iam tunc tenuiſſe propoſitum. Et poſt hæc dixit Deus ad Abraham: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Ecce cui prius Abraham imperauerat, & Dominus dicebatur, iam illi per caſtitatis meritum obedire præciputur, vt eius verbis iam in cunctis obediat.* Sic caſtitatis propoſitum euexerat Saram in ſublime, vt illam ipſius Abrahami dominam conſtitueret. Ineſt equidem caſtitati dominatus, cui omnia ſubijciũtur creata. Id quod oſtendit diuina vox, Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Nõ aliter ad principatum omnium creaturarum aptatur homo, niſi cum fit ad Dei imaginem, & ſimilitudinem, quæ ſimilitudo primi hominis

Damian. Geneſ. 1.

minis, cùm Deo conſiſtebat in incorruptibilitate, & puritate caſtitatis, vt auctor eſt D. Sixtus Papa, lib. de Caſtit. Quippe ex caſtitatis inſigni homo iam inde habet omnium dominari. Quò ſpectabat D. Martialis Coætaneus Apoſtolorum, epiſt. 1. ad Burdegalenſes, cap. 5. ſatus. *Beati verò eritis, ſi cum exaltatione Deo ſeruientes, libidini reſtiteritis, vnde maxima corona remunerationis impertietur vobis. Nec beſtiales mores oportet vlterius eſſe in eis, qui vaſa Domini munda ſunt in adoptionem filiorum æternæ hæreditatis, ſed honeſtate rationabili ad omnes homines vti. Hæc enim agentes, ſecuri terram poſſidebitis, & omnia irrationabilia ſubiecta erunt vobis. Ipſa quoque elementa, quibus ante ſeruiebatis, ſeruient vobis.* Ea eſt caſtitas, quæ ſibi omnia ſubijciat, quæ in homine regium ſplendorem inſtauret, quæ nullibi neſciat dominari. Caſtiſsimus Ioſeph in ſeruitute, & carcere detentus, tandem ad regnum erigitur caſtitatis ſuffragio; illi enim dicit Pharao, Geneſ. 41. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni ſolio te præcedam.* Non potuit vir caſtiſsimus diu manere in ſeruitute, cui propter caſtitatem diadema regni debebatur, vt dicat D. Zeno, ſerm. de Pudicitia. *Pudicitiæ ſplendore veſtitus poſt calumnioſam damnationem, & liberatus à Deo eſt, & honoratus. Denique rex in re ſecundus factus eſt regni; qui inſignis rex erat iam ante pudoris.* Et cur tanta caſtitas Ioſephum ad regnum non ſublimaret? Vide lib 1. cap. 7. §.

D. Mart.

Geneſ. 41.

D. Zen.

§. III.

Prætextu perfectionis quærendæ, non relinquenda ſunt opera aliis titulis debita.

QVI de perfectionis calculo omnia bona reliquerat, & patrem, & matrem, & vxorium conuictum, pauperculam, & febricitantem ſocrum retinebat, & curabat. Sic qui perfectionem ſcandunt, eò addicant animum, vt in primis debita opera omnino ſibi adimplenda exiſtiment. Non enim in communi ſæcularium contemptu derelinquendi ſunt ij, quorum obligatione teneris. Geneſ. 12. cum de egreſsione Abrahami à patria, & cognatione ſua ageretur, ait textus. *Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Loth.* Quæ verba magnam ſtatim faciunt quæſtionem; quomodo verum ſit, quod Abrahã egreſſus ſit, ſicut præceperat ei dominus, quando & conſobrinum ſuum Loth portabat ſecum? Præceperat quippe Dominus. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, de domo patris tui.* Quomodo relinquebat cognatos, qui ſobrinum retinebat? Sanè ſecum habebat Lothum, non vt cognatos retineret, ſed vt opis egenti cognato debitum officium exhiberet. Id quod attigit D. Chryſoſtom. hom. 31. inquiens: *Quare cum Dominus dixerit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, Lothum aſſumpſit, non fuit inobediens Domino? Sed forte, quia Loth iuuenis erat, & Abrã patris loco illi præfectus.* Erat Loth cõſobrinus Abrahæ iuuenis adhuc, & paruulus, cuius cura penes ipſum Abram erat; vndè nullius perfectionis prætextu debuit deſeri à ſuo auunculo. Nec inde putatur Abram, non reliquiſſe perfectiſsimè cognatos, iuxta Dei præceptum, & vocationem, cum ſecum habuit cognatum, non vt ſibi reſeruaret, ſed vt egenti debita officia præſtaret. Quo ſimiliter magnificiunt Patres Euangelicam Zachæi perfectionem, qui dimidium ſubſtantiæ ſuæ dabat pauperibus. Sed quæ perfectio eſt, quæ dimidium retinebat? Nonne dictum fuit alteri: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus?* Vbi omnia vendenda, & danda eſſent, quomodo perfectus, qui dimidium retinebat? Omnia reliquerat Zachæus, quæ poſſet ſine iuſtitiæ næuo, retinebat enim dimidium, non vt retineret, ſed vt debitis ſatisfaceret. Auguſtin. in Pſalm. 126. *In Zachæo magna voluntas, in Zachæo magna charitas. Suſcepit Dominum hoſpitio, gaudens ſuſcepit, & dimidiũ patrimonij ſui pauperibus promiſit ſe daturũ, & ſi cui aliquid abſtulerat, quadruplum redditurum, vt intelligas propterea ſibi eum tenuiſſe dimidium, nõ vt haberet, quod poſſideret, ſed haberet, vnde debita redderet. Magna volũtas, multũ dedit, multum ſeminauit.* Perfecta omnium rerum abrenuntiatio non minuebatur ex eo, quod dimidium ſubſtantiæ ſuæ ſibi reſeruaret, quando id reſeruabat, non vt poſſideret, ſed vt debitis ſatisfaceret. Quis enim debitis officijs incumbens à perfectionis via deflexit?

Geneſ. 12.

Chryſoſto.

Pſalm. 118

§. IIII.

In Chriſti Eccleſia laboribus proficimus, quibus in Deos coptamur.

QVID eſt in domo Petri, quod Dominum trahat? An familiæ concurſus? An ſalutantium pompa? An aureus ornatus? An plenæ menſę, pretioſę dapes, feneſcẽtia vina? Abſit, in tota Petri domo, nihil aliud eſſe memoratur, quam febricitantis fœminæ ſuſpi-

Chryſolo. ria,& lacrymæ.Sic notabat Chryſol. ſerm.18 fatus.*In domo Petri nõ vina,ſed lacrymæ fundebantur:turbabat ibi familiam non cura conuiuij, ſed cura languentis.*Hæc ſunt ſtemmata Chriſtianæ familiæ,nimirum,tribulatio,& lacry-
Iudich.11. mę.Iudicum,cap.11.Iephe filia Deo immolanda ſic patrem precatur:*Dimitte me, vt duobus menſibus circumeam montes,& plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.* In quibus verbis Chriſtianæ Eccleſiæ ſigna agnoſcit
Chryſoſto. Chryſoſtom.ibi aiens: *Quid enim poteſt inueniri fortius integritate,& virginitate Eccleſiæ, quæ concipit in incorruptione,creat in integritate? Virgo eſt iſta,quæ virum nõ nouit. Plangit autem ſexaginta diebus virginitatem ſuam, id eſt, omnibus diebus ſuis.Nec enim mittit ad Dominũ, qui in ipſa proficiunt,niſi ex magna tribulatione, niſi ex planctu,& fletu,& lacrymis.*Expendendum imprimis eſt,quod domeſtici Eccleſiæ non dicantur proficere,niſi ex magna tribulatione: quò enim maior tribulatio noſtra fuerit, eò
Luc. 4. magis perpetes alæ induntur nobis ad euolandum.Compone modo D.Lucam cap.4.de Petri ſocru fantem.*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Non ſic nauis iactis ancoris tenebatur,ne gradum faciat, vt tenebatur anus hæc febrium magnitudine,vbi ergo ſunt tribulationis decumanæ calcaria? Vbi alæ? Sanè tributiones aptiores videntur ad detinendum;potius remoris,quam alis ſimiles aptantur.Nihilominus de domeſticis fidei locutus
Apoc.7. Angelus,Apocalypſ.7.ait.*Hi ſunt,qui venerũt de tribulatione magna.*Imus equidem per tribulationes,non detinemur;dum putas teneri te tribulationum rudentibus, tũc ocyor volas,tunc cœleſtia ſcandis.Id quod de Iob notabat
Auguſt. Auguſtin.in Pſalm.103.*Iob ille ſanctus ſedebat in ſtercore,& currebat in via.* Credebatur dolorum rudentibus loco eſſe illigatus, & tamen tunc percurrebat ſtadium: videbantur dolores illi eſſe funes, & laquei, & erant pro alis,quibus ad cœleſtia feſtinabat. Quid plura? Dolorum vincula non ſolum domeſticis Petri ſunt pro alis ad euolandum,ſed adeò ſunt nobis ſalutaria, vt nos in Deos transfe-
Actor. 11. rant.Miraris? Accipe Petrum Actorum cap. 11.in vinculis conſtitutum Heropianis,& ab illis ereptum virtute Angeli.Tunc vident cuſtodes vincula vacua;tunc ſtupent: *Tunc non parua turbatio inter milites,quidnam factum eſſet de Petro.*Explicatius Græce dicitur, quod dubitabant; *quid tandem Petrus factus eſſet,* quaſi à tantis vinculis non poſſet,niſi aliquid magnum,& diuinum euadere. Id quod am-
Caiet. plius expendens Caietanus,introducit milites dubitantes: *An conuerſus fuiſſet Petrus in aliquod numen.* Et quidem prudenter meditantur,quando in tota domo Petri vincula, & carceres eam virtutem habent, quæ homines in Deos transferant.Nõ abſimile id, quod accidit Ioſepho, ſeruatoris typo:Is in carcere cũ eſſet, vt cõcaptiuos triſtes vidit ob inſomnia, ait,Geneſ.40:*Numquid non eſt Dei interpretatio? Referte mihi,quod videritis,&c.* Primo ſupponit ſolius Dei eſſe ſomniorum interpretationes, deinde petit,vt ſibi narrẽtur ſomnia, interpretaturus ea.Si ſolius Dei eſt interpretatio,cur tibi narrari ſomnia petis? An, quiá ad Deum pertinet interpretari,ideo ad te, qui Deus iis? Equidem ſic iuuenem vincula,& carcer euexerant, vt poſſet ad ea quæ Dei ſunt, ipſe ſuam opem ſpõdere,quaſi à vinculis terrenus Deus creatus eſſet. Geneſ. 40.

§. V.

Peccati malitia manifeſtata fugit. Vbi de confeſſione.

VIDE celeritatem curationis in febricitãte fœmina,ait enim Matth. *Quod Ieſus tetigit manum eius,& dimiſit eam febris:* non ſuſtinuit febris,quod manus infirmæ tangeretur à diuino medico.Sed cur infirmæ manum tangi à Ieſu non ſuſtinuit febris? Tota febris malignitas pãditur per ſapientem medici tactum,nec prius aliquid facit medicus, quam apprehenſa infirmi manu per pulſum febris qualitatem percenſere,quam ſi bene cognoſcat,magna inde ſalutis ſpes adoleſcit.Fugit ergo febris tactu manus,quia nequit ſtare malignitas manifeſta: inde medicamentum habet peccator,ſi nudam malitiam ſuam exhibeat oculis diuini medici.Notanda ſunt pulchra verba Chryſoſtom. hom. 6. in Marcum Chryſoſto. fatus de Ieſu in præſenti.*Apprehendit manum eius,quaſi medicus,tentauit venas,vidit magnitudinem febrium ipſe medicus,& medicamentũ.* Cæteri medici dum ſapienti tactu vident vim febris,currunt ad nota remedia;nobilis autem medicus Ieſus,ipſe eſt medicus, & medicamẽtum,ſed ſi videat morbi malitiam, ſi eius oculis peccator ſuam putredinẽ manifeſtet.Quippe omnis peccatorum malitia in ſui manifeſtione habet medicamentum.Danielis 13.Suſanna ferebatur ad ſupplicium, damnata erat Dan. 13. innocentia;verum coactus populus in vnum voce pueri, ecce tibi iterum innocentiæ examen inſtauratur.Quæ tunc facies rerũ? Quæ turbatio falſorum teſtium? Aiebat D.Zeno, D. Zen. ſerm.9.in Danielem. *Falſos teſtes pauor euadit,tremuit diabolus, quod ipſius commenta nudentur.*Hic eſt totus diaboli metus, hæc tota malitiæ deſperatio,quod nudetur, quod eius virus ob oculos proponatur,inde etiam non poteſt

poteſt ſtare. Felix Dauid ſuorum vulnerum
Pſal. 37. medicinam inde oſtendit Pſalm. 37. dicens. *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Ideo felix, qui ſapientium mundialium calculo, non abſcondit peccata, non deaurauit, ob oculoſque omnium propo
Ambroſ. ſuit. Ibi eleganter D. Ambroſ. *Eſt ergo, & ſancto Dauid ſpes, & remedium ſanitatis: quia non vnguentum redolent, ſed fœtorem ſuorum vulnera peccatorum. Refugit propheta ſapientiam iſtius mundi, quæ tegit ſua vulnera, non reuelat ad Dominum. Melior inſipientia, quæ oculos habet, vt videat vlcera ſua, quam ſapientia, quæ non habet.* Ibi ſpes, & remedium ſanitatis, quod fœtor vulnerum non lateat, quod virus morbi totus prodeat, & pateat oculis. Nonne etiam ſanaturus mortuum, aiebat Dominus, Ioan. 11. *Lazare, veni foras?* Quaſi nulla eſſet infirmitas incurabilis, dum poteſt manifeſtari, & prodi-
D. Gregor. re ob oculos, D. Greg. lib. 22. Moral. cap. 12. *Mortuo dicitur, veni foras, vt nimirum homo in peccato ſuo mortuus, & per molem malæ conſuetudinis iam ſepultus, qui intra conſcientiam ſuã abſcõſus iacet per nequitiam, à ſe ipſo foras exeat per confeſſionem.* Hoc vnum peccatori ſuffugium, quo non timeat mortem, ſi malitiam promat, conſtituatque ob oculos. Etenim dum malitia occultatur, neſcit non augeri.
Geneſ. 27. Id quod patet Geneſ. 27. *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixit ei pater: dixitque in corde ſuo; veniẽt luctus patris mei, & occidam Iacob.* Expende ab illis, dixitque in corde ſuo: quippe dum intrinſecus in corde malum occultat, magnum ſuſcipit incrementum; antea odium erat aduerſus fratrem, ſed dum odium hoc latitat in corde, nõ ibi ſiſtit; & ad patrem vſque protenditur, eius optans interitum, dum ait, venient luctus patris
D. Ephr. mei. Ita D. Ephrem de Pœnit. ait. *Patrem mori optabat, dicens, quando morietur pater meus, & occidam Iacob? Non ſolum fratricidam eum iracundia fecit, ſed etiam parricidam: nam ſemper malitia occultata ſcelus adauget.* Emittat foras per confeſſionem malitiam, qui cupit illi adhibere medicinam. Tũc enim ſolum deſperata eſt hominis ſalus, quando peccatum occultatur ſilentio, ne per confeſſionem eius virus appareat. Ad illum qui nefarie intrauerat ad
Matth. 22. conuiuium, ait Dominus, Matth. 22. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tũc dixit rex miniſtris, ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras, &c.* Expende quando miſer perdatur, non quando nefarie intrat, non quando male ſedet, ſed tunc cum obmuteſcit, nec pecca-
Galfrid. tum confitetur. Ita Galfridus apud Tilmanni allegorias, fatur. *Tunc ait rex miniſtris, ligatis manibus eius, & pedibus, &c. Tunc videlicet nõ vbi ille ſine nuptiali veſte introiuit, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.*

§. VI.

Opera bona ſalutis ſpiritualis indicia ſunt.

VRGENDA amplius ſunt Chryſoſtomi *Chryſoſto.* verba in principio §. præcedentis poſita, nimirum: *apprehendit manum eius, quaſi medicus.* An medicorum eſt apprehendere infirmi manum, & non potius brachiale, ſcilicet eam brachij partem vltimam, quæ manui coniungitur? Medici id apprehendũt, in quo eſt pulſus, index ſanitatis, vel infirmitatis; hic autem eſt in brachiali, non in manu, cur ergo dicitur Ieſus, vt medicus apprehendiſſe manum infirmę, & non potius brachiale? Medicus hic erat præcipue animarũ, quarum ſanitatis index, & pulſus in manibus eſt, adeò, vt inde cẽ ſeantur, ſi agant, ſi operentur. De adoleſcente illo prodigo dicitur, Lucæ 15. *Peregre pro-* *Luc. 15.*
fectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe. Expende illud, diſſipauit ſubſtantiã; ſummi enim, & pene deplorati infirmi eſt ſubſtantiæ reſolutio, ſubſtantiam iſte conſumpſerat, ideſt, eam vitam inſtituerat, tam operibus bonis vacuã, vt totam vitæ ſpiritualis ſubſtantiam prorſus haberet diſſipatam. D. Ambr. lib. 2. de Pœnit. *Ambr.*
cap. 3. ait. *Conſumpſit, inquit, ſubſtantiam ſuam: Merito conſumpſit eã, cuius fides in operibus claudicabat.* Opera ſunt, quæ oſtendunt ſubſtantiam ſpritus, prout deficiunt opera bona, deficit ſubſtantia vitæ ſpiritualis: quæ ſolum cõ ſiſtit, vbi operibus publicatur. De fidelibus, mundo mortuis, Chriſto viuis dicit Apocal. *Apoc. 14.*
14. *Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Quæ verba acutè ponderans Gillibert. Abb. ſerm. 11. in Cant. fatur. *Ala bo* *Gillibert.*
ribus, inquit, requieſcant, non ab operibus. Opera enim illorum ſecuntur illos: Opera ſecuntur ſpiritum, ſicut calor ignem: vmbra corpus; lux ſolem: effectus cauſam. Itaque in operibus notãda eſt tota ſubſtantia ſpiritus, tunc robuſtus eſt Dei ſpiritus in animis noſtris, cum robuſta facinora patrãtur; vt ſemper in manuum pulſu, vitæ ſpiritualis innoteſcat qualitas. Pſalm. *Pſalm. 47.*
47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis,* Neſcit non publicari ſpiritus facinoribus manuum; vbi fortis, & vehemens ſpiritus noſtris inſederit animis, ſic inualeſcent manus, vt inimicas conterant claſſes. Ex manuum fortitudine robur, & valorem ſpiritus meditaberis. Quò ſpectat Ambroſ. in præſenti, aiens. *Dum* *Ambr.*
ad fidei perſecutionem Dei famuli venire deſſent, commacerant corpus ſuum caſtigando ſe-
uerius,

uerius, & religendo in ministerio seruitutis. Hoc autem faciũt in spiritu valido, atque vehementi. Est enim spiritus consilij, atque virtutis, vt omni abstinentia dissoluant corpus suũ, quo omnes eius euacuent voluptates, vt dicatur illis: Conualescite manus remissæ, &c. Ecce vobis tota substantia, & robur spiritus, vnde clàret, & consistit, nimirũ, ex illis operibus, quibus vitia expurgentur, & manus ad virtutes conualeant. Nõ potest esse vehemens spiritus, & remissa manus: sed vbi crescit spiritus robur, crescit etiam manuum fortitudo, & valor.

§. VII.

Ecclesiastici, vt fugiant otium, plura virtutum opera tenentur exhibere.

IN domo Petri infirmantis manus à Christo sumitur, vt sanitatem infundat; vt doceamur illos Ecclesiæ ministros æternæ seruari saluti, quorum manus, vt vacuantur ab operibus seruilibus, sic implentur Christo. Non enim Christi ministri seriati esse iuuentur, vt otio indulgeant, quod illis lęthale est; sed vt à temporalibus remoti dent operã diuinis. Non absimile est, quod fecit Dominus cum populo suo Israelita, vbi illum de Ægypto eduxit, & per eremum duxit; nullum tunc temporis opus manuũ â populo fiebat; & ecce tibi statim illi mandantur præcepta legis pene innumera; sacrificiorum cæremonię, ac ritus infiniti. Cur populo tot legum, rituumque myriades à Deo dantur? Rem attigit Card. Petrus Damianus lib. 6. epist. 5. dicens, Deus hoc humanæ salutis dignatus est vti argumẽto, cùm populo per deserta gradienti, tot mãdata proposuit: operosum videlicet tabernaculum fabricari: diuersa sibi sacrificia per tot cæremonias, ac ritus offerri, ipsum castrorum ordinẽ siue residentium, siue commeantium, tam artificiosa, quã mystica varietate distingui: quatenus dum sese in his iugiter exerceret, resolui carnalis plebs ad idola colenda non posset. *Damian.*

Sanè dum populus ille nõ operibus textrinis insisteret, non coriariæ arti operam daret, non denique studiũ agriculturæ dependeret, non vllis prospiciẽda necessitas laboribus insudaret; multiplicibus occupãdus erat, Deo legẽ promulgãte, mandatis, vt dum hæc cum labore perfolueret, nequaquam otio resolutus in sacrilegiũ declinaret. Vtinã scriberentur hęc in silice, vngue adamantino; vel vtinã Dei digito scriberẽtur Ecclesiasticorũ animis, & innumera mala vitarẽt. Sanè Ecclesiasticorum gens, quę ab omni temporalium sudore vacat, multiplicibus occupanda est mandatis, multiplicibus orationum pęsis implenda, ne resoluta otio, in sacrilegia labatur. Huc spectat sacerdotis instituendi frassis passim in scripturis notata, nimirum, quod alicui us impleatur manus, vt Iudic. 17. dicitur Michæ. *Quod implenit manum Leuitæ*, hoc est sibi Sacerdotem initiauit, & 3. Reg. 13. dicitur. *Quicumque volebat, implebat manum suã & fiebat Sacerdos.* De quo aiebat Caietanus: *Sæpe legitur actus iste implendi manum ad constituendum Sacerdotem, sed adhuc non cõperi, quid esset.* Sed plane pulchrè notatur, quam debeat esse Sacerdos deditus sacris operibus, quam alienus ab otio, cuius manus numquam debent esse vacuę, ita vt idem sit habere sacerdotium, & habere manus prorsus diuinis operibus plenas, & occupatas, non aliquo opere insignes, sed multiplicibus operibus plenas. Non sint sacerdotales feriæ otiosæ, sed plenæ operibus, Dei meditatione occupatæ. Non longè abest D. Bernard. serm. de Obedientia, & Patefatus. *Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura, nulla sollicitudo, quomodo placeatis vxoribus, non de nundinis, non de negotijs sæcularibus, nõ de ipso victu, & vestitu necessum est cogitare; Procul à vobis magna quidem ex parte dici malitia, & solicitudo vita. Vacate itaque dilectissimi, & videte, quoniam ipse est Deus.* Non ideo à sęcularibus sudoribus vacuantur Sacerdotes, vt otio torpeant, sed vt diuinis impleantur, ideo manus à puluerulentis negotijs excutiunt, vt eas Deo impleant, ne otio resolutę in sacrilegio labantur. Quod periculum præclarè illis obijciebat Dauid Psalm. 72. in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua. Antiquitùs notũ est illud omnes homines inundans flagellum, quo labori, & sudori subijciuntur, vt vescantur pane suo. Inde sudant agricolæ terrã solicitantes: patitur miles: circumeũt mare, & aridã negotiatores; fabri, cemẽtarij, alijque plures huius generis victum labore quærunt. Hoc laborum, sudorumque flagellum D. Petri tabernaculo non appropinquat; quippe Ecclesiastici, vt explicat D. Bernard. in Declamation. omni hominum sudore vacant, quo metuendum est, ne in mille sacrilegia ruant; ne operiantur iniquitate; ne apprehendant mendacia, & insanias falsas, nisi multiplicibus diuinorum operibus impleant manus. Rectè sacerdotes monebat Ezechiel cap. 43. *Et vitulum de armento, & arietẽ de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manũ eius.* Explicatius Septuag. legunt: *& implebunt manus suas*, suffecisset numerum hostiarum, & speciem præscribere *Bernard.* *Psalm. 72.* *Bernard.* *Exech. 43.*

bere, insuper dies expiationis designare; & totum mundationis negotium mandare: cur denique addidit, *& implebunt manus suas?* Credidérim id additum esse, vt discamus, quam cauendum sit diuinorum operum, vel parùm vacuum in sacerdotis manibus. Hoc vnum facit sacerdotem beatum, si nunquam diuinis operibus sint vacuatæ eius manus; an non sumus sacerdos erat ille, & sacerdotum exemplár, cui dictum est. Cant. 5. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis?* Quò igitur terrenis sudoribus vacât sacerdotũ manus, eò cęlestium operum splendore impleantur; terram excutiant, sed hyacintos præferant: mundum dimittant, sed Christum apprehendant.

Cantic. 5.

§. VIII.

Ecclesiasticos viros dedecet iuuencularum famulatus, & imperium.

SANATVR Petri socrus, vt discumbentibus ministret: etenim ait: *Tetigit manum eius, & reliquit eam febris, & surrexit, & ministrabat ei.* Nonne vides, cuius in domo Petri requirebat Dominus ministerium? An nitidę famulæ? An calamistratę vernulæ? Absit. In Petri domo vna anus reperitur, quæ famulatum, & Petro, & Iesu præbeat. Pulchrè D. Chrysol. serm. 18. *Et Christus mulieris indigebat obsequio, & mulieris prouectæ ætatis, senectutis summæ; sic in domo Petri non erat vernula?* Indigebat tunc Dominus vetulæ fœminæ obsequio, quia & semper indiget illis sacerdotibus, in quorũ famulatu nulla inueniatur adolescentula, nulla fœmina, quam non cõmendet prouectæ iam ætatis, & senectutis granitas. Nulla castitatis puritas non nigricat inter quotidianos puellarũ aspectus, quando in domesticis negotijs, vbiuis puella ministrãs arridet. Sapientia, cap. 4. sic laudat castitatis apices. *Quam pulchra est casta generatio cum claritate.* Tunc pulchritudo extollitur, cum vndique nitidissimus eius splendor claret; quasi nõ iam censenda castitas sit, quæ vel remotam admittit materiam fumigantem, ex quo D. Cyprianus de singularitate clericorum, argumentatur, illius tãtum posse esse claram castitatẽ, qui, sacerdos cum sit, omnino alienus, & singularis est à contubernio puellarum. *Non est, inquit, casta cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ pluralitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum, & fœminam pariter in virginitate cõseruet, non habet claritatem, quam communitas ipsa non potest, nisi quibusdam probrositatis tenebris obscurare.* Vbi enim diuersi sexus calor sub vno tecto clauditur, nequit omnino fieri, vt si non flamma, saltim fumus aliqualis appareat. Memini sacerdotũ illũ apicem Martinũ Turonensem Episcopũ, qui dum regiam Maximi imperatoris adit, coactus est in secreto aulæ cubiculo imperatricis famulatum suspicere. Ex quo facto sic reliquos Sacerdotes monet D. Seuerus Sulpitius, Dialogo. 2. cap. 7. *Videant enim, quia Martino semel tãtum in vita sua, iam septuagenario non vidua libera, non virgo lasciuiens, sed sub viro viuens, ipso viro pariter supplicante regina seruiuit, & ministrauit: hæc credenti astitit, non cum epulante discubuit, nec ausa est, participare cõuinio, sed deferebat obsequium. Discę igitur disciplinã seruiat tibi matrona, non imperet, & seruiat, non recumbat, sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamẽ est adscita cõuinio.* Multa hinc discere possunt sacerdotes Christi, & quam cauere debeant famulatum, & dominarum imperium: Vt enim lethalis est domesticis Petri iuuenis famulæ contuitus, sic etiam est lethale dominarum imperium. Cur non pereat merito sacerdos ille, qui lasciuientis iuuenis more, se puellarum imperio subdit? Cur non pereat domesticus Petri, qui aliquando lætatur dominæ placuisse suæ? De his D. Chrysostom. serm. quod regulares fœminæ viris nõ cohabitent, sic loquitur, mores Ecclesiastici viri, pessimæ seruituti subditi proponens. *Ancillis sæpe tardius paratis & assidet, & alia errat, nec ob illa pudefit, sed gloriã putat: neque ipse erubescit, sed magis gaudet, & tanto magis, quanto fœdiorem seruitutem subijt, & apostolicum illud verbum, quod dicit: Gloria in confusione ipsorum re ipsa monstratur.* Vbi magis est gloria in cõfusione, quam vbi sacerdos cõptulorũ more puellam circuit, eique præbet seruitutem? Vbi sacratus vir totas curas absumit, vt placeat fœminæ, de eiusque imperio viuat?

Ghrysolo.

Sapient. 4.

Cypria.

Chrysostо.

§. IX.

Indecorum est viris Ecclesiasticis, quod fœminæ, vel aniculæ feruentiores sint in diuino obsequio.

ECCE tibi, quis in domo Petri ministret Iesu? nimirum illius socrus, anicula, & vilis mulier ministrabat ei. Cur Petre, pateris in domo tua tantum ministerium aniculæ fœminæ committi? Cur non potius tu ipse ministras? Metuo, ne verecundum sit Petri domesticis, quod in diuino obsequio promptiores,

res,& feruentiores fœminæ inueniantur. Me
Chryſolo. ritò Chryſolog. ſerm. 18. aiebat: *Petrus ipſe cauſas ſuæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc ſocrus faceret, magiſtro diſcipulus quod debebat?* Quanta id mea verecundia fateor, quod feruor diuini famulatus, non tam apud Petri domus columnas, quam penes abiectas fœminas hodie inueniatur. Video plures Eccleſiæ ꝓcipibus inſignitos, ſplendentium dignitatum infulis exultantes, ſed quæ ardenter, & auide Chriſto ſeruiat, vix inuenitur anus vna, fœmina vna. Diſcumbebat aliquando Ieſus in domo Simonis Phariſæi, & inter diſcumbendum accedit peccatrix mulier, cuius obſequia Dominus ſuſpiciens, ait ad Simonem, Lucæ
Luc. 7. cap. 7. *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit, &c.* In domo Principis Synagogæ, & principis illius, qui Ieſum excipiebat conuiuio, totum eius confundit obſequium vna fœmina, quæ ſola præ omnibus nouit Ieſu ſeruire: in qua ſola, & feruor diuini famulatus, & auiditas propriæ ſalutis, ſibi Ieſum deuincit. Vndè
D. Paul. notabat D. Paulinus epiſt. 4. dicens. *Meritò prælata & Phariſæo paſcenti licet Chriſtum, quæ Iudæo exultante, ieiuna non cibi, ſed ſalutis auida ſeruiebat.* Multos Eccleſiæ principes, inſignesque viros cunfundit paſsim vnius fœminæ in Ieſum deuotio, & ſalutis auiditas, & dum illi dignitatum culmina tenent, clauesque regni, & ſapientiæ adminiſtrant, fartaſque doctrinæ menſas oſtendũt, aniculæ vnius famulatus à Deo prefertur illis, & ſibi eligitur. Eu, quoties non vna mulier Hebræa, ſed mille mulieres Chriſtianæ faciunt confuſionem in domo Eccleſiæ Principum? Quanto cum dedecore audient Petri hæredes, Eccleſiæ principes, doctrina, & ſapientia pleni viri audient à Ieſu: *Vides hanc mulierem? tu aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos*: tu ille faſtidia prætetuliſti ſalutis; hæc ſemper auida ſeruiebat: tu totus ad ſplendorem dignitatis intentus; hæc vnum Deum ſuſpirabat. Quis venerabilium virorum inue recunde ferat, ſic à Deo exprobari? ſic à mu-
Chryſoſto. liercula vinci? Præclarè aiebat D. Chryſoſtomus, ſerm. 4. in Matth. *Et vere magna confuſio eſt Sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis, aut iuſtiores.* Quid ſi feruentior ſit muliercula? quantum id dedecus debet infundere viris magnis? Sanè quantum debeat mordere virorum animus virtus fœminarum, nouerat ſatis ſapientiſſima, & fortiſſima Iudith: quæ ſacerdotibus, & ducibus Iſraelis deficientibus, audet in exercitus Aſſyriorum venire; ibique intrepida Holoferniſ ſuccidit caput, nec tanto facinore contenta abſciſſum cãput aſſumens ſecũ, ad ſuos redit, quibus fatur, cap. 14. *Audite me fratres, ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros, &c.* Non permittit ſuos exire in campum, antequam caput fœminea abſciſſum manu in mœnibus ſuſpendatur. Cur hoc? An non ſatius eſſet protinus exire in hoſtes, quam in his par ui momenti rebus immorari? Quid intererat, quod caput illud ſuſpenſum mœnibus pateret prius? multum per omne modum: nam Bethulienſes milites, viſo illo capite à fœmina abſciſſo, non poterant non incredibili pudore compungi, & excitari in certamina. Caput illud Bethulienſibus pudoris, verecundiæ calcar adhibebat, Aſſyrijs autem metum, & horrorem incomportabilem. Pulchrè D. Ambr. *Ambroſ.* de viduis inde Iudith ſapientiam exaltat, fatus. *Nec dexteræ tantum hoc opus, ſed maiora trophæa ſapientiæ. Nam manu ſolum Holofernem vicit, conſilio autem hoſtium vicit exercitum; ſuſpenſo enim Holofernis capite, ſuorum erexit animos, hoſtium fregit, ſuos pudore excitans, hoſtes quoque terrore percellens.* Non ſine ingenti pudore, & verecundia venerabilium, fortiſſimorumque virorum oculi poſſunt fœminarum facinus ſpectare.

§. X.

Eccleſiæ dignitates ne dentur iure conſanguinitatis.

QVAM deſerta erat domus Petri, in quâ anus ſocrus debuit ſanari, vt miniſtraret hoſpitibus: id bene notans Chryſol. ſerm. 18. *Chryſolog.* ait: *Sic in domo Petri non erat vernula, non miniſter, non familiaris, non propinquus.* Inde iam Petri ſucceſſores initiabat Dominus, iuxta quos ad munera Eccleſiaſtica largienda nullũ ſit ius familiaritatis, & conſanguinitatis. Hinc Auieni viri cõſularis gloriam poſt ponebat Baſilio conſulari Sidonius Appollinaris, epiſt. 9. *Apollina.* fatus. *Auienus ſi quid poterat, in filijs, generis, fratribus prouehendis moliebatur: cumque ſemper domeſticis candidatis diſtingueretur, ad expedien das forinſecus ambientium neceſsitates, minus valenter efficax erat: & in hoc Corſinorum familiæ Daciana præferebatur, quod qualis impetrabat cinctus Auienus ſuis, talia conferebat Baſilius diſcinctus alienis.* Quod ſi minus decorum erat ſæculari Principi, in ſæcularibus muneribus largiendis, propinquos, & familiares reſpicere, quam id indecorum, immò, quam turpe futurum putas Principibus Eccleſiæ? Id flebat D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 250. aiens. *D. Iſidor.* *Cœleſte ſacerdotium fidei noſtræ cõmiſſum eſt, ac per lubricũ, & periculoſum indicium illud corrũpimus, ille per vim epiſcopatum accepit: & genere ſuo rerum ſtatum onerat. Ille famulorũ gregibus altare obturbat: Hic ad illius familiaritatem ſe adiun-*

adiungit & pauperum bona interuertit. Papæ! quot maculis diuinum sacrarium contaminatur? Quot propinquos, quot familiares, quot famulos, hoc solum iure, quod tui sunt, ad patrimonium crucifixi promoues, tot maculas sacerdotio inuris. Non inuenuste D. Bernard. in declamat. carpebat sui temporis Episcopos, cum recensens illos, qui ad sacras dignitates euolabant, sic fatur. *Ille dignus archidiaconatu, vtpote filius Principis: magis autem, si sit Episcopi consobrinus: in quo, nimirum, tota est episcopata progenies.* Et quidem, quando in patruo Episcopo, non episcopatur vniuersa eius familia? Quod quam sit alienum à Christi Ecclesia, ostendit. Psalm. 109. dum de Iesu ait. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec*, non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per familias propinquorum deferebatur, sed secundum ordinem Melchisedec, qui, vt notat Paulus ad Hebræos 7. *Est sine patre, & sine matre, & sine genealogia*; ne apud Petri hæredes valeat aliquod ius familiaritatis. Ex quo Diu. Leo. serm. 2. in anniuersario assumptionis suæ, ait. *Denique huius diuini sacerdotij Sacramentum non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creauit, eligitur: sed cessante priuilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.* Quam pulcer erit Sacerdotum ordo, in quo nullus appareat sanguinis electus suffragio, sed diuino spiritu præparatus in doctrina, & virtute. Illud extremæ ruinæ signum ponebat Isaias, capit. 3. in capite magnæ calamitatis. *Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui, dicens: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua: respondebit in illa die, dicens. Non sum medicus, in domo mea non est panis.* Hæc ingentis calamitatis, extremæque ruinæ descriptio est. Sed vnde in his apparet tanta ruina? In illo, *apprehendet vir fratrem suum, &c.* Quippe extrema est totius politiæ ruina, quod solum ius propinquitatis, & familiaritatis spectatur, vt ad communis status munera eligantur illi, qui in se nihil habet sapientiæ, nil virtutis, sed hoc tantum habent, quod fratres, vel propinqui, vel familiares, vel famuli sunt electoris. Ibi Diu. Basil. fatur. *Non item eum eligunt, qui est dignus: sed domesticum, & familiarem. Neque, qui salutaris esse posset Reipublicæ, sed qui in sua gente, ac familia, vi facultatum præpolleret. Apprehendet enim, ait, homo fratrem suum, & domesticum patris sui. Id quod absit, vt contingat in creatione, ac delectu præsulum Ecclesiæ.* Magna equidem est hæc ruina vniuersi ordinis, & summæ calamitatis indicium; magnamque vbiuis parit infamiã potentibus viris, quod suorum tantum augmentis desudẽt, eosque consanguinitatis calculo promoueant, qui vndeuis emendicare cogantur sapientiam, nec illis in domo sua panis sit sufficientis doctrinæ, ita vt necesse habeant de aliorum talentis viuere.

Bernard.

Psal. 109.

ad Heb. 7.

Leo.

Isai. 3.

Basil.

CAPVT SEPTIMVM.

De sanata muliere à profluuio sanguinis.

CHRISTVM ad Archisynagogi filiam dum iret: ecce nunc fœmina cruentæ, longæque passionis desperata venit ad medicum; non obsecrans, non gemens, sed tacens abstulit quod quærebat. Medijs se cateruis vehementer inseruit, paruam saltem desiderans sumitatem dominici contingere vestimenti, latensque posterius ab extrema pendentis ora laciniæ furtiuam subito rapuit sospitatem. Vnde si sanguinis riuos maior fidei desicauit alluuio, cunctisque gratiæ muliebris ignaris, Christum non latuit sui muneris donum, de cuius fonte emanauit, quod spes confidentis impleuit, furtumque publicans tam fidele, donis salutaribus remuneratur vis rapinæ.

Matth. 9. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.

§. I.

Notantur, qui Dei flagellum in membrorum sanie non erubescunt, sed vanè iactant. Vbi pudefactionis efficacia.

VTINAM, vt multi luxuriæ fluxibus hausti similes sunt huic infirmę mulieri, sic & in pudore de morbis non fuissent dissimiles. Hæc enim immundæ passionis languida cõparere veretur, & pudet illi Dei

flagellum in se oculis videntibus præsentare. Ait enim Chrysolog. serm. 33. *mulier stabat, eminens, quam natura pudore perfuderat.* Quã effrontes illi sunt, qui luxuriæ saniem sudantes, pædore confecti in munditiam suam iactant, illâque gloriantur. Quam melius sibi consuluissent, si diuinum in se flagellum cognoscentes, illud erubescerent? Illa quondam florentissima, & luxuriosa ciuitas Sidon, dũ pene iaceret, de verecundia solũ monebatur. Etenim ait Isaias cap. 23. *Erubesce Sidon, ait mare:* vbi non solum pondero, quod sub flagello Dei vnũ pudorẽ doceatur Sidon, sed quod is doceatur à Mari. Et quidẽ omnes nos docet Mare pudorẽ in diuinis flagellis; nã Exodi 14. *Cum extendisset Moyses manum super mare:* subito mare fugam arripuit, vt dicat Psal. *Quid est tibi mare, quod fugisti?* Fugit mare, Moysis manum expertum, & vbi virgæ flagellum in se sensit, eo se se affecit pudore, quo oculos spectantium vereretur. Id quod notans D. Cyril. Ierosol. in cath. 3. ait. *Mare tempore Moysis, videns virgam, erubuit eam, qua percussus est.* Cur homo videns in se luxuriæ pædorem, carnes exestas, membra mutila, non erubescat virgã, qua percussus est? Non præ pudore amet latere? Maria soror Moysis, vbi in fratrem linguæ iaculæ torsit, statim sensit in se le præ flagellum, quo pene exestæ eius carnes apparebãt, pro qua vbi frater orat, hoc accipit diuinum responsum, Num. 12. *Si pater eius spuisset in faciem illius non ne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus &c.* Ecce tibi quid Dominus prius requirit in eo, qui peccatorum suorum sustinet flagellum, nimirum, vt erubescat illud; vt tãto pudore afficiatur, ne velit sub flagello apparere, sed, quantum est in se, amet latere. Quippè debet peccator maximè confundi sub Dei indignatione experta. Id quod spectat Lyranus, ita verba citata explanans: *Si pater carnalis ostendisset ei indignationem, & reprehendisset ei: sicut & Deus fecit, debuisset esse confusa septem diebus; multo magis debet esse confusa de indignatione Dei.* Quæ virgo non erubescet præseferre faciem à parente optimo verberatam, & homo cordatus non erubescat habere in se manantes sanie viuices à diutino peccatorum verbere effectos? Hunc abominabatur peccatorem Dominus Ierem. 3. *Polluisti Terrazin fornicationibus tuis, & in malitijs tuis. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit.* Et quid ille sub tanto verbere, tot flagelli viuicibus plenus? *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quippè hoc maximè abominandum Deo in meretricibus, quod non erubescant peccatorũ suorũ flagella: quod vel putrescentes iã libidines nõ illis pudorẽ afferãnt, & cõfusionẽ, qua pudefactæ ad medicũ animarũ cõfugiant, quippè efficacissimũ hoc cõfusionis remediũ in pene deploratis peccatoribus Dñs procurat, quo trahantur ad vitã. Ideò 1. Reg. c. 5. *Aggrauata est manus Dñi super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte natium Azotium.* Cur in secretiori parte percussisset, nisi, vt obstinati, & desperati peccatores tanti flagelli opprobriũ erubescentes tandẽ resipiscerent? Id quod notans Abbul. q. 15. ait. *Fuit ista plaga dura, & opprobriosa: dura quidem, quia multi moriebantur: opprobriosa verò, quia erat in turpi loco, quod Deus faciebat ad ignominiã Philistinorũ, vt sic saltẽ cognoscẽtes potentiã eius, & opprobrium suum, cogerẽtur remittere arcã.* Quis verecũdos morbos inuerecũdè sustineat? Quis erubescendã ignominiã ferat, & nõ potius pudefactus ad honestatem cõfugiat. Ps. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.* Nunquã non salubris ignominiæ pudefactio.

Chrysol. Isai. 23. Exod. 14. Psal. Cyr. Ierosol. Num. 12. Lyran. Iere. 3. 1. Reg. 5. Abul. Psalm. 82.

§. II.

Is Deo non potest displicere actus, qui a corde perfecto proficiscitur.

NON in multiloquio, nec in externorum operũ vano fulgore sibi cõplacet Deus, qui, quæ cordi sunt homini, ea æstimare, & accipere gaudet. Hinc sapiẽs mulier fiduciã, quã de Deo cõcipit, corde retinet. *Dicebat enim intra se: Si tetigero tantũ vestimẽta eius, salua ero. Iã placitura apparebat,* vt ait Chrysol. *Cui cordi erat fiducia in Deum.* Quippè à tã humili, & perfecta cordis officina nihil exire poterat haud gratũ oculis diuinis. Cõpone modo Pharisæum illũ, cuius meminit Lucas, & Ezechiam Regem, qualiter vterque opera iactat, & prædicat; Pharisæus ait: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do, &c.* Ezechias autem sic loquitur. *Obsecro Domine, memento, quomodo ambulauerim coram te corde perfecto.* Vterque, inquam, suam commendat opera; vterque facinora sua prædicat; indeque repulsam sustinet Pharisæus; & Ezechias præmium reportat: quia ipse non externum splendorem, sed internum cordis affectum diuinis præsentabat oculis. Ita Eucher. lib. 4. in lib. Regum, inquit. *Ecce Pharisæus se iustificauit in opere; Ezechias iustum se asseruit etiam in cogitatione;*

Chrysol. Luc. Ezech. Idem. Euch.

at

atque vnde ille offendit, inde iſte Domino placuit. Cur itaque hoc niſi, quia Deus ſingulorum verba perſpicit, & in eius aure ſuperbæ non ſunt, quæ humili corde proferuntur? Quod loquitur cor hominis, id ſolum auſcultat Deus, ibi applicat aures, vbi cordis vox ſonat, & dum cordis intima perfecta ſunt, nihil exterius poteſt Deo non placitum perſonare. Ioel 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Cur non ſcindant veſtimenta ob dolorem diuinæ offenſæ? Vſus erat apud Iſraelitas, quod audita Dei blaſphemia, in ſignum doloris veſtes ſcinderent: vſus hic pius erat, & ob pietatem inſtitutus, multumque faciebat ad Dei veneration-em externam. Cur igitur prohibet propheta talē vſum? Cur vetat ſcindi veſtes, & mauult ſolius cordis ſciſſuras eſſe? An non melius diceret, ſcindite corda veſtra, & veſtimenta veſtra? Similiter aiebat paulò ante. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu*: quaſi non ſolam cordis conuerſionem vellet, ſed inſuper adderet externorum actuum virtutes, nimirum, & ieiunium, & lacrymas. Igitur eodem modo diceret, ſcindite corda veſtra, & veſtimenta, quaſi vnum ſine alio non multum placeat. Cur maluit dicere: *Et non veſtimenta veſtra*? Et quidem id conſequenter puto dictum fuiſſe: vbi enim intima cordis contritio petebatur, neceſſum erat, vt in exterioribus actibus nulla ſciſſura, nihil non integrum, & perfectum appareret, & Deo placitum. Accipite modo D. Bernard. ſermon. 2. in cap. ieiunij ſantem. *Scindamus, itaque corda noſtra, quatenus integra proinde veſtimenta ſeruemus. Veſtes enim noſtræ virtutes ſunt. Scindamus corda, vt hæc veſtimenta ſeruemus integra, quemadmodum integra ſeruata, & tunica Saluatoris, integram ſeruat veſtem ſciſſio cordis.* Perficiendum in primis nobis eſt cor, ſi enim eius malitia ſcindatur, & eius componantur affectus, nihil non integrum in exteriorbus actibus apparebit. Hinc Dauid cum ſentit cor ſuum bonis, & rectis ebullire affectibus, tunc primum, & non antea audet opera ſua proponere oculis diuinis: ait enim Pſalm. 44. *Eructabit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.* Quippe non eſt cur timeat opera ſua Deo proponere, cuius cor bonis, & perfectis affectibus commoueri ſentitur.

Ioel 2.

Bernard.

Pſalm. 44.

§. III.

Non publicandum eſt, quod Deo ſeruitium præſtare decreueris.

BENE hæc mulier itura per turbas ad Chriſtum dicebat intra ſe. *Si tetigero, &c.* Non exerta voce animi decretum publicabat, ne impediretur, ſed ſecretum ſuum ſibi retinebat. Vtinam tacuiſſet Eua, ſed ſecreti voti impatiens, ait ſerpenti. Gen. 3. *De ligno boni, & mali præcepit Deus, ne comederemus.* Ad quod reſpiciens D. Baſil. Sel. orat. 3. ait. *Exarmaſti te mulier Dei voce diabolo credita.* Quā pulchrè ait, *exarmaſti te*: quippe dum virtutis propoſitum intimo cordis ſecreto clauſum manet; inſtar caſsidis eſt, qua aduerſus hoſtiles incurſus inſuperabiliter armamur. Verum ſi publices ſtudia virtutis, arma abigis, & quaſi inermem te mille hoſtium ſpiculis tradis. Iudicum 6. Vbi nefaria fœmina Samſonem in gremio dormientem habuit, antequam crines eius raſerit: *Videns illa, quod confeſſus eſſet ei omnem animum ſuum, miſit ad Principes Philiſtinorum, ac mandauit: aſcendite adhuc ſemel, quia mihi aperuit cor ſuum.* Expende, vnde peſsima fœmina ſecuros faciat Philiſteos de Sāſonis ruina: *quia mihi*, ait, *aperuit cor ſuum.* Nō inquit, quia illum ligatū fortiſsimis habeo vinculis: nouerāt enim omnes, quam parui pēderet vincula Samſon; hoc vnum proponit, quod aperuerit cor ſuū, quaſi illū tunc maximè infirmauerit, inermēque reddiderit, cum ſecretæ virtutis ſpolia rapuit. Pulchrè D. Chryſoſtomus, hom. 15. ex varijs in Matthæum ait: *Et hunc tantum, & talem virum, & pulchritudine, & virtute, & ſanctitate vxor ſua, ſicut inimicum decipiens, alligans Appophylis tradidit. Vnde illa mulier, ille tam forti viro præualuit? ſubdola irrepſit in præcordia mariti ſimplicis, & importunis obſecrationibus fatigatum arcano illo virtutis ſuæ martyrio ſpoliauit: atque ita deraſis crinibus, virtute nudatum funditus euertit.* Omnis fortis viri armatura corruit, vbi ſecretum virtutis ſuæ teſtimonium patuit. Vbi intima Samſonis præcordia patuerunt, nihil in illo fortè, nihil validum, nihil quod vel à fœmina, non ſuperari poſſet permanſit. Exarmamur omnes, qui arcana virtutis ſtudio publicamus. Vnde amatricem animam, ſic monebat Dominus, Cant. 3. *Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio.* Expende cauſalem illam; cur ſe vt ſignaculum poni ſupra cor mandat, nimirum, quia dilectio fortis eſt. Non enim poſſet dilectionis fortitudo conſiſtere, niſi corde obſignato, niſi, vt ait Anſelmus: *inimicis pateat ab eis ſecreta,*

Baſil. Sel.

Iudic. 6.

Chryſoſt.

Cant. 3.

Anſelm.

quæ habes esse clausa, & ignota? tunc fortis est. Tunc fortis est dilectio, tunc validis armis confirmata cum cordis bona studia claudimus habentes Iesu signaculum. Nec longè abest Hieronymi lectio, quæ in fine epist. ad Eustochium sic habet, *Pone me, sicut vmbraculum, super cor de tuo, sicut signaculum super brachio tuo.* Quasi non bene armata, & fortis esset dilectio, dum solo signaculo vno haberet cordis studia clausa, nisi pro tegumẽto insuper immẽsam caliginẽ addat. Quò respiciebat illud Angeli ad Mariã, Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Cur tãta virtus requiritur, vt obũbret Mariæ? an ne secreta sæculorũ illi credita possint hostibus reuelari? Ita D Ber. ser. 4. in Ps. qui habitat. Vbi fatur. *Obumbratio Mariæ facta est ab Spiritu sancto ad calandũ videlicet tã incomprehensibile Sacramentũ.* Tota ergo vmbrarum vis, qua in Maria tantũ secretũ celatur, iubetur à quolibet adhiberi cordi suo, si velit fortem habere in Deum dilectionem, & bene armatam.

Hieron.

Luc. 1.

Bernard.

§. IIII.

In minimis virtutum exercitiis ad maxima facinora paramur.

VIDE, quibus sibi persuadeat mulier se ad obtinendã salutẽ peruenturã: *Si tetigero*, ait, *fimbriam vestimenti eius, salua ero.* De leui fimbriæ tactu pene innato morbo ruinã parat. Sic de leuissimis virtutũ exercitijs ad illustres victorias sæpe aptamur, & instruimur. Prou. 3. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretũ eius.* Et vt mulieris fortis decantet facinora, sic tandẽ ait. *Manum suã misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Hæccine sunt facinora? Hæccine fortia illa, ad quæ misit manũ, nimirũ, quod apprehendit fusum? Quid fusus habet cum fortibus facinoribus? Sanè fortissimi etiã viri in spirituali stadio per leuissimarũ rerũ exercitia se se accingunt, vt ingentes sibi salutes accumulent. Huc reuoco Iudith gloriam, quæ à puellarum calathis non dubitauit ad militum tentoria pro Israelis salute prodire, & nacta Holophernẽ dormientẽ, accessit ad colũnam, cap. 13. *Et pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat exsoluit. Cumque euaginasset illud, &c.* Quid audis? Puella delicata gladium arripit? Gladium stringit? Vndè ad hæc virtus, & fortitudo? Pulchrè D. Augustin. ser. 229. *Bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum post teneritudinem fusi enem scapulum quærit.* Non post postratos leones, post vrsos strãgulatos, vt Dauid ad Gigantẽ, sed post fusum, & per fusum ad gladiũ accedit, & salutẽ totius Israelis sperat. Licet equidẽ nobis in minimis virtutũ exercitijs ad magna perpetranda, & consequenda parari: nec ægrè inuenies, qui paruis exercitati, magni, & illustres fiant. Matt. 5. sic docebat Dñs: *Qui ergo soluerit vnũ de mãdatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autẽ fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.* Quibus illud acutè notat Rup. lib. 4. de gloria, & honore filij hominis, quod vbi de nõ adimpletis præceptis loquitur, specialim, dicit. *Qui soluerit vnũ de mandatis istis minimis.* Vbi autẽ de adimpletione fatur, solum ait. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur*, non determinat, qui fecerit magna, vel minima, quia etiã de minimarum rerum exercitijs ad magnarũ venitur triũphos. Vndè egregie monebat Chrysost. ho. 5. ad Theod. lapsum. *Cũ videmus egregia facinora superare caput nostrũ, minora perficisse nihil pudeat. Reijcere enim parua, vbi magna consequi nõ vales, extremæ est dementiæ. Nam absurdum apparet, quod iudex quoque frigidi poculi mercedẽ spõdit? Atqui nos stolidiores, nisi magna facta possimus, minorũ curã omnẽ abijcimus. Minima qui non despicit, accurato studio vel maxima perficiet.* Per minima proculdubio ad maxima itur: quò spectans Paulus scribit ad Titũ c. 3. admone illos principibus, & potestatibus subditos esse; dicto obedire: *Ad omne opus bonũ paratos esse.* Nõ tã petit, quod præcellentibus, arduisq; operibus incũbant: hoc enim non semper petere licet, nedum expedit; petit tamen, vt prõpti, & parati ad illa fiant. De quo ita disserit D. Dorotheus doctrina 12. *Quid est autem paratos? Ædificaturus quis nauem, primũ præparat, quæcunq; necessaria ad eam sunt, & picẽ, & stupã, & clauos. Et mulier cũ textrinũ erigere volnerit, vel tellam texere, disponit primũ quæcũq; necessaria, etiã calamos, & fila minutissima parat. Vt igitur nos simus parati in omne opus bonũ, habeamus omnẽ curã, &c.* Ille equidẽ magnis rebus iã prõptus, & vicinus est, qui vel minutissimis operã etiã nauauit, quando per has minutias ad præstantissima cõsequenda exercetur animus. Iudicũ 17. ait Sãson ad vxorẽ: *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Ecce quantã fortitudinem debiles capilli tenebant; tota curã, totũ Sansonis studiũ in pilis paruis seruãdis, de Nazarẽorũ lege erat, vt fortissimus haberetur. Sed cur fortissimus haberi poterat per curã rei tã parui momẽti? Auctor mirabil. script. lib. 2. c. 6. ait. *Non quia insensibili capillo virtus inerat, sed mandati dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat.* Itaque per obseruationẽ rei paruæ mandatæ ad ingentia facinora paramur.

Prou. 3.

Iudith. 13.

Augustin.

Matth. 5.

Rup.

Chrysost.

Doroth.

Iud. 17.

Mar.

Marc. 5. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutẽ, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam aiebat. Quis tetigit veſtimenta mea? Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam cõprimentem te, & dicis, quis me tetigit? Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

§. V.

Gratia Chriſti promptiſſimè exilit, vbi ſubiectum aptum inuenit.

NON magnis percuſsionibus opus habes, vt à Chriſto fluenta gratiæ proſiliant, ſolum expectant, vt parata ſint vaſa, quibus recipi poſsint. Quod ſi aptatum ſit vas ad recipiendum, adeo prompta eſt gratiarum vena, vt vel leui tactu, vel oculorum ictu pulſata ſtatim ſeſe profuſiſsime effundat. Iuſſus erat Samuel, 1. Reg. 16. accipere cornu olei, & è filijs Eſai vngere Iſraelis regem, quod dũ peragit Propheta, & per ſingulos fratres à maiori incipiens diſcurrit, oleum intra cornu clauſum erat, nec vel guttulam ſtillabat: verum vbi acceſsit Dauid, qui ſolus inter fratres erat imperio ſuſcipiendo aptus, *tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum.* Quid plura? Vix Dauid apparuit, & ecce tibi, oleum iam effluebat, & quod antea clauſum tenebatur, vbi inuenit Dauidẽ, ruptis carceribus, properabat. Quod *Baſil. Sel.* notans D. Baſil. Seleu. orat. 14. inquit. *Gratia ſtatim ad vnctionem monit manum. Nondum cornu inuergebatur, & oleum properanter effluebat.* Nequit gratia teneri, vbi inuenit ſubiectum aptum, ſed vel ad leuem tactum, vel ad verbulum, vel ad ſolam præſentiam recepturi, ſeſe profuſis venis properat communicare. Equidem ſtat gratia Dei, tanquam in carceribus, vt obice rupto properet in ſalutem humanam: non bis percuti expectat ictibus virgæ petra Ieſus: verum ſi vel ictu oculi tangatur, largiſsima mittit fluenta gratiarum, vbi ſubiectum fuerit aptum. An Zachæus multum clamauit? An fortiter pulſauit Ieſu *Luc.* 19. oſtium? Rem dicit cap. 19. *Præcurrens aſcendit arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus, vidit illum, & dixit ad eum. Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Nõ verbum fecit Zachæus, non manibus pulſauit, ſed nec orã veſtimẽti tetigit, ſolum ab arbore oculorum ictibus egit, & in ictu oculorum ſeſe illi tota effundit Ieſu charitas. Id quod expendit eleganter D. Laurentius Nouarienſis, homil. de Pœnitent. fatus. *Domine, quid eſt hoc, quod dicis? Publicanus eſt Zachæus, videre te ſolum cupit, num quid de ſola viſione iam debet ſaluari? Aſcendit in arborem, vt videret, nec dum ingemuit: numquid confeſſus eſt maculam ſuam, aut flagitia replicauit? Nũquid fleuit ante te, & dicis illi: Hodie in domo tua me oportet manere? Vix adhuc vel videre te meruit, & iam angulos eius viſitas. Verum hoc officij tui eſt, & indulgentiſsimæ curæ.* Hoc propriſsimum eſt indulgentiſsimi Ieſu, quòd vix pulſetur vel oculorum ictibus, & ſeſe totum in apti vaſis plenitudinẽ effundat. Pſalm. *Inebriabuntur ab vbertate domus* *Pſalm.* *tuæ: torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Expende, quid faciemus nos, & quid Deus: nos ſolum videbimus, oculorum ictibus tangemus vitæ fontem: ille ſtatim exuũdantes voluptatum torrentes emittet. Equidem viuidus ille fons, nõ virgarum flagellis, ſed oculorum ictibus percuſſus dabit bonorũ fluenta pleniſsima. Id quod innuebat ipſe Cãtic. dicens. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Moyſes ille virga vulnerauit bis ſilicem, vt fluenta educeret: fidelis anima, vel vnius oculi radio immiſſo, viuidũ fontem vulnerat, & gratiarum fluenta educit. Vt dicat Iſaias, cap. 60. *Tunc videbis, & affluues.* Tunc *Iſai. 60.* cum Ieſus apparuerit, ſic ſeſe hominibus cõmunicabit, vt vel ictu oculorum percuſſus ingentem emittat affluentiam gratiarum.

§. VI.

Amat Deus ſe humanorum bonorum Auctorem ſciri.

INTERROGAT Dominus à quo fuerit tactus, non ignorans, ſed publicans fœnineæ ſanitatem à ſua fuiſſe profectã virtute. Quippe a nemine voluit ignorari effectum eſſe virtutis ſuæ, quod homines recipiant ſalutem. Similiter Exod. 17. vt petrã faceret aquis manare in potum Iſraelitarum, aiebat Dominus Moyſi: *Ecce ego ſtabo coram te tibi, ſupra petram Horeb, percuteſque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Datur Moyſi facultas, quod pulſet petrã, & ex percuſsione prodeũtes aquas ſuſcipiat: ſed interim vult Deus ſtare coram Moyſe: etenim ait: *Ecce ego ſtabo corã te,* *Exod. 17.*

ne quis dubitet exhibens aquarum donum à Dei virtute venire, & ali tribuat. Ita Lyppom. in Cat. *Iubetur Moyses astante Deo percutere petram, ne gratia tanti beneficij homini, & non Deo transcribatur.* Sic amat Deus se beneficiorum in homines labentium auctorē cognosci, ne gratia sua tribuatur creaturis. Post ingentem illam aquarum illuuionem, quæ vniuersam terram absorbuit, dicitur Gen. 8. *Aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimū mensem: decimo autem mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium.* Quod si consulas sacris interpretibus, qui fuerit iste mensis decimus, quo aquæ cessant, & serenitas redditur; ille est mensis Nouembris, media constitutus hyeme, vt inde clareat magis Dei potestas, à quo solo potuit serenitas eo tempore trahi, quo causæ naturales in tempestates, & pluuias magis esse solent propensæ. Et quid inde elicere amabat Deus? Sanè, vt innotesceret omnibus ab illo solo venire recreationem humani generis. Sic loquitur Diu. Basil. Seleu. orat. 6. *Æstate capit inundatio, & ellata est, montiumque vertices demersit: hyeme adulta aquarum abundantia remisit: contrariū naturæ legi sequuta est ordinem, vt nequis ex posteritate, inaudito diluuio terrorem fortuitum opinaretur, ne vel imbrium nubem conciperet, & inundationem sub horam hyberni temporis accidisse ratus, formidinem minueret, & diuinitus allatam recreationem tempestatum successioni male adseriberet.* Sic amat Deus se beneficiorum Auctorem ab omnibus recognosci, & præsentiri. Quo affectu dicebat Iesus Lucæ 10. ad discipulos: *Ite: ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Agni dantur lupis, & cupit Dominus, vt aduertant agni, à quo id accipiant; ne cum sibi lupos subijci agni videant, putent id sua effici fortitudine, sed clarè ibi agnoscāt munus diuinū. Pro quo stat Chrysost. ho. 4. in c. 6. Isaię inquiēs. Oppugnati sunt vn decim discipuli, totus orbis pugnabat, verum qui oppugnabātur, vicerūt. Oues deuicere lupos. *Vidisti pastorem oues in medio luporū emittētem? Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quo sibi demonstraret, quæ recte geruntur, non accidere iuxta nostrarum actionum tenorem, sed præter naturam, præterque rerum tenorem.* Supra omnem rerum ordinem, & naturam à Deo in nos quotidie proficiscuntur beneficia, quæ nobis auctorem suum patentissimis vocibus publicent.

Lyppom.

Genes. 8.

Basil. Sel.

Luc. 10.

Chrysost.

Marc. 5. Mulier vero timens, & tremens, sciens, quod factum esset in se; venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

§. VII.

Timor humilis in Dei conspectum abeundum inclinat: superbia a Deo seperat.

TIMORIS plena mulier non fugit conspectum Iesu: immò ad illū vadit. Quis hoc crederet de timore? Non ne timor ipsissima fuga est ab eo, qui timetur? Quomodo mulier timens mauult eum conuenire, à quo sibi timet? Expende illud: *Timens venit, & procidit*: & timor erat, & humilitas erat. Vndè nil mirum, quod ad Iesum timens currat, quia timor humilis non fugit Dei conspectū, sed in illum inclinat. Iam animaduertam illā superbientis Adami vocem, Genes. 2. *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Quia times, Adam, fugis Dei conspectum? Immò potius, quia times, Deum conueni, fugientem detine, cum Dauide clama: *Ne declines in ira à seruo tuo*: hoc est, quamuis iratus sis, tamen adsiste: te etenim, quia iratum expauesco, requiro. At non sic Adam loquitur, sed totus timore solutus, latebras quærit, quibus Deum fugiat. Equidem timor iste à superbiente Adamo. Præclarè Diu. Gregor. lib. 4. Moral. in Iob. capit. 28. inquit. *Qui quidem per timorem semetipsum abscensurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit, quantum etiam timens timebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur; timor ex tumore est, non ex humilitate.* Superbiæ mixtus est ille timor, qui latebras quærit, ne Deum videat. Verum timor humilis semper ad Deum euolat, eiusque diuino conspectui sistitur. Id ostendebat sponsa Cant. 1. inquiens: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Expende vbi nardus pusilla herba se se inserit, se se audet constituere, & virtutem exerere suauitatis suæ: nimirum, dum esset Rex in accubitu suo. Regem solent cauere pusilli, à quo territi longe abscedunt; nec amatrix hæc terrore vacat, & metu cum regem nominat: immò tanto est metu affecta, vt oblita sponsum, regem solum, & culparum vindicem appellet, & nominet. Sed dum sic territa est, dū sic timet, vsque ad intimum penetrale regis ingreditur, cur non potius fugit? Cur non potius abscedit? Vndè timens animus audet conuenire regem? Iam ipsa explicat, quando

Genes. 2.

Gregor.

Cant. 1.

dicit

dicit: *Nardus mea dedit odorem suum*, hoc est, pusillitas mea humilitas mea non sinit me timentem oculis non præsentari diuinis. Pulchrè Diu. Bernard. serm. 42. in Cant. ait. *Regē nominat, nam sponsum interim territa increpationem non audet, & in alto habitare fatetur, nec sic tamen accedere diffidit humilitas.* Vbi timor humilitati fuerit admixtus, Dei conspectum amat amplius, & quò maior est timor, eò studet anxius ante Dei faciem præsentari. Vt dicat Psalm. 30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*: absconduntur timentes: qui enim nil timet, non habet, vndè abscōdatur. Sed vide quales absconsiones, quales latebras quærant, pie, & humiliter Deum timentes: nimirum, ipsam Dei faciem quærūt, quia humilis timor ad nullum citius confugit, quam ad Dei faciem. De Cananæa dicebant discipuli ad Iesum Mat. 15. *Dimitte illā, quia clamat post nos.* Verū Chrysost. homil. 7. de diuersis, relatus à Damasceno lib. 2. Parellelorum cap. 15. putat alium Euangelistam dixisse: *Dimitte illam, quia clamat ante nos. Vtrumque enim, ait, faciebat. Ante à tergo clamabat, postquam autem nihil ei respondit Christus à fronte venit clamans: miserere mei. Grauis tempestas affectio, & timor!* Sed pulchrè timoris tempestate à tergo iactatur in faciem Dei. Genes. 29. peperit Lia primogenitum, & vocauit illum Ruben: in quo eleganter Richardus Victor. depingit spiritum timoris: sicut enim Ruben initium fuit filiorum Iacob, sic initium sapientiæ, omnisque virtutis est timor Domini. Quo posito, expende Liæ verba post'natum Ruben, nimirum, dicit: *Vidit Dominus humilitatem meam.* Nunc primum loquuta Lia, & nobis ostendit diuinos oculos superse, & gaudet se experiri sub diuinis oculis, quia vbi humili cordi adnascitur Dei timor, nil tam amat, quā esse sub diuino conspectu. Ita Ricardus Victor lib. 1. de Præparatione ad contemplation. cap. 8. vbi sic finit. *Recte, eo nato, mater eius exclamat. Vidit Deus humilitatem meam, eo quod tunc veraciter incipiat videre, & videri: Deum cognoscere, & à Deo cognosci: videre Deum per intuitum formidinis; videri à Deo per respectum pietatis.* Timor ipse iam desinit esse fuga, & vbi humilitati miscetur, alas sumit, nec quiescit, vsque dum veniat in conspectum Dei: sola est superbia, quæ homines à Deo fugere cōpellit. Vnde Psalm. 35. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te; & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. Non mihi veniat pes superbiæ.* Hæc dicebat adhærens Deo anima, & dum sic Deo adhærebat, vnum à Deo postulabat, nimirum, *non veniat mihi pes superbiæ.* Cur superbiæ pedes maluit tūnc deprecari à se? Quia pes superbiæ fugam semper à Deo meditatur; & superbiæ substantia tota est in fugiendo à Deo. Accipite pulchrum testimonium Diu. August. tract. 25. in Ioannem, hęc Psalmi verba explanantis. *Quia ergo apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, intus bibamus, intus videamus. Quare enim inde exitum est? Audi, quare. Non veniat mihi pes superbiæ: ergo ille exit, cui venit pes superbiæ.* Nequit superbiæ pes à Deo non recedere; nunquam non videbis superborum vestigia Deo auersa, vt aliò se conferant. Lucæ 18. *Homo quidem descendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones.* Descendebat, ait, ab Ieruſalem, & quis ab Ieruſalem descendit? Ieruſalē cœlestis curia est, vbi regalis Dei thronus cernitur, cur non magis inibi homo immorari amat, cur à Dei sede discedit? Sanè inditus fuit huic misero pes superbiæ, & non potuit stare cum Deo, nō potuit à Deo non discedere. Ita Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 1. ait. *Descēdebat, quia mente tumebat.* Non poterant superbi vestigia non esse Deo auersa, ab illoque in latrones descendere. Ait enim Euagrius apud Damasc. lib. 3. Parallel. cap. 96. *Superba anima latronum hospitium est.*

Bernard.

Psalm. 30.

Matth. 15. Chrysost.

Rich. Vict.

Psal. 35.

Aug.

Luc. 18.

Rup.

§. VIII.

Dei consortium timorem incutit, quo timore paramur ad regia Dei excipienda beneficia.

QVAE intrepida ad Iesu fimbriam accessit, vt furaretur salutem, modo timens, & tremens iam sana Iesu oculos subijt. Et cur non timeat mulier, quæ in Dei consortium assumitur? Iob capit. 23 rectè exprimit, quā timenda res est in Dei conspectum etiam venire mundissimos. Etenim ait. *A facie eius turbatus sum; & considerans eum, timore solicitor*, Græcè dicitur, *considerabo, & terrebor ab eo.* Nulli se videndum præbet Dominus, neminem in conspectum admittit, cui suum timorem non imprimat. Explicatiùs auctor Cathenæ Græcæ, fatur. *Me Deus suo vultu, suo me terret aspectu. Cum autem ipsum tantummodo cogitaro, metu concutior.* Vbi adest Deus, ibi statim Dei timor: nec enim in mentem venire nouit Dominus, quin timore suo omnia, etsi mundissima perfundat. Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebāt templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni & sex alæ alteri, duabus velabant faciem.* Ad consortium tantæ gloriæ Seraphim admittuntur,

Iob. 23.

Græc.

Isai. 6.

& ipsa velant faciem suam, cùr potius in tanti boni cõspectu, & participatione oculos in immensum non aperiunt. Chrysost. ibi ait. *Timoris, ac stuporis erant plena, ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem.* Et totam seraphicam puritatem, & munditiem habebant, & nihilominus à Deo in illa maximus timor proficiscebatur. Nunquam non timori est seruo, Domini sui subire conspectum. Nunquam creaturas non solicitat timor, vbi ad maghalia Dei se vident promoueri. Dum dormit Iacob, & cœlum apertum, & Deum ibi, & scalas appositas ad ascendendum vidit. Quid plura? Genes. 28. *Cumque euigilasset Iacob de somno, ait, verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebã. Pauensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Nullibi cœlum serenius, & patentius, nullibi Deus propitior, milleque dulcedines manãs, & tamen Iacob nunquam timidior, nunquã pauidior apparet. Quid times Iacob? Caietanus ait: *Timuit Diuinum iudicium.* A Dei cõpectu, à largitoris, benefactorisque Dei facie indignus seruulus timorem ebibit, & ingentem tremorem haurit. Non enim possunt ingentia Dei dona in vilibus homuntionibus timorem, & tremorem non generare. Isaias capit. 60. *Tunc videbis, & affluues.* Vbi significantius, Diu. Hieronymo inuito, Septuaginta reddidere. *Tunc videbis, & timebis, & stupebis corde.* Quasi nulla à Deo bonorum affluentia veniat, quin & timorem incutiat, & tremorem. Hinc Dominus Lucæ 12. cauebat: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Regnum illis promissum, immò iam iam datum à Patre ostendit Dominus, & nihilominus monet, ne timeant. Quid necessum est monere de timore, quando tanti regni donum ostendit? An regni donum per se non excluderet timorẽ? Immò, quia necessum erat, vt à tanto Dei dono exhibito timor in seruulis nasceretur, ideò bene admonentur, vt modum ponant timori. Ita Chrysolog. serm. 23. fatur. *Promissionem regni, sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet insulas principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Regnum velle seruum crimen est: audire periculum, temeritas non timere. Sed hoc ad Christum quantum? Aut quam mirum, quod dat seruis regnum, quod sibi seruos facit in dominatione cõsortes?* Is sanè est Dominus, qui seruulos ad se alliciat, & sui regni ditet consortio: sed istud consortium regni, nescio quomodo, nõ magnum timorẽ seruulis incutiat. Necessum est, vt ad Regni largitorem Deum timens & tremens seruulus accedat, ideo curet timorem moderare, non omninò tollere, quando inter munera, inter largienda regna tremendus haberi Dominus cupit. Cant. 7. ad fidelem animam Deo nuptam dicitur. *Coma capitis tui purpura regis vincta canalibus.* Quæ cum Hebræis à Septuagint. leguntur, vt alibi notauimus: *Comæ capitis tui purpura. Rex ligatus in transcursibus.* Sed in præsenti examinanda venit lectio peculiaris, quam scribit Diu. Philo Carpathius, inquiens: *Coma capitis tui purpura. Rex tremendus in excursibus.* Et præclare, vbi regiam dignitatem fidelium asserebat, cum ait comas vniuersas capitis Ecclesiæ purpureas esse, statim, vt indigitet, vndè regium illum splendorem ebiberit, ait. *Rex tremendus in excursibus.* Non enim aliter venit purpura, venit regius splendor pauperculis fidelibus, nisi cum tremore, & timore simul. Timor, & tremor à Deo ortus facit seruulos etiã regno dignos, illosque purpura inficit. Huic excogitationi lucem afferunt verba pulchra Clementis Alex. 1. Pædagogi cap. 9. vbi notans qualiter Deus ad se homines trahat, inquit. *Acerbissimo constipamento vtitur, nempè metu, per ipsum simul aperiens, & conuertens populum ad salutem: quemadmodum lanæ, quæ tinguntur, solent constringi, ac constipari, dum parantur, vt colorem melius recipiant.* Itaq; sumpto de lanæ constipatæ ictibus, exemplo, non antea regni purpuræ in Dei seruulos decurrunt, quam illos Dei timor, & tremor à magnitudine largitoris profectus corripiat, & quò sanctius hoc timore, & tremore corripiuntur, constipantur, eò citius regias tincturas excipiunt, & tenacius retinent. Illud solum notãdum hic supereſt, quod non solum timendus proponatur Deus, sed & tremendus, & non solum ad illum accedat fœmina hæc timens, sed & tremens, hoc est, maximè timens. Ait enim Diu. Fulgent. ad Trasimundum lib. 1. cap. 2. *Deum si quis parum metuit, valde contemnit.*

Chrysost. Gen. 28. Isai. 60. Luc. 12. Chrysol. Clem. Al. Fulgent.

Matth. 9. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

§. IX.

Singulæ virtutes in singulis hominibus diuersitatem habent, & dissimilitudinem.

NOVI ſpiritũales viros ita proprio ſpiritui credentes, vt minimè ſibi perſuadeant aliter in alijs virtutes inueniri poſſe, niſi eo modo, quo ipſi in ſe experiuntur. Non ea eſt Saluatoris mens, dum ait mulieri huic, *fides tua te ſaluam fecit*: quaſi diceret, fides, quę in te eſt indiuidua, & ſingularis, adeò propria, adeò tua, vt non ſic in alijs reperiatur. Sicut enim humores vniuſcuiuſque indiuidui hominis diuerſi ſunt ab alijs: ſic & ipſe virtutes diuerſiſſimæ ſunt, & in ſingulis diuerſiſſimas habent notiones, & proprietates. Sic iubebat Dominus Num. 2. iuxta Septuag. *Homo ſecundum ordinem ſuum, & ſecundum ſigna ſua, & ſecundum domus familiarum ſuarũ caſtra collocet.* Quid illud ſecundum ſigna ſua? Origen. Hom. 2. putat ibi intelligi notiones indiuiduæ, & ſingularis cuiuſcumque virtutis. Vt cuiuſuis hominis indiuidui vox, eam habet notionem, qua noſcitur potius eſſe huius vox, quam alterius. Et ſicut ex eiſdem elementis A.B.C. ſic ſuam ſcripturam effingũt ſinguli homines, vt per illam facilè noſcatur manus. Sic etiam virtutes ſingulis hominibus diuerſiſſimas habent notiones, & proprietates. Quod ſiniens Origines ait. *Intuere ſingulorum virorum chirographa, & vide, quomodo (verbi gratia) animus Pauli propoſuit caſtitatem, & animus nihilominus Petri: ſed eſt propria quædam caſtitas Petri, & alia caſtitas Pauli, etiam ſi vna, eademque videatur. Denique alterius ipſorum talis caſtitas eſt, quæ requirat macerari corpus ſuum, & ſubijcere ſeruituti; & qua dicat: Caſtigo corpus meũ, ne forte alijs prædicans ipſe reprobus efficiar; alterius autem caſtitas talis eſt, quæ iſtud fortaſſe non timeat. Similiter & iuſtitia habet aliquid proprietatis in Paulo, habet & in Petro. Eodem modo, & ſapientia, cæteraque virtutes. Quæ Moyſes myſticè perſpiciens ſcribit in lege, vt vnuſquiſque ſecundum ſigna ſua incedat in caſtris.* Equidem ſic virtutes transformãtur à ſubiectis, quibus inſunt, vt tot inter ſe differentias habeãt, quot ſunt ſubiectorum indiuidua. Hinc eadem iuſtitia in homine ſtriſtæ, rigidæque naturæ ſeueriſſima eſt, fere ſemper miſereri neſciens: in alio, cuius indoles blanda ſit, & humana, nihil non humanum, & blandum ſapit iuſtitia. Paupertatis ſpiritus in aliquo nec obolum ſecum admittit, & acquiſitionem fauæ putat theſauros Midæ: in alio perfectiſſima inuenitur etiam inter pecunias. De manna Iſraelitis præſtito dicit Sapient. cap. 16. *Paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatẽ. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat; & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quodquiſque volebat, conuertebatur.* Itaque ſubtiliſſimus hic, & diuiniſſimus cibus non tam ſuum, quam recipientis ſaporem præſeferebat, ad cuiuſque voluntatem commutatus. In his, quorum guſtus auidus erat dulcedinis, mãnà melleos ſuccos referebat: in alijs verò, quos piper delectabat, mãnà, quaſi aculeos proferẽs, videbatur. Id quod ad virtutes cuique inſpiratas præclare transfert Diu. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 7. ſatus. *Mãnà quippè omne delectamentum, atque omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habuit: quod videlicet in ore ſpiritualium iuxta voluntatem edentium ſaporem dedit: quia diuinus ſermo, & omnibus cõgruens, & à ſemetipſo diſcrepans, qualitati audientium condeſcendit. Quem dum electus quiſque vtiliter iuxta modum ſuum intelligit, quaſi acceptum manna in voluntarium ſaporem vertit.* Quis iam neget in ipſis virtutibus excipiẽtis guſtum? Sapit iuſtitia in Dauid dillatationem cordis, iuxta diuinam latitudinẽ: in Elia autem ſtriſtiſsima eſt, imò diſtrictiſsima. Abſtinentia in Ioanne vltra locuſtas, nihil aliud poteſt intueri: in Ieſu autem inter ipſas diuitum menſas manet cõſpicua. Huc Paulus ſpectabat. 1. ad Corinth. cap. 7. inquiens. *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic: alius verò ſic.* Quaſi vnum, idemq; virtutis donum varietur in ſingulis indiuiduis iuxta eorum indoles.

Num. 2.

Orig.

Gregor.

1 ad Cor. 7.

§. X.

Vitæ ſpiritualis infantia in Dei timore conſiſtit, & quod ab illo ſpes maxime adoleſcit.

NON immerito dicit Dominus timenti, trementiq; fœminæ huic. *Cõfide filia, fides tua te ſaluã fecit.* Cupiẽs enim illius infantilẽ oſtẽdere virtutẽ, maluit dicere, cõfide filia, potiuſquã, cõfide mulier: quia natorũ cunabula non dum reliquit, quæ ſolo timore ad Deum adducitur. Similiter Zachar. 9. dicebat. *Exulta ſatis filia Sion:* vbi aliter legit Drogo Hoſtiẽſis libro de Sacramẽto Dominicæ Paſſionis, inquiens. *Noli timere filia Sion:* quaſi filiorũ cunabula propriora ſint timori, quã gaudijs. Ideò dũ timorẽ meminit, filiã nominat. Noli, inquit ille, timere filia Sion, & ne grauaretur filiæ appellatione, ſtatim ſubdit. *Timere puſillorum eſt: ideò adhuc filia, quia times.* Dũ ſub timore quis eſt, nondũ virtutũ cunabula dereliquit, adhuc puſillus eſt, adhuc filius. Vndè Eccleſiaſt. 1. *Initium ſapiẽtiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulua concreatus eſt, & cum electis fœminis gradietur.* Equidẽ timor per ſe nõ format virũ perfectum, ſecundum ætatem plenitudinis Chriſti: format autem fideles à

Zachar. 9.

Eccleſ. 9.

vulua

vulua, vt quasi geniti infantes lac concupiscant, in quo adolescant ad salutem. Quò respiciebat Richard. Vict. lib. 1. de Præpar. ad cõ-
Rich. Vict. templat. p. 1. c. 8. fatus. *Initium sapientiæ timor Domini. Hac ergo est prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potes.* Non iam finem, sed initiũ habes virtutis, dum sub timore viuis, adhuc pusillus es, adhuc proles, adhuc proximus vuluæ, adhuc filius. Et pulchrè adhuc filius dicitur, qui timore suffunditur, vt illius pusillitas non aspernatur, sed ametur, vt via ad ingentem, & perfectam magnitudinẽ. Quippè pusillus filius in spe perfectus, & magnus est vir: sic timor Dei, etsi pusillus est, tamen magnas alit spes perfectilsimæ salutis. Hinc ad timentem fœminam ait Dominus: *Confide filia*, quasi infantia virtutis à timore indita in spe ingentem magnitudinẽ debeat
Eccles. 1. pertingere. Cõpone modo illud Eccles. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*: Et aliud eodẽ capite exaratum, nimirũ. *Corona sapientiæ timor Domini.* Si timor Domini initium est sapientiæ, quomodo, & corona potest esse illius? Non ne initium, & corona sibi opponuntur, vt principium, & finis? Verũ tamen est, quod timor Dei sit initium, & corona sapientiæ: initium in re, corona in spe, quia ab infantia timoris coalescit maxima spes salutis. Annuit
Lauren. D. Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, cap. 1. inquies. *Corona sapientia timor Domini. Magna enim salutis spes, & maxima in profectu virtutum causa est timor Domini.* Vt infantia habet in spe virilitatem, ad quã tendit: sic timor Domini in spe habet perfectionem salutis: ad-
Iudic. 13. olescit enim semper spes ex timore. Iudic. 13. post visionem Angeli totus timebundus Manue aiebat: *Morte moriemur, quia, vidimus Dominum.* Quem vxor protinus consolatur, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum non suscipperet.* Ecce tibi, & vir timet, & vxor consolatur virum. Id quod animaduertens D. Greg. lib. 5.
Gregor. Moral. cap. 22. inquit. *Quid est hoc, quod ad visionem Angeli vir fit timidus: & mulier audax, nisi, quod nobis, quoties cælestia demonstrantur, spiritus quidem pauore se concutit; spes tamẽ præsumit. Inde nãque spes ad maiora audenda se erigit, vnde turbatur spiritus.* Bene virtutis infantia timore Domini formatur, vt inde perfecti status spes se se erigat ad maiora audenda. Quapropter Dominus Lucæ 12. suorum
Luc. 12. timorem attemperans sic aiebat. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Pusillus est, qui timet: pusillus, inquam, est, & adhuc infans, sed qui in spe coronam habet, vt cui regnum à patre promit-
Chrysol. titur. Sic Chrysolog. serm. 22. ait. *Pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui insulas incrementis cælestibus mox promittit.* Infantia enim, quæ à timore formatur, & initium est simul, & corona sapientiæ: hoc est, iam in spe habet ætatem perfectã plenitudinis Christi.

§. XI.

Vbi ad Deum accesseris, semper inuenies, quid in te purges, quasi nunquam antea sordes ablueris.

NOTANTER post Iesu verba addit Euangelista. *Et salua facta est mulier ex illa hora.* Quæ verba quæstionem faciunt multis, quandoquidem ante hæc, mulier furtiuo tactu munditiem receperat virtute Domini exeunte ad illam. Quippè, quando timens, & tremens requisita accessit ad Iesum, iam mundata fuerat, iam receperat salutem, quam à se receptam in conspectu Domini fatetur. Cui post hanc coram Domino confessionem, post Iesu verba dicitur, quod ex illa hora salua facta esset? Quippè nunquam adeò, quis mundatur, vt si coram Deo appareat, nõ se adeò sordidum videat, vt quasi nunquam vllam mundationem fecerit, se se ad nouam recipiendam munditiem accingat. Id videre licet Cant. 5. Vbi sponsa, cum primum dile- *Cant. 5.*
cti sui vocationẽ audit, sic fatur: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Non ne his omnigenam nuditatem, & puritatem ab exterioribus sordibus significat? Equidem non solum sordium expoliationem, sed & perfectam innuebat munditiem pedibus ablutis. Quid deinde? Vix ea fata fuit, & circuiuit quærẽs sponsum, ait: *Inuenerunt me custodes, qui circũeunt ciuitatẽ: percusserũt me, & vulnerauerũt me: tulerunt pallium meum mihi.* Qui se adeo mundauerat, vt & tunicam vltimam abijceret, vbi ad sponsum vadit, inuenta est cum pallio. Vndè pallium hoc venit tibi, ò Dei amatrix, non ne vsque ad tunicam dimisseras, vt pura, & lota appareres oculis diuinis? Sanè in hac inquisitione, qua ad Deum proximiùs accedebat, sic afficitur, vel sic affecta inuenitur, vt nihil sordis ante hac videatur dimisisse. Rem pulchrè attigit D. Gregor. Nyssen. ho. *Gregor.*
12. in Cant. *Quomodo ergo nudata vestimentis omnibus, pallium adhuc habet, quem & nunc custodes ciuitatis adimunt? Ea, quæ iam antea tunicam veterẽ exuerat, & ab omni pallio immunis erat, vsque adeò seipsa fit purior, vt ad priora comparata hac recenti puritate, non exuisse ante hac pallium videatur, sed rursum inuenisse post nudationem illam, quod deponat. Sic ad sensus ad sublimitatem illam diuinam, semper*

aliquid

aliquid oſtendit rei craſſæ, præter id, quod quouis tempore deprehenditur. Nunquam, mihi crede, adeò purus, adeò ſanus, adeo ſordis expers accedes ad Deum: vt non in tanti luminis præſentia aliquid, quod deponas, inuenias, & quaſi nunquam antea fueris rectè mũdatus, ad nouam munditiẽ, & ſanitatem velles parari. Ille peccantium hominum malleus Iſaias, qui ſæpiſsime populum obiurgarat, manuſque ſuas ab illorum ſanguine lauerat, tandem ad Dei oculos rapitur, capit. 6. vbi ſic. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Quid tunc? Totus inde flebilis ſic ſe incipit deplorare. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* An tacuerat vſque adhuc Iſaias? An negatæ obiurgationis reus fuerat habitus? An peſsima taciturnitate ſe ſe polluerat? Non ne hac ſe purgauerat labe, muneri ſuo ſatisfaciens? Id crediderim. Sed vbi ad Deum propriùs accedit, ſic ſe inuenit ſordibus obnolutum, quaſi nihil vnquam feciſſet. Nazian. in Apologet. ad patrem, ait. *Iſaias priuſquam videret gloriam Domini, ac thronum excelſum, & eleuatum, ad populum clamat Iſraeliticum, ſibi ipſi autem parcit, & indulget, tãquam minime reus. Poſtquam autem viſionem vidit, vocemque audiuit ſanctam, tanquam ſibi magis conſcius, væ mihi miſero, inquit, quia tacui, & reliqua.* Nihil reputat ſe antea feciſſe: nec verbum inuenit datum antea, quo ſe purgaret à crimine, etſi verum ſit, quod clamauerit. Tantã enim requirit diuina præſentia puritatem in nobis, vt omnis antecedens puritas videatur, quaſi pannus mẽſtruatę, qui neceſsè habeat amplius expurgari.

Nazian.

CAPVT OCTAVVM.

De manu arida ſanata.

VANISSIMOS Sabbati obſeruatores Dominus ſæpe patitur calumniantes: ſed nunquã propter eorum calumnias deſtitit à beneficijs præſtandis. Id teſtatur homo dexteram habens aridam, quam atræ calumniantium nubes à roſcido Ieſu aſpectu eripuerant, ne vireſceret, niſi verus iuſtitiæ Sol, & nubes, & fulgura in pluuiam fecerit, hoc eſt, calumnijs diſsipatis, beneficentiæ ſuæ rore arenti manui virentem reſtitueret ſanitatem.

Mat. 12. Ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicẽtes: Si licet Sabbatis curare? Vt accuſarent eum.

§. I.

Suſpectus zelus, qui benefaciendi ſtudium carpit.

PATENTISSIMA eſt malitia Iudæorum, vel in eo, quod inſidias ſtruunt, & laqueos parant Chriſti ſtudio beneficentiæ pleno. Hinc enim ſe ſe prodit; & infamat cuiuſque zelus, ſi beneficentiæ opera mordeat. Hi ſanctiſsimi, & religionis maximè zelotes eò intenti erant, vt obſeruarent à Ieſu ſanitates peractas, *vt accuſarent eum.* Proh egregia religio, & iuſtitiæ zelus! Quam patenter eius virus oſtenditur, vbi non peccata, ſed beneficentiæ, ſed pietatis opera vocat in examen! Rectè Chryſol. ſer. 32. *Ad infamiam iudicis, & nequitiam cognitoris, quæritur de cura criminis, de pietate accuſatio, reatus de virtute, de ſalute ſupplicium. Sed mirum non eſt. ſemper offendunt bona malos, pia impios, ſancta prophanos, aut quãdo non laſciuus diſciplinam, virtutem vitioſus, innocentiam criminoſus accuſat?* Hinc ſe ſe ſtatim zelus infamat, ſi proficuos, ſi benefactores homines, ſi pietati ſtudentes in iudicij laqueos trahat. Quam amari zeli infamiam trahere conſueuerunt ſermonales illæ declamationes, quæ perditiſsimos Reipublicæ mores, luxuriantes viros, fœneratores, & alias peſtes vix tangunt, & religioſorum hominum inſtituta, ſtudia, virtutis opera, & orationem ipſam cauilant. Non abſimiles his Babylonij magiſtratus Dan. 5. De quibus dicitur: *Viri ergo illi curioſiùs inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, & obſecrantem Deum ſuum, & accedentes loquuti ſunt regi ſuper edicto.* Ecce vobis populorũ magiſtri, vrbiũ moderatores, quas quæſtiones inſtituant, quæ iudicia agãt, quæ ſtudia ad forenſe examen deducant. An mercatorum fraudes? An pyraterium, ſiue latrocinia? An puellarũ lenocinia? De his, nec verbũ faciũt, ſed prorſus muti fiũt; vnã ſolã Danielis orationẽ traducũt: de hac quæritur: hæc vocatur in crimẽ, hãc regi deferũt. Merito taleſ nõ iudices, non Satrapæ, *ſed inuidi exploratores*, vocãtur à lyra. Patentiſsimè proditze lus infamiã ſuã, vbi totus in honeſtatis, & virtutis ſtudia ſcandeſcit, & furit, & circa pietatis, & beneficentiæ opera curioſior explorator inuenitur. Talẽ zelũ traduxit D. Iacobus in ſua Canonica c. 3. inquiẽs. *Quod ſi zelũ amarũ habetis, & contẽtiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem,*

Chryſol.

Dan. 5.

Iacob. 3.

tem. Non enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. Expendo illud: *Nolite mendaces esse contra veritatem:* quasi amari zeli hæc sit indiuidua proprietas, vt in veritatem, & virtutes insiliat. Patentia peccata, & scelera præteribit zelus amarus, & se totum effundet, vt beneficentia opera corrodat, & traducat. Vndè Ecclesiast. cap. 4. aiebat. *Omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.* Id quod explicatius transfert Olympiodorus fatus, *& vidi ego omnem laborem, & omnem fortitudinem operis, quod æmulatio est homini.* Itaque, vt zelus bonus circa manifestissima scelera versatur, nec quicquam audet, vbi inuenit vel speciem pietatis: ita zelus malus, & amarus totus est circa omnem fortitudinem operum, & laborem proficuum. Vt inde suspectum habeas zelum tuum, qui in externis virtutis operibus quærit semper, & inuenit prauitatem. Sanè in sacra pagina vnius zelus Phinees maximè decantatur, & à Deo sũmo sacerdotio muneratur; sed huius zelus in virum Israelitam publicè cum Madianitico scorto fornicantem scanduit. Huic similis Mathathias 1. Machabæorum 2. videns Iudæum litantem idolis media in platea ciuitatis, doluit. *Et accensus est furor eius, secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram: & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salonic. Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me.* Vidisti zelum virorum scandescentem: immò furentem in proximos suos, & nihilominus tantum zelum laudari? Accipe modo zelum alium ex Actor. c. 5. vbi sic. *Concurrebat & multitudo vicinarum ciuitatũ Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes. Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, quæ est hæresis Saducæorum, repleti sunt zelo; & iniecerunt manus in Apostolos.* Ecce modo vti dicuntur repleti zelo, quẽ zelum explicans Syrus posuit, *inuidia.* Sed vndè præ superorum virorũ zelo iste se infamat? Non ne & legem eandem zelant, & mitius se gerunt, vnde proditur istius zeli malitia? Sanè ea patẽtissima est, quia non in publicè fornicãtes, nec in publicè idolo latrantes, sed in virtutum, & sanitatum operatores insanit. Primi, quia viderunt publica peccata, zelo repleti sunt: & zelus eorum probatus est: postremorum zelus inde se infamat, quia non manifesta peccata, sed manifestas virtutes insequitur, illasque carpit, & corrodit. Vtinam hinc zelatores metuant aliud, quam euidens scelus zelare.

Eccles. 4.

Olympiod.

Mathat. 2.

Mach. 2.

Act. 5.

§. II.

Periculose bona opera relinquuntur.

APVD Lucam expressiùs dicitur huius hominis manus dextra aruisse. Quid plura? Illius dextera est arida, qui contẽtus, quod à malis declinauerit, nullam bonis operibus operam nauat. Periculosè viuit, qui sic totam dextram arere patitur, à qua vel vulnus totis viribus erat reijciendum. Iesus, qui tot vulnera excepit viuus, vnum dextri lateris vulnus reijcit, nec illud passus fuit accipere nisi mortuus. Vt hinc metuamus omnes, dextera opera interrumpi, & in his aliquod vulnus pati. Diu. Bernard. serm. 7. in Psalm. qui habitat. *Nec lateris vulnus excipere voluit, nisi iam soporatus in morte, vt moneret te quandiu viuis, in huius semper lateris vigilare custodia, sed & mortuam censeri eam animam oportere, quæ quidem pernitiosa insensibilitate dissimulet in dextra sibi vulnus infligi.* Quis credat animam viuere, cuius dextera his patet vulneribus, quibus nullum dextrum opus, nullum, opus memoria dignum efficiat? Lethale est dexteræ vulnus, & ab opere bono cessatio summum adducit discrimen. Id meminerat Psaltes 136. tali se pœna obstringens. *Obliuioni detur dextera mea.* Quid est obliuioni detur dextera? Sic vacet ab operibus, vt censeatur, quasi non sit, vt nullum memorabile opus edat; sed omninò manca, & arida sit. Vndè Diu. Hilarius ait. *Et magni periculi res est, si dextræ nostræ fiat obliuio.* Vbi dextera opera vacant, vbi non est, vndè memoria sit nostri apud Deum per bona opera, magnum ibi est periculum, nisi mauis omnimodam iam ibi perditionem inueniri. Paul. 2. ad Thessalon. 3. ait. *Si quis non vult operari, non manducet.* Quippè inertes manus nusquam non extremam famem, & perditionem inducunt. Id quod notat Diu. Paulinus epistol. 5. ad Sulpitium Seuerum, inquiens. *Vndè præscriptum arbitror, vt piger operarius non edat panem; non videlicet istum pereuntis cibi panem, sed illum, quo viuitur in veram vitam, quia vnusquisque de fructibus suis manducabit, & in operibus suis viuet: ac perinde suum cuique opus panis est, & panis verus, ac viuus Christus est, quem non potest mãducare operarius piger.* Heu, quantam famem, & perditionem parit manus iners! Insanit, qui sine dexteræ operibus sibi aliud, quam perditionem promittit. Quãdo ariditas, & sterilitas Deo non odiosa? Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Et post pauca statim subdit: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appa-*

Bernard.

Psal. 136.

Hilar.

2. Thes. 3.

Paulin.

Genes. 1.

appareat arida. Expende, quod infimum elementum duplici vocatur vocabulo, & terra, & arida. Vocatur terra, hoc est, frugifera cum cœlo iuncta profertur; vocatur arida cum rudis, & sterilis ab aquis suffocata, & obtenebrata apparet. Nihil enim non fructiferum cœlo proximum est; quod enim à cœlo distat, id solum est aridum, & emortuum, & nullis fructibus pollens. Anasthasius Synaita in Exam. lib. 1. iam alibi datus ait. *Quando cum cœlo Deus fecit terram, non appellabatur arida: frugiferum enim, ac fertilem Deus fecit hominem, & non aridum. Quando autem facta suffocata à tenebris, quæ supra eam erant, & aquis, tunc facta est arida, & emortua.* Nihil non frugiferum, & fertile Dominus cœlis aptauit, siue homo, siue limus cœlo adiunctus appareat, fructibus dives est, germinibus clarus. Ariditas enim, siue sterilitas morti proxima est, tenebrisque cõmendata. Caueat sterilitatem, caueat dexteræ ariditatem, qui cœlestibus cupit aptari. Paulus ad Roman. 11. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Quasi hoc sit primus diuinæ vocationis gradus, quo ex oleastro fias oliua, hoc est, ex sterili frugifer; immò fructibus dives appareas. Vt dicat D. Cyrill. Hierosolymit. Catheс. 1. *Transplãtaris rursus in spirituales oleas, ex oleastro in oleam frugiferam inseritus: ex peccatis in iustitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps sanctæ illius vineæ efficeris. Fructum ergo ita, vt æquum est feramus, ne sic agatur nobiscum, vt actum est cum illa ficu sterili: ne forte veniens Iesus, etiam nunc propter sterilitatem maledicat tibi: sed vt possimus omnes illi dicere. Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.* Timeat sibi sterilitas a Iesu, cuius semper maledictioni manet obnoxia.

Anasth. *Roman. 11.* *Cyr. Hier.*

Matth. 12. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam: etsi ceciderit hæc Sabbatis in foueam, non ne tenebit, & leuabit eã? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere.

§. III.

Quam damnabiles sunt illi, qui pauperes homines sinunt perire, dum equis, & canibus ornandis operam nauant.

VIDEO his verbis diuini iudicis gladium strictum, nõ solũ, qui superstitiosos Sabbati obseruatores conuincat, sed qui innumeros Christianos confodiat. Quippe homini carior debet esse hominis sublevatio, quã ouis, quam equi, quam canis: verum ad Christiani diuitis limina videbis equos obesos, vigili seruorum cura fulgentes, pretiosis phaleris graues: & pauperculos homines fame tabescentes omni penè auxilio desolatos. Illis horrea superefluũt, his recolitur sterilitas anni, tẽporum iniuria, filiorum, & consanguineorum prima fames. Fallar, si hæc inhumanitas à diuitibus lacrymas non cieat. Zach. 11. ait: *Vlulate quercus Basan?* Explicatius Chaldæus satur. *Vlulate satrapæ prouinciarum,* quasi idem sit inter homines vir potens, & dives, quod inter arbores quercus. Quippe quercus frugifera est, sed suibus alendis, non hominibus: fame enim disperiebat ille adeò, vt cuperet Lucæ c. 15. ventrem implere de siliquis, *& nemo illi dabat.* Non dat fructum suum hominibus quercus lignum saxoso in monte plantatum, sed suibus, sed feris campi. Sic diuites prouinciarum instar quercus canibus, equis, brutisq; alendis inuigilant: verum pauperibus hominibus nullum fructum afferunt, quo metuant æternum sibi comparare vlulatum. Ad hæc pulchrè D. Ambr. lib. de Nabuthe, c. 13. ait. *Clamat ante domum tuam nudus; & negligis: clamat homo nudus, & tu solicitus es, quibus marmoribus paviméta vestias. Pecuniã pauper quærit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurũ sub dentibus mandit. Quãtum ô dives sumis tibi indicium!* Ecce ante ciuiles quercus, ante sæculi diuites, & est pauper famelicus, & est equus obesus; equus accipit, quo spẽldeat amplius, & dum huic dant suas dapes vniuersi diuitis famuli, nemo illi dabat. Quid inhumanius? Quid seueriori iudicio dignius? Humanitatem exuit, & ingentem sibi parat luctum, qui quam pecori præbet opem, negat homini. Vndè Nazianzenus orat. 16. monet ex Deuteronom. 22. *Non sit homo tibi homini pecude vilior, quæ in foueam cecidit, vel aberrauit. Illum enim te lex extrahere, & reducere iubet.* Qua lege iuberis pecudi prospicere, eadem à fortiori teneris opem ferre tuæ consortibus naturæ. Nec Dei euadet iram ille, cuius sub cura homo famescit, & impinguatur mulus. Vndé sapiens Niniuitarum rex legem tulit, quæ potuit strictissimum Dei euitare iudicium. Ea enim erat Ionæ cap. 3. *Homines, & iumenta, & arbores, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta.* Cur ieiunium, cur squallor, & luctus, vsque ad pecora extendi mandatur?

Cald. *Zach. 11.* *Ambros.* *Nazianz.* *Ion. 3.*

Prudentissimè sanè, non enim imminens suppliciũ euitaret rex, cuius ad ianuam videretur equi ructãtes pabula, aureis tapetibus cõspicui, dum homines ieiunio premerentur, & saccis. Pecoris ora plena, & simul hominis vacua miseranda fame, non possunt iram diuinã

D. Basil. deuitare. Ita aiebat D. Basil. hom. 1. de laudib. ieiunij fatus. *Nisi apud Ninuitas simul cum hominibus ieiunassent, & bruta animantia, haud quaquam effugissent subuersionem, quam Deus per Ionam fuerat comminatus.* Acuis Dei iram, cum potior tibi cura est de pecoribus, quam de hominibus subleuandis: cum obtemperas legi, quæ curam pecoris mandat, & mille legibus, & prophetis pauperum, & miserorum curam mandantibus non obtemperas. Immò vt pecora alas, homines despicis. Merito in hos

D. Aelr. inuehit D. Aelred. lib. 3. specul. cap. 26. inquiens. *Vt isti habeant currentes canes, aues volantes, equos spumantes, nudantur, Domine Iesu, in pauperibus latera tua: ridentur verbera tua: effunduntur viscera tua,*

Marc. 3. Et dicit eis: Licet Sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant.

§. IIII.

Perditio est Deo illa religio, & virtus, quæ inhumanitate fouetur.

QVALIS est illa religio, qualis Sabbati obseruantia quæ miseris hominibus nõ succurrit, sed in dolore, & infirmitate confici sinit? Videre fuit ventos, mareque Ionam deposcentes, & dum furẽtibus fluctibus quæritur Ionas, & sorte designatur, à nautis in medium adducitur, quis sit, interrogatur, quibus

Lxx. ille respondit ca. 1. iuxta Septuag. lectionem. *Seruus Domini ego sum, & Deum cœli ego colo.* Quid religiosius? In tanto discrimine nautis Deum verum prædicat, se seque eius diuinitatis ostendit cultorem: & adhuc mare fremit, adhuc à tempestate petitur, adhuc Deus non placatur. Cur Deum non placat tantæ religionis professio? Latebat in religioso propheta crudelitas, & inhumanitas in miseros Niniuitas, ideo Deum non placat, qui nihili æstimat iustitias ipsas inhumanitate laborantes. Ita

Basil. Sele. D. Basil. Seleu. orat. 12. ait. *Neque propheta parcit Deus, veniam flagitiosis dare nolẽti, neque eorum veretur iustitiam, qui ab inhumanitate laborat.* Nullus cultus, nulla religio, nulla iustitia Deo placet, quæ habet odorem inhumanitatis, quæ denegat opem perituris. Quãdo Deo non placuit magis misericordia, quam sacrificia? Sanè, & solemnitates, & holocaustomata, & Neomenias, & vniuersos templi cultus odiuit aliquando Dominus. Nihil apud Isaiam, apud Ieremiam, apud Oseam clarius patet. Quod si causam tanti odij velis agnoscere, illa ostenditur Isaiæ, cap. 58 dicitur. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Inde tota ieiuniorũ, & Sabbatorum religio claudicat, quod ibi inuenitur voluntas adeò dura, & seuera, vt nullis debitorum precibus ad misericordiam frangatur; sed in repetiundis debitis, sibi religionẽ velit seruire. Horum religionem inhumanitatis seruam, & immisericordiæ fugiat quisquis Deo odiosus nolit inueniri. Ex quo sic monebat D. Iustin. Martyr. epist. ad Zenam, & se-

D. Iustin. renum, inquiens. *Non desunt certe quidam, qui iuxta carnem proficiunt, iracundia sua patrocinantes ex Euangelio, & sententia, in quam pronio res sunt, accõmodantes Seruatoris nostri oracula, in quorum potestate si esset situm gehenna quos libet addicere, totus mundus exhaustus esset eorũ sæuitia: attamen quantum in ipsis est, & condemnant, & ignis fornacem aperiunt. Ideo nos non similes.* Quis non videat mundum esse plenum talibus peccatorum vindicibus, qui Tartara euocent, qui cruces clament, & ignes, quibus peccata absumantur, & eliminentur à mũdo? Cur his non similes erimus, cur non simili tonabimus voce? Nõne hæc clamant ex prophetis, ex Christi oraculis, ex ipsa religionis veræ natura? Absit. Tam rigidi enim, & immisericordes censores non patrocinium in religione vera habent, sed potius ipsi religionem, & diuina oracula propriæ duritiei, & immisericordi voluntati faciunt seruire. Nullum Christi oraculum est, nulla Dei veri religio, quæ misericordiam medullitus non inspiret, adeò vt inde gratior religio Christiana Deo accidat, quam antiqua religio: quia hæc dulcior: illa suauior profusionem misericordiæ venam effundit. Ideo D. Laurent. Nouarien sis homil.

D. Laurẽt. de Pœnitentia ait. *Signum acceperunt Iudæi? Quale? Circumcisionis. Signum acceperunt & Christiani: quale? Miserationis. Ibi plaga carnis: hic palma pietatis. Ibi obseruantia rigida: hic indulgentia regia.* Itaque quò gratior religio Deo, eò indulgentior, nec illi ipsa potuerunt placere Sabbata, nisi quandiu, & misericordiæ primas dabãt. Exod. 20. *Memẽto, vt die Sabbati sanctifices. Nõ facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentũ tuũ, &c.* Nõ cõtẽtus fuit Sabbati cõmẽ dare sanctitatẽ, sed & insuper addidit singillatim, quod, & serui, & ancillæ, & iumẽta in eo requiescerẽt, vt inde religio Sabbati videretur sãctior, q iũcta erat cũ miseratione laborãtiũ.

Exod. 20.

Id

Lyppom. Id quòd notans Lyppomanus in Cat. fatur. *Quandoquidem noſtræ ſaluti diuina benignitate conſultum videmus, debemus & nos ſaluti conſulere eorum, qui nobis cõuerſantur, vt & ſerui noſtri, & ancillæ, & domeſtici omnes, immò tamẽ ta ipſa ab omni opere ceſſent: hoc enim charitas expoſtulat, & magis homines excitat ad commiſe rationem.* Quaſi nullius Deo placeat cultus, quo non excitemur ad miſericordiam.

Marc. 3. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitatem cordis eorum, dicit homini.

§. V.

Iram Dei ſedant miſericordiæ opera.

IN medio erat infirmus, quem circumdabat magna Iudæorum corona: nemo tamẽ agit de eius ſubleuatione: omnes tacent, & calumnias muſitantes, impedimenta opponunt miſericordiæ operi. Quid tunc Dominus? Iratos oculos in vnumquemque conijciens pene iam eorum damnationem fulminat. Non poſſum *Ioan. 8.* hic obliuiſci hiſtoriam illã, Ioann. 8. Ponitur in medio mulier de adulterio conuicta, circũſtãt Phariſæi accuſatores multi, à Ieſu ſententiam inquirunt. Ipſe autem oculos ad terram decijciens: *digito ſcribebat in terra.* Ecce vobis infamẽ adulterio mulierem, & nocentiſsimos accuſatores videns diſsimulat Saluator, oculoſque miſericordiam ſtillãtes ad terram deijcit, vt talibus fœcunda terra luminibus indulgentiam parturiat. Verũ in præſenti cunctos circumſpicit, in ſingulos oculorum vibrat lumina, & iram ſpirat. Cur talis in Ieſu differentia vultus? Cur in hos Sabbati obſeruatores iratos oculos mittit, ab adultera verò, & nocentibus accuſatoribus oculos declinat, & videre eos diſsimulat. Rationẽ adinuenit D. Ambr. *Amb.* epiſt. 76. inquiens. *Hoc adultera iudicium in tẽplo Dei poſitus exercet, ſicut ſcriptum eſt infra: hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophilacio docens in templo. Quid eſt Gazophilacium? Collatio fidelium: ſumptus pauperum, requies egenorum.* Vbi miſericordiæ opera congeruntur, vbi tot miſerorũ ſubleuationes circumſtant, etiam adulteria videre diſsimulat iudex diuinus, & quaſi adnocentes quoſque conniuet. Verum vbi immiſericordia regnat, vbi humanitas in egẽtes appareat nulla, ibi oculatiſsimus Dominus omnia in lucernis viſitat, ibi eius oculi eructant ignẽ. *Matth. 10.* Matth. 10. *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen quippe dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Expende diligentiam illã de puluere pedum excutiendo. Cur nec puluis illius domus, quæ in hoſpitalis eſt, ſinitur in pedibus manere? Quid illic puluis inueniretur? Sanè id explicant ſequentes minę de die iudicij, tantũ enim valet apud cęleſtem iudicẽ miſericordia in pauperes, vt ſi vel puluis hoſpitij appareat in calceis pauperum in die iudicij, is ſolum puluis ſufficeret, vt iudex obcęcaretur ad videnda peccata. Quare nihil ſic exaggerat rigorẽ iudicij in immiſericordes, quam tanta illa cautela de puluere excutiendo, vt nulla res ſit, quæ poſsit ſeueritatem temperare. Huc reſpiciebat Tertulian. lib. *Tertul.* 4. in Marc. fatus. *Cum iuuet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuiſſent, & hoc in teſtimonium mandat fieri: inhumanitatem, qui in teſtationẽ redigi iubet, iudicem minatur.* Expende illud: *iudicem minatur*: quaſi nõ iudex ſit, dum vel puluis hoſpitalis in pauperum pedibus appareat: at dum excuſsio pulueris inhumanitatem deſignat: ſtatim iudicis acies acuuntur, ne quid graue cõmiſſum prætermittat. Meritò prudẽtes illę virgines Matt. 25. ſic pene iam ad iudicis aduentum euocatas ſocias conſulebant. *Ite potius ad vendentes.* Iam clamor aduenientis Domini factus erat: iam pene ſonuerat nouiſsima tuba, iam aderat iudex, & nihilominus imparatæ virgines ad vendentes mittũtur, quid prodeſſent vendentes hi in tanto diſcrimine? Puto vẽdẽtes iſtos pauperes eſſe, ad quos rectè confugit, qui cupit Deum habere ſemper pacificum mercatorem, immò debitorem, nunquam iudicem. Quippe Dominus inter pauperes non meminit ſe eſſe iudicem, totus in quæſtus negotijs conſtitutus. Non longè abeſt D. Cæſar. Arel. *Cæſ. Arel.* ſerm. in præſenti, inquiens. *Pauperes ſunt negotiatores, qui oleum lãpadibus neceſſariũ vendũt. Per ipſos hoc negotiũ Chriſtus exercere conſueuit. In ipſis accipit terrena, reperſaturus æterna.* Itaque apud pauperes mercatoris negotia agit Dominus, nõ iudicis: ad pauperes confugiat, qui nihil iudicij ſpectare cupit. De miſericordi viro dicitur Pſalm. 1. *Quod fructũ ſuũ dabit* *Pſalm. 1.* *in tempore ſuo.* In tempore, inquã, ſuo, hoc eſt, in tempore iudicij, iuxta multorũ placitum. Sed acutè addubitat Euſeb. Gallican. cur in iu *Euſeb.* dicio dicatur illud, *dabit*: etenim dare ad gratiã pertinet: in iudicio autẽ nõ gratia ſpectatur, ſed iuſtitia? Verũ miſericors vir, nunquã iudiciũ videt, quouis tempore gratiæ quæſtus facit. Ita Euſeb. hom. de vidua, quæ duo æra miſit in Gazophilacium ait. *In tempore etiam illo erit quoddam cõmercium dãdi, & accipiendi inter Deum, & hominem.* Nuſquã iudicium cum miſericordi, ſed gratiæ commercium.

Matth. 12. Extende manum tuã. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati, ſicut altera. Exeuntes autem Phariſæi concilium faciebant aduerſus eum, quomodo perderẽt eum. Ieſus autem ſciens, receſsit inde.

§. VI.

Extenſio manus ad pauperem, ariditatis expulſio eſt, & alienum numquam requirit auxilium.

HOc Dominus arenti manui applicat ſalutis pharmacum, quod extendatur: dũ enim manus ad pauperem extenſas habeas, nulla cruciaberis ariditate, totus roſcidus reputaberis. Gen. 1. *Dixit Deus: Cõgregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locũ vnũ, & appareat arida, & factum eſt ita. Et vocauit Deus aridã terrã.* Quæ verba ſic ponderat Anaſth. Synait. lib. 3. Hexameron. *Vide diuina myſteria, terram in profundo ab aquis ſuffocatam nominat aridã. Cũ autem aquæ ab ea receſſerunt, non amplius nominat eam aridã, ſed terrã.* Et quod myſterium iſtud eſt, niſi quia terra, dum nihil operatur, dum nulli hominũ indigentia ſucurrit, ariditatis vitium incurrit: at vbi iuſſa eſt germinare, ſamelicoſque ſuo fructu ſatiat, & nudos veſtit, iam amplius arida non eſt. Pſalm. 1. *Erit ſicut lignũ, quod plãtatũ eſt ſecus decurſum aquarũ, quod fructũ ſuum dabit.* Notanter nõ dixit, germinabit, ſed fructũ dabit, vt munera largitatis innueret, quibus nunquã norant aridi tẽ paradiſi ligna, ſed copioſis fluentis irrorãtur. Euſeb. Gallican. §. præced. datus, inquit: *Qui ergo in refrigeria pauperũ aperuerit manum ſuam, audire merebitur; erit tanquã lignũ, quod plantatũ eſt ſecus decurſum aquarũ, &c.* Nõ eſt vnde vir miſericors ariditatem timeat, cœleſtibus vndis, vndequaque circũdatus, ſed potius plenus virtutis propriæ ſucco, nullius alterius creaturæ manus requirat. Vndè merito dicitur huic: *Extende manũ tuã:* ne iam alterius manũ requirat, qui ad pauperes extenſam habet ſuã. Arentibus fibris, æterni incendij æſtu dives ille apud Luc. c. 15. roſcido Lazari digito cupit refrigerari, ſic ait. *Mitte Lazarũ, vt intingat digitũ, &c.* Vnde miſero tãta ariditas, vt nec roſcidũ digitũ habeat? Nõ extẽdit manus, immò illas à miſericordiæ operibus arctauit. Præclarè Paulin. ad Elethiũ, ep. 3. ait. *Nõ eget alienæ manus digito refrigerari, qui proprijs digitorũ ſuorum roribus (id eſt, dexteræ ſuæ operibus) infuſſus eſt.* Sit dextera tua extẽſa ad miſericordiæ opera, & eo virtutis propriæ rore erit perfuſa, quo nullam alienę manus gũttã exquirat. Quò expectat præclarũ illud monitum, quod reliquit nobis Naziãz. orat. 16. inquiẽs. *Tu qui nõ collapſus es, iacenti, & cõtrito ſubueni: qui lætus es, cõtriſtato; qui dextera polles, illi, qui ſiniſtra languet.* Da aliquid Deo, quo te gratũ oſtendas, ac inter illos recẽſearis, qui benefacere poſſunt, & non eos, qui beneficio indigeant. *Quo nõ alias manus reſpicias, ſed alij tuas.* Hoc beneficentiæ præmiũ præſtantiſſimũ, quod beneficus homo alienas manus nõ reſpiciat, nullius ope indigeat creaturæ, ſed potius ipſe dexteræ ſuę habeat ſuperefluentem menſurã. Pſalm. 72. aiebat Dauid. *Tenuiſti manũ dexterã meã: & in volũtate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terrã?* Ecce quanta munera accepta refert Dauid, quorũ omniũ illud eſt principiũ, nimirũ, *tenuiſti manũ dexteram meã.* Vbi dextera Dauidis à Deo extenſa eſt, & deducta, ſic abũdat, vt omnia creata faſtidiat, vt non ſolũ alieni digiti guttulas non reſpiciat, ſed & omnia creaturarũ expuat adminicula. D. Ambr. ibi. *Quæ eſt dextera, niſi actuoſa anima virtus? Quæ ſi voluntate Domini dirigatur, nihil aliud deſiderat, nihil quærit, nullas mundi huius opes, nulla adiumenta depoſcit. Ideo dicit Sanctus Dauid. Quid mihi enim in cœlo reſtat, & à te quid volui ſuper terrã?* Sic expuit alienas manus dextera benè extenta, vt operibus pietatis incũbat. Et cur alienas manus nõ expuat vir miſericors, quãdo & illius dextera ſic in omnibus abũdat, vt nec cõſortis ſuę ſiniſtrę miniſteriũ requirat? Quò refero illud Matth. 25. *Te autẽ faciẽte eleemoſynã, neſciat ſiniſtra tua, quod faciat dextera tua.* Nũquã adeò laborat miſericordis dextera, vt adiumentũ conſortis, nedum alienæ requirat.

Geneſ. 1.

Anaſtaſ.

Pſalm. 1.

Euſeb.

Luca 15.

D. Paul.

§. VII.

Inuidia crudeliſſimum malum.

QVò ſaniores lãguidi videbãtur, eò magis Iudæi inſaniunt, adeõ vt perdere vellent, a quo tot miſeri ſanabãtur. Omnia bona perdũt, vbi aliquid, quod inuideãt, habẽt. Nec ſine magna põderatione prætereundum eſt, quid poſt tãta beneficia miraculorum, decernãt iſti peſſimi facere: ait enim textus poſt curatã aridã manũ: Exeuntes Phariſæi cõciliũ faciebãt aduerſus eũ, quo modo perderẽt eũ. Nõ alio quieſcit inuidia, ſine perditione, & ruina: quod vt penitus calleas, reuoca in memoriam illud Ieſu facinus, quo Ioann. 2. flagello eiecit é templo ementes, & vendentes. Quid tũc Iudæi flagellati facerẽt in eum, quem ſanati interficere moliebantur? Qualiter ſcandeſcunt? Qualiter furunt? Immò nec malum verbum pro flagello ſacipnt, ſed ſolũ dicunt:

Nazianz.

Pſalm. 72.

Ambr.

Matth. 25.

Ioan. 2.

dicũt: *quod signum ostendis nobis, quia hæc facis.* Vides patientiam in flagellis, & in beneficijs rabiem? Cum flagellantur, patienter agũt, cum beneficia sanitatum sentiunt, tunc mortem, crucemque minantur. Proh inuidiæ rabies, longè crudelior, & sanguinolentior omni alia rabie! Cum flagellantur, habent quid doleant; at cum beneficium vident, habent quid inuideant; & ideo rabidiores, & truculẽtiores exiſtunt. Rem pulchrè põderat D. Chryſoſt. hom. 22. in Ioann. fatus. *Cur Iudæi, qui in collatis beneficijs Chriſtum accuſabant, & perſequebantur; cum credibile eſſet tam acri caſtigatione grauius ſcandeſcere, æquo animo tulerunt? Nulla enim contumelia in eum vſi ſunt, ſed quod ſignum, inquiunt, oſtendis nobis, quia hæc facis? Animaduertis inuidiam incredibilem, & quonam pacto in alios collata beneficia magis eos irritabant?* Ita quos dolor à flagellis iniurioſis profectus vix commouet, benefactricis virtutis inuidentia ſic exagitat, vt nullo quieſcant, niſi benefactoris ſanguine. Et quando inuidię rabies ſine ſanguine potuit quieſcere? Ioſephi pueruli fratres inuidia pleni in fratrem armantur, quem dum occidere cupiunt, melioGeneſ. 37. ri conſilio vendunt Iſmaelitis, Geneſ. 37. *Tulerunt autem tunicam eius, & in ſanguinem hœdi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes, qui ferrẽt ad patrem.* Quid neceſſum fuit patri tunicam filij ſanguine madidam præſentari? Nõ ne minus funeſtum commentum poſſent effingere? Poſſent equidem, immõ deberent ipſam veram mortem alijs commentis diſſimulare, vt patris dolorem lenirent, nec dum falſam obijcere mentito filij ſanguine: verum inuidia cordibus inſita, nõ potuit ſine aliqua Baſil. Sele. ſanguinis effuſi ſpecie ſopiri? D. Baſil. Seleu. orat. 8. ait *In ſpeciem cædis veſtem compoſitam patris offerunt manibus, quaſi ſine ſanguine inuidentiam nequeant extinguere.* Hæc eſt fera peſtima, nimirum, inuidia, quæ neſcit ſine beneficij ſanguine ſatiari, *& cibus eius*, electus: iuxta Abacuch vaticinium ca. 1. quando electiores & pręſtantiores viri ab inuidentia roduntur. Si Saul oderat Dauidem; contentus eſſet, quod tantus vir fugitiuus ageret, errans in ſolitudine, cur anxius eius ſanginem petit; Cur nõ veretur filiam vxorem Dauidis? beneficia ab illo accepta, viri fortitudinem neceſſariam populo Iſraelitico? Erat in Saule inuidentia, quæ quò præſtãtior, & electior Dauid apparebat, eò minus placari poterat, ſine ſangui Athan. ne illius. Vnde bene exclamat D. Athan. hom. de Semente, inquiens. *Heu mihi, qualis tentatio inuidiæ inſidiatur ei, quẽ in generum accipit; nec filiæ parendũ putat, vt per ſpeciem magnificæ affinitatis filiæ marito inſidietur.* Quis non fugiat adeò truculentam bellũam inuidiæ?

Matth. 12. Et ſequuti ſunt eum multi, & curauit eos omnes, & præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent. Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene cõplacui animę meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nuntiabit.

§. VIII.

Ad iudicem ſpectat per beneficentia opera ad bonam frugem homines trahere.

CVM iudicium audimus, & ſeueritatẽ, & rigorẽ in vindicãdis criminibus expauescimus, quaſi id pręcipuũ ſit in iudice, & non potiùs per beneficentiam homines ad bonam frugem trahere. Pulchrè ergo verbis præmiſſis, quod primũ debet in iudice pręſtari, notatur: quãdo Saluator omnes curabat, omnibus infirmitatibus medebatur, vt illud Iſaiæ in ſe adimpletũ oſtẽderet, nimirũ. *Ponam ſpiritum meum ſuper eũ, & iudicium gentibus nuntiabit:* quia omne iudiciũ dedit filio pater, quia veri, & diuini iudicis ſpiritus in eo manebat, ideo infirmos ſanabat, mortuos ſuſcitabat. Sic notãter Moyſes fatur: Gen. 1. *In principio creauit* Geneſ. 1. *Deus cælum, & terrã, &c.* ſiue vt in originibus habetur: *In principio creauit Iudices cælum, & terram:* quaſi nihil prius in iudice apparere debeat, quã id, quod ad beneficentiam ſpectat, vt per bona opera, inſignia benignitatis, trahat hominũ animos ad ſalutẽ. Idẽ clamat Saluian. Saluian. in fin. lib. 1. de Gubern. Dei, inquiens: *Vis videre Deũ ſeuerũ iudicem? Ecce iudiciũ eſt. Namvt index arguit, & index regit. Iudex promit ſententiã, iudex noxios perimit, iudex innoxios munerator.* Ecce tibi diuini, & veri iudicis officiũ, quod & arguat, & regat: percutiat, & ſanet: ferat ſententiã, & det munera; adeò vt tam ſpectet ad iudicẽ bonorũ largitio, quàm ſcelerũ punitio. Iudic. 3. *Et clamauerunt ad Dominũ:* Iudic. 3. *qui ſuſcitauit eis Saluatorẽ, & liberauit eos, Othoniel videlicet filiũ Cenez, fuitque in eo ſpiritus Domini, & iudicauit Iſrael.* Ecce ſuſcitatur Saluator, vt iudex ſit in Iſraele, in quo & iudices vocabãtur, & ſimul ſalũatores, vt oſtenderetur, quã ſit germana iudicis largitio gratiæ. De illis Rup. lib. 4. de Vict. c. 6. *Erant ergo iudices in* Rupert. *diſciplina, duces in bello, in vtroque Saluatores. Si quit enim ſpeculũ oppoſitũ ſoli ſimilem reddit imaginem,*

ginẽ, ita & Saluatorum, & iudicũ illorũ lucida fides, Saluatori, & iudici æterno similem prætulerunt in gestis suis pulchritudinem. Nihil enim pulchrius iudici, quam saluti populariũ operam nauare. Immò quo magis sine sanguine Rempublicam statuit suam, eò perfectior iudex prædicabitur. Ille perfectus omnium iudex Iesus, cui pater dedit omne iudicium, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, cum iam morti suæ appropinquaret, ait Ioann. 12

Ioann. 12. *Nunc iudicium est mundi.* Quid ais Domine, nunc iudicium est mundi? Nunc potius remissio est omnium reorum: nunc potius absolutio est peccatorum: nunc potius liberatio est hominum, redemptio captiuorum, libertatis assertio. Hoc iudicium est? Equidem illud vocatur iudicium, & perfectissimum, quo tantam beneficiorum segetem res hominum capiunt, & in pace asseruntur. D. August. tract.

August. 52. in Ioann. *Per Christi fidem, quæ morte eius, & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & hoc vocabat iudicium.* Hoc iudicium est diuinissimi, perfectissimique iudicis, quo beneficijs Rempublicam statuit, quo subditos à morte liberat, quo millia hominum in salutem, & vitam trahit.

Francon. Inde Francon. Abb. lib. 12. de Gratia Christi, expendens Apostolorum, & maximè D. Petri facinora, quibus gentes ad Christi caules trahebat mille factis sanitatum, curationumque miraculis; omnia hæc putat non à parente optimo, sed à præstantissimo iudice fuisse inspirata. Ait enim. Quantus erat rugitus Petri, cum habita concione tria millia infidelium sermone strauit, numeroque fidelium adunauit? Quantus, & ille rugitus, quando solidatis basibus, plãtisque vnius claudi ad inuocationem nominis Iesu solidatę sunt quinque millium bases, & plantæ in fide Christi? *Qua demum virtute, aut sapientia patrata sunt, hæc omnia? Nũquid humana? Immò potius concionatoris gratia, atque intus præsidentis iudicis, ac de ore Apostolico gladium vtrimque acutum vibrantis, peracta sunt potentiâ. Non enim vos estis, ait, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, &c.* Expende illud: *intus præsidentis iudicis potentiâ peracta sunt.* Quippe ad optimum iudicem spectabat tot beneficiorum cumulis Rempublicam statuere Christianam: iudicisque erat hominũ animos beneficijs collatis expiscari. Quò

Isai. 63. refero illud Isaiæ, cap. 63. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis, secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Vidisti ingentia bona à Deo in populũm fuisse profecta; & vt mireris magis omnia hæc bona largiens Deus se se optimum iudicem ostendebat. Quod explicatius Septuaginta fantur. *Misericordiæ Domini recordatus sum, virtutes Domini in omnibus, quæ nobis reddit Dominus, iudex bonus domui Israel, inducit nobis secundum misericordiam suam.* Ecce tibi iudex bonus in misericordia, in largitionibus prædicatur. LXX.

Matth. 12. Non contendet, neq; clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non cõfringet, & lignum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabũt.

§. IX.

Dissimulanda, immò operienda proximorum peccata.

IS est Dominus Iesus, qui non eleuat vocẽ, vt hominũ prædicet peccata, sed neq; peccatores eleuat, vt eorũ scelera pateant: immo suorum peccata dissimulat, & operit, ne quassati penitus confringantur, ne bonæ spei parua scintillula extinguatur. Sanè bonus ille pater Lucæ 15. vt vidit prodigum filium, & Luc. 15. nudum, & plenum macie, accurrit: *cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Sic erat affectus in peccatorem filium: sic eum habet exceptum inter brachia; sic totus pater super filij collum recumbit. Quid tunc? *Dixit autem Pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primã, & induite illum.* Expende, quod adhuc filium inter brachia habet, adhuc super collum eius recumbit, & sic mittit seruos, vt stolam afferant. Eò amplexus patris spectabat, & super collum filij cubatio, vt lateret filij nuditas, vt operta esset eius macies, ne vel à domesticis videretur famulis. Chrysol. serm. 4. *Cecidit super collum, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Cito proferte stolam, & induite illum, à seruis ante vestiri filium voluit, quã videri, vt soli patri nota esset nuditas.* Chrysost. Pudeat hinc prælatos, qui subditorũ prædicant peccata; pudeat, & singulos homines, qui quouis zelo proximi eleuant crimina, eleuata exaggerant, vt sic veniæ quærendæ aditus intercludatur. Iustior Dominus Iesus, qui nec in feruore iudicij obliuiscitur hæc viscera pieta-

pietatis, quibus quasi conniuet ad hominum peccata. Huc refero verba data Matth. & Isaiæ nimirum. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius, arundinem quassatam nō confringet, lignum fumigans non extinguet, donec eijciat iudicium ad victoriam.* Vbi crediderim per illud, *donec*, non significari, quod in iudicio iam obliuiscetur misereri Deus, iam ibi clamabit, & publicabit peccata, iam ibi, nihil culpæ sciet dissimulare ad pœnam: Immò puto per illud, *donec*, benignissimi Iesu, ingenij perseuerantiam, etiam in iudicio denotari. *Sicut enim vbi dicitur: Maria viro incognita, donec peperit*; non asseritur post partum maculata, vt notissimum est viris Catholicis: sic modò Iesus dicitur ad peccata cōniuere, donec in iudicio triumphet, non quod ibi relicturus sit hanc benignitatē. Immò in ipso iudicij feruore, hanc Deo dignam indolem ostendet. Accipite in iudicio loquentem
Matth. 25. Dominum, Matth. 25. *Quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis.* Hæc iustis verba dabit: ad peccatores autem dicet. *Quod non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis.* Vbi ponderandum est, quod pauperculos â iustis consotos, & sustentatos vocat fratres suos, vt sic iustorum facinora exaltet, quod benigni extiterint in Christi fratres: eosdem ab impijs contēptos, & despectos, nec vocat suos fratres, ne exaggerētur impiorum crimina, nec crescat offensio. Id quod notat Origen.
Origen. hom. 24. in Matth. fatus. *Volens autem iustorum benefacta ostendere grandia: peccatorum verò culpas non grandes, ad iustos quidem dicit. Ex eo quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis. Ad iniustos autē sic: Ex eo quod non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis non adijciens fratribus meis.* Quis non miretur præstantissimam Iesu charitatem erga suæ naturæ consortes, quando vel in ipso iudicij feruore potius dissimulat, quā exaggerat peccatorum grauitatem? Hanc æmulemur Christiani, & quoad fieri poterit, proximorum errores non videamus. Qui enim Dei agitur halitu, etiam manifesta cœcutit ad proximorum peccata. De Iesu Domino permittente pedes suos tangi à peccatrice aiebat Pharisæus, Luc.
Luc. 7. 7. *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Ad quem acutè
Chrysolo. in rem præsentem, respondet Chrysol. serm. 95. *Pharisæe, erras, nescire magis potuit si fuisset Propheta: quia prophetia non est humani arbitrij, muneris est diuini.* Et quidem vbi diuinitas agit, manifesta etiam proximi peccata non videntur.

§. X.

Vna cum iudiciaria potestate, omnimodam impeccabilitatem sibi iudex assumat, necessum est.

ECCE tibi optimi iudicis proprietatem, immò ipsissimam essentiam, nimirum, *Non clamauit, non contendet, non audietur vox eius*, sic mutus fiet, ne leui saltem maculare vitam famine posset. Calamum quassatum non confringet, nemini nocebit, linum fumigans non extinguet, sed ab omni culpa immunis, totus erit in virtutibus promouendis. Cum virgæ potestate in se peccati radicem abscindat iudex, qui proprio muneri satisfacere velit. Paulus ad Roman. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Itaque filius Dei assumpsit non carnem peccato obnoxiā, sed similitudinem carnis peccati; accepit carnem, sed omnino intercluſit aditum peccato. Et cur omnino peccato aditū intercluſit? cur non admisit carnem, quæ obnoxia esset peccato. Cui perfectioni id repugnaret? Sanè, vt alias repugnantias, & dedecora Theologis omittam, illud in præsenti notarim, quod caro peccatrix maximè fœdaret iudiciariam Christi potestatem. Id quod innuebat ratio illa Pauli: *Et de peccato damnauit peccatum*, quasi eo ipso, quod damnaturus peccatum carnis venerit, factum est, vt veniret non in carnem peccati, sed in similitudinē carnis peccāti. Etenim iudiciaria potestas, quasi supponit in iudice impeccabilitatem. Do D. Ambro- Ambr.
sium in Psalm. 37. santem. *Damnauit Christus in carne, de ipsa carne, peccatum, quæ iudicabili quodam vigore, & auctoritate censoria odit vitia, quæ amare consueuerat, & horret impudicitiam, quam voluptatem putabat.* Expēde, à quo ebiberit Christi caro repugnantiam cum peccatis, nimirum, à iudiciali vigore, & censoria auctoritate accepta, quasi eo ipso, quod omne iudicium sibi à patre oblatum acceperit, mille simul in se repugnantias, & contradictiones imbiberet cum peccatis. Cum damnā dus esset blasphemus, sic lex cauebat Leuit. Leuit. 14.
24. *Et lapidet eum populus vniuersus*: non ab vno, sed à tot iudicibus, quot ciuibus damnari, & castigari iubebatur tantum peccatum. Sed cur aduersus scelus solius blasphemiæ vniuerso populo potestas mandabatur? Vt vniuersus populus ebiberet horrorem, & cōtrarietatem in blasphemiam, quam vniuersus castigabat: nec esset à quo iam timeri posset tantum nefas, cum omnes illud condemnassent. Ita fatur Saluian. lib. 1. de Gubernatione Dei. *Ne* Saluian.

quis poſtea admitteret, quod omnis in vno populus vindicaſſet, &c. Adeò iudiciaria poteſtas ex ſe trahit impeccabilitatem, vt ex eo videantur populi aduerſus peccatum obfirmati, quod vindices illius conſtituantur. Quis nō repugnat peccato, quod vocat in examen, & de quo vindictam facit? Exod. 18. ſic Moyſem monebat ſocer eius. *Prouide autem de omni plebe viros prudētes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam.* Hoc ſit creandis iudicibus innatum, quod virtutibus ornētur, quod vitia oderint, nimirū, auaritiam, ſiue vt Septuaginta habent: *Odio habentes ſuperbiam*, ne vlla radix vitiorum in corde iudicis maneat. Pro quo expēdendum illud, quod ait, nimirum, *qui oderint auaritiam.* Non enim contentus eſt, quod in iudice non ſit auaritia, non ſit de facto peccatum, ſed inſuper vult, vt ſit in illo aliquid oppoſitū, & omnino repugnans peccato, quale eſt odium peccandi. Vndè acutè hæc verba ponderat Caietanus aiēs. *Quamuis ſufficiat homini non eſſe auarum, non ſufficit tamen iudici, ſed oportet, tam alienum eſſe ab auaritia, vt oderit ipſam. Minus dixi, quia participium habetur in Hebræo: puta odiens auaritiam, ſignificans affectos continuo odio auaritiæ, & non quaſi ad horam oderint illam.* Quaſi eo ipſo, quod temporanea ſit, & non perpetua in iudice repugnantia cum peccato, non tam ſit, quam appareat iudex, vt peſsimi illi ſenes, apud Daniel. 13. *Qui videbantur iudicare Iſrael:* videbantur iudices, ſed non erāt, vtpote qui locum dederant iniquitati.

Exod. 18. — LXX. — Caiet. — Dan. 13.

CAPVT NONVM.

De ſurdo, & muto ſanato.

IDONEO Dominus gradiēs in littore, cūrauit oblatum gemina, quendam calamitate miſerrimum; qui vocis, & auriūm priuatus officijs, nec ſua dare, nec aliena poterat verba ſuſcipere. Sed tactu manus ætherex, cunctis penetralibus, quæ pernici clauſit violentia, diſruptis, repente fores patuere impulſæ, venarumque cuſtodijs protinus relaxatis, qui modo mutus videbatur, ac ſurdus, & ipſe loqui meruit, & alios loquentes audiuit.

Marc. 7. Et adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

§. I.

A Deo magna petenda, qui ſolum magna munera ſua æſtimat.

CVM verbo Ieſus poſſet ſanare, nec māgis moratur ſalus, quam dum verba dat Saluator. Iſti non ſolum verba requirunt, ſed & quod maius humanitatis ſignum eſt, poſtulant, nimirum, impoſitionem manus. Nec is eſt Ieſus, qui tanta dignatione grauetur, immō votis annuens oſtendit, quam ſibi complā cet, in eo, quod à ſe videat magna poſtulari. Magna enim qui poſtulat, munera poſtulat diuinę propria manus; quandoquidem parua à nobis ſunt, non à Deo profecta manu. Hoc docebat ille miſer diues purpuratus, qui cum eſſet in tormentis tales Abrahamo preces dabat, Luc. 15. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Non manum, non digitum, ſed digiti extremum tinctum aqua petit miſer ſibi applicari. Sed vndè tam vile donum petendum proponitur? Quis dedit tam minimum refrigerium peti? Non equidem à Deo id factum eſt, qui nullum, niſi magnum donum nouit inſpirare. In minimis poſtulatis non Dei munera, ſed vitia cognoſcuntur voluntatis humanæ. Pulchrè D. Chryſol. ſerm. 66. ſatur. *Qui diuitias ſuas non miſerando pauperi dedit, ſibi miſericordiam minorat.* Diuitis ſemper Deo odioſa crudelitas facit, vt ea munera petantur, quæ non à Dei manu, nec à digito, ſed ab extremo digituli, vt minima fiant. Tuum vitium, tua miſeria eſt, quæ Dei gratias minorant, quæ nobis ſemper magnæ proponuntur, & inſpirantur. Nō ad Dei digitulum ſpectat, qui Deo placet, ſed vt ait, Pſalm. 144. *Oculi omnium in te ſperant Domine.* Hoc eſt, te petūt, te intuentur totum, non digitum manus tuæ. *Et tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manū tuā, & imples omne animal benedictione:* Nihil minus, quam apertionem manus ſuæ vult Dominus à fidelibus ſpectari, qua vbertate repleantur, & ingentia munera capiāt. Inde clauſæ ſponſæ, Cantic. 5. *Miſit manum ſuam per foramen peſſuli:* per quod vix digitulus mitti poterat, tota Dei intromittitur manus, ne fidelis anima, quid paruum à Deo flagitet; qui neſcit donare minima. Quò ſpectat illud D. Pauli ad Roman. 1. *Iuſtus autem ex fide viuit:* quaſi oſtendat ingentem iuſti ſubſtantiam, ex qua viuat: quippe iuſtus non ex rapto, non ex minimo, ſed ex ingēti viuit ſubſtan-

Chryſoſto. — Pſalm. 144. — Cant. 5. — Roman. 1.

ſtantiam, ex quâ viuat: qui iuſtus non ex rapto, non ex minimo, ſed ex ingenti viuit ſubtilitia, nimirum, ex fidei oculis, qui in Deum intenti non poſſunt non magna expectare, & adipiſci. Accinit D. Theodulus in epiſt. ad Roman. cap. 4. inquiens. *Enim vero qui ex fide vivit, & iuſtificatur, ſecundum gratiam iuſtificatur. Vbi porrò Deus donat, omnia grandia donat.* Hi ſunt fidei oculi, qui cum ad Deum donatorem intendant, numquam nō adipiſcuntur grandia, ex quibus vitam agant, & abundantiùs agant. Ioan. 17. ſic ad fideles loquitur Ieſus ingentia illorum munera à Deo dilabenda oſtendens. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina,* non pocula, nō riuuli, ſed flumina, *de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondū erat glorificatus.* In quibus verbis, præter quam quod, illud fidelium bonum notatur, quod non poculis, ſiue guttulis inhiēt, ſed plena, & exundantia flumina ſperent, inſuper ponderandum eſt, quod dicat, vſque tunc Spiritum ſanctum nulli fuiſſe datum à patre. Quomodo non fuit datus ſpiritus vſque tūc? Nonne prophetę ſpiritum Dei habuere, nonne Ioannes, nonne Simeon, nonne Anna? Defuit ne antiquiſſimis illis parentibus ſpiritus gratia? Abſit. Sed quia in illis non fuit ſpiritus in grandi illa abundantia, & copia, qua effuſus eſt fidelibus poſt Chriſti reſurrectionem, dicitur non fuiſſe ſpiritum datum; nō enim attingebat rationem doni diuini, dum non oſtēdebat maximam abundantiam; quaſi à Deo nulla dona habeatur, niſi maxima. Do D. Auguſtin. tract. 52. in Ioann. vbi ſatur. *Non ſine Spiritu ſancto futura pronuntiauere prophetæ: aut non etiam ſine Spiritu ſancto Simeon ſenex, & Anna vidua, & Zacharias, & Eliſabet, qui tanta per Spiritum Sanctum prædixerunt. Sed ſpiritus nondum erat datus, ideſt, illâ abundantiâ ſpirituali, &c.* Equidem iam diuinæ gratiæ riuuli inter aliquos fideles ebullierant; iā cœli multā rorarant; iam vel Pharaonis Magi Dei virtutes viderant clamantes: Exod. *Digitus Dei eſt hic,* ſed quia non dum manus diuina omnimode aperta fuerat, non dum gratiarum flumina effuſa, non reputatur vnum Dei donum communicatum, qui fidelibus ſuis omnia donat grandia, quæ à ſe expectari, & poſtulari gaudet. Nec miremur, quod refugiat â Deo petere, qui magna petere neſcit. Iſaias 7. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.* Quid homini felicius eſſe poteſt, quam iuberi, quod petat à Deo? Sanè eò ipſo, quod Deus iubeat, vt petamus, dare deſiderat. Pete ergo Achaze: at ipſe ait. *Non petam, & non tentabo Dominum.* Sed vnde putat, aut metuit tentare Dominum, ſi peteret, quando ipſe Dominus iubet quod petat? Planè neſciebat adhuc ipſe, vt paruulus, magna petere, & dum magna petere neſcit, merito metuit à Deo petere. Ita D. Baſil. ibi ait. *Achaz, vt qui non dum eſſet edoctus quærere magna, ideſt, cœleſtia, eò renuit quærere ſignum, ne prætergredi videretur mandatū, quod dicit: Non tentabis Dominum, &c.* Deum tentat, & offendit, qui ab illo minima petit, quæ ipſe præſtare neſcit.

D. Theod.

Ioann. 17.

Auguſt.

Iſai. 7.

D. Baſil.

§. II.

Noſtrum ſolum eſt, proximorum ſtudere ſpirituali ſaluti; Dei eſt illam impertiri.

VIRI boni ſurdum, & mutum inuenientes, hoc illi præſtant auxilium, quod poſſunt, nimirum, ad Ieſum ducunt, & Ieſu manus precibus exorant. Dei enim erat ſanare, hominum enim ſolum eſt proximorum ſalūti aliqualem impendere curam. Sic bonus ille Samaritanus, vbi percuſſum hominem ſtabulario commendabat, Lucæ 10. ait: *Curam illius habe.* Ex quo Eugenium ſuum monet D. Bernard. lib. 4. de conſiderat. ne vibem peccati icem incurabilem dimittat, ait enim: *Noli diffidere, curam præſtare exigeris, non curationem. Denique audiſti: curam illius habe, & non cura, vel ſana illum.* Numquam enim ad hominem pertinet, ſiue ſubditis, ſiue proximis ſalutem impertiri: hoc Dei munus eſt, hominis autē, illam procurare. Sanctæ illæ fœminæ vbi vident Ieſu diuiniſsimum cadauer, Marci cap. 16. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Id quod omnibus animarum curatoribus, proponit etiam D. Bernard. ſerm. 2. de Reſurrect. inquiens. *Ecce igitur Chriſtus in ſepulchro, fides mortua eſt in animo. Quid facient eius? Quid fecerunt ſanctæ mulieres, quæ ſola ex omnibus ſuis amplieri tenebantur affectu? Emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Numquid vt ſuſcitarent? Et nos ſcimus, fratres, quia ſi ſcitare noſtrum non eſt, ſed vngere nobis incumbit.* Ecce tibi munus eorum, qui animarum curatores ſunt; tunc muneri ſuo ſatisfaciunt, ſi vnguentum adhibeant, non ſi infundant, aut ſi refundant vitam. Vnus Deus eſt, qui mortuas animas ſuſcitat, qui errantes & efferas mentes manſuetudini, & ſanitati reſtituit. Vane gloriatur homo, quod peccatores ad vitam traxerit, cum id vni diuinæ manui deberet adſcribere. Quò refero prouerbium illud, Gen. 10. adductum vbi de famoſiſsimo Nemrod, ſic deſumunt. *Quaſi Nemrod robuſtus venator coram*

Bernard.

Bernard.

Geneſ. 26.

coram Domino. Quibus verbis meritò putat Caietanus piorum hominum celebrari virtutes: robustus enim hic venator, ideo robustus coram Domino dicitur, quia vt auctor est Auen Ezra, aram erexit, in qua captas feras Deo litabat, fassus non arcu, & arte sua, sed Dei virtute omnem ingentem venationem fieri. Indeque non inepte transfertur prouerbium ad vniuersos animarum curatores, & venatores, quorum quilibet, quasi Nemrod robustus venator coram Domino est: quippe non ipse propria virtute feras capit, & cicurat, sed ipse coram apparet, verum Deus inuisibiliter rem conficit. Fallar, nisi hoc lucem capiat ex solita principum venatione, qui, vt feras capiãt, mansuetissimum bobem pascentem coram præmittunt, post quem ipsi occulti accedunt, sagittas dirigunt, & venationem conficiunt. Sic animarum curatores, sic Apostolici viri, velut mansuetissimi bobes eliguntur, nõ solum, vt dorso totum æneum mare sustentẽt, ad laudadas oues dominicas, sed vt in venationem coram prosiliant, quibus præmissis Deus peccatores sagittet, & sanitati restituat. Non bos est, qui rem conficit, sed venator bobe coram præmisso: non homo est, qui peccatores saluat, sed homine corã posito Deus solus dat peccatoribus salutem. Nõ me tempero, quin audiam Psalmum 28. de efficacia diuinæ vocis, sic tandem differentem. *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, comminuet eas, tamquam vitulum Libani.* Significantius in rem nostram D. Hieronym. non dixit comminuet, *vt vitulum*, sed cõminuet, vt *vitulus*. Quippe loquitur Dominus de gentium conuersione, quando fortitudo gentium in bonum dissipanda, & comminuenda Euangelica voce erat: & quidem vox Dei conterit, & sanat superbissimos, & elatissimos peccatores, sed conterit, & sanat illos, vt vitulus Libani. Quid est, vt peccatores conuertat Deus, vt vitulus? Sanè ad conuertendos peccatores Euangelicos bobes coram præmittit, non vt ipsi rem faciant, sed vt dum ipsi coram apparent, diuina manus sibi peccatores acquirat, faciatque iustos.

Psalm. 28.

Hieron.

Marc. 7. Et apprendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius.

§. III.

Impossibile est quod sint tot hominis vulnera, quot adsunt diuinæ misericordiæ remedia.

SVFFECISSET, si Saluator digitum auriculis applicasset surdẽtibus, sed nec auriculæ caperent plusquam vnum, aut alterum digitum: misit tamen sine discrimine Iesus digitos suos in auriculas eius, insuper expuens linguam tetigit, vt sic longius remedijs superarentur vulnera, nec tot esse possint morbi, quod diuinæ miserationis remedia. Et quando remedia à Deo miserenti applicata nõ excedunt peccatorum vulnera? Matth. 18. quasi fines miserendi constitueret Dominus, aiebat. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Sed cur hunc numerum miserendi præfiniuit? An quia voluit aliquod posse manere peccatũ sine venia? Absit. Immò eum numerum miserendi posuit, qui longè maior peccatorum numero esset. Ita fatur D. Hyeron. *Cui respõdens Dominus, ait: Non vsque septies, sed vsque septuagies septies, id est, quadringentis nonaginta vicibus: vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset.* Ipsam potestatem peccandi vincit multitudo miserationum à Deo dilapsa; nescit enim Dominus fons pietatis, non scaturire tot miserationibus, quot exhauriri nequeãt à peccatoribus. Post primos parentes à paradiso amandatos, ait text. Genes. 3. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendã viam ligni vitæ,* Non solum gladium opponitur peccatori homini oculos reducenti ad paradisum, sed & insuper proponitur Cherubim: cuius nominis explicationem ponit D. Hieronym. de nominibus Hebraicis, quod sit, Cherub, idem, quod *quasi plures*, siue, *quasi multitudo.* Cur ergo in electione peccatorum hominum proponitur ante paradisi fores, & gladius versatilis, & Cherubim significãs multitudinem? An vt ostenderetur per multitudinem difficultatum, & impedimentorum necessaria impossibilitas reuertendi ad pristinam felicitatem deperditam? Numquam id mihi solum persuadeam, qui noui Deum adeò misericordem, vt aditum salutis occludat nemini, quin potius ideo etiam ante paradisi ianuã præmittit gladium, & Cherubim, vt ostendat multitudinem remediorum; quibus possit peccator ad vitam reuertere. Hoc excogitabat Bachiarius, epist. ad Ianuar. de lapsis recipiendis, fatus. *Ideo primi peccatores temporarie, sub typo mœroris, tribulationisque damnati sunt, vt malagmate pœnitentiæ sanarentur: & eo vsque de ligno vitæ, id est, de Christi participatione exules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam, id est, ignitam martyrij passionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ remearent.* Non vnicum remediũ proponitur peccatoribus ad salutem recuperandum;

Matth. 18.

D. Hieron.

Genes. 3.

Bachiar.

rādum; sed multiplex: & est gladius, & ignis, & infinita alia, quæ ab infinita Dei scientia possunt excogitari, & excogitantur. Non erunt tanta peccata, quanta sunt sanitatis media à Deo oblata, per quæ possis ad vitam remeare. Huc spectabat Psaltes 50. quando petebat liberari: *Secundum multitudinem miserationum tuarum.* Non enim solum est Deus misericors, & clemens, sed & qui habet tantam multitudinem mediorum, & remediorum ad sanandum tot miserationes, quot nullis possint exhauriri peccatis. Similiter Ionas cap. 4. ait. *Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Nō quacumque misericordia polet Deus, sed adeò multiplici, vt tot exerat remedia, quot non possint esse peccata. Quod fatebantur ipsissimi Iudæi, apud Isaiam cap. 63. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est ei secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem miserationum tuarum.* Nulla tanta possunt esse peccata, quæ superent misericordiam Dei, maior semper est miserationum multitudo, quàm multitudo culparum. Vbi maior culparum cumulus, quàm apud Niniuitas? Ionæ 1. *Vnde in Ninuen ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eorum coram me.* Adeò malitiæ augmentum exaggeratur, vt dicatur ascendere coram Deo. & nihilominus tantæ malitiæ remedium Deus parat. Ex quo D. Basil. Seleu. orat. 12. ait. *Ninue peccatis naturæ terminos superegressa est; non tamen diuinæ clementiæ metas exsuperabat.* Semper Dei clementia peccatis maior.

Psalm. 10.

Ion. 4.

Isai. 63.

Ion. 1.

Basil. Sel.

Marc. 7. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est adaperire.

§. IIII.

Gratia lacrymis comparata diuturnior est, magis durat.

NVNQVAM pœnitenda dona largitur Dominus, quæ à gemitibus proficiscuntur: hoc enim habēt gemitus, & lacrymæ præcipuum, quod cœlestia munera confirment. Creationi hominis vix Dominus vltimas imposuit manus, & post pauca: ecce tibi Dominum de beneficio pœnitentem. Etenim ait Genes. *Pœnitet me fecisse hominem.* Vt hinc de mutabilitate suspectæ sint extrinsecus diuinæ manus, quæ firmatæ non sunt lacrymis, & gemitibus. At vbi reparādis hominibus, cum gemitu, & lacrymis manus adhibuit, adeò sibi complacuit in opere, vt de operis puluere, & labore manus noluerit excutere: sed sic affectas eas æternùm custodit, præ oculis habiturus. Quō respiciens Græcus ille Nicolaus lib. 1. de vita in Christo aiebat. *Pro nobis sæpius Dominus excruciari cupiebat: quod, quia non poterat, quod corpus eius corruptionem semel effugisset: saltem notas suæ necis in corpore seruādas: & vestigia vulnerum, quæ semel cruci affixus accepisset, perpetuis sæculis gestāda censuit.* Æternum placet beneficium comparatum gemitibus, quando lacrymosi operis æternum placiturus asseruatur puluis. Quippe iam diu lacrymæ nouerunt æternare diuina beneficia. Vide, à quo æternantur virtutes, Psalm. 1. *Et erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Iustus manet firma radice: impius excutitur à facie terræ: illum lacrymarum aquæ firmant, & stabiliunt; hunc ariditas reddit facilem ruinis. Ex quo dicebat Cellensis Abb. lib. de Panib. c. 12. *Nunquam virtutes, aut veniunt, aut diu viuunt sine cordis irrigatione. Nam si in corde viridi quotidie irrepunt tentationes, in arido quid fiet? Si etiam post lacrymas vermis corruptionis mentem corrodit, quæ consumptio aridioris illius, vbi Dominus nusquam pluit?* A corde trahenda est lacrymarum irrigatio, vt diu possint viuere, & perseuerare virtutes; dum cordis gemitus non submittitur, nullum firmum ponitur fundamentum: super arenā manet virtutum ædificium. Vbi cordis irrigationes irrumpunt, vbi Dominus de superioribus pluit, firmātur, & stabiliuntur virtutes. Psal. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Ecce tibi virtutes cœli aliter de petris canunt, nō de arena, nō de ramulis flexibilibus. Cur non de ramulis, sed de petris? Præmissæ sunt scaturigines aquarū, quæ rigant terram, & humilia corda fœcūdant; & vbi cordis datur irrigatio, nesciunt virtutes sic missimo non inniti habitaculo. Et quando cordis irrigatio non facit virtutes in nobis perseuerare, firmiterque cōsistere? Ioel 2. *Nunc ergo dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ecce tibi in fletu, & planctu mandatur cordis scissio, ne vestimenta scindantur. Sed quæ sunt hæc vestimenta, quæ integra iubentur durare, dum

Nicol.

Psalm. 1.

Cell. Abb.

Psalm. 103

Ioel 2.

dum cordis scisio fit in plantu? Crediderim his vestimentis intelligi posse virtutes, quibus animus noster ornatur, quæ quidem integræ perseuerant, dum fundantur in vera cordis contritione, & planctu. Præstat audire D. Bernard. serm. 2. in cap. ieiunij sic fantem. *Bona vestis charitas, bona vestis obedientia: beatus qui custodit vestimenta hæc, vt non ambulet nudus. Denique beati, quorum tecta sunt peccata, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Scindamus corda, sicut prædictum est, vt hæc vestimenta integra seruemus. Nec modo integram seruat vestem scisio cordis, sed & talarem eam facit. Hinc enim virtutum perseuerantia, &c.* Nunquam equidem firmius virtutes manent, quam vbi subest cordis irrigatio.

Bernard.

§. V.

Bona lingua fœtus est Dei parturientis.

IN cœlum respicit Dominus ad Patrem, & gemit, muti linguã, vt rectè loquatur, soluturus. Bona enim lingua nixus diuini est index, & à solo Deo patre potest parturiri. Nullo æterni patris fœcũditas clarius explicatur, quam lingua, quam voce, quã verbo. Matth. 3. in Iesu baptismo apud ripas Iordanis beatificæ Trinitatis personæ pulchris notionibus demõstrãtur; ait enim. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendẽtem, sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ecce tibi, & Christi humanitas, & columba reuolans, & vox de cœlo tonans, quorum singula singulas personas beatificæ Trinitatis denotant. Quamuis enim à totius Trinitatis virtute singula fiant, non tamen singula totam Trinitatem representant, sed sua quæque persona figura, & signo distinguitur: vt Christum filium Dei solum caro designet assumpta, Spiritum sanctum columba, Pater voce exprimatur de cœlo: nullo enim Patris fœcundissimi præsentia melius potuit exprimi, quam voce cœlesti. Huc spectat D. Augustin. serm. 63. de verbis Domini, aiens *Trinitas fecit carnem Christi, sed non pertinet, nisi ad solum Christum. Trinitas fecit de cœlo columbã; sed non pertinet, nisi ad solum Spiritum sanctum. Trinitas fecit de cœlo vocem, sed nõ pertinet vox nisi ad solum patrem.* Sicut per columbam Spiritum sanctum intelligis adesse, & per carnem filium Dei, sic per vocem cœlestem vnus intelligitur exprimi pater diuinus, ad cuius nixum pertinet parturiri verbum, formari linguam cœlestem. Vndè Ioannes Euangelista, qui generationẽ in diuinis adstruere voluit, cum posset dicere: *in Patre erat filius*; maluit dicere: *In principio erat Verbum*, quasi nullo pãtentius, & euidentius exprimi posset diuinissimus genitor, & pater esse, quam si diuinum verbum adstrueretur. Nunquam enim cœlestis lingua non monstrat patrem cœlestem. Isai. c. 50. iuxta Septuag. lectionem ait: *Dominus dat mihi linguam disciplinæ, vt sciam quando possim loqui verbum.* Quo loco sapienter vrget Leo à castro Iudæos, vt cognoscãt diuinũ Parentem, quem singulariter ostendit lingua differta: dat enim Dominus, non alius quam Pater linguã disciplinę, quasi à solo Patre veniat, quod tempestiue, & apte proferri queant verba. Vndè Dominus Matth. 10. ait. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: : : non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Nõ ait: spiritus meus, sed spiritus Patris. Cur ibi nõ suum, sed Patris promittit auxiliũ? Promittebat auxiliũ ad bene, tempestiueque loquendum, quod munus peculiari appropriatione sibi Pater diuinus vẽdicat, à quo semper venit. Pulchrè Tertull. lib. 4. in Marcion vtrumque Isaiæ, & Matthæi locum interpretans sic fatur. *Nec mirũ, si is cohibuit præcogitationem, loquẽdi scilicet, qui & ipse à patre excepit pronuntiandi tempestiuæ subministrationem, Dominus, ait, mihi dat linguã disciplinæ, quando debeam proferre sermonem.* Ecce vobis vbicumque bona lingua introducitur, statim diuinissimi Patris ponitur mentio, cuius munere proprio lingua tempestiua venit, adeò vt ipse Dominus peculiariter acceptam referat Patri linguæ disciplinam. Quò refert D. Hieronym illud Ioann. 12. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicã, & quid loquar.* Totum tempestiuæ loquelæ munus Patri adscribens. Quo etiam refert D. Antiochus homil. 28. illud ad Philipp. c. 2. dictum: *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei.* Quasi abscisso linguæ murmure vitioso, statim ibi splendeat partus diuinus.

Matth. 3.

Augustin.

Isai 50.

Matth. 10.

Tertull.

D. Hieron.

Antioch.

§. VI.

Lingua maxime obest saluti.

FORTE quis vellet Dominum ingemuisse, vbi ad soluẽdum linguam accessit, quasi prænoscens, quãtum obsit lingua saluti. Et nescio, an tantum obsit æneus murus interpositus, vt obesse solet vitium linguę. Moysi gradienti cum Israelitico populo obstitit interiectum mare rubrum. Verum Exod. 14. *Cũ extendisset Moyses manum super eum, abstulit eum Dominus, &c.* Ecce tibi totum mare obsistere Moysi non valuit gradienti ad terram promissam. At postmodum Num. 20. dum eleuat manum, vt percutiat petram ad extrahendas aquas,

Exod. 14.

aquas, ſtatim ſe diuina ſententia impeditum ſentit, ne terram promiſsionis ingrediatur. Cur modo paruus fons aquæ impedit, quem vaſtiſsimum non impediuit mare? Ibi tacitus Moyſes eleuabat manum, & fugiebat mare; hic eleuat etiam manum cum virga ſimul aiens. *Audite rebelles, & increduli, &c.* Et inordinata locutio illi obſtitit, ne terram ingrediatur, quod non valuit mare. Pulchra ſunt in præſenti Diu. Ephræni verba de linguæ malo, vbi inquit. *Ephræ.* *Plurimis licet ſignis claruiſſet Moyſes, vbi modice lingua lapſus eſt, è terra promiſsionis excidit. Magnum, & horrendum mare ei viam præcludere non potuit, ſed verbum vnicum inique ab eo prolatum, velut murus aliquis ipſi obſtitit, ne vlterius progredi poſſet.* Cui mare ceſsit, cui vaſtiſsima heremus non potuit impedire, quo minus in terram pergeret promiſſam, vbi iam proximior erat regioni, *Num. 20.* Num. 20. irritatus aduerſus populum, ait. *Audite rebelles, & increduli: numquid de petra hac vobis aquam poterimus ejcere?* Quid plura? Ecce propter hęc diuinam ſententiam: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Sic lingua, quod facere non potuit fremens mare, ingreſſum in terram promiſsionis tantis viris impediuit. Sic linguę lapſus deiecit Moyſem; quod vaſtiſsimi heremi *Eccleſ. 14.* tractus nequiuerunt efficere. Merito Eccleſiaſt. capit. 14. ait. *Beatus vir, qui non eſt lapſus in lingua ſua,* non ait, cuius lingua non labitur, ſed qui non eſt lapſus in lingua, quaſi ab vno linguæ lapſu naſcatur totius hominis pene irreparabilis ruina. Id quod notans Diu. *Iſid. Peluſ.* Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtol. 459. ait. *Optabilior eſt enim lapſus è pauimento, quam à lingua; multi quippè cum cecidiſſent, ſurrexerunt, ob prolatum autem ſermonem interierunt.* Adeò inſanabilem plagam linguæ æſtimabat Diu. *Valer.* Valerianus hom. 5. vt dicat. *Non difficilè eſt medico vlcera, quamuis tumentia in oculis poſita herbarum beneficio caſtigata mollire: habet, & vis veneni remedium ſuum; quod antequam in vltima viſcerum ſede dominetur; ſalutaris tamen poculi vnda perquiritur; linguæ verò inſanabilis plaga eſt.* Quaſi vna lingua difficiles prorſus reddat vniuerſas vias ſalutis, illas obcludens. Vndè non otioſe inſanabilis ille *Luc. 15.* epulo proponitur, Lucæ 15. poſtulans ex Lazaro, *vt intingat extremũ digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam ſuam.* Cur miſer non poſtulas manus aliquod refrigerium? Cur non potius petis, vt Iordanis influat in os tuum, quam petis, vt veniat guttula in linguam? Nouerat miſer, quam arcta ſemper eſt, quamque difficilis ſalutis via ad linguam, vt vix locum prębere poſsit ſtillatæ refrigerij guttulæ Nũ quã linguæ ardor non arctauit, & pene occlu dit vias ſalutis; lingua ſit, & omnẽ viam patere relinquit vniuerſo vulneri. Eccleſiaſt. c. 10. *Eccl. 10.* *Si mordeat ſerpens in ſilẽtio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Et merito ſerpentinus homo habetur, homo detractor. Sed maximẽ in rẽ præſentẽ notanda eſt lectiõnũ varietas; pro detractore enim ponit Chaldæus apud regiam, *fraudulentũ.* Syriacus, & Arabicus. *Maleficũ.* Biblia Veneta: *Linguoſum.* Biblia Froſchoueri, *abeũtẽ lingua, conuitiatorẽ.* Tygur. *maledicũ.* Vatab. *Blateronem.* Cãpenſis: *delatorẽ.* Et pro his omnibus D. Hier. ex Hebræo *Hieron.* ponit, habentẽ linguã, etenim legit ſic totam clauſulam. *Si momorderit ſerpens in ſilentio, nõ eſt amplius habenti linguã.* Quaſi eo ſolo, quod quis linguã habeat, his omnibus malis ſit proximus, nec habet aliud amplius, quod præſtet, quam vulnera, quam crimina, quã peſtes. Et merito D. Amb. in Pſal. 118. in octonario *Ambroſ.* 17. explicans literã, *Phe*, ait. *Phe littera decima ſeptima latine ſignificat, erraui, ſiue os aperui.* Quaſi idẽ ſit aperire os, linguã exerere, & in errores deuenire. De Phariſæo dicitur Luc. 18 *Luc. 18.* *Hæc apud ſe orabat: Deus gratias tibi ago, quia non ſum, ſicut cæteri hominum raptores, adulteri, &c.* Nemini parcit, nullũ non iniuriat, quid mirũ ſi ſemel linguã exerit? D. Zeno in Pſal. *Pſal. 130.* 130. *Lingua intonat, caret quæ nunquam veneno ſerpentis.* Quaſi neſciat lingua non offendere.

§. VII.

Lingua ſæuior, & durior in Ieſum, quam omnia tormentorum genera.

ACCEDIT Dominus Ieſus miſeri hominis ſoluturus linguam, & ingemit, qui alioquin inter duriſsima mortis ſpicula, ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Deus bone excruciaris tormentis, & non gemis, & ad linguæ ſolutionem gemis? Eſt ne tibi impiorum lingua ſæuior omni mortis telo? Accinit D. Bernar. *Bernard.* ſerm. de triplici cuſtodia ſatus. *Nec verò huiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere vereris. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, nec iam exanime fodit. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit, ſeu etiam clauis ferreis, quos ſanctiſsimis manibus illis, & pedibus conſumatis Iudaica iniquitatis infixit.* Eſt equidem longè horribilius Ieſu linguarum ſpiculum, quam omnia alia tela à perfidis Iudæis cõtorta. Vndè ſic Pſ. 63. patrem exorat. *Protege me à cõ- Pſal. 63.* *uẽtu malignantiũ, à multitudine operãtiũ iniquitatẽ. Quia exacuerũt, vt gladiũ linguas ſuas, &c.*

An non significantiùs diceret, quia exacuerunt gladios suos, parauerunt lancearum spicula, cuspides spinarum, cur relictis veris lancearum, & spinarum spiculis, ad mystica linguarum tela transijt? Præclare Gillibert. Abbas serm. 20. in Cant. fatur. *Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quam aculeos spinarum.* Vnus linguæ aculeus, quod non fecerunt millia spicula lethalia, à Iesu pectore gemitus, & suspiria traxit. Vis id videre manifestius? Accipe Matthæum capit. 27. fantem. *Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: vah qui destruis templum, & in triduo illud reædificas: salua temet ipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes, &c.* Quid ad hæc Iesus? Vix talia Iudæi fantur, & Iesus clamans voce magna, ait. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ecce tibi, quod spicula non potuerunt, Iudæorum linguæ faciunt queribundum Iesum. Id quod notans Diu. Cyprian. de Pas. ait. *Clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quæreris, sed satagis, vt innotescat posteris, quare derelictus à Deo videaris, expositus contumelijs, & ludibrijs Iudæorum.* Nec mireris, quod adeò Iesus præ omnibus alijs linguarum spicula sentiat; nam quæcumque alia tela, etsi atrocia in vnius hominis ordinantur interitum: verum linguæ telum in totius orbis ruinam extenditur. Transuerberat lancea pectus Iesu; clauj, spinæ, & alia corpus illius perdunt, verum Iudæorum linguæ petunt crucis descensum, quo totus orbis intereat. Ecclesiastes. cap. 10. *Labia insipientis præcipitabunt eum.* Ad quæ verba Chaldæus Complutensis. ait. *Labia viri stulti plena sunt increpationibus; propterea consumitur omne sæculum.* Et Chaldæus Cosli similiter ait. *Labia autem insipientis hominis increpationem inuehunt, atque adeo vniuerso orbi interitum.* Sic linguæ tela ad totius orbis tenduntur ruinam, quod Iesus orbis assertor sentit.

Gillib. Matth. 27. Cypr. Eccl. 10. Chald.

Marc. 8. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem, &c.

§. VIII.

Nulla res tam excitat diuinas laudes, quam obedientia a creaturis præstita verbo Dei.

NON exprimitur quid loqueretur homo iste à Iesu curatus; sed solum dicitur, quod loquebatur rectè: & quidem nil rectius loquebatur, quam Saluatoris laudes. Vbi enim Iesu verbo aurium vectes, linguæ vincula paruisse visa sunt, non possum adduci, ne credam, & sanatum hominem, & portitores illius in Dei laudes effusos esse. Imò ait: *Quanto magis eis præcipiebat.* Scilicet, ne cui dicerent, *tanto magis plus prædicabant.* Obedientia enim Dei verbo præstita à creaturis hoc habet præ omnibus singulare, vt vel in mutis lapidibus Dei laudes excitet. Apud Iob capit. 38. sic Dominus loquitur. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? Vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? Aut quis dimisit lapidem angularem eius? *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* In his hoc mihi solum expendas velim, quod in tota admirabili terræ conditione non meminerit Dei laudes, nisi vbi ad luminaria cœli ventum est. Conditur firmamentum, & silet; conditur terra, firmaturque, & se premit silentio; conduntur luminaria, & statim vox laudis auditur, & astra, & planetæ, & Angeli portitores se se effundùt in laudes Dei. Cur quæso solum inter luminum creationes Dei laudes hoant? In solis luminibus condendis sentitur obedientia à creaturis præstita Dei verbo. Etenim ait, Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram: & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux.* Expende, cui dixit Deus, vt fieret, nempè luci, & statim lux diuino obediuit verbo, quæ obedientia lucis Dei verbo præstita vbi apparuit, diuinas laudes non potuerunt amplius sileri. Huc spectat Diu. Basilius Seleu. orat. 1. inquiens. *Cœlum productum est, & terra cum aquis, cum vox anteuerteret nulla. Lux verò cum producebatur, Deus voce præiuit. Merito nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu, & admiratione Angelorum turbas moueat, quo imperium effectione rei comitatum conspicati, eoque perculsi spectaculo ad cognitionē, & hymnum creatoris cōuertantur. Dicit enim Deus cum Iob disserens, cum astra faciebam, laudabant me omnes Angeli mei.* Quasi vnum Dei imperium effectione rei comitatum efficacissimum omnium esset ad diuinas laudes extorquendas. Posset tota orbis creatio, imò ipsa lucis conditio illaudata manere, nisi imperium Dei voce manifestaretur: at vbi verbo diuino creaturæ parent, iam Deus non poterit manere illaudatus.

Genes. 1. Basil. Sel.

§. IX.

§. IX.

Silentium bonam linguam facit.

MVTI lingua dicitur, quod iam sanata loquebatur recte: facit hoc sæpe mutum silentium, à quo nascitur, quod lingua in bonos soluatur sermones. Vt præclare loquitur Diu. Gregor. serm. 30. in Iob capit. 11. aiens. *Ille scit recte dicere, qui & ordinate nouit tacere.* Hac silentis arte parabatur vox illa clamantis in deserto. Vt enim munus, & officium vocis præcursor Domini inculpabiliter exercere posset, non aliter, quam silentij beneficio in lucem prodijt. Etenim pater eius Zacharias talem accepit ab Angelo sententiam, Lucæ 1. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui*, quod & factum est, nam ex tunc, *permãsit mutus.* Sed, & mater eius Elisabeth: *occultabat se mensibus quinque.* De quo pulchrè, & acutè Chrysolog. serm. 92. ait. *Pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanto silentio vox nascitur! O quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur.* Necesse erat, vt tanta silentia præmitterentur ad hoc, vt innocẽs vox parturiretur. Nisi enim de silentij nutritijs vix nouit bona lingua excrescere. Ideò Dauid Psalm. 38. dicebat. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, posui custodiam ori meo.* Vt lapsus linguæ caueat, proponit vniuersas vias suas custodiendas; & tamen de facto vni ori dicit custodiam adhibuisse. Si omnes viæ tibi custodiendæ, & occludendæ sunt, cur solum os custoditur, & occluditur? Equidem hac vna silentij custodia fient vniuersæ linguæ viæ rectæ. Hic Ambros. *Nec inter obstrepentium crebra certamina, & disceptationum tumultus, sermo aliquis sibi offensionis excideret, tacere sanctus propheta proposuit. O validum scutum circunspectæ munitionis silentium? O fidissimum stabilitatis fundamentum, in quo siquis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit! Multi enim etiam stabili corde firmati; incauti tamen sermonis fluctuantis errore sæpe ceciderunt.* Et merito lubricitas linguæ non metuitur, vbi præcessit fundamentum silentij; quo posito, & confirmatur lingua, & in offense ad sermones procedit. Et quidem silentio maturari linguam ostendit Ecclesiastes cap. 3. inquiens. *Tempus tacendi, & tempus loquendi:* quasi nunquam vox plenis diebus nascatur, nisi ortum habeat à præsuppositio silentio. Id quod aduertebat Nyssen. hom. 8. in Ecclesiastem, dicens. *Priori loco collocatum est tempus tacendi, & post silentium dedit tempus loquendi.* Nunquam bene ad sermonem rectum itur, nisi per longum silentium, quo attendantur, & quasi conquoquantur verba. Psalm. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. Ne declines cor meum in verba malitiæ.* Ecce tibi, vt rectè loqui possit, quanta prærequirit fulcra silentij, & prius sibi optat dari custodiam oris, & ostium circunstantiæ labijs, siue, vt argutiùs Chrysostom. *Et portam attentionis circa labia mea.* Non enim silentium prærequiritur, vt otij comes, sed vt attentionis porta, in qua discat homo nihil non attente, & maturo consilio proloqui.

Gregor. Luc. 1. Chrysol. Psal. 38. Ambros. Eccles. 3. Nyssen. Psal. 140 Chrysost.

CAPVT DECIMVM.

De muliere contracta.

SABBATIS nõ semel Iesus noster opera præstitit sanitatis, ne infausti homini morbi dies festos Dñi fœdarẽt. Sabbato nũc etiã erigitur in figurã humanã fœmina, quã morbus brutorũ in ore ad terrã inclinarat. Quid fremis Iudæe? Non habes hic quid reprehendas: quæ brutorum instar caput ad terram habet inclinatum, cur etiam brutorum instar, beneficas manus non experietur in Sabbato? Vt sectata est brutorum morbos, sectetur etiam saltem de brutorum lege sanitatem.

Luc. 13. Erat autem docens in Synagoga eorũ Sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursũ respicere.

§. I.

Salutare est homini in multis tentari, & inquietari. Qui inde Deum habet.

EXPENDE huius fœminæ infelicitatẽ, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decẽ, & octo: habebat quidẽ, non sustinebat; habet, qui molestiã, qui pœnã non sentit, sed quasi possessionẽ potitur: sustinet, qui molestijs angitur, qui ictibus molestatur, & affligitur. Quid miserius quam morbum habere, & morbi pœnas consuetudine non sentire? Quid infelicius, quã hostẽ intrinsecus tenere, nullamq; eius impugnationẽ experiri?

Psal. 128. satius dicebat Dauid Psalm. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.* Chaldæus explicatius ait. *Multi fuerunt, qui molestias intulerunt mihi à pueritia mea.* Nusquam pax, nusquam quies, vndique spicula, tela, iacula, quæ molestarent. Zeno. Et adhuc clariùs, & patentiùs dixit Diu. Zeno. *Sæpe impugnauerunt me.* Nunquam non sensi nouos hostium impetus. Quæ hæc gloria Dauid, quæ felicitas? Magna equidem, *etenim*, ait, *non potuerunt mihi:* tot, tantæque impugnationes, & molestiæ meam inuincibilem clamabant fortitudinem, sustinebam tot hostium tela, quia me hostibus tradidi D. Zen. nunquam. Inde Diu. Zeno in Psalm. 128. *Maneamus ergo, vt sæpe impugnemur, & sæpe impugnati habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus: & hinc fuit impugnationis nostræ assiduitas, qui non sit impugnantium præpotens fortitudo.* Non infamiæ signa, sed gloriæ nostræ sunt præconia sæpius repetita hostium iacula, sæpius instauratæ hostiles impugnationes. Sanè mulier hæc, quæ nullos impetus sentiebat hostiles. *Habebat spiritum infirmitatis:* at qui crebris effiguntur in pulsibus, qui frequentibus tentationibus anguntur, solicitantur, Deum habent, suum proprium clamitant. Quo nihil homini gloriosius potest excogitari. De muliere illa cœlesti dicitur Apoc. 12. tur Apocalyp. 12. *Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Per clamores hos, & cruciatus parturientis bene intelligit Rupert. tentationes, & persecutiones, quas iusti anima sustinet, dum est in carne; sed inter molestias, & tentationes illud ponitur ad solatium, nimirum, *in vtero habens.* Quid est in vtero habens? Habet equidem anima iusti, quæ tentationibus affligitur, Deum tãquã sibi datum, ac filium ex legitimo thoro conceptum. Pulchrè Rup. Rupertus lib. 3. de Vict. capit. 11. ait. *Quid habens, & vnde habens? Habens, inquit, semen, in quo benedicentur omnes gentes: & hoc habens ex creatore Deo creatura rationalis tanquam de proprio viro vxor legitima.* Felix anima, quæ tentationum, & dolorum nouit sustinere molestias, ob quas Deũ facit suum, & vt bonum Psalm. 90. proprium habet. Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eũ. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Verba sunt hominis, qui multiplices sentiebat hostium impetus, inter quos non aliter agebat, quam damula inter voces, & spicula venatorum hinc, inde agitatus. Tunc dicit Domino. *Susceptor meus es tu Deus meus.* Cur Deus meus, & non potius Deus noster, nisi quia hoc est priuilegium eorum, qui ab hostili impugnantur incursu, quod Deum habeant suum. Accipite D. Bernar. ser. 3. in illa verba fantem. *Cur non* Bernard. *Deus noster? Quia in creatione, & in redemptione, cæterisq; communibus beneficijs est Deus omnium, sed in tentationibus suis, tanquam propriũ eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri posset relictis omnibus alijs, & soli operam dare.* Hæc est gloria illorum, qui crebras sustinent hostium impugnationes, & tentationes, quod non confundatur Dominus, Deus illorum esse, quod sic habeant Deum, quasi ad illos solos Deus pertineret.

§. II.

Vix malum aliquod accidit homini, in quo dialolus causa præcipua esse non velit.

PATET auctor nostrarum infirmitatum, nimirum, spiritus ille nequa, quin. merito in præsenti vocatur spiritus infirmitatis, cuius ea est cura, vniuersam homines deuolucre mala. Ipse morbos nobis immittit, ipse pestes trahit, quas Dauid vocat Psal. 77. *Immissiones per Angelos malos:* vt vix detur causa laboris, & afflictionis humanæ, quam nõ moueat, vel saltem non comitetur spiritualis causa diabolus. Psal. 128. aiebat. *Sæpe expugnauerũt* Psal. 77. Psal. 128. *me à iuuẽtute mea, etenim non potuerũt mihi.* Expugnatum se à iuuentute queritur, non tamẽ causam, vel manum per quam expugnatur, explanat. An quia in omni impugnatione, & labore hominum manus sit inuisibilis, nimirũ, nequitia spiritualis? Ita D. Zeno in eo Psal. D. Zeno. fatur. *Causa noscenda est, cur auctores impugnationis silentur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdẽ habent auctores, quos habẽt ministros. Executio quidẽ hominũ est, sed diaboli instinctus est.* Noscamus primã marum nostrarum infirmitatum, & laborum, qui licet executioni mandentur ab alijs causis, tamen omnes has causas solet mouere, & incitare in homines ipse diabolus. Raro creatura sola in homines insurgit, nisi iuncta diabolo, nimirum, spiritui omnis humanæ infirmitatis. Pulchrè Psal. 2. meditatus Dauid impetum factum Ierosolimis in Iesum Dominum nostrum, ait. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Sanè vnus Rex Herodes, & vnus princeps Pilatus dicitur astitisse aduersus Christum Dominum: quod si vnus Pilatus, & vnus

vnus Herodes aſſiterunt in Ieſum, quomodo dicit Dauid, & Reges, & Principes aſtitiſſe? Et erat Rex, qui videbatur vnus Herodes, & rex, qui nō videbatur diabolus; & princeps, qui videbatur Pilatus, & ſimul ſpiritualium nequitię, mundi rectores, qui nunquam deſunt, vbi alicui hominum damnum paratur. Id attigit D. Chryſoſtom. ibi aiens. *Nunquid Herodes Reges? nunquid Pilatus princeps? Sed non errarunt Apoſtoli, ſic ſunt interpretati. Cum Rege enim Herode peccati quoque regem diabolum oſtenderunt, & cum principe Pilato dæmonum poteſtates, & principatus ſignificarunt.* Non poterat homini venire malum, ſine diabolo, & non poterat creatura hominem offendere, niſi de ſocio diabolo: non poterat morbus hominem diuexare, niſi ſolicitante ſpiritu infirmitatis humanæ. Vndè pulchrè monebat D. Paulus ad Epheſ. c. 6. noſtrum certamen eſſe, *aduerſus ſpiritualia nequitiæ.* Quaſi vnus nequiſsimus ſpiritus ſit auctor, & motor malorum, quæ homines diuexant, adeò vt ipſe Deus Optim. Maxim. queratur ſe à diabolo in hominem commotum. Quippe ait Iob 2. ad diabolum. *Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra.* Quem lapidem non moueat diabolus, vt homines affligat, quando commouet Deum ipſum, illum ſolicitans in homines.

Chryſoſto.

Epheſ. 5.

Iob 2.

§. III.

Quod terrenis ſe dedant homines, ex diabolo venit.

NOSCE iam ſpiritum infirmitatis, vel ab ipſa infirmitate, qua mulier ita ad terram prorſus erat inclinata, vt cœlū nō aſpiceret. Quis hoc in homine faceret, niſi diabolus, de quo ſolo venit, vt homines terrenis, & partis ſe ſe penitus tradant? Exemplo ſunt nobis in hac re Ananias, & Saphira terrenis ſic dediti, vt de ſubſtantia Apoſtolis oblata ſolatium ſibi paruum procurarent. Quibus Petrus ait, Act. 5. *Cur tentabit Sathanas cor tuū? &c.* Argutius Syrus poſuit. *Cur ſic impleuit Sathanas cor tuum?* Expende illud, *impleuit*, in quo rectè explicatur ſpiritus infirmitatis, quo homines, diabolo operāte ad terrena, & minima inclinantur. Id quod pulchra ſimilitudine explicat D. Simeō Iunior, orat. 6 inquiēs. *Quemadmodum videmus mulierem vterum plenum ferentem, ſordida quæque appetere, & ipſam ſolam ea, vt iucunda aſpicere, atque comedere.* Sic qui diabolo implentur, nihil appetūt cœleſte, nihil iucundum, & dulce putant, niſi terrenum, nihil nouerūt niſi cordes, & infimas quiſquilias mandere. Huc totus reſpicit diaboli conatus, vt ad terrena homines inclinet, quos inter ipſa terrena bona facilius opprimat, & allidat. Docuit id Dominus apud Lucam cap. 22. dicens. *Ecce Sathanas expetiit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Hæc erat tota Sathanæ cupiditas, vt ponat homines inter terrena bona, vt nihil aliud reſpiciant, quam triticum, quam eſcam, quo illos miſere affligat. Inde D. Macharius hom. 5. ait. *Quemadmodum enim triticum in cribro eius, qui tractat illud, allidatur, & agitatum in ipſo aſsidue vertitur: ita princeps nequitiæ cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet; & eiuſmodi occupationibus eos agitat, turbat, & commouet, efficitque, vt vanis cogitationibus allidantur, dum obſcœnis deſideriis, & terrenis, atque ſæcularibus laqueis vniuerſum genus Adæ captiuat.* Pulchrè nouerat vir ſanctus Sathanæ ſtudium, quo homines ad terrena deprimat, & temporalibus curis captiuet, captiuoſque vt triticum, huc, illuc ventilet, & allidat. Eu, quoties ego iudiciale forum pertranſiens, hoc Sathanę ſtudium obſtupui. Ibi pro roſtris iudices, throni poſiti, libri aperti, oratores diſſertiſsimi, cauſarum procuratores, rei, actores, atria frequentiſsima, feruet opus, agitantur hinc, inde miniſtri, curritur ad ſtrategemata, ad ſtrophas, tota res de pecunijs petiundis, & repetiundis; horæ momento huic mors, illi victoria. Ecce vobis non atrium, non ſotum, ſed cribrum, cuius motorem ſi quęro Deum, minimè inuenio: ait enim Cant. 3. iuxta Septuag. quod quæſiuit ſponſæ Deum, *In ciuitate, in foro, & in plateis, & non inuenit.* De quo Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 5. inquit. *Fortaſſe non inuenit; quia in foro quæſiuit, vbi lites, in plateis, vbi nundinæ rerum temporalium.* Non ibi Deus: ſed mihi videor videre diabolum ab angulo totum illud forum manibus habere, vt cribrum, quo miſeros illos, terrenis rebus occupatos, immò immerſos agitat, mouet hinc, inde, vaniſque cogitationibus turbat. Do tibi huius rei exemplum, etiam in domo illius diuitis, cuius ager multos tūlerat fructus, Lucæ 12. Igitur hic totus, dum mergitur fructibus. *Cogitabat intra ſe dicens, quid faciam? quod non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit; ſcio, quid faciam deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona in annos multos, requieſce*

Actor. 5.

D. Simeon.

Luc. 22.

D. Math.

Ambr.

Luc. 12.

quiesce, manduca, bibe, epulare. In hoc vide in primis studium, & affectum totum in terrenis positum, nihil curans præter cibum, potū; deinde expende illud, *dicam anima mea quiesce*, in futurum promittit sibi quietem; de præsenti enim minimè quiescit, immò totus cogitabundus angitur, affligitur, varijs torquetur consilijs de destruendis horreis, de reædificandis, de asseruandis fructibus, nō ne, hoc est ventilari? Hoc est allidi? Hoc est cribrari? Sed quis hominem in has curas deiecit? Quis illum posuit in cribro? Diabolus hoc fecit, qui intus versabatur in pectore. Ita Chrysolog. ser. 104. dum hominis verba pensat, inquiens. *Quid faciam? Interroganti vox esset. Et quem putas interrogat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor irrepserat.* De solius diaboli cura venit, quod homines nihil aliud præter terrena bona videant, in illisque asseruandis, & procurandis mille turbationes, mille allisiones sentiant.

Chrysol.

Luc. cap. 13. Quā cum videret Iesus. Vocauit eam ad se, & ait illi. Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

§. IIII.

Solus Deus ex se ad nos venire nouit, cæterares potius nouerunt abire.

NON expectat Dominus rogari, & conueniri ab infirma muliere, ipse ex se adit, & vocat illam, & salutem offert. O quam se in hoc Deum ostendit, qui solus non quæsitus, non rogatus, sed ex se ad egentes nouit venire, & secum afferre omnimodam salutē. Quod summum obtinere posse putauit Iosue à cœlestibus astris, hoc erat, vt nec pedem mouerent. Ait enim, capit. 10. *Sol non mouearis contra Gabaon:* & dum ægrotabat Ezechias, dum signum salutis à sole petitur, non petitur, vt festinet venire, sed potius, vt reuertatur retrorsum, & recedat decem lineas. Sic 4. Reg. 20. *Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Hoc potius nouerunt facere creaturæ, nimirum, vel non moueri ad egentes, vel recedere longius ab illis. Vnus Deus non vocatus, non quæsitus, immò sæpe eiectus, & dimissus nouit ex se ad egentes venire, illisque omnium bonorum impertiri plenitudinem. Notabat id Diu. Chrysostom. ho. 27. in epistol. ad Hebræos, inquiens. *Quanta sunt, quæ nobis Christus promisit? Non Solem sistere, non Lunam, non repedationes Solis. Sed veniemus ad eum, inquit, ego, & pater, & mansionem apud eum faciemus. Quid mihi opus est Sole, & Luna, & istis miraculis, ipso Domino apud me habitante, & permanente, & quid mihi opus est cæteris? Ipse mihi erit Sol, ipse lumen.* Equidem solius Dei potes expectare aduentum, solus Deus promittit, quod ad te veniet, & veniet citius, & omnimodam afferet salutem; in Sole, & in cæteris creaturis non aduētum quæras, sed moram, sed repedationem, sed recessum, sed fugam. Non nouerunt creaturæ egentibus accedere, sed potius longius recedere. Quo spectabat Centurio Romanus, dicens Math. cap. 8. *Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit.* Expende, quod non eidem, cui dixit vade, dixit veni, & quidem magis eorum obedientia monstraretur, si eidem contraria mandaret, nimirū modo vadere, modo venire, qui enim contrarijs mandatis æque promptè obediret absque dubio obediētio esset. Cur ergo, cui dixit, vade, non dixit, veni, sed alteri dixit, vt veniret? Rationem adumbrat Nyssenus homil. 10. in Cant. fatus. *Expulsus quidem fuit miles vitij socius, eius autem loco ingressus fuit miles virtutis.* Equidem res etiam ibi agebatur mystica inter eos, qui militabāt temporalibus rebus vitij socijs, & eos, qui militabant diuinis socijs virtutibus. Vndè temporali rei solum dicitur vade, quia vniuersæ creaturæ, quæ militant cōcupiscentijs humanis, id solum norūt, nimirum abire, recedere: verum rei diuinæ, hoc est, illi rei, quæ stat à vexillis diuinis, quę vel Deus est, vel eius socia virtus; dixit, veni, quia solus Deus, & quæ Dei sunt norunt ad egentes venire.

Chrysos.

Matth. 8.

Nyssen.

4. Reg. 20.

§. V.

Exterior gestus, & bona compositio corporis intimam animi compositionem refert.

QVIS fuerit interior, cuius fœminæ spiritus, clarè monstrabatur exteriori corporis compositione, prauus, incompositusq; membrorum vsus, siue abusus spiritum infirmitatis latentem repræsentabat, sicut erecta, & ap-

& aptè compositâ figurâ etiam internam salutem representat. Cernitur equidem interna animi compositio per exteriorem corporis habitum modestum. De Sapientia dicitur, cap. 6. *Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim foribus suis inveniet.* Non cuiscerâdus est homo, vt in intimis animi recessibus inueniatur eius sapientia; siqua est, pro foribus est, quidquid de sapientia incarnati Verbi habes, nescit latere, statim ab exteriorũ sensuum compositione splendet. Præclare aiebat Gillib. serm. 5. in Cant. *Vbique venerabile est nomen Iesu, & vtinam quod vox sonat, vita depromat, exprimat imitatio, emineat, & eluceat in moribus. Qui penes te sapientiam quærit, assidentẽ inueniat illam in ipsis foribus tuis, in ipsis sensibus, in modestia, & cõpositione hominis exterioris. Nam quasi fores sunt, per quas interioris prodeunt habitatoris indicia.* In eo credas Iesu sapientiam, Iesu sanitatem, & virtutem intimam esse, in cuius foribus, hoc est, in cuius externis sensibus, & compositione totius hominis exterioris splendeat ipsa. Vane aliquid de Iesu sapientia, & virtute intrinsecus se iactat habere, quod sensuum valuæ non ostẽdunt, quod non manifestat externa, qua cernitur, compositio. Nefarius ille Marcion, ne quid in Christo suo concederet à creatore acceptum, negabat illum verum hominem fuisse, sed solum confictitium hominem, nimirũ hominis phantasma oculis prætulisse, sub quo eius diuinitas inuisibilis latebat. Hunc errorem eleganter euertit Tertul. lib. 3. in Marcion. vel eo solum, quod impossibile prorsus videatur, quod Deus verus intrinsecus sit, vbi omnia externa, quæ oculis cernuntur, falsa sunt, & commentitia. Do Tertuliani verba in nostram rem etiam pulcherrime venientia. *Inde Christus Marcionis, ne hoc modo forsitan creatoris deputaretur, non erat, quod videbatur, & quod erat, mentiebatur, caro, nec caro, homo, nec homo, proinde Deus Christus, nec Deus. Cur enim non Dei phantasma portavit? An credam ei de interiori substantia, qui sit de exteriori frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto tã fallax repertus in aperto? Quomodo autem in semetipso veritatem spiritus fallacia carnis cõfundens, negatam ab Apostolo lucis, id est, veritatis, & fallaciæ, id est, tenebrarum comisit communicationem?* Et merito, qui dum videbatur, & dicebatur caro, nec tamen caro erat, etiamsi diceretur Deus, non putandus erat Deus: nõ enim est, vnde credam intrinsecus esse veritatem, quando omnia externa præseferunt mẽdacium, siue intrinsecus esse lucem, quando quidquid inde prodit tenebrosum est. Vane ergo cupit intrinsecus haberi bene ordinatus, moribusque ornatus compositis, cuius externa omnia non ordinem, sed horrorem causant. Cur compositus in occulto habebitur, qui in aperto ipsa est incompositio? Accinit Diu. Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. aiens. *Meministis filij quendam amicum, cum sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperissem, insisse mo, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Nec fefellit sententia. Vterque enim ab Ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur.* Sic Ambrosius.

sap. 6.

Gillib.

Tertull.

Ambros.

Luc. 13. Respondens autem Archisynagogus indignans, quia Sabbatis curasset Iesus, dicebat turbæ. Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit. Hypochrita, &c.

§. VI.

Non omnia possumus omnes, ideoque attemperandæ sunt viribus, quæ mandantur.

VIDEO fœminæ huius salutem indignè acceptam fuisse à principibus Synagogæ, sed & salutem cœci nati, Ioan. 9. Vtrũq; enim tam hanc mulierem, quam cœcum illum conueniunt Pharisæi, vtrumque reprehendunt. Sed cœcus ille se illis opponit, cum illis disputat, & eiectionem à Synagoga propter Iesum sanatorem suum patitur. Mulier autem hæc tantum glorificabat Deum, vbi autem ad reprehensionem venitur, nihil ipsa, totius rei causam suscipit Iesus, & pro illa stat ante Archisynagogum. Cur Domine Iesu, qui cœcum, & reprehendi, & castigari siuisti propter te, non similiter finis, quod fœmina hæc aliquid patiatur? An, quæ glorificabat te voce, non & te glorificaret passione? Nouit sapientia incarnata vniuscuiusque vires & non eadem facinora petit ab omnibus indiscretè, sed ab infirmioribus tantum amat voce laudari,

dari ab illisque remouet occasiones certaminum, ne periclitentur in illis, in quæ conijcit viros fortissimos, vt clariores reportent triũphos. Post Domini mortem currunt deuotæ fœminæ ad sepulchrum valde diluculo: & ad quid currunt? Quid ferunt? Quæ Iesum viderunt mortuum, forsitan putarentur ferre suas cruces, ferre lanceas, ferre clauos, quibus & ipsæ excruciẽtur, & interimãtur pro Christo. Sed nil horum ferunt; ait enim Luc. capit. Luc. 24. 24. *Vna Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum mulieres portantes, quæ parauerant, aromata.* Ecce tibi ad quod eligitur officium animus fœmineus, vt portet aromata nõ cruces, & quæ in aromatibus perficiendi, & portandis adeò extiterunt impigræ, forsitan ad cruces, ad verbera concurrerent. Miraris à mulieribus superatos fuisse Apostolos, quæ prius maturauerũt aromata portare ad sepulchrũ? Ne mireris; solet enim fragilis animus in blãdis obsequijs superare etiam Apostolicos viros, qui dum superantur in conficiendis aromatibus, maximè excedunt in subeundis discriminibus, in cruce portanda, in effundenda vita. Argutissimè Chrysolog. serm. 79. sic antelucanam harum fœminarum profectionem explanat. *Non est hic præposterus ordo, sed mysticus. Non postponuntur Apostoli fœminis, sed ad maiora seruãtur: fœminæ obsequium Christi suscipiunt, Apostoli Christi passiones: illæ portant aromata; isti flagella; illæ intrant sepulchrum; isti carcerem: illæ ad obsequium festinant, isti peruolant ad cathenas; infundunt illæ oleum; isti sanguinem fundunt; mortem stupent illæ, suscipiunt hi mortes, & quid multa? Residet illæ domi, ad acies isti tendunt, vt deuoti milites probent aduersis fidem, virtutem laboribus, iniurijs patiẽtiam, vulneribus tolerantiam. Mulieres ergo ferunt pro Christo lacrymas: Apostoli diabolo superato, & victis hostibus, Christo & victoriam referũt, & triumphum.* Nil pulchrius dici, excogitarivè potuit, vt insinuetur, quid possint vires fœmineæ, quid viriles lacerti; da infirmis, & fœmineis animis prælia, & bellorum pulueren, obrues illos. Da aromata conficiẽda, carmina canenda, mollia obsequia præstãda, molleque honores exhibendos, quam diligentissimi, & feruidissimi inueniuntur in illis. Hæc est diuinissima Dei sapientia, quæ electorum viribus accomodat postulata sua, ne fortiores implicentur in minimis; sed ad præstantissima prosiliant, & ne infirmiores impar onus suscipiant, cui succumbant. Quò etiã spectant duæ illæ parabolæ de grano sinapis, & de fermẽto, de illa Lucas cap. 3. ait. Luc. 3. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptũ homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam.* Ecce opus arboris in agro alẽdę, & excolendę viro mãdatur; de fermento verò dicitur. *Item simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit, &c.* Vtramq; parabolam sic ponderat Chrysolog. serm. 99. fatus. *Vir in agro sinapis arborem seuit: domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ, quia virum foris expectat labor, intus mulier domestica cura constringit.* Infirmus animus non ad puluerem mittitur, nisi fortè ad pigmentarij puluerem; vt aromata, nimirũ, laudes Deo confingat. Chrysol. Chrysol.

CAPVT XI.

De Hydropico.

MVRMVRAT Pharisæus semper, quod Iesus in Sabbato sanet, eiusque largitrici pietati insidiatur quotidie: at Christianus miratur, non quòd sanet in Sabbato, sed quòd, dum mensis accũbit, hydropicum curet. Accumbenti Domino hydropicus adstat à limine, & continuo ab hydropesi dimittitur; nõ potest enim gulæ morbus non fugere, vbi abstemium Iesum accumbentem viderit.

Luc. 14. Et factum est, cum introisset Iesus in domo cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato, manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

§. I.

Diuitiarum inextinguibilis sitis est.

NON vanè positum est, quòd dum Iesus Principis domum ingreditur, plenisque mensis accumbit, ibi hydropicus homo oculis se presentat diuinis. Nullibi enim hydropesis frequentior, quam in diuitiarum domo, cum ipsæ diuitiæ pernicioſissimam hydropesim efficiant. Quis diues non hydropicus est? Quando diuitiarum sitis potuit extingui? Luc. 12. dicitur. *Hominis cuiusdam di-*

uitis

sitis vberes fructus ager tulit, & cogitabat intra se dicens. Quid faciam? Quia non habeo, quo cõgregem fructus meos. Largitus erat Deus imbres vberes agris hominis istius diuitis: Solẽ præstitit ad nutriendas segetes, multiplicandasque fruges, aceruos conglomerauit fructuum. Quid tunc dives? An satur mãsit? Immò quasi nihil habentis, & adhuc sitientis sola in eo vox auditur, cum dicit: *Quia non habeo, quo congregem fructus.* Argutè Diu. Zeno serm. de duplici tentationum specie, ait. *Parũ putat omne, quod nascitur, cuius abundantiæ deesse aliquid computat.* Proh fœda diuitum hydropesis, inextinguibilis sitis! Bene aiebat S. Theoph. Alex. epist. Paschali 3. *Eget semper, qui auarus est, nescit mensuram:* nescit satiari: cui Diu. Salonius similabat alteram sanguisugam ex Prouerb. 30. vbi sic ait. *Sanguisugæ duæ filiæ, quæ semper clamant affer, affer,* vel si mauis ex originali vertere, *da, da.* Hæc est quotidiana auari diuitis vox, da, da, præbe, præbe, affer, affer, *quanto sibi diuitias accumulat,* ait Salonius, *tanto magis eas semper augmentare desiderat*: tanto magis clamat illud egentium proprium, da da. Id videre licet. 3. Reg. 19. in rege Achab, qui inter regias diuitias constitutus, adhuc vineam Nabothis esuriebat, pro qua sic Rex ad ciuem clamat. *Da mihi vineam tuam.* Non regno saturatur hydropicus hic diues, sed adhuc egens, quo plus habet, eo magis sitit, eo magis, & vehementius clamat instar egentium, *da, da.* De quo eleganter Diu. Ambros. lib. de Nabuthe, cap. 2. ait. *Audiamus ergo, quid dicat. Da mihi, inquit, vineam. Quæ alia vox egentis est? Quæ vox alia stipem publicè postulantis, nisi, da mihi?* Adeò nescit extingui diuitiarum sitis, nescit saturari auarus, nescit non egere dives plenus facultatibus, vt non sit mirandum, quod dicit, Psalm. 33 *Diuites eguerunt, & esurierunt.* Vbi Diu. Augustin. inquit *Egent ergo illi diuites, nimirum pleni auro, egent, & quod est grauius pane egent. Ne forte putetis, quia auro egent, & argento, quãquam, & hoc egeam. Quantum habuit quidam, & quis eum satiauit? Sic mortuus est egens, quia plura volebat accipere, quam tenebat.* Hanc perpetuam indigentiam, hanc inextinguibilem sitim causant diuitiæ in corde positæ humano. Hic hydrops conficit vniuersos ditescentes, quo tunc sanaberis, cum diuitias à corde propulsaueris. Hanc æternam sitim hominibus minabatur Isaias, nisi velint cor à diuitijs auertere. dum ait cap. 5. *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* In Hebræo, vt notat Forerius, nulla est interrogatio, sed simpliciter explicatur, quo tendat diuitum cupiditas, nimirum, vt soli inhabitent in medio terræ, vt nihil non suum videant, vt ita omnia suæ subijciant ditioni, vt nullius rei valeant indigere. Cuius rei impossibilitatem simul indigitans vulgata maluit per interrogationem verba reddere, aiens. *Numquid habitabitis vos soli in medio terra?* Misere vos cõficiunt habitę facultates, dum vna domus acquisita ad aliam desiderandam compellit, vnus ager ad alium; cum enim impossibile sit, vt non sit sen per alius, impossibile erit, in qualibet acquisitione ad huc non egere, dum penitus facultates omnes à corde non eradicatis. Non absimile canit Horatius: *Horat.*

Latius regnes, auidum domando
Spiritem, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque pœnus
Seruiat vni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo,
Corpore languor.

Sed longè grauiùs explicans superiora Isaiæ verba fatur, & Diu. Cyril. Alex. *Profectò, sicut inopia materiæ incendium extinguit; ita & cor immodica cupiditate acquirendi flagrans, & oculum in ea hausta auiditatis nulla arte alia coercere poteris, quam si diffinieris tecum, nihil omnino possidere. Itaque scriptura hac elonginquo mederi cupiens hac proponit animæ inhianti operibus. Non quid habitabitis soli super terrã?* Impossibile est finem acquirendi videri, domos licet iungas, regna conglomeres, remotissima licet tibi acquiras, crescet semper dirus hydrops, nec alio curabitur, nisi materia auferatur à corde, nisi definieris tecum nihil possidere. *Isa. Cyr. Alex.*

§. II.

Aulicorum auaritia quanta, & quanta eorum impudentia.

IN Principis Pharisæorum penetrale audet hydropicus introire, & coram apparere non veretur, quid ni? Siti auri laborantes nunquam verentur faciem Principis, Dominique sui, immo tanta illorum est impudentia, vt vel in Principis oculis auro bibendo inhient. Illustris erat ille, vt pote magni Principis œconomus. De quo apud Lucã cap. 16. agitur. Ait enim, *conuocatisque singulis debitoribus Domini sui dicebat primo. Quantum debes Domino meo? At ille dixit: centum cados olei: dixitque illi, accipe cautionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta.* Nolo modo põderare hominis furta, quod dimidiam partem bonorum Domino eripiat, quod maximè familiare *Luc. 16.*

Zeno. *Theophyl. Alex. Salon.* *3. Reg. 19.* *Ambros.* *Psalm. 33. August.* *Isai. 5.*

miliare est, etiam apud regios ministros, sed modo auarissimam hominis impudentiam, qui non veretur, dum furatur, Dominum meminisse, eiusque memoriam coram trahere, dum ait, *quantum debes Domino meo?* Cur dum furtis incumbis, non caues nomen Domini tui adducere? Ea est auri sitis inextinguibilis, quæ nihil veretur, nec ipsius Domini oculos cauet. Argutè satis D. Petrus Chrysologus serm. 126. ait. *Nec in oculis Domini desinet, cæpit semel qui furari.* Chrysol. Impudentissima est auri sitis, in ipsis regijs, in ipsis tribunalibus, non veretur se prodere, ipsius Principis oculos non cauet. Immò nil magis publicum, & manifestum esse solet in ministris aulicis, qui vni inhiant auro. Esther 2. conueniebant in Assueri Regiam formosissimæ puellæ, quę tradebantur Egeo Eunucho, penes quē illarū custodia erat, & cura: & inter alias, accidit, vt veniret Esther formosissima puellarū, virgoq; pulcherrima. De qua dicitur, *quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Sed scire cupis, quantū placuerit Esther Egeo? An placuit illi, vt placere solet formosissima puella nobili, & ingenuo adolescenti? Et quantum esset hoc ad aulicum virum? Ex maioris rei momento pensat Esteris gratiam Caietani lectio, inquiens. *Obtulit se gratiosam Esther in conspectu Egei, tanquam munus aliquod eidem obtulerit.* Caiet. Nil aulicorum gustui gratius, quam munerum oblatio: sic sitiunt munera, sic inhiant auro, vt eorum sapor, & gustus, nullo alio possit explicari, nisi per similitudinem accipientis munera: quando illud gratius est aulicis, quod maiorem habet saporem muneris aurei. Vtinam gula hæc non serperet ad omnes regum, Principumque aulas. Illam pulchrè detestatur in Romanis Palatinis, S. Bernard. epist. 42. fatus de aulicis curiæ. Bernard. *Non valde Romani curant, quo fine res terminentur: sed valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nude nuda loquor, nec retego verenda, sed inuerecunda confuto. Vtinam in cameris, & priuatim hæc fierent; vtinam soli viderimus, & audierimus, vtinam, nec loquentibus crederetur; vtinam nobis reliquerint moderni Noe, vnde à nobis possint aliquatenus operiri.* Fallor, si aulicorum auri sitim viuidius possem explicari; tantam enim dicit esse hanc labem, & adeò impudentissimam, quæ non per montium recessus, per lucorum tenebras, per cubiculorum secreta, vel in prædonibus inueniatur, sed & in ipsa curia, in regum palatijs, in oculis ipsius Principis audeat apparere apud regios ministros. Quæ turpissima lues eo peruenit audacię, & impudentiæ, vt ebrij Noe, & soporati vincat turpitudinem. Hic enim sui compos prouidit filijs suis necessaria circa victum, & vestitum, prouidit & pallia, quibus potuerunt filij turpitudinem patris velare. At isti auri helluones, siue struthiones, sic omnia populantur, vt nec pallium relinquant popularibus, quo possint tantam aulicorum curialium dissimulare maculam. Ad rem loquitur. Salui. lib. 4. de Prouidentia, aiens. *Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quam proscriptio ciuitatum, aut quid aliud quærimus dam, ques tacco, præfectura, quam præda? Vt pauci illustrentur, mundus euertitur. Vnius honor orbis excidium est. Denique sciunt hos Hispaniæ, sciunt Africæ, sciunt Galliæ.* Salu. In hoc gratior mihi est Saluianus, quam Bernardus, qui turpem hanc luem, non vni genti, sed omnibus communem prædicat. Vbique fiunt in curia Principes ex sanguine popularium; vbique videre licet hoc monstrum, siue miraculum, quod in summa rerū inopia, in summa regalium thesaurorum tenuitate, accedant multi è populo ad regia negotia, siue ocia tractanda, & statim ditissimi Principes euadunt, & cum omnia sanguine ludant, ipsi soli affluūt auro. Et videt hoc Princeps? & in oculis regis hæc fiunt? Equidem, & nihilominus agitantur Senatus consulta, vt regni excidentis causæ nō cantur: sed cum ad nos Senatus non facilè credatur Iesus venire: nunquam hic hydrops, hæc sitis auri, quæ à capitibus totum corpus Reipublicæ deuastat, sanatur. Immò, vt fatear. Sixtus ait libro de diuitijs, *eo amplius ab his diligitur, quo magis augetur, & cum suis amatoribus venerata succrescit.* Sixt. Quādo tolletur lues, quæ veneratur? Qui ob aurum acceptum venerationi sunt, & honori omnibus, non miror, quod ardentius inhiāt muneribus.

§. III.

Christi mensa comessationes fugat, & crapulas.

CONVENIENTER in hydropico helluones, & ebriosi notantur, vt noscas mysterium, quo Christus Dominus pransurus panem in domo huius Principis, hydropicum hominem sibi sisti prouiderit. Ait enim textus: *Et ecce homo hydropicus erat ante illum.* Cur hydropicum ante se, cum mensis assidet, esse Dominus prouidit? Si sanare cupiebat, cur etiam non prouidit, vt hydropicus salutem deprecaretur, vel aliquid aliud efficeret, quo sanitatem solicitaret suam? Cur omni

omni opere vacuum, ab omni deprecatione mutum adesse coram solum voluit? Equidem, vt omne gulæ vitium sanetur, sufficit si vel intuearis Christi conuiuium. Inde ebriosum hominem monebat. Diu. Isidorus Pelusiot. lib. 1. epist. 313. inquiens. *Mentem ac rationem bibendo, ne absorbe. Verum illud in mente habe, quod diuinus spiritus ex vini primitijs Christi sanguinem effecit.* Quasi non fieri possit, quod gula stet, quod ebrietas maneat, vbi inter prandia videris Christum, vbi inter calices efferuescere noueris sanguinem diuinum. Ex quo Iesus se mensis dedit, inter epulas apparet, quis eum potest videre, & ebrietati, & gulæ, adhuc seruire? Diu. Paul. 1. ad Corinth. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnã manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? Non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* Nota vndè ortus ad quid deueniat Paulus: animus erat comessationum abusus in Ecclesia carpere, & eradicare, & ideò acriter ponderat fœdas ebrietates Corinthiorum cum pauperum confusione, & templorum contemptu: pro quarum castigatione cum dubius hæreret, quid diceret, statim omnia alia dimittens de Eucharistiæ institutione tractat proponens illis, quod Dominus Iesus accepit panes, fregit, dedit discipulis, similiter, & calicem. Quorsum hæc? Dubitas quid dicas ebrijs, & delicijs epulatoribus, quo illos emendes, & dicis illis mysteria panis, & calicis diuini? Quid consequentia ingeris Paule? Sanè, qua consequentia ingeritur infirmanti pharmacum, medela vulnerato. Videat ebrius, videat gulosus epulator Iesu mensam, Iesum inter species panis, inter sculentã, & poculenta, & fallar, si velit gulæ delitijs indulgere amplius. Pulchrè in præsenti Diu. Chrysostom. fatur. *Ne igitur hæc fiant*, nimirum gulæ crimina, & fœditates, *dextram tuam, linguam, labia considera, quo pacto vestibalum Christo facta sunt, vt ingrediatur. Considera, quo tempore accedis, & cum sensibilem mensam apponas, ad illam mensam, & cœnam dominicam animum dirige.* Quam liber ab ebrietatis, & gulæ luxu erit, cuius ob oculos sit Christi mẽsa, qui inter epulas, & vina, in mẽte habuerit sub vini specie sanguinem Christi. Nescio an possit esse quid magis contrarium helluonum mensis, vel vt melius dicam dæmoniorum mensis, quã est Christi mensa. Hæc dum apparet, statim disparent vniuersæ ebriorum mensæ: id quod aiebant notissima illa verba Psalm. 22. haud vulgariter intellecta, nimirum. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Chaldæus ait. *Aduersus molestatores meos:* referturque hæc molestia, & tribulatio non ad illam, quæ hostilibus, sanguinolentisque incursibus à Martis puluere: sed ad illam, quę poculentis concertationibus à Bachi propinationibus proficiscitur. Cuius molestiæ liberum suum esse conuiuium Assuerus vult, de quo Esther 1. *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum:* Molestissimum enim est, & à dæmone inuentum in perniciem hominis poculorum bellum. Quæ poculorum certamina, & Chrysostom. & Basilius, & Ambros. graphice describunt, placet pauca ex Ambrosio decerpere, qui libro de Helia capit. 13. ait post multa belli præludia, post concursus, & impetus poculorum multos. At vbi consumatæ fuerint epulæ, tunc de integro potum instaurant suum, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa, pendet anceps diu, & dubius belli euentus. Cedunt pincernarum manus vina fundentium, non cedunt bibentes. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello Martis, si quis se inferiorem viderit, arma conuertit:, & meretur veniam, hic si quis calicem conuertat, vrgetur ad potum. In scammate, si quis te manu leuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ es: in conuiuijs, etsi manum reuocet à vino, ori eius infunditur. Plura prosequitur Ambrosius, ex quo hæc pauca desumpsi, vt molestissima poculorum certamina videas, vt calicum phalanges, quam sint timendæ, prænoscas. Igitur aduersus harum concertationum impetus, coram paratam fuisse à Deo mensam ait Psaltes: sufficit enim, vt coram appareat diuini calicis, & panis mensa, vt penitus dæmoniorum illa mensa disparear. Pulchrè D. Cyril. Hier. cathe. 4. mystagog. *Parasti*, ait, *mysticam hanc, & spiritualem mensam, aduersariam illi, quæ nobis antea parabatur à dæmonibus.* O quam dæmonum calices fugerunt, vbi Deus inter calices, & epulas apparuit. Ferales illę epulę, quibus helluones, & ebriosi sacrificuli ventri litant, & gulæ, aduersariam vim, & vastatricem senserunt, ex quo mysticis mensis Iesus assidet. Et quando dæmoniorum calix non cedat Domini calici?

Isid. Pelus. — *1. Cor. 11.* — *Chrysost.* — *Psalm. 22.* — *Esther 1.* — *Cyril. Hieron.*

Ait

Pſal. 22. Ait Pſalm. 22. *Calix tuus inebrians, quam præclarus eſt.* Cypri. Cyprianus legit, *quam peroptimus eſt.* Quibus verbis putat intelligi quemdam exceſſum bonitatis, quo diuinus calix omnia ſubijciat virtuti & ſobrietati. Sic epiſtol. 63. fatur. *Addidit quam peroptimus, quod ſcilicet calix dominicus, ſic bibentes inebriat, vt ſobrios faciat.* Erigit ergo ſobrietas vexillum, cadit exercitus Bacchi, vbi Ieſum inter pocula veneramur, vbi menſa Chriſti ob oculos apparatur. Quapropter nolo hic præterire victoriam à patribus ſocietatis Ieſu excogitatam, imò reportatam, dū Bacchanalibus oppoſuerunt menſam hanc Chriſti ſpiritualem. In quos liceat conuertere verba à Diu. Chriſoſtom. in Diu. Paulum ſcripta, nimirum: Chryſoſt. abſentem Paulum amplectimur, & inuiſum diligimus, potiſsimum, cuius virtutis diligimus argumenta tam magna, tamq; egregia in omnibus vbique terrarum Eccleſijs. Nempè impietatem diſsipatam, malam vitam in meliorem verſam, errantes in viam reductos, *intemperantium ſacra, vt Bacchanalia, & id genus exploſa, abdicata templa, ol mutiſcetes damones.* Singula hæc alius aptaret Diu. Ignatij filijs, ego ſola illa, videlicet, quod intemperantiū ſacra, vt Bacchanalia eorum arte ſunt exploſa, dum dæmoniorum menſis illis diebus Chriſti menſam opponunt. Dum enim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, hoc eſt, agnus ille diuinus menſis Euchariſtiæ apponitur ſimul azimorum ieiunium, & ſobrietatem amplectuntur omnes. Vndé Diu. Gau dentius ſerm. 4. de manducatione agni Paſchalis, ait. Gaudent. *Vos qui eſtis ad beata cuius, ac ſpiritualis Paſcha epulas inuitati, videte quomodo ab omni pollutione eſcarum veſtras animas conſeruetis. Seruate ornamentum gratiæ ſalutaris, ſobrij eſtote per omnia, ne illud inebriati perdatis.*

§. IIII.

Conuiuiorum ſolemnitates plena ſunt laqueis, & inſidiis aduerſus ſanctitatem.

VIDES à Principibus Ieroſolimæ conuiuia parari in Chriſti Domini honorem, & gratiam. Sed nota quid ſub conuiuiorum honore lateat, nimirum conuiuia faciūt, *vt obſeruent eum.* Quando in conuiuijs non laIſai. 5. queus, non inſidiæ aduerſus Deum? Iſaias 5. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.* Etenim conuiuiorum ſolemnitates ad minus Dei pariunt ignorantiam, immo à conuiuiorum feſtis idololatria extulit caput. Sic notat Diu. Gaudent. ſerm. 4. de manducatione agni Paſchalis, vbi ſic fatur. Gaudent. Partes idololatriæ ſunt veneficia, præcantationes, auguria, ſortes. *Parentalia inquam: vndè idololatria malum extulit caput erroris. Nam gulæ ſuæ carſa primum caperum homines prandia mortuis præparare, qua ipſi comcaerent: poſt hoc etiam ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare: quamuis, nec ipſi mortuis ſuis minus ſacrificent parentalia, dum ſuper ſepulchrorum menſas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, ſpiritum balbutiunt.* Qualis mater, quæ talem peperit filiam? Quis non metuat ſolemnitates conuiuiorum, à quibus idololatria, vel aucta eſt, vel ſumſit initium? Et ſanè etſi tantum nefas abſit à conuiuio, nunquam abſunt aliquæ ſanctitati inſidiæ. Eccleſiaſtes capit. 7. Eccleſ. 7 aiebat. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Quæ verba explanās Chaldæus Conplutenſis, ait. *Melius eſt viro ire in domum lugentis ad conſolandum eum, quam in domum cōuiuij vini, in qua deridetur.* Quippè licet textus ſolum dicat, *in domum conuiuij,* nihilominus explicationis gratia addere illud, *in qua deridetur,* vt explicet quid ſint conuiuia, nēpè deriſionum, aliorumque peccatorum fomenta; vt merito timeret Iob filijs ſuis hoc conuiuiorum malum, quod ſacrificijs expiabat. Quando homo conuiuijs adfuit ſine damno conſcientiæ? Iudith. 12. vbi Holophernes captus eſt pulchritudine honeſtiſsimæ fœminæ: *Iuſsit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo. Cui reſpondit Iudith, & dixit: Nunc non poterę manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio.* Ecce tibi laqueos, ecce inſidias, nimirum, *conſtituit, quid daretur ei de conuiuio ſuo,* ſiue, vt latius, ait Græcus, *iuſsit ſternere ipſi de obſonijs, ſine lautitijs, & deliciis ſuis, & de eodem vino bibere.* Verum nobilis fœmina nouit laqueos conuiuij, & eo ſolum potuit vitare delictum, quo valuit cauere ſibi à Principis conuiuio. Vndé ſapienter Diu. Ambroſ. lib. de viduis, ait. *Si Iudith bibiſſet, dormiſſet cum adultero.* Incuriſſet laqueos, ſi conuiuio frueretur Principis, adeo inſidioſa ſunt, & periculoſa conuiuia. Accinit Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. capit. 1. ex particulari lectione, quam ex 1. ad Corinthios. 6. ipſe profert, inquiens. *Ne deſiderès, inquit ſcriptura, cibos diuitum: ſi enim vitæ non veræ, & turpi ſunt coniuncti.* Nunquam non inter conuiuia latent hoſtiles incurſus. Exodi 32. dicebat Ioſue Moyſi, quando reuertebatur de monte. *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit: non eſt clamor adhortantium ad*

pugnam

pugnam neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. Aliter legit Philo fatus. *Clamor iste quantum ego audio non ad pugnam, aut fugam adhortator est, sed ad pocula.* Itaque clamor ad pocula visus est Iosue esse clamor pugnantium, quãdo enim hostiles impetus sub poculis non latẽt? Pulchre Philo lib. de Temul. ait. *Non negat clamorem esse bellicum, alterius tamen esse generis putat, qualem nimio vino grauati solent attollere.* Quis dicat quam proxima sunt vitia omnia conuiuijs? Quam periclitetur virtus inter pocula? De his passim Doctores, & ipsi Philosophi profanissimi. Mihi solum vacat notare ex his, quam stulte faciant, qui largis epulis, cõuiuijsque lautissimis nituntur celebrare festos sanctorum dies. Pro quo vnus mihi producendus est D. Paulinus, qui Natali. 9. S. Felicis, sic ait de rusticanis epulis celebrantibus sanctorum natalitia.

Phil.

D. Paulin.

Verum vtinam sanis ageret hæc gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
Quamlibet hæc ieiuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoq; vocibus hymnos
Personat, & Domino cãtat tam sobria laudem
Immolat, ignoscenda tamen puto talia, paruis
Gaudia, quæ ducũt epulis, quia mẽtibus error
Irrepit rudibus, nec tanta conscia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
Perfusis, halante mero, gaudere sepulchris,
Ergo probant obiti, quod damnauere magistri?

Cauent potius, quam amant sancti viri conuiuia, nec nisi de stultitia, aut errore potest venire, quod epularum solemnitates suspectæ non sint sanctis viris.

§. V.

Inter pocula scandescitur in res leuissimas.

NON possum innotatum relinquere ad quod crimen deprehendendum paret Princeps iste conuiuij insidias, nimirum ad explorandum, an Iesus Sabbato conferat salutem infirmis. Esto quod deprehendatur Iesus Sabbatis curare contra legem, quale hoc crimen? Nonne omnium minimum? Nonne maxime commodum reipublicæ? Nonne mille ex partibus excusabile? Cur ergo non in homicidas, & latrones, & adulteros, sed in eum, qui Sabbatum videtur frangere obcommune bonum insurgetis? Sanè iam antiquitus pepererunt hoc monstrum conuiuia, & compotationes, vt faciant furere homines ob res leuissimas. Deuteronom. 32. *Fel Draconũ vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Deuter. 32.

Quibus verbis probat D. Ambros. de Elia cap. 5. quam sint noxia conuiuia, & compotationes super omne venenum draconum, & aspidum, & merito furenti, & venenoso aspidi comparantur conuiuæ lautissimis epulis saturi. Quippe furor aspidis accenditur vel ab vmbra hominis spectata: sic saturi ob res leuissimas maxime turbantur. Id quod notauit gentilis homo Seneca, lib. 3. de Ira, fatus. Quod accidere vides animalibus mutis; idem & in homine deprehendes, friuolis turbantur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, *ad vmbram aspis exurgit.* Est itaque in conuiuijs fel draconum, & ira aspidis, quę ob inania, & friuola maxime irritatur. Id quod maxime ostẽdebat Assueri conuiuium. Esther 1. celebratum, vbi sic. *Itaque die septimo cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasti coram rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde.* Vide quale regis conuiuantis decretum, quod quia puduit honestam fęminã exequi, quid plura? *Iratus est, & nimio furore succensus interrogauit sapientes.* Nonne vides iram, & furorem regis? Nonne audis sapientes conuenire in senatum? Sanè ex his magnum aliquod facinus in regem, & rempublicam commissum auspicaris. Quod scelus non grauissimum sic regem in furorem verteret, tam seuerum cogeret, & intempestiuum senatum? Sed ira tota, & seueritas iudicij à conuiuio agitur, eo quod reginam puduit venire in conspectum tot hominum. Non maioris momenti sunt crimina, quæ conuiuantium iras, immò furores acuunt. In hos conuenit illud Domini ad Pharisæos dictum. Matth. 23. *Duces cæci, excolentes culicem, camelum glutientes.* Quibus notat feritatem illorum, qui ob culices, hoc est, obnimia peccata maxime scandent. Sed cur ad hoc significandum vsus est vocibus comestionem, & potationem significantibus, ait enim excolentes, glutientes? Crediderim id notanter factum fuisse, vt simul tanti furoris, & tam intempestiui radix ostendatur, nimirum, gula, à qua prouenit, vt magnæ excitentur iræ ob res momenti parui.

Ambros.

Senec.

Esther 1.

Matth. 23.

§. VI.

Decet sapientem virum conuiuiis interesse, cuius præsentia componantur conuiuantium mores.

MIRABERIS Iesum omnis virtutis magistrum frequentem inuitantium mensis adesse: & quidem id faciebat summo virtutis exemplo. Decet enim conuiuijs interesse illum virum, cuius aspectu, & obseruantia possint componi omnium discumbentium affectus. Quo spectabat Philonis monitum, Philon. lib. de Profugis, vbi ait. *Tu contra cum omnibus dignis communicabis honorem, securitatem parans bonis viris, reliquos admonendo corrigens. Quod si ad compotationem, aut sumptuosum conuiuium eundum erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua dexteritate.* Cuius tanta est fiducia sapiētiæ, quæ vel inter pocula stare possit, immo quæ intemperatissimos quosque frænare, & intra regulas rationis queat coercere: is conuiuia adeat, & vtinam frequēs accumbat sumptuosis mensis; filiorum Iob conuiuantium hæc erat haud secunda virtus, Iob 1. cap. 1. *Quod mittentes vocabāt tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Vide iustissimi hominis filij, quibus se dedant studijs, nullum agebant diem sine conuiuio, sine cōpotatione. Et hoc bonum erat? Accipe Deuteron. cap. 21. vbi iubentur parentes filium Deuter. 21. nequam ferre ad iudicem, sic dicentes. *Filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuijs, lapidibus eum obruet populus, &c.* Philo lib. de Temulentia, nihil Phil. meminit de luxuria istius nequam filij, sed solum ait. *Conuiuijs vacat, & compotationibus.* Ecce tibi quantum crimen est conuiuijs se dedere, & compotationibus, ob quod iubetur filius à parentibus traduci, & dari excidio. Vndè ergo Iob excusari poterit, qui filios permittebat conuiuijs, & compotationibus vacare per singulos dies? Nec multum hoc erat: id enim maximum est, quod filiæ, pulcherrimæ, honestissimæque virgines, etiam diebus quotidianis interesse conuiuijs, & compotationibus. Sic enim ait textus. *Vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Quis pater esset adeò exlex, vt & filias tanta ornatas pudicitia, conuiuia frequentare permitteret, quæ etiam masculis filijs dātur crimini? Quo fine honesto venerandæ virgines fratrum compotationibus assidere permittuntur? Sanè maximo id conuiuarum bono fiebat, & virginalis pudor, & honestarum puellarum modestia conuiuijs inserebatur, ne inter pocula discumbentium inordinatus affectus prosiliret, sed intemperantia ipsa vereretur tantarum conspectum virginum. Eleganter rem tractat D. Chrysostom. homil. 2. de Iob inquiens. *Susciebant autem & tres sorores, vt comederent cum eis, & biberent, & quid ad vtilitatem hæc audienti? Quare & sororum addit esum? Vt ostendatur scilicet, quod ad pudicitiam conuiuium agebatur: quodque ibi nō risus intercedebat dissolutus, immodestiaque effusus mensam iniurians. Inducit ergo & comedentes virgines, quo speciem, figuramque conuiuij ostendat ebrietate non deformatam.* Non crimē, non dedecus erat, quod tantæ virgines adessent conuiuijs, & compotationibus, quarum incredibili pudicitia, etiam intemperantissimorum hominum immodestia sopiretur, & ipsa redolerent temperantiam conuiuia. Chrysosto.

Luc. 14. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eū, ac dimisit.

§. VII.

Turpiter tacet ille, cuius est legis fragium carpere.

INEXCVSABILES prorsus sunt Iudæi sua malitia, siue cum loquuntur, siue cum tacent: si putant Sabbati religionem lædi, cum sanitas infirmis impertitur, cur modo tacent. Vbi Iesus meus interrogat, an curare licet? Fortasse tacent, ne videantur, aut ne cogantur consentire impertiendæ saluti? Sed sane si reus est, qui salutem præstat Sabbato, magis sunt rei, qui tuenda religionis causa, nec verbum emittunt, sed prorsus silent, ideoque maiori digni supplicio. Genes. 42. vbi Ioseph Ægypti prorex, fratres suos sub potestate accepit sua, Simeonem, qui erat post primum natum secundus, in carcere detinuit. Ait enim Scriptura. *Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, &c.* Cur præ omnibus Simeon in carcerē mittitur, catenisq; ligatur. Si pro crimine venditionis res agebatur, nonne omnes fratrē Genes. 42.

ven-

vendiderant? Quid magis peccauit Simeon? Postĺudę consilio dato de vēditione Ioseph, cū non interesset Ruben, qui maior natu erat, penes Simeonē, qui erat secundus, erat maior auctoritas inter fratres, qui deberet reclamare nefario consilio: at ipse omnino tacuit, & cius silentium dedit occasionem, vt vēditio fieret; ideo merito præ omnibus alijs punitur. Ita D.

D. Isidor. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 115. inquiens. *Quoniam igitur tuendi iuris causa, ne vocem quidem mittere ausus est Simeon, idcirco, tanquam pro fratribus obsidem futurum, vinculis constringi iussit, non tam vt de ipso supplicium sumeret, quā vt documentum ipsi præberet, ne post hac eiusmodi quicquam moliretur.* Nunquam erit silentiū immune à pœna, vbi leges frāguntur, vbi pietas, & religio calcatur. Et sanè sanctissimus erat Isaias, ab omni nequam facinore perpurgatus, vbi autem ante Dei tribunal stetit cap. 6.

Isai. 6. sic lamētatur. *Væ mihi, quia tacui, quia vir polluti labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Inter malos, & peccatores fatetur se habitare, à quibus tamen non deflet se alia macula, aut labe coinquinatum præter taciturnitatem. Non ebibit consortiū mores pessimos, non infectus est peccatorum circumstantium peste, & tamen habet quid lachrymis prosequatur, nimirum, quod inter legisfragia extiterit tacitus. Ita D. Berna. epist.

Bernard. 7. aiens. *Redarguit se ipsum, dixerim, non quia cum malis habitauerit, sed quia mala non redarguerit, sic namque ait. Væ mihi, quia tacui.* Tota causa doloris, & pœnæ nō est alia, quam taci-

Chrysost. turnitas, qua tacuit. Vnde D. Chrysost. homil. 25. in Matth aiebat. *Non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem tacet veritatem. Tu autem, & si non denegaueris palam veritatem, tamen non contendis cum persona negante, vt non perdas spem patrocinij: veritatem, quam oportebat te libere defendere, tacens confundis eā in conspectu inimicorum eius, vt videatur à te tacente falsa, quæ vera est. Et quomodo non tu es proditor veritatis?* Pulchrè satis proposuit dāna, & crimina intē pestiuę taciturnitatis. Vbi enim Dei causa agitur, nō est prudentia tacere, sed proditio, sed confusio legis, & veritatis. Notanter enim dixit. *Tacens confundis eam,*

Marc. 8. vt lucem afferret Marci cap. 8. vbi sic. *Qui me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, & filius hominis cōfundetur eū, &c.* Ecce tibi, Dei verba, diuineque leges confundi possunt ab hominibus, hoc est, sic affici quasi ingentem patiantur confusionem, & verecundiam; sed quomodo homo poterit tanta afficere verecundia, & confusione leges diuinas? Eò solum, quòd coram frangente, & impugnante taceat ipse. Non sic diuinæ leges verecundantur fractionem, quam taciturnitatem, qua à timido, & pusilanimo viro coram inimico abscenduntur. Quo elegantei respiciebat Ter- *Tertul.*
tulianus aduersus Valentinum, inquiens. *Nihil veritas erubescit, nisi solum modo abscondi.* Patiatur veritas, patiantur diuinæ leges mille fractiones, mille scissuras, hac vna in re, maxima suffunduntur verecundia, si sub nefario silentio absconditæ existant.

§. VIII.

Quando proximorum scandala possunt, & debent contemni.

SCIEBAT Iesus Iudæorum scandala, & offensiones, quod Sabbatis curaret, quarum offensionum materiam facillime posset tollere, in alium diem differens sanitatem, vel illam anticipans ante Sabbatum, & nihilominus id non facit, sed paruipendens scandala, & hunc Sabbato apprehensum sanauit, & passim alios sanabat. Cur hoc faciebat? Nonne charitas moret, vt facilè cum possumus, proximorum deuitemus scandala? Sanè si rem grandem posset laedere Iudæi, vt occasio tolleretur, ne inciderent in tantam rabiem aduersus Iesum, & illam deberet bonus vir facere. Nonne, & Paulus post circumcisionem abolitam, immò postquam ipse Petrum reprehenderat, quod legalibus instaret, fecit, vt Timotheus circumcideretur, ne vlla scandali daretur Iudæis occasio? Cur ergo, ò Domine, tu solus nihilo ducis Iudæorum scandala? Quando bonum inde nasciturum longè maius est, & præstantius, quam scandali malum, tunc quisque prudens homo debet præ illo contemnere scandala. Et ex eo quod Iesus Sabbatis curaret, se & verum doctorem, & promissum Sabbatorum Dominum publicabat; longè autem maius bonum erat, quod verus Saluator, & magister, mundi innotesceret quam quod Iudæi nefarie scandalizati perirent, & ideo parui ducēda erant eorum scandala. E contra verò cum bonum nasciturum inde minus est, quam damnum scandali, ad bonum virum pertinet, cauere scandalum. Iuxta quod D. Paulus 1. ad Corinth. 8. ait. *1. ad Cor. 8*
Si cibus offendit fratrem meum, non comedam carnes: parum enim salutem spiritualem proximi æstimaret, qui illam non compararet aliquali abstinentia à carnibus. Velim ego vt hanc doctrinam vniuersi notarent, & ne parui momenti virtutibus adhærentes

magnas ſcandali occaſiones proximis parerent, aut nimis ſcandalis metuentes ingentia dimitterent opera pietatis. Præſtat in hac re audire D.Chryſoſtom.in Pſalm.49. ex datis verbis Pauli, ſic dicentem. *Si fuerit damnum maius ſalute, contemne eum, qui offenditur, ſi minus ne contempſeris. Hoc enim ſit generale decretum, & regula docens, quando oporteat contemnere eos, qui offenduntur, & quando non. Quemadmodum, v.g. offendebantur Iudæi, quod Paulus legem non ſeruaret, & propterea multa millia reſiliebant, & in fide claudicabant. Quid ergo fecit? Volens mederi offenſioni (maior enim erat ſalus tot millium) tunc prohibuit oſtendere, quod legem non ſeruaret. Rurſus offendebantur, quod crucifixum prædicabat. Hic contempſit eos, qui offendebantur, maius enim erat lucrum prædicationis.* Chryſoſto.

Ita penſandum, ponderandumque eſt lucrum, quod poteſt naſci, vel ex ablatione materiæ offenſionis, ſiue ſcandali; vel ex contemptu ſcandali per exercitium alicuius operis pietatis, & ſemper eligendum eſt lucrum maius. Vbi cauenda maximè eſt aliquorum prælatorum imprudentia, qui vt cuſtodiant integram parui momenti obſeruantiam, vel vt eius defectum caſtigent, non dubitant virga ferrea ſubditos in mortem præcipitare. Et dum quærunt ſubditorum bonum ſpirituale aliquale, non verentur occaſionem præbere incurrendi millia mala lethalia. De his alibi.

Luc. 14. Et reſpondens ad illos dixit: Cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet. Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

§. IX.

Ebrietatis malum quantum, & quam inſanabile.

NOTANTER Dominus Ieſus hominẽ, hydropicum pecori decidenti in puteũ comparauit, vt bene meditatus eſt D. Auguſtin.in Catena: ex illa enim ſimilitudine apte explicatur, quantum ſit gulæ malum, & quam inſanabile. Nõ ne caſus in puteum dicit vtrũque, nimirum, & magnitudinem vulneris, & difficultatem, vt poſſit lapſus ad ſanitatem reuocari? Igitur gulæ malũ magnum eſt, quod ſolet excipere tantus caſus. Exod. 32. *Comederunt, & biberunt, & ſurrexerunt ludere.* Vbi D. Hieronym. lib. 2. in Iouini. ait. *Tot dierum labor vnius horæ ſaturitate perit.* Nec miror, quod guloſus ſic cadat, cũm ex eo quod gulæ ſeruit, impulſibus dæmonum patet. Iob 1. *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti repente ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Mirabar, quod tanti viri filij, tot ipſi virtutibus ornati, tot Dei gratijs muniti potuerint à furente dæmone ſic expelli. Nonne nobiles, & præſtantes adoleſcentes, vndique vallati erant virtutum munimine; vndè dæmonis furor potuit illos in caſum impellere? Inſinuant id præfata verba, dum aiunt. *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum.* Inter pocula non poteſt quis non patere dæmonibus impellentibus. Iob 1. Auguſt. Hieronym. Exod. 32.

Præclarè Origenes in Catena Græcâ ait. *Si precantes eos diabolus inuenisſet, nihil contra eos efficere potuiſſet. Verum cum ei fuit oblata occaſio, tunc demum potuit, ſed quale tempus fuit opportunum, qualis ve opportunitas? Potius erat.* Heu quam fallitur quiſquis gulæ inſeruit, ſi à dæmonum impulſibus cupit liberum eſſe. Quæ comeſſatio modeſtior, quæ compotatio temperantior, quam fuit illa filiorum Iob, cuius exteriora omnia ſic erant compoſita, vt ſanctiſsimus pater tolum, ſiquid lateret criminis in corde vereretur, pro quo hoſtias Domino offerebat? Et nihilominus, quia comeſſatio, & compotatio erat, ſtatim illos patere fecit impulſibus dæmonum. Quem inde gula in turpitudinem non impellat? His adde Noemum ſanctiſsimum virum, cuius inuoluntaria turpitudo decantatiſsima eſt apud omnes. De illo eleganter S. Ephren de virg. ſic loquitur. *Iuſtus igitur hic Noe, qui inundationes aquarum tempore vniuerſalis diluuij vicerat, à modico vino victus eſt dormiens. Aquæ infinitæ non potuerunt vincere ipſum: vinum autem vile inter dormiendum virum iuſtum nudauit.* Sic potuit incauta gula, & inuoluntaria impellere; immo deijcere virum ſanctum. Quæ dum meminero, non erit abs re, quod cauere moneam religioſos viros, qui furtiue comeſſationibus vacant: timere enim debent, ne inde gradibus diaboli impulſibus pateant, quibus in maiora præcipitia deijciantur. Ad hos aiebat Cellenſis Abb. lib. 3. epiſt. 1. *Sanctitatis opprobrium, religionis abominatio eſt, non quidem carnes edere, ſed cum ſanguine inobedientiæ. Vnde à ſanguine, & ſuffocato iubet lex abſtinere. A ſuffocatis non abſtinent, qui furtim edere non timent.* Nec mirum, quod à furtiuis comeſſationibus ſanctitatis opprobrium, & religionis abominatio, & ruina naſcantur, cum Origen. D.Ephren. Cell. Abb.

filiorum

filiorum Iobi mensa,& Noemi calix tales pepererit casus. Nec solum in gula spectanda est magnitudo casus, sed & difficultas sanandi, non absimilis ei, qui in profundum puteum cadit,à quo se minimè potest reuocare. Sanè inde gulæ malum pensabat in impijs Deuter. 32.aiens. *Fel draconum vinum eorum,& venenum aspidum insanabile.* Ad quæ verba D. Ambros.lib.de Elia,cap.14.ait. *Et pulchrè additur insanabilis. Multi enim reliquorum serpentium veneno curantur,nemo ebrietate.* Raro videbis illum,qui gulæ indulget,ab illo morbo posse reuocari. Id quod Ieremias fatur,cap.25. *Bibite,& inebriamini,& vomite,& cadite, neque surgatis.* Seu vt explicatius in rem nostram transfert,& adducit Ambros. supra cap.26. *Bibite,& inebriamini,& vomite,& cadetis,& non surgetis.* Sic pecuinum hominem impellit gula in puteum,à quo non se possit reuocare. Inde Isaias,cap.5. *Væ,qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum, vsque ad vesperam.* Quasi hoc sit proprium commessationum,quæ nesciant finem habere,sed qui à primis annis se se illis tradidit,non aliter desisset,nisi moriatur: morte enim ipsa presente clamabit Isaias.22. *Comedamus, & bibamus, & cras moriemur.* Immò iam mortui,& sepulti in inferno vnus refrigerium gulæ postulabit,vt epulo ille Lucæ 16.postulabat.

Deuter. 32
Ambr.
Isai.25.
Ambr.
Isai.5.
Isai.22.
Luc. 16.

LIBER VNDECIMVS.

DE POTV, ET VICTV, ET ALIIS IESV FACINORIBVS.

FINIO Christi Domini miracula, dum vinum memoro,quo nuptias lætificauit,panesque,& pisces, quibus semel,& bis tantam hominum multitudinem saturauit. Vbi melius epularum refectio,quam in fine facinorum? Et ne quid desit ad magnifici Imperatoris nostri commendationem,post mensas populis exhibitas, ponuntur varia alia miracula;ambulationes super aquas,capturæ piscium,&alia, quæ conuiuas delectent,&in Auctoris reuerentiam trahant.

CAPVT PRIMVM.

De aqua in vinum conuersa.

VIRGINITATIS præco Iesus nuptijs interesse dignatus virtutis suæ documenta patefecit, vbi conuiua præcipuus diuinam referans potestatem, non pasci visus est,sed pauisse,Defuerant namque vina solemnibus:terrenusque absces-serat potus, vt cœlestis intraret. Conuertit Christus ad matris precem,latices in vini substantiam; amiserunt aquæ, quod natæ sunt, vndaque nobilior facta,quam genita, colorem mutauit,pariter & nomen. Cunctis denique mustum dulce rubebat in poculis,ac per omnia iucunda mensarum,captos suauitate conuiuas haustus flumineï nectaris ebriabat. Stupebant fontium ministri sex hydrias, quas aquis impleuerant vino redundante fuscatas, subitos

ſubitoq; Chriſti tota feruiſſe vindemia, quippe qui vitis aderat virtutis colona ſub æthere frondis vmbraculo nutriens racemos ſpiritualis pampini ſemper à mœnitate victuros.

Ioan. c.2. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat Mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.

§. I.

Caſtitas coniugia fœcundat ad filiorum procreationem.

FELICES coniuges, quorum in nuptijs locum habent caſtiſsimę virginitatis duces, Ieſus, & Maria. O quam multa parantur filiorum examina, vbi Ieſſæi flores præſentia ſua infundunt nectara pudicitiæ. Quid ad nuptias Ieſus, & Maria? Quid virginitatis ſatores ad liberorum officinam? Multum per omne modum: quos aufert paſsim laſciuia, hos præſtat filios caſtitas pudica. Bene laudabat il-
Cant.7. le. Cant. 7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs.* Vbi enim circumflorent lilia pudicitiæ, tot numerantur filij, quot in areis ditiſsimis grana tritici. Cur ventris albear floribus circumdatum non emittat filiorum examina? Sanè quiſquis examina filiorum cupit, addat pudicitiæ flores, fuget libidinum fumum. Deu-
Deuter.34. teron. 34. Moritur Moyſes dux ille populi augendi, ſicut ſtellę cœli, & arena, quæ eſt in littore maris, & vbi putas fuiſſe ſepultum? *Sepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra domum Phegor.* Erat Phegor idolum Priapi, & rectè contra impudicitiæ idolum ſiſtitur dux populi, qui multiplicandus erat filiorum exa-
D. Hieron. minibus. Quò ſpectabat D. Hieronym. lib. 1. in Iouinianum, inquiens. *Quia apud Iudæos gloria erat in partubus, & id parturitionibus, & maledicta ſterilis, quæ non habebat ſemen in Iſrael, id circo ſepulchrum eius poſitum in valle deſcribitur contra domum idoli, quod proprie libidini conſecratur.* Nullo medicamine melius ſterilitas depellitur, quam ſi bellum inferas impudicitiæ, & libidinum flammis; quò populos in luxuriam plus armas, eò pluribus filiorum examinibus paras aditum. Exodi cap.
Exod. 1. 1. dicunt. *Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt.* Et vnde fœminæ Hebræorum præ cæteris fœminis habebãt, & feliciores, & faciliores partus, niſi quia apud Hebræos maior vigebat caſtitas, & longius libidinum turpitudo aberat? Quod notans Lyppomanus *Lyppom.* in Caten. ait. *Hebræorum fœmina, ſicut caſtiores erant, ſic & in partu fortunatiores, Domino promouente opus ſuum in fidelibus. Viuidiores, hoc eſt, fœcundiores eſſe dicuntur, quia à maritis ſuis religioſius amatæ, & tractatæ caſtius.* Comes eſt caſtitatis, & temperantiæ fœcunditas, ne mireris tot familias nobilium, immò, & principum in noſtra Hiſpania ſterileſcere, facit hoc effrænis voluptatum intemperantia, ſeu rabies, quæ in huius generis viris graſſatur. Abſcedat lues hæc à nobilium penetralibus, & felicibus replebuntur familiæ partubus. Diuiniſsimi præcurſoris hic erat ad Regem Herodem clamor, Matth. 14. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Cur adeò præcurſor Chriſti *Matth. 14.* in regiam libidinem ſcandit? Nònne tunc erat Iudæorum in Ieſum durities, & pernicioſior, & reprehenſione dignior, cur hæc omiſſa regiam inſequitur voluptatem? Equidem quem imbiberat zelum in vtero matris exiſtens aduerſus impedimenta, & retardationes partuum, non poteſt non exerere, vbicumque ſe tulerit occaſio. Dum in vtero eſſet matris, Ieſu gratia præuentus, & illuſtratus nouit Ieſum verum Saluatorem mundi ſimiliter in vtero Marię exiſtentem, quo ita Ioannes affectus eſt, vt exultaret in vtero, hoc eſt, iuxta D. Chry-
Chryſoſtom. ſoſtom. mentem ſaltibus, & calcibus naturam concuteret, vt felicem partum properaret, moleſte ferens quamlibet tarditatem, & impedimenta partuum. Vnde innatus illi eſt zelus aduerſus partus impedimenta, & cum inter præcipua impedimenta numeretur laſciua intemperantia, in illam acriter inuehit inſectans adulteros regis thalamos. Huc reuoco D. Baſilium Se-
Baſil. Sele. leucenſ. oration. 18. expendentem illud: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui:* Sic loquitur Ioannes. *Et linguam euibrabat, vt olim in vtero ſaltum edebat: tunc in parturitionem naturam impellebat: & ante parturitionem parturitionis accuſabat lentitudinem; & nunc adulterantem acuſat naturam, vocemque iacit temperantiæ fulgore coruſcantem.* Idem petebant Ioannis in vtero ſaltus, & in Herodem voces: ſicut tunc in vtero, ſic modo diuinus præcurſor afficiebatur. Sicut ibi impedimenta partuum, ſic modo regia adulteria inſequitur, pro eodem reputans adulteras voluptates, & parturitionis impedimenta. Et meritò idem

telum

telum iacitur aduersus regias libidines, quod aduersus partuum impedimenta: vna enim est libido, quæ regum, principumque familias partubus orbat, populatur.

§. II.

Matrimonium confert saluti.

NON abest à nuptijs carnis opus; prope luxuriæ incendia nuptiæ constituuntur, & tamen in illis Iesus, salus in illis. Miraris? Accipe Loth de Sodomis fugientem, qui vbi omnia sulphureis incendijs consumi
Genes. 49. sensit, sic ait ad Dominum, Genes. 49. *Est ciuitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* In parua ciuitate iuxta Sodomam sita, prope flammantes agros posita, sperat vir bonus inuenire salutem. In quo eleganter nuptiarum suffugium nos-
D. Gregor. cit D. Gregor. in Pastorali 3. part. capit. 18. sic ibi. *Iuxta igitur dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, quia coniugalis vita, nec mundo longe diuisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena.* Fateor iuxta eructantes ignem, & sulphur vrbes positum esse matrimonij asylum, sed tamen matrimonium asylum est, quo cauentur pericula, & salus inuenitur.
Abacuc 3. Abacuc, cap. 3. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Siue vt Septuag. loquuntur. *Et equitatio tua salus.* Vbi audiuntur quadrigæ, statim matrimonij iuga apparent. Sed vbi partitur Dominus iugum Christianum; hinc iugum continentium; illinc iugum coniugatorum: sub continentium iugo, & virginitas est, & vidualis castitas: sub matrimonij iugo duo item ad sunt in vna carne, & hinc duæ bigæ coniugatorum, & continentium quadrigam perfectam faciunt, in qua venit mundo salus. Id notans
D. Hieron. D. Hieron. epist. ad Pamachium socrus illius familiam sic extollit. *In tribus mulieribus sanguine, & virtute coniunctis, tria Christi præmia recognosco. Eustochium virginitatis flores metit. Paula laboriosam viduitatis aream terit. Paulina castum matrimonij cubile seruat. Et vt quadrigam domus vna emitteret sanctitatis, & fœminarum virtutibus responderent viri; additur comes Pamachius, cognatus, gener, maritus imo frater. Huic quadrigæ Iesus præsidet: de his equis, & Abacuc canit. Ascende super equos tuos, & equitatio tua salus.* Quis audeat coniugium infamare, quando coniugium bigæ triumphali salutis quadrigæ aptantur? Qui nuptijs operam nauant, abdubium est, quin subeant iugum graue, sed iugum, quo Saluatoris quadriga componitur, cui Iesus præsidet, & super quod ipsa commoratur salus. Et cum audis in quadriga Saluatoris esse coniugatorum iugum, hinc elicere debes, quàm sibi mutui coniuges indulgere debent, & condescendere: Quippe illos inde monebat Hieronym. ad Lætam, aiens. *Qui sub iugo*
D. Hieron. *est, ita debet currere, ne in luto comitem derelinquat.* Tunc enim feliciter coniux currit, cum condescendit comparis infirmitati. Non est coniugium virginitati comparandum, fateor, longè inferiorem gradum attigit, sed nihilominus, simul cum virginibus ad salutem con-
Marc. 8. iuges seruantur. Inde Marc. cap. 8. de salutis verbo, seu semente dicitur. *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum.* Tres ordines fru-
Cæs. Arel. ctuum constituuntur? D. Cæsarius Arelat. homil. 19. fatur. *Tres enim professiones sunt in sancta Ecclesia Catholica. Sunt virgines, sunt viduæ, sunt etiam coniugatæ. Virgines exhibent centesimum, viduæ sexagesimum; coniugatæ vero trigesimum. Alius quidem habet amplius, alius quidem habet minus, sed omnis in cœlesti horreo recondũtur, & aterna beatitudine fœliciter perfruuntur.* Non solum præstantissimæ virgines, sed & coniuges seruantur in vitam. Immò ideò matrimonium etiam datur, vt infirmi planam inueniant viam, qua in salutem
1. ad Cor. 7. abeant. Ita D. Paul. 1. ad Corinth. cap. 7. *Ad vitandas scortationes quisque vxorem suam habeat.* Quo circa Chrosostom. homil. *Quales vxores sint ducendæ,*
Chrysost. fatur. *Non dixit, vt euitetur paupertas, & parentur diuitiæ, sed quid? Vt scortationem euitemus, vt moderemur concupiscentiam, vt viuamus sobrie, vt Deo placeamus contenti vxore propria, hoc nobis affert coniugium; hic eius fructus, hoc inde lucrum est.*

§. III.

Vna sola virgo omnes fidelium nuptias valet illustrare.

ET nuptiæ erant, & purissimâ virgo Maria ibi, & Iesus ibi. Cur nuptiæ Iesu non placeant, inter cuius castra tanta virgo inuenitur? Sanè inde solum vniuersæ fidelium nuptiæ sacrantur, illustrantur, quod ex illis, vel vna sola virgo clareat. Sapienter
D. Prosp. dicebat Diu. Prosper epistol. ad Demetriadem. Valde mirabile est, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum, quod virgo Anitia super omnes euecta

beatæ nobilitatis fastigium trahens, de cuius fœcunditate auis, atque atauis respondura posteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum, declinasti mortale cõiugium, *& vt omnem prosapiam tuam, etiam huius virtutis titulo consecrares, primam stirpis tuæ perpetuam, & virginem filio virginis spopõdisti.* Expende illud, *vt omnem prosapiam tuam consecrares.* Quippe tanta est virginitas, quod largissimam coniugiorum seriem, & prosapiam vna sola virgo valeat consecrare, & illustrare. Fallor, nisi huc respiciebat etiam Paulus 1. ad Cant. 15. Corinth. 15. vbi cœlestis Ierusalem gloriam, splendoremque meditatus, ait. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* Sũt equidem in Dei regno stellæ, est & Luna, est & Sol: stellæ multæ sunt, cuius incredibili multitudini comparantur Abrahamides: sed Sol vnus est; vnus tamen cum sit, & stellarũ multitudinem, & omnia alia illustrat, nouaque, & splendenti vestit claritate. Sic in Dei regno tres sunt gloriæ gradus, nimirum, stellarum, Lunæ, & Solis. Sed glorioſus Solis gradus, & si minor numero, etsi singularis videatur, tantus tamen est, qui cæteros omnes noua repleat illustratione, & claritate. Et qui est tantus gloriæ gradus? Crediderim gradũ esse virginitatis, quando è virginibus Christi vna sola immensam coniugiorum seriem, vt Sol D. Isidor. stellas, valet decorare. Accinit D. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 351. satus. *Soli enim eos, qui virginitatem amplexi sunt; Lunæ autem eos, qui continentiam; ac denique stellis eos, qui honorabile coniugium amplexi sunt, atque conseruarunt cõparare licet, maximè cum D. Paulus calculum suum addat, & dicat: Alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum.* Sic vna è virginibus Christi, instar Solis stellas illustrantis, integram fidelium coniugatorum multitudinem decorat, sacrat. Quõ etiam refero illud 2. Cant. 11. ad Corinth. 11. nimirum. *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quibus verbis loquitur Paulus non ad vnum, vel alium, sed ad vniuersam multitudinem popularium, & continentium, & coniugatorum, vt notat Chrysostomus, quos omnes virginitatis candore decorandos ait, vt Christi oculis placeant. Sed mirum, quod illos non virgines exhibet, sed virginem, quia sanè vel vna virgo sufficit ad coniugatorum turbas huius virtutis titulo consecrandas, decorandas. Propterea, dum de coniugatorũ felicitate agit, etiam 1. Ad Tim. 2. Paul. 1. ad Timoth. cap. 2. sic de vxorata fœmina loquitur. *Saluabitur autem per filiorum generationem si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum omni sobrietate.* D. Anselm. ex Hieron. putat legendum: *cum omni* Hieronym. *castitate*: quasi tota spes, & splendor matrum consistat in eo, quod virgines Deo pariant. Sic enim ait: *Vbi ergo nuptiæ videbantur prædicari ad conferendam salutem; ibi prædicatur virginitas. Tunc enim saluabitur mulier, si eos filios genuerit, qui virgines sint.* Sic virgnitas nouit totam familiam illustrare, & sanctificare!

§. IIII.

Maria Virgo non sufficienter honorata esset sine Iesu filio, nec Iesus sine Maria matre.

ECCE tibi plenum Mariæ decus, nimirũ, quod & sit, & dicatur Iesu mater: dum enim tantæ excellentiæ virtutum non dabatur Iesus filius, aliquid illi debebatur: quod etiam deberetur Iesu, nisi illi concederetur hæc mater. Parua essent proculdubio omnia dona in Mariã profecta, nisi & illi daretur, quod Iesum filium habeat, illiusque sit perfectissima causa. Quod desumo ex non multum absimili argumento, quo Nazianzen. probat Patrem diuinum debere esse principium diuinitatis in filio existentis, ne eius principatus paruus, indignus, & mutilus habeatur. Do verba Nazianzeni, in quibus admoneo, ne mouearis, quod vocet Patrem diuinum causam filij: frequentissimum enim est apud Græcos nomine causæ, non aliud in diuinis significare, quam nos latini nomine principij significamus. Igitur orat. de statu Episcop. sic ait. *Neque ita Christi amatores simus, vt non hoc obseruemus, quod sit filius. Cuius autem filius erit, si nõ ad causam referat patrem? Neque patri principatus, hoc est, principij referat dignitatem tanquam patri, & genitori? Paruus enim, & indignus esset principatus, si nõ diuinitatis causa existeret, quæ in filio, & spiritu contemplatione deprehenditur.* Petebat equidem Patris excellentia infinita, ne quid indignum, & mutilũ haberet, principium esse diuinitatis in filio, & spiritu existentis. Et cum Maria sit prima post Deũ excellentia omnium suprema, & præstantissima, ne quid paruum, & indignum, & mutilum pateretur, petebat similiter matrem esse, & fontem excellentiæ in Iesu existentis. Vndè non bene amant Iesum, qui nõ obseruant, quod sit filius Mariæ, & quod sit Mater eius. Meminì etiam alia verba Nazianzeni, quibus, & Basilij, & eius parentum excellentias memorat, quæ Mariæ, & Iesu pulcherrime conueniunt. Etenim ait oration. in Basil. *Si necesse fuisset, vt omnino mos gereretur naturæ, & is, quem nunc laudamus, hominibus, daretur: nequaquam conuenisset, vt ex alijs potius, quam ta-*

libu

libus nasceretur parentibus, nec vt hi ab alio magis, quam hoc parentes nominarentur. Et quidē certius dixissem, quod tanta est Mariæ excellentia, & virtus, quod plurimum conueniret cum partu Iesu esse, & Iesum illa vna matre gaudere. Quo spectat Orig. hom. 1. in diuers. ponderans Matthæi verba, cap. 1. *Cum esset desponsata mater eius Maria.* Vbi sic loquitur. *Vnigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici. Neque enim aliter vnigenitus super terram venit, aut alia virgo vnigenitum genuit.* Decuit igitur maximè, quod vnicæ creaturarum excellentiæ daretur ille filius, qui solus vnigenitus est Patris, & quod is, qui vnigenitus est Patris haberet matrem perfectionum vnicam.

Orig.

§. V.

Nemo citius à morte, quam à Christo præuenitur, nec infans, qui in vtero decedit matris.

EST ne ita velox malum in corripiendis hominibus, quod non à Christo præuentum fuerit, immò sæpesæpius supplantatum? Præteriens Iesus iuxta Ioann. cap. 9. vidit hominem cæcum à natiuitate, quod expendens S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 21. ait: *Vitium natiuitatem non expectant, sed nixum anticipant noxa.* Equidem summa hæc vitij velocitas est, quando ante nixum, ante natiuitatem iam inuadit infantem. Sic mors festinat quandoque, vt in primo vitali halitu, venenum infundat, & vterum conuertat in sepulchrum. Tamen festinior Christus, qui nixum anticipat, & pueri conceptionem, ipsis nuptijs inserit, vt parentum animis remedia suggerat, quibus præueniri in vtero possint infanticidia. Huc respexit S. Cyrill. Ioan. 2. cū ideo Iesum Chanā nuptijs interfuisse dicit. *Oportebat enim, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare.* Ante nixum, ante natiuitatem malos omnes incursus præuenit gratia Christi, quando nascituris infantibus ipsas præparatur inter nuptias. Equidem Dei gratia omnia præuenit mala, & noxia præcauet nascituris antequam nascantur in parentibus ea præparans remedia, quæ sufficerent filiorum perditioni occludere aditum. Iudicum 13. Manue vxorē sic alloquebatur Angelus. *Cōcipies & paries filium. Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas.* Cur his instruitur fœmina ab Angelo? Sanè quod Deus Optim. Maxim. tacitis impulsibus facit in parentibus pro bono filiorum, id aliquando ostendit externis miraculis, vt inde colligamus, quam vincantur in diligentia omnes incursus mali à diuina gratia. Nulli enim dubium est, quin praue affectiones, & indispositiones parentum, quando copulantur, eā vis darent morbis conceptorum infantium. Deus igitur, qui omnia nouit, nunquam pro suis non vigilat, non maturat gratiam, suggerens parentibus, quod bonum, & vtile esset filijs nascituris, siue in moralibus, siue in physicis, ne vnquam medica Dei manus non inueniatur præueniisse mala, quantum vis immature fœtus abripiantur. Quas Dei tacitas vigilias, siue excubias pro suis agnouit D. Gregorius Nyssen. orat. de his qui præmature abripiūtur, fatus. *Sæpe numero vita eorum, qui bene vixerint, iā his, qui ex ipsis nati sunt causa melioris conditionis est. Atque sexcenta horū ex diuina scriptura testimonia sunt, quibus aperte docemur eius curæ, beneficijque quod digni à Deo consequuntur, etiam ex ipsis progenitos vna participes esse.* Itaque eadem peculiaris Dei cura, qua parentes à Deo instruuntur, gubernatur, promouentur, nascituros attingit filios. Inseritur nāque sæpe numero diuinus halitus nuptialibus otijs, siue negotijs, suggerens parentibus vel abstinentiam, vel cibum, vel continentiam, vel copulam prout nouit conuenire posse filijs nascituris. Hoc qui videt, & certo nouit ex scriptura, cur non putet semper à Deo fieri, vt nullus sit parens, nulla mater, cui Deus nō suggerat id per quod, si fieret, filius minime in perditionem veniret. Sanè nullus ita propere abripitur a malo, nec infans in vtero, circa quem non prius fuerit Christi Domini particularis cura, & benefica eius manus extiterit. Hinc ad perditissimos Iudæos loquitur Ioannes Iesu præcursor. Matth. 2. *Progenies viperarū, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, &c.* Expende quod vocantur progenies viperarum, vt eorum antelucanā, & innata ostendatur malitia, quos sic perditionis virus infecit, vt à cōceptu ipso appareant perditionis filij geniti à viperis. Sed nihilominus insinuat, aliquod etiam habuisse salutis initium; quo ad Abrahamidum genus pertinuissent. Quomodo ergo, qui à vipera nati sunt, viperinoque ab ipso exortu infecti veneno aliud potuerunt habere salutis initium? Sanè non tātum manicauit noxa, quantum gratia: conceptos potuit sibi rapere culpa, & viperæ virus: verum benefica Dei manus lōge prius in causis, in parentum nuptijs sic se ostenderat munificus, vt nullus esset filius qui non posset ei-

Basil. Sel.

Cyrill.

Iudic. 13.

Nyssen.

Matth. 2.

set citius ad Abrahámides pertinere, quam ad viperas. Bene Chrysolog. serm. 137. *Progenies viperarum, quia quos Deus creauerat homines, fecerat filios Abrahæ; militia peperit, & conuertit in viperas.* Nunquam non prior diuina beneficentia: semper noxa, semper perditio inuenit non solum homines, sed & Abrahæ filios, hoc est, illi radici adnatos, à qua possent imbibere salutem.

Chrysolog.

Ioann. 2. Et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

§. VI.

In nuptis vix est alius, quam carnalis amor, nimirum, zelotypia.

VIDES vini defectum prius apud fœminas præsentiri, inter quas erat Iesu mater. Quare sum à sententia D. Gaudentij, qui per hunc defectum vini intelligit defectum lætitiæ spiritualis nuptialibus congressibus familiarem. Et sanè prius apud fœminas hic defectus sentitur, quia in fœminis primo deficit quidquid ad spiritualem lætitiam, amoremque pertinet. Solus apud illas inueniri solet amor carnalis, & zelotes. Sic Iudicum capit. 5. dum Sisara moras nimis longas in prælio faceret. *Vllulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur. Cur moratur regredi currus eius; quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Expēde ad quam diuersas res spectent, & mater, & vxores Sisaræ in eius mora. Mater nihil aliud meminit quam pericula, quam discrimina, de filio vehementer solicita: at vxores nihil pericula viri curant: nulla sciunt discrimina metuere, id animo voluunt in mora eius, si pulcherrimam aliquam aliam puellam inuenerit, cuius detineatur gratia. Hoc solum suspicantur, de hoc solum solicitæ sunt, nihil aliud timent, vtpote in quibus verus deficiat, & solus zelotes, & carnalis amor sit. Quod acutè notauit Abul. quæst. 10. inquiens. *Magis solicitæ erant vxores Sisaræ, an sumeret aliquam puellam speciosam, quam circa vitam eius. Mater autem Sisaræ diligebat eum, & ideo de sola vita, & persona solicita erat.* Siccine sunt quam plurimæ vxores, apud quas veri amoris, & gaudij defectus frequentissimus est, & carnalis, & zelotypus amor illis familiarissimus. De illis dicebat ex Philone D. Anton. in Melissa part. 2. serm. 3. *Sui amans est mulier, & zelotypa immoderate.* Alius verus amor lætitiæ spiritualis auctor defecit sæpe: hic carnalis, & zelotypus turbationis, & inquietudinis causa nuptis familiarior. De Rachele dicitur Genes. 30. *Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.* Putares ob viri amorē sic expetere filios, & quidem hoc honestum esset, sed non tantus amor in fœminis solet inueniri, qui se solas amare nouerunt. Sanè Iacob ardentissimè diligebat Rachelem, adeò vt præ amore illius parui duceret Liæ fœcunditatem, eiusque liberos, hoc solum curabat, vt sua Rachel viueret. E contra autem Rachel virum pro liberis molestabat, illumque dolore afficiebat, dicens. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Quæ ista solicitudo est Rachelis pro liberis? An erat mariti sui amor? Minime: sed carnalis amor sui, sed zelotypia, quæ frequentior est in fœminis nuptis. Chrysost. homil. 56. in Genes. *Graue malum est zelotypia: vidit viri erga sororem amorem, & putabat ea de causa illā tot filios habuisse, vnde dicit; Da mihi filios.* Non coniugis, non filiorum amor, sed zelotypia erat, non solicitudo de filijs habendis ex dilecto viro, sed zelotypa cura, an magis amaretur Lia. Hęc cura crebrior in fœminis, amoris autem veri defectus familiarissimus.

Iudic. 5.

Abul.

D. Anton.

Genes. 30.

Chrysosto.

§. VII.

Gratior Iesus inuenitur inter inopiam, quam inter superfluam copiam.

HIs mensis lubens accubat Iesus, quas inopia commendat, quia ab illo terreno Adamo, inter superfluentes delitiarum hortos elapso, superabundantia mansit cœlesti Adamo suspecta, & inuisa. Id perspicuum erat tentatori, qui filij Dei claram cupiens habere notitiam, aiebat. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Sanè famelico vni sufficeret si vel vnicum panem porrigeret, verum is vt filium Dei tangat, superfluam copiam suggerens, non panē, sed panes voluit præsentare. Pulchrè Theoph. *Non dixit, vt lapis iste panis fiat, sed lapides; volens Christum ad superflua infligare. Esurienti enim vnus panis sufficit, & propterea eum Christus non audit.* Ex hoc Iesus tentatoris etiam depellit consilia, quia ad superflua instigabat; vt scias, quod vel ex hoc capite accidit mensa odiosa Christo, quod superflua proponig ad cibum. Non adeò infensus, & odiosus Dei filio extitisset, si famelico vnum panem meminisset, sed quia plures memorat, ideò citius patitur repulsam. Non enim sic copia, vt inopia

Theophyl.

Deum

Cant.5. Deũm trãdit. Cant. 5. Dei amatrix dum exit quærere Deũ, inuenit custodes ciuitatis; custodes inquam, nimirũ, Angelos datos in custodiam hominum, & ciuitatum. Quid illi? *Tulerũt pallium meum mihi custodes murorum.* Quæ est ista Angelorum custodia, quæ eripit pallia? Custos potius seruare debebat, & defendere; cur isti vocantur custodes dum post vulnera tollunt, & pallium? Equidem nouerant nobiles custodes diuinæ amatricis desiderium, & vota, quæ festinat Deum inuenire, & ad se trahere; quærebat tamen illum diuite ornatu composita, pallio in terram vsque defluente ornata, nec inueniebat, ideo tollunt pallium, vt inopi, & nudæ citius possint Dei

Ambr. copiam facere. Quò spectans D. Ambr. lib. 3. de virg. ait. *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat:* Quippe quo nudior, & egentior, eo citius sibi Deum propinquum faciet: qui inopiæ potius, quã copiæ gratior assistit.

Genes. 21. Genes. 21. malæ audiebat apud Abrahamum Sara, quod Ismaelis exilium peteret, tunc Dominus ad Abraham fatur. *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est: Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panẽ, & vtrẽ aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Miraberis, quod tã vili, & paupere viatico Abrahamus, & coniugem, & filium à se dimittat. Vbi paternus amor? vbi tãti viri in extraneos liberalitas? Peregrinos mẽsa diuite, & plena excipit; coniugem, & filium pane tantum, & aqua oblato dimittit. De dimittendo filio præceptum acceperat, de viatico nullum præceptum habuit, cur ergo ita nudum, & pauperem dimittit? Non crudelitas patris, hoc faciebat, sed amor, sed fides; vbi enim promissionem accepit, quod Deus electum filium susceperus erat, statim credidit, eò citius Ismaeli astiturum Deum, quo is pauperiori, & viliori inuẽtus fuerit viatico.

Lyppom. Do Lyppomanum in Cat. fantem. *Quanto autem Abraham ancillæ in exilium destinãdæ pauciora dedit, tanto fidei ardorem maiorem expressit. Nec tentauit Dominum, sed fidem maximam in eo habuit, quod euẽtũ esset moderaturus.* Non credit Abraham posse fieri, quod Deus tardet ad egentem aduolare: immò, quod indigentiæ indicia, tot credit esse illices, quibus Deus ad subueniendum trahatur.

§. VIII.

Nuptiales voluptates quando non sequitur tribulatio?

EST inter nũptialia gaudia vini defectus, instat nuptorum limini egestatis labor; & quando labor, & pœna nõ premit nuptias, non premit hominum gaudia? Equidem omnes mundiales voluptates pænarum, & dolorum semina habent. Paulus 1. ad Corinth. 7. 1. ad Cor. 7. id enuntiat: si autem acceperis vxorem, non peccasti. *Etsi nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Potest esse coniugium sine reatu, sed non potest esse sine tribulatione, sine carnis dolore, & pœna. Pro quo D. Paulinus epist. 39. ait. D. Paul. *Nunquã in carnalibus affectionibus ita quiescit animus, vt cruciatu careat; dum necessitudines suas, aut bonas amat cũ amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in vtroque miseriis sustinendis semper obnoxius.* Stultus est, qui nuptiarum gaudia quærit, vt fugiat labores, vt se se immunem seruet à tribulationibus: quando & nuptiæ, & vniuersę mundiales voluptates, & dolorum, & tribulationum sint præsentissimum seminariũ. Ezechielis cap. 1. Ezech. 2. mira electri species profertur, quæ referret hominis conditionem, hanc curiosè notans propheta ait. *A lumbis eius vsq; deorsum vidi quasi speciem ignis,* & merito vbi nuptialia gaudia sũt ignis apponitur; nũquam enim non sequitur tribulatio nuptias, nec gaudiorum negotium â flagello immune aliquando esse potuit. Id

Origin. ostendit Orig. hom. 7. in Ierem. fatus; *Renes & lumbi igne censentur. Omnia enim, quæ ex voluptate sunt, indigent purgatione, & ipsa purgatio immixta est supplicio.* Hucusque nullæ nuptiæ ab ingenti tribulationum flagello fuerũt omnino liberatę. Vndè superna ciuitatis gaudia sine vlla malorum admixtione esse, inde

Ambr. confirmat D. Ambrõs. Palm. 39. quod ibi non nubent, sed omnes sint sicut Angeli Dei, quasi impossibile esset tribulationes, & metus tolli, nisi tollantur nuptiæ, & gaudia carnalium voluptatum; ait enim ad eũ, qui ad cœlestem Ierosolymam festinat, qui supernum paradisum incipit intrare. *Tu iam nullas insidias pertimescas. Et Adam, vt caderet, â serpente deceptus est, & flexus est ab vxore: ideo iam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum sicut Angeli Dei.* Ne metus, ne tribulatio limina posset terere paradisi, ablatæ sunt inde nuptiæ, quas solet comitari dolor, & periculorũ, defectuumque metus continuus. Sanè vxorati illud est proprium apud Paul. 1.

ad Co

1. ad Cor. 7. ad Corinth. 7. *Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Expēde illud, *diuiſus eſt*, nempe ſciſsiones patitur, & rimulas agit; & quantumuis murus æneus ſit, vbi ſciſſuras habet, neceſſum eſt vt inde frequentes ingrediantur ruinæ dolores, tribulationes, anxietates. A quibus in tantum fugitur, in quantum declinatur nuptiarum deliciæ. Pro quo D. Baſil. de Vera virginitate ſic pulchre extollit prudentiſsimam Virginem. *Quippe coniugij finem corruptionem, & iniurias eſſe conſiderans, ex ipſo fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione colligit: declinanſque primam triſtium cauſam, manantem quoque ex ea preſſuram effugit.* Quid pulchrius? Quando ſignificantius definitæ ſunt nuptiæ? Eu quam apte nuptialis pompæ thalamus tragædorum teatro comparatur: Tota nuptialis pompa tragœdia eſt, & prima cauſa triſtium, atque preſſurarum ſcaturigo, vt quam etſi filij deficiant, dolores tamen partus nunquam deficiunt. Nuptialibus gaudijs libenter aptarem illud Eccleſiaſtæ, cap. 2. *Riſum reputaui errorem. Gaudio dixi: quid fruſtra deciperis.* Putat riſum errorem, quia vt erranti huc, illucque deterrent deuiæ latebræ, & præcipitia; ſic carnalibus delicijs ſimiles tribulationes imminent. Argute etiam transfer Tygurina dicens. *Ridere ſtatuo eſſe hominis vaſani, & lætitiam neſcio, quid parere.* Nunquam enim dolores partus poſſunt deſerere lætitias; illarum fœtus maturus ignoratur, quia vix cernitur bonus deliciarum fructus: verum non ignoratur partus, quandoquidem dolores, & preſſuræ manifeſtiſsimi ſunt ſocij mundialis lætitiæ.

Baſil. Eccleſ. 2. Tygurin.

§. IX.

Deum efficaciſsimè allicit ſola illi propoſita noſtra indigentia.

NON multa locuta eſt Maria, non de ſerpentis aſtu rethorum flumina euomuit, vt filium trahat à flumine, ſed ſimpliciter fatur, *vinum non habet*, quaſi idem eſſet miſericordi Deo miſeriam detegere, ac flammanti igni pabulum præparatum apponere. Rapit, mihi crede, pietatis fontem, ſola per ſe ipſam, ſi eius oculis detegatur miſeria humana. Adulteram fœminam Chriſti oculis obijciunt Phariſæi, Ioann. cap. 8. Accuſatores acres acceſſerant adulterij. Sed vbi propria ſua peccata rememorari audiunt, diuiniſsimus iudex incipit illis eſſe timori, & eius iudicium præcaueri maxime. Quid plura? *Vnus poſt vnum exibat.* Cur fugitis accuſatores rei facti? Quin potius procurate adulteræ abſolutionem, vt qui iudicium incurriſtis illam accuſantes, de eius liberatione ſpem abſolutionis capiatis. Sed cum accuſant, mulierem adulteram proclamant, & cum non audent damnare, immò cuperent abſoluere, illam oculis præſentatam diuinis relinquentes abſcedunt. Pulchrum ſpectaculum, ait D. Aelredus, ſerm. 2. in Iſaiam. *Vnus poſt vnum exierunt cum ſola miſericordia ſolam miſeram relinquentes.* Sufficit miſero, ſi per ſe ipſum miſerationum pelago aſtet. Non multorum ſuffragia, non rhetorum flumina indiget, ſed ſufficit, quod indigens anima ſe ſe Deo ſiſtat, vt ab illo ſibi neceſſaria conſequatur. Quos patronos adhibuit Magdalena? Et erat præſens Simeon, cuius tamen fauorem non curauit. Quæ verba fecit? Et erant illi labia charitatis, quæ demulcerent ſeueriſsimum animum. Et nihil locuta ſe ſolum miſericordiæ oculis præſentauit, & ingentem retulit gratiam. Nullo equidem eges, ſi Deo pleno corde ſiſtaris, vt ab eo ſperes miſericordiam, immò, vt petas ab illo maxima. Illa Dei amatrix, Cantic. 1. ſic Deo ſe ſiſtit, & ecce ex arrupto clamat. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Nec nominat ſponſum, nec honoris, miſericordiæque titulos obteſtatur, nec patronos adhibet, & tamen ex eo quod ſe ſiſtat Deo, ad illumque ſola confugiat, non veretur tam magna poſtulare. Id quod expendens D. Bernard. ſerm. 7. in Cant. fatur. Magnum quid à magno petitura nullo tamen, vt aſſolet, vtitur blanditiarum fuco: nullis circumuolutionibus ad id, quod deſiderat, ambit. *Non facit proœmium; non captat beneuolentiam: ſed ex abundantia cordis repente prorrumpens, nude ſatis, oſculetur me, ait, oſculo oris ſui.* Sanè vna ſola repreſentatio neceſsitatis efficaciſsima eſt, ad Dei amantis animum expiſcandum. Nolo ſuffragia cōtemnas, nolo vt verba honoris, maieſtatis titulos allectorios parui ducas; ſed vt ſic immenſam Dei bonitatem æſtimes: vt putes, quod illā ſolicitare ſufficiat vel ſimplex amātis poſtulatio, vel ſola egeſtatis, & indigentiæ repreſentatio. Quos patronos adſciuit mulier illa, Matth. 9 vt ad Ieſum accederet? Quos titulos, quæ verborum lenocinia congeſsit? *Sanè acceſsit retro, & tetigit fimbriā veſtimenti, nihil loquitur, nihil clamat, nihil poſtulat, tātum vel à tergo Ieſu appropinquat, Ieſu ſiſtitur, Ieſu miſeriam ſuam oſtendit.* Quid plura? Ieſus conuerſus videns eam dixit. *Cōfide, filia, fides tua te ſaluam fecit.* Pulchre D. Amb. lib. 3. de virginib. ait. *Simul vt acceſsit mulier virtutem ſenſit, medicinā impetrauit: vt ſi oculū lumini admoueas, illuminatur ante-*

Ioann. 8. Aelred. Cant. 1. Bernard. Matth. 9. Ambr.

antequam sentias, & operatio lucis præuenit apparatum. Expende illud, vt si oculum lumini admoueas: quippè idem est indigentiam Deo proponere, quod igni pabulum, lumini oculum admouere.

Tex. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.

§. X.

Nullo temporali respectu diuina munera perhibenda, & ostentanda sunt. Vbi contra Principes, qui adeunt deuotas fœminas, vt apud se raptus ostendant.

CVM videris Iesum seueritatis, & quasi reprehensionis verbis vtentem, non putes illum malè erga innocentiam Marianam affectum: solent enim iudices seueros quandoque vultus ostendere, immò mala dare verba his, quorum habent testatam innocentiam, ne quid videantur dedisse naturali affectui; sic Iesum se se absterum Mariæ exhibet, ne in exhibendis diuinis carni, & sanguini videatur acquiescere; & ab alio expectare, nisi à charitate operis imperium. Id quod docebat Dominus Luc. 4. his verbis. *Multi leprosi erant in Israel, sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Suos præteriens diuinus Vates alienigenis præbet medelam, ne reputetur gentis negotium munus cœleste. Sic enim hæc meditatur. Diu. Ambros. ibi fatus. *Cur igitur non curabat fratres, non curabat ciues, non sanabat Propheta consortes, cum sanaret alienos; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur.* Sic absolutus est Dominus in suis muneribus impertiendis, vt nolit is haberi, qui aliquo teneatur iure, aliquo vel necessitudinis, vel reuerentiæ obligetur respectu ad illa impertienda. Non gentis, non necessitudinis, non personarum intuitu diuina munera exhibenda, vt solent facere aliqui insipientes animarum curatores, qui principibus, & magnis viris, siue amicis exhibent subditos, vt coram raptus patiantur, & mentis excessus. Quid stultius, quid à Deo alienius? Hoc idem est, ac velle, quod diuinissima, & absolutissima Dei potestas carni, & sanguini morem gerat, illique seruiat. Caueas ergo tu, ne velis diuinitatis munera temporali aliquo respectu exhibere. Sed & caueant Principes, & alij populares, ne sui gratia, & respectu ament huiusmodi munera diuinitatis ostendi. Hoc fastu ostendit Deum Nabuchodonosor, Dan. 3. cū post miraculum à Deo patratū, quo tres pueri illesi â fornacis flāmis fuerunt erepti, sic ad sibi subiectas ciuitates, & prouincias scribebat: *Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicatur. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius.* Hęc sunt verba misericordiam, an reprobationē merentis? Hæc verba in laudē, an in vitu periū Dei sunt intelligēda? Crediderim per hęc maximè ostensum fuisse reprobū animū superbissimi regis. Vnde hoc? Expende vanissimū illud, nimirū: *Fecit apud me Deus:* quasi Deum inter parasitos, & assentatores regios numeraret, qui illorū more faciē regis, & purpuram vereretur, eiusq; gratiam, & fauorē virtutibus exhibitis expiscari niteretur. Quod in quantā Dei offensam venerit, quis non videat? De hoc pulchrè Rup. lib. 6. de Victoria verbi Dei, c. 23. ait. Attendite, quia nō fuit speciosa laus in ore illius peccatoris, tota namq; respersa est fermēto tumidæ vanitatis. Quomodo enim laudauit, cum scripsit: signa, & mirabilia fecit apud me Deus, placuit ergo mihi prædicare signa eius? *Quid enim est apud me fecit, & placuit mihi, nisi ob gratiam mei fecit: verè sicut Deus non dignatur laudem nisi ex humili spiritu; ita dignū, & iustū fuit, vt reprobaret extollentiā illius regis, qui laudando laudabilem mentiebatur. Non enim apud eum signa fecerat Deus. Non enim is est Deus, qui personā respiciat alicuius in suis muneribus exhibendis:* votis acquiruntur Dei signa, & munera; non iure naturæ, siue sanguinis, siue alterius respectus à Deo veniunt. Nefarie laudas Deum, quisquis illum laudas, quod personam respiciens tuam magnalia sua fecerit, hoc non est laudare, sed blasphemare Deum, cuius sola charitas spectanda est in exhibitis muneribus, & absolutissima eius voluntas, & potestas.

Luc. 4.

Ambros.

Dan. 3.

Rup.

§. XI.

Christi mater antequam defectum etiam originalem incurreret, præuenta fuit Dei gratia.

DEFICIENTE iam vino, hoc est, iam iam defectu vini imminente, quo nupti erubescerent; Maria, quæ præuenientis filij auxilium sæpe in se nouerat, Iesu astat, vt ante ruborem, & defectum nouē nuptis opem ferat. Iesus autem, qui vt matrem, propter maternitatis

honorem ante defectum etiam originalem sua gratia praeuenit, sic nisi post defectum nemini aliorum medicatur. Hinc ait quasi nimis festinæ Mariæ: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Quasi dicat, vt tempus subueniendi alijs hominibus anteuertam, vt ante defectum opem feram alijs non mihi mater es, non suspicio maternitatē. Nō enim in tollendo vini defectu agitur matris meę negotium, & sic post defectū expecto horam, qua remedium afferam. Vbi matris interest honori, ibi non defectum expecto, sed omnes etiā originales defectus præuenio, infero gratiam. Quippè quæ mater in vtero habuit ab Spiritu sancto, vt filios Dei pariat, & non ab ipsa origine plena ipso Spiritu sancto vniuersos defectus ignorauit? Post Mariam aqua concipit ex Spiritu sancto, vt filios Dei regeneret, ait enim Iesus apud Ioa. capit. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quis hinc memoret aquarum priuilegia, & gratias? Ex eo, quod ab Spiritu sancto fœcundatur, vt filios Dei pariat, hoc habuit aqua, vt nullam vacuitatem, nullam deformitatem, nullam inanitatem in se habuerit, sed ab initio inter communes rerum omnium deformitates ipsa sola Spiritu sancto plena splenderet. Etenim habes Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant superfaciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ecce tibi in prima rerum conditione, vbi nihil non deforme, non tenebroso errore turpatum, sola aqua de Spiritus sancti assistentia ornabatur, vt ex aqua, & Spiritu sancto filij Dei erant in baptismo regenerandi. Id quod eleganter expendit Tertul. lib. de Baptismo fatus. *Habes in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia. Deinde dignationem, quod diuina spiritus sedes gratior scilicet cæteris tunc elementis. Nam, & tenebræ totæ, adhuc sine syderum cultu informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude, solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo puro dignum vetaculum Deo subjiciebat.* Quid pulchrius? Habent equidem hoc proprium matres, quæ ex Spiritu sancto Dei filios pariunt, habent inquam hoc proprium, quod nullum vnquam defectum, nullam vacuitatem experiantur. Cum nulla alia creatura, nec cum cœlo factum est, vt defectum non sentirent, vel in primo exortu: hoc reseruatum fuit illi matri, quæ de Spiritu sancto concipit, & de Spiritu sancto filium Dei parit, virgo, & mater. Notanter dixi: *Virgo, & Mater*, quia nimirum, quæ de Spiritu sancto concipit, virgo, & ex eo capite, quod virgo simul est, nulla debet comprehendi generali lege defor mitatis. Hæc erat lex vniuersalis apud Lucam capit. 16. promulgata, nimirum. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et nihilominus post Ioannē sunt Prophetæ; dicit enim Actorū 21. *intrantes domū Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Ecce tibi, & post Ioannem Prophetæ, sed virgines Prophetæ; qua enim ratione virgines erant, non poterant contineri lege aliqua generali. Ita Diu. Hieronym. lib. 1. in Iouinian. Ait: lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem: istæ, quia virgines erant, etiam post Ioannem prophetasse referuntur. Neque enim poterant veteris testamenti lege retineri, quę virginitatis fulserāt claritate. Sic ibi. Vanę ergo veteris peccati lege teneri volunt tantam virginem, tātamquē matrem. Et sanè non potui negare filium Dei Matri virgini potius extitisse antelucanum robur, quam pharmacum: de illa Cant. 7. *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus lilijs.* Expende. Quid sit filius Dei Matri florentis virginitatis: nimirum, acervus tritici: equidem Iesus virgini matri triticum est, cibus est, esca est, quæ roborat: non pharmacum, quod sanet. Diu. Fulgentius sic distinguit redemptionem hominis, & Angeli lib. 2. ad Trasimundum Reg. capit. 3. fatus. *Vna est in vtroque gratia operata: in homine, vt surgeret: in Angelo, ne caderet: ab illo infirmitatem depulit: hunc infirmari non sinit: illius esca: illius medicina.* Sic prorsus Mariæ acervus tritici, non pè esca, quæ infirmari non sinat, cæteris medicina, quæ infirmitates depellat.

Ioan. 3.

Geneſ. 1.

Tertull.

Luc. 16.

Hieron.

Cant. 7.

Fulgent.

§. XII.

Etiam ipsa innocentia abstere, & dure tractetur aliquando, ne deficiat.

CENSORIVS nimis visus fuit in Matrem Dominus ijs, qui effictam illam seueritatis personam nolunt percipere. In immerentem prolem aliquando amantissimus Pater solet scandescere, & supercilium effingere, non vt errores mulctet, sed vt firmiorem suggerat abscedendi ab errore diligentiam. An egebat hac fictitia animaduersione Maria Iesu Mater? Sed egebant innumeri alij innocentes, quos in matre tangebat Iesu efficta seueritas, vt castigati sine culpa, magis culpas vererentur. Accinit sanct. Ennodius lib. 5. epistol. 23. his pulchris verbis. *Vide per rerum præsentium, quam cauta est senio-*

Ennod.

seniorum dispensatio, & fabricatis plena sermonibus: præuenitur querelis innocentia, & ne dolorem suum in lucem producat, arguitur, sit rea, ne faciat. Non semper disciplinæ virga culpas tundit, solet sæpe ipsa innocentia absterè, & dure tractari, & flagellis præueniri, ne ruat, sed incontaminabilis perseueret in vita. Vn-
ad Heb. 12 de monebat Paul. ad Hebr. 12. *In disciplina perseuerate. Tanquam filys vobis offert se Deus quis enim filius, quem non corripit pater.* Non fisto in eo, quod moneantur disciplinæ flagella, & dura, & rigida, vt à parente optimo profecta recipere; cum optimi parentis sit filios dilectissimos, amplissimaque hæreditate ditandos duris verberibus ob crimina affligere. Sed illud expendo, quod iubeantur, non solum recipere flagella, sed & perseuerare sub illis; perseuerate, ait in disciplina; quid est, *perseuerate?* Nulla ratione disciplinæ virgam fugiatis; etsi culpa absceserit, etsi nulla sit labes, etsi omnimoda innocentia iam floreat, tamen innocentissimi, & perfectissimi sub flagello perseuerate, quo vos pater custodit in hæreditatem diuinam. Huc spectat
Anselm. Diu. Anselmus inquiens. *Sit itaque manus paterna super vos, etsi boni filij estis. Nolite repellere disciplinam eius. Det disciplinam, dum non auferat misericordiam. Quomodo ergo non flagellat custodiens paruulos Dominus: quos grandes quærit hæredes?* Et quidem disciplinæ rigor, non solum pro reorum curatione inuenta est, sed euidentius â parentibus optimis vocatur in vsum pro innocentiæ custodia. Quo sensu
Prou. 15. Prouerb. 15. vers. 10. reddiderunt Septuag. *Disciplina innocentis cognoscitur à prætereuntibus:* quasi dicerent, quod dum sumus in hac via innocentiæ notissima socia sit disciplina: nullusque custos, & miles notior in sæculi via, quam est disciplina innocentis custos, & miles.

§. XIII.

Non est insolitum mulieribus omnes suas spes, & desideria maritis committere potiusquam Deo.

NON pũrissimæ virginis mentem arguit Dominus verbis prædictis, sed mulierum vxorum succenset studium, quarum multis adeo insolitum est ad Deum recurrere, & nõ potius ad maritos suos, vt merito dicat Dominus accedenti ad se mulieri inter maritorum multitudinem. *Quid mihi & tibi mulier?* Quasi dicat: ex quo hanc, mentem habet mulier, vt ad Deum recurrat, & non potius ad virum? Hoc virginis proprium est, & virginitati soli vsitatum, vt à Deo speret, in illoque ponat spem suam; mulier autem nupta potius coniugis, quam Dei solet meminisse. Vsitatissimum est, & familiare nuptis, quod conuertantur prorsus ad viros suos. Paulus 1. ad Corinth. capit. 7. ait. 1. Cor. 7.
Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est cogitat, quæ sunt mundi quomodo placeat viro. Expende quam aliter loquatur Apostolus in viris, & in fœminis: etenim, & vir, qui sine vxore est, & virgo æquè cogitant, quæ Domini sunt. Vir autem, qui cum vxore est, non solum Deum respicit, sed & vxorem, quomodo placeat vxori, & diuisus est, hoc est, inter Deum, & vxorem diuiditur. Verum mulier, *nupta cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro:* Non additur, quod diuisa sit, forsitan, quia non diuisim, sed sic totam se tradat viro, vt nec Dei meminerit. Sic ma- Genes. 30.
ritis fidere nuptæ solent, vt potius illis, quam Deo se se commu ittant. Genes. 30. Rachel cum infœcunda esset, nec inde fœcunditatis meminit auctorem, quid ergo fecit? Ait marito suo: Da mihi liberos alioquin moriar. Vide ad quem confugiat, quem spe- Chrysost.
ctet mulier, non Deum, sed maritum. Pulchrè Diu. Chrysostomus homil. 56. *Inconsiderata, & muliebris est hæc petitio: Da mihi liberos. Quare à viro petis ea, quæ supra naturam sunt, & relicto naturæ Domino virum arguis, qui ad hoc nihil conferre tibi poterit? Inconsiderata, & muliebris est hæc petitio.* Tales sunt mulierum nuptarum solicitudines, quibus se se adeò commu ittunt viris, vt relicto Deo ad viros in omnibus confugiant. Quid inconsideratius? Quid stolidius?

Text. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

§. XIIII.

Dei seueritas indicium solet esse appropinquantis misericordiæ.

NON absterretur virgo fabricatis Dei reprehensionis sermonibus, immò vbi quasi exasperatum vidit filium, pignore capto miraculi proximantis, ministros monet, vt in omnibus Iesu pareant. Cananææ postulanti pro filia absterus, & supercilios us respondet Saluator. Mat 25. *Non licet mittere pa-* Matt. 25.
nem filiorũ canibus. Ad hæc sapiens, & fortis mulier: *Etiã Dñe, nã, & catelli comedũt demicis, quæ cadũt demẽsa dominorũ suorũ.* Repellitur,

& vt canis probroſe reijcitur, & tamen maiori inde concepta ſpe, inquit, etiam Domine, &c. Quæ eſt tua hæc ſpes mulier? Vocaris canis, & adhuc ſperas? An percepiſti contumeliã? Pulchrè D. Baſ. Sel. orat. 21. inquit. *Etiam Dñe, contumeliã tenet, curationis pignus.* Et quidẽ, vbi amor eſt, ſeueritas, & rigor præſentiſſimũ ſolet eſſe pignus gratiarum. Huc vocãda eſt illa Ioſeph calliditas Geneſ. 44. qua ſe propitiũ, & gratũ erga fratres immerẽtes oſtendere voluit. Iubet enim, vt abeuntibus illis, in vterini fratris Beniamini ſacco Scyphus aureus abſcõdite deponatur, vt illũ hoc aſtu tenere poſsit reũ furti. Quid plura? Sciphus abſcõditur, abeũt fratres, ſed non multũ cõfecerãt itineris, & ecce vobis, qui Scyphũ requirat; ſcrutatur omnia, tãdẽ venit ad Beniamini ſaccũ, & ibi Scyphus inuenitur. Quæ tũc facies rerũ? Quæ tribulatio fratrũ? Quales Beniamini anguſtiæ? Rapitur ante ſeuerũ iudicẽ, accuſatur ingratiſsimi furti; damnatur miſera ſeruitute. Sic bone Ioſeph affligis dilectũ? Cur tot congeris iniurias in caput tibi amantiſsimum? Non iniuriæ cẽſeãtur, quæ à tanto dilectore proficiſcuntur, ſed gratiarum pignora, quibus & illũ, & totã familiã ſtatim afficiet. Ambr. lib. 2. offic. c. 16. inquit: *Reum ſtatuit rapina, vt obſidẽ teneret gratiæ.* Tota hęc iniuriarũ facies, tribulationũ fabula inſtituebatur, vt ingentiũ beneficiorũ, & gratiarũ iã iã aduentantiũ obſes cõſtitueretur, & pignus. Quo reſpiciebat Habacuc c. 3. aiens. *Cũ iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Quippè Dei ira, & rigor ſolet eſſe ſignũ miſericordiæ aduentantis, vt dicat deuotiſsimus Idiota lib. 2. de Vera patientia: *Cũ ſentio te iratũ, tunc maximè confido te eſſe propitiũ: quia cũ iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Prudentiſsimè, qui iram, & ſeueritatẽ Dei ſentit, eiuſdem miſericordiã proſpicit aduenientẽ; cuius certiſsimum pignus, & ſignum in ipſa ira eſſe ſolet. Zacharias Luc. 1. ab Angeli ore ingẽtes gratiarum promiſsiones accepit; adeoq; propinquũ eſſe beneficiorũ omnium theſaurum audiuit, vt dubitaret, an verus eſſet Angelus, qui loqueretur, & tantam ingentiſsimi boni propinquitatẽ annunciaret. Cui Angelus: *Ecce eris tacens, & nõ poteris loqui, vſq; in diem, quo hæc fiant, pro eo, quod non credidiſti verbis meis.* Qualis erat culpa Zachariæ, quæ adeò ſeuerè punitur? Sanè, vt placet Maldonato, & alijs, culpa leuis fuit, cur ergo tanta pœna infligitur pro culpa leuiſsima? Non ea erat pœna, quæ tam dabatur pro culpa, quam pro pignore, pro ſigno, pro obſide appropinquantis gratiarum fluminis. Chryſolog. ſerm. 90. *Veniabiliter non credendi Angelus pœnam ſigni tantum dedit non perfidiæ.* Attendit Angelus, non tam quid Zacharias peccaũerit, quam quid ſperare deberet; & vt eius ſpem firmaret non pro culpa, ſed pro ſigno, & pignore pœnam dedit; quam qui patitur maiorem debitis, non poteſt dubitare miſericordiam diuinam aduentare, eiuſque gratias iam proſoribus eſſe.

Ioan. 7. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudęorum capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Ieſus: implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum, & dicit eis Ieſus, haurite nunc, & ferte Architiclino.

§. XV.

In ſuo quiſque munere, & ordine conſiſtens a Deo ſpectet magna.

QVI vini defectum ſupplere volebat, ſatius iuſſiſſet, quod aqua in vinum conuertenda infunderetur in dolijs, in quibus eſſe conſuerat vinum, non in hydrijs. Verum Dominus non iuſsit, vt vaſa vinaria implerentur, ſed aquales, vt diſcat vnuſquiſque, quam intra ſuum ordinem, & ſtatum poſsit magna Dei opera præſentire. Aqua in ſuo vaſe contenta nobiliſsimum vini ſtatim cõtingit virtute diuina. Sic in ſuo quiſque ordine manens quæcumque Dei magnalia pertinget. Prudentiſsimus ille adoleſcens Dauid inſueta prælia viſurus, & ad inſuetas victorias ſe accingens, tamen intra aſſueti muneris arma ſe continet. Cum vaſtiſsimo milite pugnam inijt; & qualia arma ſumit? An ad caſsidem recurrit. An militares aſtruit ignes? An gladios accingit? Abſit hoc à paſtore; pulchrè Franconius Abb. tom. 5. de gratia, inquit. *Bellica autem arma non requirit, baculum paſtoralem, vt paſtor accepit, & quinque limpidiſſimos lapides.* Paſtorem agit etiam cum militibus præliaturus, & dum intra noti muneris arma ſe continet; victoriam etiam militum potuit pertingere. Præclare paſtor à funda potius, quam à gladio militares etiam triumphos perquiret; quia funda paſtori notiſſima, gladius non item. Vtiam hinc

omnes

omnes ſaperemus adeò, vt intra proprium quiſque munus ſe velit continere, nec extra id, quod proprij muneris eſt, ſperaret triumphos; Moyſes item ille, dum cuſtodiendis ouibus dat operam, illaſque per deſertum ad paſcua ducit, Iſraelitici populi dux efficitur; in tanto tamen populi ducatu, nunquam aliud in manu eius video, niſi virgam, qua oues agebat. Si Ægyptus percutienda eſt, Moyſes exerit virgam, ſi mare diuidendum, & ibi Moyſis eleuat virgam, ſi aquæ è ſicco ſilice auriendæ, ſi mirabilia alia patranda, ſola intereſt Moyſis virga. Cur omnia conficis, & tam mira, & tam diuina, ô Moyſis, vna eleuata virga? Ne extra paſtoritiam artem, in qua educatus fuerat, & quam, vt proprium munus coluerat aliquid videretur ſperare ſublime. Diu. Baſil. Seleu. otat. 26. *Neque cum ab ouibus oculos Moyſes amouiſſet, artem paſtoritiam deſijt, ſed comprehenſa virga elementis imperabat.* Cœleſtia, & diuina pertinges, dum te intra proprium munus contineas, in illo, quem elegiſti, ordine conſiſtas. Quid magis remotum ad imperandum elementis, quam paſtoralis virga? Ad militares triumphos quid debilius, quam ſola funda? Et tamen, qui paſtor erat, dum à ſe cultam non deſerit paſtoritiam, intra fundæ rotam claudit regales triumphos, & in eleuatione virgæ elementis imperat. Magna, mihi crede, cõficies, ſi in ordine conſiſtas tuo; & tuo licet paruo inſiſtas muneri. Nec aliunde euidentius patet appropinquare alicuius finis, & excidiũ, quam ſi ab aſſuetis ſibi, in extranea inclinet. Matth. 9. *Acceſſerunt diſcipuli Ioannis dicentes. Quare nos, & Phariſæi ieiunamus, &c.* Quibus verbis acutè, & pulchrè colligit Chryſolog. inuidentiæ phariſaicæ finem, & exitium. Quia cum proprium ſit inuidentiæ officium diſidia, & ſeparationes ſeminare; hic inuenitur adunaſſe Phariſæos, & Ioãnis diſcipulos, ſic enim ait ſerm. 31. *Cum diſcipulis Ioannis, quæ ſocietas Phariſæis? Niſi quod iũxerat inuidia, quos diſiunxerat diſciplina. Hic iam ſua perdidit iura zelus, iunxit diſiungere conſuetus.* Non durat in munere, quiſquis ad extraneum ſibi traducitur.

Baſil. Sel.

Matth. 9.

Ioan. 31.

§. XVI.

Diuiniſsimi hominis eſſe non inflexibiliter proprio hærere conſilio.

PAVLO ante dicebat Dominus, *nondum venit hora mea*, nimirũ, qua miracula vellet efficere, & his dictis ſtatim operi incũbit. Si non venit hora, ô bone Ieſu, cur ſtatim facis? tã parua enim mora, quæ interceſsit inter dictũ illud, & opus nõ videtur ſufficiens, vt comuniter dici poſſet hora iã veniſſe. Nã quod ego intra horæ quadrantẽ facturus ſũ, vſitatius dico me iã id facere, quã nondũ eſſe tempus. Sic. Ioa. 13. dicitur ſciẽs Ieſus, quia venit hora eius, & nihilominus nõ ipſe tũc paſſionis pũctus erat, ſed quia propè inſtabat, & iã pro foribus erat, ideò iã paſſionis hora dicitur eſſe. Sic ſimiliter in præſenti ſi tã propè erat hora, neſcio quo vſitatu Ieſu potuit obijci horæ abſentia, præcipuè cũ res non agebatur de momẽtis. Cur ergo dicis Ieſu Dñe, *nondũ venit hora mea*, & ſtatim iubes parari opus? Crediderim in Chriſto primã fuiſſe voluntatẽ, & conſiliũ, quo nõ expectata matris interceſsione tũc facienda, vellet miraculũ longius differre, iuxta quod conſilium, & voluntatẽ præclare dicebat, nondũ venit hora mea. At poſt peractã Mariæ interceſsionẽ crediderim propter illã elicitã fuiſſe in Chriſto Dño aliã voluntatẽ, & conſiliũ, quo abſolutè, & ſimplĩciter volebat ſtatim, ſine mora miraculũ perficere. Sapiẽtiſsimi enim, immò diuiniſsimi hominis eſt, nouis attẽtis circũſtantijs noua variare cõſilia. Luc. c. 2. duodenis cũ eſſet Ieſus Ieroſolimis mãſit inſcijs parẽtibus, vt Ieroſolimorũ Doctores inſtrueret de aduentu Meſsiæ, ibi requiſitus inuenitur à matre, cui ſic ille reſpõdit. *Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſe nõ intellexerũt verbũ, quod locutus eſt ad eos. Et deſcẽdit cũ eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Ecce tibi in primis queritur Ieſus, quod à parẽtibus quæreretur; nollet enim quęri, ſed Patris diuini operibus inſiſtere, & populorũ doctrinis; id quod faciebat. Nihilominus, vt vidit Marianas lacrymas ſtatim poſito illo diuini Patris opere, nimirũ, poſita populi doctrina, cũ Maria abijt, eiuſq; voluntati ſe ſe tradidit per tot tẽpora. Cur hoc Dñe? Si cupis populorum doctrinis nauare operã; & quidẽ cupis, ſiquidẽ doleſte quæſitum fuiſſe, cur tam cito deſiſtis ab incepto opere? Cur tã cito mutas mentem, & conſiliũ, & relicto patris negotio te totũ cõmittis voluntati Mariæ? Sanè id factũ à Ieſu fuit, vt doceat, quã decet diuiniſsimũ hominẽ non inflexibiliter adhærere proprio conſilio, ſed vel propter cõdeſcenſum ſcire mutare illud. Rẽ pulcherrimè tractat. D. Ber. ſer. 3. de Reſurrect. vbi ſic finit. *Quid erat, inquit, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? At illi non intellexerũt verbũ. Et quid fecit verbũ. Non capiebatur in ſe, deſcẽdit ita vt eſſet etiã ſubditus illis. Quis iã nõ erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſuum ſapientia deſeruit. Sic mutauit conſilium*

Luc. 2.

Bernar.

ſuum, vt quod iam tunc cæperat, ex tunc vſque ad triceſsimum ætatis ſuæ annum prorſus dimiſerit. Nil Ieſus voluit vnquam, quod bonum ac perfectum non eſſet; & tamẽ, vt notat Bernard. à ſententia nouit diſcedere ſua, & bona, & perfecta, & ad paternum opus conducenti; ab hac, inquam, ſententia diſcedit, vt maternis lacrymis, & doloribus, & deſolationi condeſcendat, eius voluntati ſe credens. Et quidem nunquam ſapientem, & bonum virum habui illum, qui certis ſententijs, & dictaminibus ab omni circunſtantia abſtractis ſic adhæret, vt nulla ratione, nullis precibus, immò nullis damnis imminentibus ab illis poſſit dimoueri. Satius monebat Prouer. 11. nimirum: *Salus autem, vbi multa conſilia*: quaſi non ſolum ad ſalutem conducat bonitas conſiliorum, ſed & numerus: vt ille ſibi ſalutem promittat, qui non vnum ſolum conſilium habet, ſed & multa alia, quæ pro rerum occaſionibus poſsit variare. Eſter 1. Aſſuerus iratus contra Vaſthi: *Interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant.* Hebræus explicatius dicit: *Et dixit Rex ſapientibus ſcientibus temporum*: quippè ille ſapiens ſolus, qui tẽporum circunſtantias, & occaſiones ſcit rectè perpendere, & trutinare, & prout res, tempus locus, & aliæ circunſtantiæ tulerint, ſententiã vel molleſcere, vel exacerbare. Quo expectauit Caietanus, fatus: *Conſultauit ſapientes ſciẽtes temporum, hoc eſt, pollentes notitia occaſionum euentientium, in temporibus, ad prouidendũ quid facto opus ſit.* Et quidem, qui ſententiæ vni, ſiue dictamini ſic adhæret, vt nullam rationem temporis, & occurrentium aliorum, ſiue cõmodorum, ſiue incommodorum habeat, miſere aberrabit, & eo miſerius, quo ſpecie religionis, & melioris boni fallatur. Vndè Diu. Bernard. ſupra ſic monebat. *Lepra proprij conſilij eo pernicioſior eſt, quo magis occulta, & quãto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanior eſſe videtur. Hæc illorum eſt, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo ita, vt nullis velint conſilijs acquieſcere. Hi ſunt vnitatis diuiſſores, inimici pacis, charitatis expertes, &c.* Et merito rigida horum mens, & flecti neſcia dicitur charitatis expers, quæ ne â ſuo deuiet conſilio, nil æſtimat aliorum præcipitia.

Bernard. Prouer. 11. Eſter. 1. Caiet. Bernard.

§. XVII.

Iudæorum perfidia nullo iam flumine, ſed ignium flammis purgari debet.

VIDE, cùm lex pollebat, quam parua aqua ſufficiebat ad purganda Iudæorũ crimina; quippè ait: *Erant ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudæorum:* Quaſi in hydria, vel aquali eſſet, quidquid ſufficeret, vt Iudæorum tolleret immunditiem. Vbi autem Chriſtus aduenit, & miraculoſis operibus cæpit clarere: ſic perfidorum creuit inuidia, ſic creuerunt crimina, vt maiori iam lauacro egerent; iam non hydriæ, ſed vix fluminum fluenta pleniſsima ſufficere poſſent. Vndè apud Lucam cap. 2. de Præcurſore Domini dicitur: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Non ad hydrias, ſed ad Iordanem acceſsit, vt doceret, quam inde maiori lauacro Iudæorum egerent maculæ. Chryſolog. ſerm. 137. *Venit ad Iordanem, quia Iudaicas ſordes non poterat hydria iam lauare, ſed flumen. Sicut ſcriptum eſt: erant, inquit, hydriæ lapideæ ſex, ſecundum purificationem Iudæorum.* Et vtinam ibi ſtetiſſet Iudæorũ perfidia, quæ vel integro flumine lauaretur, ſed ſic creuit, vt non ſufficiant nec hydriæ, nec flumina, ſed ardentes ignes ſint neceſſario addendi, vt inueteratas adeò maculas conſummant, id monebat Dominus antiquitus educens populum ex Ægypto permanere rubrũ, & antecedens eum in columna ignis. Etenim habes Exod. cap. 3. *Nunquam defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem coram populo.* Cur columna ignis? Oſtendebatur iam ex tunc eorum labes ſic inueteranda, vt cui non ſufficerent omnes maris vndæ, adderentur flammantes ignes. Non longè abeſt Diu. Zeno ſerm. 11. in Exodum, fatus. *Colũna nubis Iudæa te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt oſtenderet arſurum.* Equidem præoſtendebantur tempora, in quibus nihil valerent hydriæ, nihil flumina, nihil Maria ad purificationem Iudæorum, ſed opus fore ferro, & igne. Sic Ioann. 18. vbi ad Ieſu comprehenſionem vẽtum eſt, dicitur: *Iudas ergo, cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus, & Phariſæis miniſtros: venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Quæ verba expendens. Diu. Ambroſ. eleganter ponderat in laternis, & facibus ibi adductis funeſtiſsima incendia, quæ exinde parabantur ad Iudæorum labes depellendas. Ait enim in Pſalm. 37. perſecutorum turma venit cum laternis, & ideò incluſam eis lucem videre eorũ oculi nequiuere; venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quam ſplendoris in lumine. *Denique facibus mortuorum cadauera ardere conſueuerunt. Sibi ergo Iudæi iam ferebant incendia, qui perſequebantur ſalutis auctorem.* Nullo flumine poteſt elui tantum nefas, flammarum vorticibus eſt protinus abſtergendum. Nouerint hinc Principes

Luc. 2. Chryſol. Exod. 3. Zeno. Ioan. 18. Ambroſ. pſal. 37.

pes Christiani, qualiter purgandæ sunt Iudęorum fęces, non purgabuntur, etsi in illas influat Iordanis, etsi totum mare accedat; ad ferrum, ad ignes veniendum est, quidquid his minus est nihil proficit in tam obdurata labe huius gentis. Præclarissima est in hac re Diu. Augustini sententia. *August.* Is enim Tract. 11. in Ioan. cap. 3. fatur: *Nabuchodonosor Rex laudibus trium puerorum commotus, vbi vidit maiestatem Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego ponam decretum omnibus tribus, & linguis in omni terra. Quale id decretum? Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Rex Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt, vt sæuiant Reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur.* Ferro equidem, & igne expurganda sunt crimina eorum, qui inueterato odio in auctorem salutis nostræ rebellant.

Text. Vt gustauit Architiclinus aquam vinum factam, & non sciebat, vnde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum Architiclinus, & dicit ei, omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.

§. XVIII.

Dei munera præstantissima, quæ sola nouit Deus dare.

ET vinum fecit Dominus, & non quälecumque vinum, sed præstantissimum vinum; quamuis enim Deus in promptu habeat omnia, & mala, & mediocria, & optima, quasi nescit alia præstare, nisi quæ optima sunt, vt vel ex excellentia doni à Deo profectum cognoscatur. De bono parente querebundus ille filius aiebat apud Lucam cap. 15. *Luc. 15.* Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. Vide, quam egregiä de diuino Patre querelam, quod non dedisset hædum; & quando bonus pater adeò sinistra dona nouit dare, qui, vt nos ab hædis separaret, filium suum vnigenitum vitulum saginatum mactauit, & dedit in pabulum? Præclarè Diu. Hieronym. epist. 146. ait. *Nunquam Pater dat deteriora munera, habēs vitulum saginatum, ingredere, manduca cum fratre. Non habes à Patre, qui bona dona semper sciuit dare.* Sunt equidem à sinistris Dei hædi plurimi; sedet ad dexteram eius vitulus saginatus, seu agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & vbi ad dona venitur, nihil de hædis, nihil de sinistris à tanto parente accipimus. Is enim est diuinissimus Pater, qui dimissis deterioribus, semper optima quæque largiatur: De repugnantibus diuinissimo Patri loquebatur Iesus apud Lucam 11. aiens. *Numquid porriget scorpionem?* Non hoc est Dei Patris, qui & si habeat omnia mala, quibus puniuntur impij, tamē ipse nihil ex his nouit dare, sed quod bonum, & quod optimum est, id ipse largitur. Ait Tertul. lib. 4. in Marcion. *Habens & scorpium non dat. Itaque, & Spiritum sanctum is dabit, apud quem est, & non sanctus.* Ecce tibi, & omnium malorum affluentia sub eius est potestate, & nihilominus, nec paruum ex his nouit dare, sed vbi ad dona descendit, ea præstat ex quorum præstantia dator ipse Deus clareat. Equidem patentissimè Deum prodit munerum bonitas. Hinc dicebat Iacob, Gen. cap. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere ad domū Patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Quid est erit mihi Dominus in Deum? An Dominus Creator omnium non habebatur vsque adhuc Deus à Iacob? Absit, sed ex mundiali conditione, & gubernatione Dominus, & Rex omnium habebatur, at Deus tunc manifestissimè clarebat, cum ablatis malis omnia bona humanæ vitæ necessaria largiebatur. A quo stat Philo Iudæus lib. de Plantat. Noe fatus. *Philo.* *Et erit Dominus mihi in Deum: ac si dicat: iam non herili potestate libera erga me vtetur. sed benefica, propitia, & vsque quaque salutari potentia; sublato dominationis metu, & anima deuincta beneficijs mutuam gratiam concilianti-bus.* Tunc Deus dignoscitur, cum nihil timēdum, nihil horrendum exerit, sed ex optimis beneficia sua cumulat, & munera instaurat. Ab illo nihil sinistrum venit, nihil quod hædos sapiat, sed præstantissima quæque munera illius sunt. Matth. 25. ad dextros agnos loquens Iesus, ait: *Venite benedicti Patris mei:* ve- *Matth. 25.* rum ad lævos, & sinistros hædos solum ait: *Ite maledicti.* Quæ verba meditans Origen. *Orig.* hom. 24. in Matth. fatur: Insanctis, nō solum

dictum est benedicti, sed cùm additamento non qualemcũque honorem habente; id est, benedicti non alicuius alterius, nisi Dei Patris. *E contrario autem, quibus dicitur, maledicti, non dicitur maledicti patris mei. Nam benedictionis quidem ministrator est pater; maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna operatus est.* Nosce homo optimi muneris fontes, vnde primam scaturiginem habeant, nimirum, descendunt à patre luminum, à Deo optimo, & maximo, qui nunquam sciuit dare, nisi ea, quæ præstantissima sunt.

§. XVIII.

Vinum nihil veretur.

NON possum non mirari ministrorum huius conuiuij modestiam, & Architiclini impudentiam. Illi & defectum vini viderant, & aquã intulerant, & miraculosè factum vinum sciebant, & tamen prorsus tacebant veriti à Iesu consultum fuisse nuptorũ honori, ne dum nuptias agunt improuidentiæ macula affligerentur. At Architiclinus, vt gustauit vinum statim sponsum vocat in iudicium, eius improuidentiam arguit, quod bonum vinum seruaret vsque adhuc; nec veretur sponsum medijs nuptijs arguere, & offendere; vndè quando infimi ministri tanta pollebant cautela, & prudentia, eorum dux tam imprudẽs apparet? Expẽ de illud textus, *vt gustauit Architiclinus aquam vinum factã, &c.* Vini gustus hoc fecit, qui nihil vnquã nouit vereri. Asportata fuerant in Babylonem omnia vasa aurea, & argentea Ierosolimitani templi, & vt asportata sic reposita fuerunt in thesauris Nabuchodonosor, adeò vt nunquam superbissimus Rex illis vti auderet ad prophana ministeria. Tandem Balthasar Rex non est veritus adducere vasa in concubinarum conuiuia. Sed quando id ausus est? Accipite Danielis caput 5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secũdum suam bibebat ætatem: præcepit ergo iam temulentus, vt afferrẽtur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem.* Expende quãdo dedit nefarium præceptum, non cum cogitat de apparatu conuiuij, sed cum in conuiuio positus esset iam, *temulentus.* Explicatius Græce dicitur: *Præcipit ergo in gustu vini, vt afferantur vasa tẽpli Dei:* Et sanè gustus vini est, qui nihil vnquam nouit vereri, nulli rei habet reuerentiam. Sic in præsenti fatur Theodoretus: *His verbis docet nos Daniel, non solum impietatis exuperantiam, sed etiam damnum ab intemperantia vini profectum: bibens enim Rex, dixit in gustu vini. Obruit enim rationem ebrietas, & incontinentia peperit insaniam, & dicata Deo vasa, quæ Nabuchodonosor in honore habuerat, & ab humanis vsibus separauerat, ea Balthasar, vt communia, & prophana impure attractare ausus est.* Quod cauebat, quod veritus est superbissimus hominum Nabuchodonosor; id in Balthasare gustus vini minimè veretur, vtpote qui nullo vnquam honoris, reuerentiæque tangatur respectu: sed omnia impudentissima faciat, & omnia honesta funditus euertat. Merito Diu. Hieronym. *de vnius vxoris*, viro; vini mala meditatus, ait. *Noe ad vnius horæ ebrietatem nudat fœmora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nescius libidini miscet incestum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt.* Quis iam vel vini gustum non metuat?

Dan. 5.

Græc.

Theodor.

Hieron.

Tex. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, &c.

§. XX.

Prius quisque in se sentiat, quod in aliis effiere curat.

SIGNA incepit Iesus aquas in vinum mutando; sed cur ab aquarum mutatione dedit principium miraculis? Assumendæ erant aquæ, vt homines peccatores in iustos transmutarẽt, vndè oportebat, quod ipsę immutationem à Dei manu præsentirent, quam alijs darent. Quod innuit Diu. Hilar. hic homil. 1. aiens. *Mutantur subito aquæ, homines post modum mutatura.* Consultissime facit, quisquis à se incipit mutationem facere; quã cupit etiam in alijs ipse perficere. Quod enim in te primum expertus, & maiorem, & vehementiorem vim habet, vt possit alijs cõmunicari. Ioann. 11. dicebat Dominus: *Ego sum resurrectio*, & cum posset ad rem diceres ego possum resuscitare; vel ego voco ea, quæ non sunt, ac ea, quæ sunt: vel ego iubeo mortuos venire in vitam, maluit dicere, *ego sum resurrectio*, quibus verbis potius in se esse resurrectionem, quam in alijs monstrabat. Immò inde in se virtutem efficatiorem ad resuscitan-

Hilar.

Ioan. 11

citandos alios ostendit, quod in se ipse sit resuscitandus. Id quod pulchris verbis attigit Chrysolog. serm. 63. fatus. *Quid est ego sum resurrectio? Et non ego resuscito? Quia suscepit hominem, suscepit & mortem, vt qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitat omnes.* Efficacissimè instruitur, vt alios in vitam trahat, qui priùs in se nouit ex morte haurire vitales auras. Qui nunquam sciuit se ad vitam mouere, mirum erit si vnum possit totò adhibito conatu in vitam trahere. Diuo Petro dicitur Lucæ 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Expende, quod non iubeatur ad orbis cõuersionem ire, nisi priùs conuersus ipse, quæ verba sic explanat Arnoldus Carnot. *tract. de Christi verbo sitio.* Vbi sic. ad Petrum loquitur. *Exurge, & bibe de fonte misericordiæ, & aliquando conuersus confirma fratres tuos, & in eadem mensura, quâ propinatum est tibi, remetire eis, & ad formam tuam, qui ceciderit, adijciat, vt resurgat.* Quis efficaciùs misericordiam propinabit, quam qui bibit? Quis melius ex morte in vitam impellet, quam qui mortuus nouit haurire vitam? Quis orbis conuersionem aggredi valebit, nisi qui conuersus fuit ipse? Inutilis, & ineptus est, ad Iesu gratiam seminandam, & conuertendas animas, qui in se nihil gratiæ habet, qui se ad Deum conuertere non amat, & mundo renuntiare. Vndè Diu. Ambros. lib. 10. in Lucam expendens, cui committat Dominus munus conuertendi fratres, ait. *Ille confirmare iubetur fratres suos, qui dixit: Omnia dimissimus, & secuti sumus te.* Nõ antea aptus putabatur ad suadendam vitam fratribus; vitam, inquam, spiritualem, quam ipse mortuus fuerit carni, & sanguini. Et Petrus Damianus sic monebat, epist. 105. *Tu fili mi, vt prædicandi sortiaris officium, imitare vel ouis exemplum. Quæ cum viuit, turpiter balat; mortua verò in instrumentis musicis suauiter cantat.* (Fiunt enim ex eius visceribus suauissimę cordæ,) *sic qui carnaliter viuunt balare cum ouibus inaniter possunt; nouiter explere prædicatoris officium nequeunt.* Necessum est, vt mortem, vel vitam in te experiaris, quam alijs cupis communicare.

Chrysol.

Luc. 22.

Arn. Car.

Ambros.

Pet. Dam.

CAPVT SECVNDVM.

De saturatis quinque millibus hominum.



CHRISTVM, & in nouis veterem. Mare ipse tranans ingentes populi turbas pedites ducit per desertum Bethsaidæ proprium, ad Thyberiadis confines; poterat enim hoc iter, & terra, & mari fieri, vt docet Tol. in præsenti. Iterum mare, iterum desertum, vt iterum parentur diuina pabula. Etenim cum populum in deserta se se secutum verus legislator Iesus aspiceret antiqua victus sterilitate deficere, maximis antiqua solatia reparauit augmentis. Tunc siquidem repentinam multæ volucris carnem, modo duorum piscium redundare fecit quantitatem; tunc vberrimum cœlo manna diffudit; modo quinque panibus distributis totidem virorum millibus epulas abundare concessit. Cæterũ numerus turbæ delituit, mulierum paruulorumque multitudine numerum non habente; quod magis admireris, post expulsam saturatæ plebis esuriẽ cophynos ablata duodecim fragmentorum moles impleuit. Nec tanta fuit copia cum daret, quanta fuit in reliquijs iam fastidiata, cũ tollitur. Denique, qui sic nouit occurre fami; fugit regnum, vt simul Deus fugitiuam famem, & saturitas Deum faceret fugitiuum.

Ioan. 6. Abijt Iesus trans mare Galileæ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur.

§. I.

Quod impedimentum, quos carceres non rumpunt bona, vt malos possessores fugiant.

IEROSOLIMORVM conuentum fugiens Iesus, mare Tyberiadis tran[illegible]; non enim mare, non aquarum vort[illegible]es, non prærrupti saxorum montes, nor[illegible] ahenea mænia detinere possunt fugien[illegible] bona à possessoribus iniquis. Lege hi[illegible]riam de exitu Israel de Ægypto, Exod. c[illegible] 13. vbi de licentia Pharaonis, egrediunt[illegible] Iudæi, immò tam gratiosa accidebat [illegible]ersis Ægyptijs hæc Iudæorum profe[illegible], vt illis proficientibus aurea munera d[illegible]arent. Igitur cum tanta regis, populorum [illegible] gratia proficiscũtur

Exod. 12.

tur, & iter faciunt versus mare rubrum. Sic enim habes: *In conspectu eius castra ponetis super mare. Dicturusque est Pharao super filijs Israel, coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omne exercitu eius, scientque Ægyptij, quia ego sum Dominus. Fecerunt que ita. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus, &c.* Expende hæc vltima verba, nimirum, *quod nuntietur populus Israel fugisse*, populus, inquam, ille, qui de mandato eius proficiscebatur, qui, vt abiret multis donatus est à vicinis muneribus; qui abiens à deserti montibus cernebatur præpeditus, & conclusus; qui vastissimi maris vndis detentus, non putabatur vlterius posse transmeare; hoc ipse nuntiatur, immò creditur fugere. Qualis ibi fugæ locus? Quale fugæ indicium? Quis posset tam gratam profectionem tot montibus conclusam, & tanto mari impeditam habere pro irreuocabili fuga? Sanè is, qui Ægyptiorum bona apud Iudæos esse nouerit, quandoquidem bona, vt ab iniquis possessoribus fugiant, nullum montium, marisque, & murorum impedimentum non rumpunt, & superant. Huic excogitationi proprior adest Rupert. lib. 2. in exod. cap. 31. inquiens. *Nonne hic est Pharao, qui supra dixit: Surgite, egredimini, & benedicite mihi. Quomodo ergo nunc dictum est; & nuntiatum est regi, quod fugisset populus? Petierant filij Israel ab Ægyptijs vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam, & spoliauerant Ægyptios, decurso sic dictum est; & nuntiatum est, quod fugisset populus.* Nec data abeundi potestas, nec montium conclusio, nec mare vastissimum obiectum potuit tollere suspicionem irreuocabilis fugæ, vbi noscebantur Ægyptiorum bona cum proficiscentibus ire, quæ nihil æstimant maria, nihil æstimant aheneos muros, vt malos possessores fugiant. Audisti fortissimos, & insuperabiles muros, quibus Iericò cingebatur, & seruabatur? De hac tamen habes Iosue cap. 7. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis postquã in auribus multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, &c.* Cur muri adeò insuperabiles tam facilè ad tubarum vocem corruerunt? Cur, ô fortissima ciuitas, tam facilè tuis muros cadere? Fecit ne hoc metus hostium? Non id fecit hostium metus, nec hostilia tela, sed ipsa bonorum intra ciuitatẽ existentium natura, quæ vt iniquos possessores fugiat, facilè excutit aheneos muros. Ita Diu. Basil. Seleu. orat. 31. inquit. *Obsessa Iericho murorum ambem exuebat, vt habitatores ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Quis non ad hæc expauescit? Quis malus fidat custodiæ fortitudini, quando bona, vt malos fugiant, maria superant, muros pessundant? Quid Septentrioni; Germaniæ, Britanijs expectandum? Non murorum valentia, non maris feritas impediet, quominus à tam iniquis possessoribus bona tandem fugiãt. Hinc lucem capit locus Isaiæ cap. 16. *Et erit sicut auis fugiens, & pullus inido euolabunt. Sic erunt filiæ Moab in trãsitu Arnon.* Meminit in præsenti Vates captiuitatis Moabitarum, quando complanatis scopulis, & siccato Arnon, à Deo, vt latè ostendit Pater Delruis. 1. part. Adag. 110. res Moabitarum in manus venerunt Israelis. Sed illud expendendum, quod vbi capitur miraculosè Moab dicatur ipsa fugere, sicut auis, & quidem non ab hostili incursu, nec propter hostes tanta captiuitas agebatur, sed vt bona terræ liberarentur à malis possessoribus, quæ vt malos fugiant pennata sunt, & scopulos, & maria superant.

Ruf.

Iosue 7.

Basil. Sel.

Isai. 16.

§. II.

Turpe est homini, quod sibi proficuis creaturis abutatur in aliorum damnum.

PHARISAEORVM rabies à terra sua abigit Iesum in mare Tyberiadis, qui ne mare in tantum profecit, vt à seruitute liberaret, hi maris vndis cogunt molestari Saluatorem, dum illũ trans mare abigũt. Proh scelus Iudæis lethale, quod adeò sibi proficuam creaturam in molestiam Saluatoris cedere non vereantur. Pulchrè Diu. Cyril. Alexand. lib. 3. cap. 11. fatur. *Generatio prauа, & adultera hæc Domino retribuitis? Non erubescitis trans maria illum pellere, qui per medios fluctus à seruitute vos reduxit? Qui per medium mare tutus transiit, & hostem vidit eodem mari submersum, eum à quo saluatus fuit, maria modo transire coegit.* Grandis hæc nefarissimi populi malitia, qui ea meditatur, ob quæ fugienda, maris molestiæ Saluatorem capiunt. Et sanè quandoquidem mare datum fuit Iudæis salutis causa, incredibilis exultationis, & victoriæ initium, hæc debebat esse illis nõ mediocris cũra, ne sua malicia facerent, vt quod sibi ad tantam salutem fuerat datum, alicui esset molestiæ causa. Exodi 1. exijt è dictũ nefarissimum à Pharaone, quo obstetrices Ægytiæ iubebantur, vt in Hebræarum partubus masculinos fœtus protinus enecarent. Quid vrgente regis edicto fœminæ idololatræ facerent? Quid vererentur, quo minus regi obtemperarent? Tamen ait textus: *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fece-*

Cyr. Ale.

Exod. 1.

rent iuxta præceptum regis. Cur regi non obtemperant præcipienti? Non ne Rex ius necis habet in populares? Cur fœminæ regis potestati, & imperio non se se conformarent? D. Aug. serm. 84. de Temp. hanc causam attigit aiens. *Præstiterunt contra regis imperium partium ministræ; noluerunt exercere ad perniciē, quod dixerant ad salutem.* Merito prudentissimæ fœminæ ab abusu salutaris muneris cauent: scientiam obstetricandi acceperant in populorum salutem; illaque, & populis vitam, & sibi victum comparabant, vnde merito timent, ne tam salutare munus earum culpa alicui nocumentum, & pernitiem afferat. Non sic impijssimus homo, de quo Psalm. 15. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Non arguit modo, quod fecerit dolum, sed quod fecerit dolum, sicut nouacula acuta, quæ cum totam accipiat virtutem suam, & vim cædendi, ad ornatum hominibus præstandum, aliquando solet, & vulnus præstare. Sic impius homo, quod accipit ad vitam, nefarissimè conuertit ad dolores, molestiasque causandas. Ambros. lib. 3. offici. capite 11. Dauid quoque ait: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum*, nequitiæ arguens proditorem, eo quod instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatū, & plerūq; vlcerat. Sic ille: quod & tibi, & alijs salutis, & ornatus fuit, nefarissimè facis, si tua culpa conuertatur in damnum. Murmurabant Iudæi, quod Iesus ad homines peccatores diuertisset: ait enim Lucæ capit. 19. *Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.* Errabant miseri, & nocendi materiam faciebant, quæ illis erat salutis occasio. Ingressus enim Iesu ad peccatores, cui hominum non erat salutaris? Nefarie ergo Iudæi rem sibi salutarem conuertebant in pernitiem, & damnum. Vnde Chrysolog. serm. 54. ait. *Tu ergo, qui reprehendis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuerterit Christus, viam salutis, misericordiæ spem de tali ingressu cape: & caue, ne hoc sit tibi blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis.* Quis non insanus suæ salutis occasionem vertat in Saluatoris damnum.

August. Psal. 15. Ambros. Luc. 19. Chrysol.

§. III.

Certa hominis via in quærendo, sequendoque Deo est.

TRANSMARE abscedentem Iesum, immò fugientem multa hominum turba sequitur, & quærit; ideò enim fugit, ideò abscedit sæpe Dominus, vt nūquā nō quæratur, vt nunquā non des operā ad illum insequendū. Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quē diligit anima mea.* Expē de illud, *per noctes.* Nō enim erat vna nox, sed multæ noctes; tot noctes, quot Dei fugæ erant, & quā is frequentibus se fugis dabat Deus, nunq; ā spōsa desistebat, nec deficiebat à quærēdo; & in sequēdo. Quippè amatoriæ sunt Dei fugæ, quibus, & fugit, & se cupit ante videri; & inde amat indesinenter queri. Gillib. Abb. ser. 1. in Cāt. *Per noctes, inquit. Noctes eius frequenter interpolātur absentia sponsi. Cū adest, lux est, cū abest, nox est. Ideò multæ sunt noctes spōsæ: quia multi sunt elapsus sponsi, multæ latebræ. Beata plane, quæ adhæret sponso tota die, & quærit illū totis noctibus.* Tūc perfectissimæ virtutis dabis specimē, nō solū cū semper Deo intimè adhæres, hoc enim impossibile est in hac valle miseriæ, in qua frequentissimæ sunt fugæ, frequentissimę absentię Dei: sed cū omnes fugas Dei tuā comitetur inquisitio. Nūquā fugiēs Dñs terga vertat, quin appareas, & tu quęrēs, & sequēs post terga: & puta, quod tenes viā præstantissimā ad omnia Dei magnalia obtinēda. Hāc viam petebat vnicè sponsa Cant. 1. aiens. *Trahe me post te.* Cur nō potius amatrix anima peteret trahi ante faciē Dei. Quid optabilius sponsæ, quā spōsi facies? Et tamen nō ante spōsum trahi petit, sed post spōsum; vtpote quæ sciuerat viā præstantissimā potiendi pulchritudinē spōsi in inquisitione, & iugi sequela esse. Do D. Ber. ser. 21. in Cāt. fantē. *Scio, inquit, sponsa, me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te; ideòq; precor, vt trahas me post te: quā pauci post te, ò bone Iesu, ire volūt, cū tamē ad te peruenire nemo sit, qui nolit, non curāt quærere, quē tamen desiderant inuenire, cupientes cō sequi, sed nō & sequi.* Errāt misere omnes isti, nec viā veritatis agnoscūt, cū ad Deū peruenire amant, nec vnquā cernūtur Deū sequi. Sola sponsa sciuit tritissimā viam perueniendi ad Deū, & ideò postulat se trahi post Deū. Moysi, qui ardēter amabat Dei faciem intueri, sic fatur diuinū oraculū, Exodi 33. *Ego ostendā tibi omne bonū, ponā te in foramine petræ: & cum pertransierit gloria, posteriora mea videbis.* Ecce tibi petenti faciē, ostenditur tergū pertrāseuntis Dei, & id omne bonum dicitur; quia omne bonū datur homini, cui in hac vita datur, vt abeat post Deū, vt nunquā non sequatur; & quærat abeuntē Deū. Ita Nyssen. alio datus ho. 12. in Cant. fatus. *Quibus verbis docemur eum, qui videre Deū cupit, desiderij cōpotē fieri semper sequendo.* Sequere Deū semper, & habes quidquid bonum potes amare. In facie Dei irascentis, & præ ira abscendentis forsan periculum est, at in ea sequela, qua fit post Deum, ipsum insequendo nullum periculum est: sed via, & tutissimā omnibus, & plana, vnde Isaias capit. 2. *Ingredere in petram abscon-*

Cant. 3. Gillibert. Cant. 1. Bernard. Exod. 33. Nyssen. Isai. 2.

abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini à gloria maieſtatis eius. Ecce tibi iuberis abſcondi in petra à facie Dei irati, & cur iuberis abſcondi in petra à facie Dei irati, niſi vt ſimul docearis, quid inde facias, nimirum poſteriora Dei ſpectare, & poſt Deum ſequi, vt dictum fuit Moyſi poſito in petræ foramine? Procopius ibi ait. *Patet hoc vnum ſuperiorum malorum ſupereſſe refugium, vt nos in petra tegumentum recipiamus, id eſt, vt fidei in Chriſtum firmamentum ſubeamus, quo ſe & Moyſes ipſe Dominum viſurus contulit, itemque, vt ipſi tanquam terræ mandati, conſepeliamur: quo tandem cum illo ſepulti, & peccato mortui in nouitate vitæ ambulemus.* Vnicum eſt & Moyſi, & nobis malorum omnium refugium, nimirũ, vt ad Dei poſteriora attendamus, vt poſt Ieſum in nouitate vitæ ambulemus, eius veſtigia inſectantes.

Procop.

§. IIII.

Vſuræ ſpes generaliſsimus trahendi homines ad Deum hamus.

POST Ieſum abeunt effuſæ ciuitates, quia vident ſigna ſuper infirmos facta; & quis minimè ad vſuram aſpiciens, Deum ſequitur? Quis ſolum Deum, & non ſe in Deo quærit? Iſaiæ c. 6. ait Dominus. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Duo quaſi dubitat Deus, an ſcilicet futurus ſit, qui mitti à Deo poſsit, & an inueniendus ſit, qui accipiat iter ſoli Deo conueniens, nihilque aliud quærat? Ad hæc promptus Propheta reſpondit: *Ecce ego, mitte me*: exorat mitti, quod erat primum Dei intentum, ſed non promittit ſecundum, nimirum, tibi ſoli ibo, quaſi hoc penè inuſitatum creaturæ ſit, quæ ſemper ſe vel in Deo quærit. Diu. Hier. ep. 43. ait. *Notandũ quomodo ad id, quod Dominus dixerat, quem mittam, & quis ibit nobis? Propheta ex parte reſponderit: Ecce ego, mitte me: & de ſequenti tacuerit intelligens nullum hominẽ dignum eſſe, qui Deo pergeret, & omne iter ſuum eius faceret eſſe, qui mitteret.* Aut nullus, aut rarus homo eſt, qui ſic Deo militet, vt nullam aliã viarum ſuarum vſuram ſpectet, niſi obſequium diuinum. Et forſitan aliquis reperiatur, qui hoc efficiat, nimirum, qui ſolum Deum, & nullam aliam vtilitatem viarũ ſuarum intueatur, ſanè id minimè præſtabũt turbæ, minimè id aget multitudo, quæ ſpe proprij lucri maximè ineſcatur, & capitur. Miratur quiſpiam, quã aliter ſe Deus gerat cũ Iob, & cum Apoſtolis; vbi de Iob pugnis agitur, cãpus à Deo decernitur, conflictus notãtur, arma permittuntur diabolo, quibus verũ iuſtũ exagitet, nũdet bonis, percũtiat ſanie, domo pellat, & ſterquilinio, vt in paleſtra ſtatuat. Interea nihil dicitur ad Iob, minimè illi pugna explicatur, nec de coronis duplicandis fit promiſsio. Verũ vbi cum Apoſtolis res agitur, nulla illis proponitur pugna cũ diabolo, quin ſimul corona, & immortale lucrum aſſeratur: ſic Matt. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorũ, &c.* Cur ergo Iobo nil de præmio dicitur, & Apoſtolis dicitur, niſi quia in Apoſtolis multitudo hominũ inſtruebatur, quæ niſi lucris inæſcata non capitur? Pulchrè D. Chryſoſt. hom. 3. de Iob, ait. *Si non dixit Iob, quare ratione pari Apoſtolis dimicationẽ non tacuit? Solus Iob certauit, pro ſe metipſo deſudauit, Apoſtoli autem erant præcones terræ, orbiſq; Doctores: ipſis occultari poterat lucrum, ſed res mundo detrimentũ fuiſſet, potuerat Paulus ſine coronæ promiſsione certare: ſed non vbiq; Paulus, non vbiq; Petrus. Multorũ animæ infirmæ ſunt.* Vbi vnius hominis cauſa agebatur, cuius virtus rara, cuius fortitudo præſtantiſsima, bene diſsimulantur præliorũ coronæ, negotiorum lucra; at vbi turbarum, vbi multitudinis aguntur cauſæ, non antea paleſtra oſtenditur, quã corona; non antea labor intimatur, quam lucrum aſſeritur inde reportandum. Nec aliunde poterit turbarum affectus magis expugnari, & rapi, quam ex conſpectu vſurarum. Hoc vnum rete in manibus filij ſui poſuit Dominus, quo verrat orbem terrarum, quo vniuerſas populorum ad ſe rapiat voluntates. Abacuc c. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Quæ ſũt hęc cornua? Id eſt munera, largitiones, tropheа, imperia, regna data ſũt in Ieſu manibus, quibus homines ditet, & impleat, in quo poſita eſt tota fortitudo, qua in ſui amorẽ, & ſequelã vniuerſos trahit. Sept. explicatius fantur. *Et poſuit dilectionẽ robuſtã fortitudinis ſuæ:* puta robuſtã dilectionẽ, qua diligitur Ieſus ardẽter à ſequacibus ſuis. Quò ſpectãs. D. Hier. ait: *Id circo regnũ poſuit pater in manu filij ſui, vt faceret dilectũ ſuũ ab hominibus diligi nõ leniter, ſed vehemẽter, & fortiter.* Qui tales manus habet plenas donis ad largiendũ, & ſimiliter habebit turbas, quę currãt in odorẽ vnguẽtorũ, in guſtũ munerũ. Nil enim ſic cõmuniter rapit humanos affectus, quã ſpes lucri. Et faciliũs inuenies in multitudine, qui deteſtetur peccatũ ob inanitatẽ, & falſitatẽ lucrorũ, quã ob Dei offenſam, id quod in prima peccatrice patet, quæ experta miſeriã peccati; fallaciam ſerpentinæ promiſsionis, Deum offenſum, & iratum, ſic lamentatur, Geneſ. 3. *Serpens decepit me*; ſatius diceret: ſerpens me deiecit in peccatum, vel ſerpens occaſio fuit, quod Deum offenderem, quod Dei amorem amit-

Iſaiã. 6.

Hieron.

Abac. 3.

Lxx.

Hieron.

Geneſ. 3.

amitterem, sed non tam hæc æstimat, quam promissionis, & lucri propositi inanitatem, & falsitatem hanc præ omnibus alijs detestatur, & dolet, vt cuius mens tota erat in lucris posita. Acutè Arnol. Carnot. de opere sex dierum, ait. *Arnol.* *Deceptam se dicit, amplius dolens, quod diaboli promissio effectu caruerit, quam quod eius suggestioni assensum præbuerit.* Equidem adeò rapiuntur vsuris humanæ mentes, vt vel inde sequantur, vel detestentur aliquid, si vel vtile, vel inutile sibi inuenerint. Quo iam non miror illam filij prodigi vocem, apud Lucam cap. 15. nimirum. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* *Luc. 15.* Et merito vbi multitudine eorum, qui in domo paterna abundabant, se excitare, & mouere cupiebat, mercenarios meminit, non filios, quia filius vnus erat tantum apud patrem, multitudo autem non poterat esse, nisi mercenariorum.

Text. Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum.

§. V.

Vt solus perfectus vir possit sedere, & quiescere; peccator autem, & imperfectus, & virgæ, & laboribus subiacere.

QVI Dominus à Ioanne in præsenti dicitur cinctus discipulis in mõtem subijsse, idem dicitur à Matth. cap. 14. quod, *exiens vidit turbas.* *Matth. 14.* Ascẽdit cum discipulis; sed exijt ad turbas, scit enim perfectis, & imperfectis se se aptare. Et licet semper disponat ascensiones in corde suo, non tamen se alienat ab his, qui non ascendunt, sed solum per terram ambulant; immò, & nouit cum solum ambulantibus ambulare. Nec prætereundum silentio est, quam aliter exeat ad turbas, & ascendat cũ discipulis. Ascendit cum discipulis illos mille modis gratiæ suæ, & doctrinæ recreans, vt qui sedebat cum illis. Exit ad turbas, quas itineris difficultate, & deserti incõmodis affectas trahebat. Ad imperfectos enim exit Dominus, vt stimulus, quo percussi excitentur; ad perfectos autem ascendit totus gratijs, & sanitatibus plenus. De Iesu apud Isaiam dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Et virga, & flos Iesus est, non tamen, & flos, & virga eodẽmodo se gerit: vt virga exijt, vt flos ascendit; quia vt virga solũ est inter imperfectos, & propter infirmitatem delinquentes, cum quibus pedetentim ambulat, & gradus facit: vt flos autem, quia inter floridos virtutibus viros est, nouas semper ascensiones meditatur. Id quod expendit Origen. homil. 9. in Num. aiens. *Origen.* *Non videtur otiosum, quod exire dicitur virga, & flos ascendere. Quamuis enim vnus sit Christus per substantiam, singulis tamen diuersus efficitur, prout indiget is, in quo operatur. Qui ergo senior est, & negligentior, pro disciplina fit ei Christus virga, & ita virga non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum namque est ei, qui segnis est, de co statu, & transeundum ad alium statum. Qui verò iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus.* Sic nouit Dominus se se aptare suorum gressibus, vt cum imperfectis per macerationem, & castigationem carnis gradiatur paulatim, & pedetentim gradus efficiat, cum perfectioribus montes ascendat, & perpetes volatus edat. Hinc Genes. 28. locutus Dominus ad Iacob, inquit. *Genes. 28.* *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, &c.* Quibus verbis illud in primis notandum venit, nimirum, quod respectu Abraham dicatur esse Dominus, & Deus: verum respectu Isaac solum dicatur Deus: quod inde magis notandum est, quod in Domino quædam seueritas virgæ exprimatur, in Deo autem omnimoda sit suauitas, & beneficentia. Cur ergo, qui Isaaco solum se præbuit Deum gratiosum, & suauem, Abraham Deũ se præbuit, & simul Dominum rigorosum, & seuerum? Abraham nõ semper sãctus, immò in Vr Chaldęorũ natus, altus, & educatus inter idolatras, & peccatores egit, is dum adhuc imperfectus erat, Deũ seueriss imum, & rigorosissimum Dominum experitur, dum iubetur à patria cognatione egredi, & diu errare, & peregrinari super terram; Isaac verò à parentibus sanctissimis natus, & pie, & sancte educatus Deum sibi omni gratiarum genere affluentem inuenit; nullaque castigatione egebat, vt proficeret in melius. Accipite Philonem lib. de somnis loquẽtem. *Philon.* *Caue autem putes temere dici hic Abrahami Dominum, Deumque; Isaaci vero Deum tantummodo: ille enim omnissa externa, barbaraque lingua Chaldæorum vertit se ad cultum creatoris rerum omnium, cuiusmodi homini duarum potentiarum opus est auxilio dominantis, & beneficæ, vt & imperio, legibusque Domini fit obediens, valdeque adiuuetur eius beneficentia. Alter vero sola indiget gratia, nec enim castigatione proficit in melius, innatam virtutem habens, &c.* Itaque turba hominum peccatis innutrita

non ſtatim ad ſublimitatem quietis eleuanda eſt, ſed paulatim virga agenda, & quaſi cũ ſcutica per macerationem, & carnis compunctionem deducenda eſt, vt idem Ieſus exeat in virga ad imperfectos, & vt flos aſcendat cum perfectis in requiem. Temere enim odit rigorem Domini, qui adhuc vnus è turba eſt, & turbatur erga plurima, cum ſolis perfectis viris detur optima pars ſeſsionis, & quietis.

Text. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum.

§. VI.

Oculorum cuſtodiæ inuigilandum eſt.

MIROR, quod inter Ieſu facinora, id Euangeliſta meminerit notare, quod oculos ſubleuaret, rara ſanè erat in honeſtiſsimo Domino oculorum ſubleuatio. Bene Beda in cat. *Beda.* *Dixit cũ ſubleuaſſet oculos Ieſus, vt diſceremus, quia oculos non erigebat huc, atque illuc, ſed pudice ſedebat attentus cum diſcipulis ſuis.* Ea erat in magiſtro mundi oculorum cuſtodia, & modeſtia, vt merito poſſet notari, vbi, & quando ſubleuaret oculos. Notata ſit multorum calculo tuorum oculorum ſubleuatio, quiſquis cupis calculũ ſalutis habere. Ecce tibi, vnde generis humani ſalus primas rimulas fecit, & in miſeram ruinam deuenit, Gen. 3. *Geneſ. 3.* *Vidit ergo mulier, quod bonum eſſet lignũ ad veſcendum.* Nota iſtud, *vidit*, & conſue oculos, ſi amas ſalutem tutius poſsidere. Grauiter D. *Baſil. Sele.* Baſil. Sel. orat. 2. ait. *Vbi legem ſcriptam vides ibi deſiderium coerce, ibi recuſa cibi contactum, vt vitæ venenum. Auerte oculos ne ad tranſgreſſionem traducant: fuge ſpectare, vt ſaluari poſſis.* Quis obliuiſcatur hęc tanti doctoris verba, nimirum, fuge ſpectare, vt ſaluari poſsis: quaſi tota ſalutis ſpes conſtituatur in ictu oculi? Nec id nimis durum videbitur conſideranti florentiſsimorum regnorum excidia ſæpe non tam ab ſpiculorum, iaculorũque ictibus, quã ab ictu oculi fuiſſe profecta. Scimus regnum Iuda ab Aſyrijs expugnatum, omniaque regia decora, & templi ſanctiſsima vaſa in Babylonem aſportata, inſuper etiam Aſyriorum imperium vnica nocte euerſum etiam nouimus; dum enim Balthaſar rex in conuiuium concubinarum ſuarum educit Ieroſolymitani templi vaſa, manus apparet ſcribens in pariete regni mox futurum excidium: quod & factum eſt; Ecce tibi duo florentiſsima regna ſucceſsiue perduntur. Aſyrius vaſtat Iuda regnum, & transfert vaſa, vnde & vaſtationem ſui emercatur: ſed ſcire cupis, qua ex cauſa tãtorũ regnorum excidia dimanarunt? Accipe excidiorum radicem inſinuatam 4. Reg. 20. *4. Reg. 20.* vbi de Aſyrijs hoſpitibus locutus Ezechias, fatur. *Omnia quæcumque ſunt in domo viderunt: nihil eſt, quod non monſtrauerim eis in theſauris meis.* Viderũt, inquit, Aſyrij; vbi autem ictus oculorum datur inordinatus, lethalis eſt, excidia etiam regnorum cauſat. D. Hiero- *D. Hieron.* nym. ad Euſtochium de cuſtodia virginit. ait. *Ezechias theſauros Dei monſtrat Aſyrijs, ſed Aſyrijs non debuerunt videre, quod cuperent. Denique frequentibus bellis Iudea conuulſa, vaſa primum Domini capta, atque tranſlata ſunt ea; inter epulas, & concubinarum greges Balthaſar potat in phialis, &c.* Viderunt Aſyrij, quod non debuerunt cupere, & inde bella, vaſtationes, captiuitates, mortes ſacrilegia, imperiorum excidia pullularunt. Et certe parum poterit de ſalute optinenda gloriari, qui oculos ſuos vagare permittit: vndè nefarius ille vates Balaam tale dedit conſilium Madianitis aduerſus Iſraelem, vt poſitis armis, belliciſque tormentis, totam rem excidij oculis Iſraelitarum committant, obijcientes illis pulcherrimas Madianitarum virgines: ſed præſtat verba nefariſsimi hominis ponderare, qui ad Madianitarum regem, ſic loquitur Num. 24. *Pergens ad populum meum dabo* *Numer. 24.* *conſilium, quid populus tuus populo huic faciet, &c.* Itaque promittit conſilium, quo populus Madianitarum obiectis fœminis faciat perditionem in Iſrael: ſed hæc ipſa verba contrario prorſus ſenſu reddunt Septuag. *Lxx.* fantes. *Conſulam tibi, quid populus hic faciet populo tuo?* Ecce tibi circa eadem verba contrariſsimas tranſlationes, contrariſsimos ſenſus: Vulgata cõſilium refert ad malum, quod Moab Iſraeli faceret: id quod intentum, & à rege, & à Balaam fuiſſe patet manifeſte: Septuag. conſilium referunt ad malum, quod facerent Iſraelitæ Mohabitis: & quidem vtrumque malum neceſſum eſt, vt naſceretur à conſilio, quod rem non armis, ſed oculis committebat. Etenim ab oculorum ictibus binæ naſcuntur perditiones, & eius qui cernit, & eius qui cernitur. Sic ab hoc conſilio, & Mohabitarum ruina orta eſt, de qua Num. 30. & Iſraelitarum perditio, de qua cã. 25. vt pulchrè dicat D. Baſil. Seleuc. orat. 6. *Baſil. Sele.* *Cum Madianitas acie deuicſſent Iſraelitæ, capti ſunt amore mulierũ velut in acie, cũ armis vincerent, oculis labebantur.* Vbi iaculorum nihil faciũt ictus, ſolus oculorum ictus parauit excidia.

§. VII.

§. VII.

Is est Deus, qui videatur non posse non misereri.

VT vidit Dominus famescẽtes turbas quasi nequit Dominus non agere de illorum subleuatione; quod exprimentes Matth. & Marcus, dicunt statim tactum misericordia esse. Non enim patitur esse egentes homines diuina clementia, adeò, vt quando Israelitæ fame erant puniendi, à se iudicium illud Dominus abdicat, & Eliæ tradiderit veritus, quod ipse tandem parceret egentibus. Vndè
3. Reg. 17. Elias 3. Reg. 17. ait. *Viuit Dominus, quia non erit ros, neque pluuia, nisi per os meum.* Cur nisi per os Eliæ? An non satius à Dei ore penderet donum pluuiæ? Sed bene committitur Eliæ pluuiæ negotiũ illo tempore, non enim diuina pietas posset videre tantam hominum indigẽtiam, quin statim subueniret eis. Quod
Basil. Sel. meditans D. Basil. Seleuc. orat. 11. ait. *O lingua, quæ cœlum frenas, ò Domini in homines charitas, seruo permittit, res conditas gubernet! Reueritus siquidem es ardorem pietatis suæ, & Eliæ creaturæ habenas permisit.* Vbi etiam egentibus non subueniendum erat, habenas rerum Eliæ Dominus permittit, quasi caueat sibi ab ardore pietatis suę, nequit enim fieri, vt summa Dei pietas egentes videat, & non curet statim subuenire. Merito apud Isaiam cap. 49.
Isai. 49. aiebat Dominus. *Nunquid obliuiscipotest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Expẽde illud, *nunquid obliuiscipotest:* Tam patent materna viscera filijs suis, vt merito in dubium vocetur, an possit mater non misereri pignori ventris sui? quasi misericordia matris in filios, non tam sit opus liberæ voluntatis, quam opus naturæ. Et nihilominus Deus vincit in misericordia vniuersas matres, vtpote cui quasi minus liberum sit miserendi opus, & in quo misericordia erga indigentes sic prompta appareat, vt opus naturæ videatur. Quò spectat illud ad Co-
Ad Cor. 1. rinth. 1. vbi Deus vocatur à Paulo: *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Alibi sæpe vocatur Deus dominator terræ, vel Dominus cœli, & terræ, vbi verò de eius misericordia res agitur, non Dominus, sed Pater dicitur misericordiarum. Cur Pater, & non Dominus? An vt ostendatur misericordia in Deo tam prompta esse ad
Anselm. subueniendum, quasi non esset opus voluntatis, sed naturæ. Id insinuat D. Anselm. ibi aiens. *Ipse dico, Pater misericordiarum, quia ex visceribus eius proueniunt in nos misericordiæ eius.* Sic promptæ, & citæ, & certæ proficiscuntur à Deo in nos misericordiæ, vt plus videantur naturę, quam voluntatis opus; à visceribus, quam ab arbitrio nasci. Id quod explicatius ait Philo lib. de mundi opificio, vbi fatur: *Deus ad benefaciendum natura* Luc. 15. *propensus est.* Patet hoc Lucæ 15. in cœlesti patre: ab illo receserat filius, qui posti substantias dissipatas ad patrem reuertebat. Quid tũc pater? *Cum autem longè adhuc esset, vidit illum pater suus, & misericordia motus est, & accurrit, &c.* Non dum filius terebat patris limina, nondum pulsabat ad ianuam, adhuc erat longè, & iam pater subleuat oculos, & cernit egẽtem, & misericordiam accelerat, quasi non posset amplius expectare, accurrit filio. Vndè
Chrysolo. hoc vidit? Pulchrè D. Chrysolog. serm. 2. *Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, qui intercedit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam.* Ecce tibi, vt est naturæ opus, opus misericordiæ ad quod non tam arbitriũ, quam nescio, quo quasi coactu vrgentur, & feruntur viscera patris.

§. VIII.

Diuinæ misericordiæ lincei oculi sunt, ad videnda subueniendi motiua.

NON prætereundum est, quàm citò Iesus vidit omnia motiua, quibus ad miserendum moueretur, ait enim. *Cum subleuasset Iesus oculos, & vidisset, &c.* In primo oculorũ ictu, statim inuenit; cur posset velle subuenire. Lincea est Dei misericordia; ne prætereat, vel leue motiuum, quo possit alicui subuenire. De filio prodigo ad patrem reuertente dicitur Lucæ 15. *Cum autem adhuc longè esset, vi-* Luc. 15. *dit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens, &c.* Adhuc longè à Deo erat, & nihilominus à Deo cernitur, & quidem qui lõge adhuc à Deo est, vix parua aliqua habet, quæ vellet Deus aspicere, vel quę in oculis diuinis possint apparere. Vndè ergo venit, quod à Deo parua, & minima opera, quæ minime valent te approximare, nihilominus respiciantur à Deo. Facit id incredibilis Dei misericordia, quæ linceam vim exerit, ne vlla prætermittantur motiua miserendi, quamuis minima, quamuis remota. Pulchrè in præsenti Eu-
Euthim. thim. ait. *O visum cõpatientis accutissimũ, simul vt quis respiscere in animo cogitauit, hunc etiã simul ipse vidit: paratus semper ad eorum, qui conuertuntur susceptionem.* Accutissimus est, linceus est Dei miserentis visus, quo vel remota, & minima ad vitam aliquomodo venientia

vidit, probat, admittit, & in perfectum ducit.
Ioann. 1. Ioann. 1. ad Nathanalem dicebat Dominus. *Cum esses subficu, vidi te.* Et quidem sub ficu erant vniuersi peccatores, quando Adamus peccauit, & pruriginem carnis sentiens ficus foliis verenda contegit. Adumbrabat tunc ficus latitantes, & fugientes peccatores; nullus homo tunc cernebatur, non fugitiuus a Deo, non sepultus ingenti peccatorũ caligine. Omnia tenebrosa, tunc erant, omnia inaspectabilia, omnia reiectitia, & nihilominus inter tot tenebras, inter tot caligines peccatorum, sic erat perspicax, & acutus miserentis Dei oculus, vt vel minimum ex his, qui ad salutem vẽturi erant, cerneret. Et ficus opacabat, & peccatum obtenebrabat, & tamen agnellos suos Deus prospiciebat, & promouebat parua tũc
Rupert. misericordiæ media. Pulchrè Rupert. lib. 2. in Ioann. ait. *Vidit enim non solum Philippum, sed & omnes electos suos, cum essent subficu, vidit misericordiæ suæ oculis, id est, cum primus parens illorum factus mandati transgressor, confutis ficus foliis pudenda contegeret. Iam tunc vidit eos, & miseratus est, iam disponebat misericorditer, quo illos ordine à præuaricationis reatu liberaret.* O visum compatientis acutissimum! Inter tot armenta peccati, inter prope infinitas caligines, vidit miserens Deus suos agnellos. Pusillus electorum grex, tam longè positus, & tanta peccatorum caligine, & mortis vmbra circumfusus, miserentis nihilominus oculis
Isai. 2. tangitur, cernitur. Isaias 2. apud Septuag. ait, *Ingredimini in petras, & abscondimini in terram à facie timoris Domini, & à gloria fortitudinis eius, quando surrexerit frangere terram. Nam oculi Domini sublimes.* Circa hæc verba pulchram quæstionem facit Procopius, cum ex vno capite diuinorum oculorum perspicacia commendetur adeò magna, vt nihil illam possit latere; & ex alio capite iubeamur abscondi à facie Dei confringentis terram. Quid enim est dicere, oculos Dei sublimes esse, nihil non videre, & postea iubere, vt fugiamus ab eis? Quid iuuat fugere in cauernas, si nihil Deum latet? Equidem iubemur fugere à Deo confringente terram, nõ à Deo miserente? immò fugitiuis, & reiectitijs hominibus hoc datur solatium, quod quamuis lõgissimè sint, quãuis defossa humo absconditi, quamuis tenebrosis cauernis circumfusi, ne desperent, quia oculi Domini sublimes adeò sunt, vt non possit illos latere, vel minimus agnellus suus. Necdum ibi agniculus primum dat balatum, & simul illum Dominus vidit, & agnoscit suum
Tertũl. Tertullian. lib. de Præscript. ait: *Sed oculi, inquit Isaias, Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoscit Dominus, qui sunt eius.* Tota oculorum diuinorum perspicacia eo tẽdit, vt suos vel à minimis signis, vel longissimè positos cognoscat: nullumque sit adeò paruum, cõducens tamen ad suorum salutem, quod non videat; & qualemcũque occasionem salutis promoueat, & augeat. Id quod idem Isaias notabat, cap. 42. de Iesu
Isai 42. fatus. *Lignum fumigans non extinguet.* Vbi Procopius dicit, quod non desint, qui lini fumigantis appellatione velent significari hominẽ terrenum, qui virtutis, aut pietatis scintillam exiguam sibi reliquam fecit. Hanc tamen scintillulam non prætereunt lincei miserentis Dei oculi, sed potius illam approbant, & promouent.

§. IX.

In eleemosynis faciendis videnda est, & notanda maior necessitas pauperis.

DISCE à Magistro misericordiæ ordinem, quo se ad subueniẽdum pauperibus accingit, nimirum, prius subleuat oculos, vt videat turbas, ante quam panes sumat in manibus. Cur hoc? Vt & tu prius notes oculis necessitates, & deinde minori præferas maiorem, ne exhausto penu circa minus egentes, non possis occurrere grauiter laborantibus.
Ambros. Sic monebat D. Ambros. lib. 2. officior. cap. 16. *Non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quam vox pauperis. Veniunt validi, veniunt nullam causam, nisi vagandi habentes, & volunt subsidia vacuare pauperum: nec exiguo contenti maiora quærunt, ambitu vestrum captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum: his siquis facile deferat fidem, cito exhauriet pauperũ alimonijs profutura compendia. Modus adsit largiendi, vt neque illi inanes recedant, neque transcribatur pauperum in spolia fraudulentorum. Videndus est ille, qui te non videt, requirendus est ille, qui erubescit videri: ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest.* Hæc Ambros. fatur, à quibus aliquid decerpere piaculum foret, quibus docet non dedecere, quod à misericordi viro maior notetur pauperum necessitas, & quod taliter omnibus præbeat, qualiter maiori, & vrgentiori necessitati videatur prouidere. Id quod insinuat Psalm. aiens: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Nimirum, qui cœco modo, & indiscriminatim non tribuit, sed potius aliquem necessitatis

ordinem

ordinem seruat, & attendit: iuxta quem
D. Hieron. monebat D. Hieronym. Furiam de seruanda virg. fatus. *Intellige super egenum, & pauperem, omni petenti te da, sed maxime domesticis fidei.* Maximè attendendi sunt, & aspectandi illi, qui specialiorem aliunde accipiendi rationem habent. Vndè Clemens Rom. apud D.
Clem. Ro. Damascenum, lib. 2. Paralelorum, cap. 16. inquit. *Beatum sane est super omnem pauperem, & egenum intelligere: quo nimirum prudenter egeno, ac pauperi quis tribuat, maiori videlicet cura, ac diligentia his prospiciens, qui ob virtutem & pietatem in paupertatem, & penuriam inciderunt, aut etiam in eos, quos morbi, vel casus aliquis in egestatem coniecerunt, quam in eos, qui ob flagitia, vel profusos sumptus in paupertatem redacti sunt.* Subleuandi sunt pauperes, sed cum iudicio subleuandi, ita vt suum quisque ordinem habeat, & seruet; ne dum alijs intendimus succurrere, maior obligatio despiciatur.
Isai. 58. Id quod cauebat Isaias, c. 58. *Frange esurienti panem tuum; egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem*
Lxx. *tuam: non despexeris.* Explicatius Sept uag. *Domesticos seminis tui non despexeris.* Nō sic subleuandi sunt accedentes, & occurrentes pauperes, vt propinqui egentes despecti maneant, sed horum indigentia præcipue est spectanda,
D. Thom. subleuanda. Quo refert D. Thom. in cap. 5. epist. 1. ad Timoth. illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, vt charitas, quæ à Deo est in subueniendis pauperibus ordinem habeat sciens, quibus prius, & magis, quibus secūdo, & minus oporteat opem præstare.

Text. Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus.

§. X.

Boni gubernatoris est non velle omnia suo nutu gubernare, sed aliorum etiam expectare consilium.

OMNIGENA sapientia præditus Dominus dignatur à Philippo interrogare, qualiter turbis subuenire posset, vt in hoc præstantissimi gubernatoris specimen ponat, quod dignetur aliorum consilia petere, & expectare. Clauū Ecclesiæ acceperat Petrus, & volens pro Iuda alium in Apostolatu numerare, sic loquitur, Act. 1. *Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda: Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus incipiens à Baptismate Ioannis, vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis, statuerunt autem duos.* Non enim cum Ecclesiæ gubernaculo electiones sibi faciendas præsumpsit, sed & ad illas aliorum fratrum consilia, & calcula expectauit. De quo sapienter notat Chryso-
Chrysost. stom. hom. 3. hæc factus. *Cur non solus à Christo postulauit, vt ipse daret aliquem substituendum in locum Iudæ? Deinde cur non potius per se ipsos perficiunt electionem? iam Petrus erat se ipso factus melior. Hoc ad priorem quæstionem responsum esto.* Quo ergo, quis melior sit, eo minus sibi arrogat in principatu, eo plus fidit consilijs fratrum. Sapientissimus, & sanctissimus erat Moyses, & à Deo acceperat ingentis populi principatum, de cuius incrementis cū ipso Deo quotidie ore ad os loquebatur, vt solet amicus cum amico loqui. Huic tamen viro ausus est barbarus homo Ietro dare consilium de populi gubernatione. Et quid Moyses? An detrectauit consilium? An ad Deum iuit interrogare de accepto consilio? An suspectum habuit consilium non datum à Deo ipso? Audi textum Exod. 18. vbi sic. *Quibus* Exod. 18. *auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* Optimus vir non putauit accepisse à Deo populi gubernaculum, vt ipse suo nutu, nullo spectato consilio fratrum etiam inferiorum gubernaret, & ideo dato consilio statim paruit. Orige. ibi fatur. *Moyses, qui erat homo manu* Orig. *suetus super omnes, accepit consilium inferioris, vt formam humilitatis populorum principibus daret.* Iam inde fideles gubernatores instruebantur, qui nullius consilium detrectarent, qui non adeò sibi arrogarent principatum, vt priæ solum prudentiæ fiderent. Hinc deuastati populi erectionem, & suscitationem promittebat Dominus apud Isaiam, cap. 1. dicens. Isai. 1. *Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Expende, quod non promittit se restituturum, siue erecturum ciuitatem; solum dicit, quod restituet iudices cum consiliarijs, & post hanc restitutionem iam vocabitur ciuitas, & erit vrbs, vbi enim iudex bonos consiliarios auscultat, hoc solum sufficit, vt restauretur, & confirmetur ciuitas. Huius occasione ait D.
Basil. Basil. in cap. 1. Isaiæ. *Sacra quædam res est, consilium, voluntatum vnio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diuerso intolerabilis est superbiæ argumentum existimare se nullius*

egere consilio, sed vni sibi attentum esse, quasi solus posset sibi consilio decernere, quæ optima sunt. Ille princeps præclarissimus est, qui nihil efficit sine sapientum consilio: nec quicquam petit Dominus prius à principibus, quam vt consilia auscultent. Sap. cap. 6. *Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui cõtinetis multitudines.* Et quidem à consiliorum auscultatione felicitas regum summit auspicium. Inde ad felicitatem Iob dicitur, cap. 1. *Quod erat in terra Hus*, nimirum, in terra consilij, iuxta interpretationem Hugonis Cardinal. Prou. 8. vt & splendor regius tanti viri commendaretur ab acceptis consilijs.

Sapient. 6.

Iob 1.

Hug. Card.

§. XI.

Pecuniarum amor præcipue à Christi schola abdicatur.

NON quærit vnde panes educemus; vndè tantæ fami occurremus, sed notãter ait: vndè ememus panes, vt aduertere faciat, quã longè ab schola Christi sint pecuniarum sacculi. Non difficile discipulis Christi in deserto suppeditari copiam panis, qua ingentem hominum multitudinem satient, sed difficillimum, quod Christianæ disciplinæ non absit pecuniarum sagulus. Quia in denarijs erat imago Cæsaris, iubet Iesus Iudæis tributum Cæsari dare, vt sic quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddantur: sed & cum ipse postularetur de denario, Matth. 17. ait Petro. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* In quibus illud venit in primis ponderandum, nimirum, quo mittatur Petrus, vt vel staterem habeat, non ad arcam, non ad sagulum domi clausum, sed ad mare, vt de ore piscis requirat denarium, adeo à Christi limine pecuniæ absunt. Præclare Origen. homil. 3. in Matth. *Nam quia neque ipse habebat eam imaginem, quæ petebatur, neque discipulus suus, docet, vbi valeat reperiri imago, quæ quæritur. Vade inquit, ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperies os eius, & cum inueneris staterem, dabis pro me, & te. Neque ego habeo hanc imaginem, neque tu, si tamen vere discipulus meus es, si portæ inferi non præualent aduersum te.* Neminem sic de imagine sua signat mundus, quam in quo pecuniæ amorem inuenerit; is præ cæteris peccatoribus tenebrarum principi obsignatus est, qui pecunijs indormit. Quam longissimè à Christi schola, à Christi discipulatu pecuniarum abest amor: ille verè discipulus Christi est, cui nec stater est in arca, est in sagulo, sed in mari, hoc est, quam longissimè à corde suo. Nec inuenire est in Christi discipulatu, qui vel staterem vnum in crumena sibi reponat, qui & simul non apponat sibi obligationem ingentis supplicij, adeò, vt in domo discipuli Christi, nunquam inueniatur sagulus pecuniarum, sine verberum adiuncto sagulo. De proditore Iuda auarissimo discipulo dicitur, Ioann. 12. *Fur erat, & loculos habens, & quæ mittebantur, portabat.* Sane penes auarissimum hominem seruabantur totius collegij Apostolici victualia, ipse autem de suæ auaritiæ calculo loculos habebat, thesauros faciebat, quibus pecuniolas occludebat, obseruabat: sed expende illud, *loculos habens*. An non sufficeret, si haberet loculum? Pauperrimi collegij nummi adeò pauci erant, vt vel in parua crumena possint claudi; cur crumenas, cur loculos addit Iudas? Sane auarus Christi discipulus, nunquam potest vnum solum habere loculum, & thesaurum, necessum est, vt plures simul habeat thesauros; nam vbi vnus est ad pecunias, nequit non esse alius ad verbera asseruanda. Necessum est discipule auare, vt non thesaurum, sed thesauros facias, alterum, quo pecunias, alterum, quo thesaurizes tibi iram in die iræ. Ita D. Bernard. in Declamation. ait: *Iudas non loculum, sed loculos habet, vtinam saperes miser, & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari.* Nunquam in Christi discipulatu inuenitur thesaurus pecuniæ, sine iræ, & supplicij thesauro.

Matth. 17.

Origen.

Ioann. 12.

Bernard.

§. XII.

Non exactiones, & tributa in subditos, sed iustæ principum expensæ pecunias affluenter ministrant.

PROH Regem regum, & Dominum dominantium Iesum: populi necessitatibus vt occurrat, vide quid in principum suorũ proponat commitijs. *Vnde*, ait, *ememus panes, vt manducent hi?* O bone Rex, non habes pecuniam, & quæris ex quo loco annona emenda sit? Prouide tibi prius pecunias, vel saltem, nõ vnde emas, consule, sed vndè exigas. Annoua meditãda exactio? An ars aliqua, & industriã colligendis pecunijs introducenda? Nihil de pecunijs agit nobilis princeps, paratus nõ exigere aliena, sed impendere sua, qui vnicus, & certus pecuniarum fons solet esse principibus. Tarentinorum Pyrrhique bellis confracti Romani in summam pecuniarum penuriam deuenere, qua egestate prefsi Iunonis idolum

idolum consulunt, & remedium precantur. Quibus idolum respondit, vt Suidas fert apud Giraldum Syntagmate 3. *Si iustitiæ arma vigemini, pecunia vobis non defutura.* Et consilium probauit rerum euentus; dedit enim iustitia pecunias, quæ ad victoriã sufficerẽt. Id quod eo mirabilius est, quo notat D. Nazianz. orat. ad Iulian. exactorem, ex bellis tributa nata fuisse, & exactiones, quasi impossibile putaretur bella sustentari sine tributorum adminiculis. Abscedat hæc persuasio à mente principum, quando & ipse omnis iustitiæ osor non exactiones, sed iustitiam consulit, vt superfluant pecuniæ. Psalm. 38. *Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem misereturr, & tribuet.* D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 8. *Et fœnerat.* Quasi ingentia lucra, & fœnora non ex iniquis pactis, ex impositionibus duris, sed ex iustitia pullulet. Miraris lucra ex iustitia manare? Et quidem ex iustitia hi pecuniarum fontes nouerunt scaturire, qui extinguant omnem auari sitim. Inter prælia mille, & occasiones sumptuum cõstituit tus rex Dauid clamat Psalm. 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit:* Mille petebatur bellis Dauid, vndique circundabatur hostium exercitibus, quo in puncto, etiam Cræsi, & Midæ peterent exactiones, requirerent subditorum subsidia: & nihilominus hic fatetur, nihil desiderare, omnia sibi suppetere à Deo affluentissimè. Sed quid donauit Dominus Dauidi, quo sic impletus est, vt nihil requirat? Donauit illi virtutum, & iustitiæ thesauros, quibus tanta bonorum copia acquiritur, vt sociari possit auarissimus. D. Chrysost. in Caten. Græca citatus, ait. *Nihil deerit*, inquit. *Magnum est cum Deo nõ peccatur, donat sapientiam, prudentiam, temperantiam, & iustitiã. Cum ista nõ defecerint, quid quæris auarus?* Dum iustitiam seruies, tot scaturient bona, vt nihil maneat, quod auarus sitiat. Et habendi cupiditas sitiabitur, & auri sitis extinguetur, propter bonorum copiam, vbi iustitiæ custodiendæ totus incumbas. Paul. ad Rom. 13. Sic monebat. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributũ; cui vectigal: vectigal: cui timorem, timorem.* Cur inter tributa, vectigalia addidit, & timorem? Fallor; nisi timorem ideo apposuit tributis, & vectigalibus, vt ostendat quo sale condienda sint tributa, vt ad principum emolumentum conducant, vt vel auarissimi hominis sitim penitus extinguant. Etenim vbi Dei timor intercedit, & per eum iustitia, sic omnia superefluent, vt non habeat, quid cupiat auaritia. Huc spectat Nazianz. orat ad Iulian. Exactorem, inquiens, *quia reipublicæ administratione nomen ducitis, quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddite, & quæ Dei, Deo: illi vectigal, huic timorem, timorem autem cum dico, auaritiam prohibeo.* Quippe tributorum exactor non permittat, vt exactio fiat sine Dei timore, sine iustitia, vbi enim hæc intercedit non manet, quæ quærat auarus, explebiturque auri sitis. Hæc tua cura sit, ne aliorum iniuria viuas, sed iustitiam serues, & procul dubio imploberis diuitijs. Deut. 2. *Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam hauriens, & libetis, Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum.* Ecce fontes benedictionis diuinę: fontes vniuersi aumenti, quod nec aquam summas, quin iustum pretium exhibeas, & hoc dicebat Dominus exercitibus Israel, quia vniuersi politici status fulcrum est iustitia. Michææ cap. 3. *Audite hæc principes domus Iacob. Quid ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate,* apud Theophylactũ, *in iniustitijs Propter hoc cai sa vestri Sion arabitur.* Et quidem nullam regnũ stare potest, cuius fundamentum est iniuria, & iniustitia.

Psalm. 38.

Psalm. 22.

Chrysost.

Ad Rom. 13.

Nazianz.

Giral.

Deuter. 2.

Mich. 3.

Theophyl.

§. XIII.

Turpissimum est, nec nummis comparare velle vitæ æternæ ingressum.

NEc casu ait Iesus: *vnde ememus panes*, cùm posset dicere vnde adducemus, vel vnde nobis erunt, sed maluit dicere, *vnde ememus*, vt ostenderet, & primum, & facilius medium ad vitam æternam habendam in eo etiam esse, quod pecunijs possit emi. Venalis est vita æterna, quam Iesus pretioso sanguine emit; quam post Iesum fortes viri innumeris laboribus, doloribus, contumelijs, vitæ, & honoris professione quotidie emunt, quam & tu, si quidem infirmus ad labores, & mortes sustinendas, pecunijs potes emere. Quò referendus est D. Cyrill. Ierosolym. Catech. 9. vbi sic loquitur. *Poterit fanè aliquis per pecunias iustificari: Esurini enim, inquit, & dedistis mihi manducare, omnino id per pecunias. Et vis nosse, quod bona, & opes possunt esse ostia regni cœlorum? Vende omnia, quæ habes, inquit, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis.* Quid gratius audire possunt diuites? Potes homo iustitiam, sanctitatem, cœlestem gloriam pecunijs emere, si pecunias inter pauperes effundas. Quod vel sanguine multi emunt, tu pecunijs potes emere. Quis tantum mercatum prætereat? Quis nolit emere cœlum, quando tam vilibus pecunijs potest acquiri. Luxi aliquando ego miseram virginum fatuarum conditionem: & virginitatis gloria fulgebant, & non minus vigiles, quam prudentes inuenitũ-

Cyrill.

tur, & nihilominùs extrà ſponſi domum manent excluſæ. Cur virgines tam miſere excluduntur, cauſa notatur à Matth. 25. *Nõ ſumpſerunt oleum ſecum*, hoc eſt, iuxta multorum explicationem, eleemoſynę opera nõ exhibuerunt. Sed id attigit pulchris verbis D. Amb. lib. de Ioſeph, cap. 6. inquiens. *Denique illæ virgines in Euangelio, quas veniens ſponſus excluſit, ideò foris relictæ ſunt, quia venale oleum nõ emerunt, vnde dicitur eis, ite potius ad vendentes.* Merito, quæ nactæ ſunt iuſtitiam venalem, quam pecunijs erogatis emere poſſent, excluſæ ab ſponſo ſunt, quia parcentes pecunijs noluerunt emere. Equidem turpiſsimum eſt, & damnatione dignum, quod quis negligat pecunijs emere vitam, Geneſ. 42. *Audiens Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filijs ſuis. Quare negligitis? Audiui, quod triticum venundetur in Ægypto, deſcendite, & emite nobis neceſſaria, vt poſsimus viuere, & non conſumamur inopia.* Quippe intolerabilis negligentia eſt, quod poſsis viuere in æternum per pecuniarum erogationes, & contemnas tam vili pretio tantam emere ſalutem.

Matth. 25.

Amb.

Geneſ. 42.

§. XIIII.

Viri vitioſi minime in conſilium adhibendi ſunt, etſi prudentiſſimi videantur.

VIDE cùm quò de ſubueniendis turbis ágit Dominus, nimirum cũ Philippo, ait enim ad Philippum, *vnde ememus.* Et ibi aderat Iudas, & ipſe cuſtos erat eorũm quæ ad victum Apoſtolici collegij habebantur. Cur ergo non magis procurator, & cuſtos victus adhibetur in conſilium de habendis panibus? Sanè bonus princeps, bonus pater familias potuit pati malum miniſtrum ſuorum, verum nefarium, & vitioſum virum à conſilijs habere non potuit. Pulchre D. Amb. lib. 2. offic. cap. 12. hanc rem tractans, ait. *Quomodo eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat? cuius animum voluptates occupent, libido denunciat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus: Quomodo hic cõſilij locus, vbi nullus quieti?* Vtinam de tanti doctoris halitu vniuerſi ſuſpectos habeamus conſiliarios, quos praui mores infamant. Seductio enim eſt non conſultatio, quoties voluptuoſum virum, & vitijs plenum conſultatem audis, licet alioquin prudentiſsimus appareat. Et quidem in ſerpente typum poſuit Dominus prudentiæ Chriſtianæ aiens. *Stote prudentes, ſicut ſerpentes*, nihilominus, quia ſerpentis verba Eua auſcultauit, inquit Paul. 1. ad Timoth. 2. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Adam audiuit Euam, & Eua ſerpentem, cur ergo non dicitur Adam ſeductus, & dicitur Eua ſeducta? Quia Adam auſcultabat ſociam fœminam, mille virtutibus pollentem, in qua nullus apparebat fallaciæ additus. Eua autem ſerpentem adit, ſerpentem auſcultat, in quo nihil ordinatæ rationis nouerat eſſe; vndè ſeductio erat, quod audiretur ſerpẽs, non erat ſeductio, quod audiretur Eua. Ne dubites ſeductionem eſſe, quoties voluptuoſum, brutiſque moribus viuentem hominem audis, & ſi alioquin prudentiſsimus videatur. Vndè monebat Eccleſiaſticus cap. 37. *A conſiliario ſerua animam tuam.* Et ne putes omnes conſiliarios ſuſpectos, legit Hugo Cardin. *A conſiliario malo*, & ſtatim explicat, quis ſit malus conſiliarius nimirum: *qui male viuit: ſuſpectus debet eſſe, qui male viuit in omnibus ſuis conſilijs, ne ſeducat.* Sit ergo vt ait, Eccleſiaſticus cap. 6. *Conſiliarius vnus è mille.* Non vnus è corrupta hominum fœce, ſed vnus è mille, nimirum ait, Hugo ſupra. *Aliquis ex perfectis:* quaſi bonus, & perfectus vir eſſe debeat, à quo petam cõſilium, fieri enim vix poteſt, vt qui in ſuis moribus turpiter errat in aliquo ſcopum attingat. Saul, 1. Reg. 18. miſit lanceam in Dauidem, ſed non attigit illum, de quò D. Baſilius Seleuc. ait orat. 15. *Ab ſcopo aberrans mores ſuos manifeſtauit.*

1. Ad Tim. 2.

Eccleſ. 37.

Hug. Card.

Eccleſ. 6.

1. Reg. 18.

Baſil. Selt.

§. XV.

Alienum ab Eccleſia principibus tempus inſumere in petenda ratione pecuniarum.

A Philippo quærit Dominus, vndè panes emat, & id non quærit à Iuda, cui commiſſa erat cura crumenæ, ne videretur rationem pecuniarum creditarum exigere. Indignum enim eſſet quod Apoſtolici viri putarẽt ſibi licere tempus inſummere in examinandis œconomis, & pecuniarum rationibus exigendis. Vnus D. Bernard. hæc eleganter ediſſerit lib. 4. de conſideratione ad Eugen. vbi ſic. *Quid Epiſcopo turpius, quam incumbere ſuppelectili, & ſuſtantiolæ ſuæ, ſcrutari omnia, ſciſcitari de ſingulis, morderi ſuſpicionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiuſmodi ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, numerantium ſingula, de minutis, & quadrantibus exigentium rationem.*

Bernard.

Non hæc cura honorat, sed potius onerat, & turpat Apostolicum virum, cuius est vigilare pro animarum custodia, sese iacturis exponere pro commissi gregis commodis. An non turpissimum est, litteraturis pecuniarum exigendarum, negotiantiumque scrinijs, & venditionum, emptionumque schedulis occupatum videre hominem, cui populorum doctrinæ, cœlestium claues sunt commissæ? Hanc à se depellebat maculâ Psaltes, 70. dicens: *Quia nõ cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Quid est introibo in potentias Domini? Hugo Card. explicat, *introibo in prælationem*: quasi hæc sit vox electi ad prælaturam, quem sicut scientia, & rerum diuinarum ornat sapientia, sic etiam valde condecorat ignorantia schedularum, emptionum, & œconomorum litteraturæ. Ad gloriam Ægyptij principis dicitur Gen. 39. quod vniuersam substantiæ suæ curam commiserat fertõ Ioseph: *Nec quicquã aliud nouerat nisi panem, quo vescebatur.* cur non potius similis ignorantia ornet Sacerdotem Christianum? Rem prosequitur eleganter D. Bernard. vbi supra fatus. *Aliter ille Æ gyptius, qui Ioseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens. Mira res satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & quibus suas committant facultatulas non inueniunt. De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est, rara admodum cum præsbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.* Hæc, & alia congerit Ber. in eos sacerdotes, qui sic inuigilant in exigendis pecuniarum rationibus.

Psalm. 70.

Genes. 39.

D. Bernar.

§. XVI.

Regii consiliarii prorsus alieni sint ab auaritia.

INSVPER à Philippo notanter quærit Dominus: quia illa est vox Philippi apud Ioann. 14. *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Ille enim præclarus consiliarius est Regi, qui nouit aliquãdo dicere, *sufficit*, hoc est, qui habẽdi plura cupiditate nõ tenetur, qui quæstus non torretur siti. Meministis. D. Paulum 2. ad Corinth. 8. dicentem sic: *consilium in hoc do*, & sæpe alias se consilium dare manifestè affirmat, & nullus alius Apostolorum inuenitur, qui ita expressè, & manifestè se consiliarium prædicet. Cur ergo Paulus sic se audet consiliarium nominare? Sanè ille ipse de se dicebat ad Philippenses 4. *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse*: ne miremur consilium esse penes Paulum, hominem, qui sciebat dicere, *sufficit*. Ita D. Ambros. libr. 2. offic. cap. 17. inquiens. *Ideo boni vir consilij dicit: Ego ante didici, in quibus sum, suficiens esse. Sciebat enim omnium malorum radicem esse auaritiam, & ideo suo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi, inquit, est, quod habeo, siue parũ, siue plurimum habeam, mihi plurimum est: signato verbo vsus est. Sufficit mihi, inquit, in quo sum: id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quaro amplius. Non superfluit, quia nõ soli mihi habeo, sed pluribus.* Ecce tibi quibus se notis prodat boni vir consilij; nimirum, quod sciat dicere, sufficit, quod plura habendi non torqueatur desiderijs. Ille optimorum consiliorum est vir, qui scit in rebus acceptis sufficiens esse; qui nihil nouit egere, quia plura habendi cupiditate non sollicitatur. Ecclesiast. cap. 37. sic fatur. *A consiliario serua animam tuam. Prius scito, qua sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitauit; ne forte mittat sudem in terram, &c.* Examinandus est, ante quam eligendus, cõsiliarius; sed in quo examinandus? An in prudentia? An in solertia, & perspicatia? Minimè, sed examinandus est de indigentia, de necessitate terrenorum cõmodorum. Itaque non in prudentia, sed in necessitate, & indigentia examinetur consiliarius; si plura famescat, si semper indigeat, si in nullis sibi sufficiens sit; & à famelico consiliario princeps caueat. *Ne mittat sudem in terram.* Hoc est, ne terrenis suis lucris figat principis animum. Id quod in præsenti attigit Hugo Cardin. fatus. *Ideo primo considera, qualis sit consiliarius, quam ei consentias, ne forte sit terrenum eius consilium, & te per cupiditatem figat in terram, & suum cõsilium confirmet pro terreno commodo.* Cauendi maximè sunt à principibus ij consiliarij, quorum consilia eò tendunt, vt lucra sibi congerant; nec aliò spectant, quam vt principis animus terrenis bonis acquirendis omnino defigatur, quo ipsi maiora sibi lucra acquirant. Hic est scopus in consilijs suis hominum auarorum, hominum, qui in ardenti auri siti sunt, qui nunquam nouerunt non egere, nec sciũt dicere, sufficit. Auarissimus ille dives, cuius ager feraces tulerat fructus, se in consilium vocabat, Luc. 12. dicens. *Quid faciam?* Quæ verba ponderans D. Basil. homil. inditescentes, statim arguit consilij pernitiem; & hominem exprobat, quod auari vtatur consilio à quo nihil vtile poterit emanare. Ait enim: *Ex te ipso captas cõsilium. Planè imprudenti vteris consiliario.* Meritò imprudentem consiliarium vocat hominem auarum; quid nouum, quod sit imprudens consiliarius? immò stultus, immò crudelis, immò malignus, & pernitiosus est. Sic D. Zeno, in præsenti fatur. *Stulte cõsiliario vsus es temetipso: deliberans enim*

2. ad Cor. 8

Ad Phil. 4

Ambr.

Eccles. 37.

Hug. Car.

Luc. 12.

Basil.

D. Zeno.

ais. Quid faciam, consequens vtique erat te de talibus deliberatem dicere: Apertam horrea mea; & replebo esurientes animas pauperum. Sed tu nihil tale non solum proloqueris, verum ne cogitas quidem, quinimo communia omnibus hominibus inuadis beneficia diuina; tuam verò ipsius animam malignis consilijs excrucias. Et quando auarus homo non stultus consiliarius, non cõmunium bonorum inuasor? Quando ab homine auaro consilia malignantia non prodiere? sane auarissimus homo Balaam corruptus muneribus regis Moabitarum, totum animum posuit, vt pessima malectionis verba iaceret in Israel, sed à Deo præuentus nũquam potuit, sed etsi ducebatur muneribus, tamen semper protestabatur se non maledicturum. At tandem vbi audiuit à rege promissa sibi
Num. 24. munera negari, nisi malediceret, sic ait Num. 24. *Nonne nuntijs tuis, quos misisti ad me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei: verumtamen pergens ad populum meum dabo tibi consilium, &c.* Rex maledictionem petebat, non consilium; at auarus homo muneribus illectus negat se posse dare maledictionem, sed confidenter offert consilium pessimum, sed qui sciebat se non posse emittere maledictionem, ideoque illam promittere non audebat, vnde sciebat futurum, vt possit malignum consilium dare? Cur sic audet illud promittere? Faciebat hoc auaritia eius, cui tam essentialia sunt maligna cõsilia, vt merito posset præsumere, dum se videt auri sitientem, per nullam potentiam esse impediendum, quominus destructiua populorum consilia exerat. Defecerunt in ore auari hominis maledicentia verba; verum non defecit malignum consilium, & Israelis, & Moabitarum regnis peperit ruinam.

§. XVII.

Non tam magnificat principem multa pecunia, quam vnus bonus consiliarius.

INDECORVM putares, quod rex regũ, & Dominus dominantiũ in tantas se ostendat redactum angustias, tantamque indigentiam, vt Philippum consulat de emendis panibus, quibus tanti populi fami succurrat. Verum nulla principes dehonestat penuria, quibus bonus consiliarius suppetit. Non mihi crede faciunt auri segetes florentem principem. Sed consiliarus optimus. Proponite vobis obocu los vnum florentissimũ Ægypti regem Phãraonem, cui Genes. 42. adeò placuit consilium Genes. 42. Ioseph, ad præueniendam famem iam iam regno imminentem. Et dicite, vter glorioſior Regi, thesaurus ingens pecuniarum, an hic vnus consiliarius bonus, nimirũ Ioseph? Quæstionem tollit D. Ambros. lib. 2. officior. cap. Ambr. 15. inquiens: *Quanta vtilius regem Pharaonem Sanctus Ioseph consilio prouidentiæ iuuit, quam si consuluisset pecuniam. Pecunia enim vnius ciuitatis non redemit vbertatem, prospicientia totius Ægypti per septemnium famem repulit. Facile autem pecunia consummitur, consilia exhauriri nesciunt.* Non tam ditabis regem, si offeras ei mõtes aureos, quam si offeras, vel vnum optimum consiliarium. Dauid vbi accepit rebellionem Absalomi, & quod post illum ibat vniuersum Israelis regnum, fugę se commisit, & hoc vnum videtur curasse, vt cum domesticis, & amicis fugeret, nihil à Deo visus est precari: vbi autem sic fugeret, 2. Reg. 15. *Nuntiatum est Dauid, quod Achitophel esset in coniuratione cum Absalon, dixitque Dauid insatua, quæso Domine, consilium Achitophel.* Nunc primum verba profert, quibus se supernum auxilium ostendit egere; nunc primum pro bono regni preces fundit, quia nunc primum nouit à se præstantissimum Achitophelis consilium deficere, & ad Absalonem transire. Tacitus audit Israelis copias Absaloni seruire, & ad Absalonem transire, at vt audiuit Achitophelem, etiam in coniuratione esse, non potuit tacere, & non sentire se tanti hominis consilio destitui, & vereri illo munitum Absalonem magis, quam infinitis prope militibus cinctum. Sic ęstimabat bonus rex vnum bonum consiliarum præ omnibus alijs regni muniminibus. Adde, quod dum sic pergit Dauid, accesit amicus eius Chusai Arachites fidissimus etiam consiliarius, & prudentissimus, à quo vnam solam rem postulat rex Dauid. Et quod postularet rex à regia electus, iniquo bello petitus, per deuia errans? An postulauit pecunias, quibus se munire posset? An postulauit milites, quibus hosti occurrat? Nihil horum petit, sed vt se simulate ad Absalonem conferat, & *dissipabis*, ait, *consilium Achitophel.* In summa egestate constitutus, nihili pecunias, nihili thesauros regios, nihili arma ęstimat, nec horum meminit; vnum animo voluit, vnum desiderat, vnum timet, nimirum, Achitophelis consilium. Equidem consiliarius bonus præ omnibus diuitijs, & copijs munit principes. Pulchrè Prouerb. 8. Prou. 8. *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis, quam aurum eligite, melior est sapientia cunctis opibus, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Hæc dicebat optimus consi-

consiliarius; cuius sapientiæ plenis consilijs, haud dubium, quod ornetur princeps longè felicius, quam auro Crœsi, aut Midæ.

§. XVIII.

A principum postulationibus ingentes tentationes veniunt in consiliarios.

NON prætereundum illud textus, nimirum: *Hoc autem dicebat, tentans eum*; & sanè postulatio, siue exactio principis vehemens est tentatio eorum, à quibus petitur cõsilium. Quis ferat principem postulantem? Quis audeat illi non grata respondere? Eccle- *Eccles.8.*
siastes cap. 8. *Sermo regis potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis?* Quæ verba paulò argutius exprimit versio Veneta aiens. *Est in verbo regis potentia quædam, & quis poterit dicere ei: quid facis?* Equidem in singulis verbis regis vis est, & potestas quædam, quæ auditores suos, & consiliarios maximè torqueat, diuexet, reddat anxios; hoc pauide cogitantes, quomodo accipienda sit à rege, vel quem finem habitura sit sua responsio plena periculo: nam cum suæ ipsorum vitæ, & gloriæ arbitrium, & potestas penes regem sit, magni erit discriminis, magnę sollicitudinis ab eius nutu, & libidine posse tantisper deficere. Hunc agonem, hanc solicitudinem inferunt suis consiliarijs singula verba, singulæ postulationes, singuli nutus principum. *Isai. 7.*
Quò respicit ille fastus Achaz, Isaiæ cap. 7. cum enim moneretur rex improbus, vt peteret à Deo signum, sic ait. *Non petam, & nõ tentabo Dominum.* In quibus verbis verior sententia apud glossam, superbientem regis animum agnoscit. Et D. Bernard. 2. in Aduentu, *Bernard.*
ait, quod cum illa diceret. *Elatus erat Achaz fastigio solij regalis.* Equidem superbissime suã regiam potestatem extollens à signi petitione abstinet, quasi Deo parcens, ne Deo, vt cæteris solent regiæ postulationes inferant solicitudinem, & anxietatem. Putabat impius tãtam esse posse vim in regum verbis, vt eorum postulata possent vel ipsi Deo tentationem afferre, & periculum maximum. Quam superbissimi hominis mentem præclarè ex- *Lxx.*
probat Isaias, apud Septuag. fatus. *Audite iam domus Iuda, nunquid parum vobis agonem exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem?* Impietas est sic præsumere de regijs postulatis, quod tam Deum, quam homines possent æquè tentare, & in agonem deducere. Non est Dei, sed hominis tentari, & in angustum deduci propter regum postulata. Contenti sint reges, quod habeant hanc potestatem erga homines; & quidem erga hos sic potentes sunt, vt vel ex nutu, & libidine regis durissimæ tentationes, & agones veniant in consiliarios. Sane 3. Reg. 22. dum rex Israel cuperet profectionem ad *3. Reg. 22.*
bellum, Michæas adductus est ad regem: *Cui rex ait, Michaa ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare?* Non aliud verbum facit rex, tantũ hanc proposuit quæstionẽ, qua sic torsit animos consiliariorũ, sic duriter tentauit, vt ipse Michæas caderet, nisi Dei fortitudine fuisset confirmatus. Id quod alius edisserit Michæas, cap. 3. *Verumtamen* *Mich.3.*
ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, & veritate, vt annuntiem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Audite hæc principes, &c. Expende illud, *repletus sum fortitudine Dei*, non enim humana fortitudo sustinere posset regium verbum, quin ad nũtum voluntatis eius concideret, sola Dei fortitudo in Michæa existens non tentata est verbis regis, sed illis libere, & animosè respondit. Cuius rei habeo, etiam auctorem Rupert. lib. 1. in Michæam componens Va- *Rupert.*
tem vtrumque. Nec mireris solam Dei fortitudinem non tentari verbis Regum, quibus ea est potestas, quæ vim posset etiam fortissimis inferre. Nonne fortissimi erant viri Dauidis? sic erant fortissimi, vt ad exercitum Saulis non paueren, vt incredibilia pericula animosè subirent, vt nullis laboribus frangerentur. Hi fortissimi anxiè cupiebant interficere acerrimum hostem Saulem; ad quos sic eorum Princeps Dauid loquitur, 1. Reg. 24. *Viuit Dominus, quia nisi* *1. Reg. 24.*
Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. Et confregit Dauid viros suos sermonibus. Ex Hebræo *Caiet.*
legit Caietanus, *& confregit Dauid viros suos verbis.* Non multum esset, quod princeps longo sermone quidquid vellet suis persuaderet, facit etiam hoc priuatus homo, sed ad Regem illud spectat, quod vel verbulo, vel nutu voluntatis suæ eam inferat contritionem viris fortissimis, qualem non inferrent mille prælia; vt nutu Regis sic constantissimi alias viri afficiantur, vt non tam persuasi, quam confracti manere videantur. Et quem non afficiant Regis colloquia præcipue si illi obnitendum est? vis etiam videre columnam Israeliticæ religionis turbatam, & afflictam ex simplici interrogatione Regis? Cupiebat Nabuchodonosor somni interpretationem percallere, cuius rei gratia vocat Danielem nobilissimum, & constan-

Dan.4. ſtantiſsimum Dei Prophetam, cui ait Dan. 4. *Tu ergo Balthaſar interpretationem narra feſtinus: quia omnes ſapientes regni mei non queunt ſolutionem edicere mihi: Tu autem poſſes, quia ſpiritus Deorum ſanctorum in te eſt.* Hæc tantum rex, & quid Daniel? *Tunc Daniel, cuius nomen Balthaſar cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare, quaſi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum.* Cur tantus vates per integræ horæ ſpatium conturbationem ſuſtinet? An quia interpretationem neſciebat? Abſit. Sciebat ſomni interpretationem, haud iucundam fore Regis libidini, & ideo tanto tempore conturbatur, & ſollicitatur, qualiter regi reſpondeat, quin veritati deroget, & conſulat regio culmini. Carthuſ. ibi: *Cogitabat Daniel, qua ratione regio culmini ſeruaret honorem, nec tamen abſconderet veritatem, ideoque per illam horam præmeditabatur Daniel, quemadmodum ſine iniuria veritatis, & offenſa regis reſponſum ſuum componi, & ordinari oporteret.* In has anguſtias, & afflictiones conijciuntur regij conſiliari, incredibiles enim anxietates patiuntur etiam conſtantiſsimi, qui vt debent ſe ſe opponere inordinatæ regis voluntati, & dura renuntiare, mille replentur periculorum curis. Et tunc præclarè muneri ſatisfaciunt ſuo, ſi in anguſtum redacti diu meditantur qualiter ordinent, ſiue reſponſum, ſiue conſilium, ſiue diſciplinam, vt ſine offenſa regis, regio culmini ſeruent honorem, & veritati non officiant. Etenim vt peccant, qui morem principi gerunt, ſic peccant, qui conſtantiæ ambitu in principum diſciplina nullum honorem habent regio culmini.

Carthuſ.

Text. Reſpondit ei Philippus. Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andræas frater Simonis Petri, eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos?

§. XIX.

Vbi diuina panduntur, bonorum omnes creati fontes arctantur, diſparent.

IAM ſe ſe Dominus accingebat, vt diuinitatis opera in donis exhibendis, & populis ſaturandis exerceret, & in Philippo, & Andræa omnes beneficæ creaturæ coarctantur: ſic ad fulgentiſsimi ſolis ortum ſtellæ diffugiunt omnes, diſparent. Abraham iugulaturus filium, iam ſtringit gladium, nihil cunctatur. Cur nihil cunctatur? Cur qui adeò deſiderauerat patrem fieri, & cognoſci patrem, modo paternum diſsimulat affectum, & patrem abſcondit, filium mactans? in filij ſui caſu diuini filij mortem auſpicatus, vbi Deum nouit patrem eſſe, erubuit ſe ipſe oſtendere patrem. Id quod ponderabat Frãconius Abb. tom. 3. de Gratia ſatur. *Quia Deum patrem cognoſcit Abraham, patrem ſe eſſe neſcit.* Fugiunt humanæ charitates, humanæ beneficentiæ ſe ſe abſcondunt, vbi ſe diuina charitas manifeſtat, & pandit. Elias 3. Reg. 17. muneraturus viduam, ait. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.* Cur Elias non extendit amplius dona ſua, ſed ſolum vult, vt durent, vſque dum Dominus pluat? Equidem vbi Deus daturus eſt pluuiam, iam dona hominis apparere grauantur. De quo pulchrè D. Baſil. Seleuc. orat. 33. ait. *Exiguus farinæ modius cum tempore non imminuebatur, ſed quantum in vſus naturæ abſumebatur, tantum gratia refundebat. Vt cecidit pluuia, auolarunt Eliæ dona.* Equidem creaturarum dona auolant, diſparent, vbi Deus incipit in homines irrorare. Et velim, notes illa pulcherrima verba, nimirum, *auolarunt Eliæ dona*, quibus lucem afferam non paruam Ezechielis viſioni de animalibus. Notiſsimæ enim ſunt viſiones factæ Iſaiæ, cap. 6. & Ezechieli, cap. 1. vtrique Deus apparet, illi ſedens in throno; huic curru vectus, ſub vtriuſque aſpectu veniunt Dei miniſtri pennati: hi apud Iſaiam ſenis prædicti alis: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Hebraice, *pro faciem eius, faciem ſuam*: quo apparebant Seraphini facie, & pedibus obuelati, ſed reliquas corporis partes adeò manifeſtas habentes, vt viſæ ſint manus tollere prunam de altari, & mundare prophetæ labia: ſic enim habes. *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum.* Hæc apud Iſaiam: Ezechieli autem Cherubini pennati apparent minimè facie, & pedibus obuelati, velabãt tamen corpora ſua, & item velabant notanter manus ſubmittentes illas ſub alis, ait enim, & *manus hominis ſub pennis.* Vndè meritò à Theodoreto vocantur. *Manus ſub alis abſconditæ.* Cur ergo throno aſſiſtentes Angeli velant faciem, & pedes, & oſtendunt manus? Verũ currui aſsiſtentes aperto capite, & pede, manus velant, illaſque ſubmittũt alis? Sanè vtrobiq; id velãt, in quo immenſe

Franton.

3. Reg. 17.

Baſil. Sele.

Iſai 6. Ezech. 1.

Theodor.

mense excedũtũr à diuinis perfectionibus, tũc præcipuè manifestatis. In throno rigor iustitiæ pãdebatur, quo Deus aduersus peccatores irascitur, & dũ sic irascitur, quidquid ab eius ore excidit, gladius vtraq; parte acutus est. Apoc. 1. Apoc. 1. Nec à pedibus eius aliud prẽter calcationẽ potest expectari, quippè ait Isaiæ 63. *Calcaui eos in furore meo*, vbi throni ponãtur, & sedeat iudex, nõ speret peccator gratiarum munera, non spectet Dei beneficas manus, sed pedũ calcationẽ, sed oris gladios. Ideò Angeli nũc tẽporis velãt facies suas, & pedes suos, vt qui minimè sciant sic in ira vomere gladios, & calcationes facere; verũ audẽt manus ostendere, quorũ dona, etsi minima, etsi calculi mẽsurã non excedant, tamen nõ mediocria videbuntur ijs, aduersus quos vniuersi diuinarũ gratiarũ fontes, tũc temporis clausi apparent. Lõge aliter euenit apud Ezechielem, vbi per currũ significatur Dei ad homines aduentus, & inclinatio, ideò ibi similitudo filij hominis, hoc est, benignitas, & humanitas seruatoris nostri apparet, & reuelatur hominibus Dei brachiũ Isaie 53. in quo facit potentiam, Luc. 2. dũ nos suis beneficijs ditat: propterea Angeli iuxta tantam diuini brachij magnificentiã, non audent manus suas manifestare, sed eas abscondunt, & submittunt sub alis, quia vbi Dei largitas se pandit, subito auolant, & disparent vniuersa dona creaturarum.

Isai. 63.

Isai. 53. Luc. 2.

§. XX.

Ad necessitates regias sublcuandas nullius antea, quam pusillorum, & pauperum rescula à ministris proponuntur.

SIMVLAT se Rex regum panibus egere, vt venientibus populis prospiciat, & consilium etiam simulat à suis petere. Quid tunc Andræas Petri frater? *Est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordaceos, & duos pisces.* Sic sic Principũ cõsiliarij, sic regij proceres remedia regni, remedia vbiũ Principi suggerunt de minimorũ pauperũ refectis: pusillorũ panes, & pisciculi proponũtur, vt Monarchiæ viuãt. Veniũt ecce quotidie tot prouinciæ, tot regna sub Principe, quot vix ingentes indiarum thesauri sustentare sufficiãt, Vndé ergo sustẽtabuntur? Iã nota est diuitũ vox, nimirum, *est puer hic habens quinq; panes hordaceos*; exigantur pusillorũ panes: pereãt pauperes, vt gloria populorũ viuat. Nõ ad aliorũ, sed ad pusillorũ penũ respiciũt diuites, vt remedia præstẽt inclinatæ Reipublicæ. Pulchrè Saluia. lib. 4. de Guber. Dei, inquit. *Ecce enim remedia prid ẽ nõ nullis vrbibus data, quid aliud egerũt, quã, vt diuites cunctos immunes redderẽt, miserorũ tributa cumularẽt, vt illis demerẽtur vectigalia vetera, istis, vt adderentur noua, illos, vt decessio etiã minimarũ functionũ locupletaret, istos, vt accessio maximarũ affligeret? Illi, vt eorũ, quæ leuiter ferebãt, imminutione ditescerent; isti, vt eorũ, quæ etiã ferre nõ poterant, multiplicatione morarentur: ac si remediũ illud alios iniustissimè erigeret, alios iniustissimè necaret; alijs esset sceleratissimũ præmiũ, alijs sceleratissimũ venenũ. Vnde ad uertimus, quod nihil esse diuitibus sceleratius potest, qui remedijs suis pauperes perimunt: & nihil pauperibus infelicius, quos etiã illa, quæ pro remedio cũctis dantur, occidunt.* Nescĩũt crudelissimi diuites remedia prouidere malis, nisi de pauperũ substãtia, de pusillorũ pernicie. Hũc respiciũt vniuersa diuitũ consilia, nihil aliud sciũt, vndé possint haurire bona, nisi de pauperũ laboribus. Ps. 10. *Sedet in insidijs cũ diuitibus in occultis, vt interficiat innocẽtẽ. Oculi eius in pauperẽ respiciũt, rapere pauperẽ, &c.* Expẽde illud *sedet cũ diuitibus*, significatur enim diuitũ cõsessio, siue cõuentus, siue comitia, quibus quid magnũ diuites tractant ad regni cõfirmationẽ, & rationẽ status conducens, sed quid prius in his conuentibus, in his comitijs diuites respiciunt? *Oculi eius in pauperem respiciunt, rapere pauperẽ, dũ attrahit eũ.* Vnã substantiolã pauperũ respiciunt diuites in conuẽtibus suis, vndè exactiones, siue rapinæ possint agi. Id penè Theodoretus fatur in Cat. Græca, aiens. *In conuentibus, & in consessibus sedens insidias quasdam, & artes in innocentes parat. Quemadmodũ leo, huc, & illuc oculos cõuertens, prædam quærit.* Leo nunquã ad leones respicit, sed ad infirmiora animantia, quorum sanguine leonum species sustentatur. Sic diuites, & potentes in consessibus suis solas infirmorum, & pusillorum substantiolas præoculis habent, vndè regnorum negotia debeant sustentari. Epulo ille miser, adhuc diuitis mẽtẽ retinens in ipsis inferni tormẽtis, vidẽs Abrahamũ, & Lazarũ, sic clamat Luc. 16. *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Sanè nouerat Abrahamum, & diuitem, & hospitalem virũ, & sciẽtem accurrere peregrinis egentibus, & nihilominus adeò diuites Abrahami manus præteriens ad Lazari confugit digitũlũ. Id quod in quæstionem vocans Euseb. Emissen. ibi fatur guttam aquæ de digito Lazari diues quæsiuit, sed quare de digito Lazari? Cur non potius de hospitalis Abrahami cellarijs? Cur non de superstitum fratrum diuitijs aliquid petit sibi remitti ad ardoris remedium?

Pusillorũ panes.

Saluian.

Psalm. 10.

Theod.

Luc. 16.

Chrysol. Acutè D.Chrysol.ser.122. *Adhuc diuitē malitia non deserit; adhuc in Lazarū sic crudelis.* Equidē facit hoc antiquata diuitū malitia, & crudelitas, quæ pro remedijs parādis nesciunt aliud respicere, quā pauperū subsidiolas; prętereunt similiū manus plenas diuitijs, & in digitulos pauperorū oculos conijciūt, vt de dāno pauperū sibi, & Reipublicæ remedia proui-
Psal. 57. deāt. De impijs aiebat Ps. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* At de diuitibus
Pet. Dam. queritur Petr. Dam. quod serpentes excedāt in furore: quippè ait ep. 15. ad Alexandrū 2. *In quo, nimirum, nobilior est serpentina virulentia, quā humana crudelitas; serpens enim fugit hominē nudum, aggreditur eum morsibus, quem cernit indutum.* Verum diuites indutis parcunt, & nudos persecuntur

§. XXI.

Natura etiam diuina qualiter inuenta est minus habens, vt diuini amoris repleret thesauros.

VBI diuini amoris largitas erga homines adumbranda erat, quid mirū si Philippus, si Andræas, si omnes creaturæ deficiant; ipsissima Dei natura angusta videtur amori. Cur enim apud homines mēdicaret potestas creatoris aiens, vnde ememus panes, vt manducent hi? Angusta equidē inueniebatur aliquo modo immensa Dei natura, quæ nisi de homine sibi adiuncto, summæ pro hominibus charitati non satisfaceret. Cū enim duo sint, quæ amantem produnt, & de eo quodā modo triūphant: omnibus rebus (quibus licet) amato benefacere, & atrocia eius causa perpeti: posterius lōge maius amicitiæ indicium est, quā prius. Deo autē cum pati non liceret; posset verò homini benefacere, summæ lateret semper documentum charitatis, maneretq; ignotus supremus amor, nisi quam ex se non habebat, ab homine adiuncto passionem emendicaret. Id pulcherrimis verbis explicat doctissimus Auctor Græc. Nicol. Cabas. lib. 6. de
Grat. Vita Christi, vbi post multa fatur. *Adeò magni nos æstimat Deus, vt cum pro nobis feciſſet omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret: sed ad aliam naturam se daret, qua ad idē æque uteretur, vt quæ persuadere non poterat, eo quod Deus esset, ea homo factus posset; & per utraque, tum domestica, quæ veniens afferebat, tum extranea, quæ assumpserat, charum sibi ad amicitiam suam adiungeret.* Maximè sunt expendenda illa verba: *cum pro nobis feciſſet omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret; sed ad aliam naturam se daret,* quippè diuina natura, nihil non fecit, vt amorem in homines demonstraret; magnis se se facinoribus diuinus amor pandebat, sed dum se passionibus non obstendebat, in nullo diuinitatis opere quiescebat, semper quærens, & emendicans, vndè pateretur. Hac fame patiendi cruciabatur Dñs, cum ait ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* *Philip.* Quasi ostenderet se ipsum frumentum esse, quo Iudæorum dentes molliretur, vt satiarentur homines, & quiesceret ipse; sed vndè hoc fieret, desiderabat. Quod Iesu desiderium nouit Abb. Cellen. lib. de panibus, c. 1. inquiens, *Domine Iesu non quæras id à Philippo, quare à proditore tuo. Hic habet marsupiū vnum cum Scribis, & Pharisæis, hic insidiatur sanguini tuo.* *Cell.* Non Philippus, sed Iudas materiam dabit, vnde fames patiendi impleatur, vndè diuinus amor nihil indigeat, sed immē se se prodat pro hominibus. Etenim vbi per Iudæ proditionem, dānationē mortis Iesus incurrat, nil habet, quod famescat eius amor, saturabitur enim opprobrijs, & summum opus manifestationis suæ pertinget. Quę enim maior charitas, quam, vt animam ponat quis pro amicis suis? Vt hanc exhibeat charitatem Deus, non à se, sed ab alijs emendicare, & accipere debet; à Maria virgine petat carnem, à Iuda petat vnde dolores, & mortes capiat, quibus se se summus in homines amor pādat. Hinc est, quod in amatorio illo Eucharistiæ ferculo, inter dulcissimas dapes, inter charitatis Christianæ fomenta, mortis suæ admiscuit memoriam, vt ostenderet, quo maximè quiescit, & triumphat amor. Ait enim Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescūque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem* *1. Cor. 11.* *Domini annunciabitis.* Cur mortem hominis, potiusquam alia facinora Deitatis, nisi mors super omnia facinora amāti gloriosa? Pulchrè D. Petr. Clun. epist. contra Petr. Brusian. ait. *Pet. Clun.* *Quare mortem Domini? Quare non similiter dixisti, ô Apostole incarnationem Domini, natiuitatem, vel quod maius videretur, resurrectionē Domini, Ascensionem Domini, quā do dixisti mortem Domini? Quare illa, quæ gloriosa videntur dimisisti, & quod erat ignominiosius elegisti? Vt ostenderem, inquit, istud opus eius præponderare omnibus operibus eius.* In hoc diues summè est diuinus amor, qui indigus videretur in alijs, semper desiderans, & quærens, vndè posset pati.

§. XXII.

Abstinentia, vt vitiorum regna deuastat.

ECCE tibi in Christiana militia qualem suis alimoniam Dominus paret. *Est puer*

hic

hic habens quinq; panes ordeaceos, & duos pisces. Pisces, & ordeacei panes sunt apud nobilẽ du cẽ Iesum; nec miror, quãdo quidẽ ordeacei panes, & exercitũ confirmarent Christianũ, & vniuersa peccati regna deuastarẽt. Nullo enim sic virtus infirmatur, quã lautis mensis; & nullo sic vitiorũ regnũ cadit, quam abstinentia.

Ier. 52. Ierem. 52. *Euertit muros Ierusalẽ per circuitũ Princeps coquorum Babylonis.* Non tã ab æreis machinis, quã à coquina virtus Christiana expugnatur, sed quod mille dapum exercitus in virtutes faciunt, id in vitia conficit abstinentia, imò id cõficit vel hordaceus panis. Apud

Iud. 7. Iud. c. 7. dicit vir proximo suo: *Videbatur mihi, quasi subcineritius panis ex hordaceo volui, & in castra Madiã descendere, cumq; peruenisset ad tabernaculum percussit illud, atq; subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Nõ sic Princeps coquorũ aduersus Ierusalẽ durus, & vnus panis hordaceus aduersus Madiã. Ille euertit Ierusalẽ. hic funditus Madianitas perdit. Pro quo

D. Nil. D. Nilus in Ascetico, ait. *Quẽadmodũ enim muros Ierusalẽ, id est, animæ pacificæ Princeps coquorũ Babylonis destruxit, ventris voluptatis ob soniorũ condimentis irritans; sic Israelitarũ panis hordaceus voluitur, & Madianitarũ tabernaculũ subuertit. Frugalis enim victus volumendo proficit, & libidinis vitium prosternit.* Nunquã nõ sciuit abstinentia vincere; etsi cũ fornace vitiorũ flãmanti congrediendum sit, flãmæ deuictæ recognoscent ieiunij, abstinentiq; vires. Non ne tres Hebræi pueri vilibus legumi

Dan. 3. nibus pasti. Dan. 3. cum ardenti fornace pugnant, & vincunt? Sed audite D. Chrysost. ho. de Iona fantem. Humana corpora cum igne pugnabant, & victoria corporum monstrabatur, vidisti admirabilẽ pugnam; vidisti admirabiliorẽ victoriã. Mirare igitur ieiuniũ: quã do enim, & in flãma prodest, & in lacu leonũ subuenit, & spiritus propulsat immundos. Vbiq; abstinentia vincit, vbiq; parcus, & vilis cibus infractas ostendit vires, & vitiorũ fornaces, & ardentes cupiditates, & Sathanæ regnum funditus perdit, sanè aduersus peccatorum penè infinitam multitudinem hæc sola arma suggessit suis Rex Niniue, dicens Ionæ

Ionæ. 3. c. 3. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam.* Niniue malicia maximã erat, peccata plurima, Sathanæ vires ibi penè insuparabiles, discrimina summa; & tamẽ aduersus hæc omnia vnum ieiunium obijcit Rex sapiens, quasi illud prę omnibus armis valeat ad deuastandum regnum peccati. Sic ad

D. Ephr. populares suos loquitur hic Rex apud Diu. Ephræm: *Vos in bello reges vicistis, nunc præcibus Sathanam vincere studete. Egrediamur deinceps castra nostra; & forte cum ipso bellum cõmittamus. Exuite thoraces, & induite saccos, pharetras abijcite, & ad preces confugite, relinquite enses, & quærite fidem. Tela confringite, & ieiunium suscipite.* Confringantur licet omnia bellica tella, dum ieiunium pro te habes, verè habes, quo ignita Sathanæ tela depellas, eiusdem regnum deuastes, & omnia in pace asseras. Nec sua se opinione fefellit Rex Niniue, ieiunium prædicans, vt hostiles peccatorum impetus depelleret, & ciuitatem suam confirmaret. De quo supra aiebat Chrysost. *Chrysost.*

Videtis, quod non inaniter proclamabat ebrietatem declinandam, non ieiunium formidandum? Nam ebrietas, & luxuria stantem euertierunt ciuitatem: commotam ieiunium solidauit. Nec iam mirabor, quod Angelus ille, qui Iudic. 13. *Iudic. 13.* fortissimi Samsonis natiuitatem præparabat ieiunium in primis matri commẽdasset, quasi à ieiunio solo posset, tanta fortitudo nasci, quæ alienigenarum populos deuastaret. Sic enim habet *Concipies, & paries filium, caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium: & ipse incipiet liberare Israel de manu Phi listinorum.* Quæ verba ponderanda sunt, vt pateat, quam certo à ieiunio nascatur inuincibilis fortitudò vitiorũ expugnatrix. Ad hæc

Basil. D. Basil. hom. de ieiunio, ait. *Quid fortissimũ Samsonem inexpugnabilem reddidit? Non ne ieiunium per quod in matris vtero conceptus est?* Ieiunium concepit: ieiunium nutriuit: ieiunium fortem effecit. Sic à ieiunio adolescit, fortitudo aduersus vitia.

Text. Dixit ergo Iesus facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco; discubuerunt ergo viri numero, quasi quinque millia.

§. XXIII.

Terrena quies populariter a Deo conceditur, non singularibus, & strenuis viris.

SVPER fœnum discumbere iubentur tũbæ Christum sequentes; populariter enim concedit Deus has terrenorum bonorũ quietes. Sic Deut. 5. dicebat Moysi de populo. *Va* *Deut. 5.*

de dic eis reuertimini intentoria vestra; tu verò hic sta mecũ, & loquar tibi omnia mãdata. Quod põderãs Damianus ep. 39. fatur. *Cæteris quippè in carnis suæ tentorio delectabiliter quiescentibus seruus Dei non residere iubetur, sed stare cum Domino.* Permittitur carnis fœnum

popularibus, vbi ſedeãnt, vbi terrenis bonis aliqualẽ potiantur quietẽ, quando Dei ſerui ſolis donãtur ſpiritualibus, & æternis. Gen. c. 13. loquitur Dñs ad Abrahã: *Omnem terrã, quam circunſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Vbi omnem terram promittit, terrena bona omnia intelligit; ſed mireberis, quod tantũ virũ tam religioſum, tã hoſpitalẽ, tam Dei, proximiq; amatorem terrenis delicijs, terrenaq; requie muneret Dominus. Ita ne Abrahamus vilibus munerãdus? Abſit: immò, vt hanc ſuſpicionem tolleret, dixit Dñs: *Tibi dabo, & ſemini tuo*, vt oſtẽderet terrenam illã quietẽ populis ex Abrahamo naſcituris procurari, nõ ipſi Abrahamo, qui iuxta Paul. ad Hebr. 11. fide demoratus eſt in terrã repromiſsionis, quaſi in aliena: expectabat enim fundamẽta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus. Itaq; non Abrahamo, ſed populis naſcituris promittitur, & permittitur terrena quies. Id quod explicuit. D. Stephan. Act. 7. aiens. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis, & repromiſit dare illi eam in poſſeſsionem, & ſemini eius poſt ipſum, cum non haberet filium.* Notãter exprimit terrenam promiſsionem factam eſſe ſemini Abrahami, cum non haberet filium, vt monſtraretur terrena quies parari populis inde naſcituris, non Abrahamo, nec Iſaaco, qui in caſulis habitando, vt magni, & ſingulares viri, non terrena, ſed ſpiritualia ſpectabant, & diuina. Hæc ſolùm nouit Dominus porrigere ſuis præſtantiſsimis fidelibus, & ſingularibus amicis, quibus id ſolum permittitur petere. Matt. 8. nimirum: *Panem noſtrum quotidianum.* Vel vt ſignificantius Græce, *ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Nõ humanarum deliciarũ fœnũ, non terrena, & fluxa gaudia petat fidelis, ſed ſuperſubſtantialem panem nempè Chriſtũ, hunc petat, hunc ſpectet; cætera gaudia populariibus à Deo cõcedũtur. Quo refertur Tertul. de orat. dom. inquiens. Chriſtus panis noſter eſt. Panem enim peti mandat, quod ſolũ fidelibus neceſſariũ eſt, cætera etiã nationes requirũt. Ita ibi: Se ſe ſingulares Dei amici à popularibus diſcernant, ne caducarum fœnũ ament; ne ſuper ollas carniũ ſedere cõcupiſcãt, ne terrenis incumbant, vnũ Chriſtũ panẽ vitæ verũ ſpectẽt, illi ſoli inhiẽt. Deut. 32. ſic notabat Dñs duorũ Iſraelis ducũ vitã. *Iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aarõ frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis, quia prænaricati eſtis corã me, &c.* Nõ otioſe dictũ eſt quod prẽuaricatores hi carnalis populi duces apponãtur populis ſuis, quaſi inter populares, & multitudinẽ numerentur: etenim aliter Gen. 35. dicitur Iſaac iuxta D. Ambr. lectionẽ, appoſitus ad genus ſuum. Cur hic ad genus ſuũ apponitur, & nõ ad populos ſuos? Quippè, qui adeò præſtans vir erat, vt terrena omnia gaudia, imò & vitã ipſam pro Deo contẽpſerat, ſolũ Deũ ſpectans minimè inter populares; ſed ſingulariter in ſpe, & gloria cõſtituitur. D. Ambr. lib. 1. de Abel, c. 2. ait. *Pulchrè autẽ ad genus ait, non ad populũ, ſicut de nobis. Nã iſti non tã præſtantes; præſtantior autẽ, qui paucorũ ſimilis fuerit, & non plurimorũ. Qui ergo Dei erat genitus promiſsione, qui ad ſacrificiũ probandæ pietatis electius ſupernæ illius generis, non plebeia vilitatis imitator aſtruẽdus erat.* Et quidem aliter plebei, aliter ſtrenui viri munerantur à Deo. Ambroſ.

Tex. Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet. Diſtribuit diſcumbentibus. Similiter ex piſcibus quantum volebant.

§. XXIIII.

Ieſus manus vincit creatarum appetitus voluntatum, & omnes indigentias humanas.

HVC accede, quicunque fugientia mundi pocula captas, & cum à Ieſu manibus annonam ſpectas, explica voluntatem, vt appetat: prius voluntas ſatiabitur, quam Ieſu largitas ceſſabit. Vnus pro mille Cellenſ. Abb. lib. 3. epiſt. 4. hoc pulcherrimis verbis tractat. *O Ieſu conuiuatoribus tuis quis ſapor in faucibus? Quis odor in naribus? Quis ſplẽdor præ oculis? Quæ auditus modulatio? Quæ cordis iubilatio? Nil infra votum, ſupra omnia abundãt gaudia. Explicat ſe voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum, & nõ ſufficit, ſupercurrit eleum, quia vaſa deficiunt. Hic manus dantis largior, & accipientis varior. Sola hæc miniſtrorum indignatio, quia pauci ſunt, quibus fiat ferculorum diſtributio.* Modo velim componas illa verba, nimirum, *explicat ſe voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum*: cum illis in textu poſitis; videlicet. *Diſtribuit diſcumbentibus, quantum volebant.* Equidem creata voluntas nequit ſic ſe explicare ad concupiſcendum, vt à Ieſu manibus non appareat ſatiata; vbi à Ieſu manu dona veniunt, ſic ſuperabundant, vt nihil, quod voluntas humana poſſet vltra velle, relinquant. In hoc, ſicut in alijs pluſquam Salomon eſt Ieſus: de Salomone munerante reginam Saba dicitur. 3. Regum. 10. *Dedit* Cellen.

Regi-

Reginæ Sabbæ omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio. Apud Septuagin. sic vltima verba habent: *Præter ea, quæ dedit ei per manum Regis.* Et manus regis dedit, & vlterius data sunt alia quæcumque Regina voluit. Maior equidem Iesus Salomone, vbi namque Iesus manus largitur, non relinquitur amplius, quod velle possis. Explicat se voluntas ad volendum, immò ad volandum, & vt ad manus Iesus peruenit, tanta ibi inuenit, vt nil aliud requirat. Vna est Iesu manus, quæ sic valet explere omnia creata desideria. Æsdræ 1. capit. 7. magnificentia Regis Babylonis, dum explicatur in Israelem, dicitur: *Et dedit ei Rex, secundum manum Domini Dei eius super eum omnem petitionem eius.* Ecce tibi quantum volebat, accepit Æsdras à Babylonio rege. Implebit ille Rex omnes voluntates hominis; sed vndè impleuit, vndè regia manus sic valuit hominis voluntates implere? Insinuat textus, dum ait, *secundum manum Domini Dei eius super eum.* Non regis, sed Dei manus fuit, quę sic voluit implere omnes voluntates. Vndè præclare Diu. Ambros. in Psalm. 43. ait de Iesu manibus. *Manus quippè eius plenitudo bonitatis est.* Nihil vacuum nouit relinquere Iesu manus, ipsa donat, & nihil diminutum nouit dare; immò sic dona eius de manus virtute crescunt, vt vel frustulum panis omnimodam faciat saturitatem. Quò reuoco illud Venantij extollentis poma plantata regis Francorũ manu:

De cultore trahit mellitum planta saporem,
Forsan & hic tacitos miscuit ille sauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis;
Suauis odor nari, dulcis in ore sapor.
Qualiter ille hominũ potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Id tibi dictum cape de quouis dono à Iesu manu veniente, in qua vel panis frustulum recipit tantum augmentum, vt largior videretur manus dantis, quam accipientium copia; & quidem, cuius manus sic fecit crescere panes ad populorum saturitatem, qualiter ille hominum poterit prodesse saluti? Sanè, vt saluentur homines, non erit parcus Iesus, immò ipsis omnia fiet, vt dicat. D. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Omnia Christus est nobis: si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est, si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur, & videte.* Adeò non te finit Iesus egere.

§. XXV.

Prælati aquales sint erga subditos in distributione munerum.

MAGNA Christi largitas, & summa Apostolorum liberalitas, quod vniuersæ multitudini datum sit, quantum singuli volebant; omnibus æqualiter ministrabant Apostoli, singulorum fami prouidebant. Vtinam hæc virtus vsque ad nostri æui prælatos diuanasset, ne fieret passim, quod aliquando dominatus est Paulus in Ecclesia Dei, vt dũ alius quidem esuriat, & alius ebrius est, alius saburis, & numeribus plenus, alius omninò vacuus, & inanis. Tres illi sanctissimi pueri, qui cum alijs regijs pueris apud Babyloniorum curiam alebantur, enixè petierũt ab œconomo, vt liceret eis à cibis regijs abstinere, quibus prudentissimè respondit œconomus. Dan. 1. *Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potum: qui forsitan deprehenderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coætaneis vestris, condemnabitis caput meũ regi.* Expeditius œconomi huius mentem ponit Theodoretus, aiens. *Veritus est, ne cum illi oppipare alerentur; hi autẽ parce, & continenter victitarent, in eorum vultu discrimen aliquod appareret, & extremum subire supplicium à rege, qui contra iusserat, cogeretur.* O quam debent timere prælati! ne cum hos oppipare, illos parce alunt, aliquod discrimen subditorum vultu appareat, propter quod extremè puniantur ab eo rege, qui omnibus æqualiter iubet prouideri. Sapienter Rex Niniuæ suo prouidit regno, vbi de imminenti Dei iudicio certior fuit factus. Nullo enim putans citius regnũ à Dei ira liberum posse euadere, quam si auferens vniuersas fortunatum inæqualitates vniuersos subditos suos sub eadem substitueret facie. Sic lege cauit Ionæ 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta.* Nullum eximit, nullius amicitiæ meminit, nullum in ciuium vultibus discrimen apparere permittit; vna enim, & eadem subditorum facies, spem maximam regi salutis dabat. Ait enim D. Ephræm ibi. *Vnus erat aspectus omnium, & vnus amictus, vnus diuitibus, & pauperibus erat cibus. Vnus ex æquo erat potus Dominis, & seruis. In vno opificio concorditer omnes operabantur, vt etiam remissionem vnam à Deo referrent.* Hæc erat tota salutis spes sapienti regi, quod nullum discrimen cerneret Deus in vultibus subditorum, quod quãtum est ex decreto regio sũma videretur æqualitas inter subditos, qua proculdubio caueretur regni ruina. Vtinam sic res suas componerent vniuersi reges.

vniuersi prælati, vt ex æquo omnibus subditis proficerent, nec paterentur, quod dum alios replent, alios inedia confici sinant. Quo, & Deum, & creaturas omnes reddunt sibi infensissimas. Ptolomæus Rex apud Aristiam quæst. 23. quærebat ex sapiente viro, *Vt inimicos spernat?* Cui ille statim, respondit. *Si placidus erga omnes benignitatem exercueris, nullius amicitiæ ratione habita.* Absit à principibus amicitiarũ respectus, qui tot facit in subditis inæqualitates; & parui pendent hostiles iras: ille pacificus, & felix Princeps, siue prælatus, qui erga omnes æqualis est, nulloque amicitiæ respectu agitur. Amabat Iesus Ioannem, & forsan ita amabat, vt posset Ioannes quodcũque magnum munus præ cæteris à dilectore suo expectare. Vbi autem admunera distribuenda ventum est, Ecclesiæ principatus Petro traditur, cur non potius Ioanni? Hieronym. lib. 1. in Iouinian. ait, *Magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ.* Cauit optimus princeps in regno suo amicitiarum inæqualitates, quæ hostiles iras solent excitare.

Ptolom.

Hier.

§. XXVI.

Erogatio in pauperes facit perennem bonorum abundantiam.

VBI in manus accipit Dominus panes, illosque egentibus diuidit, augmẽto profluo incipiunt panes redundare; quod notans. Diu. Ambros. lib. 6. in Luc. c. 9. ait. *Iam illud diuinum est, quod sicut inges sunt fontes aquarũ, ita ingis erat fluuius particularum panis.* Facit hoc misericors erogatio, vt fluuiorum instar scaturiat, & effluat perenniter panis diuisi abundantia. Prouidit Deus seruituti hominũ flumina, quæ nullis haustibus exhauriantur, sed quo effusiora, eò pleniora currant. Sic similiter eleemosynam pro fluminibus posuit, quæ sola dũ hauritur, non exhauritur, sed pleno, & salutari bonorum exũdat fonte. Hinc. Diu. Laur. Nouar. hom. de Eleem. colligit, quam necessarij sint pauperes in mundo, non minus, quam albeiquà flumina currãt. *Prouidentia diuina aperuit nobis peccantibus medicinæ armarium, vt faceret, sicut scriptum est, diuites, & pauperes, vt quoniam diuites per exuberantiam ad vitia proni sunt, haberent coniunctos sibi indigentes, velut fontem lauacri, aut vt plus dicam, velut flumen Iordanis, in quo Christus tinctus est;* Albei sunt pauperes, quà flumen influit, & perenniter influit, & vt Iordanis influit; cur præcipuè comparatur eleemosyna Iordani? In Iordane ad præsentiam arcæ facta fuit diuisio aquarum, ita vt dum inferior pars in mare ibat ibi perdenda; superior pars retrorsum stans crescentibus fluctibus se se vsque in cœlum tollebat, sic quotidie accidit in eleemosyna: panis, qui diuiditur, dum datur pauperi, quasi perditum ire videtur, at ipse vehementer augetur, & cœlestium bonorum exundatione crescit. Huc respiciebat. Diu. Gregor. Nyssen. vbi de sancto Ephrem sic loquitur. *Ipse namque, vt Iesus Naue Iordanem quoque diuisit, cum clausas diuitum manus benignitate aperuit.* Equidem in diuisione panis renouatur in dies miraculosa illa Iordanis diuisio. Nunquam panis in pauperes diuiditur, quin renouetur diuisio Iordanis, in qua pars videbatur perditum ire, & pars vsque in cœlum crescebat, & exundabat, & quo illa properantior effluebat, hæc se in maiorem altitudinem dabat. Nunquam, mihi crede, sine augmento maximo diuidis pauperibus panes; videbitur forsan efflui diuisa substantia, sed simul alia ex parte crescet, & abundabit, vt merito dicat, Chrysolog. ser. 41. *Negauit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negarit.* Sunt equidem cõnexa, & potus pauperis, & fons vitæ; erumpit protinus fons vitæ, vbi potus defluit ad pauperem; & vt, qui negat potum, perdit amnem, perdit fontem, sic qui potum præbet, sibi perennem vitæ fontem facit exundare: Nunquam sine augmento dantis reficitur pauper. Psalm. 36. de iusto viro dicit: *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Pro illo verbo commodat intelligunt plures non solum, qui sua dat simpliciter, sed qui sua dat fœnori, quasi nulla largitio à misericordi possit venire, sine ingenti dantis vsura. Vndè Theodoretus in Cat. ait. *Qui enim miseretur pauperi, fœneratur Deo, vt idem sit misericordia, & vsura.* Sic sunt cõnexa misericordia, & vsura, vt pro eadem re merito habeantur, nec per vllam potentiam possint separari. Quis magis misericors quam Abraham? Is beneficentia vsus ait ad Loth. Genes. 13. *Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo.* Sic beneficentissimus homo cedebat Lotho, sic eius electioni committebat quamlibet terræ partem. Quid inde, eligente Loth meliorem partem, manfit Abraham peioris conditionis? *Dixit Dominus, ad Habrahã, postquam diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & meridiem, ad Orientem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Non amisit, quod alteri beneficentissimè cessit, immò qui cessit vnam, accipit quatuor terræ partes: sic misericordiæ annexa est semper incredibilis vsura. Chrysost. ho-

Ambr.

Laur. No.

Theodor.

Gen. 13.

Gregor.

Chrysol.

Psal. 36.

hom. 34. in Genes. ait. *Vidisti quomodo certat Deus beneficijs? Vidisti dignam diuina bonitate munificentiam? Vidisti quantis cesserit, & quanta est assecutus? Hic erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quo datis paruis adipiscamur magna.* Hæc ille: equidem non perdimus, quod largimur, sed multiplicatum recipimus.

Chrysost.

§. XXVII.

Perfectissima misericordia, quæ non aure, sed mente indigentiam videt.

ETot egentium millibus nullus à Domino remedium postulauit, sed nec Apostoli pro eorũ subsidijs loquuti sunt: ante Dominus panes habebat in manibus, vt porrigeret, quam audiret clamorem pauperum. Profecto misericordia non expectat clamores, sed vt præintelligit indigentiam, sic ex se curat subsidium præstare. Huc spectat Psaltes, aiẽs; *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem:* qui intelligit ait, non, qui audit: quasi misericordiæ gloriæ in eo sita sit, quod ante spectatam exteriorem manifestationem egestatis mente præsaga cures subuenire occulto pauperi: Accipite Diu. Leonem serm. 4. de Eleemosyn. *Beatus, ait, qui intelligit super egenum, ad quem intelligendum sollicita benignitate vigilandum est, vt quem modestia tegit, & verecundia præpedit, inuenire possimus; sunt enim, qui palam poscere ea, quibus indigẽt, erubescunt, & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica confessione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate subleuandi, vt hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori.* Quis beatior, quam ille, qui sic nouit prouidere pauperum necessitatibus, vt eorum consulat pudori. Nõ expectes audire clamores, videre miserias, sed illas præintellige, & prẽintellectis remediũ cito applica. Bonus ille Booz vbi Ruth Moabitis spicilegium apud seruos suos notauit Ruth. 2. ait, pueris suis. *Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: & de vestris quoque manipulis proijcere de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Quam consulebat vir bonus nobilis fœminæ pudori; quam intelligebat eius indigentiam, nullam precem audierat, & ante precem studet, quomodo opẽ ferat, & pudori pareat. vndè Diu. Aelred. lib. de spirituali amicitia, sic fatur. *Booz cum Ruth Moabitis aduertisset inopiam: verecundiæ eius ingenue parcens, iubet messoribus, etiam de industria spicas relinquere, quas illa absque pudore colligeret, sic & nos, &c.* Quam prudens, & tacta misericordia, quæ soluit, & preces, & pudorem accipientis præuenire. Paul. 1. ad Timoth. capit. 5. ait. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidẽ negauit.* Pro illo, curam non habet, alij explicatius legunt apud Diu. Thom. *Non prouidet.* Quasi ostendat Paul. quod pauperum cura sit prouidentiæ diuinæ instar, quæ consistit in quadam præscientia, & prænotione, ex qua Deus vult subuenire hominibus: talis ergo sit nostra misericordia, vt præintelligat super egenum, & pauperem illiusque suauissimo, & honoratissimo subueniat modo, præueniens preces, præueniens pudorem; id quod insinuat Pauli præceptum, nimirum, *habere*, curam suorum, quia, vt ait Diu. Thom. ex Diu. Ambros. quod fortè esset verecundum sumere ab alijs, non esset verecundum sumere à suis. Et ideò vir misericors instar Dei prouidentis, sic pauperibus consulat, vt preces præueniat, & pudorem. Quò respiciebat Dominus Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut pater vester misericors est:* & qualiter est misericors Deus noster? Ipse ait apud Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Imitetur nostra misericordia misericordiam Dei hominibus prouidentis; prænoscens enim Deus humanas indigentias, sic beneficia ordinat, vt antepudorem, & precem, immò dormientibus nobis necessaria suppeditet. Sic nos præoccupemus cognitione gemitus pauperum, & ante clamores, pudori illorum parcentes, opem feramus indigentiæ. August. hom. 39. ex 50. ait. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Et ecce venit tibi pluuia, antequam roges; descendit vbertas nocte dũ stertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus, te nesciẽte, effunduntur. Iactat cœlum, & parturit terra, tot cellaria messium, dum *nescimus sic accipimus, & tantas opes comedimus antequam rogamus. Et tu homo, modicus es ipse panis, & precibus vendis? Non rogauerunt quatuor millia Iesum in deserto septem panes, vt infinita agmina pranderent, &c.* Sic ille.

Psalt.

Leon.

Ruth. 2.

Aelred.

D. Thom.

Luc. 6.

Aug.

Text. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis; Colligite, quæ superauerunt fracmenta, ne pereant.

§. XXVIII.

Dona Dei fidelibus præparata supra cuiusuis hominis vires sunt, etiam exredundanti possunt mundum implere.

POST tot millium refectionem, post âcer-
uatum à singulis multum panis, vt
credi potest, vel in memoriam miraculosi panis, vel in subsidium alterius diei, iubentur residua fragmenta asseruari, sed mirandum, quod fragmentorum collectio non vni, aut alteri populari mandatur, imò duodecim viri, ijque Apostoli in hanc collectionem fragmentorum designantur. Ea sanè sunt diuina dona fidelibus præparata, quę nullus homi
Genes. 15. num sustinere posset, multorumque, & Apostolicorum indigeant sustentaculo. Sic de Abrahamo dicitur Genes. 15. quod Dominus eduxit eum foras, & ait illi: suspice cœlum, & numera stellas: posset sanè Abraham domi manens, & cœlum suspicere, & stellas; vbi tamen repromissionem acceptur us erat diuinorum donorum, à don o extrahitur; vnâ enim domus impar erat fidelium dons.
Fran. Ab. Id notans Franconius Abb. tom. 3. de Gratia, ait. *Bene Abrahem repromissionem acceptur us foras educitur, quia fides intrà angustias humanæ impossibilitatis non clauditur.* Minores sunt cuiusuis hominis vires, quam, quæ immensa diuinarum repromissionum dona possint capere. Ea semper sunt promissionum dona à Deo infideles suos profecta, vt nisi à pluribus non possint capi. Ita Genes. 13. ait Dominus ad Abraham, omnem terram, quam cõspicis, tibi dabo, & semini tuo; cur non solum tibi, cur necessum fuit addere, & semini tuo? Non solum tibi, sed & tibi, & semini tuo: ea enim promissionum diuinarum magnitudo est, vt nequeat intra vnius hominis angustias coarctari, & semper ad plures transeat. Pulchrè Diu. Chrysostom. hom. 34. in Genes.
Chrysost. ait. *Magna diuinæ promissionis magnitudo, magna nostri omnium Domini (vt beneficijs vincat) liberalitas; magna mercedis præstantia, quam dat misericors, & clementissimus Dominus beato illi, & ex illo nascituro semini*: Non magnũ est, quod intra vnius hominis sinum capitur; at, quæ fideli viro datur diuina promissio, quæ dona à Deo dantur, vt sunt magna, et super effluentia, sic plures requirunt, qui capiant, &
Psal. 71. vix à pluribus possunt capi. Psalm. 71. *Descendet, sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Sufficisset, quod diuinorum beneficiorum fons in vellus descenderet, cur insuper, & super terram vniuersam dicitur descendisse, ãn qui velleri immittebatur bonorum fluuius non posset ibi stagnari? cur necessum fuit, et super vniuersam terram exire? Habent hoc dona diuina, quæ non coarctari possint intra vnius sinus angustias, sed neque à multitudine possint exhauriri. Quò expectabat Philo Iudæus lib. de Temulentia, inquiens. *Nec donorum quidem largitatis quisquam capax est, ac fortasse, nec mundus hic quidem, sed quasi parua lacuna influente magno gratiarum Dei fonte celerrime repleta supereffluit.* Nullus est homo, qui impar non sit diuinarum promissionum donis excipiendis, immò totus mundus adhuc manet impar, vt possit recipere ea, quæ supereffluunt. Ne iam miremur, quod duodecim Apostolici viri mittantur ad colligendas supereffluentes ex diuino dono reliquias, quando diuinorum supereffluentia fragmenta donorum totum mundum possint implere. Vbi noster legit. *Descendit pluuia in vellus, & sicut stillicidia super terram:* legit. D. *Chrysost.* *& sicut gutta stillantes super terram,* quasi indigitans id, *Chrysost.* quod post magnam pluuiam accidere solet, in qua tectorum canales manent diu guttas stillantes in terram, similiter post gratiarum cœlestiũ exũdationes supersunt guttæ quædam cadentes, sed quantæ hæ guttæ? Accipite. Diu. Chrysost om. ibi loquentem. *Gutta* *Chrysost.* *istæ virtutes sunt, quibus idem Dominus noster Iesus dignatus est terram vehemẽter implere: gutta fuit, quando leprosum mundauit, puerum Centurionis à mortis periculo sanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit, mortuos suscitauit.* Ecce vobis vna sola diuinæ gratiæ supereffluẽs gutta, quod homines impleuit, & terram vniuersam impleret.

§. XXVIIII.

Creaturæ omnes vt dolent, dum homini non proficiunt.

PVLCHRE metuitur perditio panis, qui hominibus non profectur us erit, colligite, ait, fragmenta, ne pereant, quasi enim perditionem suam dolent vniuersæ creaturæ, dũ vident hominibus non prodesse. Hinc vbi Elias 3. Reg. 16. vetuit, nubes ne pluerẽt, sic nũ
3. Reg. 16. bes affectæ sunt, sic eos sustinebant cruciatus quales sustinet mulier parturiens, dũ parere nequit. Quod notans Theodoretus quæst. 56. sit de Elia post ignem à cœlo tractum loquitur. *Hoc facto miraculo iussit interfici Prophetas mendacij: & tunc liberauit nubes à dolore partus.* Liberantur quidem vniuersæ creaturæ à maximo dolore, dum permittuntur homi-

homini ſeruire, vt nihil tam ſibi detrimentoſum, & perditioni proximum reputant, quã ſi impediantur, quo minus haberi poſsint ab hominibus. Cum homo eiectus fuit à paradiſo, ſic aditus intercluſus eſt, ne poſsit vltra illuc reuertere, vt eius rei cauſa ad paradiſi oſtium conſtitueretur Cherubim: ſic enim habes Gen. 3. *Eiecitque*, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Sic ibi: vt arceantur homines à paradiſo, cõſtituitur ante eius oſtiũ, & Cherubim, & flammeus gladius. Pro illa præpoſitione: ante paradiſum, ponit Philo Iudæus; contra paradiſum. Et ſic explicat, quaſi tota illa cuſtodia, quæ arcebat homines à paradiſi ingreſſu, nulli eſſet magis aduerſaria, & inimica, quam ipſi paradiſo: quandoquidem nullo magis perduntur creata bona, quam vbi haberi nõ poſſunt ab hominibus. Ita Philo lib. de Cherub. ſatur. *Tunc, & flammeus gladius, & Cherubim contra paradiſum collocantur. Dicitur autem contra eſſe, vel quod inimicũ, & infeſtum eſt.* Illud contrariatur maximè, & perditioni dat creata bona, per quod impediuntur, ne ſeruiant hominibus. Vndè volens Dominus vniuerſam terrã punire propter peccata hominis, induxit funeſtum illud diluuium. Ait enim Gen. 7. *In anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes, &c.* Expende illud, nimirum, menſe ſecundo, is erat menſis verni temporis, vt placet D. Ambr. quando ager parturit, terrarum pariter, atq; animantium fœtura ſe fundit; ſed cur, vbi terra tota fructibus ſuis diues erat, vt homini ſeruiret, diluuium à Deo inducitur. Cur non expectauit fructuum collectionem, & poſt collectos fructus ab hominibus fontes abyſsi rupit? Ne ſi fructus homo iam collegiſſet, putaretur diluuium terræ beneficiũ, quãdoquidem permiſſa fuiſſet antea fructibus ſuis, hominibus ſeruiuiſſe. Ita D. Ambr. lib. de Noe cap. 14. inquit. *Ideò non poſt collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis, quam diluuium terra ſentiret.* Nõ terræ bonum quærebatur, ſed malum, ſed ſupplicium, ſed perditio, quæ ſolum in eo poſita erat, quod non ſinerẽtur terræ fructus in vſum, & poſſeſsionem hominũ venire. Vbi enim ſemel permitterentur fructus ad hominum theſauros, & vſus tranſire, quidquid poſtea veniret, æſtimaret terra beneficiũ, non perditionẽ, non ruinam'; vtpote quæ omnem deſolationẽ ſuã, & perditionem, & luctũ in eo ſolũ habet, quod nõ ſeruiat hominibus. Ideò Ioel c. 1. poſt populũ captiuatum, deſertaſq; vrbes, ſic regioni loquitur. *Plãge, quaſi virgo accincta ſacco ſuper virũ puberta-*

Geneſ. 3.

Philo.

Geneſ. 7.

Ambroſ.

Idem.

Ioel. 1.

tis tuæ, periit ſacrificiũ, & libatio domus Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniã deuaſtatũ eſt triticũ, confuſum eſt vinũ. Ecce tibi inde confuſio, & vaſtitas, & luctus, vino, & tritico, & humo, quia viduata eſt hominibus, quia abierũt poſſeſſores in captiuitatẽ. Et expende, quã pulchrè ex eo, quo homines abierint, dicatur terra, quaſi adoleſcentula viduata viro, cuius in domo nihil non luctuoſum, nihil nõ lamentabile cernitur. Etenim quãdiu terrena bona in poſſeſsionẽ data ſunt hominibus, ſic gaudent, ac recens nupta, cũ ſponſo ſuo. Iſa. 62. *Et terra tua inhabitata, quia cõplacuit Dño in te, & terra tua inhabitabitur.* Ad rẽ Septuaginta dicunt. Terra tua maritata, quia cõplacuit Dñs in te, & terra tua maritabitur. Quaſi ſub marito ſunt terrena bona, dum ſeruiunt hominibus, à quo rũ ſeruitute, ſi abſtrahantur, vidũitatem incurrunt, & deſolationẽ, & luctum.

Iſai. 62.

Tex. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, & quinque panibus hordãceis, quę ſuperfuerũt his, qui manducauerãt.

§. XXX.

Nunquam ſine tuo lucro alterius animæ benefacis.

HIc notat. D. Cyr. Alex. Euangelici miniſtri vſurã, cui ſemper beneficia ſua in alios collata reliquias pariũt, quibus diteſcat ampliùs. Quis fideliũ animabus ſeruiuit ſine ingẽti lucro? Cyrillo argutior ſtat Damaſ. ſer. de defun. vbi nõ in reliquijs beneficiorũ, ſed in primitijs eorũ ponit benefactoris lucrum. *Quẽadmodũ enim, ait, qui ægrotantẽ vnguẽto, vel alio pretioſo oleo vult inungere, prior ipſe vngẽdo particeps eſt vnctionis, & ſic poſtea inungit laborantẽ morbo: ita, qui pro ſalute proximi aliquid facit, primo ſibi, deinde proximo prodeſt.* Quidquid pro ſalute ſpirituali proximi impendis, non amittis, ſed ingenti tuo lucro illud recipies. Prius tibi proficiunt munera tua, oblationes tuæ, & ſacrificia tua, quæ pro aliorũ impendis ſpirituali ſalute; & quãtũuis hęc pro alijs videare dediſſe, tamen tibi reſeruantur integra. In Ieſu baptiſmo, venit ſuper eũ verus animarum paraclitus Spiritus ſanctus, & venit ſub figura corporali columbæ. Etenim habes Luc. 3. *Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba.* Cur diuinus ſpiritus venit ſuper Ieſum ſub ſpecie columbæ? Crediderim ideò veniſſe tali ſpecie, vt oſtẽderet ad eundẽ dona ſpiritualia integra venire, à quo ipſo fue-

Cyr. Ale.

Luc. 3.

rant

rant profectã,& emiſſã,ſicũt diluuij tempore columba à Noe emiſſa redijt ad ipſum. Hanc rationem attigit.D.Dion.Alex.ep. contra Samoſat.q.5.inquiens.*Cur in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus deſcẽdit?* Scilicet, vt nos doceret, qui miſit illũ; & qui eum,quem miſsit, accepit. Sicut enim Noe dimiſsit ex arca colũbã, & ipſe eã recepit. Nõ equidẽ Noe amiſsit columbã,quã à ſe dimiſsit,ſed ipſe, qui dimiſsit accepit illam ſemel,& iterũ reuertentẽ,& reuertentem cũ vſura rami fructiferi, eodẽ modo, qui pro ſalute ſpirituali proximi dona offert,oblationes,ſacrificiã, & munera quæque exhibet,non amittit illa, ſed cum redundanti vſura recipiet. Ea enim ſunt ſpiritualia dona, quæ nulli ſine ingenti lucro cõmunicas. Iſai. 53.*Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemẽ longæuum*,Leo à caſtro putat ex Hebræo, non ſolum ſemen, ſed & meſſem dierũm legi poſſe, ſic enim ipſe explanat. *Qui poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longinquum dierum.* Quaſi nemo pro expiatione peccatorũ proximi ſe ſuaq; poſsit impẽdere,quin ſibi pro grano non acquirat meſſem.Quo refert D.Ber. illud Cant. 1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis,vineam meã non cuſtodiui.* Vbi cõparat vineã propriã non cuſtoditã, cum vineis acceptis ſub cuſtodia multis pro vna, abiecit vineã vnã ſuã,quã non cuſtodit, ſed non amiſsit, quam abiecit; immò multiplicatam recepit illã.Ait enim Ber.ſerm. 30.in Cantica, de vinea illa non cuſtodita. *Non prorſus nõ periit, ſed migrauit,etiam creauit,& dilatata eſt, tanquam cui benedixit Dñs.*Immò hinc notat differentiam eorum,quæ impenduntur pro ſolis terrenis,& carnalibus,& eorũ,quę impendũtur pro ſalute animarũ; illa ſemper perditionẽ, hæc ſemper vſuras recipiunt. Id quod patet in Moyſe, & Apoſtolis: Moyſes, vt cuſtodiret populũ ſuũ, amiſit fieri in gentem magnam. Exod. 32. Apoſtoli verò & ſe,& ſua exponẽtes perditioni elucrati ſunt mundũ.Cur Moyſis cura, & ſolicitudo adeò ſancta perdit, & Apoſtolorum vigiliæ recipiunt vſuras, niſi quia Moyſis cura tota erat pro terrenis, & carnalibus promiſsionibus, Apoſtolorũ diſpendia erant pro animarum ſalute? Pulchrè Ber. ſupra. *Graue legis iugum teſtibus ipſis Apoſtolis, qui hoc,& ſibi,& patribus importabile clamitãt. Graue iugum: & vile præmiũ:nã terra eſt in promiſsione. Pro huiuſmodi non eſt Moyſes miſſus in gentem magnam. Verum tu mater Eccleſia promiſsionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futura facilè in duplici gratia obtines ab vniuerſis te recipi.*Hæc ille: quibus vides, quod Moyſes amiſit fieri in gẽtem magnã, quia terrenis populi Iſraeliticis inuigilabat, verũ Chriſti Eccleſia, qui ſaluti animarũ operã dabat in ipſis diſpẽdijs, & duplicatã gratiã, & plenitudinis gentium dominium recipiebat.

Dion. Ale.

Iſai. 53.

Bernar.

Bernard.

Bernard.

Text. Illi ergo homines cum vidiſſent,quod Ieſus fecerat ſignum,dicebant,quia hic eſt vere Profeta, qui venturus eſt in mundum.

§. XXXI.

Dei munera, authorem halant ex ſuperabundantia.

NON miror, quod rudes homines in Meſsię expectati cognitionẽ deueniãt, poſt tantũ receptũ munus,quod tale erat,vt vndequaq; authorẽ ſuum proderet, immò halaret. Hinc eductũ illud elegans Arnulpij Epiſcop. Lexiouien.carmen:

Arnulp.

Cumque datis inſit animi donantis imago,
Nec dator affectum diſsimulare queat.

Ea ſint munera, quæ largitoris ſemper referãt imaginẽ,referant manum.Ideò Dñs paſturus tot hominũ millia tã paucis panibus;non ſolũ largitus quidquid ſinguli neceſſariũ ad ſaturitatẽ habuiſsẽt.ſed tãta largitate vſus eſt, vt plures ſuperfuerint panũ reliquiæ. Cur iſta panũ ſuperabundantia nõ neceſſaria fuit ad turbarũ ſaginã? verũ valde neceſſaria fuit,vt diuini largitoris manus perſpicua foret etiã rudibus hominibus, cuius rationẽ ſic reddit. D. Baſil.Sel.orat.33.inquiens. *Nã ſi pro modo neceſsitatis dationẽ commenſus fuiſſet,decoris illius gratia adultera eſſet, neq; is, qui feciſſet ſatis euidenter Dñs agnoſceretur, quippè qui neceſsitati ſeruiſſet.Nunc autẽ profuſior, quã neceſsitas poſtularet ſuppeditatio, auctoris poteſtatẽ teſtatiorẽ facit.* Nulla equidẽ re magis diuina manus ſe prodit, quã in ſuperabundanti donorũ largitione, vbi ſupereffluit bonorũ ſuppeditatio, ibi cõſpicuã agnoſce diuitẽ Dei manũ. De aug mẽto Iob poſt erũnas, dicitur c. 42. *Dñs autẽ conuerſus eſt ad pœnitentiã Iob cum oraret ille pro amicis ſuis.* Quæ verba argutius in rẽ præſentẽ trãsferunt Græci Patres legẽtes.*Dñs autẽ auxit Iob, cum etiã ille oraſſet pro amicis ſuis, dimiſsit eis peccatũ.*Quaſi innuãt inde perſpicuũ eſſe Iobi augmentũ à Deo veniſſe, quod ſic ſupereffluerit gratia,quod ad alios etiã redundarit; vbi enim donorũ reſpicis ſuperabũdantiã vnã ibi recognoſce diuitẽ Dei gratiã. Vndè Actor Catenę Græcę fatur.*Quare ſi nos ipſi in his quoq; tẽporibus egentẽ quẽpiã hominẽ viderimus: eundẽq; pro cæteris ſupplicãtẽ, atq; eius ſupplicationẽ euẽtu cõprobatã, diuitẽ Dñs gratiã admiremur.*Quouis tẽpore, quo ſic replẽtur, & augẽtur homines donis, vt ex illis ſupereffluat ad alios nõ humana, nõ Angelica,ſed di

Iob. 42.

Grac.

uina

uinā ibi āgnoscitur prædiues manus, quę nescit nisi affluenter dare. Ex quo lucē capiūt. D. Stephani verba. Act. 4. quæ sic habēt. *Conuenerunt enim in ciuitate ista aduersus sanctum puerū tuum Iesum, quē unxisti, Herodes, & Pōtius pilatus cū gentibus, & populis Israel, facere, quæ manus tua, & consilium tuū decreuerunt fieri.* Quid est, quod cōsiliū Dei, & manus Dei decreuerūt fieri? copiosissimā hominū redēptionē, cui Herodes, & Pilatus à se ipsis, non à Deo moti materiā dolorū, & tormentorum tantā subministrarunt, vt inde redēptio copiosa pullularet. Tunc quæro, cur dicatur, manus tua, & consiliū tuū decreuerunt? Decernendi opus ad consiliū pertinet, nō ad manū; cur ergo manus ipsa decretis astitisse dicitur? Cur ibi diuina manus? Rationem pulchrè insinuat D. Leo hunc explanans locū ser. 16. de Pas. aiens. *Vt mirabilior fieret gratia Dei, non secundū merita hominū, sed secundū diuitiarū sapiētiæ, & scientiæ Dei misericorditer præparata.* Quippé vbi ea redemptio parabatur, quę ante omnia merita, & supra omnium meritorū capacitates exūdaret, et superefflueret, nō potuit nō cōparere diuina manus, vt quæ sola superefflu enter nouit dare. Cui etiam consonat illud, Act. 1. vbi de quibusdā vineæ Dñi operarijs, dicitur. *Et erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentium conuersus est.* Et erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentium conuersus est. Et nusquam cernitur multitudo misericordiarum, vbi non conspicua sit diuina manus. Et quando à diuina manu non largissima dona suppeditātur? Petrus Act. 3. sic claudo dicebat: in nomine Domini Iesu Christi surge, & ambula. Hoc præstare curabat claudo, vt ambularet; at accedens diuina Iesu virtus, vt opus executioni mādaret, quid factum est? *Protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat, &c.* Non opus erat ad perfectā sanitatē claudi, quod saltare posset, quando & multi sani, & perfectè sani, inepti sunt saltibus, & Petrus nihil iubet de saltibus, solū intēdebat dare illi sanitatem, qua sicut cæteri expedite ambularet. Vndè non solū ambulat, sed exilit? Sanè cū facinus executioni mandabatur nō Petri virtute, sed diuinæ manus, & cū hæc nihil nesciat præstare non superabūdanter, inde est, quod non solū ambulat, sed edit saltus. Aug. Vndè D. Aug. ser. 28. de verbis Apost. ait. *Parū erat, quod dicebatur in vsum claudus redisse, virtus ei cū sanitate restituitur. Non enim dixit restitutæ sunt, sed consolidatæ sunt bases tā abūdantē recipiunt sanitatem, vt ferant laborē. Exiliens, inquit, ambulabat, saltus frequenter etiam sanis grauis est.* Quā agilitatē saltandi etiā sani nō habent, hāc diuina Christi virtus cōmunicat claudo, vt vel hinc conuincātur non à Petro, non ab homine, sed à Deo facinus fuisse peractum.

Tex. Iesus ergo cū cognouisset, quia venturi essent, vt raperēt eum, & facerent regem; fugit iterum in montem ipse solus.

§. XXXIII.

Indecens Deo est regnum, et honor, qui aliorum egeat.

NON talis Christus Rex, qui hominum calculo egeat, nec qui subditorū apparatu, exercituū comitatu, externorūq; ornamētorū splendore constituatur. Hæc non tā regē ostendūt, quam egentē: porrò is est Christus, qui in se solū habeat innatū, & immortale regnū. Cū D. Lucas memincrit Christi regnantis apud suos, ait c. 12. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Si ergo Dñs in gloria sanctorū, dicitur minister, quorum erit Rex? Vnus ibi stat ipse, vnus ipse ministrat, reliqui omnes sedēt; & accipiūt ministeriū, vbi Christiani regni signa, vbi cōpti, splēdentesq; ministri, vbi regiū aulæū? ipse Iesus Rex est, & ipse solus ast sibi regnū, aliorū nil indiget. Acute satis id pōderat auctor Græcus. Nicol. Cabas. lib. 4. de vita in Christo, dicēs. *Etiā in futuro, quādo cū virtute aduenīat, & cū paterna gloria apparebit in ostēsione, in regno suo: præcinget se, & faciet illos discūbere, & trāsiēs ministrabit illis. Hoc quippè modo germano, veroq; regno sibi regnabit, ipse sibi ad regnū sufficiēs.* Nō in multitudine ministrorū sibi assurgentiū regnū suū cōstituit, immò etsi omnes discūbant, etsi nullus sit, qui ei ministret, qui ei famuletur, ipse sibi ad regnū sufficiet. Neq; aliud aliquid esse potest magis regiū, quā nulla extra se egere seruitute: ministrorū apparatus, exercituū fortitudo, rhedarū, curruū, ferculorū, equorū pōpę, nō tā splēdorē, quā regis egestatē diffiniūt. Infirmū sanè est tot rebus, machinisq; egere, vt regiā dignitatē ostendas. Deparalytico, qui in lecto portābabatur ad lesum Matt. 9. pulchrè fatur Sedul. lib. 2. Pasc. 9. post quā iussus fuit à Iesu assurgere: *Nec moratus ille assurgit, suis tandē plātis incedere alienis sē gaudet caruisse vestigijs.* Præstantissimū hoc homini cuiuis alienis non egere, sed propriis gaudere viribus, quo quis minus eget eo præstatius habet in se regnum. Equidē nō illud regnum conuenit Deo, quod totum alienis fulcitur; sed illud, quo externis omnibus nudus se à populis facit spectari, & suscipi. Merito de Iesu ingrediēte Ierosolimā ait ex prō-

pheti.

Matth. 21. phetis Mat. c. 21. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, &c.* A regijs signis verum regem Iesum insinuat, sed à quibus signis? Sanè ab illa virtute, quæ ab omnibus externis, & alienis nuda vniuersos ad se trahit deuinctos. Eleganter D. Cyr. Ierosol. Catech. 12. ait. *Ecce Rex tuus venit tibi. Multi sunt reges: de quo dicit hic Propheta? Da nobis signũ, quod alij reges non habeant. Si enim dixeris purpuratũ regẽ; præoccupata est huiusmodi dignitas: si dixeris à militibus stipatũ, incurribus auratis sedentem; hoc etiam præoccupatum est, da nobis signum regis, quem enuntias.* Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator ipse pauper, & ascendens super asinã, & pullum filium asinæ: *Solus regum Iesum super pullo asini sedit: & solẽniter cũ benedictionibus tanquam Rex in Ierusalem ingressus est.* Et solus Iesus omnium externorum nudũ verum se regem demonstrat, & eò clarior Rex est, quò habet minus de alienis, sed sibi ipse ad regnum sufficiens est.

Cyr. Ierosol.

§. XXXIIII.

Deus propter se solum quærendus est, vt dicatur regnare.

FVGIT Dominus regnum propter escas oblatum, quando, vt bene Paulus notat regnum Dei non est esca, & potus; vbi enim esca quęritur; aut cauetur metus famis, ibi, aut fames, aut esca dominatur, nõ Deus: huius regnum est, quando ipse per se solum regit, propter se solum quæritur, & amatur. Pro quo stat Auctor Græc. Nicol. Cabas. lib. 4. de Vita in Christo, fatus. *Sic rexit quorum principatum obtinuit. Non timori cedens, non mercede capi se patiens, sed ipse met sibi potentia regni sui, & solus ipse sibi subditos obstringens; timore enim, aut mercede accepta regnare, profectlo non est ipsum regnare; sed spes, & minæ de exacta obedientia accusanda sunt. Quamadmodum non legitimè regnat, cui regnare est aliunde: sic nec verè Deo seruimus, si aliquo dictorum modorum subditi sumus.* Is verè pertinet ad Iesu regnum, qui nihil aliud spectat præter Iesum, cuius vnica cura est, & solicitudo, vt regnet Iesus, viuatque, præterea nihil. Nec Iesus Dñs aliter æstimat regnare, nisi apud eos, à quibus ipse per se solus spectatur, & quæritur. Lucæ 1. de illo sic Angelus, fatur. *Regnauit in domo Iacob?* Cur nõ in domo Dauid? Cur non in domo Abrahã? Cur, cæteris prætermissis, vnã Iacob domum, meminit, quã sibi in regnũ addicat? Is erat Iacob, qui in rege, cui sciebat se subijciendũ, nihil aliud spectabat, quã ipsum regẽ. Acceperat enim ex Ioseph somnio, se eidẽ, vt regi prestiturũ obedictiã, instabat iã tẽpus cũ Ioseph Ægypti regnũ gubernans agnoscitur à fructibus, renũtiaturq; optimo parenti, Quid tunc Iacob sciens amplissimũ Ægypti regnũ in manu esse filij sui: sic loquitur Gen. 45. *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit.* Nil aliud spectat, nil aliud æstimat præter ipsum regẽ. Hi sunt, qui ad Christi regnũ pertinent, apud hos gaudet Iesus, & gloriatur se regnare. Pulchrè Guarr. Abb. ser. 1. de Resurr. extollit Iacobi vocẽ, vt dignã his, qui Iesu seruiũt. *O vocẽ fidelẽ, & planè dignã amicis Iesu; ô castissimũ affectũ, qui sic loquitur: sufficit mihi, si Iesus viuit, si viuit, viuo, cũ de ipso pendeat anima mea, immò ipse sit vita mea, ipse sufficiẽtia mea. Quid mihi deesse poterit, si Iesus viuit: immò desint omnia alia nihil interest mea, dũ modo Iesus viuat, ipse ergo, si placeat ei, desim mihi: sufficit mihi, dũ modo viuat ipse vel sibi.* Sic affici debent erga Iesum, apud quos gaudet se regnare Iesus, cuius regnũ ideò dicitur esse in domo Iacob. Et notanter dicitur in domo Iacob, & nõ in tabernaculis Iacob: erat enim in domo constituta, quando illũ affectũ in filiũ regẽ ostendit. Verum cum in tabernaculis degebat veniens à domo soceri, nõ sic affectus erat; immò Gen. 32. dum manet in castris, & cum Deo congreditur, sic ait. *Nõ dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Non solum Deum, sed, & benedictionem suã respiciebat, vnde Ps. 86. ait. *Diligit Dñs portas Sion super omnia tabernacula Iacob*: Nõ amat Deus apud tabernacula Iacob regnare, sed apud Sionẽ; hæc est Ecclesia, quæ dicebat Cant. 3. *Inueni, quẽ diligit anima mea, tenui eũ, nec dimittam.* Expende differentiam: nõ ait: *Nec dimittã, nisi benedixerit:* sed solũ dicit: *Nõ dimittã*, vult illũ solũ tenere, & prẽterea spectat nihil, nec benedictionis vsurã, & inde plus placuit, plus amatur. Accipite D. Ber. ser. 79. in Cãt. Sic loquẽtẽ. *Ista nõ vult eũ dimittere; & forte magis, quam Patriarcha id nõ vult: quia nec pro benedictione quidẽ. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eũ, hæc autẽ nõ sic: Nolo, inquit, benedictionẽ tuã, sed te.* Cur, quæ sic Deũ respiciebat, & prætereà nihil, nõ plus amaretur: non citius eligeretur in regnũ Christi? Papę, ideò Ps. 109. ait. *Virgã virtutis tuæ emittit Dñs ex Sion:* ibi enim amat regnare, vbi quæritur ipse, non sua.

Gen. 45.

Gualr.

Gen. 32.

Psal. 86.

Cant. 3.

Bernard.

Psal. 109.

Græc.

Luc. 1.

CAPVT TERTIVM.

De septẽ panũ multiplicatione

TERTVM pánis à Iesu multiplicatur in populorũ saturitatem, opus penè præcedenti simile, etsi quid discrepat, breuiter perstringemus, vt nihil innotatum relinquas.

Text

Text. Matth. 15. Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

§. I.

Vincit in Deo misericordia, & pietas erga multitudinem.

SI diuinitatis insigne erigendum esset, hoc ego trophæum inscriberem: *Misereor turbæ*, vincit enim, & triumphat in Deo pius affectus erga multitudinem. Ecce vobis, cum populus Israeliticus captiuus esset apud Persas, Angelorum duellum hinc inde pugnantium de populo, Gabriel misericordia diuina imbutus procurabat populi liberationem; sed de oppositione alterius Angeli, qui iustitiæ vindicatiuæ partes agebat, quæribundus,
Dan. 32. ait Dan. 32. *Restitit mihi Princeps Persarum, &c.* ille misericordiam, hic iustitiam acuebat; verum, quia populi Deo deuoti causa agebatur, victrix misericordia permanet. Sic D.
D. Isidor. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 81. *Vterque diuinæ legi subsidium ferebat, ille nimirum quod improborum odio teneretur, hic autem quod benignitate præditus esset. Deus enim vtramque virtutem laudat: vicit autem ad extremum, gratia, & bonitate videlicet iustitiam submouente.* Equidem nusquam non solet vincere Dei gratia, & misericordia, vbi integri populi causa cernitur. Id quod non obscure demonstratum est, Num.
Num. 26. 26. vbi enim Dathan, & Abirom, & Core aduersus Moysem murmurassent, vniuersi cum familijs suis absorti sunt à terra. Et quid ex tã to supplicio euenit? *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysem, & Aaron dicens vos interfecistis populũ Domini.* Nec impunitá fuit ista murmuratio, sed oboriens ignis à sanctuario non pautos vorauit, & omnes consumeret, nisi Moysis preces solicitassent Dei misericordiam, quæ tandem vicit iram; sed cur in præsenti misericordia iram submouit, nõ autem quando Dathan, & Abirõ absorti sunt? ibi omnes murmuratores pereunt, hic paucis consumptis, cæteri misericordiam consecuti sunt; cur id? Quia hic vniuersæ multitudinis fuit error, & Dei
Saluian. misericordia in multitudinẽ est procliuis. Accipite Saluian. lib. 1. de Gub. Dei. *Cum omnis tunc populi multitudo peccauerit, cur non est in omnibus vindicatũ? præsertim cũ ex illa, quem supradixi seditione Core nullus euaserit, scilicet, quia plenus, & iustitia, & misericordia Dominus: & pietati suæ, multa donat per indulgentiam, & seueritati per disciplinã. Et ideo ibi præstitit disciplinæ, vt proficeret emendationi pœna omnium noxorũ. Hic autem misericordiæ suæ tribuit, ne vniuersus populus deperiret.* Quado enim n ultitudinis causa apud Deum misericordiã nõ inuenit? Hoc semper videtur diuina misericordia clamare, hoc illi cordi videtur esse ne multitudo pereat, ne vniuersus populus intereat. Scitũ est illud Eli. 1. Reg. 2. *Si autẽ in Deũ peccauerit vir, quis orabit pro eo?* quasi deterreat homines, ne orent pro illo, qui in Deũ peccauit, nihilominus scimus Moysem orasse pro Israele
Exod. 32. cũ in Deũ peccauit, dicens, Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Quid ais Moyses? Cur non metuis Deum offendere dũ ab illo exoras misericordiã in virũ diuinitati iniuriũ? Non pro vno viro, sed pro omnibus orat, & inde non timet offendere, quod sciat Deũ multitudini propitium fore
Ambr. Huc spectat Amb. de Pœnit. c. aiens. *Omniũ memor, sui immemor offendere nõ timebat ipse, vt plebẽ ab offensionis periculo eriperet.* Nemini nocitura esse potest apud Deũ multitudinis defensio, quando ipse Deus sic ad parcendum multitudini propendet.

§. II.

Pœna & afflictio voluntaria propter Deum, non indiget aliorum patrocinio.

NOn discipuli loquũtur pro his hominibus, nemo est, qui illorũ causam Domino repræsentet, & tamen ipse Dñs illorũ miseretur, quia, inquit, triduo sustinẽt me, neque habent, quod mãducent. Ipsa pro se loquitur afflictio, & pœna propter Deũ sumpta. Cananæa videns Dñm discipulis iũctũ Matth. 15.
Matth. 15. cucurrit, & ait. *Miserere mei Dne: filia mea male a Demonio torquetur.* Satius videretur, si prius ad discipulos iret, eorũq; precibus adiuta conueniret Dominũ; at ipsa, vt in se nescio quid laboris, & doloris propter Deũ sensit, non alio putauit egere patrocinio. Ita Orig. hom. 7. in
Origen. diuers. *Nõ petiuit Iacobũ, nõ rogabit Ioãnẽ, nõ accessit ad Petrũ, sed suscepit in se pœnitẽtiæ patrocinium, & sola cucurrit ad Dñm.* Expende ab illis, *suscepit pœnitentiæ patrocinium, & sola cucurrit*; vbi enim quis se se, afflictioni propter Deũ tradidit, non eget alijs patronis, qui ad Deũ clamẽt, ipse in se habet afflictionis patrociniũ, quo & si solus appareat Domino, obti-
Ioann. 1. nebit quidquid volet. Ioann. 1. Can. c. 2. aiebat. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christũ iustũ.* Qualis est ista promissio peccatoribus, nimirum, quod habeant aduocatũ apud patrẽ? Aduocatus non requiritur apud patrem, sed apud iudicem; cur ergo

nõ dicit peccãtores habituros aduocatũ apud iudicem, ſed apud patrem? Equidẽ peccatores dum nullam pœnalem ſatisfactionem ex ſe Deo exhibent, aduocatum requirunt, qui apud patrem intercedat, vt pater miſericordiarum illis conferat ſuam gratiam, qua in ſatisfactionem excitentur, moueantur & Chriſtũ paſſum, & afflictum ſequantur. At vbi ſatisfactionem pœnalem amplectuntur, & res cum iuſtitia agitur, non iam apud iudicem patronos, & aduocatos requirunt, ſed ipſa pro ſe afflictio, & pœnalis ſatisfactio loquitur, & cauſam agit. Sic Carthuſianus apud Lorinum, & *Cell. Abb.* elegant er rem attigit Cellenſis Abb. lib. de panibus, cap. 12. fatus. *O lacryma humilis, tribunal iudicij non vereris; audes vbi timet Angelus; ſola ſi intraueris, nunquam tamen ſola, vel vacua redibis.* Poteſt per ſe ſolam contritio, & afflictio pœnalis ſeueriſsimi iudicis tribunal ſcandere, nullum patronum ibi, nullum habens aduocatum, & non exibit inde vacua, ſed largiſsima mercede cumulata. Quippe afflictio, & anguſtia, ipſa ſibi patronus, aduocatus, & diſſertiſsimus orator eſt, qui intrepide apud *Iſai. 25.* iudicem ſua peragat negotia. Iſaias 25. *Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Exprimit, quod afflicti anguſtiati, & tribulato corde quæſierint Dominum; quæſierint, inquam, non fruſtra, ſed ingentem inde fructum percipientes, vt potè qui aduocatum tribulationem ferebãt, in qua tota oratoriæ ars poſita eſt, ad alliciendos etiã *Forer.* ſeueriſsimos quoſque. Ita Forerius ex noua tranſlatione, quæ ſic apud illum ſonat. *Domine in anguſtia requirunt te; effundunt oratoriam.* Ecce tibi afflicto, & anguſtiato, vt adeſt tota oratoriæ ars, & vis, qua quiſque ſibi aduocatus, & orator ſeueriſsimo tribunali intrepidus, & ſecurus aſtat. Sunt equidem in ærumnis, & afflictionibus fidelium, oratorũ flumina potentia â ſeueriſsimo iudice per ſe extorquere, quidquid amant. Sed adhuc libet illud noſtræ vulgatæ verbum exprimere, nimirũ, *Idem.* *in tribulatione murmuris*, ſiue vt Forerius etiã legit, *in tribulatione incantationis*, quaſi vis, & efficacia tribulationum exprimatur, per vim murmuris, & muſitationis incãtatoribus propriæ, qui dum neſcio quæ verba mandunt, & murmurãt, elementa turbant, & omnia ad ſe trahunt, ſic afflicti homines per Deũ Deũ ipſum incantant, & ad ſe trahunt. Hinc dice- *Hieron.* bat D. Hieron. lib. 2. in Ioninian. *Ciuitas Niniue imminentem iram Domini, ieiuniorum miſeratione detorſit, quam & Sodoma placaſſet, & Gomorrha ſi voluiſſent agere pœnitentiã, & lacrymas pœnitentiæ patrocinãte cõciliare ieiunio.* Expende illud *Patrocinãte*, nouit enim afflictio pœnalis diſſertiſsimum patrocinium præſtare.

§. III.

Dei ſectatoribus facilis, & prompta miſericordia diuina eſt.

ECCE tibi, quam facilis, quam promptus Dominus erga ſectatores ſuos, non longas illorum preces expectat, nec ſinit eos clamoribus defatigari, ſed ad primum indigentiæ contuitum, parat opem. Act. 7. *Lapidabant Ste* *Act. 7.* *phanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatũ.* Vide differẽtiam, pro ſe ſimpliciter dicit, pro perſecutoribus clamat: pro ſe ſtat, pro iſtis procumbit, genuflectit. Cur hæc differentia? non ne eiuſdem efficacię erat oratio in vtroque caſu? Nonne ab eadem exibat charitate? Nonne ſanctus vir propriam ſalutem amplius curabat, quam aliorum? curabat equidem, ſed ſciebat, quã prompte Deus ſuis ſectatoribus proſpicit, quorum vel ad nutum currit, & ideo totum conatum, & ſolicitudinem pro impijs adhibet. Pulchrè D. Au- *Auguſt.* guſt. ſerm. 2. de Sancto Stephano, ait. *Paulum quaſo te ſancte Stephane, expone nobis hoc, quare pro te ſtans oraſti, & pro immicis genuflexiſti? Reſponderet fortaſſe, quid intelligimus, pro me ſtans oraui, quia pro me, qui recte Deo ſeruio orando, & impetrando non laboraui, quia qui pro iuſto orat, non laborat, ideo pro ſe ſtans orauit. Ventum eſt, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Chriſti genuflectitur, &c.* Peccata noſtra ſunt, quæ retardant Deum, & difficilem reddunt; qui alioquin ſumme facilis eſt, & prõptus ad ſubueniẽdum, nec ſinit ſectatores ſuos, & fideles viros clamoribus defatigari, & laborare. Vbi enim, quis inuenitur fidelis Dei ſectator, vix diuinis oculis aſtat, & impetrat, quidquid ſibi opus habet. Prodigus ille filius, vtpote qui ſe mille noſcebat erroribus implicatũ, antequã Deũ conueniat, de aptandis precibus agit, ſic enim meditabũdus ait. Luc. 15 *Luc. 15.* *Surgam, & ibo ad patrem meum, dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te iam non ſum dignus vocari filius tuus. fac me vnũ è mercenarijs tuis.* Ecce quãtus eſt in cõcinnãdis precibus, in aptandis humilitatis verbis, quæ flectãt patrem. Aliter Spõſa, Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciui-* *Cant. 3.* *tatem: per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Nullas præmeditatur preces, nulla facienda verba meminit, ſolũ optat ſponſum inueniri, eiuſque cõſpectui ſubeſſe, cuius præſentia ſi gaudeat, omnia ſibi bona facili negotio vẽtura præſagit. Id quod expẽdit Gillib. *Gillibert.* Abb. ſer. 3. in Cant. fatus. *Ille deficiendo patre ſolicitus. Quæ ſponſa eſt, certa de gratia poſſi- lat*

præ-

præsentiam tantum. Surgam, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea, inuentionem sufficere reputans. Habet hoc fidelis anima, quæ vere Deum sectatur, quod nõ egeat lõgis clamoribus, & precibus defatigari, vt Deũ exoret, at si vel eius oculis astet tacens, facili negotio, sine vllo labore Deum trahit. Quod non trahit fugitiuus peccator, is enim, quisquis fuerit, tamen dum longè à Deo separatum se inuenit, & clamoribus, & precibus, & genuflexionibus incumbere tractet, si Deum sibi cupiat attrahere.

§. IIII.

Ex ærumnis pro Deo susceptis dies hominis censentur.

DEsectatoribus suis ait Dominus, *triduo sustinent me*, iure notans dies sustinentiæ, quia, quæ pro Deo sustinentur, ærumnæ faciunt dies hominis. Nonne apud Ægyptios din egit captiuus populus Israelis? Nonne ibi ærumnosus longis temporibus fuit? Sed tandem ipsi clamauerunt ad Deum, & educuntur ab Ægypto, vt conijciantur in labores eremi, & dicit Dominus Exod. cap. 12. *Mensis iste vobis principium mensium.* Ex tunc censentur dies Israelis, quando educitur ex Ægypto; sed educitur, & simul cõijcitur in labores, & ærumnas deserti. Cur ergo Ægypti dies, vt pote ærumnosi, nõ censentur; & dies ex tunc incipiunt censeri, & numerari, cum etiam abũdent ærumnis, & doloribus? Equidem postremi hi labores propter Deum ferebantur à fidelibus, & ideo ab illis incipiunt dies censeri. D. Gaudentius in Exod. serm. 1. *Non sunt imputati Israelitis illis dies, quos consumpserunt in Ægypto: sed quando ingemuerunt ad Dominum conuersi ab operibus duris, & Dominus percussit primogenita Ægyptiorum, qui eos seruire Domino non sinebant: tunc audiuerunt. Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mẽsibus anni.* Vbi gemitus nostri, & labores nostri Deum aspiciunt, ex tunc dies censentur nostri & incipiunt clarissima ætatis nostræ tẽpora numerari. Sponsa Cant. sic ait. *In lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea.* Sic se nosci t ærumnosam, & laboribus deditã, vt nullum vitæ suæ diem audeat numerare, sed tristibus tenebrarum noctibus se pressam fateatur. Nihilominus tamen non vane consumit laborum noctes, sed per illas quærit Deum, adeò vt quidquid laboris, quidquid afflictionis nox afferat, id sponsa sumit, vt Deũ inueniat, vndè Gillibertus Abb. sermon. 1. in Cant. fatur. *Quære per singulas noctes dilectum tuum. Quid dico per singulas? totas noctes in hoc opus continua; tunc poteris illud Pauli dicere: Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Et quidem vbi ærumnarum noctes Deo quærẽdo subseruiunt, necessum est, vt dies hominis inde incipiant censeri, & numerari; sit nox qua Dominum sustineas, qua Deum quæras, qua post Deum vadas, & ecce tibi dies appropinquant; immõ tibi dies sunt, quibus gaudeas. Nullus tibi enim censetur dies, nisi ille, quo & si ærumnosus ad Deũ vadis. Hinc Iob post filiorum mortem, post bonorum amissionem, summis in ærumnis, & calamitatibus constitutus, non calamitatum, & miseriarum dies perire sibi optat, sed dies natiuitatis. Sic cap. 3. *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit dies suos, & locutus est. Pereat dies, in qua natus sum.* Iob 3. Expende, qualẽm diem cupit iustus homo delere, non diem præsentem ærumnarum, & dolorum, sed diem suam, hoc est diem qua in domo regia natus est, quam secuta fuerunt tot gaudia, tot diuitiæ, tot regiæ voluptates. Hanc diem vocant homines suam, & misere decipiuntur, non enim censentur dies hominis iusti, dies temporalium felicitatum. Id quod notans Olympiadorus in Cat. ait. *Quod enim quemquam delectat, id diem putat suum, ita errore animi decipimur. Quare hanc diem iustus cupit deleri, vt quæ solo nomine vicinitatem lucis imitetur.* Olymdiad. Miserè fallimur, dum inter dies nostros cẽsemus dies felicitatum temporalium, quem communem errorem damnans Iob, nõ præsentem diem calamitatũm, sed præteritum felicitatum optat deleri, & expungi, & penitus obtenebrari. Nullus enim dies censetur noster, nisi quem sustinentiâ decoramus. Psal. 89. *Exultauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris.* Psalm. 89. Nullum diem nostrum amisimus, omnes fleterũt ad solatium: sed qui dies hi fuerunt, qui sic vniuersi habitisunt ad solatium? Iam ipse explicans subdit. *Lætati sumus in diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.* Dies tribulationum, & sustinentiæ, dies sunt, quorum nullus nobis deperijt, sed vniuersi reseruantur ad gaudia.

Exod. 12.

D. Gaud.

Cant. 3.

Gillibert.

Text. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agẽs, fregit, &c.

§. V.

Antiquæ seueritati par gratia in Christo respondit.

NON otiosè septem vtitur panibus Dominus, vt suos alat, sed vt ostendat minime

sue legis gratiam, & benignitatem inferiorem esse antiqua seueritate. Cum Petrus dubitat Matth. 18. an vsque ad septies condonationis numerus esset extendendus? Respondet Dominus, non solum vsque septies, sed vsque ad septuagies septies; quod pulchrè notans Tertullian. Tertullian. de orat. Domini. ait. *Cum interrogasset Petrus si septies esset remitendum fratri: immò, inquit, septuagies septies, vt legem in melius reformaret, quod in Genesi de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies vltio reputata est.* Pro seueritate Mosaycæ mensuræ sit mensura Christianæ gratiæ, non sit Christus minor ad donandum, quam Moyses ad puniendum. Isai. 28. Ex quo lucem affero verbis Isaiæ, cap. 28. vbi sic. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit non festinet. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Haud dubium, quin in præsenti loquatur Isaias de lapide primario Iesu, lapide inquam qui absciissus sine manibus creuit in montem supra quo ciuitas Ecclesiæ fundata conspiceretur. Ergo vbi primum lapis hic diuinus Iesus abscissus sit, vide quid sequatur nimirum: *Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Iudicium & iustitiam in præsenti synonima non sunt, sed prorsus contrariæ significationis; sumitur enim iudicium pro seueritate, & rigore; iustitia autem pro gratia iustificante, & Dei misericordia. Septuaginta enim reddunt; *At misericordia mea in stateris.* Quippe is erit Iesus, cuius misericordia, & gratia respondeat antiquæ seueritati, per quem iudicium antiquum, & noua gratia in eisdem mensuris reperiantur: immo iuxta Iacob. 13. Iacobi 13. *Superexaltat autem misericordia iudicium:* vt maius pondus superexaltare solet minus in statera, quia semper misericordia vberius profluit, quam seueritas. Vnde Cant. 1. Cant. 1. illa, quę introducta erat in cella vinaria fatur. *Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Inter cellaria regis, vbi pateris plenis vina propinantur, ait vberum stillatas guttas vinum excedere, & superare: id quod Gillibert. meditatus Gillibertus Abb. serm. 31. in Cantic. fatur. *Vbera gratiæ, vbera consolationis, austeritatis, & durities vino meliora sunt, ac efficaciora.* Et quidem exceduntur antiqua cellaria à Christi vberibus gratiæ. Sic septiformis gratia per Christum data abundat, immò exun- Ioann. 1. dat; vt dicat etiam Ioann. cap. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quasi pro gratia legis parua, & exili, venerit nobis ingens Christi gratia velut torrens de plenissimo fluenti exiliens. Quis neget seueris sinæ legi gratiam adiunctam fuisse? Sed gratia nimis parua multo sanguine, multo sudore mixta in lege fuit. At in Christo pro mensura seueriss imę legis gratia datur, quæ etiam excedat vniuersas antiquæ seueritatis, & gratiæ mensuras. Chrysostom. homil. 13. *Gratia, Iudæi salutem consequebantur: nos autem omnes salui facti sumus gratia, sed non eodem modo, nec eisdem de rebus, sed longe maioribus, & excellentioribus: sed iustitia, sanctificatio, adoptio, Spiritus sancti gratia in nobis longe clarior, longe vberior.* Nunquam Christi gratia non excedit omnes legis mensuras, vt vel desuperabundantia omnes impleat, & quod lex fecit ad vindictam, Christus efficiat ad gratiam, & salutem. Qua propter comparans, D. Chrysost. legis promulgationem cum Christi prædicatione, ait in Cat. Psalm. 48. *Illa erat tanquam pædagogi institutio, & ministerium mortis, & condemnationis. Hæc autem gratia, & pax.* Nihil in lege inuenies, quod non vindictam sonet. Nihil in Christo, quod non dicat gratiam, & misericordiam, vt de illo dicat Isaias 33. *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem.* Septuag. expressius: *vt non audiat iudicium sanguinis,* quasi nihil magis à Christo alienum seueritate.

Chrysost. Psalm. 48. Isai. 33.

§. VI.

Iugis recordatio beneficiorum Dei, & gratiarum actio.

GRATIAS agens frangit panem Dominus, ne procedat à manu Dei mica panis, quin secum adiunctam habeat, & ferat Dei memoriam, iugemque actionem gratiarum. In simili miraculo Ioann. 6. post. ingentem saturitatem myriadum superfluerũt duodecim cophini fragmentorum, qui & colliguntur, & reponi iubentur à Domino. Sed cur qui sic panes creat, iubet has reliquias in crastinum reseruari? Pulchrè rem attigit D. Basil. Seleu. orat. 33. fatus. *Quia videlicet esus quotidianus dum notitiam repetit, memoriam excitaret.* Meritò Dominus nõ vult, quod sui memoria cũ facto simul transiret, sed plures duraret dies, & in dies per fragmentorum esum renouaretur, adeò vt nulla esset mica, quæ auctorem tanti facinoris non prędicaret, & publicaret. Et quando non est adiuncta panibus gratiarum actio? Isaias cap. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, in brachio fortitudinis suæ, si dedero triticum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum in quo laborasti, quia qui congregabunt illud com-*

Ioann. 6. Basil. Sele. Isai. 62.

comedent, & laudabunt Dominum. Notanter dixit comedent, & laudabunt Dominum; triticum enim, quod à Deo exhibetur, non potest non habere sibi adiunctas gratiarum actiones, vt dicat D. Hieronym. *Hoc est triticũ, & hoc vinum, quod non comedent, nisi laudantes Dominum.* Quasi nec panis mica à Dei manu veniat, quę non inferat, vt cibum, sic Dei laudes humano ori: nec mireris sic inseri diuinis beneficijs Dei laudes, quando quidem summum, quod Deus ab homine expectat, hoc est, nimirum, quod homo gratum se exhibeat tanto benefactori. Inde Genes. 29. de Lia dicitur. *Quarto concepit, & peperit filium, & ait modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam: cessauitque parere.* Ter pepererat, nec confitetur Domino, nec hymnum dicit nomini eius, nec fundit gratias: vbi autem quarto parturit, tunc iam confitetur Domino, iam fundit gratias: & tunc cessat parere. Post confessionem, post gratiarum actionem, cur statim ponitur cessatio partuum? Nimirum vbi Domino confitetur, ad summum peruenit, nihil amplius habet, quod faciat. Ita Philo libr. de plantat. Noe fatus. *Dicitur desiuisse parere, quando non haberet, quo se verteret iam ad perfectionis progressa terminum. Nam inter omnia recte facta nullus partus est præstantior, quam hominis in Deum patrem omnium.* Qui Deo gratias refert, non est quid agat amplius, quasi omnem obligationem absoluit, & cursum consumauit, vnum restat, vt Dei salutari potiatur, Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificauit me, & illic iter quo ostendam illi salutare meum.* In hymnis, quibus Deum laudamus completur iter, quo ad Dei salutare properamus Chrysostom. ibi ait. *Sacrificium, inquit, laudis honorificauit me, protinus addidit, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, ac si patenter dicat, illi iter est laudis ad æternam laudem, sine fine mensuram.*

Text. Et quod superfluit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerant quatuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres.

§. VII.

Mulierum testimonia de diuinis semper suspecta sint prudentibus viris.

CVR à numero illorum, qui miraculosum panem manducauerunt, excipiuntur mulieres? Nonne mirum est, & diuinæ potestatis opus, quod mulierum gula sacietur? Nonne explicaretur magis diuinitatis, opus si è paucis panibus duo mulierum millia super quatuor millia virorum saturarentur? Sed parum censenda sunt semper prudentibus viris mulierum testimonia de diuinis, etsi mulieres sint spectatæ vitæ, & sanctimoniæ, Lucæ 24. mulieres primæ notitiam accipiunt dominicæ resurrectionis: *& regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, & non crediderunt illis.* Expende quæso ab illis verbis: *Erat autem Maria Magdalena, &c.* Notanter enim ostendit Euangelista, quarum fœminarum testimonia de dominica apparitione deliramenta habeantur ante Apostolicos viros. Non equidem mulier quęuis, sed spectatissima fœmina Maria Magdalena, quæ lacrymis lauit Iesu pedes, quæ non semel habuit Christum patronum, aduocatum, defensorem, immò approbatorem suæ virtutis, hæc, inquam, tanta mulier vnà cum alijs sanctissimis referebat, Iesum sibi viuentem visum, & Angelorum colloquia, & non creditur ab Apostolis, immò prudentissime non creditur. Ita D. Chrysolog. sermon. 79. ait. *Quod Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credidisse, aut deliramentum iudicasse referuntur, grauiter nemo arguat: alte dubitat, qui altius creditis decipi non potest, qui non est factis auditui: ignauus nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus: peritia est, non est segnities, cum sensim miles veteranus incedit. Sic Adam nouus cito cecidit, dum cito credidit, & dum facile dat aures ad mulieris auditum, se suosque posteros pessimo addixit inimico: at veteranus Petrus fœminam non facile audit, fœminis nuntiantibus credit tarde, & vt veteranus deliberat, ne vt puer incurrat.* Hæc sæpe legant, qui fœminis diuinitùs factas reuelationes auscultant, & metuant, post tot exempla falsitatum non nimis cauti inueniri. Cui vnquam nimis in fœminas seuera illa lex Pauli visa est, quæ 1. ad Timoth. 2. dicit: *Mulieres docere non permitto?* Sic seuerus Apostolus in mulierum doctrinam ostenditur, & grauis? sic fœmina omnis etiam spectatissimæ virtutis à docendi munere remouenda? cur id

facit prudentissimus, & sapientissimus Apo-
Chrysosto. stolus? Pulchrè D. Chrysostmus homil. 9. ibi rationem insinuat, dicens. *Semel mulier docuit, & cuncta peruertit; idcirco vltra non doceat.* Ex vno lapsu redditur Apostolo suspecta, & inuisa doctrina fœminarum; cur ergo ex multiplicibus lapsibus, & erroribus suspecta non reddantur de proprijs reuelationibus testimonia fœminarum? Expende Dei
Ioel 2. promissionem apud Ioel, cap. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & Prophetabũt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri visiones videbunt.* Nullus sexus excluditur à Spiritus sancti charismatibus, tam fœminæ, quam viri implentur eius afflatibus. Sed, vt bene notat
D. Hieron. D. Hieron. etsi fœminæ dicuntur prophetaturæ, tamen somnia diuina, & visiones non à fœminis, sed à viris strenuis, eisque senibus iubentur spectari. Non periculosum est mulierum prophetias accipere, quarum euentus euidens non finit locum fallaciæ; at mulierum somnijs, & visionibus nimis credere, easque publicare, nescio an prudentis viri sit. Quippe scio Hieronymum sanctissimarum fœminarum magistrum fuisse, apud quem inuenio illarum virtutes descriptas, & prædicatas, sed nullius visiones, aut somnia memini ab illo legisse exaratas, & si quæ sunt, sanè rarissimę erunt, & sanctissima morte confirmatæ. Hinc prudentissimus Samsonis pater, vt vxori An
Ambr. gelum visum audiuit, sic clamat Iud. cap. 13. iuxta lectionem D. Ambros. epist. 70. *In me Domine veniat Angelus tuus*: quasi inde vellet Angelicæ apparitionis veritatem à suspicione liberare, quod viro fuerit facta. Sic prudentissimus Paulus, 1. ad Co-
1. ad Cor. 15 rinth. 15. narrans Christi apparationes post resurrectionem, ait. Visus est Cæphæ, & post vndecim. *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. Deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* Sed cur nullius fœminæ meminit, cum & fœminæ primæ Iesum rediuiuum vide-
D. Thom. rint? D. Thom. ait: *Noluit ponere testimonia, nisi authentica, & ideo tacuit apparitiones mulieribus factas.* Iam hinc discent sapientes viri apparitiones mulieribus factas non circumferre.

CAPVT QVARTVM.

De piscium captura.

QVAM nauim non vincat Petri nauicula? Hæc aureo aguiculo Dei diues maria sulcat: & dum in altum ducitur, expansis retibus mare verrit, & facit ingentem piscium piscaturam. In captis piscibus miratur Petrus diuinissimam præceptoris sui virtutem, & totus stupore possessus illud inclamat. Recede à me, quia homo peccator sum. Satius, ô Petre, quia & peccator, accessum Saluatoris requireres, quo sicut pisces ad retia, ita oues ad caules, & homines trahuntur in vitam.

Luc. cap. 9. Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth, & vidit duas naues: Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum.

§. I.

Humanæ vitæ inconstantia, & miseria ex comparatione nauis.

DOMINVS ad stagnum Genesareth oculos conuertens, vidit duas naues, & quid aliud cerni potest in vastissimo pelago mundialis vitæ? Nihil mundus exhibere potest aliud præter naues. Nauis est quibus homo surrentibus fluctibus vndequaque cinctus, Psal. *Psalm. 106* 106. eius miserias apprimè describit. *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Sed quæ opera, quæ mirabilia Dei vident isti in mari? iam explicat, dum ait. *Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum*

eorum in malis tabescebat, turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deborata est. Ecce tibi cuiusmodi vita humana est, nimirum, nauis commendata fluctibus tempestate actis. Nihil securum, nihil firmũ videt nauta, dum tempestas furit, immò nihil non incommodum, & lethale experitur; vndique rapidus ventus, vndique frementes fluctus, vndique mors, & submersio vicina est. Nec id summum esset discrimen, si dum externa fierent, interna hominis sic affecti quieta essent, & tranquilla, verum vndarum fluctuationem mentis fluctuatio superat, *turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius*; vt in ebrio cerebri turbatio præeminet; sic in miseris hominibus, dum fluctuat, dum procellis quatiuntur, dum naufragijs passionis petuntur, mentis turbatio omnes alias turbationes superat. Hanc hominis miseram conditiõnem sic deflet D. Nyssen. tractatu 1. in Psalm. cap. 8. inquiens. *Homines relicta stabili, & nullius tempestatis expositavita, voluntate, & proposito, quasi mare effecti sunt. Inquit enim, qui descendunt in mare nauibus: & loco paradisi, quem colebant, & in quo prius viuebãt, artem fabricarũt submersioni obnoxiam.* Huc se deduxit hominis miseria, vt à florenti, & stabili paradisi vita, vbi quasi vitalis planta firma radice plantatus erat; firmam & omnis turbationis expertem terram incolebat; instar nauis fluctibus commendaretur, crebrisque daretur procellis, inter quas vix aliud vicinius, & proximius, quam naufragium spectare licebit. Hanc vitæ ingentem miseriam in se experiebatur Dauid 1. Reg. 20. aiens. *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego, morsque diuidimur.* Qualis est vita, quę tam paruo interuallo à morte distat? Quæ vita similior naui, quam quæ vno gradu à morte diuiditur? sic nauis vicinissima naufragijs, à quibus vna interiecta fragili tabula diuiditur; sic hominum vita tempestatibus, fluctibusque continuis agitata vix vno gradu à morte diuisa manet. Vndè merito inter difficilia ponit Salomon Proverb. 30. viam nauis in medio maris, id quod expendens Galfridus apud Delrium in adagijs, tom. 2. ait. *Nihil in rebus humanis terribilius, nihil periculosius est, quam inter flatus aeris, & fluctus maris: inter auras instabiles, & vndas mobiles, ligno fragili credere vitam suam, & vix duobus digitis à morte distare. Sic fluctuant, quos metus agitat, & vana solicitudo conturbat, vt nullum inueniat spei anchoram firmamentum, nullum prorsus, aut penitus scopulosum littus appareat.* Expende hominis, & nauis æqualem miseriam, nimirum, *vix duobus digitis à morte distare*, nihil vicinius, proximius nihil, quam mortem vndequaque videre. Sic omnis homo, ex quo à paradisi portu soluit, velut nauis commendatur procellosi pelagi mundialis fluctibus, inter quos nullum vique firmamentum, nullum littus apparet, vna mortis vicinitas, vndequaque sentitur. Sic Psalm. 37. *Cor meum conturbatum est*, vbi legit D. Hieronym. *Cor meum fluctuabat*, vt ostendatur miler homo ad instar nauis medijs procellis fluctuantis. A qua miseria solus ille eripitur, qui Christiana sapientia viget; vt dicat Ecclesiasticus, cap. 33. *Sapiens non odit mandata, & iustitias, & non illidetur quasi procella nauis.*

§. II.

Nullus principum, aut prælatorum, aut diuitum solus pergit in præcipitium. Vbi quam torqueat damnatos clientum societas.

DVæ visuntur naues in mari, nusquam enim vna sola nauis fluctuat in mundiali pelago? nusquam vnus princeps, aut diues nauis nomine significatus, solus nouit perire. Sic D. Basilius orat. in sanctum Gordium fatur. *Gordius spretis omnibus vrbanos fugit tumultus foricalamorem, magistruum ambitionem, tribunalium fastum, quibus magnæ vrbes repertæ sunt, multosque secum tanquam naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt.* Ecce tibi, vt magna nauis numquam sola per pelagus graditur, sed alias cymbas, & naticulas secum pro ministerio trahit, cum quibus & patitur naufragium. Ita quilibet mundialium magistratuum; quilibet diuitum, & potentium nũ quam solus ingreditur mortis, aut supplicij tempestates, sed & secum innumeros alios rapit. Qui princeps, qui potens, qui diues solus iuit ad lacrymas? Bene Iob, cap. 26. ait. *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Ad Dei incredibilem potestatem indicandã, suffecisset, lamenta, & gemitus potentium virorũ explicasse; quippe tam potens est Deus, *qui auferat spiritum principum*, qui mittat principes in locum, vbi est gemitus, & stridor dẽtium: cur voluit addere illud, nimirum: *& qui habitant cum eis?* Crediderim id additum non ad ostendendam Dei potentiam, sed principũ cõditionem, qui nesciant soli ire in perditionem; sed sæpe cant magna stipati caterua. Vndẽ D. Thom. ait. *Quia non soli ipsi perierunt, sed multi alij cum eis: & tunc postea subiungit: Et qui habitant cum eis, scilicet, similiter gemant.* Nemo potentium solus perditionem intrat, sed magna clientum, famulorum, aut iccorum comitatus turba. Equidem ille Lucifer, qui

mane oriebãtur, quando aſcenſiones in corde meditabatur ſuo, ſolus proponitur dicens Iſai. 14. *Aſcendam in cœlum, &c.* nullum ſecum ſocium trahit, vt aſcendat; verum vbi deturbatur in profundum, quis numeret ſocios ſequentes illum? Apocalyp. 12. *Ecce draco magnus, & rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis ſeptem diadema, & cauda trahebat tertiam partem ſtellarum.* Rariſunt aut nulli, qui admittantur ad potentium glorias; at ingens eſt ſemper multitudo, quæ trahitur à potẽtibus cadentibus, qui omnes ſuos familiares, & vnanimes præcipitare nouerũt. Ezech. 31. Sic Ezechielis cap. 31. ad Pharaonem regem. *Cui aſſimilatus es ò inclyte, atque ſublimis, inter ligna voluptatis ad terram vltimam in medio circumciſorum, dormies cum eis qui interfecti ſunt gladio. Ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo eius.* Perijt equidem Pharao, an perijt ſolus? Abſit: immò ingens illa miniſtrorum multitudo, quæ ad inſtar lignorũ paradiſi illum vbique obumbrabant, ſimul perijt cum illo, ipſeque cum lignis voluptatis ingreditur vltimam terram inferni. Pharao eſt, princeps eſt, qui cum ingenti multitudine miniſtrorum in mortem æternam incidit. Nec otioſe dicitur potens in infernum ire cum lignis voluptatis, poſſet enim explicatius dicere, cum miniſtris, ſed maluit dicere cum lignis voluptatis, ne videantur ex multitudine ſociorum ſolatia creari potentibus pereuntibus, ſed potius aggrauari ſupplicia. An qui in flammam cadit cum adiunctis ſibi lignis non potius aũgebit, quam minuet ignem? ſic miniſtri rapti ad pœnam ligna ſunt, qui ignem augeant Dominis. Hinc nata eſt illa ſolicitudo diuitis epulantis Luc. 16. Luc. 16. qua dicebat. *Rogo te pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum.* Quippe flammis poſſeſſus timebat ſuorum aduentum; vt cremandus timet ligna, quibus maior ignis exurgat, & ideo precabatur miſer ſuorũm ad ſe acceſſum, quaſi neceſſario imminentem alio diuerti, ne maiori cremaretur igne adhibitis tot lignis. Iob cap. 3. conuocans ad maledicendum nocti natiuitatis ſuæ illos, qui æternis maledictionibus addicti numquam nouerunt quieſcere à maledictis, ſic ait. *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiatham.* Aliter multi Hebræi in rem præſentem legunt. *Qui parati ſunt orbari, ſeu commitatu, ſeu adhærentibus ſibi.* Sanè qui æterne maledictionibus additi ſunt, hoc anxie cupiunt, quod orbi, & ſoli relinquantur inflammis ſine ſociorum & miniſtrorum ſocietate; quot enim amici, & voluntatum ſuarum adminiſtri illuc peruenerint, tot ligna ſunt augentia vim flammarum. Do D. Epiphanium in epiſt. data Hieronymo, quæ habetur inter epiſt. Theophyli Alexand. vbi ſic. *Audio ad Occidentem quorumdam hominum naufragia peruenisse: qui non contenti peraditione ſua volunt plures mortis habere participes; quaſi multitudo peccantium ſcelus minuat, & nõ numeroſitate lignorum maior gehennæ flamma ſuccreſcat.* Equidem quot ſocios facis ſceleris, tot ligna tibi applicas, quæ gehennæ præbeant incrementum. D. Epiphã. Theoph.

§. III.

Quidquid præcellens perſona loquatur præceptum eſt.

MIRARIS quòd tantus Dominus rogãrit nauiculam à terra reducere, cur non potius iuſſerit? Equidem rogatus, & obſecrationes, & quælibet Ieſu verba ex maieſtate perſonæ in præcepta tranſibant, quæ non facile licebat contemnere. Paulus 1. ad Corint. cap. 17. ſic fatur. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit; quod ſi dormierit vir eius liberata eſt; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium. Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Itaque vidualem continentiam conſulens Paulus, quaſi conſilium ſuum minimè reijciendum vellet, illud ob oculos proponit, quod ſpiritum Dei habeat. Ego, inquit, qui hæc conſulo ſpiritum Dei in me inhabitantem, & loquentem & conſulentem habeo. Cur in ſe Dei ſpiritum inhabitantem obteſtatur in his continentiæ vidualis conſilijs dandis? Crediderim hoc agi à Paulo, vt vim huius conſilij præcipuam oſtendat ex ingente conſulentis auctoritate, quæ tanta eſt, vt quodlibet eius vel ſimplex verbum, velut præceptum ſuſcipi debeat ab illis, quibona velint confidentius ſperare. Sic ſana mente intellectus Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem fatur. *Ita Spiritum ſanctum auctoritate ad eandem ſpeciem adire fecit Apoſtolus, cui nos magis obſequi voluit? & factum eſt iam non conſilium diuini ſpiritus, ſed pro eius maieſtate præceptum.* Vbi enim tantæ maieſtatis auctoritas intercedit, nulla vox, nec ſyllaba eſſe poteſt, quæ ſuſcipi, & æſtimari, vt magnum præceptum non debeat. Hinc Iſraelitæ ſic ad Ioſue locuntur, cap. 1. *Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus, & tibi: tantum ſit Dominus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. Qui contra dixerit ori tuo, moriatur.* Quaſi tanta eſſet auctoritas hominis, vt vel labiorum eius motus habeatur vt præceptum, cui contradici non poteſt 1. ad Cor. 17. Tertull. Ioſue 1.

ſine

ſine ſupplicij metu. Qui contra dixerit non ſolum imperijs tuis, ſed ori tuo, hoc eſt, quālibet oris vocem, ſeu halitum contempſerit reus ſit legis fragij, & morte puniatur. Quo iuſtificatur ſeueritas illa Gedeonis in viros Socoth: quippe ait ad illos Iud. 8. *Cum reuerſus fuero victor in pace, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuli ſque deſerti.* Sed quale fuit hominum iſtorum delictum, pro quo tanta pœna plectuntur? An aliquod regium edictum contempſerunt? An præceptum impoſitum confregerunt? Solum obſecranti Gedeoni non annuerunt, quippe Gedeon dixit ad viros Socoth. *Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerant, vt poſſimus perſequi Zebee, & Salmana reges Madiam. Reſponderunt principes Socoth. Forſitan palmæ manuum, Zebee, & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas, vt demus tibi panes? Quibus ille ait cum reuerſus, &c.* Ecce tibi tota iſtorū hominum cauſa; illos rogat, & obſecratur dux Gedeon, & ille dux, cui Dominus aderat; illi autem, non ad imperium, ſed ad obſecrationem, & rogatum tanti ducis ſurdeſcunt, & merito quaſi legum fractores morte mulctātur. Obſecratio enim tanti viri tali tempore, eum diuinam ſibi aſſiſtricem habebat poteſtatem, omni imperio debebat haberi ſanctior, & magis obſeruanda.

Iud. 8.

Text. Et ſedens docebat de naucula turbas.

§. IIII.

Vacuandum cor hominis à terrenis bonis, vt attingat portum felicitatis.

DICIT quòd Ieſus de nauicula docebat turbas, & non explicat, quid de nauicula doceret, ſane, quia ea docebat, quæ manifeſtiſsime nos docent vniuerſæ naues. Quis neſciat doctrinam, & philoſophiam nauium, quæ nimis oneratæ pereunt, & euacuatæ occyſsime nauigant? D. Baſil. in cap. 2. Iſaiæ fatur. *Quemadmodum enim nauis onere immodico degrauata ad portum multo cum negotio proruehuntur, ac facile ſubeunt naufragium: parili ratione corpora, quæcumque tandem multa, ac redundanti alimonia ad obeſam carnulentiam deuergunt per voluptatum illecebras, in imam voraginem perditionis natando immerguntur.* Æmulamur naues in periculis dum cupiditatum oneribus præſsi, & grauati, aut in perditionis voragines mergimur, aut hæremus in ſalebra, aut ægre, & difficulter portum attingimus felicitatis. Sit igitur nobis, vt nauibus portus pretioſior omni alia re, nauis vt portum attingat nullis bonis, nulli auro parcit, omnium iactū patitur, quo ſupperet tempeſtates, ſic & nos pro anima, nihil non contemnamus. Hinc inconcuſſam hominis prudentiam cenſebat diabolus, apud Iob cap. 2. aiens. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Etenim poſtquam vidit à Iobi anima bona externa deſpici, hāc didicit malus veritatem, nimirum, quod ſingula bona apud prudentē hominem, certum gradum æſtimationis habent, adeò vt facile alia pro alijs dimittat. Præ omnibus autem homini pretioſior eſt anima: deinde ſalus corporalis, deinde bonum externum, & ideo vt ſeruet animam facile exponit bona temporalia, nec multum curat diuitias, dum vitam habeat, pro qua cætera omnia deſpicit, quaſi qui multis pellibus veſtitus eſt, ſemper exteriores exponit, vt intimas ſibi valeat cōſeruare. Sic cordatus homo pellem pro pelle dat, hoc eſt pro intima animæ ſalute, externorum bonorum iacturam nouit facere inſtar nauis, vt prædicta verba explicans Origen. lib. 2. in Iob fatur *Qui in mari nauigant, cum periculum paſsi fuerint, omnia, quæ in mari habuerint, contemnunt, atque in mare proijciunt, vt ipſi euadant. Et quitumque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem ſubſtantiam ſuam libenter efferunt, tantum vt corporis incolumitatem recipiant. Sic, inquit, & Iob omnes diuitias, & omnem rem familiarem facile contemnit, tantum vt dolores non contingant in carnes eius.* Sic quilibet homo cordatus omnia debet contemnere, dum modo ſibi æternam ſalutem cōſeruet, nec aliter homo in die turbinis, & tempeſtatis magnę incolumis euadet, niſi inſtar nauis omnia cupiditatū, & diuitiarum onera à ſe ablegauerit. Id quod inſinuans Iſaias, c. 2. ait: *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt.* Non miror, quod homines peccatores iudicandi à Deo in die illa tremenda vocentur ſuperbi, arrogantes, & alia huiuſmodi, ſed miror, quod vocentur naues Tharſis: cur viſitādi à Deo, & iudicandi homines naues vocantur? An vt ſimul oſtendatur, qua via poſsint incolumes ſeruari? Plane is homo etiam in die turbinis, & extremæ calamitatis ſaluabitur, qui inſtar nauis omnia dimiſerit, & prorſus vacuus inuentus fuerit à tempeſtate. Hoc vnum effugium reſtat hominibus imminente iudicij tempeſtate, ſi à ſe omnia mundialia penitus dimittant. Vndè preclarè aiebat D. Nylus in Aſcetico. *Ne nauis pondere oppreſſa ſubmer-*

D. Baſil.

Orig.

Iſai. 2.

D. Nil.

ſubmergatur, eam ſubleuant, & pretioſiſsima quæque vel in profundum iaciunt: cur non etiam nos propter vitam præſtantiorem, ea deſpicimus, quæ animum in profundum detrahunt? Cur idem non poſsit Dei timor, quod poteſt timor maris? Hæc ille.

§. V.

Quam velociter tranſeunt humana.

INSVPER aliud nauicula docet, id quod docent vniuerſæ naues celeri curſu præter-
Sapient. 5. reuntes mare, nimirum, quam velox ſit in pertranſeundo vita humana. Sap. 5. *Tranſierunt omnia illa, tanquam vmbra, & tamquam nuntius velociter percurrens. Et tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium reperire.* Nauis eſt quiuis homo in hoc mundiali pelago iactatus, & inſtar nauis velociſsime tranſit, &
Geneſ. 3. pertranſit, vt nullibi reperiatur conſiſtens. Geneſ. cap. 3. quæ rebat Dominus. *Adam vbi es?* Nec tamen audio vllum Deo redditum fuiſſe reſpõſum. Cur id pateris, Deus iuſte? Cur pateris te reſponſo fruſtrari à vili creatura? Cur non cogis reum reſpondere, hic ſum, vel illic ſum? ſanè inutile eſſet, quodcumque reſponſum, & fallax: ſumma enim velocitas hominis in prætereundo faceret, vt homo non eſſet, vbi diceret quando reſponſum ad Dei aures accederet, & ita ſine fallaciæ ſuſpicione nõ poſſet dicere, vllibi eſſe. Vndè ad rem ſatis
Phil. aiebat Philo Iudæus lib. de ſomnijs. *Interdum Deus ſciſcitatur ex quibuſdã, ſicut ex Adamo, illud vbi es? Ad quod propriè reſpondere poterat. Nuſquam: eo quod humana res omnes nunquam in eodem ſtatu maneant.* Qui diceret, hic ſum, fallax inueniretur, cùm non tam cito volaret reſponſum ad aures, quàm cito ille elaberetur in alium locum, & ab hoc in alium, ita
Hildeber. magis verè poſsit dicere nuſquam, quam alibi eſſe. Quõ etiam refero Hildebertum epiſcopum, qui epiſt. 56. de contemptu rerum humanarum, ſic ait. *Cæterum hæc aliena eſſe fuga ipſorum denuntiat. Bona vaga, bona pennata ſunt hæc omnia. Eorum eſt nuſquam eſſe diutius, eorum ſtatus nemini ſtatum præfigere certiorem.* Sanè veriſimè, & prudentiſsimè de labili rerum humanarum ſtatu iudicabit, qui nuſquã eas eſſe cognouerit, nec de ſe aliquid affirmare fuerit auſus, ſciens quemlibet ſtatum verbis fugatiorem, curſore velociorem, naui le-
Eccleſia. 1. uiorem. Ideo cordatus ille vir Eccleſiaſtes cap. 1. aiebat. *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael in Ieruſalem*; nondum regnum amiſerat, nondum purpuram poſuerat, at ſic volantem cognoſcebat ſtatum, vt mãluerit affirmãre fuiſſe, quam eſſe. Argute Hugo Victor. hom. 5. ibi, *Hug. vict.* ait. *Rex fui, ſam non ſum*, ſic labitur humanus ſtatus, ſic fluunt vniuerſę res hominum, vt verius de vnaquaq; poſsis affirmare, quod fuerit, quã quod ſit. De hoc iam diximus alibi, nec in cantatiſsima, apud omnes, re vacat immorari.

Text. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

§. VI.

Nullis mundialibus commodis immorandum.

NON multum moratur Dominus vno in loco, ſed continuo iubet vella ventis dare & pergere in altum, condemnans eos, qui ſic incubant mundialibus, vt toti ibi hæreant. Plane licet bonis temporalibus vti, ſed pertranſeunter, nec in illis diutius immorari.
Pſalm. 103 Pſalm. 103. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.* Ecce felicitas nauium præ reptilibus, præ maris animantibus, & hæc, & illæ in mari ſunt, ſed reptilia morantur ibi, nigroque incubant profundo: naues autem minùne morantur, ſed pertranſeunt, & dum tranſeunter maribus fruuntur, maxime illæ commendantur. Ita ex omnibus commendabiles ſunt, nõ qui penitus immerguntur bonis mundialibus, ſed qui per illa pertranſire nouerunt. D.
D. Baſil. Baſil. in cap. 2. Iſaiæ ait. *Quæ mare permeant naues, non item moram trahunt in eo, neque immerguntur vndarum æſtu, vndique commendabiles ſunt: & qui in carne quidem degunt, non etiam militantes ſecundum carnem, calcantes huius vitæ æſtuoſos fluctus, & vndis ipſis ſuperiores effecti faciunt operationes in aquis multis.* Non qui ſe immergunt mundialibus bonis, illiſque toti incubant, ſed qui inſtar nauis per mare, per mundialia bona pertranſeunt, aliò ſpectantes, hi commendabiles Deo ſunt, æternæque felicitatis portum attingent. Dantur enim homini bona hæc, quaſi in tranſitu, non vt illis inhæreat, & immoretur, ſed vt illis pertranſeũter vtatur ad ſolida, & æterna proſpiciens. Cuius typo iubebantur Hebræi agnum ſtantes, & peregre manducare; ait enim Exod. 12.
Exod. 12. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & come-*

comedetis festinanter. Sic dantur nobis vniuersa bona mundialia in transitu, ne illis insideamus, aut penitus incubemus, vnde D. Greg. homil. 22. fatur. *Festinantes ergo pascha comedamus, id est, ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelemus. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patriam locum perdat. Nemo moras ad appetenda studia innectat.* Quidquid hic est, transeunter attingendum est; quasi viator qui transit, & festinato furto pomum ab arbore decerpit, totam mentem suam in patria ad quam tendit statuens. Noli procumbere, noli immorari terrenis, quisquis cupis immortalibus victorijs aptari. Ex ingenti Gedeonis exercitu illi eliguntur ad victoriam, qui manu, & lingua lambebant aquas de flumine, non qui procumbebāt, Iud. 7. *Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proijciente aquas lambuerunt trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Ait Dominus ad Gedeō. In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos.* Cur ij potius eliguntur à Deo ad victorias? An quia meticulosiores erant? Sic putauit Theodoretus: verum Lyra aptius in rem nostram ait. *Qui manu, & lingua lambebant aquas. Signum erat, quia nolebant ad terram procumbere, sed statim transire.* Et quidem ad immortales glorias eliguntur à Deo, qui sic ad humana commoda accedunt, vt nollent ibi insidere, ibi procumbere, sed statim inde transire, & leui refectione sumpta, ad solidas immortales glorias peruenire. Non aliter pristini patres, de quibus Paulus ad Hebræos, cap. 12. ait, quod confitebantur: *Quia peregrini sunt, & hospites super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Quasi hoc signum sit eorum, qui æternæ felicitatis portum contingent, & patriam cœlestem Ierusalem, nimirum, quod terrenis solum fruantur in transitu, vt hospites, qui nec dum hospitium intrant, & iam exire festinant. De illis Chrysostom. ibi homil. 25. *Nos terrenis inhiamus, & à terrenis nolumus abscindi, sed veluti vermes quidam ex terra in terram, & iterum ex alia in aliam circumrepimus. Illi patriam quærebant, quæ in cœlis est, & sic festinabant, vt hinc discederent.* Festinet ergo à terrenis soluere, cui cura est de cœlesti patria potiunda.

D. Gregor.

Iud. 7.

Theodor.

Ad Hebr. 11.

Chrysost.

§. VII.

Obedire sciat, qui vult discere imperare.

NOTANTER imperat Dominus Simoni, nauim ducere, vt subdi, & obedire sciat, qui ad Ecclesiæ eligebatur præfecturam. Quando melius imperare discis, quam vbi perfectum subditum agis? Quis aptior ad regni clauum, quam qui obedire, & esse subditū sciuit? Apud Ioannem cap. 5. de Iesu dicitur: *Et potestatem dedit ei, & iudicium facere, quia filius hominis est.* Expende ob quam rationem Dominus accepit à patre iudiciariam potestatem, ob eam, nimirum, quia filius hominis erat. Et quidem filius hominis citius præseferebat formam serui, quam Domini; de illo itē dicebatur Luc. 2. *Et erat subditus illis*; eundemque antea videres, quod instar rei apud iudices erat, quam instar iudicis super reos. Cur ergo ad imperium, ad præfecturam eligitur, qui formam serui, & subditi, immò, & rei præferebat? Sanè nullus melior præfectus, quam subditus; nullus melior iudex, quam qui reus. Hinc iudicandos consolatur D. August. serm. de verbis Domini 64. inquiens. *Forma hominis uentura est ad iudicium, forma illa hic iudicabit, quæ iudicata est. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice. Damnauit reos veros, qui factus est falsus reus. Ille veniet, forma illa veniet.* Quam bonus erit iudex erga reos, qui sciuit reum agere? Quam dolebit vocem reorum adstantium, qui instar rei in tribunalibus coram iudicibus stetit? Quam moderatus præfectus erit, qui perfectè subditum egit. Ne mirem, quod Dominus Iosephum regno destinans, illum etiam, & dura seruitute excoluit, & reorum more carceres fecerit subire, & iudicia: quasi nulla esset præstantior officina ad creandos reges, & iudices, quam ea, in qua ipsi & subdi, & subijci alijs ediscūt. Vnde Psalm. 104. *In seruum venundatus est Ioseph*, & dum sic seruiret: *Misit rex, & soluit eū, cōstituit eū Dominum domus suæ, & principē omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum.* Præclarè, qui in regē & iudicē creabatur, permissus est agere personam serui, personā subditi, immò personam rei, quamuis fictitij. Sed expende, quod hic talis, non solum ad principatum assumitur, sed & fit principum, & iudicum magister. Cur non solum fit Princeps & gubernator, sed & gubernatorū magister? Rationem illud insinuat, nimirum. *Vt erudiret principes eius sicut semetipsum*: quia ipse solus in se habebat totum quod bonus princeps, & gubernator debebat habere; nimirum, qui ser

Ioan. 5.

Luc. 2.

Aug.

Psalm. 104.

uitu-

uitutem,& ſubiectionem noũerat, qui iudiciũ etiam paſſus fuerat. Ideò ergo fit Ioſeph magiſter iudicum,& gubernatorum, vt illos erudiret ſicut ſe ipſum,ſicut ipſe eruditus eſt, & excultus per ſubiectionem, & durorũ dominorum tolerantiam. Id quod explicatius ponit Genebrard.dum pro *erudiret*, explicat ipſe aiens;*vt vinciret, propriè alligaret,ſicut ſemetipſum.* Quaſi Ioſeph promotio ad regnũ, per ſubiectionem,per duriſsimorum iugorum tolerantiam optimum eſſet magiſterium creã dis iudicibus,& præfectis. Quo etiam ſpectat Pſalm.2.*Erudimini qui iudicatis terram ſeruite Domino in timore.* Ille perfectus iudex exiſtat, qui etiam in ſubditorum numero fuit cõputatus, & nouit vnus è ſubditis, & timere Dominum,& correptionem capere.

Genebr.

Pſalm. 2.

Text. Et reſpondens Simon dixit illi. Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus:in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.

§. VIII.

Chriſti diſcipulus breui ſpatio compenſat bonorum copia, quidquid multis annis laborans ſæculo perdiderat.

NOCTVRNI laboris iacturãm piſcatio reparat facta Ieſu nomine,quid enim nõ reparat tanti præceptoris diſciplina? Nonne perditos longiſsimæ noctis labores, vnus retis iactus Ieſu nomine compenſat? Sane vbi Ieſus doctor, & præceptor eſt, breui ſpatio potes capere, quidquid per longum tempus perdideras.Pulchrè per Ioel cap.2.fame & ſterilitate conſumptis Iſraelitis dicitur. *Filij Sion exultate,lætamini in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, ac deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum,& ſerotinum in principio,& replebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino,& oleo, & reddam vobis annos,quos comedit bruchus,& orugo,& locuſta.* Nullum laborem ſinit tãtus doctor irreparatum; illius auſpitio ſterilitas reparatur nouis frugibus,& qui anni fuerunt vacui, copia bonorum replebuntur.Sic ait,*reddam vobis annos,quos comedit locuſta*;cõpenſat equidem cœleſtis doctor copia donorum, quotquot dies inopia,& labor conſumpſit. Quis tãti præceptoris fugiat ſcholas? Quis tãti doctoris nõ amet diſciplinam,cuius vel nomine poſsit reparare bonorum copia longi temporis labores irritos? Sic in breui nouit compendiare ingẽtia ſuę largitatis bona, vt quidquid per longũ tempus perdidiſti,ſimul vno momento poſsis recipere. Quò etiã reuoco illud Iſai. 30.*Et dabit Dominus vobis panem arctum, & aquam breuem.Et non faciet auolare à te doctorem tuum:& erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* De tẽpore loquitur,quando præceptor diuinus Ieſus hominibus hoc mundi mare nauigãtibus, in illoque fruſtra laborantibus apparebit,tũc inquit, ſub iſto præceptore obtinebis *panem arctum,& aquam breuem.* Quid ſignificat panis arctus,& aqua breuis? An ſignificatur ibi ſterilitas,& inopia aliqua panis? Quin potius ſignificatur ibi ingens bonorum abundantia breuiſsimis ſpatijs cõpẽdiata.Id quod inſinuabant Lxx.cum reddunt. *Dabit vobis Dominus aquam anguſtam,* non vt penuriam oſtendant aquarũ,ſed nimiã illorũ copiam, & profunditatẽ breui tamen,&anguſto ſpatio cõglomeratam;vt accidit in fluminũ, ſeu maris anguſtijs, quando immenſum pene æquor ſe ſe anguſto in canali arctat, vt paruum intra ſpatiũ totã cõgregationem aquarum videas coarctatã.Sic nobilis præceptor noſter Ieſus vbi apparuit dedit ſuis panem arctum,& aquam anguſtã,nimirum,vt breui ſpatio immẽſam gratiarum,& bonorum copiã habeas, totamque illam bonorum ſegetem cõpendiatam capias, quam tot annorum ſacrificia, & ceremoniæ in veteri lege procurabant.Sic pene Hieron. Procop.& ex his Leo à Caſtro.Felix Chriſtianus, qui ſub tanto præceptore Ieſu hoc habet, vt totam bonorum copiam, quã multis annis laborans perdidit,vel horæ momẽto poſsit cõpenſare,& intra breuiſsimi ſpatij anguſtias reſtaurare. In quo Prophetarũ plus aſsimilatus eſt Ieſus,quã in Iona? Igitur Ionas poſtquã à ventre piſcis euomitus eſt,ſic prædicat Niniuitis iuxta Septuag.lectionẽ:*Adhuc tres dies ſunt,& Ninive ſubuertetur.* In quibus verbis illud notabis,diuinã illã ſententiã fuiſſe cõminatoriã,& allectoriam ad pœnitẽtiam. Deus enim Opt. & Max. cupiens ciuitatem illã ad meliorẽ frugem conuertere, illam terrore vicinæ mortis voluit commonefacere. Tunc dubito,cur volens Deus tantæ ciuitati pœnitentiæ tẽpus concedere,tres tantum dies præſtat induciarum? Nonne quò terminus magis anguſtatur,eò difficilior ad pœnitẽtiã fit via? Abſit:immò intra illas termini anguſtias latiſsima ad pœnitendũ via aperitur,dũ per Chriſtũ fidelibus datur,vt in breui totã gratiarũ copiã obtineant. Tantum non dixit hoc D.Baſilius Seleu.

Ioel 2.

Lxx.

Lxx.

Baſil. Sele.

Seleu. orat. 12. inquiens: *Anguſtis dierum terminis comminatio cõcluditur; lata autem via ad pœnitendum aperitur.* Tota pœnitentiæ latitudo contra parui temporis momenta anguſtatur, vt in breui compendiatum facilè acquiras, quidquid laboris per multos annos perdidiſti. Ecce vobis latam pœnitentiæ viam, quæ per longiſsimæ vitæ ſpatia ſolet, & debet extendi, intra trium dierum anguſtias poſitam, quia per Ieſu mortem in Iona ſignificatam, in breui potes compenſare, quidquid laboris plurimis annis perdidiſti. Ad otioſos illos homines. Matth. 20. dicit Dominus. *Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam.* Si tota dies penè tranſacta erat otioſè, & inutiliter, cur tandem mittuntur in vineam, quando breuiſsimum laborandi ſpatium reſtat? Inſuper & mittuntur nulla conducti mercede, nihil enim illis, vt cæteris promittit, an quia in tantis temporis anguſtijs, impoſsibile erat, vt poſsint mercedem aliquam acquirere? Abſit: quinimò nulla mercedis noua mentio cum illis facta eſt, vt ſciant primam diurni laboris mercedem omnibus eſſe propoſitam, tam his, qui multum, quam his, qui paruum ſpatium laborandi habent, vt quilibet in breui poſsit recompenſare plures annos inutiliter amiſſos. Scitè enim Orig. ho. 10. in Matth. ait. *Poterant æqualem opus facere eis, qui ex mane ſunt operati; quicũq; in tẽpore breui volebant operantẽ virtutẽ ad opus extendere, quæ antea non fuerat operata.* Nullis ſe nõ arctant anguſtijs diuina beneficia, vt in breui poſsint obtineri ab hominibus, vt quãdocũq; debite manus extendãt, accipere poſsint quidquid multorũ dierum malitia abſumſerat. Iſai. 66. ait. *Quis audiuit vnquã tale, & quis vidit huic ſimile? Nũquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens ſimul, quia parturit, & peperit Sion filios ſuos?* Magnũ quippè eſt, quod gratia non egeat tempore ad partum; ſed vbicumque peccator ingemuerit, & doluerit, tempus reſtaurat amiſſum, & fit Dei filius in vna die, in vno puncto. Ambr. in exhortatione ad virgines datus à Leone Caſtro hic, ait. *Quis audiuit, ſi parturit terra vno die? Vno die terra non parturit, ſed parturit gratia.* De hoc ſæpè aliàs.

Matt. 20.

Origen.

Iſai. 66.

Ambroſ.

Text. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & repleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerentur.

§. IX.

Vicina ſunt pericula fauoribus.

IDEO, teſte Hieronymo, Eliſæus duplicem magiſtri ſui ſpiritum poſtulabat, quia ipſe non inter aduerſarios, vt Elias; ſed inter fauentes reges vitam acturus erat; & noſcens fauorum pondus in ima mergens, ſapienter duplicatas vires curabat apponere. Sic fauores grabant, vt egeas duplicatis viribus ad illos ſuſtinendos; immò vix duplicatæ vires ſuſtinere poterunt. Ecce tibi Petrus duas naues apponit excipiendis cœleſtibus muneribus; & duæ naues adeò impares ſunt, vt penè mergerentur. Quando enim pericula vicina non ſunt muneribus, etiam cœleſtibus? Accipe ex Matth. 14. alterum Petri ſucceſſum, qui vbi ex nauicula vidit Dominum Ieſum ſuper aquas ambulantẽ, ſic ait. *Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum. Videns verò ventum validum timuit, & cum cæpiſſet mergi, clamauit, dicens, Domine ſaluum me fac.* Quid clamas Petre, non ne fauor eſt, quod ſuper aquas ambules? Tam ingens donum excipis, vt mare calcare poſsis, & clamoribus inſtas? Sanè habent hoc vniuerſi fauores, quod grauent humanas mentes, quod trahant ſecum vicina diſcrimina. Eleganter Chryſolog. ſerm. 90. inquit. *Petrus cum per æquora diuinos imitatur inceſſus, & nouus viator molle iter duris greſsibus calcat, ante de lapſu ſupplicat, quam gaudeat de donato.* Non equidem prius gaudium doni potitur, quam lapſum timeat, & ruinam. Antea pro lapſus periculo preces, immò clamores fundit, quam plenum excepti fauoris gaudium poſsideat. Sic ſunt fauoribus, & proſperitatibus aſſuta ingentia pericula. Matth. capite 20. dicitur de matutinis illis operarijs, qui primo mane conducti ſunt ad vineam, quod vbi ad laboris mercedem venerunt: *Accipientes murmurabant aduerſus patrem familias, dicentes: Hi nouiſsimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Qui ſunt iſti, qui dicunt ſe portaſſe pondus diei, & æſtus? Hi putantur eſſe homines, qui in prima mundi iuuentute floruerunt, quando argentea ſaltem ætas mundum occupabat, cunctaque mundi bona omnibus affluebant. Cur ergo querũtur ſe portaſſe põdus, & æſtum, quandoquidem primũ potius mũdi florem, prima Dei dona affluenter poſſi-

Matth. 14.

Chryſol.

Matth. 20.

sidebant? Merito, & verè quèrùntur, nùnquã enim felicitas sine ingenti pondere discriminum, & iacturarum venire potuit. Imperfectus ho. 34. in Mat. ait. *Mundus in iuuentute constitutus omnibus bonis prosperabatur, & felix erat: nunc autẽ mundus senescens omnibus aduersitatibus premitur, & ideò concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerũt homines, cũ maiori difficultate, & labore iustitiã seruarunt, quia ipsa felicitas mundialiũ rerũ satis impedimentũ est animæ ad iustitiã faciendã.* Sic ponderosa est felicitas, sic grauat homines, vt qui illa non submergũtur saltim non possint non gemere, & clamare sub ingenti pondere. Rarus est, qui felicitatis, & fauorũ oneri, vel non penitus succũbat, vel saltim aliquã minetur ruinã. Hinc nata est illa solicitudo Petri, qua videns duas nauiculas impares muneribus excipiendis diuinis, quibus grauatæ submergebantur, currit ad Iesum, dicens: *Exi à me, quia peccator sum ego.* Immò quia peccator es, debebas petere, vt tibi agnus appropinquet, qui tollit peccatum mundi. Infirmũ te fateris, & medicũ ablegas? Quid times in medico, bone, quãdo ab illo solo potes salutem adipisci? Nihil timet Petrus in medico, sed timet ab infirmitate sua, quæ sine periculi metu tantos Iesu fauores nõ potest excipere. D. Amb. lib. 3. de virginibus, ait. *Vir sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ firmamentũ, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius sibi esse prospexit, quã ne secundantis operis extollatur euentu. Et ideò: Exi, inquit, à me Dñe. Non rogat, vt deseratur, sed ne infletur.* Adeò grauis est secunda, & prospera fortuna, vt qui firmissimũ fundamentum Ecclesiæ furentibus tentationibus agitatæ dabat, vehementer sibi â facie prosperitatis timeat.

Imperfect.

Ambros.

§. X.

Petrus vniuersis Ecclesiis præficitur.

NE mireris, vno Petri nutu duas in præsenti agi nauiculas; is enim Petrus est, cuius nutui vniuersæ subditę sunt Ecclesiæ. Origen. Do elegans testimonium obseruatũ ab Orig. etenim Mat. 8. loquutus Iesus ad omnes discipulos, ait. *Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Verum ad Petrum loMatth. 16. quutus Mat. 16. ait. *Tibi dabo claues regni cælorũ.* Compone modo potestatem Petri, & potestatem cæterorum Apostolorum. Potestas horum claret in cœlo, potestas illius patet in regno cœlorum, non cœli, sed cœlorũ, vt nullum sit cœlum, nullum cœlorum regnum, nulla Christi Ecclesia, in qua non appareat clauis Principis Apostolorũm. Id quòd ponderat Orig. hom. 6. in Matth. *Non modica differentia est, quod Petro datæ sunt claues non vnius cœli, sed multorũ cœlorũ, vt quæcũq; ligauerit super terrã, sciant ligata, non tantũ in vno cœlo, sed in omnibus cœlis. Ad eos autẽ, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, vt alligent non in cœlis, sicut Petrus, sed in vno cœlo, quia non sunt in tãta perfectione, sicut Petrus, vt alligent, & soluant in omnibus cœlis.* Vnus Petrus super omnes Ecclesias; vnus Petrus super omnia cœlorum regna. De quo sufficiant dicta supra lib. 5. c. 9. §. 4. Orig.

Tex. Quod cũ videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens. Exi à me, quia homo peccator sũ domine. Stupor enim circũdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam cæperant.

§. XI.

Tota peccatoris felicitas, quod sua præueniat sententiam iudicis.

EXPENDE Petri facinus, quò se, & peccatorem confitetur, & durissimo à Iesu exilio se dignum prædicat. Ideò ait: exi à me Dñe, quia homo peccator sum. Non est hæc sententia, quæ pœnã inferat, sed gloriã, quandoquidẽ hoc maximè peccatoribus prodest, quod ipsi in se sententiã ferentes iudiciũ Dei præueniant. Nathan. 2. Reg. c. 12. parabolã de 2. Reg. 12. pauperculi oue occisa profert, & proponit Dauidi, antequam in eũ diuinæ iustitiæ gladiũ exerat; vt Dauid sententiã ferat de tãto diuitis scelere. Quid agis, ô Propheta, mitteris, vt regem castiges, & tu illi parabolam proponis, & parabolas, quibus regem potius iudicem facis, quam reum? Cur tanti criminis reũ sumpta parabola adducis, vt ipse sit criminis iudex. Pulchrè D. Irineus lib. 4. c. 45. ait. *Vt ipse dans sententiam de se metipso, & se metipsum adiudicans, misericordiam consequeretur, & remissionem à Christo.* Nullo melius sciebat liberari posse hominem à diuina iustitia, quam si ipse in se prior delicta animaduerteret sua, & sententiam ferret aduersus illa, ideò confecta parabola hoc procurat, vt Dauid constituatur sui ipsius iudex, & sententiã contra se ferat, qua euadat manus diuinæ iustitiæ. Quippè cũ Dauid pronũtiauit sententiã aduersus diuitẽ inuasorẽ ouiculę, statim Nathã fatur. *Tu ille es, ô Rex.* Quæ verba sic explanat D. Bas. Sel. Irinæus. Basil. Sel. orat.

orat. 17. inquiens. *Regie decreuiſti, ô Rex. Tu factum tuum agnoſce: vide, quis tuo iudicio ſit obnoxius. Volebam te iudicẽ, non reũ eſſe, non in te inquiri, ſed ferre ſententiã.* Expende illud: *volebã te iudicem, non reũ*: enim verò quò quis priùs in ſe iudicis munus exercet, eò citiùs reatum ſuũ minuit, & ſe à rigido diuinæ iuſtitiæ tribunali liberat. Vndè ſapiens ille Niniuitarũ Rex Ionæ 3. cum primũ Dei minas audit, hãc ſententiã tulit. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquã: nec paſcantur, & aquam nõ bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominũ in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorũ.* Quid hac ſententia durius? Quis hãc rerũ faciẽ in Niniue videret, qui nõ putaret, duriorẽ calamitatem tractam eſſe ab ipſis met, quã poſſet eſſe, ſi ciuitas diruereturfunditus? Verum hęc Niniuitarũm pœna, non pœna fuit calamitatem trahens, ſed potius Dei irati iudicium præueniens, & miſericordiã concilians. Vndé Diu. Paulin. ep. 10. aiebat. *Niniuitæ meruerunt denuntiatũ euadere excidiũ, quia ſe ſpontaneis luctibus cruciando diuinã ſententiam præuenerunt ſuâ.* Sic quoties iudicẽ aduerſus te agis, reum exuis: quis iã nõn vellet potius eſſe iudex, quã reus? Sic monebat Iob c. 22. hominẽ peccatorẽ: *Suſcipe ex ore illius legẽ, & pone ſermones eius in ore tuo, ſi reuerſus fueris ad omnipotentẽ, ædificaueris, & longe facies iniquitatẽ à tabernaculo tuo.* Hoc vno incolumis euadet peccator, ſi ex Dei ore legem ſuſcipiat, hoc eſt, ſi veluti Deus leges ferat, iudiciũ exerceat peccatorũ ſuorũ, quale petit Deus exerceri à peccatoribus per confeſſionẽ. Quòſpectat Lectio Græca in Cãt. dicens. *Accipe ex ore eius confeſſionẽ*: Quaſi dicat: forenſes illas confeſſionis leges exerce aduerſus peccata tua, & iudex eſto, ne quando reus fias. Etenim, vt ait Paul. 1. ad Corinth. c. 11. *Si nos metipſos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.*

Ion. 3.

Paulin.

Iob 22.

Lect. Græ.

§. XII.

Deus Eccleſiæ ſuæ fidelibus peculiari cura, & prouidentia, vt Dominus adeſt.

Gen. 28.

MEMINI ex Gen. 28. quòd Iacob profugus à patria ſic orabat. *Si dederit mihi panẽ ad veſcendũ, & veſtimentũ ad operiendum: erit Dñs in Deũ.* Quaſi ex pane, & veſtimento accepto hãc referat prouiſori ſuo gratiã, vt illũ Deũ habeat. Verũ Petrus ingentẽ piſcium copiã Ieſu verbo acceptã ſtupens, nõ Dei, ſed Dñi appellatione illũ honorat; ait enim: *Exi à me Dñe.* An Petri gratitudo minor Iacobi gratitudine, quãdo ille prouiſorẽ ſuũ Deum; hic Dñm habet? Immõ Petri fides maior, vt pote qui cõmunẽ Deũ omniũ creaturarũ, particulari prouidentiæ titulo ſibi, ſuiſq; Dñm accõmodat. Deus vtiq; omnium creaturarum eſt Deus, omnibus alimẽta neceſſaria prouidẽs; verũ minimè eſt omniũ Dñs, ſed illorũ, quos intra Petri nauim, hoc eſt intra Eccleſiæ ſuæ ſepta peculiari cura paſcit, ac protegit. Gen. c. 2. vbi Deus creat cœlos, vbi hominẽ facit, paradiſum plantat, in eoq; conſtituit hominem, ſemper vocatur Dñs Deus, nõ ſolũ Deus, ſed etiã Dñs. *Tulit ergo Dñs Deus hominẽ, & poſuit eũ in paradiſo voluptatis.* Verum vbi eiecti homines extra paradiſum laboribus premuntur, & in doloribus Eua parit: vocat filiũ Cain, c. 3. dicens. *Poſſedi hominẽ per Deũ*: non iã vocat Dñm, ſed Dẽũ. Nec otioſe puta ab incolis paradiſi Deũ, & Dñm vocari: à reiectis autẽ ſolũ Deũ; ſed factum crediderim, vt oſtendatur Deus eſſe omniũ creaturarũ, verũ Dñs tantũ illorũ, qui intra Eccleſiæ ſepta, vitali fruuntur arbore. Accipite D. Anaſt. Sinai lib. 7. Examerõ. *Quãobrem autem, ô Iudæe diuina ſcriptura, quæ in ſeptemdecim capitibus conſequẽter in paradiſo Deum duplici nomine nominarat, & eũ Dominum, & Deum appellarat: ſtatim poſt hominem è paradiſo egreſſum ipſum Deum appellauit, ſed non Dominum, & Deum? Vt tu diſcas, quod Eccleſiæ eſt proprius Dominus, & Deus, & non ſimiliter eorum, qui ſunt extra Eccleſiam. Nam hominum quidem, qui ſunt extra, Deus eſt; hoc eſt, ſpectator: Eccleſiæ autẽ Deus eſt, & ſpectator, & Dominus ei dominans, eiuſq; curam gerens, eamq; ſuſcipiens, tuens, ac defendens.* Deũ habẽt cunctæ creaturæ ſuorum ſacinorum inſpectorẽ, qui autem intrà Eccleſiæ ſepta ſunt, Dñm habent, cui ſunt particularis curæ, cuius protectione muniuntur, cuius nutu gubernantur. Mat. 26. ſoliciti diſcipuli omnes de proditore Ieſu, aiũt: *Nũquid ego ſum, Dñe?* Proditor autẽ, vt celaret facinus, voluit etiã ſimiliter rogare, & ait. *Nũquid ego ſum, Rabbi?* Nõ vocat Dominũ, vt cæteri vocabãt, vt notat D. Hier. qui enim extra Eccleſiæ chorũ ſaltabat, iã non poterat Ieſum Dñm habere. Nõ omnes habent hãc gloriã, quod ſub tãto Dño gaudeant: ſoli Eccleſię fideles, vt ſe decorẽt, clamãt illud Iſaię iuxta Lxx. verſionẽ c. 26. *Dñe Deus noſter poſſide nos.* Et quantũ hoc ad Eccleſiã, quod ſit diuiniſsimi Dñi peculiaris poſſeſsio? Id explicat D. Ambr. lib. 2. de Cain, & Abel, c. 3. fatus. *Ipſe Chriſtus nos facit adhærere Deo, de ipſo ſaluẽ ſperare, fugere terrena negotia, in Dei poſſeſsione numerari, ſicut ſcriptum eſt: Domine, poſſide nos. Ea eſt enim ſola poſſeſsio, quæ nullis obnoxia tempeſtatibus perpetuæ gratiæ fructus ferat.* Huc conueniant vniuerſæ Synagogæ Sathanæ, & videant, an ipſę poſsint dici Chriſti

Matth. 26.

Lxx.

Ambr.

Ecclesiæ, in quibus nulla cernitur Dei possessio, quia nulla pars est, quæ perpetuæ gratiæ fructū ferat; quæ mille tēpestatibus nō sit obnoxia: quæ negotia fugiat terrena, & Deo adhæreat, sub quo Dño, & voluptatum, & auaritiæ tyrannidem repellat.

Tex. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

§. XIII.

Seruilis timor tollendus tibi est, si vis Iesu magnalia potiri.

NON anteà ad intimam amicitiam trahit Iesus Petrū, quam ab illo prorsus timorem seruilē expellat, aiens: noli timere: qui enim nimis meticulosus est, instar serui, dominica conuersatione putatur indignus. Hæc est vox seruiliter timentis: supra à Petro stupente data, nimirū. *Exi à me, quia homo peccator sum, Dñe.* Quis credere, quod Petrus sicle sum à se repelleret? Sed non faciebat hoc Petrus, sed seruilis metus in Petro existens illum reddebat indignum Iesu familiari consortio. *Nazianz.* Quò spectauit Nazian. orat. de statu Episcop. latus. *Petrus Iesum à nauicula repellit, tanquam minimè dignus eo ob timiditatem.* Sic seruilis timor Petrum afficiebat, vt illum Christi intimis fauoribus indignū redderet. Nūquā enim timor seruilis concedit suis alūnis, vt fruātur *Ioel. 2.* Dei magnalibus. Ioel. 2. *Effundam spiritū meū super omnem carnē: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabūt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos effundā spiritū meum.* Vide quid faciat diuini spiritus effusio, vbi affectionem filiorum offendit; ad prophetiæ dona, ad visiones diuinas, & cœlestē conuersationē eleuat. Ait enim, *Prophetabunt filij vestri, &c.* Verū vbi spiritum seruitutis offendit, ibi subsistit, nihil horum facit; nunquam enim timor seruilis charismata meliora non impediet. Pul- *Hieron.* chrè ibi Hier. fatur. *Neq; verò omnis, qui acceperit Spiritū sanctum, statim habebit & gratiam spiritualē, sed per effusionē Spiritus sancti diuersas gratias consequetur: alij prophetant, vt filij, & filiæ, qui maioris sunt meriti. Serui verò, & ancillæ, quæ adhuc spiritum timoris habent, & non dilectionis, non habebunt prophetiā, non somnia, non visiones, &c.* Semper seruilis timor inuenitur gratiarū impedimentū; quē ab animo suo excludat, quisquis in se præferre cupit fluenta gratiarum. Huc spectabat solicitudo sponsæ Cāt. 4. dicentis. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortū meū, & fluant aromata.* Aquilo timor est seruilis, Auster filialis; ille dum adest, nec flores in horto visuntur, nec aromatum fluenta dantur. Sed à facie rigoris eius omniū carda constipantur, arctantur. Hic totus blandus, & suauis nihil gratiarum non parturit. Vtriusq; differentias notat Gilliber. Abb. ser. *Gillib.* 39. in Cant. aiens. *Ille Aquilonis ingratus, ideò illi tanquā graui, & ponderoso dicit: Surge. Hic Auster tanquam latus, gratusq; inuitatur, vt veniat, & perflet hortulū. Ille pœnā habet, hic proflua gaudia. Ille minax est, hic blādimentis, delitijsq; manans.* Ergo, qui Iesu cupit gaudia, timorem seruilem missum faciat, totumque se se aptet ad amandum.

§. XIIII.

Christus, & lucri amor nulla in sede simul morantur, sed mutuo se excludunt, vt maxima contraria.

ECCE tibi totam illam ingentiū piscium piscationē, & totius noctis labore procuratam, & tandē Iesu miraculo partam Petrus relinquit, & sequitur Iesum. Nō enim sola retia relicta sunt à Petro, sed etiā ingens piscium possessio modo relicta manet. Sed Dñe Iesu, cur non permittis Apostolis, vt fruantur miraculosæ piscationis fructu? Sanè non potest simul esse quæstus amor, & Iesu; alter erat necessario excludendus, & prudentes piscatores lucra dimittunt, vt sibi Iesus æternum maneat. Pſ. 111. *Dispersit, dedit Pauperibus; iustitia eius manet in sæculū sæculi.* Expende, quā- *Psal. 111.* dō iustitia manet in sæculū sæculi, nimirum, quādo præmissa est dispersio omniū facultatū. Prius amor lucri, amor pecuniarū à corde dimittitur, & tunc ibi iustitia manet. Chryso- *Chrysost.* ho. 2. in 2. ep. ad Corinth. accinit. *Dispergē pecuniā, vt congreges iustitiā; neq; enim illa cū pecunijs adesse vult. Non habitant simul pecuniarū cupiditas, & iustitia, sed tabernacula separata habet.* Quid elegantius? Vbi videris insidere lucri amorē, puta ibi nō manere Iesum, nō manere sanctitatē. Quod si hæc bonorū cupiditas absit, puta statim ibi Iesum intrasse cū iustitia, & sanctitate. Act. 3. claudo illi mendicāti ad portā tēpli dicit Petrus: *Argentū, & aurū non est mihi, quod autē habeo, hoc tibi do; in nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula.* *Act. 3.* Fatetur se aurū, & argentum non habere, sed non ideò putat nihil habere; Imò aliud, quid habere dicit. Sed quid habeat, qui nec aurum nec argentum habet? Equidem; vbi aurum, non est, nec argentum, non potest ibi nō esse Iesu virtus, non esse sanctitas. Pulchrè D. Aug. ser. 28. de verbis Apostoli, fatur. *Quid* *Aug.*

igitur

igitur hac paupertate ditius, argentum, & aurum non habeo? Videamus, qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet, virtutem Iesu habet. Quà exit amor auri, intrat Iesu virtus, intrat sanctitas: ęgre enim inuenies aliquid, quod magis separet à virtute, quam lucrorum temporalium amor. De viris Niniuitis pœnitentibus, dicitur Ionæ 3. iuxta Lxx. *Et reuersus est quisq; de via sua mala, & ab iniquitate, quæ erat manibus eorum.* Iniquitas, quæ erat in manibus, erat lucrorum negotiatio, à qua dicuntur Niniuitæ conuersi ad Deum. Sed si præmanibus hæc iniquitas habebatur, cur dicuntur isti reuersi à via sua mala? Sanè, qui in manibus habet rem, non longas vias agit, vt obtineat illam, verum bona temporalia aurum, argentum, & pecuniæ, adeò sunt damnosa homini, vt vix in eius manibus esse possint, quin faciant illum longissima via à Deo distare. Longa via intercedat, necesse est, inter Deum, & amorem pecuniarum; numquam enim simul possunt stare. Vndè Matth. 9. dicit. *Cum transiret inde Iesus vidit hominem sedentem in telonio.* Expende, quod vbi teloniũ erat, & nummulariorum mensæ, non ibi Dñs manet, non stat, sed transit, in longissimã viã pertransit: ne posset diues non à longè venire ad Dominum. Id notabat Chrysol. ser. 28. aiens. *Non dixit, cum staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus.* Nulla cõmoratio Iesu cum pecuniarum sacculis, vbi pecunia apparet lõga via ad Iesum intercedat, necessum est. Vndè præclarè Chrysos. hom. 39. in Ioan. fatur ex Matt. *Nõ potestis, inquit, seruire Deo, & mãmonæ, qui contraria Christo præcipit. Siquidem Christus dicit,* da indigentibus: *mammona, rape ab indigentibus. Ille, pius esto, & mansuetus: hic, crudelis, & immanis.* Prorsus Christo cõtraria, & verba, & facta habet pecuniarum amor.

Ionæ. 3.

Mat. 9.

Chrysol.

Chrysost.

CAPVT QVINTVM.

De sedata maris tempestate.

CVM motu carbasi tumẽtis impulsa, in qua Iesus erat, procul alitore veheretur carina; surgit hyems immitis, & aspera, totũ mare funditus procellis exagitans, ac puppim fluctu recedẽte submersam vndis iterũ tumentibus alleuabat. Turbauerat mæstos salus desperata discipulos, nullũq; remediũ in sua prorsus arte cõsistere fateri cogebantur, & nautæ. Christus autẽ verus gubernator, ac prouidus, fluãti dormiens quiescebat in puppi, sopitus corpore, peruigil maiestate. Cũq; discipulis, varijs tumul vocibus clamãtibus suscitatus exurgit, vẽtis imperat, vt quiesceret, mare præcepit, vt taceret, subitoq; põti patuit iter, & aeris inopinata tẽperies præsentiæ proditrix sit diuinæ

Mat. 8. Ascendente eo in nauicu lã sequuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

§. I.

Ad labores magnates Christianæ disciplinæ trahuntur.

PAVLO ante videres Dñm medijs turbis miracula facientẽ, nũc autẽ, vbi mare sęquiturũ, vbi dura subeunda erat tẽpestas cũ solis discipulis charissimis ascendit. Cõsueuit enim Dñs laborũ, & præsurarũ solos magnos viros participes facere; quod notabat Chrysost. ho. 29. fatus. *Vbi miraculorũ ostensio erat, plebẽ permittit adesse. Vbi autẽ tẽtationũ, & timorũ arreptio, athletas orbis terrarũ, quos excitaturus erat; hos solos assumit.* Nõ equidẽ labores, & præsuræ dantur à Deo quibuslibet, sed magnis, & præstãtissimis viris, quos Deus bonus amat. Cui enim princeps iucundissimũ sibi calicem cõsueuit propinare, nisi magnatibus, nisi primarijs viris? Sic Dñs tentationes, & pressuras, quæ sibi dulcissimæ, & suauissimæ fuerunt, solis inclytis, & strenuis hominibus propinabit. Ps. 35. *Homines, & iumenta saluabis Dñe; quẽ admodũ multiplicasti misericordiã tuã Deus. Filij autẽ hominũ in tegmine alarũ tuarũ sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nõ omnes seruos tuos æqualibus fauoribus cumulas, sed longè diuersè te habes cũ primarijs, ac cũ popularibus; populares enim instar iumentorũ carnalibus pascis, & nõ longè à præsepio illis salutẽ paras. Verũ strenuos, & primarios viros, qui magna nouerunt sperare, torrẽte voluptatis tuæ potas, id est, admittis eos ad consortiũ iucundissimi, deliciosissimiq; tui calicis, quẽ in cruce hausisti, sed nõ exhausisti, vt maneret, quid magnatibus tuis propinares. Pulchrè Hesychius in Cat. Græc. fatur. *Torrens voluptatis fuere Christi pœnæ. Torrens quidem, quoniam in media hyeme peccatorum nostrorũ factũ est. Voluptatis merito dictũ est, nã Christus in delitijs erat cũ pro nobis pateretur, diabolo illu-*

Chrysost.

Psal. 35.

Græc.

illudens, & pro salute hominum latus. Hoc voluptatis torrente mystice nos potat: nam Domini persecutio martyrium seruis facta est. Non equidem ignobilis, & vnus è multitudine est ille vir, cui Rex regum Iesus suæ voluptatis poculũ porrigit. Magnos, & strenuos, & generosos viros vocat labor, & tribulatio, ad quæ ipsi lætabundi parantur. De generoso, & egregio equo locutus Iob cap. 28. ait. *Cum audierit buccinam, dicit, vah:* interiectio est animi gestientis, & lætitiam de nuntio ostentantis. Præstantissimum signum est equi generosi, quod vel medijs gregibus agens, buccinã internoscat, & quasi vni sibi sonitus fuerit datus, sic exultet ad certamina. In quo non absimiles sunt equis Christianæ disciplinæ magnates, immò quasi ad ipsos solos spectarent cõflictus, & certamina, sic ad illorum odorem currunt lætantes. Guillielm. Parasiensis. lib. de moribus, tract. de spe, propè finem. *Sicut enim gaudent equi, atque strepunt, cum signum eminentis conflictus audierint, sic & viri sancti huiusmodi gaudio gaudent, cum bellum tribulationis, aduersum se consurgere cognouerint.* Rapiuntur equidem generosa præcordia, vel odore conflictus adeõ, vt nihil magis timeant, quam carere tribulationum certamine. Vndè maximus ille Abraham, cum ad occisionẽ primogeniti vocatur, cum iam gladium distringit, vt charissima fundat viscera, hoc solum timebat, hoc solum trepidabat, ne vel vnico ictu, vel alio quouis casu materia sibi eriperetur pœnarum. Id quod in generoso viro notans Diu. Ambros. lib. de Fide resurrect. ait. *Distrinxit super filium gladium paterna manu. Ne periret pœna, trepidauit.* Sic inclyti viri tribulationibus sagittãtur, sic ad se solos pertinere putant certamina, vt intra illa, quasi in proprijs quiescant, & extra illa, quasi ex proprijs educti patiantur. Compone modo duas nobilissimas viragines Iudith, & Ruth; illa diuitijs, & bonis affluebat; hæc summa inopia premebatur. Vtra patiebatur magis? De illis Damianus lib. 8. epist. 14. ait. *Vtraque, scilicet mente vna, licet diuersa fortuna vni Deo non immerito placuit: quia neque aduersis ista succubuit, neque in prospera, sui met oblitiscens se illa deiecit. Sed illa tolerabat, quibus abũdabat: ista fruebatur, quæ patiebatur.* Expende illud, *tolerabat*; & illud: *fruebatur.* Quasi fortibus mulieribus prosperitas fuisset tolerantiæ, & passionis materies: tribulatio autem, & inopia materia fruitionis, & gaudij.

Iob. 28.

Guilliel.

Ambros.

Damia.

§. II.

Christianum est minima, & abiecta amplexari. Vbi quod is, qui nouit magna contemnere, diuinam iram cohibeat, ne exeat.

IVXTA erant aliæ naues, vt notauit Marcus cap. 4. tamen, vt nõ otiosè indicat Matthæus; maluit Dominus ascendere in nauiculam, sic semper in paruis, & minimis sibi cõplacet. Non nauis, sed nauicula Iesum capit; hoc enim maximum Christianitatis signum, quod abiectis gaudeas, & minimis. Dauid. 2. Reg. 7. sic ad Deum loquitur iuxta D. Chrysostom. lectionem. *Quis sum ego, Domine mi, quod talem gratiã inuenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus fui in tribu mea.* Miraberis, quod Dauid ad regiam dignitatẽ euectus, & in solio regni constitutus, adhuc ad minima sui pristini status respiciat. Cur, ô bone inter tot magnalia regni, te adhuc implent minima pastoritij muneris? Non sanè ibi loquebatur Dauid ex se, sed loquebatur Iesus in Dauide veniens, cui præ oculis sunt minima, & abiecta. Chrysostom. hom. ad data verba, fatur. *Quod dixit: Minimus fui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mũdo venientis.* Equidem verba illa iam iã venientis in mundo Christi signũ erant, vt de cuius solius halitu venit, quod minima, & abiecta homo æstimet. Regium Saulis nomen Apostolum decorabat, qui vbi Iesum in corde radicauit, regium nomen abiurans cæpit vocari Paulus: vndè hæc vox Paulus? An à latino aduerbio paulò, id est, modico? Et quidem tãto Iesu discipulo nullum potuit placere, nisi abiectionis, & paruitatis vocabulum. Annuit Augustin. serm. 93. de diuers. *Cum vocatus esset à cælo; vocatus, prostratus, mutatus, vbi cæpit Apostolus prædicare verbum Dei: mutauit sibi nomen, & dixit se Paulũ. Et hoc quare elegit? Quia Paulus modicus est, Paulus paruus est. Nos solemus sic loqui: videbo te post paulùm, id est, post modicum.* Nil prius Christi halitus facit respicere, quam minima; nec manifestius noscitur ali quis, quod ad Christi partem pertineat, quã ex eo, quod iuxta Psalm. 130. *Nec ambulauit in magnis, nec in mirabilibus super se*, sed potius in paruis, & minimis. Inde Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Et regni hæreditate glorioſos prædicat, & pusillum gregem nominat; si regni gloria illustras eos, cur illis pusillitatem obijcis? Sanè informabatur grex Christianus, cui vel inter magnalia regni, inter glorias principatus præ oculis sunt minima pusil-

1. Reg. 7.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Augustin.

Psal. 130.

Luc. 12.

pusillitatis. Ità Chrysolog. serm. 22. ait. *Grex pusillus mundo, magnus Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ouium innocentiam, & mansuetudinem Christianam.* Quasi nihil Christianum inseri possit hominibus, quibus vel inter regni glorias, non applauderet humilitatis pusillitas. Et quomodo à Christi Domini seruatoris nostri in suos non veniret pusillitatis amor, quando per mundi minima, & pusilla certior semper inuenitur salus? Gen. 19. discrimina sodomiticæ vrbis euadens Loth, vt salutem suam certius firmaret, sic ait ad eductorem Angelum. *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Numquid non modica est, & viuet anima mea?* Ecce vobis, vndè salutis spem firmat suam, nimirum, ex paruitate muneris postulati, quasi qui modica, & pusilla petit, & appetit non possit securiorem vitam non agere. Chrysost. Chrysostom. hom. 6. de humilitate Christiana, sic ait. *Vnum ergo minimum de sodomiticis vrbibus oppidum ad salutis refugium donari sibi poscit à Domino. Et qui altiora petere vitauit; minima autem pro multis petere elegit, in magnis periclitans in exiguo obtinet.* Felix, qui sic nouerit ad parua, & minima respicere; is enim securior viuet, nihilque à Deo non accipiet. Imò tanta est virtus hominis, qui gaudet minimis, vt ipse valeat, non solum obtinere salutem suã, sed & Deum detinere, ne alijs officiat. Vix enim præfatus Loth, minima petere elegit, vt saluetur in illis, & ait illi Angelus Domini: *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quicquã, donec ingrediaris illuc.* Expende illud, *nõ potero facere, &c.* Sic enim impediebatur vltor Angelus Lothi precibus, vt quasi impotens redderetur ad feriendum. Sed qua id Lothi virtute? Sanè ea, qua altiora petere vitauit; minima autem elegit, vt illis viueret. Sic Dominus ad Moysem Exodi 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum istum, faciamque te in gentem magnã.* Dimitte, ait, quasi impediretur Deus à seruo suo Moyse, ne posset irasci in populum. Id quod notans Ricardus Victor. par. 1. de grad. charit. ca. 1. ait. *Audis dimitte, & Deum teneri non dubites: nec aliunde, quam amoris fortitudine. Quæris cuius? Illius vtique serui fidelis, qui in populum maiorem maior fieri, & glorioſior renuit.* Sic potens est, qui maioritates, & celsitudines contemnit, vt possit diuinam iram cohibere, ne quem perimat.

Chrysol. Genes. 19. Exod. 32. Ricard.

§. III.

Qui perfectè Christum Dominum sequitur, omnia huius mundi bona despiciat, cœlestibus viuat.

IN naui Christum Apostoli seqùùntur; hoc enim habet perfecta Christi sequela, quod nullam terrenarum rerum curam admittit. Quod innuit Diu. Machar. hom. 44. dicens. *Sicut, qui sunt in naui non bibunt ex mari, neque ex eo victum sumunt, sed aliunde important in nauem: hoc modo Christianorum anima non à sæculo isto, sed desuper è cœlo cibum cœlestem capiunt.* Quis nauigantium ex maris aquis sibi potum parat? Equidem aquis maris vtuntur, vt per illas transeant; non vt illis bibant; quæ enim bibendæ sunt, ex salubribus fontibus hauriuntur, & asportantur. Sic similiter terrena bona dantur Christianis, vt trãseant per illa, non, vt de illis ventrem impleãt. Quisquis sapis, vbi Christum sequeris, mundana transi, cœlestibus tibi victum, & saturitatem para. Dilectum quæsitura, & secutura sponsa, ait Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem.* Circuibo, ait, & nihil amplius; sed Psalm. 47. amplius iubebatur; ait enim: *Circundate Sion, & completimini eam.* Complexus simul continet totum; circuitus de alio in aliud facit transitum. Circuit sponsa ciuitatem mundanam; de Sion autem præceptum habet, vt illam complectatur; quia quod mundanum, & temporale est, ad transitum datur, non ad possessionem, non ad amplexum. Solà diuinà dantur, vt illà ad amplexum, immò ad refectionem habeas. Sic ex datis verbis finit Gil libert. serm. 4. in Cant. *Nulla, quæ creata sunt in conditionis suæ statu infinita sunt, ea ideò mẽs, quæ circuit, vniuersa per transijt. Solus ille requies est amanti, & refectio, qui finis est omnium.* Fallitur, qui per mundialia bona, aliud cupit facere, quam transitum; nulla ibi refectio, sed hæc ex Deo, eiusque bonis petenda est. Non longè abest Psalm. 22. aiens; *Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.* Notanter dixit super aquam refectionis, quasi esset etiam alia aqua non refectionis, sed submersionis, non ex qua potum haurias, vt refici possis, sed in qua timere potes naufragia. Mundialium enim bonorum aqua non reficit, sed inficit, ideò sapientes nautæ, qui Iesum pastorem sequuntur, per illam transeunt, sed non bibunt ex illa: habent enim aliunde asportatã salubrem refectionis aquam. Pulchrè in præsenti D. Chrysostom. ait. *Magna ista refectionis aqua. Est & alia aqua, quæ non est aqua refe-*

Machar. Cant. 3. Psalm. 47. Gilliber. Psalm. 22. Chrysost.

refectionis, sed aqua consumtionis: de ipsa dixit Ieremias cap. 20. foderunt sibi lacus detritos, aquam mendacem. Distinguant ergo Christiani inter aquas, & nouerint, quæ sint aquæ maris mũdialis, ex quibus minimè hauriant, sed aliunde quærant refectionis aquas, nimirum, ex fontibus Saluatoris, à quibus solis est, & vera refectio, & saturitas animarum. Quò respiciebat Isaias cap. 26. fatus. *Vrbs fortitudinis nostræ, Saluator ponetur murus, & ante murale.* Loquitur de ciuitate cœlesti, ad quam tendimus, & pro qua viriliter decertamus. Et cur Saluator ponitur murus, & ante murale illius ciuitatis? Quia Saluator nobis inde ostendit tot mysteria futuri sæculi, tot dulcedinum fontes, tot beatæ vitæ arcana, vt illis refecti, & muniti, nullis illecebris, nulla mundialium rerum cupiditate vincamur. Ita Orig. hom. 4. in Cant. ait. *Per id ostenditur, quia euocans sermo Dei animas à corporalibus negotijs, docere eã de futuri sæculi mysterijs cupit, vt spe futurorum munita in nullo possit illecebris vinci.* Huc spectat tota solicitudo Saluatoris, vt humanas mentes ad futura, & cœlestia rapiat, quibus, valde nociua contemnant, & fugiant terrena, & temporalia. Etenim ait Isaias cap. 24. *Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ, qui sunt super terram.* Non, quod Rex terræ sis, sed quod sis super terram, hoc est, quod terrenis procumbas, iræ diuinæ obnoxius eris. Parce ergo terrenis, & cœlestibus viue quisquis non iudicem, sed Saluatorem cupis Deum suscipere.

Isai. 26.

Orig.

Isai. 24.

§. IIII.

Christianis duplex mortificatio est necessaria interna, & externa.

QVICVMQVE de interna concupiscentiæ mortificatione sic gloriantur, vt penitus abstineant ab omni externæ asperitatis incommodo, huc accedant notantes, quid innuat Dominus, cum suos ad nauem trahat, vt sæculi mare tranent. Pulchrè Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis.* Non enim nauis ascenditur, nisi, vt multiplices aquarum vortices ares, vt multiplices maris angustias pertranseas. Quidquid è naui vides, tibi omnigenam mortem, præsentabit, ipsa aqua exterior multiplices amaritudines propinat, ipsa nauis alimonia duplicem mortificationis ignem minatur. Audi Bernardum lib. de Passio. Domini, capit. 43. *Præterire non possumus, quod transituri mare, panem bis coctum necessarium habent: Quicumque ergo se in hoc mari magno huius sæculi esse cognouerit: si securus vult esse habeat hunc panem bis coctum fortissimum Iesu in naui crucis suæ, quem commedat* (per imitationem) *quo reficiatur, quo consoletur, quo ab omnibus periculis eruatur.* Itaque, qui mundiale mare tranas post Iesum, bis cocto illo cœlesti pane vesci debes, hoc est, mortificationem Iesu externam, & internam in te ipso debes transfigurare. Vt panis nauticus, bis coctus dicitur, quasi à duplici igne fuerit perfectus, sic nullus Christi Domini imitationem agit, nisi interna concupiscentiæ mortificatione, & externa rerum durarum tolerantia, quasi duplici igne excoquatur. Munera pro tabernaculo oblata recolens Exod. capit. 25. ait. *Si quis habebat aurum, hyacinthum: coccumque bis tinctum.* Quæ singillatim ponderans Origen. homil. 13. hanc excitat quæstionem. *Cur alias materias simplices nominauit, & coccum solum posuit duplicatum?* Coccum passionem, mortificationemque Iesu significabat, quæ, vt duplex erat interna, & externa, sic etiam dupliciter à nobis debet adamari. Nunquam enim perfectus Christianus exiistes, nisi interne, & externe duplicato passionis murice purpurascas. Ad Galat. 5. ait Paulus: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt, cum vitijs, & concupiscentijs.* Non solum exterius caro crucifigenda est, sed etiam intimæ cordis concupiscentiæ amputandæ, & resecandæ. Optimè enim, ait Guarricus Abb. serm. 2. in Ram. *Nouerat vir multæ scientiæ, & experientiæ, multos esse, aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & sinerent regnare vitia cordis: multos è contrario, qui fiducia pacati cordis negligerent mortificationem corporis. Ea propter vult Apostolus, vt crucifixis, iàm vitijs interioribus, quàm concupiscentijs exterioribus mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Duo sunt homini extrema fugienda, vel quod sic fidat exteriori mortificationi, vt nihil de moderandis intimis animi vitijs curet; vel quod sic se totum ad intima cordis, & spiritualia nequitiæ conuertat, vt externam mortificationem parui ducat. Et qui sapiens est nulli mortificationi parcet, vtramque amplectatur necesse est, nisi velit discrimina vitæ subire. Sic externis pœnalitatis armis incumbat, vt simul confligat cum animi vitijs; sic his expugnandis insistat, vt externas durities sibi in auxilium assumat.

Exod. 25.

Orenig.

Ad Gal. 5.

Guarr.

Psal. 109.

Bernard.

§. V.

Hæreſum perſpicua notio eſt, quod ſupra Eccleſiæ nauim ſe ſe extollant.

BENE Chryſolog. ſerm. 21. in fluctibus ſpumoſis nauim opplentibus, perſpicuam tradit notionem hæreſum; ea enim eſt ſemper hæreſis conditio, quæ à proprij cerebri albeo exundans nullum ſuperiorem habere velit, ſed & ſuper ipſam Eccleſiã natare feſtinet. Non illuſtrant, ſed operiunt, & obſcurant Chriſti nauiculam hæreſum fluctus, dum ſe ſe extollunt ſuper omne, quod commune eſt, vt propria effutiant. Quam aliter
Pſal. 103. vera Chriſti doctrina, de qua Pſalm. 103. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Non ſuper capita fluant, non vt operiant, ſed, vt rigent, media, & quieta via currunt, vt omnibus communes ſint ortodoxi fontes, nullo
Auguſt. in priuato cerebro efficti. Diu. Auguſt. ibi, contione 2. *Inquit, aquæ inter medium montium? quia communis illis fides erat, nec quiſquam aquas, quaſi proprias, & ſuas habebat. Si enim non ſunt in medio, quaſi priuatæ ſunt, non publicè fluunt; & ego habeo meam, & ille habet ſuam, non eſt in medio, quod & ego, & ipſe habeat, ſed talis non eſt pacifica prædicatio. At verò, vt inter medium montium fluant aquæ: audi montem: Deus, inquit, pacis det vobis id ipſum ſapere. Quod ſentio ſentis; in medio fluit aqua; non habeo quaſi priuatum meum, nec tu priuatum tuum. Veritas nec mea ſit propria, nec tua, vt & tua ſit, & mea: inter medium montium pertranſibunt aquæ.* De hoc medio, & communi curſu laudantur fideles, qui Thyati
Apoc. 2. ræ degebant, quibus ſic Dominus ait Apocalyp. capite 2. *Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ eſtis. Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ.* Laudantur equidem fideles, quod deuias falſi prophetæ voces deuitauerint, pro quo rectè dicuntur non cognouiſſe altitudinem Sathanæ; quaſi illa ſit hæreticorum omnium notio, quod non inter medium montium eant, ſed ſe ſe altitudini Sathanæ conforment. Sed, quæ eſt Sathanæ altitudo? Iam
D. Thom. explicat Diu. Thom. 3. contra gentes, capite 109. fatus. *Voluit Sathanas quodammodo non ſubijci, & voluntatem ſuam à ſuperiori non regulari.* Accinit Auguſtin. Pſalm. 70. Anſelm. de caſu Diaboli, capite 4. Gregor. lib. 34. Mor. capite 3. qui omnes putant eò deueniſſe dæmonum amentiam, vt nullum vellent recognoſcere ſibi caput; ſed omnia
Aug. Anſelm. Gregor.

proprio cerebro gubernare. Hæc vniuerſæ Apoſtaſiæ mens, huc furentium hæreticorum fluctus confluunt, ne ſe ſubdant Petri naui, ne caput agnoſcant, ſed iuxta Sathanæ altitudinem ſe ſe extollant ſupra nauim, ſupra Eccleſiæ caput. Illos apprimè delineauit ſanct. Martialis epiſtol. ad Toloſanos 2. *Martial.* in qua fatur. *Venient autem præſumptores abſque gratia Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex ſuperbia; ſimiles illi, qui ſuperbia cœlum præſumens habitare, mox de cœlo cum Angelis ſuis ſequacibus ruit in æternam voraginem.* Non equidem abſimilis Hæreticorum furentium altitudo altitudini Sathanæ. Vt Sathanas, ſic Hæreticus vult non ſubijci, & voluntatem ſuam à ſuperiori non gubernari. Vndè Diu. Pacianus epiſtol. 3. ad *Pacian.* Symphorianum hæc non veræ Eccleſiæ proponit ſigna. *Iam, & illud attendite, an hæc potiſsimum ædificata ſit in fundamentis Prophetarum, & Apoſtolorum ex ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto, ſi ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi à fundamentis prioribus non receſsit, ſi non illa migrauit, ſi non à reliquo corpore ſeparata ſuos ſibi magiſtros, & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid noui iuris inuenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit. Plænè tunc à Chriſto receſsiſſe videatur, tunc extra Prophetas, & Apoſtolos conſtitiſſe.* Hæc conueniant vniuerſi, qui velint, non haberi refugæ lucis, & videant, quod hæc ſigna data ſint in Romanæ Eccleſiæ æmulos multis annis ante atauos Luteri, & Caluini. Non ibi odium in nuperos nouatores, qui nondum erant, operabatur: ſed ingenium omnium Hæreticorum exprimebatur. Qui ſupra antiqua, & ſolida ſe extollentes ſuos ſibi magiſtros, & ſcripturas effingunt, & dum omnia faciunt ſonare, quod volunt, repudium pacis inducunt. Pulchrè Diu. Hie- *Hieron.* ronymus epiſtol. Apologetica ad Domnionem, de quodam vaniſsimo nouatore dixit. *Voluit ſcilicet homo peritiſsimus, vt veteranus miles vno rotatu gladij percutere vtrumque: & oſtendere populis, quod quidquid ipſe vellet, hoc ſcriptura ſentiret.* Impoſsibile eſt hæreticum eſſe ſine hac lue, quod omnia ſuo cerebro ſubijciat, nec permittat ſcripturas ipſas aliud ſonare, quam id, quod amat ipſe. Merito hi à Tadæo epiſtol. Can. vocantur, *fluctus* *Tadæo.* *feri maris*, vt qui ſuper Petri nauim ſe ſe extollant, illamque nitantur opprimere: ad quod iuxta Diu. Pauli aſſertum ad Epheſios capite 4. *Circumferuntur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Non aliter mouentur aduerſus Eccleſiam, quam fluctus a vento aduerſus nauim: ſed erit tempus, quando ter- *Ad Eph. 4.*

ræ, marisque Dominus exerat caput, ostendatque se se, & ventis imperet se nigris inferorum cauernis æternum includere.

Text. Ipse vero dormiebat.

§. VI.

Nunquam non vigilat Deus in suorum custodia, etiam dormiens, etiam verberans.

INTER vigilantes omnes solus tenetur Dominus somno, quando imminebat suis tã grande discrimen, immò quando ipse tam ingentem procellam immitebat in suos. Dormit itaque Deus inter discipulorum pericula, sed dormit in puppi iuxta Marci notatum, quia vel dormiens non deserit clauum, non deserit gubernaculum, immò suorum custodiæ inuigilat medijs tempestatibus, medijs verberibus. *Luc. 8.* Videres apud Lucam capite 8. miserandum hominem permissum à Deo nõ vni, sed innumeris dæmonibus, etenim ait. *Quod tibi nomen? At ille dixit: Legio, quia multi sumus.* Quis crederet hominem tot hostibus relictum non subito periturum? Et tamen, & si multa conantur pessimi tyranni in miserum mancipium, nil damni efficiunt. *Basil. Sel.* Cur nihil efficiunt? Diu. Basil. Seleu. orat. 8. ait. *Non in præcipitia proiecerunt, non membratim diuiserunt, non illato ferro discerpserunt hominem; verum occultiore virtute sletit, restititque contra excitatas à dæmonibus procellas in ipsis etiam supplicijs custoditus.* Nunquam, mihi credite Deus hominem suum sic, quasi oblitum â se hostibus, & procellis permittit, vt eius amittat cũram. Immò si aduertis in ipsa, quasi derelictione diuinâ, cum Deus se veluti somno, & te hostibus tradit, inuenieris eius custodiâ protectus, eius protectione, & mũnimento custoditus. Non enim sæpè solet Deus mala in suos permittere, quin etiam occultiore virtute custodiam, & protectionem immisceat suam. Huc spectat Dialogus ille inter Deum, & creaturam suam dilectam *Isai. 21.* apud Isaiam capite 21. nimirum. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane, & nox.* Equidem vox erat hæc, (vt acutè notat Ricard. Victorin. lib. de Verb. incarn.) hominis peculiari cura dilecti à Deo, sub eiusque custodia positi; alij enim vocarent siue Deum, siue auctorem; amata peculiariter ouis merito custodem vocat: sed, & vt custodem solicitat, ne tempore somno apto, ipse ob dormiat, vndè ait: Custos quid de nocte? Notanda autem est custodis responsio; dum enim interrogatur, quid de nocte? Ipse respondit: *Venit mane, & nox.* Qualis hęc respõsio, vt dicat, quid sit de nocte? Qui quærebat de nocte, nil de mane curabat, vtpote sciens cum nocte non posse esse mane; cur ergo respondens custos, nocti miscet mane? Equidem nox tempus est dormiendi; mane tempus est vigilandi; vt ergo diuinus custos à suis solicitudinem, & metum tollat, hoc clamat, nimirum, *venit mane, & nox*, non apud me est nox, quæ etiam non sit permixta cum mane; simul sum in dormiendi tempore, & in tempore vigilandi, etiam cum videor maiori in somno sepultus, tum etiam vigilias pro meis dilectis ago. Et quæ maior nox, quam nox peccati? Et qui profundior somnus, quam vbi Deus permittit suos in peccata incidere? Tunc, ait Rupert. lib. 2. de Victo. *Rup.* ver. dormit Deus, tanquam potẽs crapulatus à vino; & tamen in tanto sopore, adhuc vigilat pro suis, illosque fortiter custodit. Iob ca- *Iob. 10.* pite 10. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi*; ad rem præsentem aptius ex Græco transfert Diu. August. in Cat. Græc. aiens. *Si pec- August.* *cauero, custodis me*; dormit enim Dominus, cum tentationibus permittit suos, illosque sinit incidere in peccata, tamen ibi occulta manu custodit, vt seruentur ad gratiam, nec penitùs absorbeantur peccatis, & vitijs. Non est Dei somnus talis, qui impediat eius, pro hominibus, vigilias, immò & vias. Vnde illud Cant. 2. *Ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam.* Ambros. Philo Carpatius, & alij le- *Cant. 2. Ambros. Philo.* gunt: *ne euigilare faciatis charitatem*, quo nomine Deum intelligi putant, quia Deus charitas est. Sed cur non suscitem, & euigilare faciam Deum, vt ad me liberandum veniat? Quia ea est Dei charitas in suos, vt propria sponte accurrat, & etiam cum putatur dormire, inueniatur suorum clamores præuenisse. Ambros. in præfat. Psalm. 41. *Non est* *Ambros.* *passus Deus se ab eis excitari, quia sponte properabat.* Ante excitationes vniuersas in ipso profundiori somno, properabat ferre auxilium, & custodire suos.

§. VII.

Conuitia patienter audita maximam quietem, & tranquillitatem causant.

INTER furentes ventorum sibilos Dominus in puppi dormit, non qualis Ionas in

in nauis imo stertit: is enim linguas hominum metuens à Deo fugitiuus, vel sonitum fluctuum, ventorumque voces deuitabat: ille autem verus orbis magister nil æstimans voces linguarum se se temporum fremitibus dormiens opponit; fremitus enim, & conuitia patienter, & tacitè audita nil, nisi quietem, &
Psal. 119. tranquillitatem pariunt. Psalm. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.* Quæ verba sic reddit sanct. Chrysostom. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus in lecti formam constratis.* Quasi inter conuitiorum flabra nil citius prodeat, quàm lectum constratum. Furiant inimicorum linguę, agitentur rapidi conuitiorum venti, fulgurent inter labiorum cautes suffocationis verba; ea, si taces, si quasi obdormiens prætereas, tibi lectũ sternent, quo maximam tranquillitatem capias. Sunt equidem linguæ tempestates, furiosa ventorum sibila, flagella sunt procellarum, sunt ardentia iacula, sed in lecti formam constrata, quietem tolerãtibus propinantia. Quis nesciat contumeliosa verba ab Heli in Samuelis matrem iaculata? Ait enim
1. Reg. 1. 1. Reg. 1. *Vsque quo ebria eris? Digere pauliſper vinum, quo mades.* Ad quæ verba imperturbata nobilis fœmina tantùm respondit. *Nequaquam Domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi.* Ecce virtutem: ecce mansuetudinem: conuitiatorem Dominum vocat, & contumelias sustinet inuicto ânimo. Quid inde lucratur? *Tunc Heli, ait ei: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem tuam.* Expende illud, *vade in pace*; nil enim contumeliæ patienter admissæ citiùs pariunt, quam pacem, quã immensam quietẽ, & tranquillitatem animi. Ibi Chrysostom. *Pro contumelia copioso accep-*
Chrysost. *to pacis viatico discessit, eumque nacta est propugnatorem, & intercessorem, quem habuerat obiurgatorem.* Tunc solum bella finita esse, & pacem almam tibi adesse puta, cum verba obloquentium sustinueris inuictus. Etsi mille hostes postraueris; etsi diaboli iacula extinxeris, etsi martyrum cruciatus expleueris, non firmasti pacem, donec contumeliosa verba pa-
Iob. 19. tienter tuleris. Hinc Iob capit. 19. ad conuitiatores suos; *Vsque quo afflugitis animam meã & atteritis me sermonibus? Ecce clamabo vim patiens, & nemo audit, vociferabor, & non est, qui iudicet.* Non est iudicij faciendi tempus, ait Iob, etsi clamem; quasi loquatur athletarum more, qui vbi in stadio sunt, post finita certamina, post hostem postratum ad iudicium, & sententiam iudicum, qua victores declarentur, & pace donentur, cum clamoribus abeũt. Sic sanctissimus vir post prælia mille, post mille conflictus cum diabolo, cum vxore, inter amicorum conuitia clamabat iudicium spectans, quo agon solueretur, & victor abiret in pace. Sed ecce ait, vociferor & non est, qui iudicet, non est, qui sententiam ferat, & bellis finem imponat. Et merito, etsi diabolum toties vicerat Iob; non absoluit certamina, vsque dum cum conuitijs amicorum confligat, illaque sustinendo vincat, in quo vno finiuntur vniuersa certamina, & pax tranquilla rutilat. Ita Diu. Ambrosius *Ambr.*
lib. 2. de interpell. capite 3. ait. *Nunc enim si clamat, nondum iudicium. Adhuc in agone erat, adhuc luctabatur, adhuc certamen supererat illi. Non enim exiuit corona. Debebatur illi certamen tertium, amiserat omnia sua, patrimonium cum filijs. Patiebatur vulnera caro eius; manebat, vt tentationes verborum vinceret.* Et quidem tunc soluitur agon, tunc finiuntur certamina, tunc pax affulget, quietis, & tranquillitatis perpetuæ, cum conuitiorum tentationes deuictas habes. Hæc vna victoria omnimodam tranquillitatem, & pacem parit. Paul. ad Hebræ. 10. *Magnum* *ad Heb. 10.*
certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti. Merito vocat magnum certamen illud, in quo opprobria sustinuerunt, & quasi inde nil iam belli maneat, addit, *& rapinam bonorum cum gaudio suscepistis.* Post opprobriorum certamen, iam non restat metus, sed in omnibus gaudia.

§. VIII.

Felix, qui mundo obdormiens, nihil mundiales curat casus. Id vero diuinæ virtutis est, & maximæ difficultatis.

DVM furit tempestas, nauimqûe viderentur fluctus sorbituri, Dominus obdormiebat, vt tibi normam præberet, qua portum felicitatis teneas, si obdormiens fueris ad vniuersos sæculares sibilos. Sanè maximus ille dux martyrum Stephanus in altitudinem maris deuenerat, & inter scopulos iactatus fluctibus, penè à tempestate absortus, Actorum 7. quasi nil curaret procellæ rabiem, aiebat: *Ne statuas illis hoc peccatum. Et* *Act. 7.*
cum hoc dixisset, obdormiuit. Obdormiuit, inquam, postquam illud diceret, dum mortuus dulcè occubuit: sed, & cum dicebat, dormiuit; etenim, & verba, & affectus ille dormientis erant, quando inter saxorum nimbos nullum iracundiæ sensum capiebat. Vt dicat Augustinus serm. 92. de diuers. *O somnus.*

nus pacis! *Qui inter lapides inimicorum dormiuit: quomodo in suis cineribus vigilabit?* Nihil sanè illo somno felicius, quo inter inimicorum rabies sic homo se gerit, vt quasi dormiens nullum sensum habeat. Vigilabit in cineribus suis, viuet in morte, qui sic obdormire nouit inter furentes mundi tempe-
Prouer. 3. states. Prouerbior. 3. *Si dormieris, nihil timebis.* Et quidem verissimè dictum; absoluit enim vniuersas curas, qui salutari somno se se tradit, ne quid sentiat mundanum. Sed hoc opus, hic labor est. Quis poterit inter furentes hominum linguas, inter sæ-
Cant. 5. tuientes mundi tempestates hoc sibi somnum comparare, vt dicat Cant. 5. ego dormio, cor meum vigilat? Sanè notanter de Iesu, dum tempestas sæuiebat, dicit textus: *Ipse verò dormiebat*, ipse, qui Deus, & homo, qui immutabilis, qui omnibus difficultatibus superior; non equidem alius, nisi qui diui-
Ionæ. 1. na virtute est afflatus sic dormiret inter tam sæuam tempestatem. Ionæ capite 1. dicit: *Facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et Ionas descendit ad inferiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Ecce tibi homo, & homo peccator, à Deo fugitiuus inter sæuientes fluctus somno sepultus iacet. An inde possibile credatur, quod quis à Iesu destitutus possit sic etiam inter furentes hominum linguas, inter vehementes mundi iniurias instar dormientis agere? Absit: immò non alia ratione Ionas dormit, ni-
Rup. si de Iesu virtute, vt Iesu immensam virtutem declararet. Rupertus ibi fatur. *Quomodo in tanta inquietudine quietus dormire potuisset, nisi quia in figura contingebat illi, & Dei nutu agebatur, vt dormiret? Denique futurum erat, vt inter Iudaicas tempestates Dominus noster cũ esset fortissimus Deus valde patienter se se haberet, quod dormire quodammodo est.* Ostendebat Ionas somno suo, diuino nutù non somnum, quem habere potest homo infirmus; sed quem sibi proprium habet fortissimus Deus, dum instar dormientis non mouetur mundi fluctibus, hostium iniurijs. Sic dormit, non qui infirmitate humana la-
Matth. 26. borat, sed qui fortissimi Iesu gaudet virtute. Matthæ. 26. postquam non semel à somno excitauit Dominus discipulos suos, tandem ait. *Dormite iam, & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatoris. Surgite, eamus.* In paucis verbis ingentem repugnantiam videtur loquutus Dominus, & simul ait: dormite iam, & requiescite, & surgite, eamus. si surgendum est, quorsum illud, dormite, & requiescite? Dixisset satius, nunc tempus est de somno surgere, venit hora certaminis, surgite, eamus. At, vt notat Chrysostom. alium magis salutarem, & præstantiorem somnum in præsenti commendat Dominus, nimirum, somnum quietis, & pacis medijs cõflictibus; somnum, quo mundiales fluctus, & hominum iniuriæ patienter ferantur, qui somnus à neminè tenetur, nisi de consortio Christi, ideò sapienter ait simul, *dormite, & surgite, eamus*, quasi ille solus instar dormientis transit occursus malos, qui Iesu virtute fuerit, & consortio firmatus. Dicebat sponsa Cant. 5. *Ego dormio*; hoc est, sic æstimo mundiales fluctus, quasi nullius sensum habeã. Sed, vt bene notat Bernar. ad hunc somnum prius præcessit sponsi clamor, aiens: *Bibite, & inebriamini charissimi*, quasi solus Iesu calix possit talem soporem causare. Similiter fidelis populus de captiuitate eductus, ait Ier. 31. *Quasi de somno surrexi, & vidi, & somnus meus dulcis mihi*; quippè in captiuitate calamitates patiens dulciter dormiebat, sed quomodo dormiret inter calamitates? Iam explicat, ipse Dominus paulò ante, teste Hieronym. fatus: *Inebriaui animam lassam, & animam esurientem saturaui.* Non enim sic dormiret, nisi qui fortissimi Dei virtute fuerit inebriatus.

Chrysost.

Cant. 5.

Ier. 31.

Tex. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eũ, dicentes: Domine salua nos, perimus.

§. IX.

Vota etiam metus vi exhibita, et homines obligant, et Deo multum placent.

ECCE tibi totus tempestatis scopus, vt nimirum, Apostolos ad Deum pericula traherent. Vt Apostoli, nautæque mortis discrimine afflicti eos ederent clamores, eas funderent preces, quibus Deus posset ad subueniendum excitari. Gaudet enim Deus, & multum gaudet periclitantium votis, quibus etiã metu, & dolore extortis se se homines Deo nouerint obligare. Psalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea: & loquutum est os meum in tribulatione mea.* Vide, quę vota Deo haud ingrata futura Dauid promittat à se implenda: nimirum, vota, ad quæ emittenda tribulatio compulit. Vndè elegãter D. Fulgent. ep. 1. de coniugali debito, ait. *Ne quisquam sibi vellet excusationem tribulationis ad frustranda licentiam promissionis assumere: nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliqm*

Psalm. 65.

Fulgent.

aliquid vouendum non voluntate, sed tribulatione compulsum; docens Dauid omnia esse reddenda, quæ fuerint legitime etiam in tribulatione promissa; cum dixisset Deo: Reddam tibi vota mea, continuo subiunxit: Et locutum est os meum in tribulatione mea. Acceptæ equidem sunt Deo & preces, & vota, quæ tribulationem vi extorquentur. Quis neget acceptissimum Deo votum Annę Samuelis matris? sed & hoc elicuit
1. Reg. 1. tribulatio; ait enim, 1. Reg. 1. *Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino.* Amaro erat animo Anna, æmulæ contumelijs afflicta, quarum vi commota ad Deum cõfugit, & votum vouit, nec ideo vota tribulationis impulsu extorta Deo non placent, immò illi acceptissima sunt, à quo merentur gra
Genes. 16. tias reportare. Genes. 16. de Agar dicitur. *Affligente igitur eam Sarai fugam iniit. Cumque inuenisset eam Angelus Domini, &c.* Ne putes tanti patriarchę famulam vi afflictionis solum à domo fugisse: sed etiam ad Deum confugisse, illumque intimo animi affectu exorasse? Sed qualis oratio illa, quæ non nisi afflictionum vi extorquebatur? Sanè Deo adeò accepta, vt statim miserit consolatorem Angelum. Id
Chrysosto. quod ponderat D. Chrysostom. homil. 38. in Genes. fatus. *Afflictionis fructus in hac ancilla videre licet. Quia postquam à Domina afflicta fugerit, & multum ærumnosa fuit, dolenteque anima Dominum inuocauit, statim cœlestem visionem assecuta est.* Gaudet equidem Deus suorum votis, & precibus, quas vel tribulatio cogat. Ad principum enim gloriam non solum spectat, quod se se ad illos recipiant multi cum gaudio, & voluntate; sed & quod rebelles à litoribus coacti, vel à militibus vincti ad eorũ pedes trahantur. Ideo nõ semel Deus gaudet, vt homines etiam ab externis calamitatibus, tanquam à militibus compellantur accedere, eisq; quam primũ gloriæ suæ thesauros aperit. Hinc Luc. 14. post quam ingens pauperũ
Luc. 14. multitudo ad cęnam se se Domini receperat, cum adhuc locus supereſſet, ait: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Expende illud, *compelle intrare:* quippe si Deus vellet efficaciter vocare, multi alij venissent minime compulsi, sed omnino gaudẽtes; verum non id vult Deus, quando quidem & valde gaudet, cum videt rebelles plurimos à calamitate compelli ad cœlestia venire, illaque exposcere, & pro illis preces fundere. Vn
Augustin. dè D. Augustin. in Cat. citatus ex serm. de verbis Dom. 33. ait. *Abstrahatur à sepibus, auellatur à spinis. Sed cogi nolunt. Voluntate, inquit, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit; cogę, inquit, intrare, foris inuenitur necessitas, nascitur inde voluntas.* Quippe gaudet aliquando Deus videre ad se venientes, qui calamitatum externarum, quasi necessitate in bonam volũtatem prosiliant.

§. X.

Præstantius credulitatis robur à suis propijs quisque rebus sumit.

CORPORE dormiebat Iesus, sed diuinitate fluctus turbabat, tempestatem ciebat, ventos agitabat, in vitæque discrimen discipulos adducebat, vt ipsi in se ipsis Saluatoris experti manum, credulitati suę robur adderent maximum. Sæpius in alijs viderant diuinorum beneficiorum miracula, vt ea in se experiantur, affliguntur modo tempestate; valentiora enim sunt ad firmandum cuiusque animum, quæ penes se videt, quam quæ in alijs. Ita D. Chrysostom. homil. 29. in Matth. Chrysosto.
ait. *Cum nõ pariter aliquis sentiat, quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in se ipso; oportebat discipulos eius, qui plurimos in dies liberari videbant, vt magis obligarentur, in se ipsis omnipotentiam eius inspicere.* Furiat ergo tempestas, vt fidei fundamenta omnimode roborentur in fide, & qui virtutem Saluatoris mirabantur in alijs, omnipotentiam eius canerent propriâ illustrati salute. Non absimilis casus accidit primo orbis conditori Adamo, de quo Genes. Genes. 2.
cap. 2. *Immisit Dominus Deus soporem in Adã, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & replcuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierẽ.* Obdormit Adam cum ex eius costa fit mulier, in somno tamen corporis mens eius diuinitus excitata vigilabat, & clare videbat totum Dei opus, qualiter manus diuina costã extrahebat, mulierẽque operabatur. Sed quęres, qua ratione Adamus interius excitatur, vt Dei opera videat? Quę necessitas fuit, vt videret costam suam ædificari in mulierem? Sanè cultor orbis necessum erat, vt in se, vel in ijs, quæ circa se sunt, Dei omni potẽtiam animaduerteret. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 2. fa- Basil. Sele.
tur. Quare in Adami conspectu vult Euam Deus fingere, & fictricis artis suæ spectatricẽ desiderat propriam imaginem? Nondum Deũ Adamus quicquam fabricãtem viderat. Creauit Deus cœlum, & terram; sed Adamus non viderat creantem. Quomodo creatorem cognosceret, qui creantem non spectauit? *Ea propter ipsius ante oculos faminam struxit, & similis natura spectatorem facit; vt in illa, quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus ex visis discat*

inuisa. Quid pulchriùs? Vnde melius Adamus doceretur, quam ex consorte sua, ex osse suo? Quod in adeò propinqua sibi creatura videret, proculdubio medullitus retineret. Ideo
Matth. 1. Matth. 1. cum trahuntur Magi ad Iesum, notanter dicitur: *Ecce stella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos.* Cur stella ad Magos mittitur, nisi vt à familiari sibi creatura Dei
D. Hieron. sapientiam auidius bibant? D. Hierony. ibi: *Oportuit prophetas mitti potius, sed nequaquam Magi credidissent prophetis. Aut voce aliqua desuper insonare; hanc quidem tam opere non curassent. Aut Angelum mittere; verum hunc forsitã præterissent. Propterea igitur, omnia huiusmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem.* Aui disime homines arripiunt id, quod in sibi familiaribus, & consuetudine notis vident, siue ad virtutem, siue ad vitium. Rapsaces ille Babylonici Regis dux, cum Ierosolymam multo exercitu obsessam haberet, volens Ierosolymitanorum animos solicitare, vt relicto Deo verò, & Ezechia ad Asyrios transirent, ad muros ciuitatis accessit, & Iudaice locutus multa proponit, minatur multa. Quo sic loquente,
4. Reg. 18. 4. Reg. 18. pergit text. dicens. Dixeruntque autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe Rapsaci: *Precamur, vt loquaris nobis seruis tuis Syriace: siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui est super murũ.* Cur prudentissimi viri non tam cauent Rapsacis sententias, quam sonum linguæ? Si eadem dicturus erat intelligentibus, quid intererat, quod loqueretur Iudaice, siue Syriace? Multum per omnẽ modũ: eadem enim patrijs vocibus proposita maximam vim haberent, vt figerentur intimis Iudæorum medullis, ab illisque exciperentur auidius. Id quod notabat Nazianz. orat. 1. in Iulianũ, inquiens. *Rapsaces contra Iudæam exercitum ducens, ac multa vi, & manu Ierosolymam obsidet, assidensque vrbi, postquam illam vi capere nequit, sermonibus blandis, & eiusdem linguæ ciuitatẽ subijcere conatur: quod cũ obsessi intelligerent, primũ recusasse dicũtur, iubẽtes, vt Syriace cũ illis, nõ Hebraice loqueretur, ne forte quempiam linguæ blanditijs ad seruitutem solicitaret.* Habent equidem omnia illa, quibus consueuimus, nescio quas blanditias, quæ homines inescant, & trahunt. Quis non facile persuadatur à rebus, quæ sunt sibi familiares, & valde notæ, immò coniunctæ? Non est, qui ad propria non aduolet, & extranea non habeat vt suspecta, & inuisa. Non enim paruum fuit impedimentum ad suscipiendam Euangelicam doctrinam, quod gentes illam audiebant communiter à peregrinis, & extraneis; propter quod, vt suspectam reijciebant illam. Quod vehementer dolet Theodoretus de curatione Græcanicarum affectionum, lib. 1. de Fide, inquiens. *Theodor.* *Atque alibi quidem videre est, eos, qui singularum artium quarũ fructus percipere, minus esse solicitos, qua elocutione, quo ve idiomate sint illarum artifices. Neque enim Atticos esse sutores curant, neque fabros ferrarios, neque architectos, neque pictores, non ipsos denique factores nauium, non gubernatores. Verum sine Scythæ, sine Sauromatæ, sine Hispani sint, sine Ægyptij summa cum voluptate vtũtur illorum artibus, solam ab his fidem, diligentiamque poscentes, munus autem agre ferunt gentium, locorũque differentiam. Item qui cytharædi fidibus oblectantur, solam audire vocum consonantiam quærunt, neque sit is Græcus, an barbarus scisciari cõtẽdũt. Et tamen in solo perdiscendæ veritatis studio non curiosi, ac non soliciti esse non possunt, sed ignominiam fieri sibi putant, si quis homo sermone barbarus (id est, extraneus) eos ad veritatem erudiat.* Hæc ille: quibus patet, quam innatum impedimentum sit religioni accipiẽdæ, quod prædicetur ab extraneis; & quam auide suscipitur illa, cuius testimonia vides in tuis.

Text. Et dixit ei Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.

§. XI.

Qui secum Iesum habet, inter furentes fluctus securus, & tranquillus ibit.

PRÆ omnibus diuitijs vnus Iesus quærẽdus, & tenendus est, qui solus medijs licet tempestatibus, & habetur, & se habentibus sauet. Id nouerat felix ille mercator, qui post repletam nauim mundialibus diuitijs: *Inuenta vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam.* An putas, id rectè factum à mercatore? Sanè mercatorũ ars petit, vt merces variæ sint, & multiplices, vt sic facile emptores inueniantur: alij enim egent his, alij alijs. Lucrum enim videtur contemnere, qui in vnam solam margaritam omnium diuitiarum pretium exhausit. Verum prudentissimus ille mercator optime calluit, & diuitiarum discrimina & diuinæ margaritæ securitatem. Vbi enim mare tranandum est, quid

valent

valent mundiales thesauri? Primo undarum fremitu vniuersæ diuitiæ eijciendæ sunt è naui, vt nauim salues. At vnica illa margarita, quæ Christus est, & mercatorem ditat, & lucrum auget, & insurgentibus tempestatibus tranquillum facit, vt incolumis nauiget portator. D. Paulin. epist. 4. ait. *Ipse Iesus est margarita, cui coemendæ si facultas nostra suffecerit; non deprimentem sarcinam, sed leuantem nos per hoc mare magnum, & spatiosum vehemus: dormientem in nobis pro nostra segnitie Dominum, (si vel dormientem vectare mereamur) excitare audebimus, vt increpans ventos saluos nos faciat à pusillo animo, & tempestate.* Adsit Iesus nostris animis, & omnia secura sunt nobis, adsit vel dormiens, & nihil est, quod amplius timeamus: Non sic arenam maris verentur fluctus trementes, & concitati, vt omnes mali incursus Iesum in nobis habitantem cauent. Nec multum fallar, si putem, quod diuinus spiritus, aliquid huiusmodi de verbi incarnati virtute meditabatur, cum sapientiam arenæ in littore positæ comparabat. Ait enim 3. Reg. 4. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, quasi arenam, quæ est in littore maris.* Quid habet sapientia commune cum arena maris? Non sic in Salomone patet, vt in eius filio Iesu, qui vera sapientia est incarnata: hic instar arenæ est, quæ tumentes mũdi fluctus repellit, vniuersaque à suis retundit mala. Quò spectauit illud Genes. 22. ad Abrahamum dictum: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Et quando progenies Abrahami, vt arena maris fuit, nisi quando de verbo vitæ, de sapientia incarnata habent fideles, vt nulla aduersa timeant? Accipite Philonem, & si ignoranter, tamen dicentem lib. de somnijs: *Progenies sapientia cum arena confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit: sicut peccatorum fluctus recta per verbum diuinũ institutio.* Cur fluctus timeat mundiales, qui verbi diuini habet in se disciplinam? Adsit nostris in mentibus Iesus, verbum, & sapientia patris, & rideamus omnia mũdi pericula. Exodi. 25. *Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris.* Quid felicius, quam in medio maris nullas maris tempestates videre? Hanc similiter habet, qui verbum diuinum in se habuerit. Vndè Origen. hom. 6. ait. *Si fueris in medio nationis praua, & peruersa, sicut lumen solis verbum vita continens ad gloriam, potest fieri, vt medio peccatorum incedentem, te non infundat humor peccati; potest fieri, vt transeuntem te per hunc mũdum, nulla libidinis vnda respergat, nullus cupiditatis æstus euerberet.* Non sic fluctus arenam littoris, vt pericula omnia verbum diuinum habitans in nobis verentur; sit in nobis verbum, sit in nobis Iesus, cum gloria, & honore, & omnes tempestates facile retundemus. Ad hæc pulchrè dicebat D. Macharius homil. 17. Christiani licet bello petantur ab hoste, diuertunt ipsi ad diuinitatem, induũtque virtutem ex alto, ac requiem, nec de bello sunt soliciti. Vt enim Dominus relicto omni principatu, corpus induit, ita Christiani induuntur Spiritu sancto. *Quod si bellũ etiam ingruat, exterius ferit Sathanas: ipsi verò tuti sunt interius potentia Domini, nec Sathanã curant. Sicut tentauit ille Dominum; quid illi nocuit, quod exterius est aggressus corpus illius? Intus enim Deus erat. Ad hunc modum Christiani licet exterius tentationem patiantur, nihilominus interius pleni sunt diuinitate, nec damni quicquã sentiunt.* Quippe, dum mentibus Christianorum Iesus viuit, non est cur metui debent mali extrinsecus venientes incursus: nihil enim sic fugit hostis, vt affectum in Christum, vt discipulis suis D. Antonius dixit.

D. Paul. Orig. Philon. 3. Reg. 4. Genes. 22. Exod. 25. D. Mach.

§. XII.

A Deo facile obtinetur communis pluribus salus.

MIRABERIS quod Dominus à somno excitatus à rudibus in fide Apostolis tã facile adductus fuerit, vt tempestate abacta mare tranquillum fecerit. Sanè non hoc obtinuit discipulorum fides, quę modica erat, verum obtinuit eorum concordia, & charitas qua singuli pro omnibus precabantur, dicentes. *Domine, salua nos.* Cuique in optatis erat nõ propria, sed communis salus, quo facile illam impetrarunt. Prædicante Iona excidium Niniuitarum imminens cap. 3. *Crediderunt Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, &c.* Viderentur potius moniti de ruina ciuitatis singuli aufugituri ab illa, singuli de propria salute cogitantes. At illi meliori consilio communem procurarũt salutem, & ibi manentes, & ieiunium, & pœnitentiam prędicãt, sese mutuo hortantes, & sic facilius obtinetur communis salus. Ita D. Ephrem in Ionam fatur. *Vnusquisque proximum ad preces hortabatur; & effecta est tota ciuitas velut corpus vnum. Vnusquisque obseruabat, nequis laberetur inter ipsos, nullus ibi precabatur, vt solus redimeretur; verum, vt membra singuli pro se mutuo deprecabãtur.* Nescio, an sit via facilior ad solicitãdam misericordiam diuinam, quam si te ità proximis tuis vnias, vt quidquid ex Deo veniat, non tibi separatim, sed omnibus contingat factis vnum. Tunc facilius obtines à Deo quod cupis, quando non solus seperatim, sed,

Iona 3. D. Ephr.

& cũ alijs accipere procurãs. Huc ſpectat formula orandi nobis à Ieſu Domino tradita, cũ hæc iubemur orare: *Pater noſter, qui es in Cælis.* Cur, cũ oro, nõ dicam; Pater meus, ſed Pater noſter? Ne putet quis aliquid à Deo facile ſolus acceptur⁹, quod ſibi ſoli proficiat. Ita Sedulius lib. 2. Paſchali cap. 11. dicens. *Sedul.* *Qui cælorum regnatorem patris audemus nomine nuncupare, primum debemus aduertere non ſeparatim ſingulis, ſed communiter vniuerſis donum tanti muneris attributum. Non quaſi ſemotus à cæteris Dominum quilibet orationis huius verbis imploret, non inquiet, Pater meus, ſed pater noſter.* Nil à Deo habebis ſemotus à proximis, & fratribus tuis, cuius miſericordiam ſolicitat citius, qui cum multis fit vnum, quam qui ſolus, & ſe paratus cupit eſſe à multitudine. Iſai. 6. *Iſai. 6.* *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſoliũ excelſum, & eleuatum, & ea, quæ ſubipſo erant replebant templum: Seraphim ſtabant ſuper illud, &c.* Expende, quod in ſedẽte eluceat ſingularitas, in ſtantibus pluralitas conformis appareat. Sed cur in ſtantibus pluralitas conformis? In ſedente proprietas diuinitatis oſtenditur, cui cõpetit omnimoda in omnibus ſingularitas, & independentia ab alijs. At in ſtantibus iam creaturarũ notio explicabatur, quãdo creaturæ propriũ eſt aliarum cõſortium procurare, ne ſola, & ſemota ab alijs à Deo velit accipere aliquid. Sic D. Bernard. ſerm. 3. ad illa verba, *Bernard.* confundens inde deſertorem Angelum, qui faſtiditus ſtantium pluralitatem, ſedentis ſingularitatem affectauit, dũ dixit: Sedebo in lateribus Aquilonis, ſic fatur: *Sola ſedet Trinitas, quæ ſola habet immutabilitatem. Seraphim ſtant. Qui ſedere præſumpſit, ſe ipſo voluit eſſe contentus, tu ſedere tentaſti, ô impie; propterea tui moti ſunt pedes.* Ecce tota deſertoris Angeli inſania, tota ruinæ occaſio, quod creaturarum aliarum conſortium faſtidiens, ſingularitatem amauerit; quod ab ſtãtium pluralitate ſemotus, eò ſpectabat, vt ſolus eſſet, ſoluſque inueniretur: ideo miſere cecidit: quia non habuit emolumentum ſocietatis, ſed ſingularitatis damnum.

Tex. Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.

§. XIII.

Homines ex proprio iudicio vix ſciunt non errare.

VBI elementorũm obedientia auctorem ſuum Ieſum manifeſtant, adhuc nautæ in errore verſantur, &, vt ſapiẽter notat D. Hilarius, nõ Deum vocant, nec Deum recognoſcunt, quod intolerabilis dementiæ eſt. Cur quem vides vẽtis, & mari imperare, nõ Deum habes? Cauſam tanti erroris notat textus, cũ ait: *Homines mirati ſunt, dicentes. Qualis eſt hic.* Vbi enim homines ex ſolo ſuo iudicio agũt, nihil niſi errorem parient. Samuel à Deo præceptum acceperat, quod iret in domum Iſai, ex eiuſque filijs vngeret vnum in regem Iſrael. Igitur abijt Samuel, petit ſibi Iſai filios ſiſti, vt eligat. 1. Reg. 26. *Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait. Nunc coram domino eſt Chriſtus eius? Dixit Dominus ad Samuelem, ne reſpicias vultum eius: Et vocauit Iſai Abenadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: neque hunc elegit Dominus, &c.* Sic ad ſingulos accedit Samuel, & in ſingulis aberrat. Cur id voluit Deus? Cur non magis determinate oſtendit illi puerũ vngendũ? Vt videretur infirmitas iudicij humani, qui ex ſe nunquam non erraret. Ita D. Hieronym. lib. 1. aduerſus Pelag. *D. Hieron.* *Atque in hunc modum Samuel per omnes errat, per omnes corrigitur, vt pateat humanæ mentis infirmitas.* Quis nõ metuat aliquid ex ſua ſententia trutinare? Quis non ſuſpectam habeat propriam electionem, quando Samuel prudentiſsimus vir, vbi ex ſe inclinatur ad explicandum Dei voluntatem circa regem futurum, neſcit non errare? Vbi hominum iudicij trutina accedit, nequit fieri, vt error non ſaliat. Marcus, cap. 4. narrans præſens miraculum, *Marc. 4.* dicit: *Et facta eſt procella magna, venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.* Expende illud, *fluctus mittebat in nauim.* In quo conſiderat acutè Chyſologus illos, qui nullam regulam, nullum dogma ſecurum, & ſtabile volunt eſſe in Chriſti Eccleſia, ſed omnia in diſputationem vocant, omnia quæſtionibus turbant, de ſingulis inquirunt, quo nequit fieri, ne mille errores naſcantur, qui opprimant Chriſti nauim. Quid enim humana ratio diſputatrix ex ſe, niſi errores pariat? Pulchrè Chryſolog. ſerm. 21. ait. *Merito ſpumoſis* *Chryſolo.* *fluctibus Euangeliſta refert fuiſſe nauem repletam: cum tot pene hæreſes Eccleſia patiatur, quot diuinæ legis legimus eſſe quæſtiones.* Nihil certum, nihil firmum, nihil ſtabile eſſe poteſt, quod in quæſtionem reuocetur; vbi humana admittitur diſputatio, neceſſario ſequitur in vtramuis partem claudicatio, & error ſerpit inde ſimulatus. Vix humano iudicio iudice, naſcitur, niſi error, & opinio falſa. Eccleſiaſt. cap. 8. inter multos ab humanis opinionibus ortos errores, etiam dicit. *Eccleſia. 8.* *Sunt iuſti, quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum, & ſunt*

sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Quod si scire cupias, vnde sic iustorum, & impiorum sortes confundantur; no tissima tanti erroris causa est humana ratio.

D. Gregor. Neocæsar. Cui rem attribuens D. Greg. Neocæsar. Thaumaturgus sic in sua metaphrasi verba dicta explanat. *Pessima, & falsa opinio per homines plerumque grassatur, tum de iustis, tum de sceleratis. Nam & qui iustitia praditus est, non talis habitus est; & rursus impius cordati viri opinionem tulit. Quem quidem errorem in primis grauem, & pernitiosum esse statuo.* Erroneus inde erit, qui nõ suspectas habeat opiniones, immò sententias humanas.

CAPVT SEXTVM.

De Petro ambulante super vndas.

TAM nox mundum opplebeüerat, vt Matth. Marc. & Ioannes aiunt, & terris magistro residente, discipuli marinum petiuere nauigium: furebatque pontus expositam flabris aduersantibus in carinam. Tunc vmbrosæ noctis quarta fere vigilia calcatas Dominus super vndas obambulans tumidos spumosi gurgitis fluctus placido comprimebat incessu, sacraque Christi vestigia mutâ pelagus abluuione lambebat. Mirantur nouum subito periclitantes aspectum, pedestri sub calle vias patuisse nauigeras. Cunctisque nutãtibus vtrum verè Dominus appareret, an oculos metu discriminis obumbratos certa caliginis simulacra deciperent? Petrus fidei socius, & amicus, cui familiaris gratia semper Christum agnoscere concedebat, vt ad eum pergeret, postulauit. Vocatusque, vel trepidans in marina descendit, nulla refluentis vndæ rapacitate submersus: qui dominicæ manus auxilio subleuatus, potentis dexteræ tutissimum confugisset ad portum, perque vitreos salsi maris campos callem secuit, pelagi viator existens.

Matth. 14. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

§. I.

Qui semel Iesu dulcedinem gustauit, difficile ab illo separari sustinet.

NOVVM videbitur, quòd obedientissimi discipuli dicantur à Christo fuisse compulsi nauiculam ascendere, sed quomodo à Christo Iesu, vel ad breue tempus discederent, nisi compellerẽtur? Difficile, & ægre auellitur à Iesu, qui eius gustauit dulcedinem. Cum ab Ierosolymis in patriam redirent Maria, & Ioseph, remansit puer Iesus in templo inscijs parentibus. Quis dicat sanctorum parentum solicitudines? Quis æstimet illorum dolores? tãdem post triduum inueniunt Iesum, cui sic mater fatur, Lucæ 2. cap. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sane nec tridui absentiam à Iesu sine ingenti dolore pati sustinuerunt. D. Aelredus homil. in præsenti ait: *O Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas puero, quem Deũ noueras. Sed tantum subtractas tibi, vel ad modicum ineffabiles præsentiæ eius delicias querebaris.* Quis sustineat tanti dilecti semel gustatis delicijs, vel ad horam carere? Quis siccis oculis recedentem Iesum spectet? Amatrix illa Iesu, Cantic. 2. clamabat. *Reuertere, similis esto dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorũ super montes Bethel.* In Bethel montibus abeuntem videbat dilectum, & illum reuocare conatur, clamans illud, reuertere; & statim cap. 3. incipit. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea:* Modo in montibus, modo in lectulo: quid sibi vult hæc tam diuersa coniunctio? Nunc in montibus abeuntem videns, ad montes reuertatur, precatur: nunc in lectulo quærit elapsum. Quis te â montibus in lectũ traxit? Quis monti lectum coniunxit? Equidem vbi dulcis sponsus à montibus, vel ad horam abscesit, consequens erat, vt à montibus sponsa in lectulum doloris, & lacrymarum caderet; non enim sine ingenti deiectione, & dolore, præsentiam Iesu amittit, quam semel fuerat nacta. Argute Gillibert. Abb. serm. 1. in Cãt. *Elapsus erat dilectæ suæ super montes, quasi hinnulus vagus, & volitãs, & ipsa ad se relapsa de montibus illis: in quibus mirabiliter erat*

Aelred. *Luc. 2.* *Cant. 2.* *Gillibert.*

illustrata visione dilecti. De montibus, inquam, illis ad conuallem lacrymarum, ad lectum doloris relapsa. Quid ni sic recidet ipsa, vbi sic recedit dilectus suus? Recedente ipso, illa recidit ad lectulum doloris, & infirmitatis. Quid aliud superesse potest post Iesum, quã lectulus doloris? Quisquis Iesum semel habuit, semel eius dulcedinẽ gustauit, fallor, si aliud vellet aspicere, nec dũ cogitare. Psal. 26. *Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Ad hæc D. Bern. serm. 74. in Cant. *Quid ni requirat? Neque enim subducto sibi tam dulci sponso interim aliquid aliud non dico desiderare, sed ne cogitare libebit. Restat, vt absentem studiose requirat, renocet abeuntem. Ita ergo renocatur verbum, & renocatur desiderio animæ, sed eius cui semel indulserit suauitatem sui.* Quid nõ faciat anima, ne Iesus absit, cuius dulcedinẽ gustauit? Ne amittat, quem semel tenuit? Ne separetur ab eo, cuius cõsuetudinem experta est? Luc. 24. Sane discipuli illi Lucæ 24. qui Iesum socium itineris habuerũt, etsi peregrinum putarunt, tamen nullo modo illum abire sustinuerunt, quin potius: *Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam adueſperascit.* Sic afficiuntur erga Iesum, quicumque eius suauitate fruũtur, ne patiãtur illũ â se discedere, & quamlibet absentiam eius ingenti dolore prosecuntur. Non Iesum, sed manum eius semel viderat sponsa, & quis æstimet dolores eius, Cant. 5. quæ cerneret abeuntem? Cantic. 5. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.* Nec putes simpliciter dictum absponsa, quod ille declinauerat, atque transierat, cuius manum viderat. Immò experta donorum magnitudinem, ait Philo Carpath. *Ob idque cupida illius sponsa, quasi dolendo narrat: At ille abierat, transieratque.* Non sine ingenti dolore narrare valebat Iesu absentiam, quæ semel eius manum viderat. Vtinam & nos eius manum experiamur; eius sentiamus dona, & non sustinebimus absentiam illius; & æternam moram putabimus, si vel modicum à nobis aufugit. Ioann. 16. Ioann. 16. aiebat Dominus. *Modicum, & videbitis me, iterum modicũ, & non videbitis me.* Quò circa D. Bernard. serm. 74. in Cant. ait: *O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quod non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde minus.* Intolerabilis mora est, & longissima illa, qua à Iesu separatur ille, qui de eius præsentia cæpit recreari. Abacuc. 2 Vndè Abacuch cap. 2. *Qui adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur; si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Merito miratur D. Bern. supra duo illa coniuncta, nimirum, & morãm facere, & non tardare. Quomodo nõ tardabit, si moram facit, vel quomodo moram facit, si nõ tardabit? Equidem est mora nõ in re, sed in opinione expectantium; est mora non quia tarde veniet, sed quia semel visus abijt, & procul est factus; & quæuis celeritas in redeũdo morosa est, & grauis illis, qui semel eius visionem gustarunt. Quis Iesu immensam dulcedinem vel extremis præli bauit labijs, qui non violenter ab illo separetur? Quis eius gloriam vel à longè vidit, qui possit vel ad momentum sine illo esse inter humanas paupertates? Niueum vestimentorum decorem Petrus in Tabor vidit, & cætera mũdialia fastidiens, veritus ab illa visione separari clamat. *Bonum est nos hic esse.* Ex quo sic D. Greg. Nyss. hom. 11. in Cant. sic pergit. *Quis cum vel ipso sole clariorem Domini aspexerit tunicam pertextam per incorruptibilitatem, & puritatem, qualem ostendit in transfiguratione, in monte: mendicorum vestem pannosam libenter induerit, cuiusmodi est ebrij, aut fornicatoris?* Greg. Nyss. Sanè nullus sui compos erit, qui cum semel nouerit Iesu gloriam, velit ab illo separari, vt ad mundiales spurcicias recurrat, quin potius illud Apostolicum inclamabis: *Quis nos separauit à charitate Christi?* Quasi nihil sit in toto orbe terrarum propter quod velim, vel ad momentum esse à Iesu separatus.

Matth. 14. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

§. II.

Orationi efficaciam tribuunt vigiliæ.

VT sola Christi hominis oratio efficaciam habebat maximam ad leniendam patrẽ, inimicosque deuastandos, sic eam semper comitabantur & vigiliæ, & asperitas montis, & solitudo, à suisque separatio, iam inde astruens cuiuscumque orationis efficacis socias esse debere vigilias religiose peractas. Sic monebat suos Dominus Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem,* quasi illa oratio potens sit fugare tentationes, quæ cum vigilijs coniuncta est. Matth. 26. Vbi autem Apostoli vigiliam abstulere orationi somno indulgentes, nec sustinuerunt hostiles incursus. Vt merito dicat Tert. lib. de orat. Dom. *Adeo tentati sunt Apostoli, Dominum deserendo, qui somno potius indulserant, quam orationi.* Tertullian. Vtinam non somnum

num, sed vigiliam orationi iunxissent, & auxilium diuinum exorassent, quo efficaciter de hostibus triumphum agerent. Luc. 11. ait Dominus, vt fiduciam in orando Deum hominibus persuadeat: *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, &c.* Quæ verba ponderans D. Amb. ibi fatur. *Vides quod iste, qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione perstiens non defraudetur oratis.* Equidem nunquam vacua nouit redire oratio noctis vigilijs comitata; id quod notãs in præsenti Chrysol. 39. ait: *Ista satis hora est efficax impetrandi: hoc sciens propheta ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse, cantando: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In hac hora vigilantibus semper sponsus ille occurrit, qui dicit: Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit.* Quasi non posset non impetrare quod voluit, qui precibus, orationibusque suis etiam vigilias addidit. Nec otiose putes dictum de orbis magistro Iesu, Luc. 6. *Et erat pernoctans in oratione*, sed vt inde incredibilem Iesu efficaciam in orando ostendatur. Sed quanta efficacia esset in Iesu pernoctantis oratione? Chrysol. Iesu pernoctantis orationis efficaciam comparat cũ totius effusi sanguinis efficacia. Quippe ait: ser. 24. *Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei; vt ante nos oratione liberet, quam redimeret passione.* Quasi ad solutionem peccatorum non minoris esset efficaciæ Iesu pernoctantis oratio, quam tota profusio sanguinis. A quo non multum abest Chrysost. hom. 42. ad populum, aiens. *Crede mihi, non ita rubiginem ignis excoquere solet, sicut oratio nocturna nostrorum rubiginem peccatorum.* Præsentissimum remedium est ad peccatorum solutionem impetrandam oratio pernoctantis; & raro inuenitur oratio vigiliæ iuncta, quæ effectum statim non sortiatur. Act. 16. dicit. *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum. Et audiebant eos, qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita vt moueretur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt.* Nec facile credam Paulum non antea sæpe orasse, vt pote qui docebat orationem sine intermissione habendam; solutio autem vinculorum, & apertio carceris nocturnam solum orationem necessario secuta est. Planè illa oratio, quæ cum vigilia iuncta est, præsentissimũ remedium solutionis, & liberationis habet. D. Ambros. in Psalm. 118. Octonario 8. ita fatur. *Nõ otiose Paulus Apostolus & Silas trusi in carcerem, cum in nervo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis vestigio, exorabant Dominum, & laudis sacrificium offerebant. Ideo que vbi non deficit deuotionis officium, adfuit etiam solutionis remedium. Subito enim media nocte terræmotus factus est grandis, valuæ apertæ, & omnium vincula soluta sunt.* Ecce tibi solutionis remedium necessario pernoctantium orationem comitatur.

Matth. 14. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autẽ vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.

§. III.

Oratio securitatem affert in sustinendis tempestatibus.

DVM mare ventis agitatur, qui in naui erant discipuli solicitabantur, Iesus autẽ medijs fluctibus constitutus securus ambulat. In naui metum habent illi, in fluctibus hic habet securitatem. Quid mirũ? præter quam Deus erat, & tunc ab oratione veniebat, quæ nullas finit timere tempestates. De Iona dicitur, cap. 2. *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de vtero piscis, & dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ, &c.* Vbi expendendum illud verbum, *clamaui*: quippe post trium dierum silentium medijs belluæ viscеribus incolumis, & illæsus factus, nõ ait clamo, siue precor, sed quasi tantæ incolumitatis indigitans causam, dicit, *clamaui*: id est nõ huic labori accessi inermis, sed cum me iam iam & tempestati, & belluæ mittendum vidi, me orationi dedi, qua ad Deum clamaui, & qua gratulor mihi modo de incolumitate. D. Hieronym. ibi: *Non dixit clamo: sed clamaui: nec de futuro precatur: sed de præterito gratias agit: indicans nobis, quod ex eo tempore, quod præcipitatus in mare vidisset Cetum: & tantam corporis molem, & immanes ritus aperto se sorbere: Domini recordatus sit, & clamauerit.* Quid mirum, quod in bestiæ faucibus incolumitatem sentiat, qui se se orationis clamoribus antea armauit? Præteritæ orationi meritò refert, quod incolumis in maris corde, & in balenæ ventre agit; nulli non te verebuntur fluctus tẽtationum mũdialiũ, si viderint orationem armatũ. Parui equidẽ sunt, & nullius momẽti vniuersorũ hostiũ cõflictus, vbi ad illos

accedas oratione armatus. Quis nesciat magnitudinem exercitus Sirij conflata à Rege aduersus vnum Samuelem? Et quid Samuel tot, tantisque hostibus petitus egit? An aliquam turbationem passus est? an pauorem ostendit? Absit: immò mira securitate potitus, 4. Reg. 6. Orauit Eliseus, & dixit: Percute iam gentem hanc cæcitate. Et percussit eos Dominus cæcitate, &c. Vbi eleganter D. Ambros. serm. 1. de Elisæo, sic orationis immensam fortitudinem exaltat. *Vbi sunt, qui dicunt plusquam preces sanctorum hominum arma posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit. Quæ cateruæ regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ita vt hostes prosterneret, vt de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nullus lædatur.* Non eam orationis virtutem modo prædico, qua hostes deuincit, qua inimicas potestates depellit: sed eã virtutẽ orationis modo admiror, qua nulli vulneri locum faciat. Solent enim fortissimi homines victorias ab hostibus reportare, sed cum aliquo vulnere suo; verum qui oratione armatur, sic medijs certaminibus securus incedit, vt nullum ad se permittat vulneribus aditum. Id quod etiam stupet Nyssen. orat. 1. de orat. Dom. fatus. *Si oratio negotium præcedat, peccatum aduersus animam aditum nõ inueniet.* Quòd orationi detrahis, id hostibus præbes, id præbes tentationibus, quæ minime te possent perturbare, si viderent orantem. Nota est historia Exodi 17. vbi dum Moyses leuatas ad Deum manus haberet, omnino aditus hostibus intercludebatur, ne populum possent vulnerare; verum vbi paululum declinabat manus, iam hostibus aditus dabatur. De quo in homil. propria D. Chrysostom. ait. *Hostis, dum oras, premitur: dũ cessas, erigitur. Quare orationis inflãtia, hostis sanitia debelletur: non resumat vires, dum parcimus: non erigatur, dum aliquãdo cessamus.* Tota nostra securitas aduersus mũdiales incursus ab oratione est, si plene nos videant orantes, non habent hostes aditum, quo nobis possint officere, sed si ab oratione cessãmus, mille statim hostibus patent aditus. De Iuda dictum est, Ioann. cap. 3. *Et post buccellã tunc introiuit in eum Sathanas.* Cur post buccellam? Quid fecit accepta buccella, quo patentem ad se aditum reliquit Sathanæ? Ipse Ioann. insinuat, aiens statim. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo.* Ideo patuit diabolo, quia post buccellam non orationem de more expectauit, nõ hymnum cecinit, sed continuo abfuit. Id docet Eusebius relatus à D. Damasc. lib. 2. Parallelorum, cap. 15. fatus. *Illi enim exitium, hinc ortum traxit, quod in oratione non perstiterit. Nam cum panem primus omnium accepisset, pedem extulit, ac statim Sathana in se ingresso in proditionem properauit. Ne igitur committamus, vt ob vnam horam cum Iuda condemnemur! Nihil nobis molestiæ permansio in oratione allatura est. Non tempestates intus habet, non ignem.* Hæc ille: vt videamus, quam pateat diabolo, qui orationẽ defraudat: & quam rapide in perditionem feratur.

4. Reg. 6. — Ambr. — Nyssen. — Chrysosto. — Ioann. 3. — Euseb.

Matth. 14. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt.

§. IIII.

Peccatum grauat, & deprimit nos.

NESCIT grauedinem corpus, quod peccatum nescit; vna enim moles peccati Ægyptios in profundum demersit, & homines quotidie deprimit. Hinc Iesus post satiatã multitudinem in deserto, maria pedibus secũrus terit, vt qui suam potestatem miraculo panum diuinam ostendit, ambulatione super aquas ab omni peccato mũditiem præseferat. Sic Beda in præsenti: *In miraculo panum, quod esset rerum conditor, ostendit, & in ambulando super vndas, quod haberet corpus ab omni peccato liberũ ostendit.* Non enim caro peccatrix posset super aquam stare, quandoquidem peccati sarcina illam infima grauaret. Paulo inferius, etiam Petrus super aquas ambulat, sed vix paucos gradus facit, & ecce tibi mergi cæpit. Cur mergitur ille, qui Iesu imperio fertur super aquas? Ait textus: *Videns verò vẽtum validum timuit: & cum cæpisset mergi, &c.* Illum vanus timor inuasit, & cum timore nescio quæ species infidelitatis intrauit. Vbi autem vel vmbra peccati intrat, quasi mille moles plumbeę intrarent, sic grauitare faciunt. D. Hieron. in cap. 2. Naum fatur. *Qui ante leuis pẽdulo gressu calcabat vndas, post quã infidelitate aggrabatur, vorabatur â fluctibus.* Nulla res sic grauat, sic deprimit mentes creatas, vt vel vmbra peccati. Pennatum illum spiritũ nosti, qui mane oriebatur, qui ascensiones meditabatur in corde suo, qui in magnis nouit ambulare, & in mirabilibus super se. Is apud Iob cap. 1. interrogatus vnde veniret, ait. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* In terra iaces, qui te super omne, quod Deus est, exaltabas Vbi sunt antiquæ pennæ? Vbi ascensus illi supra testamenti montem, supra nubes, supra solium

Beda. — Hieronym. — Iob 1.

ſolium Dei? Intrauit peccatum, & non potuit, vſque ad ima non grauitare. Pulchrè D. Gregor. Papa, lib. 11. Moralium, cap. 4. ait: *D. Gregor.* *Cum ſe non tranſuolaſſe, ſed perambulaſſe inſinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, oſtendit.* Tota agilitas ſpiritus non potuit non grauari, & deprimi ad ima pondere peccati. Et cur vnam creaturam non deprimat peccatum, quod totam creaturarum vniuerſitatem potens eſt opprimere, & grauare? Accipite D. Anſelm. lib. de excell. Virg. cap. 10. *Anſelm.* *Homo qui à Deo inter cæteras creaturas ſublimis creatus eſt, dum Deum per ſuæ inobedientiæ reatum inhonorauit; omnia, quæ ſui ſtatus integritatem ſeruarunt, quadam cõfuſione, ipſa ſui reatus immanitate, quantum in ipſo ſunt, vulnerauit. Ingerebatur enim ſic diuinis operibus contumelioſa quædam oppreſſio, & fiebat grauis, & iniurioſa abuſio.* Non ſic immenſum plumbi pondus immiſſum opprimeret vniuerſitatem creaturarum, vt illam oppreſsit, & grauauit vnius peccati. Ex quo nullam licet altitudinem ſpectare, ſed voraginum profunditates, per quas ſolum peccata nouerunt reptare. Cant. 2. aieba ad ſponſum: *Cant. 2.* *Reuertere: ſimilis eſto dilecte mi, capra, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Per montes Bethel intelligit humanam naturam peccatis, & Sathanæ altitudine grauem, ad quam, petit, veniat dilectulus, tanquam hinnulus ceruorum, interempturus ſerpẽtinas progenies, nimirum, vniuerſa peccata, quibus mons iſte ſcatet. Sed notandum, quod pro, *ſuper montes Bethel*, dicitur apud Nyſſenum, *Nyſſen.* *ſuper montis concauitatem*: quaſi diceret ſuper montem profundiſsimum, vaſtiſſimæque concauitatis. At profunditas non monti competit, ſed valli; montes enim alti ſunt, profundi valles. Verum id eſt, ſi naturam ſpectes; ſed non, ſi ſpectes corruptionem peccati: vbi namque peccatum intrat, nõ ſinit altitudinem haberi, ſed in ima vergens, nihil nouit ſtendere, niſi profunditatũ voragines. *Idem.* Pulchrè Nyſſ. hom. 5. ſic ſpõſę verbis ad Deũ loquitur. *Dele peccati generationem, ſicut hinnulus delet ſerpentes, qui conſumit genus ſerpentum. Vides concauos montes vitæ humanæ, quorum ea, quæ aſſurgunt, nõ ſunt vertices, ſed valles. Currit ergo quam cellerrime verbum ad montes concauos. Quidquid enim extollitur aduerſus veritatem, eſt barathrum, & non mons, concauitas, & non aſſurgens faſtigium.* Nunquam nouit ſuper extolli peccator, ſed deijci, ſed in profundum mergi.

§. V.

Quo citius finienda ſunt mala, magis ingraueſcunt.

TIMENT Apoſtoli, cum nauim fluctibus turbari vident abſente Domino, qui ſuper aquas gradiens, vt ſoluat timorem diſcipulorum, illum vehementius auget, nam diſcipuli putantes ſe phãtaſma videre, ſic pauẽt, vt exurgant in clamorẽ. Quid hoc eſt Domine, venis vt metus tollas, & illis occaſionem præbes, qua vehentius metuant? Sic conſueuit Dominus vehementiores labores, & curas immittere velut indices vicinę liberationis. Tũc magis acuit dolores, quando ſalus iam ſtat in foribus. Ita D. Chryſoſt. hom. 51. in Matth. *Chryſoſto.* vt habetur in Cat. *Semper*, ait, *hoc Dominus facit, cum ſoluturus ſit mala aliqua, difficilia, & terribilia inducit. Quia enim non eſt longo tempore tentari, cum finiendi ſunt agones iuſtorum, volens amplius eos lucrari, auget eorum certamina, quod in Abraham fecit, vltimum certamen tentationem filij ponens.* Sunt grauiora pericula, & diſcrimina certiſsima nuntia liberationis, nẽ enim lucrum maximum, quod ex laboribus iuſti acquirunt, defraudari poſsit, quò magis ſalus appropinquat, eò vehemẽtius acuit Dominus dolores. Magdalenæ luctum pro defuncto Domino, quis ignorare potuit? Clamat illa ad monumenti oſtium, & ſæpius ingeminabat illam cauſam doloris, quia tulerunt Dominum meum: nihilominus Angeli accedentes Ioann. 20. aiunt: *Mulier, quid ploras?* Quor *Ioann. 20.* ſum hæc Angelorum interrogatio? An neſcitis, quod afflictus animus vehementius affligitur, & exacerbatur, cum cogitur reminiſci, & proferre cauſas dolorum? Cur ergo vultis afflictam affligere magis tali interrogatione? Erat iam luctus finiendus, erat lætitia in foribus, & ideo exacerbatur dolor, ne minima lacrymula maneat ex his, quæ poſſunt effundi pro Domino. Pulchrè Drogo Hoſtienſ. lib. de Sacram. Dom. Paſsion. ait. *Drog.* *Equidem bene noueratis, ô pyſsimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret, quare illam iterum commemorando intus excitaſtis? Sed prope erat inſperatæ conſolationis gaudium; ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat.* Ne quid minus haberet lucri, quod lacrymis comparare poſſet; feſtinante lætitiâ acuitur dolor, vt totius lacrymarum meſsis congregatio nuntium afferat liberationis. Moyſes, & Aaron mittũtur à Deo in Ægyptum populi ſui liberatores, & redemptores: quid tunc? Magis, & magis ſæuit ira Pharaonis, adeò vt hoc ab illo publicetur edictum aduerſus miſeros Iſraelitas. Exod. 2. *Exod. 2.*

Palea

Pallea non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum. Qualis hic rigor? Nonne hæc seueritas, immo crudelitas regis signum est æternæ captiuitatis, & oppressionis? Immò nullum clarius signum esse potuit vicinæ liberationis. Ita Lyppomanus in Cat. fatur. *Sic ergo tunc maximè populus Dei affligitur, cum propinqua est salus, & liberatio. His autem, inquit Dominus, fieri incipientibus, leuate capita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra.* Sic semper consueuit Dominus, eo magis permittere ingraueſcere dolores, quo propior est salus. Psalm. 34. *Iudica Domine nocentes me, impugna expugnantes me. Apprehende arma, & scutum.* Vbi arma aprehendi petis, cur scutum requiris? An Deus eget scuto? Homo cum exerit gladium, necesse est, vt etiam se muniat scuto, quia dum ferit, potest feriri; sed Deus cur se scuto muniat, qui feriri non potest? Verũ possunt sui serui feriri: vnde numquam gladium exerat Deus, quim simul opponat scutũ, ad protengendos suos, aduersus quos numquam sæuior inimicus, quã vbi à Deo expugnatur, & iam iam cogitur abire. Quod insinuabat Saluian. lib. 3. de Gubern. *Apprehende scutũ, & corripe gladium; scutum ad protectionem, gladium ad vltionem.*

Lyppom. Psalm. 34. Saluian.

Matth. 14. Statim Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciã: ego sum: nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.

§. VI.

Dei vocatio firmat, & stabilit gressus eius, qui vocatur.

NON timet Petrus liquidos fluctus mãris calcare, si â Deo vocetur, nouit enim Dei vocatio fluctuantes firmare calles; & vel in aquæ fluctibus tritas firmis gressibus vias demonstrare. An maria terenda erant, quando apud Isaiam, cap. 6. loquitur Dominus: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Et tunc respõdet propheta iuxtà Septuag. *Ecce ego sum, mitte me.* Expende illud; *ego sum*, quod nomen est firmissimæ naturæ diuinæ, & tamen se ita audet Isaias compellare. Vndè propheta tantã accepit fiduciam, vt firmitatis diuinæ nomen sibi attribuere audeat? Quis imbecillem hominem ad eam extollebat firmitatem? D. Hieronym. epist. 144. *Deus*, inquit, *qui vocat ea, quæ non sunt, quasi sint, & qui dicit: Ego sum, qui sum: quoscumque vocauerit, statim facit subsistere.* Potens est Dei vocatio stabilitatem, & firmitudinem præstare ijs, quos ad se vocauerit. Hoc vnum curet quis, vt vocetur à Deo, vt audiat suauissimum illud Dei verbum, nimirum, veni, de quo mirifice confortatus, & confirmatus medijs periculis, medijs discriminibus aget. Infirma adhuc erat sponsa, lectoque infirmitatis cubabat, nondum apta, vt vigilias ageret, vt in arenam descenderet, vt vias difficiles ambularet. De qua spõsus aiebat Cant. 2. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Sic infirmitati dilectæ suæ consulit sponsus, ne permittat ab aliquo illam ad laboriosam vitam excitari. At vix tantam abiurationem complet, & subdit ipse statim. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Nonne modo cauebas, ne excitaretur sponsa ad labores, eius consulens infirmitati? Cur tu excitas? Cur vigilare iubes infirmam animam? Cur quam times per alios trahi ad labores, tu non dubitas trahere? Omnem absoluit quæstionem verbum illud, *surge, & veni*, vbi enim Deus vocat, & ad se venire iubet, nulli metuendum est infirmitati, nulli parcendũ difficultati: quippe Dei vocatio valet medijs periculis nutantes ipsos gressus confortare. Pulchrè ad hæc D. Bern. serm. 58. in Cant. fatur. *Non parũ confortat, quod audit, veni. Quid enim difficile illo comite sibi reputet? Pone me, inquit, iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Nihil est, quod timeat, qui â Deo vocatur, in ipsa vocatione munimentum habet, quo se muniat, & defendat ab omnibus incursibus malis. Huc me, dicat, Dominus vocauit, hàc me duxit, hic me posuit, cur labentes fluctus expaueam? cur discrimina pertimescam? Cur nimis metuam infirmitati? cur non potius de fortitudine vocantis gaudeam, cuius vocationis vi impedimenta quæuis nihili facio? Sanè impeditus erat Lazarus, qui ligatis pedibus, & manibus iacebat defunctus, & quatriduanus: accessit tamen virtus vocantis: *Lazare, veni foras*, Ioan. 11. Quid tunc? Impediunt vincula, vbi diuinũ illud, *veni*, resonauit? Absit: immò, *statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* Ride vincula, ride impedimenta, ride difficultates, vbi Dei vocationem auribus tuis noueris inclamare. Pulchrè Theod. de Prouid. Dei serm. 10. hæc expendit. *Mortuum, qui & vinculis constrictus, & fœtidus iam erat, currere, & mortis manus fugere, ad vocantem autem creatorem, nec mortis foribus, nec vinculis impeditũ, festinare fecit.* Vbi diuinæ vocationis se pandit efficacia, nullum impedimentum est, à quo possis retardari, nullum

Cant. 2. D. Bernar. Ioann. 11. Theodor.

nullum discrimen, quod animose non per transeas, etiam si ligatis pedibus sit iter agendum, etiam si turbatum mare tranandum.

§. VII.

Virtus stabilis, & firma est etiam super aquas, vel super arenam fundata: vitium infirmum, & labile, etiam super rupes fundatum.

PVLCHRE Petrus se audet iubente Christo aquis commendare, inuenturus in illis firmitudinem, & soliditatē: Virtus enim vbi non stabilis, & firma? Etiam super arenam, etiam super effluentes aquas fundata habet stabilitatem. Isaias cap. 33. *Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam, & calumniam, & excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.* Quorum verborum elegantiam ostendit amplius translatio adducta ibi à Leone de Castro, qui pro, *munimenta saxorum*, dicit etiam vertendum ex Hebræo, *retia saxorum sublimitas eius.* Et sanè retibus nihil inconstantius, saxeis munimentis nihil stabilius esse potest. Fundamenta saxea æterna sunt; retia aquis innatant, fluctibus mouētur, rapiūtur, & alterantur. Qualis ergo ista coniunctio tam instabilis, & infirmo fundamento cum adeò forti, & durabili? Pulcherrima equidem coniunctio est, nam virtutum studioso viro perpetua est sublimitas, & stabilitas, siue aquis, siue saxis inambulet; vel labētes fluctus, vel stabiles rupes æque extollunt, & æternant eum, qui virtutibus sit ornatus. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum, siue retia super aquas fluctuātia sublimitas eius. Psalm. 50. *Benigne fac Domine in voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.* Cum audis muros Ierusalem ædificari, nota, quid dicatur Iud. 7. de castris Madiam: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madiam descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud.* Expende, quod apud Ierosolymitanos sint muri, apud Madianitas tabernaculum; ibi tota stabilitas, & firmitas; hic nihil firmū, nihil immutabile: nūquā enim firmitas non comitatur virtutē; & vitiū nunquam non mutabilitas comitatur. D. Nilus in Ascet. ait: *Apte Scriptura dixit Madianitas habere tabernacula, muros vero Ierusalem. Omnia enim, quæ virtute circumdata sunt, firma sunt, ac munita. Quæ autem vitijs sunt circumsepta, tabernaculi speciem habent.* Tota instabilitas comes est vitiorum, etiam si rūpes subsint, si saxea munimenta supponantur, non possunt, quę vitijs nituntur, non elabi. E contra verò firmitas virtutum est assecla, adeò vt nullo magis cernatur, qua fuerit quis virtute præditus, quam ex firmitate operum perseuerātium. Sic Dauidi promittit Dominus. 2. Reg. cap. 7. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Quæ verba sic ex Hebræo vertuntur: *In facie tua sedes tua dirigetur, vsque semper.* Qualiter sedes Dauid poterat æternùm firmari in facie ipsius? Ipse post paucos annos moriturus erat, sedes longissimos post annos, immò post multa sæcula stabilis, & firma permansura erat, qualiter ergo sedes Dauid permaneret in facie eius? Sanè dum sedes Dauid inter tam fluxas temporum vicissitudines fixa est, & permanet, sic clare, & patenter hominis virtutes ostendit, quasi eiusdem faciem prætenderet. Quò spectans Caiet. ibi ait. *Facie enim cum cognoscatur homo, agnoscendus promittitur Dauid in duratione sedis regiæ, per hoc quod dicitur in facie tua.* Non equidem ex facie tam euidenter cognoscitur homo, quis sit, & qualis sit, quam ex duratione, & permanentia operum eius. Cum videas temporum vicissitudines nihil posse aduersus hominem, cuius opera firma perseuerant inter multitudinem labentium, tunc clarius, quam in facie, hominis virtutes leges. Tūc quasi hominis facies tibi obijciatur, sic eius virtus tibi perspicua erit. Nihil virtutis magis proprium, quam æterna duratio; nihil vitio magis naturale, quam ruina, quam perditio. Dives ille apud Lucam, cap. 12. aiebat intrà se: Destruam horrea mea, & maiora faciam. Cui pulchrè D. Basil. ibi ait. *Isti ergo sanè dicerem, bene facis. Nam iniquitatis horrea proculdubio digna sunt, quæ diruantur. Euerte miser tuis ipse manibus, quod male ædificasti.* Semper enim vitiositas ruinam in promptu habet.

Isai. 33.

Psalm. 50.

D. Nil.

2. Reg. 7.

Caiet.

D. Basil.

Matt. 14. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.

§. VIII.

Lex Christi suos leuat.

QVAM grauis lex erat, quam leuis Christi gratia: Moysis manus grauissimæ, vix à duo-

à duobus viris sustentantur: Christiani pedes super aquas leuantur: Moysi viam fecit mare in profundo, Petrus iter facit in aquarũ summitatibus. Benè id põderat Amb. epist. ad Horontianum, fatus: *Moysis in imo ambulauit mare, in summo Apostoli.* Felices, qui adhærent Christo, cuius non premuntur iugo, sed leuantur, vt omnibus supernatent. Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Cur onus leue? Quoniam Christianæ legis onus, non est onus, quod deprimat, sed onus, quod leuat, super omniaque facit tendere. Vndé D. Paulinus epist. 20. fatur. *Iugo tantum ipsius, quod est suaue, & oneri illius, quod est leue, colla subdamus, vt supra omne potestatis inimicæ iugũ liberi in cœlestia subuehamur. Nã & ob hoc Domini nostri iugum suaue, & onus leue est, quia è terrenis nos, & inferis leuat, & in excelsa regni cœlestis attollit. Leuitas enim omnis allipeta est, & sursum versus vigore subtilitatis effertur.* Est equidem Christi iugum, siue onus leue, quia quidquid legis, quidquid præcepti nobis imponit, minime nos submergi, deprimique terrenorum cœno patitur, sed potius sursum facit leuitare, & vniuersis rebus fluxis supernatare. Accinit Psalm. 16. aiens. *Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras.* Fuerunt ò Iesu, leges tuæ, præcepta tua in causa, quod ego duras, & minimè terendas vias ambulassem. Ipsa ipsa præcepta tua me per vias difficiles ire fecerunt. Sed quomodo me ire fecerũt per vias difficiles? An, quia addiderũt difficultatem? Absit: sic enim potius reuocassent à via; sed quia addiderunt facilitatem. Sic Christi præcepta duritiem omnem leniuere, sic omnia reddidere leuia, & suauia, vt super ea leuis, & expeditus euolarem. Sic Didymus in Cat. Græca fatur. *Hoc asperũ, & difficile, dum tuis decretis parui, rectè perfeci. Aspera enim virtutis est via; nam præcipit percutienti vnam maxillam, alteram esse porrigendam. Præcepto autem verbi tui omnia facilia, & leuia redduntur: propter quod illas vias ita æquabiles, & planas efficit, vt nihil amplius asperitatis habeant. Nam & Ioannes scribit: Præcepta eius grauia non sunt; & Iesus ait: Iugum meum suaue est, & onus meũ leue.* Qualis difficultas potest esse in via, per quam Iesus nos iubet ambulare? Venit à Iesu imperio & suauitas, & facilitas, qua sui nequeãt omnibus impedimẽtis nõ supernatare. Felix ille, qui se sẽ tãto parenti, tanto præceptori subdit, haud dubiũ quim inde tam subtilis, tam leuis renascatur, vt alite pennatior huius mũdi fluctibus superferatur. Quò spectabat ipse Dominus, Matth. 23. aiens: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina, &c.* Quemadmodum gallina sub alis suis, congregat pullos, sic Dominus sub imperio suo, sub lege sua, sub præceptis suis nos omnes possidere amat. Et quid inde? Profectò, qui sub Christi lege agit, protinus renascitur pennatus, quasi auis, vt in altum euolet, & rebus omnibus mundialibus supernatet. Ad hæc D. Hilar. ait. *Huius familiaris, ac pene terrenæ auis more, congregare eos intra se voluit, vt qui conditione nascendi editi iam fuissent, nunc alterius generationis ortu, & calore confouentis renati, in cæleste regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent.* Ea est vis Christiani imperij, vt quos sub se habet, sibique parentes retinet, eos sic renasci faciat pennatos, vt super humanarum rerum fluxus firmati, sursum euolare nitantur.

§. IX.

Solus Iesus siue in ascensu, siue in descensu suis adest.

DESCENDIT è naui Petrus, vt iret ad Iesum, quantumuis enim descendas, etiam si in omnium infimum venias locum, ibi inuenies Iesum, & habebis Iesum. Si descendero in infernũ ades. O bone Iesu, vbique te habeo, vbique te inuenio, & sursum, & deorsum simul ades. Ioan. 1. dicitur, quod visuri simus omnes: *Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis.* Siue enim Angeli ascendant, siue descendãt, vbique Iesus sua virtute adest, vbique Iesu cernuntur effectus, & assistentia eius gratiæ. Pulchrè D. Aug. serm. 41. de verbis Domini, ait. *Non diceret ascendentes ad filium hominis, nisi sursum esset: nõ diceret descendentes ad filium hominis, nisi deorsum esset. Ipse sursum, ipse deorsum. Sursum in se, deorsum in suis.* Siue sursum aspicias, siue deorsum vergas, Iesum potes ibi habere ducentem. Nemo sic sublimatur, qui non possit ibi stare de Iesu exemplo, & auxilio; qui cũ in forma Dei esset, docuit homines, qualiter sublimitatum solia impeccabiliter possint obtinere, & possidere. Nemo sic deiectus est, & abiectus, ad infimum vsque locum, qui etiam præcedentem sibi non habeat Iesum nouissimum virorum factum, opprobrium hominum, & populorum abiectionem. Achazo regi dicebat Isaias cap. 6. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, siue in profundũ inferni, siue in excelsum suprà.* Habebat tunc temporis Achaz regiũ Dauidis solium, insuper habebat incredibilem timorem deiectionis ab exercitu Assyriorum iam iam eminente. Regale solium Achazum extollebat, hostium metus nimis deprimebat: & quantum illud dilatabat animus; tantum hic contrahebat, ducebatque in angustum. Eia ergo, ait propheta, pete incolumitatis tuæ signum spectare, siue sursum, siue deor-

Ambr. Matth. 11 D. Paulin. Psalm. 16. Didym. Matth. 23. D. Hilar. Ioan. 1. Augustin. Isai. 6.

deorsum vergas, siue ad cœlum vsq; exalteris, siue ad infernũ vsq; descendas. Sed quale erit illud signum, quod vel ascendenti simul præsto sit; & in altis, & in imis inueniri possit ferens opem? Huiusce modi signũ in vtroq; siue altitudinis, siue deiectionis impossibile reputans Achaz petere noluit, vt aduertit Diu. Bernard. Ber. ser. 2. in Cant. sed quod in creaturis impossibile putat Rex, in vno Iesu inueniendum ostendit Vates, dum ait. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, &c.* Ecce vobis signum sursum simul, & deorsum; ecce vobis Deus homo Iesus, qui solus & in summis, & in imis inuenitur, vbiq; viam Ambros. certam ostendens incolumitatis. Pulcrè Diu. Ambr. in Ps. 118. ser. 8. ait. *Hoc est magnũ signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, neq; quæ sua sunt requisiuit, sed formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem. Itaque neq; elatus est potestate, neque mortis quadam deiectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur regi, vt petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec certè arumnæ alicuius exceptione perturbaretur.* Vtrobique enim, siue regia puppi lætus sedeat, siue descendat ad imũ maris, inueniet Iesum, qui solus & in altis, & in imis proponit suis vestigia ad incolumitatem. De illo dicitur Cant. 2. Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, & transiliens colles:* vt nulla altitudo, & nulla profunditas inueniatur, in qua vestigijs Saluatoris nostri non præueniamur. Quis enim vnquam in tam profundam vastitatem descendit, qui non se præuentum Luc. 2. sensérit descensu Saluatoris? Luc. 2. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth, ad virgem, &c.* Descendit à Deo Gabriel ad domum virginis, quid plura? Et ipse Gabriel in descensu suo, à Saluatoris vestigijs se præuentum miratur: *Et ingressus Angelus ad eam ait: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.* Quid ais Angele descendis nuntiare Dei aduentum, & fateris adesse iam Dominũ in Maria? Equidem nullius creaturæ descensus propter Deum dari potest, qui non præuentus à Bernard. Iesu inueniatur. Hinc D. Ber. ser. 54. in Cant. *Deniq; Dominus transilijt Gabrielem, & peruenit ad virginem, eodem Angelo testante, cum ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? Quam modo reliquisti in cœlo, nunc in vtero reperis. Quonam modo? Volauit, & præuolauit super pennas ventorum. Victus es, ô Archangele, transilijt te, qui præmisit te.* Nec Angelus, nec homo sic se dimittere possunt ad ima, quos nõ præueniat Saluatoris vestigia, vt vel in imis habeã Iesũ ducem, & exẽplar deiectionis, & humilitatis.

§. X.

Ad Deum nulla securius via, quam per descensum itur.

NON possum nõ meminisse in præsenti duos Simones; alter Simõ Petrus est, alter Simõ Magus; ille, vt filij Dei consortium ineat, per descensum parat iter; descẽdit enim é nauicula, vt iret ad Iesum; iste, vt diuinitatis speciẽ effingat, ascensionẽ sibi parat, qua Roma spectante cœlestia terat curricula. Quid plura? Ab alto decidit miser Magus, & crura simul amisit, & vitã. De quo pulchrè D. Isid. Isid. Pelus. Pelus. ep. 13. fatur. *Obid ex alto miser in mortẽ multorũ ore celebratissimã ruit: vt ex vna ipsius ruina perspicuũ omnibus fiat, quibus supplicys digni sint, qui cœleste curriculũ mentiuntur.* Qui in magnis ambulant, & in mirabilibus super se, qui solũ ascensiones in corde suo meditantur, crebris casibus suã stultitiã ostendent castigatã; nõ enim per ascẽsus, sed per descensum, & humilitatẽ diuinitatis consortiũ ostentatur. Mat. 25. dicebat Iesus. *Quod fecistis vni ex mi-* Matth. 25. *nimis fratribus meis:* expende signa diuinæ germanitatis, nimirum, *vni ex minimis fratribus*; nõ enim diuinũ genus ex magnaliũ flexuris, sed ex minimorum humilitate claret. ibi D. Chrysost. ait: *Quid ais? si fratres tui sunt, quo-* Chrysost. *modo minimos eos appellas? Immò verò ideo fratres, quia humiles, quia abiecti.* Clarissimè ab humilitate claret genus diuinum; ille solus, qui humilis est, potest securè se Deo vocare, & esse propinquũ. Qui cœlestia curricula, altitudinesq; polorũ sibi affingunt, Phaetontis metuant casus, pauescant ruinas: at qui vsq; ad infimũ pusillitatis locũ noluerũt descẽdere, ibiq; cõstitui, nil vereãtur, securissimã ad Deũ rerũt viã. Cant. 1. *Cum esset Rex in accubitu suo,* Cant. 1. *nardus mea dedit odorẽ suũ.* Expende, quæ audet accedere ad regiũ cubile, immò soliũ regale intrepida attingit, nimirũ, nardus pusilla, nimirũ humilitas; vbi enim sponsa se deiecit, & sicut stipula herbæ fit, nil veretur, nil timet, medijs regijs exercitibus secura graditur, vsq; ad ipsius regis cubile. Vndè D. Ber. ser. Bernard. 42. in Cãt. *Regẽ nominat, & in alto habitare fatetur, nec sic tamen diffidit humilitas. Nam quid est aliud, nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Nõ mea sapientia, nõ mea nobilitas, non mea pulchritudo, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorẽ suum.* Sola humilitas potest secura peruenire ad regem; & maluit regem dicere, quam sponsum, quia humilitas non tam nuptias, quam necessitudines præfert diuinas, vt sit regis filia.

§. XI.

Non qui cadit ab alto, ſed qui nouit deſcendere, is felix in Chriſto.

DESCENDIT Petrus à naui; & qui ſedebat in puppi, clauũ nauis tenens voluit deſcendere, vt fruatur Chriſto. Et quidẽ ſic deſcendentes ab altis excipit Chriſtus; cadentibus autẽ à ſede vna manet irreparabilis ruina. Huc referrẽ laudes præcipuas, quibus Luciferũ quendam Epiſcopũ inſignem virũ, qui ſe ad humilitatem Chriſtianam voluntarius demiſerat, proſequutus eſt Cellenſ. Abb. lib. 7. epiſt. 17. inquiens. *Quis gloriam illam, quis poteſtatem, quis dominationem, quis veram omnium opulentiam, quis erogationes, & donationes tam largas, tam innumeras enarrare ſufficiat? Iam Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui inter aſtra Dei, ſolium gloriæ, & Archiepiſcopatus tenuerat, non ſicut fulgur de cælo cecidit, ſed ſicut filius hominis ſe metipſum exinaniuit, formam pauperis aſſumpſit, Principis mũdi exubias reiecit.* Elegantibus exemplis attigit differentiam illius, qui à ſede deſcendit voluntarius in filij hominis deſcenſu, & in Angeli caſu. Filius hominis deſcendit à regalibus ſedibus, & in mundum venit, formam ſerui aſſumens, quo deſcenſu, & ſibi, & ſuis ingentes glorias comparauit. Verum Angelus, non ipſe deſcẽdit, ſed deiectus eſt, ſed cecidit ſicut fulgur; quippè fulguris ignita materies, vt violenter cadit, ſic caſu ſuo innumera trahit mala, quæcumq; offendit, perdit, & tandem ipſa terræ ſepulta ibi æternum manet. Sic ex mundialibus Principibus, qui ad imitationem filij hominis deſcendunt, & mundialium culminum exubias nouerunt voluntarij reijcere, ingentes ſibi glorias acquirunt. Verũ, qui non deſcendit, ſed à ſede deponitur, & reijcitur, quot damna ſecum trahit? Quot amicos, & familiares, & domeſticos, & propinquos, & adiũctos in perditionẽ ſecum rapit? Vt fulgur eſt, qui cadit, dũ omnes perdit, & ſibi æternam iacturam parit. Quis ex illis, qui à mundiali culmine cecidit, aliud inuenit, quam iacturã æternam? Matth. 4. aiebat Princeps mundi huius: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Impoſsibilia proponit adoratoribus ſuis, & quod cadant, & quod bonis omnibus potiantur. O ſtultè tentator, in hoc verum dicis, quod tui adoratores cadunt, ſed falſiſsimum eſt, quod cadentes rerum potiantur, quandoquidem, qui à culmine mundiali cadit, nil aliud, quam mortẽ, quã iacturã poteſt ſperare. Pulchrè D. Irin. lib. 5. fatur. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Ipſe cõfitetur, quoniã adorare eum, cadere eſt à gloria Dei. Et quid aut ſuaue, aut boni participare poteſt, qui cecidit? Aut quid aliud expectare poteſt, qui talis eſt, niſi mortẽ? Ei enim, qui cecidit, proxima mors eſt.* Sanè illum, qui à culmine cecidit, vna mors expectat, nil mundialium bonorum illi manet.

Cellen.

Matth. 4.

Irinæus.

Matth. 14. Videns vero ventũ validum, timuit: Et cũ cæpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluũ me fac. Et continuo Ieſus extẽdens manũ, apprehendit eum, & ait illi: Modicę fidei quare dubitaſti.

§. XII.

Nouitii virtutis cultores aliquo modo ad difficultates cæcutiant.

ET ventus erat, & mare ferbebat, hoc tamẽ Petrus minimè curãs, ſolum Ieſum expectans, ſeſe mari cõmiſit, quid religioſius? At paucis factis gradibus venti furorẽ aſpiciens totus pauidus penè peribat. Quã pulchrè monebat Eccleſ. c. 11. *Qui obſeruat ventũ, nõ ſeminat: & qui conſiderat nubes nunquã metet.* Non omnes difficultates examinandæ, & ſingillatim perpendẽdæ, immò expaueſcendæ ſunt, immò ad pleraſq; cæcutias, quiſquis magnã virtutũ, facinorũq; deſideras meſſem. Fortiſsimum Imperatorem docebat Auſonius:

Eccleſ. 11.

Auſon.

Inſanum quamuis hyemet mare; crudaq; tellus
Seminibus; bello nec ſatis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
Conſilium, certus iuſſa capeſſe Dei.

Quẽ difficultates obiectæ oculis nõ proſternũt, vel nõ ſaltem labare faciunt? Quos bonus Deus amat, aliquo modo obcæcat, ne viſis difficultatibus, morã in virtutũ curriculis faciãt. Is erat, qui Apocal. 1. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptẽ: & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* Vbi Sol lucet in facie, cur ſtellæ in dextera parãtur? Stellæ noctis ſunt alũnæ, Sol dies facit, cur ergo Sol ſeſe in facie extollit, & relinquũtur ſtellę noctis alũnæ prę manibus? In gladio ab ore prodeunte tota eſt ſita ratio. eleuat enim ſe iuſtitiæ Sol, radioſq; cõtrahit, noctẽq; prætendit, ne gladius nimis appareat, ne rigida, ſtrictaq; præcepta nimis à tyronibus aſpiciantur. Ad hunc Dei morem reſpicit D. Cyr. Ieroſ. cathach. 9. fatus. *Aſpice autẽ cur ſum Solis. Imò potius nõ ipſius, ſed illius, qui curſum illi per mandatum definiuit. Quomodo altior quidem æſtate dies efficit longiores; dans ad labo-*

Apoc. 1.

Cyr. Ieroſ.

labores hominum opportunitatem. Hyeme verò contrahit cursum, vt frigoris tempus longius non videatur. Vbi frigoris vis sæuit, lux contrahitur, ne rigor adeò pateat, & videatur, sic homines, dũ illos minus videt, auidius arripiũt
Exod. 13. labores, & ebibunt difficultates. Exodi. 13. *Cũ emisisset Pharao populũ, non eduxit eos Dns per viam terræ Philistim, quæ vicina est, reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersus se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptũ.* Quibus expẽdenda est Ruperti notatio, quod Philistini seruabantur, vt crudelissimi Israelitarum hostes, qui Israelitas vehemẽtissimè vexaturi erant, vt ex libris Iudicũ, & Regum scire poteris; quando enim Israel cũ Philistinis non habuit certamina, ab illisq; dura passus est? Quo posito vide summam Dei prouidẽtiã, qua cauit, ne tyrones sui educti ab Ægypto viderent Philistinorum bella, ne inde timorem, & pusillanimitatẽ caperent. Fallitur enim qui cõtinuo respicit ad difficultates, qui mala imminentia multum considerat, is non longè abest à casu. Quem non frangat horribilium aspectus? Qui ergo stare cupit, ad mala cæcutiat, & bona sibi obtinẽda prospiciat, necessum est. Non ne vnus Philistæus Goliath vniuersos Israelitas confringebat, & Saulem ipsum metu atterebat? Sed & vnus puer Dauid audet cũ illo manus conferere. Vndè Saul cum exercitu suo prosternitur metu, & Dauid solus impauidus stat. Equidẽ Saul cõsiderabat, & põderabat hostis immanitatem, vires, & corporis magnitudinẽ, quã habebat;
1. Reg. 17. ait enim. 1. Reg. 17. ad illũ respiciens: *Hic est vir bellator ab adolescentia sua.* Verùm Dauid potius considerabat, quod non habebat hostis, aiens: *Leonẽ, & vrsum interfeci ego: erit igitur Philistæus hic incircũcisus, quasi vnus ex his?* Ideò Dauid impauidus, & securus, quia non ad vires hostis, sed ad defectus respiciebat, ideò Saul cũ exercitu suo pauidus, quia solũ
Basil. Sel. in hostis immanitate figebat obtutus. Pro quo elegãter D. Bas. Sel. orat. 16. ait. *Hostilis aspectus Israelitas vel armatos de statione deturbat.* Quasi indè vel armati cadant, quod vires quas habet hostis, nimis aspiciant; & inde inermis puer, vt Dauid possit impauidus ire in certamina, quod oculos non in difficultatibus, sed in defectibus hostis, & in suis auxilijs sta-
Genes. 49. tuat. Gen. 49. *Catulus leonis Iuda: ad prædã fili mi ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna.* Cur quasi leæna? An non satis laudata fortitudo illius, qui leoni cõparatur; cur præterea dicitur, vt leæna? Leæna infirmior est leone; nimis enim pauet strictos, & fulgẽtes gladios; verũ cũ pro catulis pugnat, oculos ad terrã dimittit, ne videat fulgentes gladios, & sic impauidior agit. Felix qui de leęnæ more oculos claudit, ne videat metus, is fortis stabit.

§. XIII.

Animarum negotium periculosum.

ECCE tibi, qui in animarũ negotijs Princeps est, quoties labat, quoties fluctuat; securiorẽ terũt viã, qui otio cõtẽplationis insistũt. Id in Petro, & Ioãne erit manifestũ. Petrus enim nobilis animarũ mercator super fluctuantes maris vndas grãditur, Ioãnes quietis contẽplationis cupidus super pectus Iesu recũbit, hic dormit securus, ille clamat de periculo, quod in vtroq; meditatus Orig. ho. 2. in Origen.
diuer. ait. *Petrus in forma actionis, & fidei ponitur: Ioãnes autẽ contẽplationis, atq; scientiæ typum imitatur. Vnus siquidẽ recũbebat supra pectus Dñi, quod est contẽplationis Sacramẽtũ: alter sæpe titubabat, quasi trepidæ actionis symbolũ.* Quis vnquã se actiuę cõmisit, se se animarum negotijs tradidit, qui nõ titubarit, imò sæpius fuerit lapsus? Merito D. Leo ser. 4. de Quadr.
Leo. ait. *Dũ per varias actiones vitæ huius solicitudo disseminatur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* Nunquã non verũ illud sponsæ Cãt. 1. *Posuerunt me custodem in vineis, vineã meã nõ custodiui:* eo enim ipso, quod
Cant. 1. de aliorũ custodia tractes, vix id fieri potest, quin in te ipso hostiles patiaris incursus. Vndè Prou. 6. ad animarũ curatores dicitur: *Fili mi si spopõderis pro amico tuo: defixisti apud extraneũ manũ tuã, & illaqueatus es verbis oris tui,*
Prouer. 6. *& captus es propriis sermonibus.* Expende illud spopõderis; pulcherrimè enim animarũ curatores cõparantur spõsoribus, vt explicẽtur rei pericula, & discrimina. Quis enim sine ingẽti iactura spopondit pro amico? Adi forũ, & inter litigantiũ frequẽtias, nil frequentius auditur, quã sponsionũ pericula, & spõsoris suspiria. Pari ergo in discrimine sunt, & sponsor, & qui animarum negotia tractat, vt dicat D.
Gregor. Greg. Pap. 3. Pastor. c. 5. *Spondere pro amico est alienã animã in periculo suæ conuersationis accipere.* A quo periculo ille liberabitur, qui fecerit diuinũ monitũ, quod Prouerb. 6. innuitur.
Prouerb. 6. *Fac ergo, quod dico fili mi, & te metipsum libera, quia incidisti in manũ proximi tui, discurre, festina, suscita amicũ tuũ, ne dederis somnũ oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ.* Et quis sic inquã vigilabit? Sanè summis vigilijs opus habet, qui alijs inuãdis incũbit, cuius solicitudo penès aliorũ salutè versatur. De animalibus sacris, quæ plena oculis ante, & retro apparent
Apoc. 4. Apocalyp. 4. insuper illud additur, quod; *& intus plena sint oculis.* Cur intus oculi? Vbi tot sunt exterius oculi, qui videant pericula

cula, & proximorum neceſsitates, ad quid etiam intrinſecus oculi eſſe notantur? Quippè qui animarum curam ſuſcipiunt, multum debent vigilare; nec ſufficit pro alijs vigilias agere, ſed & ſimul proximorum ſaluti proſpiciant, & ſui ipſorum cuſtodias agant: nunquam ſic figant oculos in alios, quin ſimul totidem in ſe reflectant, ne interni pedes pericula incurrant, dum externi proximis operam nauant.

§. XIIII.

Citius Deus adeſt illi, qui inter pugnandum victus eſt.

QVAM præſto Domini manus Petro affuit; vix ſummergendus clamat, & ecce tibi Chriſti manus, & correctio infidelitatis: ait enim: *Continuo extendit manum Ieſus, apprehendit eum, & ait illi; modicæ fidei quare dubitaſti?* Si corripis infidelem, cur tam cito præbes manum clamanti? Cur, qui ob infidelitatem labitur, tam citum experitur auxiliū diuinæ manus? Equidem ibi cecidit Petrus, vbi alij minimè vellent intrare. Dum ſe propter Ieſum fluctibus committit, dum tempeſtati, rapidiſque ventis obluctatur, tunc cecidit; nec miror, quod illi citum Dei axilium accidat, quod præſto eſſe ſolet his, qui inter præliandū fuerunt vulnerati. Audiſti ſæpius Dauidis adulterium, immò & inde ortum homicidium; & quod ſub tantis criminibus Dauid nullam reſipiſcendi curam habuit. Quid tunc Deus? Siuit ne illum indurari in malitia? Siuit ne quod funditus in perditionis caderet barathrum? Abſit: immò, vt occaſionem ſubueniendi inueniret, 2. Reg. 12. *Miſit Dominus Nathan ad Dauid, & venit ad eum, & dixit ei, reſponde mihi iudicium, &c.* Cur Dominus ſeueriſsimus vltor iniquitatum cum ſit, ſic Dauidis proſpicit ſaluti, quando ipſe nihil eam facit? Cur occaſiones quærit ſubueniendi illi, qui immemor omnino eſt auxilij poſtulandi? Vide ſceleris tempus non otioſe notatum. 2. Reg. 11. vbi ſic: *Eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba: dum hæc agerentur accidit, vt ſurgeret Dauid de ſtratu ſuo poſt meridiem, & de ambularet in ſolario domus regiæ, viditque mulierem, &c.* Itaque dum de more Rex Dauid bella inſtaurat, dum Dei hoſtes perſequitur; dum nulli ſumtui parcit, vt idololatræ Ammonitę extirpentur; dum anxie curat idololatriam eradicare, nomenq; Dei ſui illuſtrare; dū hęc omnia agerentur à Dauide, accidit, vt à peregrino voluntatis hoſpite feriretur; & ideo Deus citius illi ſubuenire parat. Accipite D. Baſ. Sel. orat. 17. ſic ex Dei ore fantem ad Nathan, cum ad Dauid mitteretur. *Ne verearis dignitatem regiam, ſeruum meum noui, noui bellatorem meum, qui inimico terga non dedit, ſed deprælians vulneratus eſt. Non eſt ab euentu mēte alienatus, nec ea res hominis propoſitum immutauit; aſtu, non vi proſtratus eſt. Optimè ſe gerens, non fugitans ictus eſt.* Non omnium eſt ſine vulnere vitam ducere; & ille, qui ſuo muneri incumbens, optimeq; ſe gerens labitur, & feritur, promtiori Dei miſericordia dignus eſt. Et huic Deus promtiſsimè accurrit, illiq; manū porrigit, qua à lapſibus erigatur. Nō poſſum non tranſcribere in præſenti verba Bachiarij epiſt. ad Ianuariū, vbi de peccatore facilè recipiendo ſic fatur. *Require primum vtrum iſte, qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus miſericordiæ meretur, quē in certamine hoſtis percuſſerit, quam ille, quem dormiētem latro confoderit.* Equidem quomodo miſericordia non præſto erit ei, qui dum viriliter certat, dū omnia ſui muneris implet, dum pedem figit aduerſus inertiam vulneratus eſt? Qui imperator non citus medicam manum porrigit militi, qui dum hoſtes inſectatur, labitur in lubrico ſolo, & ibi vulnus accipit? Virginibus fatuis non miror negatam fuiſſe ſponſi manum, de quibus dicit Matth. 25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt*, non item miror, quod viri diuitiarum pereāt, qui *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis*, vel vt ex Hebræo, *non inuenerunt manus ſuas*. Qui enim ſic ſe inerti ſomno tradit, iuſtum eſt, vt nec ſuas, nec Ieſu manus inueniat, quibus poſsit ſalutem recipere. Verum qui inter furentes tēpeſtates mundi vigilat, fluctibus obſiſtit, hoſtiles claſſes perſequitur, is etſi aliquod vulnus patiatur, accurrentes Ieſu manus habebit. Immò, vt aliquid amplius ex D. Bernardo ſuggeram, lapſus ſic dimicantium aliquo modo gratiores videntur, quam nentium victoriæ. Quippè Eccleſ. 24. *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* In muliere cogita virtutis ſtudioſos, qui mundi pericula cauentes, vt ſibi viuant. penitus à mundi tumultibus, & laqueis ſeparantur. In viro, intellige ſtrenuos Chriſti milites, qui, vt animas lucrentur, & tenebrarum Principes ab Eccleſia Dei fugent, medijs fluctibus ſe committunt, & ibi promptiores inueniuntur, vbi magis vident furere tempeſtates, & hoſtilia tela vibrari. Hi etſi vulnera inter dimicandum accipiant; maiores tamen ſuſcipiuntur ad palmas. Vndè D. Ber. ſer. 12. in Cant. ſic ſuos contēplatiuos de horū militū lap-

2. Reg. 12.

2. Reg. 11.

Baſil. Sel.

Bachar.

Matth. 25.

Eccleſ. 24.

lapidibus murmurantes pungit. *Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim: Si quis de claustro cum, qui versatur in populo, interdum minus districtè, minusve circunspectè se se agere deprehenderit; non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, hoc est, absque aliqua inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Sic ille: & quidem quando vehementiores conflictus obsistentis viri clariora non faciunt vulnera, & proniori miseratione digna?

Text. Et cum ascendissent in naiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.

§. XV.

Manus diuina semel extenta nescit contrahi, donec in tuto nos asserat.

EXTENDIT Iesus manus, vt Petrum à submersione liberet, & inter fluctus titubantem firmaret; nec firmato iam Petro inter fluctus contrahitur manus diuina, sed eidem adest, vt faciat ascendere in nauiculam. Etenim manus Dei cessare nescit, vbi semel incepit beneficia diffundere: quam diuinitatis notionem ponit Philo Iudæus lib. de plantatione Noe, vbi docet, quod Deus est, *non qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper, & continuè: qui sine intermissione benefacit, qui dona donis cumulando continuat: cuius gratiæ inter se coniunctæ, ac vnitæ semper in orbem redeunt: qui nullam occasionem benefaciendi sinit præterfluere.* Inde Deus internoscitur, si dona donis cumulando continuat, si nescit in donando cessare; si manum semel extentam effundendis muneribus, sic semper habeat, donec homo ascendat in tutum. Genes. 19. Loth Angelicis manibus à Sodomis eductus, & perijt, & in petra uit à Deo securam Segor habitationem, cumque ibi parum cõmoraretur, dicitur de illo. *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte.* Cur in obtento Segor oppido non mansit? Cur inde ascendit in montem? Vndè sciuit, quod exiens inde posset securè ad montem vsque venire? Nouerat manum diuinam, qua muneratus à Sodomis exierat, & Segor acceperat; nec putat posse fieri, vt ibi cesset, quæ sic cæperat munera effundere manus diuina, donec ipsum in summo montis asylo constituat. Et merito prudentissimus vir ex primo Dei munere audet sibi promittere & secundum. Eleganter Chrysostom. hom. 6. de humilit. Christiana, inquit. *Ex hoc autem munere Dei, quo paruæ ciuitatis habitaculũ meruerat à Domino, assumens audaciã ascendit in montem.* Non dubitat de Dei largitate, vt ascendat in mõtis asylum, qui expertus fuerat Dei munera, vt à Sodomis egrederetur, & in Segor habitaculum figeret. Nũquam enim, qui vel pusillum à Deo accipit, cessat accipere, vsque dum salutis culmen accipiat. Sic monebat Dominus suos, Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Pusillum vocat, & nihilominus à timore alienum esse iubet; sed cur non timeat pusillus præcipuè inter maximos hostes constitutus? Equidem non est, cur timeat pusillus grex Christi, qui enim, vel pusillam à Deo accipit, iam pignus habet, quo nunquam non parata sibi habeat Dei munera, vsque dum integram regni societatem, & securitatem recipiat. Acutè Chrysologus serm. 22. *Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo: pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui insulas incrementis cœlestibus mox promittit. Sic sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.* Expendo illud, nimirum, *sed crescit de pusillo*, quippè vbi, vel pusillum à Deo accipis, semper in muneribus accipiẽdis crescis, vsque dum accipias pacatissimum regnum. Is enim est Deus, qui nesciat cessare largiendo, adeò vt inde colligat Diu. Irinæus iustorum corpora in vitam æternam resurrectura, quod Deus nesciat cessare, donec ad perfectum deducat. Ait enim lib. 2. capit. 5. 2. *Mortalia corpora nostra custodientia iustitiam resuscitans Deus, incorrupta, & immortalia faciet. Deus enim melior est, quam natura, habens apud se metipsum velle, quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est, & perficere, quoniam dives, & perfectus est.* Sic dat, qui dives est, cui deficere census non potest, qui ex eô agnoscitur, quod semel muneribus largiendis extensam manum nesciat contrahere.

Genes. 19.

Chrysost.

Luc. 12.

Chrysol.

Irinæus.

§. XVI.

Dei filius potius ex factis claret.

NON multus est in verbis Dominus, sed tantum manum porrigit, vt Petrum saluet, & omnes clamãt; *Verè filius Dei es.* Quibus id argumentis asserunt? Sanè manifestissimè patet Dei filius, si vel exerat manum, & salutem faciat. Cum sermonem faceret Iesus de iudicij die, negat ad se pertinere notitiam illius diei: ait enim, quod de illo: *Neque filius hominis scit.* Sed cur ad Iesu claritatem nõ magis pertineret, quod diceret se etiam scire diẽ illum? Non ne ipse est filius Dei, omnia à Patre suo accipiens, quibus se eius asserat, & ostendat filium? Cur non etiam voluit ostendere se accepisse notitiam diei illius? Equidem filius Dei non tam ostenditur promissis de futuro, quàm factis exhibitis, & qui facta præsentia habebat, non curat ostendere notitiam
Hilar. de futuris. Do D. Hilar. Canone 26. in Matt. fantem. *Quia ad nos omnia à Patre accepta deueheret, Deique verbum non tam futuri in se fidem contineat, quam facti, ideò extra diffinitionem dies posita est.* Non tam futuri fides, quam facti exhibitio manifestat Dei filium. Et vbi præsentia facta instant, non est cur Dei verbum ad promissiones futurorum recurrat, vt suæ magnitudinis faciat fidem. Similiter Ioann. 11. de Lazaro infirmante, immò mortuo loquutus, ait Iesus: *Lazarus amicus noster dormit, vado, vt à somno excitem eum.* Et, discipulis non intelligentibus, addidit, *Lazarus mortuus est:* vbi dormientem proponit amicum, promittit se ire ad excitandum eum; vbi mortuum dicit: nihil amplius addit, non enim gaudet filius Dei promissionibus futurorum, vbi insignia facta potest elicere. Accinit Diu. Basil. Seleu. orat. 40. inquiens. *Cum*
Basil. Sel. *dicebat, dormit, addidit: vado, vt à somno excitẽ eum: cum verò dixit mortuus est, non id adiecit: vado, vt suscitem eum. Quæ enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit, docens nihil simpliciter oportere promitti.* Conueniant huc blaterones, seminiuerbij, & discant, quam deceat Dei filiũ multa promittere de futuro, cum faciant nihil; ille verè filius Dei est, & ostenditur, qui largus in operibus est, qui nihil committit verbis, vbi opus instat, & operis
Luc. 19. occasio frontem monstrare incipit. Luc. 19. exceptus Iesus à Zachęo, ait. *Hodie salus huic domui facta est.* Non dicit se facturum, vt salua domus fiat, sed prius facit, & opus ostendit. Ambros. lib. 11. de Abel, cap. 8. *Festinauit*
Ambros. *Dominus ad beneficium, & ideò non expectauit, vt promitteret, & impleret omnia: sed ante fecit, postea declarauit; dixit enim facta est salus: quod præuenienti seruit, non promittenti.* A promissis abstinet, cum instat tempus faciendi. Non tã verbis, quàm factis sese filius Dei oculis mortalibus insinuat. Luc. 2. aiunt. pastores. *Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbũ,* *Luc. 2.* *quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Quæ verba sic expendit Diu. Bernar. serm. 22. in Cant. *Ante non se mouebant, dum verbum erat tantum apud Deum. At vbi verbum, quod erat, factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt.* Tunc ad manifestum Dei verbum euolant homines, cum illud factum intelligũt; nullo enim sic patet hominibus Dei filius, quam vbi de factis commendatur eius præsentia.

CAPVT SEPTIMVM.

De eiectis à templo negotiatoribus.

BIs Dominus templi limina terit, & mensas nummulariorũ, cathedrasque vendentium ibi conterit; nundinatores vapulant, prophana lucra perduntur, & frẽdenti flagello nemo obmurmurat. O mira Dei virtus! Sanat cunctos, Pharisæi oblatrant: flagellanti, imò perdenti lucra omnes taciti subijciuntur, nec audent suspiria dare flagris. Diuinitas adeò conspicua non latuit cæcos, quorum aliqui, vt notat Matth. post vendentium plagas, petũt, & accipiunt oculos; compressa enim benignitas in flagellis, non potuit non erũpere, & suis beneficijs egentes cumulare.

Ioan. 2. Et prope erat Pascha Iudęorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.

§. I.

Mundialia gaudia fastidium, immo nauseam creant.

HAVD male Origines Iudæorũm pascha dictum putat, vt à Domini pascate, quod spirituale festum est, carnalia Iudæorũ festa

ostà discerneret. Quid sapiunt Iudæi non carnale? Non mundanum? Pro quo aptè ipsa textus verba sic composuit, vt diceret: *Et prope erat Pascha dies festus Iudæorum.* Notanter de carnalibus festis solum dicitur dies; ea enim sunt gaudia, & festa carnis, quod sine ingenti nausea, & fastidio extendi nequeant vltra diem. Iosue 10. cum nobilis dux hostes fugientes persequeretur, deficiebat iam dies, & adhuc pauci hostes superstites erant, tunc Iosue, ait: *Sol, ne mouearis contra Gabaon, &c. steteruntque Sol, & Luna, donec vlciscereturse gẽs de inimicis suis.* Sed scire cupis, cur Iosue sic curauit vnico die victoriam suam claudere? Nõ ne posset illo die de inimicorum confracto exercitu triumphare, & sequenti die de reliquijs residuus alium triumphum agere? Non ne iucundior, & gratior veniret duplex victoria, in duplicem diem dillata? Absit: nulla enim est mundialis lætitia, nullus triumphus, qui vltra diem vnum sustineri valeat. Basil. Sel. Pulchrè Diu. Basil. Seleu. orat. 31. *Sol rursum lentare doctus victoriam illis præcipiti cursu cõficiebat; diurna spacia producebat, vt vno ipso die pugnantibus tropheum pararet. Producebat cursum, vt victoriæ tempus corriperet, aut potius extrahebat tempus, vt ne diuturniore victoria fatigatis molestiam crearet.* Mundialis omnis lætitia vltra diem dillata non potest non ingentem molestiam creare. Manna cœlestis & in diem colligebatur, etsi vltra diem manebat, in vermes conuertebatur. Sic quidquid dulce, quidquid suaue, quidquid glorioſum in mundo est, si vltra diem producitur, nauseam, & fastidia generat importabilia: vermes producit, quibus mortalium viscera corrodantur. Psalm. 24. Dauid Psalm. 24. gaudia præteriti adulterij comminiscens, fatur. *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.* Non multa fuit duratio nefarij gaudij; sed quia vltra diem dillata est, eos vermes gignit, ea fastidia creat, vt nihil Dauid magis expaueat. Vndè Diu. Augustlib. de vera, & falsa Pœnit. ait. *Non quia multum erat, sed quia id Dauid multum putabat, sicut qui iam inde satur erat, & fastidiosus.* Sunt omnia mundialia gaudia ad instar puncti, etsi amplius durant, nil nouerunt, nisi grauissimas repletiones, & fastidia causare. Tertull. Talem depingit Tertulianus Adamum post pomi gustum, molestas repletiones, & fastidia ructantem. Etenim ait lib. aduersus Gnosticos: *Abstinentiam rupit, edit illicitũ, & transgressione saturatus in mortem eructauit.* Ecce tibi, quam cito mundialia gaudia exsaturant, & fastidia generant lethalia. Ex nescio quo Psalm. loco audiui translationem minimè illepidam in rem præsentem, qua Dauid visus est metitus fuisse durationẽ gaudiorum mundialium, fatus: *Cantus meus sicut cantus cicadæ:* Et quidem & cantus, & vita cicadæ vno die clauditur, vt sic etiam vnico die claudantur mundialia gaudia: de quibus eleganter Diu. Ambros. lib. 1. epist. 6. ait. Ambros. *Verè sicut cicadæ, quia de die in diem viuunt, quæstuque rumpuntur suo.* Instar cicadæ sunt omnia mundi gaudia, quæ non vltra diem protrahuntur; & sic ingentes molestias, immò mortes pariunt.

Ioan. 2. Et inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nũmularios sedentes.

§. II.

Vbi peccata familiaria fiunt præstantioribus viris, maximè fugienda.

QVAE in foro, & in ciuitatis compitis auaritiæ sedes esse solebat; ecce tibi figitur in Dei templo, & nullus locus adeò sacer inuenitur, quẽ hoc crimen nõ penetret. Ideò ne minus timenda auaritiæ rabies, quia in tẽplis, quia in præstantioribus viris inuenitur? Absit: immò ex tunc maiori cura fugienda. Cum rapidus fluminis impetus extra sui albei ripas exundat, & per insueta loca viam arripit, non ne magis timetur? Non ne maiori cura eius exũdatio fugitur? Sic peccata, quæ inter sordentes, immo inter exultantes prædones, apud speluncas, & lucorum condensa sedem habebant, vbi ad primos viros accedunt, interque sacratiores, & nobiliores ordines visuntur, maximè fugienda. Ad Hebr. capite 11. ait Paulus. *Quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Rapacitas, & auaritia, & inhumanitas errabat in solitudine per speluncas, & cauernas terræ; modo sanctissimi viri apud speluncas, apud cauernas terræ errantes audio. Quæ rei causa? Vbi auaritia ad tẽplum peruenit, & relicto albeo, vsque ad primores vrbis exũdauit, sic eius impetus timetur à prudentibus viris, vt fugam arripiant, cauerniſque se se montium abdant. Id quod pulchrè attigit Diu. Nilus in Ascætico, fatus. Nilus. *Manuefacta hominum vitia, & rerum alienarum exundationes, quæ in ciuitatibus sunt, fugientes, in solitudinibus errabant, ne ipsi quoque earum vi, tanquam torrentis impetu in promiscuam populi confusionem raperentur.* Duo notanda proponuntur hic à Nilo, quæ fugant

ad Heb. 11

viros pios à ciuitatibus: alterum est illud, *mãsuefacta hominum vitia*: quippe antea vitia, vt verè fera, & rapida sic odiosa erant, & timenda ciuitatibus, vt compellerentur in speluncis, & cauernis montium exulare: modo verò sic mansuefacta sunt, vt instar mansuefactarum belluarum in vrbium compitis, immò in nobilium, & præsulum, & regum penetralibus visantur. Quis ergo non sibi ab his omnibus caueat? Non ne turbaris, & caues, vbi in principum liminibus vides leonem, etsi mansuefactum? Sed alterum Nili verbum expendẽdum magis, nimirum illud, *rerum alienarum exundationes*. Bonus Nilus non potuit non timendum proponere exundationum impetũ. Et quidem cum flumina extra albeum exũdant, nec vetustissimæ quercus vsque ad inferos radicatæ, nec altæ turres, nec ingentia saxa obsistere fluctuum impetibus possunt, sed vi aquarum voluuntur, rapiũtur. Sic vitia vniuersa, sic auaritia, vbi per nobilium domos, per præsulum, per sacerdotum errant penetralia, extra albeum feruntur, & instar exundationũ impetus, fugienda nobis maxime sunt, ne tanti torrentis impetu rapiamur. Huc etiã spectat illud apud Matth. cap. 25. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Quasi nullus verus Iudæus, verus fidelis, & pius confessor possit obsistere impetui abominationum vsque ad loca sancta, & illustria exundantium. Etenim vbi vitiorum abominatio attingit religionis, & nobilitatis apices, quis pusillus non timeat rapi exundantis torrentis impetu, nisi se fugæ tradat? Prudenter Moyses aiebat Pharaoni Exodi 8. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, coram eis lapidibus nos obruent: viam trium dierum pergemus in solitudinem, &c.* Siue hic de pecoribus fiat sermo, siue de vitijs, vt Ruper. mauult, prudentissimè ostendit Moyses necessitatem confugiendi ad solitudinem ex eo, quod Israelitæ perditurí erant ea, quæ apud Ægyptiorum vrbes erant in honore, & cultu. Vbi enim dominorum suorum, & aras, & templa, & regias arces tenebant abominandæ reſculæ, nimirum, ouis hædus, auis, vel auaritia, iniustitia, luxuries; qui seruulus, & captiuus homo auderet illa abijcere, & iugulare, nisi via trium dierum ad minus fugeret à frequentia ciuitatum, & in montium cauernis se se abderet?

Matth. 25.

Exod. 8.

Ioann. 2. Et cum feciſſet quaſi flagellũ de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

§. III.

Prælatorum, Principumque correctio vni Deo reseruanda, qui solus eos castigabit.

IN his templi mercatibus, Sacerdotũm crimina innouuntur, quæ vt puniat Dominus, non discipulorum circunstantium vtitur auxilio, sed ipse solus flagellum arripuit, durumque intulit supplicium. Qua id mente factum est? Ne quis putet licere sibi in Prælatos, & Præsules insurgere, sed horum castigationem vni Deo fuisse permissam. Ita Eucherius lib. 2. in lib. Reg. inquiens. *Quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, nõ temere vitam iudicare regentium. Neque enim frustra per se metipsum Dominus æs nũmulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum, significans, quia per magistros quidem vita iudicatur plebeium: sed per se metipsum facta examinat magistrorum.* Nulli subditorum permittit Deus Prælatorum, Principumque suorum castigationem: nulli licet quouis prætextu in Principem insurgere. Si quis posset Principem suum percutere, maximus esset Moyses, qui à Deo mandatũ acceperat, quod educeret populum Israelitã à Pharaonis tyrannide, sed inde, quid Moyses faciat. Exodi 5. Post hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Non abijt ad populares, & illos in regẽ armauit, vt occiderent tyrãnum, & irent in patriam; sed regem adit, illumque, vt subditus debet, verbis delinit, vt ad suũ cõsilium trahat. Id quod notãs ibi Lyp man. ait. *Hi tametsi habebant mandatum liberandi Israelitas à Tyrannide Pharaonis, & Pharao erat Rex longè omnium impijssimus, atque à Domino manifestis verbis condemnatus, nõ tamen armant Israelitas suos aduersus regem, legitimum magistratum in Ægyptum, non trucidant tyrannum gladio, sed continent se se, & obsecrant Pharaonem obedienter.* Sanctissimè cauent, ne ipsi videantur nocere regi, cuius etsi pessimi vindicta penes Deum est, minimè penes subditos. Non minor Moyse Dauid quoties se à nece Saulis continuit? Quoties cum posset, nullum intulit damnum? Non semel illum in manibus habuit, & dum in spelunca lateret, & dum dormientem offendit; sed nec leui-

Euther.

Exod. 5.

Lyppomd.

leuiter offendere eum voluit. Quæ rei causa?
Ambros. Ambros. in Psalm. 35. ait, quod noluit Dauid interficere sibi inimicum regem: *Ne malo publico vindicaretur, atque appetendi Principis in malis quoque causis, aljs exemplum ederet, cũ ipse vindictam de insidiatore sumpsisset.* Adeò cauere debent vniuersi subditi, ne vllo prætextu principibus suis manus injiciant; eo ipso, quod quis vel clauum Reipublicę tenet, vel in regali solio est, ad Deum solum spectat illius peccata vindicare, punire; ad cæteros autem homines solum spectat illum venerari, maximumque illi honorem habere. Ille Amalecites. 2. Reg. 1. sic de Saule referebat. *Stãs*
2. Reg. 1. *super eum occidi illum; sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam; & tuli diadema, quod erat in capite eius.* Hæc vix fatus erat, & iussus est illic trucidari à Dauide. Sed scire cupis, cuius verbi causa commotus Dauid, talem tulit sententiam? An, quia dixit ille, quod precibus motus hominem iam iã animam agentem interfecit? Quantum hoc crimen ad illatam instantaneæ mortis pœnam? Fortè nõ ex eo, sed quod dixit, post interfectum hominem, arripuisse diadema eius; deberet enim bonus vir diadema saltem vereri, nec illam vel tangere audere. Vndè merito Petr. Dam.
Pet. Dam. epist. 125. ait. *Amalecites ille, qui gloriatur se peremisse Saul, dum non se galeam, sed diadema de capite vellantis abstulisse confingit, gladio Dauid percussus occubit.* Nulla excusatio, nullus prætextus esse potest, quo quis impune vim inferat diademati, vim inferat dignitati regis.

§. IIII.

Caueant Dei iram, qui in Ecclesiasticis muneribus, dant operam lucris.

FOEDE ad templum Dei accedis, hoc est, de Ecclesiastico censeris ordine, vt totam operam impendas lucris, & qui in mundo fueras pauper; sub Ecclesiastica Christi pauperis disciplina, ditescere cures. Post Nahamani accepta munera, sic Elisæus scandet
4. Reg. 5. in Giezi. 4. Reg. 5. *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed, & lepra Naaman adhærebit tibi.* Cur miser seruulus tam dire à Domino suo tractatur? Accepisset Dynastæ munera, meditatus esset boum emtiones, quid magis proprium seruili conditioni? Quid magis condonabile seruo? Seruus erat Giezi ex mundialibus parentibus pauper, & sub Elisæi disciplina nutritus, nec paruũ eius crimen fuit, quas in mundo non habuerat, in Prophetæ schola amare diuitias. Ait Cassianus lib. 7. cap. 14. *Giezi ea, quæ nec antea possederat, volens acquirere, æterna lepra, sancti Elisæi maledictione perfunditur.* Vereor ne has maculas incurrant plurimi, qui quas in sæculo nõ habuerant diuitias, eas inuadunt in Ecclesia Christi. Ecclesiæque sedes tantum desiderẽt, vt nummis augendis incumbant. Oseas cap.
Oseas. 13. 13. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & eleuauerunt cor suum, & oblitus sunt mei.* Quibus verbis acriter notantur, & vituperantur, teste Rupert. qui Christo præsto sunt, non ob amorem sacramentorum, quæ celebrant, sed propter hoc solum, vt de altaris sumptibus viuant. Hi prorsus obliuiscuntur Dei, & solis lucris instant. Hi lucrorum gustu in tantam obliuionem Dei incurrunt, vt nihil aliud percipiant, nisi id, quod potest parere lucra. Hos respiciebat Ierem. 7. ex lectione Diu. Chry-
Chrysost. sostom. iuxta quam dicit. *Numquid spelunca hyænæ facta est domus mea mihi?* Et pulchro Hyænæ exemplo vsus est, vt multorum Ecclesiasticorum mores definiat, qualis Hyænæ mos? Accipite Chysost. hom. 13. in Mat-
Idem. thæum. *Hyæna bestia est sanguinuora, bestia, quæ corporibus delectatur, bestia, quæ semper in nocte nunquam in die est: non delectatur, nisi cadaueribus mortuorum. Hoc autem dicitur de sacerdotibus Iudæorum.* Vtinam, & non dici possit de sacerdotibus Christianorum, quorum aliqui, sic se lucris habendis dedunt, vt ex memoria mortis non mundi contemptum, non Dei timorem, sed ingentem voluptatem percipiant, cum videant plura inferri cadauera templorum suorum sepulchris. De luce æterna quid nescientes canunt, sed Dei vix memores de cadaueribus delectantur. Eu quanto periculo in mortis cineribus, nil præter lucrorum temporale vident. Amalecites ille. 2. Reg. cap. 1. superius datus aiebat de Saule. *Stans super eum occidi illum; sciebam enim,*
2. Reg. 1. *quod viuere non posset post ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite eius.* Sed, & tulit præmium facinoris, dum à seruis Dauid, eius imperio lethaliter percutitur. Et quidem merito, quia videns hominem moribundum ab hoste percussum, non curauit de armis eius aliquid accipere, quo se protegeret, non galeã, non scutum, non lanceam tulit, sed diadema ex quo sibi lucrum acquireret. Argute Petr.
Petr Dam. Dam. epist. 125. ait. *Dum se non galeam, sed diadema de capite bellantis abstulisse confingit, gladio Dauid percussus occubuit.* In galea pugna, in diademate lucrum apparebat; miser ille nil aliud prospexit, quam lucrum, ideò mortem incurrit. Metuãt modo plurimi tale excidiũ; dum in proximorum cadaueribus non arma quærunt, quibus se protegant à vitijs, sed lucra

cra, quibus diuites viuãt. Et quot Ecclesiastici sunt, qui in moribundis, immò in cadaueribus nihil aliud meminerunt, quã lucra? Qui visis mortuis non scutum fidei, non galeam salutis, non gladium verbi Dei, sed diadema aureum assumunt, quo augeant diuitias? Apud Pharaonem Regem Ægypti solis sacerdotibus permissæ sunt terrenæ possessiones. Gen. 47. vbi cæteri alij omnes suas possessiones pro pane vendiderant. Ex quo Orig. hom. 19. sic ait. *Pharao terras concessit sacerdotibus, Dñs autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra,* *Num. 18.* *sed dicit eis: Ego sum pars vestra Num. 18. Obseruate ergo, qui hæc legitis, omnes Dñi sacerdotes, & videte, quæ sit differentia sacerdotum, ne forte, qui partem habent in terra, & terrenis cultibus, ac studijs vacant, non tam Domini, quam Pharaonis sacerdotes esse videãtur. Ille est enim, qui vult sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & non animæ, sed agri exercere culturã, ruri, & non legi operam dare. Christus autem, qui non ab renuntiauerit, inquit, quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.* Adeò à Christi sacerdotibus abest affectus lucrorum.

Origen.

§. V.

Calamitosum est hoc in bonis mundialibus, quod ipsa depereant, ab eis autem obortæ culpæ maneant æternum.

NON opus est magno flagello, vt bona tẽporalia euertãtur, quæ vel à quasi flagelli sonitu è manibus effugient. Sed vide, vnde flagellũ fiat, è funiculis, hoc est, è laqueis, quibus vendititiæ res, & nũmorum sacculi ad templum deferebantur. Hoc enim flagellum adnatum est omnibus mundialibus lucris, quòd festine è manibus elabantur, relicta sola ab eis exorta culpa. Mercator ille pessimus Iudas, sic lucrorum cupidus vt magistrum venderet suũ, post emtionis contractũ, post acceptas pecunias, an diu illas retinuit? Equidem festinus in mortẽ. Matth. 27. *Retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus dicens peccaui.* Nummi proijciuntur, euertũtur, penitus è manibus elabuntur, solum peccatũ ab illis ortum manet æterno castigandũ supplicio. Sedulius lib. 5. Pas. c. 8. inquit. *Pretio criminis se vacuauit, non crimine.* Equidem abeunt resculæ omnes humanæ; abeunt merces gaudiorum; disparent vniuersa bona mũdialia, sed funes peccati ibi contracti æternũ manent, quibus vapulet misera anima. Iob c. 20. *Ossa eius implebũtur vitijs adolescentiæ eius, & cũ eo in puluere dormiẽt.* Expẽdere rogo, quãdiu culpa maneat, quãdiu peccatorum funes persetuerent; omnia mũdialia abierãt, ipsa cãro consumpta erat, sola nuda ossa perseuerabant, & cu solis nudis ossibus adsunt vitiorũ funes, peccatorũ flagra. Olymp. in Cat. Græc. ait. *Nec quicquã vna excepta libidine, hoc est, ini quis exceptis facinoribus illũ ad sepulchrũ prosequetur.* Hoc pro certo habeant omnes impij, quod post multitudinẽ negotiationũ suarũ, post grandia reportata lucra; residuos solos habebũt laqueos peccatorũ, quibus æterna flagella patiãtur. Quò respiciebat Ezec. c. 28. ad Regẽ Tyri loquutus: *In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: eieci te de mõte Dei.* Hoc vnũ manet de omnibus negotiationibus mũdialibus, nimirũ, peccatũ, hoc est funis, quo à Deo in æternũ suppliciũ abijciãtur. Trãsferuntur omnia extrinseca bona, sed intimis absconditi visceribus peccatorũ funes manẽt, quibus veruerabe ris. Gen. 42. Ioseph fratres, vbi se apud Proregẽ Ægypti affligi vident, sic clamãt; *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrũ.* Papæ venditio fratris transacta erat, pretium acceptũ cõsumptũ, sed funes peccati perseuerabãt, quos tã longa tẽporis duratio non potuit cõsumere. De quo Theod. in Cat. Græc. ait. *Vide cõscius animus quã se nõ possit absoluere, vel longinquitate tẽporis; duo, & viginti annis erãt, cum facinus hoc illi perpetrarant, & tamen eius adhuc memores clamabant: Merito hæc patimur, quia peccauimus.* Eu misera impiorũ cõditio, finitur tẽpore mercatus, finitur negotiatio, vacuantur sacculi, transferuntur bona, & quibus vapulent, soli peccatorũ funes manẽt. Non illepida comparatione ipsum Iesus Dominus ostẽdit Luc. 22. *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Expetit Sathanas nos omnes, vt ad cribrum reducat. Et quid mali latet ibi? Multum sanè, id attigit Imperfectus hom. 38. in Matth. *Quemadmodum si triticum cernas in cribro, dum huc, illucque iactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum; sic & substantia negotiatorum, dum vadunt, & veniunt inter emptiones, & vẽditiones minuitur, & in nouissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.* Hæc igitur est summa diaboli voluptas, quod homines in cribro habeat, vt dum huc, illucque iactantur, euanescẽtibus bonis, elabentibus granis, maneant solum peccati palleæ, quibus obstringamur, quibus exuramur.

Olympiod. *Ezech. 28.* *Theod.* *Luc. 22.* *Imperfect.*

§. VI.

Nil miserius, quam post visam crebram bonorum mundialium ruinam, adhuc illis fidere.

Radi-

RADICITVS vt euelleret Dñs fiduciã in bonis mũdialibus, & vendẽtiũ boues, & oues abigit, & mensas nũmorũ subuertit: quis iã fidat rebus, quas tã facili è manibus elapsas videt? Quis nõ sibi cauebit ab his bonis, quæ effundi, & euerti omninò respicit? Stultissimi inter omnes ethnicos Azotij fuerũt, de quibus dicitur. 1. Reg. 5. *Cũ surrexissent diluculo Azotij altera die: Ecce Dagõ iacebat pronus in terra ante arcã Dñi; & tulerunt Dagõ, & restituerunt eũ in locũ suũ.* Non mirandũ erat, quod cæci homines colerent idololũ Dagon, cũ illũ aris impositũ cernebãt; at nũc nõ in aris positũ, sed humi iacentẽ, deiectũ semel, & bis, immò confractũ vident, & adhuc in eius cultu perseuerant. Quãextremã stultitiam sic grauiter ponderat Theod. ser. 10. de Prouid. *Denuo collapsum vident, & tamẽ adorant!* Proh intolerabilẽ hominũ insaniã! Nil vidẽt in idolis suis, nisi frequẽtes ruinas, casus, excidia, & tamẽ non cessant illis adorationem exhibere. Quoties auarus vidit arcas à latronibus cõfodi, vestes à tinea corrũpi, domos ab igne flagrari, omnia mũdialia bona vẽto citius disparere, & nihilominus bona adorat? Quoties adolescens vidit pulchritudines marcescere, immò putrescere; vidit puellã semel, & ter, in infirmitatẽ collapsam, cinereo mortis colore deformẽ, & tamẽ adhuc pulchritudines adorat? Quoties Princeps vidit regis supercilio multos à puppi in sentinas deiectos, regios fauores madere sanguine, & adhuc regiũ fauorẽ adorat? Quid stultius? Quid insanius? Hi nõ absimiles sunt stultissimis illis Israelitis, qui Exod. 25. clamabãt. *Melius fuerat nos mori in AEgypto, quãdo sedebamus super ollas carniũ.* De quibus eleganter Orig. ho. 17. fatur. *O populus ingratus! Carnes AEgypti requirit, qui AEgyptiorũ carnes vidit maris piscibus datas.* Equidẽ dũ florẽtes viderãt Ægyptios, nõ mirarer, quod bonorũ splẽdore capti inter Ægyptios maluissẽt degere, quã per desertũ peregrinari; verũ vbi Ægyptios viderũt fluctibus submersos, à bestijs marinis dilaceratos, voratos, adhuc Ægyptiorum sortẽ amare, extremæ est demẽtiæ, & insensibilitatis. Quis nõ demens videat, vel odoretur bonorũ necessaria excidia, & talia bona amet? Sanè Dauid promissionẽ regni habebat post Saulẽ, à quo incredibilẽ persecutionẽ patiebatur. Interea accidit. 1. Reg. 25. Reg. 26. Quod Dauid nocte veniret in Saulis castra, *& inuenit Saul iacentẽ, & dormientem in tẽtorio, & hastã fixã in terra ad caput eius.* Proh Dauidis felicitatẽ, simul habet in manibus, & trucẽ hostẽ, & regni hæreditatẽ! Non ne eadẽ manu potest, & perdere inimicũ, & coronam regni sibi rapere? Sed Dauid, & hostẽ, & coronã dimittẽs, solã accepit hastã, & vadit. Quid agis, ô Dauid, finẽ bellorũ tenes, coronã habes in manu, & hac dimissã arripis hastã, quasi malis viuere in certamine, quã coronatus triumphare? Quis tibi militi afflicto, per mõtes, & spelũcas errãti, tãtã tradidit philosophiã? Expende textus verba: *Inuenit, ait, Dauid Saul iacẽtẽ, & dormiẽtẽ in tẽtorio*: eo ipso, quod Dauid vidit fortissimũ, & bellatorẽ regẽ iacẽtẽ, somno sepultũ, nihil sentiẽtẽ, finẽ rerũ humanarũ, mortẽq; recordatus, sic omnia contẽsit, vt dimissa oblata regni hæreditate, hastã arripuerit, malens pauperis militis vitã agere, quã illã regiã dignitatẽ habere, quãsemel videbat iacere, soloq; prostratam. Pulchrè Chrysost. ho. de Dauide, & Saule, ait. *Dauid intuitus inimicũ dormientis faciẽ, hinc maximè sumsit animũ philosophicũ. Cũ enim videret illũ manere immobilẽ, neque quicquã posse facere, sic loquutus est Dauid. Vbi nũc ille furor? Vbi tot technæ, tot insidiæ? Abierũt omnia illæ, perierũtq; exigui somni incursu. Conspiciebat illũ dormiẽtẽ, & de morte omnibus cõmuni philosophabatur.* Sic mũdialiũ bonorũ finis meditatus, vel semel quasi in vmbra visus potuit cordatũ hominẽ afficere, vt facilè respuerit glorias humanas. Quod cõsiderãs Moyses, vbi prima mundi bona incipit narrare, nil prius ante oculos nobis proponit, quã eorũ fugacitatẽ; ait enim Gen. 1. *Factũ est vespere, & mane dies vnus.* Cur in diei primi propositione vespere prius meminit: nisi quia, vbi diei pulchritudinẽ narrãs, eius in primis finẽ ostẽdat, ne pulchritudo noceat, considerata prius eius fugacitate, & fine? Ideò D. Bas. in Cat. Græ. fatur. *Vt igitur primas diei Moyses partes reddat, finẽ prius diei memorat.* Quis sapiẽs nimis curabit dies videre bonos, quorum finis prius apparet, quam facies?

1. Reg. 5. Theodor. Chrysost. Exod. 25. Origen. 1. Reg. 25. Genes. 1. Basil.

Mat. 21. Eijciebat omnes vẽdentes, & ementes in tẽplo; & mẽsas nũmulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

§. VII.

Qui munera Ecclesiæ, & publicæ Præfecturæ officia emunt, diuinam iram incurrunt æque, ac vendentes.

NON nullæ in simili facinore addũtur à Matt. circũstantiæ, quæ nõ parũ negotiũ humanis moribus facessũt, ea in primis ob oculos versatur, quod ira Dei, nõ solũ in venditores, sed etiã in emptores aceſcit. An qui emit præfecturã, siue prælaturã, nõ minus peccat, quã qui vẽdit? Immò sæpe in præfectura emẽda nullũ erit peccatũ graue, quãtũ ex exterioribus apparet, cur ergo tã emptor, quam ven-

venditor sunt sub eodē Christi flagello? Sanè difficile discernis inter emptorem, & venditorem; qui enim prælaturam, seu munus quodlibet emit, ægre, & difficulter sibi persuadet illud non vendere. Vndè sapienter loquitur
Arn. Car. Arnol. Carnot. lib. de opere sex dierū: *Excutit ab omni munere mūdas manus pura iustitia: nec se venalem exhibet iudex, qui vt iudex fieret, non pretio, sed gratis accepit.* Quasi dicat, vnus non vendit officiū, qui nō emit, sunt enim emptio & venditio maximē inter se connexæ. Simon
Act. 8. ille Act. 8. solū emebat spiritus gratiam; *Obtulit eis pecuniam dicens: date mihi hanc potestatē.* Cui Petrus: *pecunia tua tecū sit in perditionē.* Eu Petre cur tam seuere in hominē animaduertis? Cur merū emptorem sic perdis? Quid supplicij relinquis in eos, qui tuā Ecclesiam venalem exhibebunt, quando sic emptorē plectis? Emebat Simon, sed vt venderet, quod notans
Augusti. Aug. tract. 10. in Ioan. ait. *Simon ille ideo emere volebat Spiritū sanctū, quia vendere volebat Spiritū sanctū.* Nequit fieri, vt emptor non fiat etiam venditor muneris; quod si quando accidat, quod emptor nō vēdat munus; tamē semper verū erit, quod emptores munerū sint pernitiosi, & exitiales reipublicæ. Quis vnquam notentior iudex, & pōtifex, quā Caypha? Cuius malitia pestilentior, quæ in Christū Dñi ausa est? sed tantæ malitiæ radicē insinuans D.
Isid. Pelus. Isid. Pelus. lib. 1. ep. 315. ait. *Cayphas sacerdotiū emerat, cū aduersus Christū illū armauit. Quo circa, quisquis sacerdotiū emercatur, hunc Christi carnificem Cayphā esse constat.* Quasi nequeat fieri, quod ex emptione habeamus munus sacerdotis, vel iudicis, quod Christo Deo nō sit exitiale. Hoc pariūt munerū emptiones, quod Deus offendatur, eiusque nomē vilipēdatur, & quod pecunia in summo pretio, & summa æstimatione præ omnibus alijs habeatur. Vt
D. Synes. dicat D. Synes. lib. de regno. *Atqui ille sane quomodocumq; diues magistratū pecunijs mercatus, cuiusmodi sit æqui distributor, nesciat: videtur is non facile pecunias cōtempturus. Et credibile nō est, eū sublato vultu, toruis ac rigidis oculis aurū ex aduerso intueri posse. Nouit enim se eius beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere.* Cur nō cōtemnat Deū, qui nō Dei sed pecuniarū beneficio putat habere solium? Cur nō pecunias adoret, quibus refert acceptū præ
Chrysosto. fidēdi honorē? Accinit D. Chrysost. hom. 3. in Acta, vbi emptorē muneris, sic alloquitur, *Quibus oculis intueberis illū, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui nolēs & inuitus cōpulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quamquā maxime, & hic priuatus est venia, nisi quod adhunc collatus habet aliquid excusationis. Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert si non das pecuniā, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris?* Habēt hoc quasi necessariū omnes emptores munerum, siue petunijs, siue obsequijs emant, quod ei, cui debent munera, sacrificent, vt ille alius sacrificauit reti suo Abacuch 1.

§. VIII.

Sacrificia Deo grata, quæ multa præparatione antecedenti fiunt. Vbi de Eucharistiæ præparatione.

SANE, & qui emebant in templo sacrificia, displicent, quia non ex occasione, quod in Ecclesia occurrit adeò gratū est, quā quod ex præparatione longa antecedenti Deo litas. In monte sacrificaturus Abrahā filiū, ignem, & ligna ferebat secum, videretur forsan alicui labor superuacaneus ferre ad mōtē ligna. Sed bonus ille non in loco sacrificij spectat colligere ligna, sed ex præparatis lōge antea placere Deo studet. Vndè iubemur à Deo petere, *panem nostrū quotidianū*, & Græce habes: *panē nostrū crastinū*, vt doceamur à præcedenti die debere incipere præparationē, qua quis expectet diuinū paululū. Quod si hæc præparatio antecedens necessaria est cuiuis accedēti ad tē plū, diunasque escas sacrificiorū inhianti. At ille, qui panem super substātialem Eucharistiæ sumpturus accedit, is credat mihi, & non accedat, nisi præparatus, & probatus. Etenim vero Eucharistiæ panis peculiari iure habet, quod sit panis crastinus, nimirū, quod supponat antecedentē præparationem, & tēporis distātiā. Ioann. 4. Accessit virgo mater ad Iesum postu- *Ioan. 4.*
lās, vt in nuptijs defectū vini subueniret creās, & immittens hydrijs vinū aliud. Cui Iesus ait: *Nondū venit hora mea.* Sanè alibi sæpius multas postulationes accepit indigentiū postulantiū salutē, & alia facinora diuinitatis. Et saltē sorores Lazari illi representarunt fratris discrimen, quibus nō respōdit, nōdum venit horā mea, etsi per quatuor dies differret Lazari sanitatem. Cur modo statim vinū dāturus, præmittit, nōdum venit hora mea? Sanè in presenti adumbrabatur vinū illud supersubstantiale germinans virgines, vinū Eucharisticū, quod hoc habet præcipuū, vt semper supponat temporalē præparationis distātiam. D. Aug. serm. *Augusti.*
41. de tempore, ait: *Quod vinū est, quod optimū iudicatur, quod architrichlinus quæritur sero prolatum, nisi sanguinis Dominicæ passionis? Hoc est enim, quod Deus in horā suspendit.* Sanè hoc est quod Deus in horā suspēdit, hoc est, quod non vult Deus largiri, quin prius tempus trā figas in spectatione eius. Si vitam, si misericordiam, si salutē à Deo petas, statim eadē hora qua petis, poteris obtinere: at vbi Eucharisticū poculū petis, expecta horam, suspendi enim debet

debet diuinum poculum, vsque dum optimâ dispositione constitutus fueris. Nonne tritũ est illud Pauli ad Corinth. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*; nunquam enim digne bibitur, ni probatione præmissa, & præparatione. Ipse Dei filius, vt carnem sumeret, quoties experimentũ in se fecit de humanis affectibus? Audi clamãtem Deum, Gen. 1. *Adam, vbi es*? Qualis hic clamor? Nonne Deus sciebat Adami locum? Si sciebat, si ignorare non poterat, cur ignorãtis interrogationem præsefert? Assumpturus erat hominem, cuius proprium est ignorare, cuius proprium est sic de ignoratis quærere, & volebat ante susceptionem carnis probare, qualiter exprimeret carnis affectus. Ita Tert. lib. de aduers. Prax. fatur. *Ediscebat autem, vt nobis fidem sterneret. Etiã affectus humanos sciebat iam tunc, susceptur us etiam ipsas substantias hominis, carnem, & animam, interrogans quasi ignorãs, Adam, vbi es*? Non antea assumit hominis substantiam, quam longo temporis interuallo in se probet, qualiter exprimi solent humani affectus; ne quis audeat diuinam substantiam accipere, quin prius se probet, & experiatur, qualiter ostendet diuinos affectus. Ediscе prius, & proba linguam, an possit loqui instar linguæ Iesu; & manum, an largiatur, & operetur instar manus Iesu; & pedes, an ambulent instar pedum Iesu; & viscera, an effundantur instar viscerum Iesu; & cũ probaueris in te omnes Iesu affectus per aliquod tempus, sic probatus de pane illo ede.

Gen. 1. Tertull.

§. IX.

Vt cauenda venialia peccata.

BENE posuit Matth. cathedras vendentium columbas; vt enim venialis templi irreuerentia erat, quod ibi auiculas ad sacrificia essent, sic facilius populus illã doceretur. Hoc enim habent venialia peccata præstantissimi magisterij, quod facilime persuadeantur hominibus, quare omni diligentia sunt cauenda. Apud Matth. cap. 8. Illos homines caueri iubemur à Domino, in quibus post trinã admonitionem adhuc peccata resident. Et crediderim ibi, non solum de peccatis mortiferis, sed etiam de venialibus agi, quæ Dei gratiam non expellũt. Quid igitur faciendũ de illo homine, in quo post trinam correctionẽ adhuc peccata venialia habent sedem? Ait textus; *sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus*. Expende illud, *sit tibi*, quasi diceret: fateor talem hominẽ non esse Deo odiosum, nõ à Deo reiectũ, verũ tu illũ caue, illũ omnino fuge, quasi reputans à fideliũ cõmunione eiectũ. Suffragatur Origen. hom. 6. in Matth. *Nouissimè autem, quia non puriter dixerit, sicut ethnicus, & publicanus, sed ita sit ibi. Qui in peccato leui correctus ter, nõ se emendat, nos quidem sic eum debemus habere, quasi publicanũ, & ethnicũ, abstinentes ab eo.* Nõ minori cura caueamus hominem, qui leuibus peccatis scienter obstringitur, quã caueamus ethnicũ, & publicanũ. Qui magnis sceleribus plenus est, omnibus est inuisus, nemo eius mores nõ abominatur; verũ ille, qui minuta peccata inter iucundissimos mores præsefert, facile illa cõuersantium indit visceribus. Quare cauendus omni conamine, & diligentia, & tãquam ethnicus cauendus. Sed quid si leuidensia peccata persuadeãtur nobis? An, id magnũ damnũ erit? Pulchrè ait D. Ephrem, tract. de virtutibus, & vitijs, agens de intemperantia: *Væ illis, qui minimis, leuissimisque de causis tunc confundentur*. Et sanè miserrimũ est, quod viri fortes ob leuissima vehemẽter vapulent apud Angelos Dei: quanta confusio erit nobis, cũ torreri videamur obvaniss imas gloriolas, obpomi gulã, & alia huiusmodi? Sed & cõfusionẽ ex his natam aliter explicat D. Cesar. Aelr. hom. 8. aiens. *Quibus peccatis licet occidi animã non credamus, tamen ita eam velut quibusdã pustulis, & quasi horrenda scabie repletã horrendã faciunt, vt eã ad amplexus illius cœlestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittat*. Ecce tibi media vitæ nocte, clamor fit, ecce sponsus venit, qualis tunc confusio erit scabiẽti sponsæ? Fallor, nisi anima, quæ se tam horrenda scabie videat infectam, non dicat etiam (licet ex corde perfecto) montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos, ne oculis spõsi videamur, donec mundemur. Tantã confusionem parient minutissima quæque peccata. Sed esto confusionem eam contemnas, an pericula in illis maiora nõ pauebis? De illis periculis accipe dulcem D. Nazianzen. cãtilenam in præceptis ad Virg.

Orig. D. Ephr. Cæs. Aelr. Nazianz.

Sed neque furtiuos mundi sectaris amores,
Atque fidem Christo tu rata tam perfida fallas.
Hanc porro fallit, sacrataque fœdera rumpit,
Quisquis vel tenuem radicem criminis in se
Excipit. Innumeros nam paruo tempore ramos,
Hinc atque hinc extenta solet diffundere radix.
Et succo exiguo densatur copia lactis.
Ac lapidem si quis tranquillas mittat in vndas,
Præclaros turbat latices, vitiatque colorem,
Multiplicesq; orbes summa nascuntur in vnda,
Qui simul, ac paccantur aqua, soluũtur inanes.
Quin etiam paruo liuescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt, cruciantq; dolores.
Aspidis haud grãdis est vulnus; tamẽ illa sopore
Mortiferum extemplò inducit, vacuumq; dolore
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo caue, ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, minimasque etiã procul abijce noxas.

§. X.

Auari homines fustibus agendi, non enim benignitatem nouerunt.

QVI homines trahere nouit in funiculis Adam, in vinculis charitatis, vbi ad templi nundinatores accesit, funiculos in flagella conuertit, quasi solam flagelli vocem nũdinatores sentiant. Enim vero ea est gens auarorum, quę benignitatis, & venerabile misericordiæ nomen nunquam norint. Quot peccatores à Christo Domino misericorditer tractari Iudas audierat? Quoties immensæ benignitatis diuinæ thesauros apertos meretricibus viderat? Et tamen peccatum suum agnos-
Matth. 27. cens, Matth. 27. *Proiectis argẽteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Non viscera pietatis, sed laqueum auarus meminit, non ad misericordem Deum, sed ad id, quod sibi magis familiare erat, properat flagellum. Cur miser non meministi Dei benignitatis? Cur non tibi in mentem venit Saluatoris pietas im-
Leo. mensa? Pulchrè D. Leo serm. 11. de Pas. inquit. *Maligno cordi, nunc furtis fraudum dedito, nihil vnquam misericordiæ saluatoris insederat: nec pijs acceperat auribus Domini verba dicentis: non veni vocare iustos sed peccatores. Nec intellexerat clementiam Christi, qui non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarũ: dicens paralytico: remittũtur tibi peccata tua: dicens oblatæ adulteræ, nec ego te condemnabo.* Nulla penitus percipit auarus benignitatis documenta, nihil misericordiæ intelligit, nihil humanitatis nouit; solum laqueos, funiculos nouit, sicut mulus cui non est intellectus. Duo se mihi obijciunt in præsenti meditandi adolescẽs, & adolescentula, Absalon, & Magdalena, ambo pulchritudine insignes, ambo propter crines per celebres. Sed Magdalenæ crines illam, ad fontem miserationis vitæque arborem Iesum religant: *lachrymis enim cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergere:* Ibi quot crines, tot charitatis vincula, quæ largam peccatorum trahunt indulgentiam. Non sic Absalomi crines, quin potius, ad quercus fustem religati, durissima extiterunt flagella misero adolescenti. Sed quæ tam diuersæ sortis ratio? Cur sicut in peccatrice fœmina, in misero adolescente crines non ad misericordiæ fontem, sed ad flagelli fustem perueniunt? Et quidem Magdalenæ crines, quam plurimos implicarant, & in voluptatũ barathra traxerant; verum Absalomi crines auaritiæ seruierãt, sic enim habes 2. Reg. 14. *Ponderabat ca-*
2. Reg. 14. *pillos capitis sui ducentis siclis pondere publico,* ne mireris, quòd auaritiæ materies nesciat ire nisi ad fustes, & flagella. Id insinuans Drogo Hostiensis, lib. de Sacram. Passion. Drog. Christi fatur. *Absalom crines suos ponderabat pondere publico ducentis siclis, vnde in eodem crine suspensus ad arborem interyt.* Nihil auaritia habet cum pietate, nihil cum misericordia, quorum nomina venerabilia cunctis peccatoribus, nec nouit auarus; ad istos flagella, & fustes applicantur, qui penitus efferati, & bruteścentes omnia humanitatis viscera exuerunt, & à se abdicarunt. Vis videre auaros penitus bruteścentes? Ecce tibi, Genes. 39. vbi inuidi Iacob filij fra- Genes. 39.
tris Ioseph mortem meditantur, audio Rubem nitentem liberare puerum à sanguineis manibus: itaque non omnes acquiescunt perdere fratrem, adhuc inter inuidos appareat aliqua humanitas. Quid plura? Cum inde mercatores transirent, ait vnus illorum: *Melius est vt venundetur Ioseph Ismaelitis: Acquieuerunt fratres sermonibus illius: & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna viderunt, &c.* Omnes venditioni consentiunt, non est qui obsistat, non est qui eum liberare cõtendat, sic vbi intrauit pecuniarum sitis omnem humanitatem expulit, & homines conuertit in belluas. Ideo Chrysolog. serm. 29. ait: *Sic* Chrysolo.
auaritia siccauit mentes, sic corda depressit; sic quod in eis fuerat humani sensus ferinam in rabiem commutauit: vt non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprij sanguinis sensum meminisse permiserit. Intuere quid auro grauius, quod cum mores hominum perdit, perdit, & naturam. Quando ergo immanis auaritiæ bellua non fustibus, non flagellis agatur? Quando pietatem noscere vellet?

Ioann. 2. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc; nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Matt. 21. Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

§. XI.

Orationis pium latrocinium in aperiendis cœlis.

LVBET

LVBET in hac templi iniuria aliquid orationi minime iniurium meditari; quid enim multũ, quod domus orationis fiat ſpelũca latronũ, quãdo & ipſa oratio exercet etiã pium latrocinium? Quando enim oratio inſtar furis non habitat petræ ſpeluncas, donec pertranſeat Domini ira, & iudicis furor, indeque exurgens cœleſtium ſodit macerias, vt
Cant. 2. theſauros ſibi aſſumat? Cant. 2. *Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Expende orationis ſpeluncas, & effoſiones; ſpeluncas hic habet, quibus ſe abdit, vt fugiat iudicis iram; effoſiones ipſa facit in cœleſtibus, vt inde ſibi trahat diuitias. Speluncas habet oratio in foraminibus petræ, cum intra Chriſti vulnerum cubilia compungitur, & gemit, vt caueat ſeueritatem iudicis. Sic mo
Iſai. 26. nebat Iſaias 26. *Vade populus, intra in cubilia tua; abſconde modicum, donec pertranſeat indignatio, ecce enim Dominus egreditur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem.* Dum viſitat iudex, fures in ſpelũcis latent; ſic populus inſtruitur, vt orans cubilia teneat, & petræ foramina, ſi velit egrediẽtis iudicis cauere ſeueritatem. Et quid eſt ne ſemper latendum in petræ foraminibus? Abſit: immò poſt latibulum ſpelucarum; domorum macerias effodiendas proponit ars furandi: ſicque gementi columbæ, hoc eſt, orationi poſt petræ foramina, maceriarũ cauernæ offeruntur, quas ipſa excauet, & effodiat ſibi, vt theſauros hauriat. Quo reſpexit
Eccleſ. 35. Eccleſiaſticus 35. aiens. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Quamuis ſe ſe abſcondat oratio, profundiſque ſpeluncis lateat, ea eſt eius ars, vt inde cœlos effodere valeat, hoc eſt cœleſtium pectora aperire, & ſibi patentia face-
D. Bernar. re. Do D. Bernardum huius loci explicatorem, ſerm. 62. in Cant. *Denique oratio iuſti penetrat cœlos. Non vtique quaſi gladius acutus ipſius firmamenti ſolidum, celſumque verticem perforabit. Sed ſunt cœli ſancti, qui enarrãt gloriam Dei, qui fauorabili pietate noſtris ſe votis inclinant, & ſinuatis ad tactum noſtræ deuotionis affectibus, in ſua nos recipiũt viſcera, quoties digna ad eos intentione pulſamus. Licebit vtique vnicuique noſtrum etiam hoc tempore noſtræ mortalitatis cauare ſibi quacumque parte volet cauernas ſuperna maceriæ.* Ea eſt igitur orationi ars furandi, qua dum ſe humiliat, in petræ foraminibus, in cubilibus ſuis compungitur in ſpeluncis latitat, dum iudicis rigor pertranſit, indeque exurgens perfodit cœleſtem Domum, viuentium terræ macerias excauat, nec inde exit vnquam vacua. Haud dubium quin orationis nos remittebat la-
Iſai. 2. trocinijs Iſaias, cap. 2. fatus. *Ingredere in petra, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & gloria maieſtatis eius.* Non ſolum ſpeluncarum habitationem, ſed & maceriarum effoſiones perſuadet, vtrumque enim habet orationis cubile, & latibula à facie iudicis, & artem qua viuentium terram, cœleſtium maceriam effodiat. Sed acute notat Bernard. ſupra, quod non iubeat Bernard. ire ad effodiendos cœlos, ſed ad iam effoſſos, ad ſemel effoſſam humum: habet enim hoc oratio de latrocinij ſpecie, quod effoſſos relinquat cœlos, & apertos. Dominus qui domum intrat apertis baluis, illas claudit poſt ſe; at latro, qui effoſſa intrat maceria; effoſſam illam, & patentem relinquit, vt toties quoties volucrit, manifeſtus ſit aditus. Sic oratio, & fodit cœlos, & illos ſemper apertos ſibi, & effoſſos habet. Matth. 25. intrant quinque virgines in Matth. 25. ſponſi domum, *& ſtatim clauſa eſt ianua*, & adytus occluſus manet venientibus poſt paulum. Verum Actor. 7. Stephanus ait: *Ecce* Actor. 7. *video cœlos apertos*, &c. Cur ibi clauſa ianua apparuit, hic prorſus aperti cœli manifeſtantur? Paulo ante latronis oratio cœlos penetrauerat, aiens: *Memento mei*, &c. & hæc eſt ars etiã pie furantium, quod apertas relinquant effoſſiones, quas faciunt. Præclarè D. Auguſt. ſer- Auguſt. mon. 95. de diuerſis, ait. *Poſt paſſionem Chriſti latro primus intrauit, poſteà Stephanus apertum vidit.* Nihil ſciuit latro claudere, ſed omnia aperta relinquit; ſic oratio.

§. XII.

Qui in perfectionis ſtatu deficiunt ſceleſtiora audent.

PROH dolor! Non medium tenent, qui in ſchola virtutum, ſe ſe vitioſis affectibus committunt, nulla mediocritate contenti ſunt. Modo orationis domus, ſtatim latronum ſpelunca, quæ quaſi à ſanctitatis ſummo neſciant, niſi ad vitiorum extrema ſe ſe porrigere. Quod innuit Origen. in cap. 2. Origen. Ioann, dicens: *Sola orationis domus neglecta, latrones etiam recipit.* Caueat, qui altum perfectionis ſtatũ tenet, nulla ibi negligẽtia ſit parua, ab orationis negligentia in latrocinia deuenies. A nullo enim grandiora ſcelera naſcuntur, quam ab eo, qui aliquando fuit virtutis ſtudioſus. Geneſ. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant: Gigantes autem erant ſuper terram.* Ecce tibi, & luxuriem filiorum Dei, & Gigantes ſimul commorantes; quaſi iam dudum peccatorũ monſtra immania à filijs Dei labẽtibus

Bachiar. naſcantur. Ita Bachiarius epiſt. de recipiendis lapſis, ait. *Mox vt concupierunt filij Dei filias hominum, nati ſunt in terra gigantes, vel quod enormis nimium, & vltra ſtaturam peccaminum reliquorum gigantis forma eſt.* Eu, quoties luget mundus, immò & luit hæc monſtra à pijs hominibus nata, vbi hi cæperunt in errores labi. Neſcit, qui perfectionis culmina tenet mediocriter errare, ſed vbi cadit, ſe ſe totum præcipitat in ſcelerum barathrũ. Dominus apud

Ierem. 7. Ierem. cap. 7. ait: *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* Batablus ex Hebræo. *Num ſpelunca nebulonum facinoroſorum domus hæc?* Sed quid eſt; quod qui à domo Dei decidit, latro, nebulo, ſcelus ipſum fiat, niſi & funditus totum ipſe ſe perdat, & in fla-

Chryſoſto. gitia iactet? Ideo argutius Chryſoſtom. hom. 13. in Marc. legit. *Nunquid ſpelunca Hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Et pulchrè qui à domo Dei deficiunt Hyænæ comparantur, vt quam ſe totus funditus perdant, appareat. Sic enim

Chryſoſto. Chryſoſtom. de hac beſtia fatur. *Hyæna hãc dicitur habere naturam, quia ſpinam vnicam habet, quæ flecti non poſſit. Denique ſi vertere ſe voluerit, tota conuertitur.* Quid ſimilius ei, qui in perfectionis culmine verſatur, qui ſe bruteſcere incipit, non parum flecti poteſt, ſed Hyæ

1. ad Cor. 3. næ inſtar, totus conuertitur, & totum ſe immergit peccatis. Paul. 1. ad Cor. 3. ſic monebat: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis: & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Nunquã enim Dei templis, hoc eſt viris diuinis accidere ſo-

Origen. let minor, quam extrema perditio. Origen. hom. 5. in Ioſue ait. *Vide quantum profeceris; ex homuntione terreno in templum Dei progreſſus es, ſine dubio, & qui caro, & ſanguis eras, profecisti, vt membrum Chriſti ſis. Sed ſicut magnus eſt iſte profectus, ita & diſceſſus terribilis, atque irremediabilis pene lapſus.* Neſcit parum defice-

Pſalm. 81. re, qui à tanto excidit culmine. Vndé Pſalm. 81. dicitur. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum; in medio autem eos diiudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem?* Non poſſum non mirari, quid cæli Deus terrenis dijs obijciat, nimirum: vſque quo iudicatis iniquitatem? Non obijcit certũ aliquod determinatum peccatum, nec dicit, quare ſic, vel ſic peccatis, ſed cum peccãtes videt, non dubitans, quod in ſummam malitiã deuenturi eſſent, iam ſummum illis malum obijcit, dũ dicit: Vſque quo iudicatis iniquitatem? quaſi dicat, video in vobis malitiam, quæ nullum habebit modum, quæ in ſummum vſque ſcelus inſurget. Sed ſcire cupis, vndé Deus ſic de Deorũ malitia teſtificatur, præcipue cum is ſit Deus, qui non facile credat malitiam in ſuis creaturis, quandoquidem

Geneſ. 18. Geneſ. 18. ait Dominus. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum multiplicatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, virum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* De Sodomitis quaſi dubitat Deus, an malitia eorum tanta ſit, quantam audit ipſe; & de dijs non dubitat, quod malitia in ſummum vſque ſcelus exurgat: quæ huius rei ratio? Sanè in Sodomitis homines carnales videbat, qui etſi vitijs ſe dabant, tamen modum in peccatis habere conſueuerunt. In dijs autem conſiderat præſtantiſsimos viros, religionis apices, v. g. Sacerdotes maximos Iudæorum, quos vbi in peccata delabi cernit, dum prophetas occidunt, notiſsimum eſt, quod nullum modum habebit eorum malitia, & quod vſque ad ſummum perueniet facinorum. Inde eleganter præſentia verba explanat D. Bruno, inquiens. *O principes Iudæorum, vſquequo iudicatis, id eſt, iudicabitis iniquitatem? Iudicantibus iniquitatem interfectione prophetarum: & vſque quo, id eſt, vſque ad quem modum iudicabitis iniquitatem? Iudicabitis adeò iniquitatem, vt eum, qui ſit clium Deus eſt, digñũ morte iudicetis.* Ea eſt deorum natura, ſi peccare incipiat, vt flecti neſciat, vt modum habere, & finem minime ſibi præſcribere ſciat, ſed ſemper deueniat in ſummum. Sic Iſraelitæ, religionis apices, vbi declinare incipiunt occiſione prophetarum, quaſi certum dederunt pignus, quod peruenturi erant ad ſummum ſcelus, nimirum ad mortem filij Dei ſummi. D. Bruno.

Ioann. 2. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?

§. XIII.

Nullo zeli prætextu caſtigare velis ſcelera eorum, qui ſub tua poteſtate minimè ſunt.

VNVM in tanto ſupplicio habebant Iudæi, quod Ieſu opponerent, nimirum, ſi nullam in eos habeat poteſtatem, de qua diligenter inquirunt, dicentes: Quod ſignũ oſtendis nobis, quia hæc facis? Exere poteſtatis teſtimonium; ſcelera noſcimus, & flagello digna nõ negamus, ſed demonſtra nobis, cur tũ ſit illa ſic caſtigare? Nullus enim zelus eſt, qui poſſit excuſare hominem, qui animaduertit in eos, quorum nullam habet poteſtatem: Sic cauet Deuteron. 7. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quã poſſeſſurus ingre-* Deuter. 7.

ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te: tradideritque eas Dominus Deus tibi: has eorum subuertite, & confringite statuas. Sanè prius videbatur à Deo dicendum, quod Moyses idôlolatriam terræ expungeret, lucos succenderet, euerteret aras, confringeret statuas. Cur non hoc prius Moysi imperatur? Abi Moyses, cum primum ingressus fueris terram hoc age, vt nullus superstit lucus idolorum, nullũ sacrum. Sed non loquitur sic, immò prius ait: Cum terram ingressus fueris, eamque expugnaueris, expugnatamque à Deo in possessionem receperis, tunc ad expulsionem idôlolatriæ conuertes animum, vt prius potestatem accipias, quam scelera velis castigare. Pulchrè
Aug. D. Augustin. serm. 6. de verbis Domini, ait. *Audistis, quia vobis legimus: Cum data, inquit, fuerit terra in potestatem. Prius ait in potestatem, & sic dixit, quæ facienda sunt. Aras eorum, inquit, destruetis, lucos eorum cõminuetis. Cum acceperitis potestatem, hoc facite: vbi nobis non data est potestas, nõ facimus, vbi data est non prætermittimus.* Prius de habẽdâ potestate cura, quam de corrigendis peccatis: vbi enim potestatem habẽs correctioni instas, facili negotio inter rebelliũ multitudines ages, alioquim quiuis homuntio in te audebit. Moyses ille, qui tanto populo leges dedit, qui Pharaoni Deus fuit datus, illũque tot plagis mulctauit; vbi ad duos Hebræos rixantes accessit, illosque corrigere audet, quantam accepit contradictionem? Sic ha
Exod. 2. bes, Exod. 2. *Quis te constituit iudicem super nos, num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, &c.* Qui non timet Pharaonem toties furentem, qui non timet multitudinem Israelitarum, quos gubernabat, à solo vno homine reprehensus discedit timens, & pauens. Hoc lucrãtur, qui nulla accepta potestate, alios corrigere audẽt. Sic Dio
Diodor. dorus in Cat. Græca fatur. *Moyses, qui prior inter duos rixantes reiectus iudex, & habitus indignus æqualibus conciliandis: nunc tot inter hominum millia, & inter Pharaonem non iudex quidem, sed Deus constituitur. Scriptura nobis tantum non vociferante non debere quemquam suæ doctrinæ, suæque prudentiæ confidere, priusquam iusta vis, & auctoritas accedat.* Nulla accepta potestate, nec fortissimus quisque prudentissimusque vnum homuntionem gubernabit, sub iugoque correctionis trahet. Verũ potestate acceptâ, vel formica leones subiuga-
2. Paral. 9. bit. Sic 2. Paralyp. cap. 9. de regio Salomonis solio dicit. *Fecit quoque rex solium eburneum grande: & vestiuit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium: & scabellum aureum, & brachiola duo alrinsecus, & duos leones stãtes iuxta brachiola.* Quis bene consultum putet, quod leones iuxta brachiola ponantur? Vbi leones ponis, non brachiola, sed brachia robustissima apponenda erant, quibus leones coerceantur. Sed nota, quod brachiola de solio regali procedebant, à quo & in quo potestatem, & auctoritatẽ mutuabant, & vbi auctoritas, potestasque præcedit, vel brachiolum leones subiugabit.

§. XIIII.

Vulnera à Deo inflicta fortitudinem, & tolerantiam ad sustinendum afferunt.

MIRABERIS quod verberati mercatores isti à Iesu nihil asperum loquantur, nullum impatientiæ aut iracundiæ faciant verbum, solum dicunt, quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Quid tolerantius dicere posset homo ab alio verberatus? Sanè in hoc perspicue cognoscitur flagelli manus. Vbi enim manus diuina perse vulnera infligit, simul imprimit tolerantiam, qua fortiter, & patienter flagella sustineantur. Ex cuius to
Iob 19. lerantiæ testatione aiebat Iob cap. 19. *Manus* Ambr. *Domini tetigit me:* quo cõuincit D. Ambr. summam diaboli stultitiam, & cæcitatem. Is enim vt certissimum euersionis Iobi instrumentum petebat à Deo, cap. 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Falleris ò pessime cum putas Iobum euerti posse diuina manu: non enim manus diuina scit euertere, sed sanare; non scit vulnera infligere, quin simul non in
Ambr. fligat tolerantiam, & sanitatem. Amb. Psalm. 36. ait: *Diabolus suo sermone deceptus est. Misit enim Deus manum suam, & confirmatus est Iob. Cæpit benedicere, qui maledicere credebatur. Sanat enim iustos cum tangit manus diuina.* Hoc est notissimum vulneris à Deo inflicti signum, quod fortiter & toleranter sustineatur. Vbi multiplicari vulnera vides, & etiam multiplicari in homine tolerantiam, agnosce vulneratoris manum, agnosce Deum vulnerantem. Id quod Gen. 32. expressum habes in Ia-
Genes. 32. cob; cum enim hic solus maneret. Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. *Qui cum videret, quod superare non posset, tetigit nervum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, dimitte me; iam enim ascendit aurora. Respondet: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Qualis hic luctator est, in cuius amplexu quò magis Iacob constringitur, eò fit valentior; & dum in fœmore percutitur, sic roboratur, vt nullis precibus, nulla vi cogatur dimittere eum, nisi prius benedictione accepta? Iam inde internoscitur clare Deus sub luctatoris specie, cuius

vulnerā robur imprimūt fidelibus ad gratias, & benefectiones obtinendas. Lyppom. in Cat. *Nunc Deus grauibus tentationibus, & multis exercet fidelem, corpore, & spiritu, quasique hostis ad casum velui propellere videtur, claudūq; nonnunquam, ac difficilem reddit ad pietatis opera, sinitque in multis offendere. Salua tamen semper fide, vincit aduersa, à Domino benedictionem assequitur.* Non sunt Dei vulnera, quæ maledictiones creent, sed quæ vulneratū roborent, vsque dū diuinam benedictionem possit obtinere. Vndè merito Dauid Dominum exorabat, Psalm. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* Ex eo quod super se diuinam manum sentiat vulnerātem, sagittantem, à furore, & ira Domini petit liberari. Quando enim manus diuina super aliquem venit, quem sinat furori, & iræ succumbere? Non ea est diuina manus, sed quæ percutiat, vt sanet, quæ vulnerat, vt saluum faciat.

Lyppom.

Psalm. 37.

Ioann. 2. Respondit Iesus, & dixit ei: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, &c.

§. XV.

Iudæi in Iesu solum suum vident exitium propter suam duritiam.

PVLCHRE notāt D. Cyril. signa Iesu Iudæis tentantibus exhibita nulla esse, nisi signa mortis, & passionis Dominicæ. Matth. 12. dicit. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ*, &c. In præsenti autem pro signo datur eisdem: *Soluite templum hoc*, &c. de solutione templi corporis sui locutus. Cur ergo Iudæis rebellibus sanguinea passionis signa exhibentur? An, quia illis à Iesu solum manet excidium? Sanè D. Bonauent. in 4. reddens rationem, cur Dominus viuens se se sub speciebus panis comedendum præbuerit; post mortem autem resurgens, plagarum fossuras integras reseruarit, ideo id factum putat, quia Dominus ante passionem fuit cum discipulis, vt socius, & ideo tunc reliquit signa amoris. Sed post resurrectionem fuit vt Dominus, & quasi extraneus: ideo reliqnit tunc magis signa timoris: vt suarum cicatricum ostensionem. Sic modo, qui fidelibus signa amoris passim præbebant, rebellibus Iudæis vnam præfert passionis suæ ostensionem; in qua nihil non sibi metuendum videant. Apud Ioan. cap. 3. significans passionem suam Dominus, ait: *Sicut Moyses exaltauit serpentē in eremo, sta exaltari oportet filium hominis.* Quibus verbis non solum significabat se moriturum, sed & modū mortis, quo in stipite figendus, & eleuandus instar serpentis eleuati coram Israelitas in eremo. Sed cur meminit serpentis eleuati in eremo? Quia Iudæis non ostenditur Iesus, nisi sub ea specie, quam horreant, & ex qua suum exitium augurentur. Chrysol. serm. 55. ait. *Iudæus in serpente videbat Christū, quia impius oculus Deum videre non potest; non potest videre pietatem.* Nihil pietatis, nihil misericordiæ nouerunt Iudæi in Iesu spectare; quidquid in illo vident, lethale est, damnosum est. Hinc etiam est, quo crucifixi latus, dum lancea militis perforatur, *continuo exiuit sanguis, & aqua*, vt testatur Ioan. 19. Sed cur sanguis, & aqua? Sanè dabantur ibi signa gentilibus, & Iudæis peccantibus: gentilis enim homo Pilatus Iesum morte damnauit, sed magis occiderunt Iudæi, damnantes: crucifige, crucifige. Vndè de arcario pectoris sui mittit Dominus vtrisque signa, sed in quibus Iudæi videant sanguinem, gentiles videant aquā. Illi nihil spectēt, quod non sit lethale, non sit maximè damnosum: hi spectabāt semper viuidum fluentum gratiarum, fontes saluatoris, quibus ablui possent. Ita D. Cyrill. Ierosolym. Catech. 13. ait. *Iesus aquam emisit de latere vna cum sanguine, fortassis propter duas cædes, alteram iudicantis, alteram clamantium; aut propter credentes, & non credentes. Pilatus enim dixit: Innocens sum, & aqua lauit manus suas: clamantes autem dicebant: Sanguis eius super nos. Erant igitur, hæc duo de latere, fortassis iudicanti Pilato aqua; clamantibus vero Iudæis sanguis. Iudæis quidem sanguis: Christianis vero aqua: illis quidem, tanquam insidiatoribus ex sanguine condemnatio; tibi vtro nunc credenti, per aquam salus.* Nunquam Iesus à Iudæis non videbatur cruentus, non videbatur lethalis. Quoties ad Iesum oculos conuertunt, nihil non mortiferum suspicantur, vndique vident in se eiaculatum sanguinē: semper in Iudæos intonat vox illa Matth. 12. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ*: nimirum signum dissolutionis, signum euersionis.

Cyrill.

Matth. 12.

Ioann. 3.

Chrysolo.

Cyr. Ieros.

Matth. 12.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

De ficu arefacta.

POST tot beneficiorum miracula, vnum venit modo Christi facinus, à quo non salus, sed indignatio in ficum nascitur. Aruit ficus ad vocem irati Domini, vt ostendatur de eius mu nere esse, quod vniuersi peccatores non subito arescant, & penitus dissoluantur.

Matth. 21. Mane autem reuertens in ciuitatem esurijt. Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.

§. I.

Sic Deus nostram operatur salutem, vt videatur indigere hominibus.

ACCESVRVS Iesum ad ficum, in illaque quasi in typo operaturus aliquid, quod ad hominum salutem conduceret, famē in se diuina excitauit virtute. Prius enim se esurientem ostendit, & sic conuenit ficū. Sed cur nisi esuriens accedere ad illam noluit, nisi vt ostenderet Dominus, quod in hominum salute, quasi propriè indigentiæ subueniret, & sibi maximè cōsuleret. Apud Lucam cap. 11. ait etiam Dominus. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte: & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille de intus respondeat, noli mihi molestus esse, quoniam iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi? Dico vobis: si non dabit illi surgens, quia amicus eius est, propter improbitatem eius surget, &c.* Ecce tibi hac parabola adū bratur id, quod intercedere potest inter Deū, & homines, vt alter petat, alter concedat, hominique succurrat petenti. Homo cogitur ad petendum aduentu hospitis, & panis indigentia. Sed cum homo sic indigus ad ostia diuina pulsaturus accedit: cūr media effingitur nox, & cur etiam effingitur Deus sub noctis silentio intra cubiculum suum, cū pueris suis clausus, & quietus? Planè non solum amat Deus subuenire hominibus, sed sic illis accurrere mauult, vt videatur ex propria indigentia, & quasi sibi consulens, id feciſſe. D. Chrysolog. *Chrysol.* serm. 39. ait: *Indicit in hac humanitate geminā necessitatis speciem petentis, & dormientis, vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: vt pote qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: vt ei magis dormire liceat sic petenti.* Sic amat Deus hominibus prodesse, vt velit videri, quasi suæ indigentiæ causam agere potius, quam alterius, cui bona largitur. Nō ne dormientis lucrū est, quod cito satisfaciat pulsanti? Ideo Dominus dicitur media nocte inquietari clamoribus pulsantis ad ianuam, vt respondens citius videatur, sibi consulere, nō pulsantis saluti.

§. II.

Vt precox virtutis fructus semper tempestiuus est, sic serus fructus rarò non reiicitur, vt intempestiuus.

MANE esurit Dominus, & ante tempùs fici fructus requirit: qui enim homo prę uenit in maturitate, & cum vix per tempus licet, iam virtutis præsefert fructus, is profecto attigit punctum diuini gustus. Vide quam cito Deus à fidelium complexu recedat satur. Gen. 32. dicit: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora:* Nondum incaluerat dies, nūndum sudor meridianus apparuerat, & iam Deus certaminum satur discedere parat, & iam athletam suum in pace valere iubet. Vnde hęc tam cita victoria Iacobo nascitur, nisi ex eo, quod ipse præuenerit in maturitate, quod solem in arena præuenerit, quod seseDeo citissime præsentauerit? D. Cyril. Alex. in Cat. Græca fatur. *Cyr. Alex.* *Vides ne, luce scēte die, in pugillatu nō perseueraſſe? Haud enim luctatur cum illo Deus, qui lumine perfusus merito dicat: Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Omnia feliciter absoluit, qui sic maturat virtutis fructus Deo pręsentare. Sanè qui sic matutinus Deo astat, qui sic maturat virtutis suæ fructus Deo offerre, tempestiuus est, & tempestiuitate sua intendit prospere, procedit, & regnat. Qui autem serus est, nihil affert Deo nisi fastidia, nisi quod repulsam generet, & luctas. Mane esurit Deus, quidquid tunc appoſueris boni fructus, tempestiue apponis esurienti: sed cum iam sero est factum, non esurienti, sed fatuto apponis, quod fasti-

diat. Nota est historia duorũ fratrũ Esau, & Ia-
Genes. 27. cob, Gen. 27. vterque cibis patris benedictionẽ sibi acquirere studet, sed Iacob diligentia matris adiutus, festinus, & alacer matutinos infert patri esurienti cibos: accipit lætus pater, & mille gratias, mille benedictiones refert refi cienti cibo. Quid tunc Esau? Nõne parat etiam cibos parẽti optimo? Parat, sed in parãdo cibos tardat, venationi dans operã, & seri cibi cũ
Chrysosto. iã saturo obueniant, nihil citius causant, quam fastidia, quam repulsam. Acute D. Chrysost. hom. de Iacob, & Esau fatur. *Denique Esau pergit venatum, vt imperata perficeret, moratur, & tardat. Quærit inuenire, quod pater fastidiat, desiderat capere, quod genitor iam saginatus exhoreat.* Felix, qui festinat, qui nouit solem præuenire; fallar, si is aliquando Deum non esurientem inueniat, si non adsit semper tempestiuus. Ille infelix, qui tardat fructus offerre
Luc. 11. suos, is saturato Deo accedet, & non tam cibos portabit, quam fastidia; nec reportabit benedictionem, sed repulsam. Luc. 11. talem texit Dominus parabolam: *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me, &c.* Notanter ponitur, quod vadat media nocte ad amicum; media, inquam, nocte, quando fortis mulier Prouerb. 30. surgit, vt det cibaria ancillis suis, quã
Chrysolo. do diligentia hominis magis elucet, quæ sciat præuenire solem, & esurientium fami occurrere primæ. Vndè Chrysolog. sermon. 39. inquit. *Hoc tempus est, quod deuotum, & iuge pernoctantis ostendit iudicium: quod antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri. Merito sic pulsanti taliter, quotquot necessarios habuit, Euangelicus iste fœnerator largitus est panes: quid faciunt, qui se non in cubili, sed ipso collocant in sepulchro? Qui se nõ somno, sed morti tradunt? Quos gallus non commonet, lucifer non suscitat, sol ipse non reuocat, & producit ad lucem? Isti, & tempus supplicandi, & hospitis mercedem, & ipsa diei opera perdiderunt.* Hæc facit lucra, qui anticipat opera, qui de fortis fœminæ diligentia didicit ante lucẽ parare cibaria non ancillis, sed Christo. Et sic omnia perdit, qui adeò serus est, vt nunquam sciat ad Deum vigilare de luce.

§. III.

Christi gratia sic solet festinare ad nos, vt nullum sit tempus, in quo non possit spectari eius fructus.

ET manè & vt Marcus notat, cùm non esset tempus ficorum, Dominus ficum requirit, & fructus exigit, nec mirandum est, quod ante tempus fructus à Deo exigantur, cuius gratia omnia nouit tẽpora anteuertere, vt fœcundet mentes humanas ad operãdum. Pro cuius commentario Do Chrysol. ser. 59. Chrysolo. taliter fantem. *Solicitaret me acerbi partus subita, & confusa tempestas, & immatura germinum me pullulamenta turbarent, nisi crebro, disruptis temporum moris, & rudi latrocinio, & fractis viscerum claustris repentina viuendi lucra quærerent, & raperent nascituri: Hinc est, quod homo sæpe mensis decimi despiciens terminum, septimo mense angustas primæ domus, & arctas vteri abiecit, & deserit mansiones, vt præliator nouus ante se tempus euicisse gaudeat, quam dependat ipse suam temporibus seruitutem. Et si hoc humana luceat naturæ, naturæ cœlesti quod obsistere poterit, & diuinæ? Aut quomodo gratia superna nõ efficit, quod fragilitas obtinet, & implet humana?* Et quidem non est, cur gratia morosior sit in operando, & magis pigra, quam natura, sed vt à natura spectari solent adeò præcoces fructus, vt omnia præueniant tempora, & despectis terminis, cum nondum per tempus liceat, festinent nasci; sic gratia faciat præueniri tempora in maturitate. Cur non exigas à gratia, quod vides à natura datum? Dat naturã eos, qui despiciant terminos nascendi, qui ante gaudeant se euicisse tempora, quam dependant suam temporibus seruitutem. Det similiter gratia, qui sine tempore renascantur in perfectam ætatem plenitudinis Christi. De se Paulus dicebat 1. ad Corinth. 15. *Nouissime* 1. ad Cor. 15 *autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi.* Quid est tanquam abortiuo? An, quia renascendi tempora compendiauit, & terminos fastidiens vteri, quam nõ licebat per tempus, plenitudinis Christi obtinuit ætatem? Pulchrè Chrysolog supra ait: *Cum subito in* Chrysol. *via nascereturi: merito se abortiuum nuncupat, & miratur se fuisse natum, qui nouit se nulla conceptus tempora pertulisse. Nam cũ adhuc hostis ipse cæderet extrinsecus sancta matris vterum, & in ipso ortu pignora veneranda collideret, repente sanctum mutatur in germen, qui ipsius germinis fuerat acerrimus persecutor.* Minimè eget tempore gratiæ parturitio de gratiæ virtute, merito ante tempus possunt fructus, & vsuræ postulari. Nostra desidia est, quod tẽpora longa præscribamus gratiæ in nobis operanti, quæ quidem potens est sine tempore fructus dare longissimæ ætatis, & in immaturis annis maturissimos virtutum fructus mõstrare. Quod tempus minus aptum virtutum fructibus, quam tempus pueritiæ, quam tempus infantiæ? Matth. 14. de his qui Iesum se- Matth. 14. cuti fuerant vsque ad desertum, ait: *Manducãtium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.* Ecce tibi, & par-

& paruuli præueniunt etiam ad Christum in maturitate, & quibus per tempus vix aliud licebat, quàm suggere vbera matrum, in deser-
Ambr. to post Iesum abeunt. Vndè D. Ambr. lib. 3. de virginit. ait. *Et quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum? Sicut legimus, quia saturata sunt de quinque panibus, quinque hominum millia; exceptis, inquit, pueris. Nolite ergo à Christo arcere infantes, quia & ipsi pro Christo nomine subiere martyrium, talium est regnum cœlorum.* Nulla infantia, nulla ætas in tempestiua est fructibus gratiæ. Hinc illi Niniuitæ, vt imminens excidium à se arcerent, hoc etiam prudentissimè cauent, ne vlla infantia sine fructibus pœnitentiæ inueniatur. Sic
Ion. 3. enim habes Ionæ cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Nullus sterilis in eis; nec etiam minimus, cui vix per tempus habere licebat, fru-
Basil. Sele. ctu caret. D. Basil. Sel. orat. 12. ait. *Vide pœnitentium terminos à maiori vsque ad minorem. Omnem ætatem terror incursat, omnes pœnitentiæ iugum subeunt.* O quam felix arbor, quæ & tempestiue, & intempestiue fructum habet, quam hæc longè erit à maledictione.

§. IIII.

Maria Virgo, benedicta arbor, ab ipso conceptu suo fructum attulit.

CVM video ficum Dei maledictionibus exsiccari, eo quod, etiam cum non esset tempus ficorum, fructus non dedit esurienti Domino; non possum non meminisse arboris Marianæ, cuius benedictio hoc effecit, vt ante tempus omne iam à conceptu fructibus exornaretur gratiæ. Illi dicebat Angelus. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Qualis hæc benedictio, an quæ afficiat, & impleat iam nuptam puellam, & Deo grauidam? Equidem si ex opposita fici maledictione argumẽtari licet, vt hæc maledictioni obnoxia fuit, quia fructum non habuit, cũ per tempus non posset habere: sic Mariæ benedictio ostẽdit, quod hæc diuina puella, nũquam gratiæ fructu caruit, sed illum exhibuit Deo à conceptus sui momento, quando nulla hominis anima fructum habet. Equidem benedictio fructus diuini prius Mariam suscepit, quàm sinus matris includeret. Apud 4.
4. Reg. 2. Reg. 2. cũ post Eliæ raptũ Elisæus moraretur Ierico: *Dixerunt viri ciuitatis ad Elisæũ: Ecce ciuitatis huius habitatio optima est, sicut tu ipse Domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illud sal, & ait: Hæc dicit Dominus: sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ.* Nonne vides optimam habitationem ciuitatis probari? Nonne vides optimam habitationem ciuitatis aquarum sterilium venis infici? Sed Elisæi benedictio immisso sale non solum aquas stagnatas in fonte sanat; verum ipsas aquarum venas sic componit, vt humor ille primus in prima scaturigine decidiuus, prius inueniat salutem, quam fontis sinum. Id quod eleganter attingit D. Ambr. ser. 2. de D. Ambr.
Elisæo, inquiens. *Non enim sola tantum fluenta benedixit Elisæus, quæ fontium iam gremio tenebantur, sed & illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta paulatim erant in posterum defluxura. Vnde ait scriptura, ad exitus aquarum benedixisse Elisæum, vt stillantem aquam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret.* Sic, ne optima ciuitatis habitatio inficeretur, valuit Elisæi benedictio præuenire fluxuras aquas, vt stillantem guttulam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret, & benedictio diuinissimi fructus Mariæ data non prospiceret habitationi suæ, ne illam vlla infectionis scaturigo posset maculare? Quin immò, eo ipso quod in nobis voluit Deus habitare, nihil citius curauit, quam benedicere generationi matris, ea benedictione, qua stillatã, siue conceptam Mariam prius sanctificatio susciperet, quam sinus matris includeret. Vndè venit, quod Marianus in mundo ingressus magnam faceret admirationem dicenti,
Cant. 7. Cant. 7. *Quam pulchri gressus tui in calceamentis filia principis.* Merito miratur ibi pulchritudinem esse in Maria, vbi omnes homines habent fœditatem, nimirum, in primo conceptionis gressu. Ioann. 13. ad Petrum dicit Iesus. Ioann. 13.
Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. Nullus, quamuis iustus, quamuis sanctus, qui ab Adamo naturalem originem traxit, adeò mundus est, quod à primo ingressu pedes fœdatos non habeat. D. Ambros. lib. de his qui
D. Ambr. mysterijs initiantur, cap. 6. ait. *Mundus erat Petrus, sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quãdo eum supplantauit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta eius ablnitur, vt hereditaria peccata tollantur.* Nullius pes non nigrescit in primo vitæ ingressu, sola Maria hanc ex fructu ventris sui benedictionem habuit, vt etiam in luteo illo ingressu pedes habeat originariam pulchritudinem halantes.

§. V.

Perit, qui dimidiat solum obligationes, & non illas implet omnino.

ECCE totâ ruina ficulneæ vnde ortum habuit, quod inuenta est habens folia tantum. Et folia, & fructus habêt bonæ arbores, hæc dum dimidiat virtutem, non potuit non in perditionem labi. Vafer ille iniquitatis vilicus ad hominem, qui debebat Domino suo centum cados olei, fatur Luc. 16. *Sede cito, & scribe quinquaginta.* Cur potius illi non tollit omne debitum, sed mauult per mittere dimidiatum? Pulchrè respondit Chrysolog. serm. 126. aiens. *vt totam fidem perderet, dum mediat captionem.* Et qui nihil reddit, & qui mediat debitum similem damnationem habent; non potes non perdere totum, qui Deo reddis debitum dimidiatum. Audio à Deo datam esse Moysi legem scriptam in duabus tabulis, in altera quod pertinebat ad cultum Dei exaratum erat, in altera quod pertinebat ad proximorum vtilitatem, & commoditates. Sed vix acceperat Moyses tabulas, & antequam à monte descendat, confringuntur inter eius manus. Sic enim habes Exodi. 32. *Proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Cur non magis permanent legis tabulæ? Cur tam facile confringuntur, & perditum abeunt? Sanè neutra illarum integram in se legem habebat, sed vtraque dimidiatam, inde facili negocio potuerunt confractionem pati. Ita insinuat D. Hilar. Canon. 27. in Matth. fatus. *Moyses decem verba duabus tabulis conscripta acceperat. Necesse enim erat, omnia ea in vtraque conscribi.* Tunc tabulæ illæ firmiores essent, si vtraque illarum omnia verba legis in se scripta, & obseruata haberet, sed cum vtraque dimidiatâ habuit legem, facile potuit perdi dimidium. Totum perdere metuat, qui obligationem ad Deum dimidiat. Ille securissimus agit, qui integram legum diuinarum adimplet disciplinam. Id quod Mariæ Virgini attribuit D. Ildephonsus serm. de Assumptione, inquiens. *Rectè arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, supra quam sane propitiatorij, & Cherubim hinc inde obumbrantia figurãtur, quia Mariæ nullum extrinsecus obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia legis, & mãna fuit, &c.* Ecce tibi tota Mariæ firmitas, & benedictionum stabilitas vndè fulciatur, nimirum, quia in illa omnis custodia legis fuit, & inde fragilis caro de integra custodia legis suffulta longè superat firmitate mármores, dũ hi legis custodiam solum dimidiatam habẽt. Similiter Dauid 2. Reg. cap. 7. æternitatem, & firmitatem regnorum ab integra legis naturalis custodia putat nasci. Ait enim: *Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loqueris etiam de domo serui tui in longinquũ. Ista est enim lex Adam Domine Deus.* Nimirũ, perpetuitas, & stabilitas sedis, est summum ad quod se extendit tota simul iuncta vis legis, & naturalis dictaminis. Quasi inde Dauid extollat misericordiam diuinam secum peractam, quod accipiat à Deo durationem regni, cum hæc stabilitas sit proprius effectus integræ legis obseruantiæ. Ideo curarunt maximè viri sancti, sic omnia suæ vocationis implere officia, vt nec in minimis obseruantiæ apicibus deficerent. Magnus ille Isaac & libens, & gaudens paternum expectabat gladium, nihilominus patitur fortibus illigari funibus, ne ictum refugiat. Cur ligaris, ô bone, an times in te aliquam inuoluntariam fugam? Absit; ideo ligatur Isaac, ne quid minus habeat, quã cæteræ victimæ. D. Zeno, serm. 2. *Ne quid minus ab hostia videretur, ligatura pedem distrinxit.* Periculum putabant sancti, si quid minus egissent ab eis, ad quæ vocabantur ipsi.

Chrysolo.

Exod. 32.

D. Hilar.

D. Ildeph.

2. Reg. 7.

D. Zen.

Text. Et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit?

§. VI.

Creaturarum ruinæ à Deo factæ efficacissimæ sunt, vt hominum corda conuertantur.

QVIS videat Dei flagellum ad insensibiles creaturas peruenisse, & non paueat? Arbor infructifera maledictionis flagello vapulat, & homo audet sterilis perdurare? Fallar si non efficacissimũ sit ad homines conuertendos, quod videant insensibiles creaturas flagellari. Ideo Ioann. Baptist. apud Lucam cap. 3. ait. *Securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor non faciens fructũ eradicabitur.* Quid ais Ioannes, tibi cum hominibus res erat, non cum arboribus; cur relictis hominibus arborũ proponis excidia? Sanè arborum proponit excidia, vt efficacissima ad hominum mentes immutandas. Quis non arbor, aut truncus vellet sterilis perseuerare, nollet bonos fructus dare, cum ob oculos habeat arbores Dei flagello percussas ob sterilitatem? Merito Ioãnes excidia arborũ hominibus proponit, quæ hominum mores potentes sunt immutare. De quo Chry-

Luc. 3.

Chryſolo. Chryſolog. ſatur, ſerm. 137. *Exemplo arborum corripit, comparatione notat, figura prodit, vt iam non mores ſolum, ſed ipſam naturam poſſit venenoſi germinis immutare.* Et quidem potentiſſima ſunt creaturarum inſenſibilium excidia ad immutandos, & cõuertendos hominum animos. Homo ille Dei, qui iuſſus fuit apud Iſraelis regem prophetare, 3. Reg. cap. 13. relicto rege, verba facit ad lapides altaris, & Dei iram hominibus imminentem effundit ſupra altare. *Altareque exciſſum eſt.* Cur ad altare prius, & non ad hominem verba facis? Si vis, vt Regis corda ſcindãtur, cur potius iubes ſcindi lapidem? Efficaciſsimũ ſanè mediũ proponit, vt hominem confringat ad pietatem, ſi vel lapides Dei ira confractos ob oculos proponat, non enim homo erit, immò nec lapis, ſed neſcio quid vincens omnium duritiem creaturarum, qui tali aſpectu non confringatur. Vn-

3. Reg. 13.

Chryſoſto. dè grauiter D. Chryſoſt. hom. de ſancto Herone, id exaggerat ſatus. *Vides vt omniſſo eo, qui ratione præditus eſt, id quod erat rationis expers ſit propheta allocutus, vt per iſtius obedientiam, illius ſtuporem malitiãque corrigeret? Fractum eſt altare, & regis malitia fracta non eſt.* Magnam ſemper vim habent creaturarũ inſenſibilium ruinæ, vt homines cauere faciant; quare mos eſt Dei diligentis homines prius flagellum ad creaturas inſenſibiles mittere, vt homines conuertantur, niſi hi ſint omni duriores lapide, omni inſenſibili minus ſenſati. Quis patiatur ſe eſſe in peccatis, cum videat propter illa cautes ſcindi, montes liquefieri, & terram ipſam mille maledictionibus vapulare? Iſaias cap. 24. *Et terra inſecta eſt ab habitatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, &c.* Expende inſummis hominum facinoribus, flagellũ quem percutiat, nimirum terram: peccant homines, bruteſcunt, lapidaſcunt ſceleribus, & nõ in hominibus, ſed in terra eſt vindex maledictio. Et quid inde naſcitur vtilitatis? Iã dicit vates continuo. *Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt.* O efficax hominum medela! Feritur terra Dei maledictione, & homines etiam terreniſsimi, nocentiſsimi clamant ad Deum in voce confeſsionis, in ſono epulantis.

Isa. 24.

LIBER DVODECIMVS.

DE PRÆDICTIONIBVS IESV ADIMPLETIS.

NON æquum duxi à Ieſu facinoribus ſeparare prædictiones, quas ipſe de varijs rerum euentibus edidit: vt quæ ſupra omnia miracula virtutem Ieſu oſtendant diuiniſsimã. Aiebat Petrus, 2. ep. 1. de Ieſu: *Accipiens autem à Deo patre honorem, & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum eo in monte ſancto. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, &c.* Quis iam non miretur, firmiorem propheticum dici ſermonem voce delapſa è cœlo? Sanè pro Ieſu diuinitate certiſsimum teſtimonium præbebat vox de cœlo delapſa, & nihilominus, firmior dicitur propheticus ſermo. Vndè D. Auguſt.

ſerm.

ſerm. 27. de verbis Petri, ait. *Quis non miretur delata voce de cœlo certiorem ſermonem propheticum ab Apoſtolo dictum eſſe? Certiorem dixit: non meliorem, non veriorem; nam verus ille ſermo de cœlo, quam propheticus, tam bonus, tam vtilis. Cur ergo certiorem dixit? Certè, quod eò magis confirmetur auditor. Dicerent enim infideles vocem illam delatam de cœlo magicis cantionibus elici potuiſſe. Sed prophetæ ante Chriſti carnem fuerunt, hoc non poteſt tribui magicis carminibus.* Habes ex Auguſt. quāta ſit prophetiæ auctoritas, quam ſuperet omnem aliorum mirabilium virtutem, vt fidem ab humanis mentibus eliciat. Sint ergo modo Chriſtianæ prophetiæ pro coronide tantorum à Ieſu effectorum facinorum.

CAPVT PRIMVM.

De ſtatere inueniendo in ore piſcis.

QVò ſe non prorripiet exactorum impudentia, quando vel à diuiniſsimo Ieſu exigere audet tributum? Sanè ſummi regis filius omni erat ſeruitio liber; tamen, vt occaſiones ſcandali imperfectis auferat, tributum ſtateris ſoluit: ſed illum ſtaterem, quem piſcanti Petro os piſcis euomat. Quippe ſic ſoluit tributum Ieſus, vt ſimul oſtendat ſe prorſus ab omni eſſe immunem tributo. Cui ſoluat tributum homo ille cœleſtis, cui ineſt tam clara patris imago, qua præſit piſcibus maris, & ab eis ſtateris ſeruitium exigat? Cui ſoluat tributum ille, cuius præſcientiæ oculis patent vniuerſa, nec ſtater in ore piſciculi poteſt illos latere? Pulchrè D. Hieronym. *Quid primum mirer in hoc loco, neſcio: vtrum præſcientiam, an magnitudinem Saluatoris. Præſcientiam, quod primus ipſe capiendus eſſet. Magnitudinem, atque virtutem, ſi ad verbum eius ſtatim ſtater in ore piſcis creatus eſt, & quod futurum erat, ipſe loquendo fecerat.* Potuit, qui in conchilium ore margaritas gignit, & ſtaterem in ore piſcis ponere. Sed ad quid hæc tam occulta poſitio? Quare in hoc facto, non tam virtutem Ieſu, quam præſcientiam mirarer ſolam.

D. Hieron.

Matth. 17. Et cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait: Etiam.

§. I.

Tributa exigenda ſunt, quanta fieri poterit benignitate, & humanitate.

NON poſſum illaudatam relinquere in præſenti, & humanitatem, & comitatem horum, qui regium exigebant didrachma. Nō enim rigidis, & ſeueris vocibus Ieſum conueniunt, & vt ſoluat, expoſtulant, ſed comiter, & humanè ad Petrum accedunt, ab illoque non exigunt, ſed interrogant: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* Hanc diſcant humanitatem, & comitatem tributorum exactores, qua nō vexent pauperes homines, ſed demulceant, & ſine nouis iniurijs tributorum collationem faciant. De qua re eleganter diſſerebat Nazianzenus, orat. in Iulianum exactorem, ſatus. *Satis, ſuperque graue eſt liberis hominibus ſeruitute premi; tantumque inter eos, qui eâdem maſſa coagmentati ſunt, intereſſe, vt alij imperio teneantur, alij tributa conſtituant, alij tributi cauſa deſcribantur: alij iniuriam inferre impune poſſint: alij, nequid patiantur, precibus contendant: eaque circa vnā, & eandem imaginem, circa vnā, eandemque dignitatis præſtantiam contingere, circa eiuſdem vitæ hæredes, & pro quibus Chriſtus æque mortuus eſt. Satis, inquam, hæc liberis hominibus moleſta ſunt: ne quid huic ingo grauitatis addatur, ne quid pœnæ illi, qua primū noſtrum peccatum mulctatum eſt, acerbitatis accedat.* Ingens eſt liberorum hominum pœna tributum; & quod qui æquè ad imperium naſcebantur, & vt præſint piſcibus maris, ſub tributo fiant, quod ſibi æqualibus ſoluant. Quis ergo pœnā adeò acerbā à fratre ſuo exigat, ſine miſericordia, ſine humanitatis, & conditatis ſpecie?

Nazianz.

Nazianz. specie? Nazianzeno similiter accinit eius scoliastes, dum ait. *Tributa satis per se grauia, ne per auaritiã nostram grauiora redamus: nec maioris pœnã ob infractũ Dei præceptum nobis constitutam augeamus, vitam scilicet hominis, qui nobis genere, & natura sociati sunt insatiabili nostra cupiditate calamitosam reddentes.* Sanè vehementer hominum calamitates augent, qui duri sunt, & inhumani tributorum collectores. Quandoquidem sufficit diei malitia sua, tributorum calamitas non augenda est duritie exactorum, immò sic se debet exactor tẽperare, eam debet ostendere humanitatem, comitatem, qua allecti subditi ad tributa soluẽda veniant, non quasi ad pœnam, sed quasi ad Rei pub. asylum. Accipite nobilem illum tributorum exactorem, immò impositorem Iosephum apud Ægyptios loquentem Gen. 47. Genes. 47. *Dixit ergo Ioseph ad populos: En, vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & cibum familijs, & liberis vestris. Quiresponderunt: Salus nostra in manu tua est, &c.* Expende, quæso, viri ingenium, & indolem, sic imponit tributum, vt videatur inferre salutem: sic quintam partem bonorum expostulat Pharaoni, vt subditi non tàm putent tributa dare, quam salutem Ambros. accipere. De illo eleganter D. Amb. lib. 2. offic. c. 16. *Iura terrarum regi acquisiuit: non vt omnes exueret suo, sed fulciret, publicum tributũ constituret, quo sua tutius habere possent, quod ita fuit gratum omnibus, quibus terras ademerat, vt non venditionem sui iuris, sed redemptionem salutis putarent. Denique dixerunt: Saluasti nos, inuenimus gratiam in conspectu Domini nostri.* Quando tributorum inuentori gratiæ referuntur à ciuibus? Quando tributorum exactores non prosequuntur populi maledicta? Et Ioseph ex tributis impositis populares acclamationes acquirit; felix homo exactor, qui sic humanè, & comiter colligit tributa, vt non videatur auferre bona ciuibus, sed inferre salutes, pro illisque gratias sibi acquirat.

§. II.

Ecclesiæ bona, vt possint seruire regijs necessitatibus.

FORSAN Petrus nũnquàm viderat, quòd Iesus soluisset didrachma, & nihilominus interrogatus, an soluat Iesus, in dubitanter annuit. Sed cur indubitanter annuit? Sanè vbi regiæ necessitates ad Petrum, eiusvè successores deferuntur, ab illisque frustrantur, & veræ inueniuntur, non est cur dubitet etiam Christi bona temporalibus regni præsidijs adiudicare. Nunquam non laudatum fuit illud regis Ezechiæ facinus, de quo. 4. Reg. 18. 4. Reg. 18. ait. *Dedit quoque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regijs. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assiriorum.* Sanè tempus est, quando religiosissimi reges templa aureis muneribus exornent; argento, gemmisque impleant: & etiam tempus esse potest, quo non minori religione templorum repetant diuitias, quando videlicet regij thesauri non sufficiunt, vt religionis, & pietatis hostibus obsistant. Id Theodoretus Theo. docet in præsenti quæst. 22. Ezechiæ sanctissimi facinus enucleans. *Quando non sufficiebant thesauri regis, mos erat in huiusmodi necessitatibus sacros etiam thesauros consummere, & eos rursus replere ex hostibus. Necessitas autem effecit, vt etiam conflaret portas aneas, quas ipse construxerat, ne si bello superior fuisset Senacherib & templum, & vrbem incenderet.* Hæc fecit pijssimus, & religiosissimus Rex pro tuẽda vrbe, necessitate ductus, antequam esset Petrus, à quo inquireret, an de Dei bonis posset sperari tributum? Verùm postquam Petrus est, & eius successores, religiosi Principes, nil à domo Dei exigunt Petro inconsulto. Et sane impius ille Abimelech, qui regnum Israeliticum ausus est inuadere trucidatis septuaginta fratribus suis; Baalim sacratas pecunias non ausus est arripere, sed sponte, & liberaliter oblatas sibi accipit. Habes enim Iudic. 9. *Inclinauerunt cor eorum* Iudic. 9. *post Abimelech dicentes: Frater noster est. Dederuntque illi septuaginta pondera argenti, de phano Baal Berith.* Cum enim Sichimitæ sibi regem constituerent Abimelechum, vt prælia instauraret, regnumque tueretur, & defenderet: & non haberent ipsi pecunias, vt notat Abulensis, sacratas Baal extraxerunt, & regi obtulerunt. Nulla enim religio vetat, cum aliunde non suppetat, regibus templorum bona seruire; sed quæ non vi, & potestate exigantur, sed sponte, & liberaliter dentur ab eo, penes quem est talium rerum administratio, & potestas. De quo non est huius loci plura congerere.

Text. Et cum intrasset domũ prævenit eũ Iesus dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributũ vel censum? A filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.

§. III.

Iesus in omnibus filius habendus, & ab omnibus.

LEo, agnus, petra, ostium dicitur aliquãdo Iesus; cum enim vincit mundum leo est, cum fit vera propitiatio peccatorum non tunc leo, sed agnus; induit enim, vel exuit varias nominum formas, pro varietate muneris, quod exercet. Verùm filij respectum, quem semel ab æterna generatione accepit, nusquã exuit, nec etiam seruili forma accepta. Id quod notabat Concil. Francofordiense, aiẽs.

Concil. Fra. *In Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper Dominus. Ac per hoc, & post assumptum hominem veri filij vocabulum non amisit, qui nunquam verus desijt esse filius.* Semper, & vbique, & respectu cuiuscumque haberi debet filius; cætera omnia dissimulat aliquando; dissimulat leonem cum tanquam ouis ad occisionem ducitur: dissimulat oũem cum vincit leo de tribu Iuda: dissimulat regem cum formam serui accipit; sed filium nullo modo dissimulat, in omnibus, &

Matt. 16. ab omnibus vult haberi filius. Matth. 16. *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Cur non potius dicit: Quem me esse dicunt? Vel quem dicunt esse Iesum, vel magistrum vestrum, vel Christum Domini; sed maluit dicere, quem dicunt esse hominis filium? Equidem dum filium hominis se dicebat, & simul se ostendebat Dei filium; cuius proprium erat in omnibus, & ab omnibus dici, & haberi filium. Pulchrè D. Basil. Seleu. orat. 25. fatur:

Basil. Sel. *Rectè filium hominis; quandoquidem Deus erat filius, & cum patre creaturæ olim fabricator extiterat.* Quasi diceret sanctus vir, quod eo ipso, quod Iesus filius erat Dei, à summo patre genitus; nulla poterat esse creatura, nec dum humana, respectu cuius non deberet haberi vt filius, & filiorum ingenuitatem, libertatemque potiri. In quo immensam Dei bonitatem adstupeo, qui dissimulans, quod sit hominum, & factor, & Dominus, vnum nequit dissimulare respectum filij, vt dicat Richar. Victor. in Psalm. 28. *Felix homo est, cui præsto est cum voluerit habere filium, non qualẽcumque, sed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maiestatis!* Sed quis est, qui meminerit se talem habere filium? Noui carnales parentes multos esse innumerandis filijs suis, vt illorum incolumitati prospiciant; sed qui inter filios numeret Deum, vt vel hoc respectu Dei cultum procuret, vidi, aut rarum, aut nullum. Hinc pulchrè monebat sanct. Valerianus iam datus homil. 4. de promissis, & non redditis, inquiens. *Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Christum sibi natum, atque intra duos, aut tres, aut plures, ita opes suas diuidat, ne Christus noster ex hæredatus abscedat. Fac ergo locum Christo tuo inter filios tibi dilectos.* Nullus sit tam excors, qui Iesu neget vel locum filij, quando Iesu bonitas facit, quod inter filios nostros velit numerari.

Ricard.

Valeria.

Tex. Vt autem non scandalicemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem; illum sumens da eis pro me, & pro te.

§. IIII.

Aurum quam longè debet abesse ab Ecclesiasticorum corde. Vbi paupertatis valor expenditur.

TAm longè à sua schola Iesus aurum facit, vt nec staterem apud Petrum inueniri patiatur; sed si stater opus fuerit, eundum sit ad mare, vt ab ore piscis accipiatur. Longissimè abest aurum ab Apostolico cordè, immò & Apostolica manu. Vnde illud Petri *Act. 3.* dictum Actor. 3. *Aurum, & argentum non est mihi.* Quæ verba expendens Balduinus in allegorijs Tilmamni, ait. *Digna vox principatu Principis Apostolorum, Principis Ecclesiæ. Quid Petro, & auro? Non ne Petrus dixit: Nos reliquimus omnia. Quid ergo erit nobis? De mercede quærenti non aurũ repromittitur, vel argẽtum. Hæc enim contemnebat, quia in gloria egentium*

tium ſuperbiebat. Eqùidem Chriſtianorum Sacerdotum gloria nullum ſplendorem, nullam celſitudinem habet ab auro; tunc quaſi ad exceſſum extollitur vir Eccleſiaſticus, cum paupertatis glorias, decoraque amplexatur. Neſcio an ſit aliqua res populo perniciofior, quam ſi pauliſper moretur auri cultus apud Sacerdotem. Quæ maior calamitas Iſraelitico populo fuit, quàm illa, quæ ortum habuit â vituli adoratione? Huius autem cauſam ſic narrat Aaron, Exodi 33. *Quibus ego dixi: Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus.* Exod. 33. Accepit aurum Sacerdos à populo, nec inde oriretur damnum, ſi apud ſe aurum diu non retineret; retinuit tamen dum conflatorio tradit, dum ignem applicat, dum inſtat ignitæ auri maſſæ, eiuſque culturam capeſsit. Quid mirum, quod vbi ſic Sacerdos incubat conflatorio, extollit aurum, caput idololatriæ, & pernicies populo naſcatur? Acutè Galfridus in allegorijs Tylmamni hoc factum ponderans, tãdem ait: *Qua enim eſt ſubuerſio maxima populorum? Nonne auaritia Sacerdotum? Inde ſtudium hoc, & cura vehementius terrena colendi, & immoderatius incumbendi eiuſmodi lucris augendis, manifeſta operis executione profertur.* Galfrid. Non dubites, quin auri negotia apud Sacerdotes corrumpant Chriſtianos mores, perdant populos. Ideo Petrus non ad auri fodinas mittitur, non in conflatorijs iubetur adeſſe, vt ex auri maſſa nummum effigiet, hoc ſolum illi permittitur, vt ex ore piſcis ſtaterem factum extrahat, & ſtatim exactoribus tradat. Tunc enim Sacerdos immunis erit à culpa cum à ſe omni auri negotia ablegauerit; & tunc magis cum Chriſtianæ nuditatis gloriam fuerit amplexatus. Nemo ignorat Eliæ raptum, qui 4. Reg. 2. igneo curru raptus eſt, & à corrupta hominum vita ſeparatus: is cum rapiebatur, quod ſolum habebat pallium à ſe dimiſit, vt nudior iret. Sed cur pallium dimiſit, quandoquidem non ad cœleſtem beatitudinem ferebatur? Ideo dimiſit, vt nuditatis teſtaretur ſecuritatem, & impeccabilitatẽ, qua donabatur. Vndè D. Bernard. ſerm. in trãſitu Malachiæ ait. *Poſuit Elias pallium, non eſt, quod timeat: non eſt quod tangi, nec dum teneri ab adultera vereatur.* Bernard. Si vel filum habes tuum, non es ſecurus à peccatorum laqueis: ille, ille, qui perfectam colit paupertatem, qui perfectè nudus eſt, omnem amputat occaſionem peccati. Eccleſiaſtici 20. *Eſt qui vetatur peccare, præ inopia.* Eccleſ. 20. Circa quæ verba componens paupertatis bonum cum diuitiarum malo, ait ſanct. Sixtus lib. de diuitijs *Vide ergo, quid eligendum magis ſit, quod delinquere prohibet, aut quod nonnunquam peccare compellit?* Vbi aurum, ibi peccatum eſt: vbi paupertas moratur Chriſtiana, ibi innocentia moratur. Vndè Threnor. 1. in litera Zain. *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ.* Threnor. 1. Vt oculos diuinos ſolicitet, vnam ponit ob oculos paupertatem, quod ponderans D. Paſchaſ. ait. *Hanc igitur paupertatem, magni aliquid eſſe putat, & ideo quaſi per ſe agens, eius recordari rogat.* Paſchaſ. Quaſi paupertas Chriſtiana efficaciſsimum patrocinium pro nobis apud Deum habeat,

§. V.

Vniuerſæ creaturæ pro crumena ſunt Chriſti pauperibus.

AB ore piſcis iuſſus eſt Petrus extrahere ſtaterem; ſunt equidẽ vniuerſæ creaturæ Chriſti pauperibus pro crumena; quãdoquidẽ, & piſciũ ora nouerũt nummos ſuppeditare Petro. Matth. 5. dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matth. 5. Chriſti pauperes in cœlis regnant, nec ideo ſunt vacuati terrenis, immò ſicut omnia terrena, & mundialia cœlorum motibus famulantur, ſic vniuerſæ creaturæ ſeruitutem, & officiũ exhibent cœlorum moderatoribus, Chriſti pauperibus. Ad hæc D. Bernard. ſerm. 21. in Cant. ait. *Non æſtimes Chriſti pauperes ſola cœleſtia poſsidere, quia ea ſola audis in promiſsione: poſsident, & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes: non mendicantes, vt miſeri, ſed vt Domini poſsidentes. Denique fideli homini totus mundus diuitiarũ eſt. Totus plane: quia tam aduerſa quam proſpera ipſius æque ſeruiunt ei.* Bernard. Fideli pauperi totus mundus diuitiarum eſt; vniuerſæ creaturæ ſunt illi pro crumena, vel os piſciculi, ſi aperiatur, ſuppeditabit nummos pauperi fideli: Geneſ. 27. ait Iſaac filio ſuo: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Geneſ. 27. In quibus verbis ſuperuacaneum videbitur, quod poſt oblatos cœleſtes theſauros, adhuc terrenam pinguedinem, & abundantiam filio impetrare vellet. Cui cœleſtia ſubdis, cur etiam addis terrena? Micæ ſunt, & fames vniuerſæ terrenæ ſubſtantiæ, & cum cœleſtibus comparatæ non guſtum afferunt, ſed faſtidia parturiunt. Deſine ergo, ò bone optare terrena filio, quãdo illi impetras, & offers cœleſtia. Sed poſt cœleſtia dona dũ Iſaac filio proponat, & terrena, neceſsitatem cõſequentiæ oſtẽdit, nõ explicat

indigentiam. Enimuerò eo ipso, quod quis terrena despiciat, & cœlestibus incipiat imple ri, necessum est, vt habeat etiam terrena, & ab vniuersis mundi creaturis accipiat, quidquid velit. Quò spectans Tertul. lib. 3. in Marc. ait: *Primo ad cœlestia inuitamur, cum à sæculo auellimur, & ita postea inuenimur etiam terrena cõsecuturi.* Felix Christi pauper est, non solum in cœlesti professione, sed & in terrenis; cœlestium dominatur, & vniuersa illi fructus suos exhibent terrena. Vis homo pro sæculis, pro crumenis vniuersas creaturas habere? Christi assimilare pauperibus. Lucæ 11. ait Dominus: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Et statim subdens modum, quo regnum tale acquirendum sit, inquit: *Vendite, quæ possidetis.* Quasi vna sit via ad omnium rerum dominium acquirendum, quod nihil nostrum velimus habere. Ibi Chrysolog. serm. 22. finit. *Vendite, quæ possidetis: non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur.* Vnus ille, qui reliquit omnia, qui Christianam paupertatem amplectitur, omnium acquirit dominium, ab omnibus famulatum recipit, & vitæ suæ commoda ex vniuersis creaturis exigit.

Tertull. Luc. 11. Chrysol.

§. VI.

Inter subditos præstantiores socium, & æqualem se exhibeat Prælatus.

QVAM socium Petri exhibet se Dominus, vbi ait: *Da eis pro me, & pro te,* quasi æqualitatem secum haberet Petrus. Nec miror, quod Dominus sic se ostendat socium, & æqualem cum Petro, quando & Petrus Princeps erat inter Saluatoris discipulos, & nihil magis Prælatum deceat, quam inter præcipuos subditos se magis socium, quam prælatum præbere. 1. Reg. 8. dum Dauidis exercitus resencentur, sic dicitur: *Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethi, & Phelethi.* In quibus verbis Hebraice positis deficit illa præpositio, *super*, & solum dicitur: *Banaias autem filius Ioiadæ, & Cerethi, & Pheleti:* nam cum cerethi, & phelethi præstantissimi essent militũ, Banaias eorum dux, dissimulato potestatis insigni, tanquam eorum socius, & æqualis proponi debuit. Ita Caiet. ibi, ait: *Erant illi viri robusti, valdeque fideles Dauidi. Et propter eorum eminentiam, non dicitur, quod Banaias fuerit super eos, cum tamen esset caput eorum, sed dicitur Banaias, & Cerethi, vt tanquam socij supputentur.* Non decet, quod Prælatus velit extolli supra insignes virtute, & sapientia subditos, & inter illos exerat passim virgam potestatis. Tunc enim felicius, & sapientius prælaturam administrabit, quando dissimulata potestate, sapientum, insigniumque subditorum non caput, sed socius supputetur. De vniuersa cœlesti militia loquutus Genes. 1. Moyses, inquit. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas.* Ecce tibi, quot lumina quarto Dei enixu pariuntur: paritur regius Sol, diei princeps; paritur Luna, pariuntur stellæ simul. Sed in tantorum luminum partu, quod fuit primogenitum? Quod secundum? Quod tertium? Absit hoc à luminum nascentium politia: inter adeò clarissimas proles, etsi aliquæ regnum obtineant, nulla tamen est, quæ primatum exerat, quasi æquales, & vterini fratres omnes promuntur. Id quod notabat Diu. Athanas. serm. 3. contra Arrian. inquiens. *Omnia pariter cum omnibus ortum suum, originemque adepta sunt. Non enim vllum ex astris, aut magnis luminaribus ita apparuit, vt hoc prius, illud posterius in rerum naturam emergeret, sed omnia eodem die, eodemque tussu ad essentiam vocata sunt.* Indignum est, quod inter clarissimas progenies ostentetur ius primogenituræ; sed hoc sciant prælati, quod cum conspicuis virtute, clarissimisque subditis non primatum, sed societatem, sed æqualitatem in omnibus sunt ostensuri.

Petr. 1. Reg. 8. Caiet. Gen. 1. Athanas.

§. VII.

Peccator solus caueat sibi a ministris iustitiæ.

IVBETVR Petrus exactori satisfacere non solus, sed & pro se, & pro Iesu; nequis peccator audeat ministris iustitiæ accedere, nisi sociatus Iesu innocentia. 1. Reg. 17. superbissimus Philistæus sic Israelitas, & confundebat, & pronocabat: *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.* In quo inuisibilium hostium aduersus homines rabies manifestatur: quorum hæc est quotidie vox, hoc studium, vt vnumquemque nostrùm solum ad singulare prouocent certamen. Infelix, qui solus accedit, qui solus pro se stat sine innocentissimi Iesu calculo. Præclare ex his nos monet Galfridus in allegorijs Tilmamni, satus. *Nullus ex nobis animo sitate proterua ineat hoc certamen. Nõ est enim, qui ad hoc sufficiat. Nõ enim timet nos solos aduer-*

1. Reg. 17. Tital.m.

aduersarius noster : idcirco fidenter prouocat ad singulare certamen, sciens, quia væ soli, qui cum ceciderit nullum habeat subleuantem. Quapropter opus erat, vt veniret, & subueniret magnus ille Dauid, &c. Nunquam peccator solus inter seueræ iustitiæ milites incolumis aget; quotiescumq; peccator pro debito cupit facere, siue hostes repellendo, siue exactoribus satisfaciendo, caueat sibi, ne solus accedat, sed innocentissimi Iesu patrocinium quærat, quo liber euadet. Vbi innocens, & liber Iesus non adest, qualiter poterit seruus inter exactores, & ministros iustitiæ incolumis euadere? A-
Ione. 3. pud Ionam cap. 3. vbi viri Niniuitæ audierũt Prophetam clamantem, iustitiamque diuinã pœnas à peccatoribus exigentem, vehementer cõmoti, *prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* Nulli parcitur ætati, & grandæui, & paruuli infantes in pœnitentiæ satisfactionem vocantur. Cur immerentes infantes? Ploret peccator, & pro sceleribus suis diuinæ iustitiæ satisfaciat, verum puer, qui nihil peccauit, cur necessum est, vt ploret, vt etiam satisfaciat iustitiæ? Sanè non audent soli peccatores se se iratæ iustitiæ præsentare sine innocentium infantium lacrymis. Tunc putant iustitiam diuinam sic extendam fore; cum & peccatores simul, &
Ambros. innocentes pro debitis satisfaciant. Ibi D. Ambros. ait : *Non sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoq; peccata, parvulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret.* Nisi inter satisfactionem peccatoris, vox etiam innocentiæ audiretur, nunquam fieret iustitiæ diuinæ satis. Conueniant simul seruus, & liber; peccator, & innocens, Petrus, & Iesus, & debitorum solutio, & creditorũ satisfactio constabit. Ex quo lucem capit Septuag. lectio
Exod. 12. apud Exod. cap. 12. vbi de paschali victima agens textus ait : *Ab agnis, & hædis sumetis illud.* Sed qui fieri potest, vt vna eademq; victima ab agnis, & hædis sumatur? Et quidem hædus solus non posset Deum placare, nisi de agni innocentia; difficile verũm in vno possent, & agnus, & hædus conuenire. Ex quo
Gaud. putat D. Gaudent. ser. 4. id spiritualiter intelligendum esse in Christo Iesu, in quo inuenta est similitudo carnis peccati ad hædos spectantis, & simul sumpta innocentia, qualem agnus figurat. Nec aliter tenebrarũ regnum euerteretur, & fieret satis diuinæ iustitiæ, nisi ab hædis, & agnis, hoc est, à carne peccatorum simili, & Saluatoris nostri innocentia vna conflaretur pro omnibus victima. Iã hinc obstruatur eorũ os, qui volunt, quod vel hædus solus, vel agnus solus sufficiant ad Deum placandum. Crede mihi, quisquis hædus es, ne totum salutis negotium, aut tibi soli, aut agno soli cõmittas, sed ex hædo, & agno, ex peccatore, & Iesu debitorum solutionem confirma.

CAPVT SECVNDVM.

De Magdalena prædicanda.

CVM Christum apud Matth. 26. & Marc. 14. & Ioan. 12. pretiosis audis vnguentis delibutum; id opus reputa vnius dilectæ Mariæ Magdalenæ. Hæc refragrante Iuda, immò ob murmurantibus cæteris discipulis, libram nardi pretiosi fracto alabastro super Iesum effudit. Quis fur talem ferat effusionem? Opus probat Iesus, & tanti operis celebritatem in toto orbe prædicens, dilectam fœminam à rabida Iudæ maledicentia liberat.

Ioann. 12. Iesus ergo ante sex dies Paschæ, venit in Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi; & vnxit, &c.

§. I.

A Iesu venit, quod suum quisque opus virtutis peragat, aut mediocre, aut sublime.

ECCE Iesu intrante, totum Bethaniæ oppidum commouetur; quique officio instat; Simon leprosus hospitium præbet, alij cœnã procurãt, nimirũ, vt placet Toleto nostro, vniuersi oppidi ciues. Martha ministrat, Lazarus assidet, Maria vnguentũ effundit. Bene omnes officiũ virtutis implet, sed hæc supergressa est vniuersos, nõ sine Iesu motione

& impulsu. Simile video apud Matth. 16. vbi interrogati discipuli, qui diceretur ab hominibus filius hominis, respondent: Quod ab aliquibus diceretur Ioa. Baptista, ab alijs Elias, ab alijs Ieremias, aut vnus è prophetis. Tunc Petrus ad altiora leuatus, ait: *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc modum venisti.* Ecce tibi omnes suum deferunt aliqualem honorem Christo; Petrus autem supergreditur omnes, & Iesu diuinitatem prædicat. Quis hoc fecit? Sanè ipsius Iesu impulsus, qui nouit sic cunctos tangere, & mouere, vt singulorum vocationes decet. Huius rei exemplum tibi sit peritus citharædus, qui habens in manu sua citharam varijs compositam cordis, & grauibus, & acutioribus, iam hinc, iam inde grauè, aut acutum facit resultare sonum, prout ictus est, qui à periti citharædi manu dirigitur. Accipite D. Basil. Seleu. orat. 25. santem. *Petro diuinum quodammodo responsum subijcit Iesus: & ad quam vocem sponte mouebatur, primatem inclinat, velut citharam quandam ratione præditam, ictibus exsuscitans.* Quod sublimi vocationi respondeas, & sublimiores virtutum apices attingas, non in tua est sola potestate; id à dexteritate venit Iesu, qui nouit primates tui cordis fibras ictibus exsuscitare. Non semper citharædus primates chordas tangit, sed aliquando medias, aliquando infimas, minimè tunc mouens efficaciter ad sublimes virtutum actus, sed ad medios, & infimos. Quod hic mediocritatem, ille sublimitatem teneat in virtutibus, à Iesu venit, qui citharam ratione præditam, ictibus exsuscitat, & iam primatem, iam mediam efficaciter attingit. Vndè dicebat Paulus. 2. ad Corinth. 3. *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: nõ quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ verba premens D. Prosp. epist. ad Demetriadem, sic pulchrè in rem præsentem dicit. *Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, & tãquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum.* Ipse equidem Dei digitus est, qui attemperat cordis nostri fibras, qui ictibus exsuscitat humanas mentes, vt fila chordarum, vt sic vel medius, vel sublimis sonus fiat. Id quod latius tractandum, & explicãdum Theologis relinquo.

Petr.

Basil. Sel.

1. Cor. 11.

Prosp.

§. II.

Satisfactio debet adæquare culpis commissis.

NOVIT Magdalena peccata sua dimissa, non tamen ideo à satisfactione illorũ procuranda desistit; nec contenta est semel ad Iesu pedes lacrymabunda procubuisse, sed, & iterum, & forte sæpiùs ad eosdem accedit, vt modo accedit, ferens libram vnguẽti nardi pistici. Nec otiosè puto notatam fuisse libram vnguenti, sed vt ostendatur, quam æqualis, & iusta debeat esse satisfactio pro culpis commissis. Luc. 3. loquutus Ioannes Baptist. de Iesu, ait. *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni: cuius ventilabrum in manu eius.* Non putet peccator, quod leuibus aquæ guttulis poterit lauare ingentia crimina, per ignem transire debet, magnam satisfactionem ab illo exigit Iesus, cuius ventilabrum in manu: sed ad quid habet ventilabrum? Ad ponderandam, & grauitatem culparum, & magnitudinem satisfactionis, ne sit hæc minor illa. Ita Diu. Laurent. Nouar. hom. de pœnit. inquit. *Præparate venienti Domino, & ipse te baptizabit Spiritu sancto, & igni, habens ventilabrum in manu sua: quod est inspectio, vel ponderatio pœnitudinis, ac peccati. Ipse perpendit in te virtutẽ, pondus; ipse inspicit in te molem, & molem vnam pœnitentiæ, & vnam pestilentiæ.* Dùm pœnitentia inuenitur minus habens, adhuc supplicium pro foribus est; perpendendæ sunt, & ponderandæ culparum moles, vt eis similis fiat moles satisfactionis. Multis fecit quæstionẽ pœnitẽtia Saulis, cur reprobata fuerit? Ipse enim ait. 1. Reg. 15. *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini: sed nunc porta, quæso, peccatũ meum, &c.* Sed & Dauid dicens: *Peccaui*, abstulit peccatum suum. Cur ergo Saul idem pœnitudinis verbum pronuntians, veniam non adipiscitur? An, quia non æqualis erat satisfactio culpæ? Ita S. Cæsar. Aelr. ho. 29. ait. *Et Saul dicebat: Peccaui: sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit: & hoc quare? Quia confessionem illam nuda magis verba, quam veri gemitus exprimebant. Quia non compensabat magnitudinem criminis leuis humiliatio supplicantis. Non leuì agẽdum est contritione* (id est compensatione) *vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur, nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus.* Pœnitentiam habuit Saul, sed quia leuis, & transitoria eius fuit pœnitentia, qua non cõpensabat culparũ magnitudinẽ, ideò minimè Deũ placauit. Eu, quot falluntur in re grauissima, qui quemlibet erga Deum affectũ sentientes, & aliqualem culparum compunctionem experientes contenti sunt, & non dubitant de venia impetrata. Fortè talibus ait Apostol. ad Rom. 11. *Dedit illis Deus spiritum cõpunctionis, oculos, vt non videant; aures, vt non audiant, &c.* Ecce tibi, & compunctionis spiritus, & cæcitas, & surditas simul mõrantur; &

Luc. 3.

Laur. Nou.

1. Reg. 15.

Cæs. Aelr.

Aelr. 11

&

& quidem leuis affectus compunctionis, qui vel fœminea aliquali lacrymula exhibetur solet mentes obcæcare, ne videant culparũ magnitudinẽ, & pericula, sed inter hæc secure vitam agant. Totum hoc desumpsi ex Diu. Ael red. lib. 2. speculi charit. cap. 20. Vbi sic tandem finit ad verba Apostoli data. *Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitẽtiæ fructibus, paucis his lacrymis æstimant abluendas?* Sanè leuis compunctio aptior est ad obcæcandum, quã ad veniam impetrandam. Et adhuc Aelred. *O quam miserabiliter falluntur, quam sunt suæ salutis proditores, qui vitijs innumerabilibus implicati si parum quid huius, de quo loquimur, experiantur affectus: non solum sibi veniam de præteritis polliuntur, immò ad eadem securius quodammodo reuertuntur.* Hæc ille.

Ael.

Idem.

Ioann. 12. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariothes, qui erat eum traditurus. Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?

Matth. 26. Vt quid perditio hęc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.

§. III.

Inuidas mentes nulla virtutis vicinæ fama pertingit.

Ioan.

NOTANTER dixit Ioannes, quod, *domus impleta est ex odore vnguenti*, vt rabidam Iudæ inuidiam ostenderet, apud quem solum male olet vnguentum, cuius bono odore impleta erat tota domus. Non discipulis alijs, sed soli Iudæ fœtet effusio pretiosi vnguenti in obsequium Saluatoris, vt sapienter

Matth. 26.

probat noster Maldonatus Matt. 26. & quidem merito Beda hanc Iudæ murmurationem ex inuidia ortam reputat. Vndè non miremur, quod vni illi fœteat vnguentum, cuius odor potens est replere vniuersam domum; antiquum enim est vitium hominis inuidi, quod nunquam illum pertingat vicinæ virtutis fama, quæ potens est vniuersum orbem

Marc. 1.

replere, Marc. cap. 1. post narrata Iesu ingentia miracula, & virtutes, protinùs addit. *Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.* Ecce tibi tantarum virtutum rumor solis clauditur Galileæ finibus: cur Iudæam non pertingit? Immò cur, nec ad viculum Iudeæ peruenisse dicitur odor virtutum, qui Galilęam impleuerat? Occupabant iam mentes Iudeorum inuidia, & ideò virtutum fama, quæ implesset mundum, in Iudęa, nec viculum attingit. Chrysostom. hom. 5. in Marcum, ait. *Processit statim rumor eius in omnem regionem Galilææ: non in Iudæam, non in Ierosolymam. In totam Galilæam peruenerat: & in vnum vicum Iudææ non peruenit. Hic totum quare dico? Quia anima, quæ semel professa fuerit ab inuidia, difficile est, vt virtutes recipiat. Impossibile penè est remediari animam, quam inuidia possederit.* Semper sui similis est inuidia, semper facit, quod virtutum, & magnalium odor, qui totum replet, & occupat mundum, ad cellulam inuidi minimè perueniat. Sunt semper ad inuidi limina mille virtutis colores, & species, quæ penitus aditum occludant veris vicinorum virtutibus, quibus alioquin impletus est mũdus. Quò crediderim respexisse Iacobum illis verbis epist. cap. 3. *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.* Expende, quid petat Iacobus ab inuidis. Nimirum, ne mendaces sint aduersus veritatem; sufficisse videtur, quod peteret, ne sint mendaces, cur maluit addere aduersus veritatem? Equidem, qui mendax est, non aduersus aliud, quam aduersus veritatem est mendax; idem enim est esse mendacem, & esse aduersus veritatem. Quid ergo innuit, dum inuidis iubet non solum, ne sint mendaces, sed ne sint mendaces contra veritatem? Sanè innuitur ibi quædam positiua, & affectata contrarietas, & oppositio, qua inuidus se se obstruit, & occludit, ne videat veritatem. Est equidem omnis homo mendax, non data opera, sed infirmitate naturali: verum inuidus data opera, totoque animi conatu impedimenta congerit, ne videat veritatem, ne virtutis veritas pateat, sed subumbris maneat obnubilata. Quã inuidorum mentem sic depingit D. Basil. ho. de Inuidia, fatus. *Inuidi vitæ splendorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem minimè quidem respiciunt* etiam, quæ omnium oculos replent: *Manca verò, & fragilia, & si quid erratum est, tantum obseruant: hæc diuulgant, & per hanc tantum homines cognosci volunt. Fortitudinem audaciam potius appellant: modestum verò sine sensu hominem prudentem astutum: Sapientem periculosum, fructuosum suspectum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina conuertunt, vt quam calumnia*

Chrysost.

Iacob. 3.

Basil.

rebus laudatis deficiente. Sic ſemper inuidus aduerſus clariſsimos virtutum radios, aduerſus lucidiſsimas veritatis ſpecies tenebras mẽdaciorum conglomerat, errorum, vitiorumque formas adnectit. Id videre licet in Ieſu cõ ſanguineis, qui cum viderent illum ſignis fulgere, incredibilique ſapientia plenum eſſe, ſic
Marc. 6. inter ſe colloquebantur. Marc. 6. *Vndè huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt?* Ecce tibi quot nubila, quot tenebras conglomerant, cum humiles ortus, vilitatem artis, exercitia ſeruilia opponunt, ne virtus, & ſapientia Ieſu lucem accipiat. Ad rem Theophylactus loquitur in præ
Theoph. ſenti, inquiens: *Tam atrox malum eſt inuidia: Semper enim obſcurat bona, nec illa ab inuidis videri ſinit.* Quę omnium oculos rapiebat, & tenebat virtus Ieſu, non capitur ab oculis vnius inuidi.

§. IIII.

Non mala, ſed bona perimunt inuidos.

VIDE, quo telo tranſuerberetur cor Iudę, nimirum, pretioſi vnguenti effuſione ad pedes Chriſti. Habent inuidi hoc ſummæ infelicitatis genium, quod non à malis, ſed à bonis cogantur interire. Huc reſpiciebat Paulus
2. ad Cor. 2. 2. ad Corinth. 2 dicens *Chriſti bonus odor ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt, & in his, qui pereunt.* Nuſquam Paulus eſt malus, nulli damnoſus, & peſtifer, ſed vniuerſos odora, & ſalutifera vita reſpergebat. Et quod mirere magis, etiam ſe vocat bonum reſpectu pereuntium. Quomodo bonus in his, qui pereunt? Peribãt inuidi, quorum miſera conditio eſt, quòd nõ à malis, ſed à bonis ruinam ſuſcipiant. Ex quo
Anſel. D. Anſelm. in præſenti ait: *Quidam Paulum diligebant, quidam inuidebant. Illi, qui diligebant, bono odore viuebant; illi, qui inuidebãt, bono odore peribant. Ideo pereuntibus non malus odor, ſed bonus erat. Inde enim magis inuidebãt, quia tam bona gratia præualebat.* Ipſa, ipſa bona per ſe perimunt inuidum; & quo maiora, & abundantiora ſunt, eo citius impellunt illum in ruinã. Non enim telis, ſed beneficijs confoditur miſer inuidus: non venenis necatur, ſed amuletis, ſed teriacis: non latronum iaculis cadit, ſed vicinorum ſplendentibus virtutibus. Hinc inuidiam comparat Spiritus diuinus ſerpẽtibus, quorum morſus nequeunt curari. Ait enim
Eccleſ. 10. Eccleſiaſtes, cap. 10. ex lectione Caſsiani: *Si momorderit ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori.* Non eſt potentiá creata, qũę ſerpẽtinæ inuidi menti medicinam adhibeat. Sed ſcire cupis, vndè ſit adeò incurabilis inuidia? Non aliunde, niſi quia non â malis, ſed à bonis perimitur. Id quod ponderans Caſsianus, Caſsian.
collation. 18. cap. 12. ait: *Vſque adeò incurabilis eſt iſta pernicies, vt blandimentis exaſperetur, inſletur obſequijs, muneribus irritetur. Quanto enim alius amplius, aut humilitatis ſubiectione, aut patientiæ virtute, aut munificẽtiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ ſtimulis incitatur.* Et quomodo curabitur vulnus, quod vnguentis effuſis creſcit? Sanè extrema miſeria eſt, quod quis vulneretur rebus, quibus cõmuniter viuitur. Extremam Eli ſenectutem
1. Reg. 3. ſic notat textus, 1. Reg. 3. *Eli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam, antequã extingueretur.* Vide vltimã miſeriam hominis; lucerna, quæ pro omnium ſolatio accenditur, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt, illi dolori, & offenſioni erat: verũ extincta, immò fumigans, & fœtore, & fumo replens omnia vnius Eli oculos recreabat. Idẽ prorſus accidit inuidis, vt notat Gloſſa moralis, & Tilmanus in allegorijs: ea enim eſt extrema miſeria, & infelicitas inuidorum, quod inter lucida, & ſplendẽtia facta excrucientur, perimantur: quod in bonis, & amœnis inueniant præcipitia; in malis, & calamitoſis viuãs.

§. V.

Virtus qualis æſtimatur ab hominibus, talis ſit illis.

MIRARIS Iudam in Chriſti ſchola, inter obſequia Chriſti ad perditionem vſque decidere? Cur miraris? Iſte Chriſti obſequia perditionem putabat, cur ipſe ad perditionem non veniret? Cum in obſequium Chriſti vnguentum effunditur, vt probat Maldonatus noſter, ab vno ore Iudæ exiuit vox illa: *Vt quid perditio hæc?* Perditionem reputat miſer obſequium exhibitum Ieſu, & in perditionẽ incidit: quales enim eſtimantur virtutes ab ho-
2. ad Cor. 2. minibus, tales fiunt illis. Paulus 2. ad Corinth. cap. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt, & in his, qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam.* Vnus, & idem odor Chriſtianarum virtutum alijs omnino vitalis eſt, alijs extremam notat ruinam. Vndè tam varij, immò tã pernicioſi effectus profiliunt, quando odor vnus eſt, & bonus, & ſalutaris, quantum eſt ex parte ſua? Crediderim id malũ prouenire ex eſtimatione, qua Chriſti odor recipitur ab hominibus. Sunt enim, qui auditis Chriſti magnalibus,

bus, perceptis Christianarum virtutum regulis maxime arridēt, & sibi persuadent inibi esse vitam: hi tali odore viuunt, & æternaliter viuūt. Alij sunt adeo stolidi, vt Christianas virtutes, quasi mortis iacula reputantes, sicq; illas suspectas habeant, quasi in illis maximam caueant iacturam; his stolidissimis fama Christianarum virtutum perennem mortem insinuat. Accipite Anselm. sic in præsenti loquētem. *Hominibus alijs videmur odor mortis, quia prædicamus crucem, & ministri mortis æstimamur: alijs autem odor vitæ credimur, id est, odor spirans vitam per Saluatoris prædicationem. Et vtrisque fit iuxta, quod æstimant. Nam quibus æstimamur odor mortis, æstimatio hæc vertitur eis in æternam mortem: & quibus videmur odor vitæ, fides eorum ducit eos in vitam æternam.* Qualem facimus æstimationem virtutum Christianarum, talem fructum percipimus. Qui in illis mortem esse existimat, in mortē perueniet, & vltimam sui ruinam. Non Absimilis est euentus, qui accidit antiquis Israelitis, dum apud desertum cœlesti pauulo nutrirentur; cœleste pauulum à Deo accipiunt, & tandem tanto satiati pauulo, aiunt Num. 21. 21. *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrē misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Expende culpam, & simul expende eiusdem pœnā; magnam enim conuenientiam putat Abūl. quæst. 8. esse inter hoc cœlestis cibi fastidiū, & supplicium ignitorum serpentiū, in quod miseri deuenere. Et quæ hæc cōueniētia fuit? Sanè cum cœlestem cibum, quasi leuissimū reputarent: fructum malæ æstimationis suæ recipiunt per leuissimum omnium igneum elementum percussi ab ignitis serpentibus; vt sic quibus æstimatur manna leuissimus cibus, æstimatio hæc vertatur eis in leuissimū elementum, quo misere intereant. Sic semper qualis æstimatur cœlestis virtus ab omnibus, talis redditur illis, siue in præmium, siue in pœnam. Apud Ioan. cap. 7. post Euangelicam, Christianamque œconomiam prædicatam, & propositam à Iesu, quid inde euenit? Ipse Ioannes ait: *Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo.* Durum æstimant Iesum, cum sit ipsa lenitudo, & dulcedo, sed dum æstimatur durus, sic riget, sic durescit, vt fiat illis durissimus lapis, quo misere conteruntur, & pereunt. Quò refero Diu. Petr. 1. Canon. 2. aientem: *Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidē summum angularem, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, &c.* Itaque Christianæ virtutes ad gustum, & æstimationem fidei tuæ conuertuntur, & fiunt tibi, quales à te æstimantur, reputantur.

Matth. 26. Sciens Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis.

§. VI.

Præstantissimi gubernatoris est cæcutire ad aliqua subditorum peccata.

DIXI ex Maldonato murmur hoc de effuso vnguento à solo Iuda ortum fuisse, qui in eo se pauperum procuratorem ostētabat. At non pauperum amor, sed auaritia, & rapacitas eius has voces dabant, vt apertè prodit Ioann. cap. 12. aiens. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens, &c.* Ioann. 12. Quid tunc Dominus? Meminit forte discipuli auaritiam? Pungit rapacitatem sibi notam? Absit: faciūt hoc homuntiones parui animi, qui dum gubernationem subeunt, eo applicant animum, vt videantur omniā percallere, nihil non subodorare. Verum præstantissimus omnium gubernator Iesus magnitudinem animi gubernatori necessariam ostendens, sic respondit in præsenti ad prætextam curam pauperū, quasi nihil sciret, nihil nosceret de auaritia, de incredibili discipuli rapacitate. O quantum valet ad summa discrimina euitanda ille gubernator, qui aliquando falli sustinet, & scit cæcutire ad aliqua peccata! Marc. 4. dum nauigaret Iesus cum discipulis suis, vehementissima tempestas excitata est, ita vt fluctuum, ventorumque vi nauicula penè mergeretur. Marc. 4. Quid tunc Iesus? Ipse dormiebat. Quid tunc discipuli? concurrunt ad Iesum dormientem, illumque excitant, vt rebellem componat tēpestatem. Sic enim ait: *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi, Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Ecce vobis, quem moderatorem furentium ventorum excitant, nimirum, dormiētem Iesum. A dormiente putant rebelles vē-

tos

tos ſedandos, & vltima diſcrimina nauis moderanda? Equidem dormiebat Dominus non ex ſocordia, ſed ex ſuorum compaſsione, & nullus melior moderator poteſt inueniri, qui vltima diſcrimina reipublicæ ſciat ad ſalutem reuocare, quam ille, qui ex compaſsione ſubditorum ſcit dormire, & cæcutire ad aliqua peccata. Chryſolog. ſerm. 11. *Ad dormientem confugiunt vigilantes, & credunt obſtrepere ſæuientibus elementis eum, cui ſomnum dominari ſua compaſsione conſpiciunt.* Dormiat gubernator ad aliqua ſubditorum peccata, & dormiat nō ex ſocordia, ſed ex prudentia, ex compaſsione, qua compatiatur ſubditorum fragilitati, cuius notitia nequit omnia punire, omnia caſtigare; & inde mirum in modū redditur potens ad ſumma pericula deuitanda. Quem ſic dormientem vident, amant ſubditi, & in magnis periculis ad illum confugiunt, ſperantes illum Saluatorem futurum: cæteros autē, qui omnia ſcrutantur, & nihil diſsimulant, ſuſpectos ſemper habent, & vt proditores fugiunt. Apud Lucam cap. 15. amplexatus pater cœleſtis prodigum filium reuertentem, nihil inquirit de eius vita, ſed ſtatim ad ſeruos inquit: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illū.* Cur non quærit de peracta vitā, quā in talem miſeriam deuenit filius, & totam cūram ponit in eo, quod operimentum ſtolæ adhibeatur? Sanè bonus gubernator vult æſtimari pater de operiendis peccatis; non vult timeri vt proditor, dum ſcrutatur, & inquirit delicta. Chryſolog. ſerm. 4. *Non dixit: Vndè venis? Fuiſti vbi? Vbi ſunt, quæ tuliſti? Delicta, qui diſcutit, prodit.* Qui nimius eſt in diſcutiendis, ſcrutandis delictis ſubditorum: magis timebitur à ſubditis vt proditor, quam amabitur vt pater. Et quis ferat in gubernatore, vel leuis ſuſpitio, vel ſpecies proditionis? Creauerat iam Dauidem regem ſuper Iſraelem Dominus, qui tamen à Saule fugitiuus degebat apud Achis, eo ipſo tempore, quo Achis prælium aduerſus Iſraelem, & Saulem parabat, in quo interemptus fuit Saul, & Iſrael ingenti percuſſus plaga. 1. Reg. cap. 29. Sed accidit, quod Dauid, etſi Achis amicus haberetur, nō tamen adfuit cum illo, in tam nociuo certamine. Et cur non adfuit? Rationem hanc reddit Ruper. lib. 2. in lib. Reg. cap. 18. aiens. *Vtique id Deo prouidente factum eſt, vt Dauid legitimus Rex, neque proditor, neque hoſtis patriæ iudicari poſſet.* Si Dauid inter eos, qui percutiebant Iſraelem inueniretur, non ne ſuſpectus eſſet de proditione? Ideò prouidente Deo, nō ibi adfuit Dauid, ne in rege, & gubernatore futuro Iſraelis aliqua vel ſuſpicio proditionis poſſet dari; quæ in gubernatore minimè poſſet tolerari. Videant ergo qualem ſibi inuirant maculam, qui nimij ſunt in peccatis ſubditorum ſcrutandis: & fugiant in ſe oſtendere, vel vmbram proditionis.

Chryſol. Luc. 15. Chryſol. 1. Reg. 29. Rup.

§. VII.

Caſtigatio peccatorum adhibenda eſt tempore, quo ſperentur maiores inde profectus.

SAPIENTISSIME Dominus Ieſus de pœnis ſibi poſtponendis diſputans præterit auaritiam, & rapacitatem Iudæ: non enim aptum eſt conuiuij tempus duris reprehenſionibus aptandis, & quod quis, dum operam dat poculis hauriendis, cenſorio ſermone feriatur. Sanè, qui in reprehenſionibus ſuis vtilitatem ſperat, tempus quærit lōgè aptius. Exod. 12. vbi Deus vltimo ſupplicio emollire vult Pharaonis duritiem, vide quod tempus obſeruat. *Factum eſt autem in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, &c.* Cur in noctis medio? Cur non potius inter cænandum? Præclarè Diu. Ambroſ. pſalm. 118. Octon. 8. ait: *Non otioſe Dominus Deus noſter, cum poſſet quocumque momento primitiua Ægyptiorum extinguere, hoc tamen tempus dolori, & luctui peccatoribus opportunius indicauit.* Itaque, vbi Deus emollire induratum cor vult, tempus ſpectat aptius, quo ſupplicijs illatis peccator in luctum, & bonā voluntatem emolliatur. Et quidem non nego à Deo inferri ſupplicium etiam inter pocula; etenim habes Dan. 5. de conuiuio Balthaſaris: *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis, &c.* Ecce tibi inter pocula peccatori pœna indicitur à Deo, ſed pœna, quæ irremediabiliter ſtatim conterat peccatorem; non pœna, quæ peccatorē emolliat, eumque adducat in bonam voluntatem. Vbi enim Balthaſar conterendus funditus eſt, nil curandum, quo tempore pœnæ adhibeatur notificatio: vbi Pharao emolliendus eſt, vt Hebræos liberet, tunc obſeruetur tempus opportunius, & aptius, vt quis doleat de peccatis. Hinc eleganter aiebat Diu. Chryſoſtom. in Pſalm. 141. *Oportet eum, qui reprehēdit, multa excogitare, vt accepta ſit, & grata eius reprehenſio, & magna ſapientia opus eſt ei, qui adhibuerit tale medicamentum: ac maiori quidem ſapientia opus eſt ei, qui reprehendit, quam ei, qui corpus ſcindit.* Et in venarum, membrorum ſciſsione in primis ad ſapientem medicum ſpectat temporis obſeruatio: quis bibenti cauterium adhibet? Quis menſæ incubantis ve-

Exod. 12. Ambroſ. Dan. 5. Pſal. 141.

nam

nam scindit? Simili igitur prudentia polleat, cuius reprehensio, & castigatio seruit subditorum sanitati. Nunquam enim reprehensio infructuose adhibenda est. Fallar siquãdo vidisti Iesum iratum in Iudam; & tamen in Petrum iratus est. Mat. 16. *Vade post me Sathana*: sic Petrum reprehendit, verum Iudam nunquam vel verbulo lædit. Cur id? D. Basil. Sel. orat. 31. ait. *Ita, inquit Saluator, vbi vlcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile: vbi autem curationis spes, sectionem induco curationi.* A peritissimo animarum medico solum applicatur reprehẽsionis sectio, quando spes curationis monstratur.

Matth. 16.

Basil. Sel.

Matth. 26. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meũ: ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis vbicumque prędicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.

§. VIII.

Præclare ostenditur quale fuerit opus ex eius perennitate.

QVALIS fuerit hæc vnguenti effusio, immò qualis in ea fuerit Magdalena, quam Deo grata; quam spiritu diuino plena, in perenni, & iugi duratione operis palam ostenditur. Ad Dauidem sic loquitur Dominus. 2. Reg. 7. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam.* Ex Hebræo habetur: *in facie tua.* Quomodo æterna duratio regni potest esse in facie Dauid, qui ante tot sæcula defunctus est? Non ne Dauidis facies consumpta est, & in puluerem redacta, & post hoc durauit regnum Dauid, & nunc durat in Iesu filio eius? Sanè & durat regnum Dauid, & durat Dauidis facies: cũ enim facie nõ cognoscitur homo: duratio operum eius sic eum faciunt semper cognosci; quasi tunc præsentissima esset eius facies. Caiet. Acutè in prȩsenti Caietanus ait. *Facie cũ cognoscatur homo, agnoscendus promittitur Dauid in duratione regni, per hoc, quod dicitur in facie tua.* Nulla res sic demõstrat qualis fuerit Dauid, quam eius regni duratio: in longęua solij Dauidici duratione tantũ non cernitur ipsissima Dauidis facies. Et quidem solũ hominis Dei pleni opus nouit durare, & tẽporũ vincere vetustatem. Id quod prænoscens Anna Samuelis mater in recẽs nato filio lętabunda nihil iã timet mali puero, cuius opera scit consecranda esse immortalitati. Sed vndè hoc scit? ipsa explicat. 1. Reg. 2. canẽs: *Lætata sum in salutari tuo.* Quasi dicat: hęc lętitia mea, & spes mea non nititur in fragili, & mobili rerũ mũ dialiũ axe, sed in dono Dei, cuius halitu cunctæ res æternantur adeò, vt nullibi possit inueniri duratio, quæ non patenter indicet ibi adfuisse diuinas manus. Ex quo D. Chrysost. sic ibi de Anna Samuelis matre loquitur: *Nihil ipsi cũ terra fuit cõmune, sed omne humanum despiciebat auxiliũ, & erat elenata spiritus gratia, & sublimis constituta, & in omnibus ad Deũ respiciebat, & incũbentium molestiarũ solutionẽ inde petebat. Nouerat enim, plane nouerat, quod humana quidẽ qualiacũq; sint, dantiũ imitantur naturã. Opus autem nobis diuino semper auxilio, si velimus anchorã in tuto firmare.* Vtinam hanc mentẽ ebiberent omnes, qui de perennitate domorum suarũ contendunt; sed in parua duratione monstrantur, quam vani fuerint eorũ conatus. Vidi regios ministros ingenti solicitudine ad regia munera anhelare, vt de regis muneribus, & donis firmam, & durabilẽ domũ faciant: & nesciunt miseri, quod dona omnia humana, *dantium imitantur naturã.* & vt dator mutabilis, & mortalis est, sic vel ad motum datoris, vel ad mortem protinus illa omnia euanent. Ruinæ tantarũ domorũ sepultos occludũt mille illustres viros, quorum hodie nomina ignorantur, & in cœlo, & in terris: verum, qui Deo, & virtuti studuerunt, nec nisi à Dei manu voluerunt ditari, in iugi, & perenni suorum operum duratione tantũ, non ostendunt propriam faciem.

2. Reg. 7.

1. Reg. 2.

Chrysost.

Caiet.

§. IX.

Quam gratificatur honos fidelium funeribus exhibitus.

INSITVM est fidelium animis, quod honorem præstent defunctis eorũ funera lãpadibus, luctuosisq; exornando, & titulis, & tumulis; nec sine mercede est hic honor, quamuis sit mortuis exhibitus, quandoquidẽ gratificari solet in hominibus. De nobili Ioseph, qui occultus fuerat discipulus Iesu, & qui petijt audacter eius corpus à Pilato, putat non nemo scriptũ fuisse Psal. 1. vbi sic. *Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorũ, & in via peccatorũ non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* In quibus non tam miror præcelsas virtutes Iosephi decãtatas; quã præproperã, & festinã illarũ decantationẽ. Esto decantãdæ fuerint à Dauide Iosephi virtutes, cur tam cito?

Psalm. 1.

Cur

Cur ante aliá omnia? Cur primùs cantoris nixus Ioſephi peperit cantilenã? Sanè oportebat iam tunc gratificari honorem exhibendũ tanti defuncti funeri. Sic notat Tert. lib. 4. in Marc. inquiẽs. *Ioſeph corpus Ieſu nouerat, quod tota pietate tractauit: ille Ioſeph, qui non conſenſerat in ſcelere Iudæis. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentium non ſedit: oportuerat etiam ſepultorem Domini prophetari, & iam tunc merito benedici.* Quando non gratificatur honor exhibitus tanto defuncto? Sanè obſequiũ ſepulturæ dominicæ, tunc non celebrabitur, tunc non gratificabitur, quãdo prophetarũ cantus, & Euangelica tuba obmutuerint. Quod ſi Prophetæ cecinerint, & Euangelica tuba inſonuerit, non poterit non audiri gratificatio eorum, qui defuncti Domini funus honorifice proſequuti fuerint. Ex hinc maximè Deicida Iudas poſſet minùs diſplicere, ſi aliquem honorem relinqueret Ieſu Dño ſepeliendo. Ideò Dñs, vt proditoris crudelem rapacitatem temperaret, illi obſequium ſuæ ſepulturæ obiecit, dicens quòd effuſione vnguenti Magdalena, *ad ſepeliendum me fecit.* Quæ verba ſic tractat D. Baſil. Sel. orat. 31. *Tantum non ad Iudam hoc effatus eſt Dñs: Ne mihi ritus ſepulchrales inuideas, licet vita ſpoliaueris. Nã mulier hoc ſepulchrali ritu mortem, cuius tu author es, præuertit. Honorem puta ſepulturæ meæ hoc eſſe: etſi eadem paras, tumulum ſaltẽ cõcede.* Quaſi etiam Deicida mens gratificandũ poſſet nihilominus præbere obſequiũ, ſi quẽ turpiſsimæ morti tradit, honorabili ſepulchro inferret: acceptus enim hic honor etiam proditori refertur. Nemò ergo pũtet immune ratũ ſibi mãſurũ obſequiũ præſtitũ fidelium ſepulturis. Id quod videre licet in Tobia, cui poſt data ingentia beneficia ait Angelus c. 2. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Multæ, & magnæ erant virtutes Tobiæ, dũ apud Babylonios Ieroſolimitanã religionem ſeruabat immunem, & tamen, dum acceptorũ munerũ cauſa recenſetur, hæc imprimis ponitur, nimirũ cura, qua extremos honores parabat defunctis. Vndè D. Paulin. ep. ad Pamachiũ, ſic inquit. *Sanctam ergo, & ſanctificatã ſpem per humandi curam nos Thobias doce, huius ſpecialiter muneris prærogatiua iuſtificatus à Dño, & Archangeli voce laudatus, quod præluliſſet prãdio ſuo pauperis ſepulturam.* Et merito, qui extremum fidelium procurabat honorẽ, non ſolum à Domino recepit mercedem muneris, ſed & eius laus apud Angelos celebritatem obtinuit.

Tertull.

Baſil. Sel.

Tob. 2.

Paul.

CAPVT TERTIVM.

De ſuorum perſecutione.

PRAEDICIT nõ ſemel Dñs ſuorũ perſecutionẽ, vt videre licet apud Mat. c. 23. & apud Lucã c. 21. & apud Ioa. c. 16. & alibi paſsim. Sed pro omnibus explicãda nobis eſt prędictio illa, quã dat Mat. cap. 10. in qua explicatius, & genera perſecutionũ, & grauiores circũſtãtię ponũtur à Saluatore. Quę grauior, & rabidior perſecutio, quam illa, in qua cognati, & parentes ipſi vertentur in ſuorum filiorũ tortores? Hanc rabiem prædicit Dñs, & experti ſunt dominici greges, dum ab ipſis conſanguineis, & parentibus rapiebantur ad mortem.

Mat. 10. Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columba. Cauete autem ab hominibus.

§. I.

Patientia dolorem temperat, aut abigit in malis.

OVIVM patiẽtia armãtur Chriſti fideles; nullo enim medicamine magis ſopiũtur mẽbra, ne percipiãt dolores, quã patiẽtia. Ideò Tertul. vbi reprobũ Angelũ inuidẽtię dolore trãsfoſsũ notat, ſtatim ſubinfert: *doluerat, quia patiẽter vtiq; nõ tulerat*: quaſi dolor abeſſe ſoleat ab eo, in quo patientia ſedẽ fixerit. Neſcit equidẽ dolor ſuos exerere aculeos, vbi patiẽtiã inuenit: adeò, vt dolor ipſe reproborũ de impatiẽtia illorũ acuatur, hebẽtãdus ſi patiẽtiã inueniret. De his Dñs Mat. 22. inquit. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentiũ*: Ecce vnde ſignificat ſummũ dolorẽ dãnatorũ, nimirũ ex ſtridore dentiũ, hoc eſt, ex furioſa ira, qua miſeri cõcitabũtur, & exardeſcẽt lõge amplius, quàm à flãmis æternũ duraturis. De hoc Galfr. in allegor. Tilm. ait: *Quid enim ſtridor dẽtiũ, niſi ira, furoris, nequitiæ, & malignitatis indiciũ? Siquidẽ, vt ego arbitror, nullũ erit tormentorũ grauius malis, quã malitia cordis, & iniquitas ipſa peruerſiſsimæ volũtatis. Nimirũ ſicut paſsiones omnes patiẽtia ſubleuat, ſic impatiẽtia quãlibet leues aggrauat. Ibi ergo erit fletus, & ſtridor dentiũ ex rã core. Alioquin ſi æquanimiter ferre, ſi humiliter*

Mart. 22.

Galf.

flere

flere, si dicere possent, nos quidem iuste nam digna factis recipimus; audeo dicere ignis ille in extinguibilis tamen extingueretur, nisi ipsa ipsorum indignatione accenderetur. Quid elegãtius pro patientia excogitari potuit? Eius vis tanta est, vt si apud inferos esset, ipsos damnatorum dolores aut sopiret, aut tolleret. Non tam ignis, quam impatientia facit intolerabiles pœnas damnatorum, si enim impatientia abesset ab ipsis vrentibus flammis, quasi ros manaret refrigerans, & temperans incendia. Huc reuocoBabylonium incendium, in quod pueri hæ

Dan. 3. brei missi sunt à tyranno, Dan. 3. medijs erant flammis nobiles religionis athletæ, cum vnus illorum Azarias inter orãdum, sic ait: *In veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim, &c.* Hæc patientissima verba faciebat Azarias media in fornace cum socijs constitutus. Quid tunc? *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem; & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, &c.* Ecce tibi ardentissimæ flammæ non vrunt, sed irrorant; non faciunt incendia, sed refrigeria roris. Vnde ros à flammis manauit? Quis rorem refrigerantem adinuenit medijs incendijs? Patiẽtissima illa vox quæ inter cruciatus immanes resonat dicens:

Chrysost. *nos quidem iuste.* Ad hæc D. Chrysost. epist. 3. ad Cyriacum ait: *Vides quomodo patientia sanctorum ignem in rorem commutauit?* Non possunt tormenta suos exerere aculeos, vbi patiẽtem animum offendum: ibi dolores sopiuntur & cruciatus vehementissimi temperantur.

§. II.

Martyrum Christi sanguis fœcundissimus est, vt nouos Christianos pariat.

NOTANTER non vt agni, sed vt oues mittuntur Christi discipuli inter lupos, vt inde innuantur Ecclesiæ fœcundissimi partus ex laniena martyrum. Non sic oues fœcundæ sunt, vt agnos pariant: vt Christiani inter ipsas lanienas regeneratorum in Christo parturiunt agmina. Tres missi fuerãt pueri in ar

Dan. 3. dentem fornacem à Babylonio tyranno, & post ingens miraculum, quo ignis pueris parcens tortores ipsos comburebat, Dan. 3. accessit rex ad ostium fornacis, vt rem stupendam videret, & totus mirabundus ait: *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, &c.* Et quidem merito admiratur tyrannus, quod videat quatuor in medio flammarum, cum tres tantum fuerint iactati; nesciebat enim quam fœcundus sit fidelium sanguis, quorum numerus semper crescit inter ip

Chrysost. sos cruciatus. Pulchre D. Chrysost. hom. de tribus pueris ait: *Ecce, inquit, video viros quatuor. Exclude si potes adhuc demens eũ, qui crescit ad numerũ. Nõ poteris iam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt.* Nulla rabies poterit finire Christianos, qui inter cruciatus nascuntur, & inter tormenta crescunt, adeò vt nulla sanguinis gutta in terram decidat quæ numerosos greges non parturiat. Aiebat Tertull. ad Sca-

Tertull. pulam: *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, qui sit in causa, & vbi cognouerit veritatem ipse statim sequitur.* Sic vel in ore luporum Christianæ oues nouerunt parere Christianos; nouerunt hædos gentiles regenerare in Christi agnos. Quis abnuat fortissimos hos Christi athletas significari per osseam illam pulchritudinem, quæ in Sponsæ dentibus apparet? Illis in primis optime conuenit comparatio adducta ibi

Cant. 6. Cant. 9. vbi dicuntur quod sint: *Sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Adeò fœcundæ, vt inter furentium luporum ora adhuc pa

Tertullian. riant. Id quod notabat scholiastes Tertulliani ad verba superius data addens: *Mirifico euentu Deique consilio oues lupis vidimus occurrere, horum incursionibus non posse terreri, dissipari, consumi, sed potius colligi, ac multiplicari.* Tũc multiplicantur, tunc colliguntur ex vniuersis gentibus oues Christianæ, quando videntur aliquæ luporum dentibus laniari. Ex quo lucẽ capit, Ezech. cap. 24. vbi sic. *Ecce, ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas, de omnibus locis in quibus dispersæ erant in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris.* Expende, quando dicat colligendas oues, & congregandas de populis, & terris, nimirum, quando vt pastor fuerit Dominus in medio ouium dissipatarum. Itaque cum Christianæ oues dissipantur, laniantur, tunc medius stat Dominus, & per has lanienas martyrum ex nationum populis congregat oues, vt Christiani gregis numerus in dies augeatur. Vnde scite aiebat Clem. Alex. lib. 4. Strom. *Martyria*

Cle. Alex. *quoque exemplaria sunt conuersionis sanctificata.*

§. III.

Is esse debet homo, qui sciat irasci in vitia.

NON adeò bonus, suauis, & columbinus sit homo, qui de felle, & veneno serpentis aliquid non habeat, quo in vitia irascatur. Columba sis simplex, bonus, mansuetus, sed qui de serpentis veneno, & felle scias irasci, quando se offerat iuste irascendi occasio. Marcion pessimus vnum Deum effigiabat, in quo nihil fellis esset, nihil iræ, sed vna simplex, & *Tertullian.* suauis bonitas. In hunc merito Tertull. lib. 1. scandet aiens: *Hic sufficit peruersissimum Deum ostendi in ipso præconio solitariæ bonitatis.* Et sane nemini laudi est solitaria bonitas, in quo aliquid fellis nõ sit quod vitia infectetur. Præclara est affabilitas columbæ, & mansuetudo, *Genes. 6.* sed serpẽtis felle attemperata. Gen. 6. sic Deus introducitur indignatus in homines, antequã apud illum vel vnus Noe haberet gratiam. *Deleho, inquit, hominem, quẽ creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli, pœnitet enim me fecisse eos. Noe vero inuenit gratiam coram Domino.* Ecce tibi antequam vnus Noe dicatur gratiam coram Domino, cæteri omnes homines dicuntur dira condemnatione mulctati, cur id præmissum est? Vt videretur Dei gratia, & affabilitas cũ Noe non remissa, & dissoluta, vt solitaria, sed perfecta, & salutaris, vt felle seueritatis attem- *Phil.* perata. Sic ait Philo lib. Quod Deus est immutabilis, vbi hæc verba facit. *Qua propter nunc ait, Noe inuenisse gratiam apud eum, quia ceteri daturi sunt pœnam ingratitudinis, vt salutaris misericordia temperetur peccatorũ damnatione.* Non est salutaris affabilitas, quæ aculeum nõ habet contra peccata. sæpe vidi iuuenes nimis affabiles, nullo felle conspersos ad peruersissimorum hominum scelera tractos. Vnde aie- *Eccles. 4.* bat Ecclesiastes cap. 4. *Melior est ira risu: per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis:* O quoties tristitia vultus quam longissime scelerum occasiones ablegauit, quas affa- *Arist.* bilitas solitaria traxerat. Hinc de affabilitate locutus Arist. 4. Ethic. cap. 6. ait. *Medium illud laudãdum, quo quispiam ea, quæ oportet, accepta bit, similiter, & ægre ferret.* Tunc affabilitas tua, & mansuetudo salutaris est, quando sic es affabilis ad amplexandos amicos in honestis, vt in turpibus aculeum, & fel habeas, quo repellas illices iniquitatum. Huius rei exemplum *Cassian.* ponit Cassianus lib. 8. cap. 7. in Dauide viro incredibilis mansuetudinis, & affabilitatis: *2. Reg. 16.* huic mansuetissimo viro, 2. Reg. 16. suggerũt amicissimi duces mortem maledicẽtis Semei quibus statim rex: *Quid mihi, & vobis est filij Saruiæ?* Sanè multum erat Dauidi, & ducibus his; quando, & consanguinitate erant coniuncti, & amicitia coniunctissimi, vtpote qui illum à filio eiectum sequebãtur, & tamen vbi quę non oportebant, suggerunt, quasi omnes necessitũdinis nexũs, & amicitiæ oblitus sic in eos scandet aliàs mansuetus homo, & affabilis. Simile virus vellẽ infundere omnibus virtutis studiosis, quo sciãt irasci, nec ferantur dissoluta quadam, & solitaria bonitate, siue affabilitate. Sic monebat Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare,* quasi ira suggeratur pro armis aduersus peccatum, vt sine illa inermis omnino ab hostibus inueniaris. Quæ verba tractans D. Isidor. Pelus. lib. 2. epistol. *Isid. Pelus.* ait. *Irascamini huic affectui, qui vobis infestus est, ac præsertim voluptati: & non peccabitis. Nã si vos fractos, ac dissolutos inueniat, nullo negotio vos superauit: si autem vigilãtes, ipsique irascentes, quam primum discedet.* Non audet anceps columbas insequi, pro quibus excubat serpens: nec audet scelerum suasor accedere vbi tristem vultum, & amarum inuenturus est animum. Nescio an hunc quæsiturus aculeũ mittatur piger ad apem, Prouerb. 6. vbi ex D. Hieronym. & aliorum lectione dicitur: *Vade ad apem opiger.* Cur ad apem? D. Ambros. *D. Ambr.* lib. Exam. cap. 21. ait. *Inter mella fundunt apes venena, si fuerint lacessitæ:* quod meminerit qui totus mellifluus est, qui totus suauis, & affabilis, & sciat inter ipsa mella aculeum exerere, venenum infundere aduersus scelerum irritamenta, & occasiones peccandi.

§. IIII.

Hominis furor in homines nocentior est ipso diabolico furore.

NON monentur Christianæ oues, vt cãueant à famelicis lupis, nõ à rugientibus leonibus, non ab ipso incursu, & demonio meridiano, sed monentur, vt caueat ab hominibus. Eu quam sæuior est lucta cum homine, quam cum feris, quam cum dæmone! Matth. *Matth. 8.* 8. *Occurrerunt Iesu duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Prorsus intercludebatur via per horum sæuitiam, non erat qui illac transire auderet, ne cogeretur confligere cum istis. Sed vndè diabolus sic nouit infestare, immò occludere vias? Vbi nactus est homines sæuitia insignes, quibus vtatur, fallar si aditum relinquat in virtutis via non pene occlusum. Aiebat D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Locum verò vicinis* *Basil. Sele.* *inaccessum reddidit, dum hominem contra hominem velut insanientem dæmon immisit.* Tunc quasi inaccessa redditur virtutis via, & inaccessus cœlestis redditur curriculus, cum

cũm homo in homines à diabolo commõuetur. Non enim sic sæuus, sic in homines exitialis diabolus est, vt sæuus, & exitialis homo inuenitur. Quippe serpens ille antiquus, & si nocentissimus, tamen excantari potest, doctisque carminibus consopiri, homo nullis cedit carminibus, nullo medicamine curatur eius sæuitia. Accipe vtriusque rei exemplum in
1. Reg. 18. Saule qui 1. Reg. 18. inuassus à spiritu malo. accersiuit Dauidẽ qui docto cantu, & cytharæ pulsu sopiebat per singulos dies spiritus illius sæuitiam. Quid tunc? Dum Dauidis carmine sopitur spiritus malus: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quod configere posset Dauid cum pariete.* Vidisti rem incredibilem sæuitia spiritus mali sopiebatur carmine, & sæuitia hominis magis irritabatur? Argute D.
Basil. Sele. Basil. Sel. orat. 16. ait: *O nouum iniuriũque facinus! Dæmon pellebatur, & dæmone liberatus arma capiebat. Dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant audaciæ.* Quo non se prorripiat sæuitia hominum, quando dæmonis sæuitiam excedit? Nulla fera sic sæua; nulla pestis sic nociua, vt homo hominibus est. Ecclesia-
Eccles. 10. stes cap. 10. ait: *Labia hominis stulti præcipitabunt eum.* Quę verba sic in rem nostram exprimit Chaldæus Complutensis, vt indigitet ab vno homine omni orbi imminere malũ: *labia viri stulti plena sunt increpationibus, propter ea cõsumitur omne sæculum.* Id quod paulò ex-
Cald. plicatius ponit Chaldæus Costi, aiens. *Labia hominis stulti increpationem inuehunt, atque adeò vniuerso orbi interitum.* Non ea est sæuitia hominis quæ sopiri nouerit, nec quæ aliter quiescat, nisi vniuerso orbi interitum inferat.

Matth. 10. Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabũt vos: & ad pręsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gẽtibus.

§. V.

Primum in virtutis duello victoriæ auspicium est, Principum siue fauores, siue despectus contemnere.

ECCE tibi initia dolorum martyribus Christi imminentium, nimirum, *ad Præsides, & Reges ducemini propter me:* Non enim vsu venire solet, quod rei homines in Regum conspectu sistantur iudicandi: verum hoc in Christianorum causis nouum, & singulare accidit, quod ipsis Regibus, & Imperatoribus sisterentur Christiani, ab illorumque conspectu ad tormenta immanissima ducerentur. Id quod singulari prouidentia factum est vt ad superanda tormenta, hoc primum ferrẽt Christi milites victoriæ auspicium, quod regios vultus potuerint contemnere. Quis mirari desinat trium puerorum Hebræorum victoriã? Quis non stupeat flammantem fornacem ab illis superatam? Sed iam tantæ rei admirationem tollit primus illorum triumphus, quod in conspectu Imperatoris constituti, Imperatoris, & fauorem, & sæuitiam contemnerent. Etenim habes Dan. 3. quod *confestim* Dan. 3.
adducti sunt in conspectu regis. Insuper quod post regias blanditias, & minas responderint regi: *Notum sit tibi ô Rex, quia Deos tuos non colimus.* Et sanè qui sic regios vultus contemnũt, non mirum quod fornacem vincant, & reliqua superent tormenta. Vnde videns Nabuchodonosor flammas non vrentes, fornacem accensam irrorantem, hæc solum fatur: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Misach, Abdenago, qui misit Angelum suum, & eripuit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt.* Non meminit expresse fornacem extinctam; non meminit flammas cohibitas; nõ meminit exercitus carnificum dissipatos, sed id solum explicite celebrat, & stupet, quod verbum regis immutarint. Qui enim sic regios vultus nouerunt contẽnere, quasi necessum est, vt facili negotio supperent reliqua omnia certamina. Inde Iosue cap. 10. cũ quin- Iosue 10.
que reges captos in medio produxisset, ait ad milites suos. *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* Cur pijssimus dux hanc voluit inferre tantis Regibus infamiam? Sanè, vt à suis formidinem omnẽ tolleret, qui docti calcare Reges, fortiores inde redderentur ad suscipienda quęvis certamina. Theodoretus quæst. 11. Theodor.
ait. *Iussit quoque propheta suos calcare pedibus ceruices Regum, vt audaciores facti alacrius in acie consisterent. Hoc ipsum etiam Dominus noster Iesus mandauit. Ecce enim, ait, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Fecit Iosue quod Iesus facit, dum dat potestantem suis, & alacritatem, qua regias ambitiones calcent, & præ Dei nomine Regios vultus ne vereantur. Vnde ad clarissimas victorias in duello virtutum sic firmãtur, vt immanissima etiam tormenta parui faciant. Non possum in præsenti non meminisse Gedeonis prudentiam, qua cum coram haberet duos Reges Zebeę, & Salmana Iudic 8. *Dixit Iether primogenito suo surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium,* Iudic 8.

timebat enim, quin adhuc puer erat. Circa quæ verba, id expendẽdũeſt, quod filio adhuc puero iuſſerit, vt reges percuteret; cur id puero mandaret, niſi ſciret quãtum intereſſet ad fortitudinem, & robur obtinendum, quod quis reges didicerit calcare? Iuſsit equidem Gedeõ id puero filio ſuo facere iuxta Abul. quia volebat ei auferre timorem gentilium, & fortem reddere illum ad prælia ſuperanda. Sed tenellus puer regali habitu, & maieſtate fulgentes viros timet, nec audet illis officere, malens paterna iuſſa contemnere. Vnde merito Arias putat hunc puerum degenerem, & ignauum ad bella: & merito ex hoc cenſendi ſunt milites Chriſtiani, qui enim ſic verentur, & colunt principum nutus, vt iuſſa Dei diſsimulẽt, & aliquando infringant, ne illis officiant, hi degeneres, & ignaui homines in virtutũ conflictu facile peribunt. Verum qui regios vultus Dei virtutiſque cauſa ſciunt contemnere, fortiſsimis his omnia certamina, etſi duriſsima cedunt. Id nouerat nobilis regina Æſter quando, cap. 24. id vnum precatur à Domino nimirum: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis.* Leonem vocat regem Aſſuerum, cum quo congreſſura nihil prius timet, quam ſua ipſius verba, vt hæc talia ſint, quæ cum Deo compoſita victoriam obtineãt à crudelitate regis. Et quidem maximæ virtutis argumentum eſt in conſpectu regum ea dare verba, quæ in eo compoſita ſint, vt regijs placitis, & edictis ſint oppoſita. Quis hęc dabit, magnas poterit ſperare victorias.

Æſter 24.

§. VI.

Ad Chriſtianorum triumphum ſpectat, quod quis in ſe peccatum regnans in primis expellat.

SIstvntvr Chriſti milites Regibus, vt inde Chriſtianus ſciat cum quo vitio ſit in primis congreſſurus, vt vincat reliqua; nimirum, cũ eo quod in eius mente præcipue regnat, & principatum exercet. Sic Ioſue cap. 10. ad ſuos loquitur: *Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum:* & merito dum ſuos victorias docet, iubet in primis calcari Reges: non enim aliter vitiorum phalanges vinces, niſi prius, quod vitium in te præcipue regnat, tradideris morti. Ex quo ſic monet Origen. hom. 11. in Ioſue: *Vtinam & tu talis eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes, & conculcares draconem, & baſiliſcum, id eſt, regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interemptis, qui in te regnabant opere peccati, ſolus in te regnet Chriſtus Ieſus.* Huc in primis ſpectet miles Chriſti, vt ſuæ mentis regulo ſe ſe opponat, vt nitatur in primis vincere illud vitium, quod in ſe regnum exercet, & cuius legibus ipſe rapitur, vt miſerandus ſeruus. Hunc præſtantiſsimum vincendi modum docuit Dominus dum in crucis ſtadio, etſi vt peccata omnia permeret, vitam profudit, nihil prius ſpectauit, quam poteſtates omnes, & principatus peccatorũ ſubiugare, quibus deuictis facile negotio poſſent ſperari victoriæ quæcumque. Quo reſpiciens D. Paulus ad Colloſſ. cap. 2. ait: *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat cõtrariũ nobis, & ipſum tulit de medio affigẽs illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palã triũphans illos in ſemetipſo.* Ecce tibi dũ mortem crucis præciſe exprimit, ſolum dicit, quod tulerit chirographum decreti, & illud cruci affixerit, non ait quod inde traduxerit confidenter: ſed cum in morte crucis addit ſpoliationem, & expugnationem poteſtatum, & principatum, iam inde nihil eſt, quod fieri non confidat, iam inde traduxit cõfidẽter, iam inde ſingularis, & maximus triumphus. Equidem magnum eſt, & præſtantiſsimum virtutis argumentum, ſi te peccatis opponas etiam per profuſionem vitæ: at cum principatus vitij in te debellas, ò quam confidenter properas ad triumphos; ò quam glorioſas victorias obtinere incipis! Non longe abeſt Chryſol. ſerm. 128. inquiens. *Summum eſt fratres pro Domino præſentem vitam, ſi neceſſe ſit, cõtemnere: ſed glorioſum eſt, etiam cum vita mundum ſuo temnere, & conculcare cum principe.* Vincit equidem qui vitam profundit, vbi res tulerit, ne peccatum admittat: ſed qui in ſuper peccati principatus conculcat, is confidenter aſpirat ad nouos quotidie, & glorioſos triumphos.

Coloſſ. 2.

Chryſolo.

§. VII.

Patientia martyrum nulli non facit manifeſtam virtutem Chriſtianam.

PRAESIDIBVS, & Regibus offeruntur Chriſti milites, vt ſint illis in teſtimoniũ. Et quis non percalleat virtutis Chriſtianę clariſsimum teſtimonium in tolerantia martyrũ? De martyris cuiuſcumque locutus Clemens Alexan. lib. 4. ſtrom. ait. *Is vero ferat teſtimoniũ ſibi quidem, quod ſit in Deũ ſyncerus, & germanus fidelis: tentatori autẽ, quod ſit fruſtra æmulatione percitus in eũ, qui eſt fidelis per dilectionẽ. Domino autem, quod à Deo ſit inſpirata doctrina perſuaſio, à qua non deficiet metu mortis: quin etiã facto confirmat veritatem prædicationis, potẽtem eum eſſe oſtendens, ad quem contendit.* Hæc euidentiſsima teſtimonia virtutum reddunt

Cle. Alex.

Ioſue 10.

Orig.

Chriſti

Christi milites stantes apud Præsides nationum, & Reges, vt nullus sit, vel Deus, vel homo, vel persecutor, vel amicus, qui sanguine testatas virtutes, immò rubricatas non videat. Quis homo non videat se syncere, & fideliter virtutem colere, pro qua non dubitat, & incarcerem, & in mortem ire? Quis non putet diuinitus inspiratam doctrinam, à qua nullus mortis metus deterret? Quis neget in dilectione Dei esse firmatum illum, cuius in ore diuinum nomen etiam inter tormenta laudatur? *Cypria.* Sapienter D. Cyprian. aiebat lib. de laude martyrij: *Etenim charissimi fratres, virtus est tanta martyrij, vt per illam credere etiã ille cogatur, qui te voluit occidere.* Ipsi tyranni, Neriones ipsi & Diocletiani non poterunt non videre, & confiteri inter effusos martyrum sanguines, splendores virtutum Christianarum, quo ipsi misere à supremo iudice damnabuntur. Ad hos plane pertinet dialogus ille inter Gedeõ, *Iud. 8.* & Reges Madianitarum apud Iudic. cap. 8. Enim verò Gedeon, postquam Zebeæ, & Salmana reges coram adduci fecit, sic ait ad illos. *Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? Qui respõderunt: Similes tui, & vnus ex eis, quasi filius regis*, hoc est, vnusquisque ex eis quasi filius regis. *Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filij matris meæ: Viuit Dominus, quia si seruassetis eos, non vos occiderem.* Merito inexcũsabiliter pereunt Gedeonis gladio miseri reges, qui percusserunt viros adeò illustres, & conspicuos, vt vel ipsissimi tyranni fateantur fuisse persimiles maximo duci, & regum filijs. Similiter vbi Christi milites à tyrãnis occiduntur, adeò se strenue gerunt, adeò conspicuum testimonium reddunt Christianarum virtutum, vt ipsissimi tyranni ad tribunal diuinum adducti, & interrogati de occisis, quales fuerint, dicturi sint summo iudici: *Similes tui, & vnusquisque ex eis, quasi filius regis.* Illa erat illis tolerantia in pœnis; illa serenitas in vultu; illa tranquillitas in animo; illa integritas in verbis; quæ regios, immò diuinos deceret spiritus. Nec tyranni barbarissimi, siue obcœcati Iudæi, siue ignorantes gentes poterunt diffiteri in tremendo iudicio à se interfectos summi, & diuinissimi principis Iesu virtutibus floruisse, de quarum vel vmbris ipsi, & philosophos, & strenuos viros suos reputabant diuinos. Quis neget hoc insuperabile esse martyrum testimonium aduersus gentes, quod in Christianis dum discerperentur, eas virtutes notabant, obquas ipsi plurimis honores diui- *Tertullian.* nos offerebant. Ideo Tertul. in Apologet. ait: *Propterea enim desperati, & perditi existimamur. Sed hæc desperatio, & perditio penes vos in causa gloriæ, & famæ vexillum virtutis extollit. Mutius dexteram suam libens in ara reliquit, &c.* Pergit alios numerare, qui ob constantiã qua se morti, & cruciatibus deuouerunt diui nos, apud nationes, obtinuerũt honores, quorum de virtutibus gloriosa vexilla ciuitates gentium extollebant. Et quanta id damnationesua? Equidem inde maxime damnandi Romani, quod triumphis ab igne reportatis in Scæuola adornentur, cum fortissimum Laurentium maiori, & glorioſiori triumpho viderint coruscare. Et sanè conuincentur ex suis, quanto maiores glorias, & virtutes præse tulerint viri Christiani.

Matth. 10. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

§. VIII.

Tribulationes pro Iesu susceptæ ex Deo halant verba fortitudinis, & sapientiæ.

NON vetat Dominus, quòd qui in causa fidei iudicibus sistuntur, meditentur ea, quæ dicturi sunt, vt bene notat Maldonatus, sed illam meditationem vetat, qua homines meticulosi, & formidinis pleni nimiam diffidentiam suam solent mõstrare. Et quidẽ Christi milites, dum sistuntur tribunalibus longè faciant à se formidinis, & diffidẽtiæ meditationem, scientes quod Christianum stadium, vbi Dei causa agitur, ex Deo verba fortitudinis, & omnigenæ sapientiæ halat. D. Paul. ad *D. Paul.* Philipp. cap. 1. ait, dum vinculis teneretur. *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Expende vnde sapientiæ, & fortitudinis verba abundantius emanent, nimirum ait: *Confidentes in vinculis meis:* vincula Pauli, & passiones confidentiæ, & fortitudinis verba, tanto impetu profluunt, vt illis alij repleti verbum Dei sine formidine loquatur. Et bene notat Chrysostom. quantam verborũ affluentiam in Paulo ipso vincula parturirent, quando talem copiam faciunt redundare in

vicinos? Mihi credite nunquam ex Rethorũ ore tanta effunduntur verborum flumina; quanta ex vinculis, & vulneribus facit diuinus spiritus parturiri. Iob coram regibus calumniatibus, & reprehendentibus constitutus, quam pulchras orationes texuit? Quanta sapientia plenos sermones edixit? Quod si cupis scire causam facundiæ, ipse textus indigitat, cap. 3. inquiens. *Post hæc aperuit Iob os suũ.* Iob 3. Post quæ? Post spoliatũ bonis omnibus; post orbatum filijs; post percussum à dæmone; postquam reges obiurgatores coram vidit, aperuit os suum, & inde non potuit non ornate, & sapienter, & facunde dicere. Ita Olympiod. in Cat. Græc. ait. *Post hæc ergo Iob os aperit, id est, post illas calamitates. Toto autem corpore excruciatus haud improbabilem format orationem, neque animi rationem lingua præcurrit, sed sapientibus vocibus moderatur. In eo enim ipso, quod os aperuit, decorem orationis præsetulit.* Olympiod. Faciunt hoc vincula, & præsuræ propter Deum, vel susceptæ, vel acceptatæ; ne verba incomposita elabantur coram principibus, ne linguæ præcipitatione fiant lapsus linguæ: sed aperte sapienter ore, & composita, & ornata, & fortitudinis plena verba prosiliant. Iam dudum nouit diuinus spiritus linguis insidere fidelium, qui sistendi erant Principibus mũdi, pro Christi nomine contumelias passuri. Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertita lingua, tãquam ignis.* Quæ verba cum præsentibus Matth. verbis componens D. Prosper. inquit epist. ad Demetriad. *In specie linguarum apparuit ignearum, vt dubium non esset per eius inspirationem, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari, sicut ipse Dominus discipulis suis insinuauit, & dixit: Cũ tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ecce tibi iam dudum spiritus diuinus sibi sedem parauit in linguis, ne cum sistuntur principibus, deficiant sapientiæ verba Dei famulis.

Actor. 2. D. Prosp.

§. IX.

Dei est apud Principes sæculi pro causa iusta verba inspirare.

VBI seruorũ Dei negotia apud sæculares potestates aguntur, nõ ibi requiritur facundia humana; ad Deum enim spectat, tũc verba sapientiæ inspirare, & ministrare. Hinc illa sapiens regina Esther pro liberatione sui populi, etiam cum proprio discrimine editura seueriſimum regem non ipsa meditatur, & cõponit sermones, quos loquatur, non à patrũo suo Mardochæo instructionẽ requirit; quod faciunt etiam prudentes viri in negotijs sæcularibus, in quibus consulunt alios; & tractatus scribunt, & singula verba pensant, & bis, & ter reuocant ad limam, præcipue si ad regem sunt locuturi. Nihil horum audio fecisse Esther, sed omne studium remittens Deo, sic orat, cap. 14. *Da mihi fiduciam Domine rex Deorum, & vniuersæ potestatis: tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis.* Esther 14. Non sermonem petit, quem ipsa, vel suo, vel Mardochæi studio componat, sed sermonem compositum, & elaboratum, beneque concinnatum à Deo exigit, ea fiducia, qua ipsa parata est venire in cõspectum leonis nempe regis. In quo puncto, pro tali causa non ad hominem, sed ad Deum spectat totũ cõcinnare sermonem, & singula inspirare verba: adeò, vt maleficus Balaam neget se coram rege posse loqui alia verba in causa populi Israelitici, nisi quæ à Deo inspirata habuerit. Sic Numer. 22. vbi vocatus à rege Balac fuit ad maledicendum populo Israelitico, cum primum à rege vrgebatur, vt maledictionem exerceret, ipse ait. *Nunquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Sed cur non poterit perfidus homo loqui aliud, nisi quod Deus posuerit in ore eius? An non ipsi loqui consueuit mille mendacia? Equidem cum aliàs loquebatur, mendacia cõsuebat mendacijs; verum vbi coram rege de salute populi Israelitici agendum erat, in puncto illo non quod fœtidum os ex se manaret, sed quod ibi Deus posuerit verbum, erat prodendum, quando ad Deum spectat in salutis causa coram regibus inspirare verba. Hinc cõcludit Tert. aduersus Marc. lib. 4. concordiam veteris, & noui testamenti, eo quod similiter ad Iesum, & ad Deũ spectat cõponere verba, quæ pro salute populi fidelis corã regibus dici debent. Etenim post adducta Iesu verba hic data, ait Tert. *Balaã prophetes in Arithmis arcessitus à Rege Balac ad maledicendum Israel, cum prælium inibat, simul spiritu implebatur, non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsa hora suggerebat spiritus benedictionem pronũtiabat, ante professus ante nuntios Regis mox etiam apud ipsum, id se pro nuntiaturũ, quod Deus ori eius indidisset. Hæ sunt nouæ doctrinæ noui Christi, quas olim famuli creatoris initiarũt.* Tertull. Vbi cumque pro salute populi verba coram regibus dentur, ad Deum spectat illa verba dare, cuius est in ore ponere sermones, qui salutem conducere valeant.

Numer. 22.

§. X.

Ab humana lingua cauèndum est, vbi ab errore victoria est reportanda.

QVAM prouidè Dominus vetat nobis parare ex nobis ea, quæ dicenda sunt pro veritate coram tyrannis tutandâ; & soli diuino spiritui remittit tunc pro nobis, & in nobis verba facere. Equidem numquam certius ab errore victoria est reportanda, quam vbi nostra silet lingua, & solus Deus in nobis loquitur. Quanta erat solicitudo fortissimæ illius fœminæ, & matris tot sæculis decantatæ quę septem filios Machabæos pro Deo vero vidit mactari? Anxia erat mater, & sollicita vehementer ne inter cruciatus vehementissimos aliquis filius labaret, & errori succũberet. Inter quas sollicitudines Machab. 2. cap. 6. Rex impius *iussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam.* Id quod meditatus Stephanus Cantuarien sis apud Tylmamni allegorias sic ponderat, & matris felicitatem, & securitatem. *Rex iussit ei linguam amputari. Quid glorioſius potuit matri contingere?* Equidem matri anxiæ & sollicitę, ne in filijs error inueniret aditum, sed de errore veritas triũpharet, nihil auspicatius, nihil felicius accidere potuit, quam videre in filio humanam linguam mutescere, immò eradicari. Pulchrè Prudentius Hymno de Sancto Rom. ait.

Linguam tyrannus amputari iusserat
Vni ex ephebis: mater aiebat: satis
Iam parta nobis gloria est.

Quasi habetur iam secura de errore victoria, vbi linguæ lapsus eradicantur. Vbi humana lingua est, quot lapsus, quot errores, quot nascuntur mendacia? Præclare Ecclesiasticus cap. 25. ait. *Beatus qui lingua sua non est lapsus.* Et quidem quam difficulter potest inueniri beatitudo in hac valle miseriarum, pene tam difficulter lingua humana potest liberâ inueniri à lapsu. Vnde nihil tam fugit Spiritus veritatis, quam humanam linguam, nihil tam amat spiritus erroris, quam linguam humanam. Ecce tibi de spiritu veritatis, quid dicitur in præsenti: *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non, ait, qui loquitur in ore vestro, in lingua vestra, sed quasi vehementer sibi caueat ab humana lingua, nec illius voluit meminisse, tantum asserit, *qui loquitur in vobis.* E cõtra spiritus erroris ait, 3. Reg. 22. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis.* Non dixit ero spiritus mẽdax in omnibus prophetis, sed in ore omniũ prophetarum, quasi ex eo sibi promittat errorum, mendaciorumque efficaciam, quod in ore, & lingua hominum sederit. Amat erroris spiritus humanas linguas, vt quæ erroribus aprime seruiant: quas studiosè fugit spiritus veritatis, & ideò ait, quod loquetur in nobis; immò quasi semper à nostra lingua caueret, dicit Aggæi 1. *Factum est verbum Domini in manu Aggai*; & nescio an aliquando verbũ Dei factum esse dicatur in ore hominis. Semel illud audio apud Ierem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Sed quanta id factum est Dei solicitudine, & cura ex sequentibus patet, quando statim subdit. *Vigilabo ego super verbum meum, vt faciam illud.* Quippe dũ traditum est Dei verbum hominum linguis, opus est diuinis vigilijs, & curis magnis, vt bonum possit effectũ sortiri. Eu quam errant hi, qui in verbo Dei prædicando, multum volunt tribuere propriæ linguæ cultui. His similis erat Balaam cuius in ore cum posuisset Dominus verbum suum, vide, quam inepte tractet illud. Num. 23. *At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi filij Sephor. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Expende quot verba conglomeret: Balac, filius Sephor: Ausculta, Audi, Nõ est Deus quasi homo; Nec quasi filius hominis: Dixit: Loquutus est: Nõ faciet, Non implebit. Vix aliud percipitur, quã crebra eiusdem verbuli repetitio, vt vocularũ cultu, magis quam iniuriæ spinis suffocetur, & adulteretur Dei verbum. De isto Rupert. lib. 2. in Num. cap. 19. ait. *Bene ergo, & ipso locutionis modo formam illorum exprimit, qui verbum Dei adulterant, qui dum benedictiones cantitant, de virtute verborum non curant, magisque vocula suæ tripudium, quam diuinorum maiestatem attendunt sensuum.* Cessetergo humana lingua, vbi error ablegandus est, vbi Dei verbum nõ adulteratum, non suffocatum, sed viuidum, & penetrabilius omni gladio anticipite manifestandum est. Merito dicebat, Psalm. 31. *Quoniam apud te est fons vitæ*: Ad quæ Augustin. tract. 25. in Ioann. *Apud te est fons vitæ, non apud nos. Ideo intrare debemus, vt viuamus, non quasi de nostro velle saciari, vt arescamus, sed os ad ipsum fontem ponere, vbi aqua non deficit.* Nõ in humana facundia, & linguæ humanæ cultu confidamus, ne erremus, ne arescamus de nostro, solum enim apud Deum fons vitæ est, vndè verba vitæ æternæ saliunt in salutem propriam, & animarum.

2. Mach. 6.

Cantuar.

Prudent.

Eccles. 25.

3. Reg. 22.

Num. 23

Rupert.

Psalm. 31.

Aug.

Matth. 10. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in pa-

rentes, & morte eos afficient; & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

§. X.

Maximus dolor est, quod à tuis affligaris.

PAVCIS verbis proposuit Dominus summam persecutionis acerbitatem, nimirum quod filij à parentibus, & frater à fratre agendus est in mortem. Non enim tantum dolorẽ explicaret, si flammantes lectulos, si nobacularum rotas, si crudelissimos tortores exhiberet, quam dum persecutionem à parentibus, & fratribus, & propinquis excitandam proponit. Hic est summi doloris aculeus, hęc omniũ acerbitatum summa est, quod ab his mortem recipias, à quibus spectares tutamen. Hinc æstimat Abulensis extremam Abimelechi calamitatem, in quam incidit, vt paruam nominis euitaret infamiam. De quo Iudic. 9. dicitur. *Ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum, euagina gladium tuum, & percute me ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus sim.* Expende quò illum inanissimæ gloriolæ ambitio deiecit, vt ab eo mortem peteret, à quo auxilium deberet expectare. Cur miser à tuis postulas interfici? Nonne velis nolis à muliere in has angustias deuenis, vt moriendum tibi sit necessario? Cur vltra lethalem à fœmina plagam acceptam, adhuc petis aliam ab armigero tuo? Rem attigit Abbulẽs. ibi quæst. 53. aiens. *Deus perturbauit Abimelechi iudicium, vt magis pateretur, & efficeretur calamitosior: quia à viris suis interficiebatur. Sed miserrimũ est ab eo occidi, à quo quis iuuandus est.* Hæc sanè est inter calamitates maxima, & à qua maxime humanum cor abhorret. Qua propter Dominus illam discipulis suis venturam prædicit, flammis, crucibus, gladijsque tortorum relictis. Hanc similiter calamitatem primitiua Ecclesia lamentatur, Cant. 1. dum ait. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Pugnauerunt equidem contra Ecclesiam extranei, & pugnarunt acerrime, & crudeliter Nerones, Diocletiani, & innumeri alij barbarissimi tyranni, & horum durissimis pugnis dimissis solum meminit sponsa persecutiones à parentibus, à fratribus susceptas; & quidem non casu has meminit, sed vt ostendat summam in dolore suo differentiam. Id quod tradit D. Bernard. 29. in Cant. aiens. *Sola exprimitur persecutio à domesticis, & tacentur tot, & tam grauia, quæ vbique terrarũ ex omni natione, quæ sub cælo est, ab infidelibus, ab Hæreticis, & schismatibus pertulisse cognoscitur. Noui sponsæ prudentiam, nec putauerim casu hæc illam, aut quasi immemorem præterisse. Sed profectò id expressius plangit, quod & sentit differentius.* Vix est vlla comparatio inter persecutionem à tuis excitatam, & persecutionem ab extraneis profectam; hæc etsi maxima videatur, prorsus euanet ad illius conspectũ. An non maxima erat miseria, quòd potentissimus rex Dauid à vili homine Semei cõuitia, & opprobria exciperet? Sed ecce tibi quid loquatur Dauid sub tanta miseria constitutus. *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis hic filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat:* Nihil æstimat opprobria, & maledicta Semei comparata cum his, quæ patitur à filio; vt filij in se crudelitatem meminit, cætera omnia præterit, & paruipendet. Hinc oriebatur illa eiusdem vox, Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Et si is, qui oderat me super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus.* Quid tunc? D. Bern. vbi supra explicat: *Hoc est, quod à te patior contubernali meo id molestius sentio; fero ægrius.* Inde est, quod Iesus Dominus, cum toties lapidibus peteretur, ipse nunquam voluit pati lapides. Cur qui passurus erat crucem, noluit pati lapides? Ne in singulis lapidibus cogeretur cognoscere, & aduertere suorum duritiã. Hæc me fecit cogitare D. August. serm. 92. de diuersis, vbi de Iudęis Stephanum lapidãtibus, ait. *Cum ad lapides cucurrissent, duri ad duros, iactabant in illum pares suos.* Equidem nullus esset iactus lapidis, qui non representaret Iudæorum manum, & Iesu dolorem exacerbaret sentiens suorum duritiem, & crudelitatem.

Iudic. 9.

Abulens.

Cant. 1.

D. Bernar.

Psalm. 54.

Bernard.

August.

§. XI.

Veræ Ecclesiæ persecutores prorsus exleges.

ET si non aliud esset, hoc in primis do signum veræ persecutorum Ecclesiæ, quod apud illos nulla valeat lex, nec naturæ, sed prorsus inueniantur exleges. De illis sic pronũtiat D. Iudas in sua Canonica: *Væ illis, qui in via Cain abierunt.* Quasi hoc sit maxime adiũctum, quòd qui à vera Christi Ecclesia abeũt, cõtinuo in viam Caini errent. Quid est ire in

D. Iud.

viam

viam Cain? Ille abit in viam Cain, apud quem nulla lex valet, nec ipſius naturæ, ſed ſic bruteſcit, & efferatur, vt frater fratrem perdat.

Gen. 4. Quærebat Dominus ex Cain, Geneſ. 4. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Sed bone Deus cur primum reum vocas ad iudicium, ab illoque delictum quæris? Cur non prius teſtes examinas, & poſt horum teſtimonium ad reum accedis? Soli Adam, & Eua teſtes eſſe poterant homicidij, ſed noluit Auctor naturę, quod, qui ad propagationem naturæ ordinabantur, parentes nimirum, aduerſus filium, teſtimonium dixerint. Id quod pulchris verbis exprimit D. Am

D. Ambr. broſ. ibi inquiens: *Parentes tui accuſatores eſſe non poſſunt, ò Cain. Nolo enim, vt ea neceſsitudo, quæ eſt auctor ſalutis, fiat auctor periculi. In te ſolo natura leges amiſerit.* Et quidem vbicumque verus Dei datur cultus, veraque ſeruatur religio, nullum filium accuſant parentes; nec propinquitas, & neceſsitudo, quæ eſt auctor ſalutis, fit auctor periculi. In ſolis infidelibus in ſolis his, qui à vera religione deſecerunt, natura leges amittit, & prorſus exleges crudeliſsimi abeunt in viam Caini. Apud quos neceſsitudo fit auctor periculi, & natura leges amittit ſuas, nõ quæras veram religionem, veri Dei cultũ. Nihil enim magis verus Deus per-

Ezech. 23. ſequitur, quã ſimilia parricidia. Apud Ezech. c. 23. ſic Deus quærirur: *Cum immolarent filios ſuos idolis ſuis, & ingrederentur ſanctuarium meum in die illa, vt polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.* Non ſolum parricidia abominatur Dominus, ſed & illud ad augendã offenſionem ſuam accumulat, quod hi qui in filios ſuos prætextu religionis adeò crudeles extiterunt, auderent veri Dei domũ pertingere. Similis enim crudelitas in filios inuenitur extra Dei veri domũ, & quaſi illa inſignuntur, qui à vera religione deficiunt. At qui tantæ impietatis ſunt rei, ſi vel Dei domus limen pertingere auſi fuiſſent, in extremum audaciæ, & impudentię deueniſſent. Sic Theo

Theod. doretus ibi; *Multa eſt impietatis exuperantia; primum enim quod ipſi filios iugularint, extremus eſt impietatis terminus. Sed quod poſt eiuſcemodi facinus etiam ad diuina veſtibula conſcenderint, hoc vero cuiuſnam talis exuperandæ impietatis locum relinquit?* Pene inſuperabilis eſt impietas illius, qui in domo Dei audeat gloriari de filiorum parricidio alicuius religionis prætextu: quandoquidem huiuſmodi crudelitas eos ſolum deſignat, qui prorſus exleges à vera Eccleſia deficiunt.

§. XII.

Magnum Dei eſt beneficium, quod carnalium propinquorum adfectus emortuus nobis appareat.

VIDE ingentem perſecutionis vim, quod parentes, quod propinqui ſibi inuicem tortores exiſtant. Pater tradet in mortem filiũ, & filius patrem. Quid durius? Quid pernicioſius? Sanè durius longè eſſet, & pernicioſius, ſi pater non tortor, ſed pater carnalis exiſteret; & non in mortem duriſsimam, ſed in requiem temporalem filios alliceret. Sunt equidem validiſsimi carnalium propinquorũ affectus ad humanas mentes trahendas: vix audio vnum ſeparatum à Chriſto propter propinquorum perſecutionem; ſed ſunt innumeri, quos propinquorum mellita lingua, ſuaſoria verba in perditionem eiecerint. Nouit hoc hoſtis hominũ dum poſt mille dolores, poſt tormenta mille, poſt ingentes calamitates, vnum adhuc, & validiſsimum telum parat in Iob, nimirum vxoris ſuadelam. Hæc iuxta le

Lxx. ctionem Vaticanam Septuag. ſic fatur cap. 2. *Quouſque ſuſtinebis, dicens. Ecce permaneo, tempus adhuc paruum expectans ſpem ſalutis meæ? :: Tu verò ipſe in putredine vermium ſedes pernoctans ſubdio: & ego errans, & ancilla, locum ex loco, & domum ex domo expectans ſolem, quando occidit, & requieſcam ab æruminis, & doloribus.* Quem adamantem non frangerent hæc verba? Quæ tela penetrabiliora excogitari poſſent? Fallar ſi tormenta omnia excogitata à tyrannis ſic valent corda humana turbare: merito de hoc telo dicit Chryſoſtom. in Caten.

Chryſoſto. Græc. *Cum in malis huiuſmodi Iob eſſet, & quaſi in ſartagine verſaretur vndique, atque inteſtinis externiſque premeretur ærumnis, vxoris illi machinæ admouebantur; & quæ coniux erat, diaboli efficitur telum, dumque diabolo linguam cõmodat ſuam, in virum ſagittas cõtorquet multoque in eum atrocius, & pernicioſius, quã illa ipſa, quæ expoſita ſunt, iaculatur.* Et ſanè atrocius, & pernicioſius impugnatur miles Chriſti propinquorum ſiue labijs, ſiue oculis, quam vniuerſis tormentis diaboli. Vndè cum aduerſus fideles propinquitatis, & neceſsitudinis iura exuuntur, ipſique parentes, non parentes, ſed tortores agunt: beneficium Dei eſt, vt ſui milites emortuum videant validiſsimum naturæ affectum, & ſic ſecuriores pertranſeãt. Cum exercitus Iſraelitici vellent tranſire Iordanem, cuius vitaliſsimi fontes aditum impediebant, ad præſentiam arcæ fœderis factum eſt miraculum grande, nimirum, quod ſuperiores vndę ſteterint, inſtar montis intumeſcentis;

centis; de inferioribus autem expẽde, quod dicat textus Iosue cap. 3. *Quæ autem inferiores erant in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt.* Itaque viuidi fontes aquarum, quæ viuida vena profluentes viam Israelitis impediebant, vbi in mare mortuum deuenerunt, & securam, & facilem relinquunt viam Israelitis, qua in terram promissionis pertranseant. Quis iter ad Deum faceret si dulcissimi vitæ fluctus percurrerent, viuoque profluuio ripas allamberent? Quis ad Deum seuerus iret si à cognatorum ore verborum flumina ebullirent, mulcerent aures, viuidosque necessitudinis, & amoris affectus præsentarent? Felix cui hæc flumina in mare mortuum dilapsa obijciuntur, in quibus nihil non morrem crucemque minitans non possit spectare. Is securus ad Deum pertranshet. Iam affero Galfridũ apud Tylmamni allegorias, sic sentem. *Fateor mare esse, sed mare mortuum in quo nauigas. Et quantas debes gratiarum actiones Deo, quod mare vnum seruens, & fremens altissimum, & intrans meabile, mari mortuo cõmutarit? Vtinam per mortuum mare ad terram viuentium valeas peruenire. Vtinam mortuum magis transuehat te quã viuũ absorbeatte.* Quis neget interfluctus maris esse illum qui ab ipsis parentibus, & propinquis petitur ad mortem, sed id mare mortuum est, dum viuerent fluctus dum viuos affectus ostenderent, maxime trahereris à flumine, & viuido fluenti cõpeditus, vix posses gradum facere. At post quam quidquid vides mortem spirat, securior vadis, non te fluctus absorvebit, sed mare mortuum magis te interram viuentem transuehet.

Iosue 3.

Galfrid.

§. XIII.

Christi athletæ in stadio passionis à diuino nomine accipiunt, & tutamen, & delicias.

TOT tantáque mala à parentibus, à cognatis, ab vniuersis hominibus profecta in Iesu seruos, & repelluntur, & sopiuntur vno Dei nomine obiecto propter quod sufferuntur. Quippe ait: *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Vbi enim Dei nomine armantur fideles, quæ spicula nõ repellãt? E quibus fellibus dulcorem non eliciant? Psalm. 108 Psalm. 108. ab hostibus circunseptus, aculeisque mille appetitus aiebat. *Circuierunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis, & in nomine Dominiquia vltus sum in eos.* Expende quantum Dei nomen sit, in quo aduersus ardentes flammas, furentes hostium cuneos audet Dauid, & sumit vindictam. Chrysostom. Chrysostomus ibi: *Eos adeò vehementer accensos non solum subter fugi, sed etiam vltus sum. Tanquã ignis enim accurrebant, tanquam apes cum magna animi alacritate inuidebãt; intus interceptum tenebãt, nec aliquid potuerũt facere. Arma enim inuicta auxilium inexpugnabile Dei nomen omnes expalit.* Vbi Dei nomen tibi proponis, propter quod pugnes, cur non rideas hostes? Cur non contemnas flammas? Arma inuicta: auxilium in expugnauile est Dei nomen quo inter ipsa pericula; inter carceres, & lanienas quasi inter festos ludos effulges adornatus. In carcere erat Ioseph, ferro oppressus, vinculis præpeditus, & dum sic est nihil magis in ore habet quam Dei nomen: hoc sæpe sæpius pronuntiat, cum loquitur, cum respondet. Etenim Genes. 40. interrogatus à concaptiuis suis de somnio, quod illis contigit, hoc primum fatur. *Nun quid, non Dei est manifestatio?* Cur toties miser captiuus Dei nomen versat in ore? Sanè, vt inter miserias, inter carcerum calamitates, inter vinculorum dolores, de nomine Dei appareat, & munitus & adornatus. Ita Theodoretus serm. 8. de Prouidentia, fatur. *Vbique Dei nomen circumfert, & hoc animam suam simul atque sermones suos exornat.* Non sic aureis armis adornatus media in arena exultat miles, vt inter ipsos carceres, inter vincula, inter lanienas ipsas effulget de Dei nomine adornatus athleta Christianus. Cum propter Dei nomen quis percutitur, sic inter percussiones agit, quasi ornatus sponsus medijs dilectę amplexibus. Diuinæ spõsæ est vox illa, Cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* In læua tormenta sunt, passiones sunt, persecutiones sunt, & nihilominus dum in his versatur sponsa solos sui dilectiam plexus meditatur, & non tam agit vt puluerulenta bellatrix in tormentorum stadio, quam vt pulcherrima virgo inter dilectissimi sponsi brachia. Vnde hoc? Quia pro nomine Dei patitur. Ita Aponius lib. 3. in Cant. fatur. *Catastæ quippe, & diuersarum pœnarum tormenta impijs & stultis ignominiosa, & detestabilia videbantur: martyribus autem deliciarum gaudia, & lassantium requiei lectuli deputantur. Vbi proludibrio arridet incendia, vbi animi probati, cõuertuntur amphiteatra in Paradisum, craticulæ, & sartagines in mollissimam plumam, flammarum globi ingratissimos flores, liquefactam plumbum in balsamorum vnguenta, flagellorum virgarumque, & vngularum solatiam in piniculis delicatissimis; quibus anima ab omni peccatorum sorde extersa ad antiquam pulchritudinem reuocata suo redditur creatori. Ipsa quoque mors pro Christo susceptæ omni gaudio, omnique iucunditati, & ipsi quoque pretiosissimo lapidi pratiosior anteponitur.* Hęc ille.

Genes. 40.

Theodor.

Cant. 2.

Apon.

§. XIIII.

In ærumnis, & laboribus patientia trahit perseuerantiam, quæ à Deo venit.

POST explicatas multiplices persecutiones, multiplicia tormenta, sapienter additur illud: *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*, quando quidem laborum tolerantia, & patientia mater est perseuerantiæ. Paulus. 1. ad Corinth. cap. 13. ait: *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Et post pauca subdit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas*. Prophetiam, linguam, scientiam abolitio sequitur: fidem autem spem, charitatem permanentia, & perseuerantia comitatur. Cur magis euacuabuntur illæ, & hæ magis perseuerabunt? Quia fides. spes, & charitas dum hic sunt, in hac valle miseriarum, in hoc mundi stadio, patientiam, & laborum tolerantiam adhibent sibi sociam, de qua habent, vt firmius radicatæ perseuerent, & maneant. Tertul. lib. de Patientia, ait. *Exauriuntur linguæ, scientiæ, & prophetiæ; permanent fides, spes, charitas; fides, quam Christi patientia induxit: spes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.* Nulla virtus perseuerat diu quę non habet patientiam matrem, vel sociam. Hæc est quæ firmat, quæ stabilit cæteras virtutes; facitque, vt eas vniuersæ radices mittant, quibus deficilime possint deturbari. Vnde de regina omniũ virtutum Charitate asserit Paulus vbi supra: *Charitas numquam excidit*: & vnde Paulus tantam firmitatem potuit adscribere Charitati? Sanè ex eo, quod paulo ante notabat nimirũ *Charitas patiens est, benigna est: omnia suffert; omnia sustinet*. Ex quo acute argumẽtatur cum Apostolo Tertul. supra. *Ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet*. Et quidem quæ tam cõtinuo habet secum sociam patientiam parum metuet casus. Hinc vide quam prudenter monebat D. Iacobus in sua canon. cap. 1. *Patientia autem opus perfectum habeat: vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes*. Nemo nõ deficiet in pluribus, nisi patientia fulciatur; si verò fueris patiens, non excides, non deficies, vt merito à D. Bern. epist. 126. vocetur perseuerantia *Soror patientiæ*, quasi perseuerantia sola sine patientia non inueniatur. Patientia est, quæ firmitudinem in bonis præstat: quapropter Psalm. 26. aiebat. *Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum*. Græci posuerunt: *sustine Dominum*, quasi ad firmitudinem cordis, hoc semper prærequiratur, vt quis sustinere sciat. Vndè Theodoretus in Caten. Græca, ait. *Mens virilitate armata, & per hanc ingruentium calamitatum victrix corroboratur, & vincit*. Quò tolerantia creuerit, eò firmitas nostræ mentis augetur, adeò vt perfectissime corroborata non deficiat. In concussum Iobi robur vniuersis creaturis accidit ad miraculum, & eius vxor mirabunda, quod nec tanto ariete labaret, sic affatur virum cap. 2. iuxta Septuag. lectionem, inquiens. *Quousque sustinebis?* & benè interrogat quousque? quia vbi tanta est patientia ad sustinendum, nemo est, qui possit videre roboris finem; sed, & patientia, & firmitas nescient finiri. Id quod innuebat D. Athan. in Cat. Græca inquiens. *Itaque Iobus sustinendo confirmabatur*. patientia addebat robur, & firmitatem, qua Iob in bono persisteret. Et vnde potest patientia sic confirmare humanas mentes, ne deficiant. Sanè ex Deo id potest: nulla enim perseuerantia venit, quæ non à Deo non proficiscatur. Quod in Petro Dominus nobis ostendit: cum enim Petrus Matth. 14. de imperio Iesu inciperet super aquas maris ambulare: *Videns ventum validum timuit, & cum cæpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac*; quod ideo accidit, ne putemus perseuerantiã in bono ab alio, quam à Deo posse venire. De quo Victor Antioch. in Marcum, cap. 6. *Initio quidem intrepide super aquas ambulat, verum vbi primum fluctibus iactari, ventoque vehementiori flante, metumque augente animum despondere cæpit: incæptum iter deseruit: Domino per hoc docente, non sua sed sola Christi virtute, id quod inchoauerat explere potuisse*. Hæc ille.

CAPVT QVARTVM.

De signis euersionis Ierosolymæ.

VT Ierosolymæ florentissimæ ciuitatis euersio, sanctissimique templi destructio maxime Iudæorum in Iesum facinus damnatura erat: sic Dominus multus est non solum in illa prædicenda, sed, & in signis, & apparatibus, qui tantam ruinam præcedent, explicandis. De illis Matth. cap. 24. Marc. 13. Luc. 21. vt luculenter explicat noster Salmeron tom. 4. varijs tractatibus, & præcipue tract. 37. vbi prælia, & seditiones numerat, quæ à Iesu passo miseros Iudæos afflixerunt. Nos ex Luca partẽ in præsenti dabimus, quæ nostro proposito magis conducant.

Luc. 21.

Luc. 21. Et quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus,& donis ornatum eſſet,dixit: Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

§. I.

Cultus exterior abominatio eſt Deo, quando interior deficit.

NON pretioſis lapidibus,nec aureis tectis gaudet Dominus, ſed aureis animabus, pretioſaque vita,& morte iuſtorum. Abominatio eſt Deo pompa,& cultus exterior,quando interior deficit. Sic glorioſiſsimi templi
3. *Reg.* 9. ædificatori loquebatur Dominus, 3. Reg. 9. *Si autem auerſione auerſi fueritis vos,& filij veſtri non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea: : auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis, & templum quod ſanctificaui nomine meo proijciam à conſpectu meo.* Si interior animorum cultus deficiat; quidquid magnum, quidquid ſublime exterioris cultus eſt, Deus abominatur,& à ſe proijcit: vnũ hoc eſtimãs, nimirum in animis recipi virtute adornatis, & inſignitis. Cũ horrore accepi à Babylonio Rege templum Ieroſolymitanum traditum fuiſſe igni; ſed & tres pueros in ardentem fornacem coniectos fuiſſe. Et quod mireris magis: Ecce tibi templum ardet, totumque abit in fauillas: tres autem pueri,& ſibi adſtantem oſtendunt Deum,& innocuum ignem. Bone Deus in ampliſsimo tuo templo non oſtẽderis, ſed illud ſinis redigi in cineres, & inter pũerulos captiuos manifeſtaris ab illis arcens moleſtiam ignis? Cur tàm inæqualiter templum tractas,& pueros? Rem attigit Rupert.
Rupert. lib. 6. de vict. cap. 25. inquiens: *Non poterat hic Deus excelſus templum ſuum, quod erat Ieroſolymis, illæſum cuſtodire à flammis incendij Babylonij, qui tres pueros taliter cuſtodiuit in camino ignis? Poterat: ſed erudiendus erat mundus, vt ſciret, quod Deus excelſus non pulchris lapidibus, aureis ve parietibus templi manu facti delectatur; ſed fidei claritate, & mundis cordibus, & ille eſt ei optabilis locus.* Illum locum, illud templum reſpicit Deus, in quo fidei claritas radiat, in quo candicat pudicitia; in quo fulget charitas,& multæ aliæ virtutes aſsiſtũt: quod ſi harum ornatus abſit, pretioſos lapides, aureos parietes, omniaque pretioſa diuitum ornamẽta parui ducit, immò deſpicit, & abominatur. Miſere ſe fallunt, qui ſuis volũptatibus traditi ſatis ſe putant honorare Deum muneribus aureis, magnificis erectis tẽplis, pretioſis vaſis appoſitis: æſtimat equidẽ Deus hos cultus, cum ab interiori pietate proficiſcũtur, verum vbi cætera interna deficiunt, & hæc pretioſiſsima ſpernit, illaque à cõſpectu proijcit ſuo. Dan. 1. dicitur: *Venit Nabuchodoſor rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam: & tradidit Dominus in manus eius Ioacim regem Iudæ, & partem vaſorum domus Dei: & aſportauit ea in terram Sennaar.* Dan. 1. Cur talem cladem permiſit Deus? Cur non magis templi ſui vaſa defendit? Nonne hæc ibi populi religio,& pietas poſuerat Domino ſuo, & ea pretioſiſsima? Sic deſpicit munera pietatis? Sanè aurea munera dum offerentium pietatem teſtantur, placent Deo; dum autem ſuccedit impietas, prorſus illa à Deo deſpiciũtur. Sic ſatur Theodoretus, ſerm. 10. de Prouid. *Theod.* *Quãdo pietati ſtudemus, à nobis oblata ſuſcipit Deus, nos curare volens: quãdo verò ad impietatem impegimus, ipſe etiam oblata à nobis reijcit munera.* Non ex pretioſitate,& gloria externi cultus, externorum munerum, ſed ex pietate, ex fide, ex internis virtutibus metienda eſt Dei gratia. Grátiſsimi ſunt Deo glorioſi cultus exterioris apparatus cum grandi pietate coniuncti: gratiſsimi aurei tapetes, pretioſi lapides, templa orbis miraculis haud diſsimilia, ſi cum ornatu interno virtutum à fidelibus offerantur, dedicentur. Verum vbi pietas deficit, & ſuccedit impietas,& intrant cætera vitia, pretioſiſsimũ munus vileſcit,& ſic apparet Deo quaſi rude, impollitũque opus, & omnino reiectitium. Quod munus ditius,& pretioſius,& ornatius Salomonico templo? Vbi vitia in eius miniſtros intrant, vide quid de illo dicat Dominus, Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* *Matth.* 21. Ecce tibi ampliſsima domus multo elaborata ſtudio, ſummis artis pulcritudinibus exornata, ab impietate, & vitijs habitantium eam faciem ſumit, qua rudis,& inculta ſpelũca Deo appareat. Orig. in c. 2. Ioann. ait: *Orig.* *Sola domus orationis neglecta latrones etiam recipit, quæ non eorum domus facta eſt, ſed ſpelunca, res, quæ non ab architectura, & rationis induſtria facta eſſet.* Sic eſt Deo quodlibet munus ſeiunctum ab animi pietate; nimirum, opus nullius pretij, nullius ãrtis, nullius laboris, & induſtriæ,& prorſus abominabile.

§. II.

Hoc eſt timendum ſemper in diuinis donis, quod amitti poſſunt, & auferri.

HOC habent onus cuncta Dei dona,& beneficia, nimirum, quod homines in illis non

non eàs agãt radices, quæ non possint euelli, & funditus extirpari, vbi peccatum intrauerit. Data fuit Ierosolyma Israelitis, & tandem propter eorum peccata euanuit. Repete verba præcedenti, §. data ex 3. Reg. 9. *Si autem auersione auersi fueritis vos, & filij vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea: auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis, & templum, &c.* Itaque Dominus dedit Ierosolymam Iudæis post mille promissiones, quam illi multis sæculis incoluerunt, tamen vbi illã amittere digni sunt, expende quid dicat Dominus: *Auferam Israel de superficie terræ, quã dedi eis:* non ait: eradicabo Israel de intimis terræ, sed auferam desuperficie. Cur non potius de intimis? Non ne terreni homines per tot sæcula habitantes terram, altas in illa egissent radices? Absit, non enim ea sunt Dei dona, quæ patiantur in se radicari peccatores: immò quisquis peccare potest, quasi in superficie est diuinorum donorum, vt intrante peccato, facilè ab illis exturbetur. Sic loquitur altissimi filius ille iuxta Isaiam datus hominibus Ecclesiastici 24. *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Iacob habita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Equidem iubetur à patre bonus hic filius cum hominibus datur, in Israel hæreditare, & in electis mittere radices; in Iacob autem solum inhabitare iubetur. Quæ differentia euidentissimè patet, in eo, qui habitat domum hæreditario iure acceptam, aut solũ mercede conductam. Huic ita licet inhabitare domum, vt nullum ius habeat manendi ibi, nisi prout res tulerit, paratus semper habitationem mutare. Verum, qui iure hæreditatis habitat, sic firmiter, & permanenter ibi est, vt neutiquam ab ea domo possit expelli, in qua habet tantas iuris, & possessionis radices. Ergo diuinum donum in Israel electo iubetur hæreditare, & altas mittere radices, verum in Iacob solum inhabitare iubetur, nimirũ, quod ibi non sit ius aliquod permanendi imperturbabiliter. Sed scire cupis, cur diuinum donum in Iacob solum inhabitat, in Israel electo, & hæreditet, & mittat radices? Quia per Iacob luctatores intelliguntur, & per Israel videntes Deum, dum autem in luctatorum stadio sumus, sic veniunt ad nos diuina dona, vt possint amitti, & alio transire: in beatis non sic, immo ibi iam altæ aguntur radices, & est æterna securitas. Ad hæc D. Anselmus fatur. *Iacob, qui supplantator interpretatur designat luctatores, qui vitia cum labore supplãtant, & deijciunt. Israel autem vir videns Deum dicitur. In Iacob ergo, id est, in luctatoribus habitat, vt eis ait Apostolus habitare Christum per fidem in cordibus vestris, quatenus scilicet eius virtute confortati possint victores fieri: in Israel verò hæreditatur, id est, perfectos iam non amissurus iure hæreditario possidet, qui iam sopitis vitijs optimam sibi partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis.* Dum conflictus cum vitijs est, dum sumus in pugnæ discriminibus, non altas in nobis diuina dona agunt radices, nec nos in illis, sed ita sunt, vt facilè possint elabi, & amitti, & intrante peccato funditus euertuntur. Ex quo lucem capiet locus. 2. Reg. 7. vbi Dominus sic ait ad Dauid. *Prædicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.* Et post pauca. *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul.* Ecce tibi datur Dauidi thronus Israeliticus: datur idem thronus filio Dauidis; & Dauidi nihil dicitur de amissione regni, si ipse peccauerit; si autem peccauerit eius filius, statim subditur suppliciũ, & maioris partis regni amissio. Cur hæc amissio non proponitur ipsi Dauidi? An quia etsi peccaret, nihil amitteret? Absit: sed Dauidi viuenti, & peccanti nullam speciatim explicat amissionem regni Dominus relinquens illum in communi lege donorum diuinorum, quę funditus per peccatum perduntur: Dauidi autem iam mortuo, & apud Deum existenti in filio peccante prædicitur aliqualis ruina regni, sed non omnimoda, immò in qua solium Dauidis absolutè sit permansurum, quod funditus euerteretur, nisi secura Dauidis iustitia altas in illo egisset radices. Id quod notauit Caietan. dicens: *Aduerte diligentius, quod non dicit: de Dauide inique agente, sed Salomone inique agente, ad continendum Dauidem in timore, quod si ipse inique egerit, irrita erit omnis promissio: filio autem inique agente locus erit subiuncto moderamini castigandi.* Postquam Dauid è viuis excesserit, se ab stadio receperit, sic firmatũ habebit regni donum, vt nec filio peccante poterit euerti funditus; at dum adhuc currit, dum adhuc in via est, nulla ibi securitas, immò vt peccare potest, sic debet timere supremum imminens regni exidium.

3. Reg. 9.

Eccles. 24.

Anselm.

2. Reg. 7.

Caietan.

§. III.

Maxima Dei ira est expectare, vt omnia supplicia inferat simul.

ECCE tibi quid pariat longa peccatorum impunitas, quod nimirum veniant dies vindictæ simul, in quibus nihil non durum, nihil non exitiosum appareat. Etenim ait: *Venient dies, in quibus non relinquetur lapis supra lapidem, qui non destruatur.* Sic venient iuncti malorum dies, vt nulla quies, nulla interruptio detur, sed simul certatim omnia cõcurrant mala, vsque ad extremum exitium, & irreparabile damnum. Id quod exhorrescebat Psalm. 136. aiens. *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem. Qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Quibus ostenditur ardentissima ira punientis, quæ singulis momentis velit omnia simul inferre mala, nec interruptionem admittere, sed irreuocabiliter euersioni instare. Nouit hoc incomportabile telum diabolus, & cum accepit facultatem nocendi Iobum, in eo irreparabilis excidij successum posuit, quod omnia mala simul faceret inuadere iustum. Chrysost. Vndè Chrysostom. in Cat. Græc. ait. *Quod communem vicit existimationẽ, illud fuit vnum, quod mala omnia, quæcumque in vita hominum immittuntur, hic vnus exsorbuit. Erat alterum, quod sine inducijs, nullaque interposita mora, cuncta sustinuit.* Et quidem, hoc genus mali omnem existimationem vincit, quod simul omnia sine inducijs, sine interruptione concurrant. Apoc. 18. Apocalyp. 18. *Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Expende exaggerationem calamitatis, scilicet, quia vna hora veniet simul cuncta omnis eius calamitas. Rup. Ibi Ruper. lib. 10. *Et hoc mirum, atque miserrimum erit videre eis, qui tantopere amant hoc nequam sæculum, quia tot dierum, vel temporum opera mala iudicabuntur, & gaudia peribunt succedente interminabili quantitate tormentorum, vna hora iudicij, vna hora destitutionis, vna hora desolationis.* Semper ad summam iram spectat, quod sic omnia mala disponantur, vt inferantur simul; est enim hæc aggeratio, & simultas malorum connexa cũ extremo peccatoris excidio. Quod monuit ad Rom. 2. Paulus ad Rom. 2. aiens. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Non miror, quod peccator thesaurizet iram, hoc est, nouis peccatis, nouas iras Dei sibi accumulet, sed illud horrendum, quod hæc accumulatio, & obseruatio pœnarum coniuncta, & connexa sit cum die iræ, hoc est, cum die, in qua ira totum occupabit, nullumque dabit locum pœnitentiæ, sed vindictæ extremæ. Sic D. Ansel. in præsenti: Ansel. *Accumulas, & reponis tibi vindictam exercendam in die iræ, id est, in die vltionis extremæ.* Pœna, quæ non infligitur immediatè post peccatũ, non euanet, sed reponitur, & asseruatur, vt cũ vltione extrema veniat ad irreparabile excidium. Felix ille est, cui non reseruantur iræ dĩ uinæ, vt simul cum extrema vindicta veniãt, sed singulis momentis, quibus peccat, sentit statim peccati sui supplicium. Hoc in se experiebatur Ierem. quandoquidem ait Thren. 3. Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meã, in virga indignationis eius. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tamũ in me vertit, & cõuertit manum suam tota die.* In extremo suæ gẽtis excidio, suam incolumitatem expendit in eo constitisse, quod non longam sustinuerit impunitatem culparum suarum, sed quod præ alijs hoc habuerit à Deo beneficium, quod ipse tantum per totam vitam semel, & iterum manus experiretur diuinas, adeò vt nullum peccatum sine flagello extitisset. Rup. Ruper. in Ierem. cap. 59. ait. *Quidquid de alijs sit, tantum de me scio, quia manum suam in me vertit, & manum suam non ad horam, sed tota die in me conuertit. Quot in anima mea peccati vulnera, tot manus eius in me sunt vulnera.* Quid mirum si Ieremias incolumis euaderet commune gentis excidium, quando ipse solus non impune peccabat, sed vbi erat culpa, statim erat pœna adeò, vt nulla, aut fere nulla esset reseruata in die iræ? Sic nos petamus à Deo affligi pro culpis, ne postea veniant simul omnia supplicia, quibus extremo tradamur excidio.

Luc. 21. Interrogauerunt autem illum dicentes, præceptor quando hæc erunt: & quod signum cum fieri incipient? Qui dixit: Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & tempus appropinquauit, nolite ergo ire post eos.

§. IIII.

Non se elongat ab Ecclesia, qui etiam in multis sceleribus non vult amittere spem salutis.

HOC Iesu monitũ ab alijs putatur datũ his, qui imminente excidio apud Ierosolymã manerẽt; ab alijs etiã datũ putatur his, qui propè Christi aduentum secundũ victuri sunt. Et quidẽ semper verũ est, quod exurgẽt multi PseudoChristi, à quibus in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi.

Quare

Quare non ait Dominus: nolite errare; nolite peccatis vos dedere: *Sed nolite ire post eos*, quasi in eo sit prorsus desperata salus, qui se ab Ecclesia elongat, vt seductorum inambulet viam. Dum in Ecclesiæ matris gremio sis, etsi mille peccatis cõfossus, & prorsus defunctus adhuc potes sperare salutem; caue tibi, ne à tali gremio effugias, sine dubio, si effugis, peribis. Accipe historiã ex 3. Reg. 17. notissimã; 3. Reg. 17. vidua illa hospitalis, quæ tot bona ab hospite suo Elia suscepit, tandem filium amisit: moritur ergo filius viduæ: conuenit viduam Eliam, luctum suum exponit, cui Elias: *Da mihi filiũ suum. Tulitq; eum de sinu eius, & portauit in cœnaculũ, vbi ipse manebat.* Quid plura? Ibi puer restituitur in vitam, redditurq; matri suæ. Sed expendo, quod resuscitandus in matris gremio, & sinu inuenitur, de quo tollitur, vt extollatur in vitam. Felix ille est, cui etsi mori contingat, tamen in sinu matris moritur; & iacet ibi, etsi defunctus; sepius enim datur matri vita filij, & omni potens suscitator ad vitam eleuat illum, qui etsi mortuus non deserit matris sinum. Ad hæc Gillib. Abb. serm. 16. in Gillib. Cant. inquit. *Non expedit tibi extra materni sinus ambitum reperiri, ne forte non tollat te verus Elias incubiculũ suum. Quos resuscitat Christus, mulierum vbiq; fletibus donat. Sic viduæ filium, sic sanctam fratrem mulierum, sic parẽtum precibus suscitauit puellam. Tolle bone Iesu, & hunc mortuum nostrum de matris gremio.* Habet hoc verus, & diuinissimus suscitator Iesus, quod frequentissimis vitæ spiraculis afflat mortuos suos; mortuos, inquam, qui in matris gremio iacentes, & precibus, & lamẽtis iuuantur illius. Quapropter cum tẽpestas instat, cũ vitia exũdant, cũ pestilens mors animę instar maris furit, vehemẽtius desequit: hoc maximè curandum, ne extra maternum cadas sinum; dum enim in sinu matris iaces, mille à Iesu afflaberis spiraculis vitæ, quibus efficaciter reuiuiscas. Ex quo lucem capient obscurissima verba D. Pauli. 2. ad Thessalon. cap. 2. 2. Thes. 2. vbi præueniẽs nos ad extremum mundi excidium, ait: *Mysterium iam operatur iniquitas: tantum, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Quasi dicat, & doceat, quid maximè cauendum, dum nubila tempora instãt, dum iniquitatis lues grassatur; dum vitia exundantia extremam euocant perditionem: dum refrigescente charitate scatent lethalia vlcera. Inter hæc hoc vnum moneo, hoc vnum tantum à fidelibus contendo, vt qui tenet sanctæ Matris Ecclesię sinum, teneat firmiter, donec pertransit, & tollitur de medio lues. Non longè abest D. Anselm. fatus. *Tantum est, vt qui tenet nunc fidem Christianæ religionis, teneat illã, id est, tenaciter perseueret in ea: donec de medio Ecclesiæ exeat mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est.* Et quidem dum nubila sunt tẽpora, & dæmonum rabies furit, & animarum pestes sæuius grassantur, vnum debet esse, & maximum studium fidelibus intra maternũ inuenire sinum, in quo, etsi mortui iaceant per matris voces habent spem salutis, & de Iesu afflatibus poterunt reuiuiscere. Vnde D. Gaud. D. Gaud. ser. 11. ait: *Periisse autem constat in illo diluuio omnes ipsius temporis homines, præter eos, qui intra arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc salui esse non poterunt, qui ab Apostolica fide, & ab Ecclesia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio vnusquisque nostrum permanere in domo Domini, exercens opera percepta gratia cõgrua.* Hoc elaborandum homini, medijs tempestatibus furentibus, medijs excidijs regnorum, vt permaneat in domo Domini, ne vel transuerso pede à limine matris Ecclesiæ, à patrum tabernaculis exeat, vt videat alienigenas. Sic Dauid Psalm. 10. *Quomodo dicitis* Psalm. 10. *animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Euocant Pseudo Christi filios Ecclesiæ, vt vel metu persecutionum, vel nubilis temporibus coacti, vel à cõcupiscentijs attracti, & illecti nouis doctrinis aures præbeant, dicentes hic est Christus, aut illic est, iam in vnitate labantes; perfecti has rident euocationes, imperfecti dum ad illas exeunt, pereunt. Ita Euseb. in Cat. Græca, ait. Euseb. *Perfectus ergo est, qui illa dicere potest: at imperfectus, qui ex hoc in illum locum emigrando circumcursat, tempore afflictionum, & persecutionum carpitur.* Quapropter nihil illis temporibus prius monendum, quam quod fideles se se contineant intra Ecclesiæ domum, nec inde pedem exerant.

§. V.

Hinc censetur Christianus, si nominis virtutes operibus adimpleat.

HOC primùm, & sufficiens Pseudo Christorum iudicium ponit verus Iesus, aiens: *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum.* Venient equidem Pseudo Christi in nomine, non in virtute, non in vita, vt sapienter dicat Origen. homil. 27. in Matth. *Con-* Origen. *sidera etiam illud, quod multi veniunt in nullo alio, nisi in nomine meo. Solum enim nomen Christi Antichristus suscipit, nec opera facit, nec*

verba veritatis docet, nec ſapientiam eius oſtendit in ſe. Videant modo, quid in ſe habeant hæretici Chriſtianũ præter nomẽ? Ipſi nec Chriſti opera faciũt, quãdo nullo opere mortificationis peccatã à ſe expũgũt; nec verba veritatis docent, quãdo mendacijs ſcatet eorum doctrina, nec ſapientiam Dei oſtendunt in ſe, quãdo ab vniuerſis hæreticorũ gregibus per tot ſæcula, nec vnus Theologus exiuit, qui ſciat Theologica cõmentaria de Deo trino, & vno, de verbi incarnatione, & de alijs ad Deũ pertinentibus intelligere. Fallar ſi his non conueniant verba, quæ de Iudęorum excidio Iſaias loquitur, c. 4. aiens. *Apprehẽdent ſeptẽ mulieres virum vnũ in illa die, dicentes, panem noſtrũ comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantũ modo inuocetur nomen tuũ ſuper nos, aufer opprobrium noſtrũ.* Haud dubiũ quin ita vniuerſi hęreticorũ ad virũ Ieſum loquãtur: Nos panẽ noſtrũ comedemus, nolumus tuũ panẽ Eucharisticũ, nolumus tuas veſtes nuptiales, ſed noſtris intrabimus, vt in tenebras exteriores mittamur: nil tuũ in nobis volumus, tantũ inuocetur nomẽ tuũ ſuper nos; dicamur Chriſtiani ſub quo nomine lateat opprobriũ vitæ Turcis, & Athęis ſimilioris. Sanè iã dudũ Antichriſti ſolũ nomẽ Chriſti ſuſcipiunt. Similiter videãt male Chriſtiani, an aliquid aliud habeant Chriſti præter nomẽ? Fideliũ Eccleſia horret vnũ Antichriſtũ venturũ: ſed proh dolor, modo habet tot Antichriſtos, quot fideles nõ opera faciũt, ſed ſolũ Chriſti nomen ſuſcipiũt. Hos monebat D. Cyr. Ieroſ. catech. 10. aiẽs. *Chriſtianus vocatus es, parce huic nomini, ne propter te blaſphemetur Dũs noſter Ieſus Chriſtus filius Dei: ſed luceãt bona opera tua.* Vbi enim Chriſtianus nõ habet opera Chriſtiani, blaſphemias cõgerit in Chriſtũ, Chriſti blaſphematoribus, & perſecutoribus fauet: Antichriſtus eſt, qui nomẽ Chriſti ſuſcipit, & de operibus, aut nihil, aut parũ curat. Inde enim cẽſetur Chriſtianus, ſi impẽſe deſudet pro virtute acquirẽda, ſi à vitijs nõ paruos, ſed magnos triumphos reportet. Id quod docebat D. Proclus Ep. de recta fide ad Armen. *Omnis itaq; Chriſtianus, qui nõ eſt dines fide, ſpe, & charitate, id quod dicitur non eſt; ſed etſi videtur ſuũ caſtigare corpuſculũ, & ab animæ paſſionibus liber eſſe; in moralẽ virtutẽ tantũmodo iſte proficiens, nequaquã coronã victoriæ conſequitur: vtpote, qui nõ ad illã ſemper agnitionem diuinitatis extenderit, quæ coronas tribuit ijs, qui fortiter per virtutẽ luctantur.* Non cõtentus ſit Chriſtianus, quod victoriolas agat ex vitijs, nã vel ethnicus, vel Athęus ſolet aliquas victoriolas à vitijs reportare. Inde cẽſendus Chriſtianus eſt, ſi fortiter per virtutẽ luctetur, ſi maximas victorias tantoq; nomine dignas in ſtadio virtutũ nouerit obtinere. Sic de mãximo Chriſtianorum duce dicitur Pſ. 47. *Secundum nomen tuũ, ita & laus tua.* Quæ verba tractans Cellẽſ. Abb. ep. 4. ait. Quod hoc nomen? Ieſus. *Quæ iſta laus? Saluauit Dominus populum ſuum à peccatis eorum. Re vera hic Ieſus: hic virtutem non inferiorem nomini ſuo implet: quinimo, & tempore, & pondere excellentiorem. Parum dixi, & tẽpore: melius dicerem æternitate. Virtus hac ab æterno, nomen hoc ab æuo. In pondere nihilominus omnia virtus diuinitatis operatur, ipſum quoque nomen Ieſu.* Non datur tantum nomen, niſi in pondere, vt ſibi, & nomen, & opera iuſtis põderibus mutuo reſpondeant; Ieſu opera ſi põderentur, haud quaquã inferiora nomini inuenientur, ſed longè ſuperiora, & præſtantiora. Vt hinc pateat non eſſe à Ieſu, qui in operibus inuentus eſt minus habens. Qui tantũ nomen ſuſcipit, & nihil operis, veritatis, ſapientiæ, aut paululum apponit, timeat ne magis videatur Pſeudo Chriſtus, quã Chriſtianus, 1. ad Corint. 1. dicitur in primis Chriſtus *Dei virtus*, deinde *ſapientia ex Deo*, vnde argumẽtatur Nyſſen. orat. de perfect. Chriſtian. quam debet Chriſtianus nomini reſpondere dicens. *Quare ille, qui nomen habet à Chriſto, virtus, & ſapientia eſt: virtus quidem, dum aduerſus peccatũ ſtrenue, ac fortiter pugnat: dum verò id, quòd melius eſt, eligit, in ſe ipſo ſapientiã oſtendit.* Dum enim non ſtrenue pugnando aduerſus vitia, & meliora eligendo virtutem, & ſapientiam oſtendit longè à nomine Chriſtiano eſt.

Iſai. 4.

Cyril.

Proclus.

Pſalm. 47.

1. Cor. 1.

§. VI.

Chriſti ſpiritus in laudabilibus amat latebras.

SAPIENTER notat Origines ſupra ſpiritum Antichriſtianum in illis verbis: *Dicẽtes: ego ſum:* eò enim ſpectant Pſeudo Chriſti, vt ſeſe prædicent, ſibique laudes captent humanas. At qui vero Chriſti ſpiritu aguntur, nil anxius quærunt, quãſe nomenq; ſuum in laudabilibus occultare. Apoc. 5. poſt libri aperti onem procidentes viginti quatuor ſeniores depoſitiſq; coronis aiebant: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Pro illo verbo: *regnabimus*, habetur in margine, *& regnabunt ſuper terrã*: quaſi nobiliſsimos Chriſtianos puderet ſe regnaturos prædicare, & publicare, ideò propter Chriſtianũ pudorẽ, & modeſtiam in cenſu regum proprias occultantes per-

Apoc. 5.

Personas, quasi de alijs dicunt. *Et regnabunt*
Rup. *super terram.* Id quod notans Rup. lib. 4. ait. *Religiosa valde transitio hæc est, declinans etiam in sono vocis vanegloriantium similitudinem. Etenim cum veraciter dicere possent: & regnabimus super terram, magis humiliter dicere placuit, & regnabunt super terram. Itaque, & fecisti nos Deo nostro regnum, sit laudatio omnium communiter confitentium, & regnabunt super terram, dictum sit singulorum humili se reuerentia deprimentiũ.* Hic est semper Christi spiritus in fidelium cordibus inhabitans, quo nobilissimi Christianorum suarum gloriarum prædicationem, & publicationem caueant, immò nihil magis, quam delitescere, & occultari amẽt. Huc spectat totus affectus Christianus, vt homo lateat, nec in magnis ambulet; soliusque cœlestis Patris gloria pandatur. Ad suos aiebat Iesus Luc. 12.
Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Expende locum, & compone hæc verba cũ verbis immediatè datis ex Apoc. ibi ad occisum agnum loquuti seniores dicũt; *Fecisti nos Deo nostro regnum:* Hic ipse agnus, ait: *Complacuit patri vestro dare vobis regnũ.* Et quidẽ vtrumq; verũ est, & agnus occisus dedit suis regnũ, & pater dedit, verũ Iesus se præteriẽs solius meminit patris, ostendẽs qualis debeat esse affectus Christianus in se occultándo, & cœlestẽ
Chrysol. Patrẽ publicándo. Ita Chrysol. ser. 23. ait. *Ecce, qui dat, dare loquitur patrem, nũquid largitatẽ suã denegat, sic dicendo? Absit, nõ minuit potestatem, sed pãdit affectũ.* Nullus magis Christianus, quã affectus ille est, quo se se quis occultat, dũ magnalia præstat: & quo sub humanarũ vilitatũ latebris amat latere etiã, dũ maximis, & clarissimis illustratur muneribus. Dauid euectus in regnũ sic Deo dicebat. 2. Reg.
2. Reg. 7. 7. iuxta lectionẽ D. Chrysost. ho. in eadẽ verba. *Quis sum ego Dñe mi, quod talẽ gratiã inuenerim ante faciẽ tuã. Ego enim minimus fui in tribu mea, & elegisti me ex ouibus.* Expende viri humilitatẽ, & modestiã, regno donatus præterit omnia vocabula regia, & omnia vilia exerit; ad magna subleuatus minimum statũ suum præfert: insuper, & inter oues se cõputat. Non ne sufficeret, quod magnus factus minimũ se prædicet, cur præterea addit illud ex ouibus elegisti me? Sanè dũ se ouẽ meminit, ostendit Christianũ esse affectum, quo ad magna euectus in minimis delitescebat, quandoquidem
Chrysost. ouis diuinissimi pastoris Iesu moderamina refert. Ita D. Chrysost. vbi supra, ait. *Videte quomodo subiũxit humilitati innocentiã, vt cũ esset homo diceret: elegisti me ex ouibus. Significabat enim illũ pastorẽ bonũ, qui animã suã ponit pro ouibus suis; illũ agnũ Dei, qui venturus erat, vt tolleret peccatũ mundi.* Et quidẽ quo magis potẽtissimus Rex se humiliabat, vt inter omnes cõstitueretur homo, eo magis se ostendebat spiritu imbutũ Christiano, & quod rã sub tanti pastoris gubernaculo agebat pascua; de hoc lib. 10. c. 1. §. 7. & c. 2. §. 8.

Luc. 21. Cum autem audieritis prælia, & seditiones nolite terreri: oportet primũ hæc fieri, sed non dum statim finis.

§. VII.

Mundus nescit irasci, nisi in innocentiam.

QVID necesse erat Iesu discipulos moneri, ne terrerẽtur cũ audirent prælia, & seditiones esse? Si dixisset cũ audieritis prælia aduersus vos consurgere, prudenter moneret, ne terrerentur; at nũc quid timerẽt, cũ nõ aduersum se, sed tantũ audiunt prælia esse? An eo ipso, quod prælia sunt, non possunt nõ esse aduersus sanctos Dei? Equidẽ nescit mundus præliari, nescit irasci, nisi in innocentes: & quo est aliquis innocentior, eo magis ad se putet spectare mundi iras, mũdi prælia. Accipite exẽplum ex 2. Reg. 17. vbi sic. *Dixit ergo Archithophel ad Absalom: Eligã mihi duodecim millia virorũ, & consurgens persequar Dauid hac nocte.* 2. Reg. 17. Ecce tibi cui parantur insidiæ; aduersus quẽ armãtur exercitus, qui petitur ad mortẽ; nimirũm Dauid: erat tunc in populo parricida Absalon, erãt innũmeri rebelles, sceleratissimi quã plurimi, & bella, & mortes vnũ Dauidem petunt, forte, quia hic solus inter tot myriades hominũ innocens erat. Chrysost. ho. de Absalon, ait. *O innocentia, quantũ apud reos, periculi suscipis: quantũ malitiæ per flagitiosos in curris! Dauid sanctissimus tot dementes exercitus, quia nõ deliquit, offendit tot populorũ rabies, quia nõ læsit, incurrit. Absalon vnus est reus, & vniuersus contra patrem conspirat exercitus. Armantur in eadem funestæ manus multorum prouocantur in innocentem vlciscí.* Expende cur tot armatorũ phalanges Dauid sustinuit, nimirũ, *quia nõ deliquit, quia non læsit,* quasi mũdi prælia solos petant innocentes. Hæc est continua mundialium irascentiũ vox data Sapient. 2. *Circũuenemamus iustum*; Huc spectant vniuersi exercitus. Ps. 9. *Vt sagittent in obscuro rectos corde.* Potest fieri, vt aliquãdo impius prælijs castigetur, at non potest fieri, quod mundalia prælia non petant semper innocentem. Psal. *Psalm.* 52.

52. *Non scient omnes, qui operantur iniquitatē, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis?* Dei populus, Dei filij innocentissimi, sanctissimi, vbiq; laniantur, vorātur, vt cibus panis. Quid est vorari innocentes, vt cibum panis? Acutè, & sapienter Augustin. in rem præsentem, quæstionem soluit, aiens. *Tanquam panē manducant populum Dei. Cætera enim, quæ manducamus, possumus modo illa, modo illa, non semper hoc olus, non semper hanc carnem, nō semper hæc poma, semper autem panem.* Equidem, quod panis in conuiuijs, est innocēs, & sanctus in mūdialium iris, & prælijs. In conuiuijs contigit aliquando esse perdicem, aliquando gallinas, aliquāndo palumbos, aliquando alia vel pro gustu inuitantium, vel pro temporis differētia: panis autem nunquam potest à conuiuijs abesse. Sic in iris, & prælijs mundialium, aliquando raptores virginum, aliquando scelesti infideles persecutionem patiuntur, sed innocens nunquam potest deesse à pressuris prælij mundialis. Vbicumque agmina videas mortes crucesque minitantia, puta ibi iustum perdendum, & innocentem. Ecclesiastes capit. 4. *Verti me ad alia, & vidi calumnias.* Syriac. *Oppressiones, quæ sub sole geruntur.* Quid tunc? *Et lacrymas innocentum:* argutius ad rem Septuaginta: *Et ecce lacryma, &c.* Quasi inter mundiales pressuras nil prius emineat, nil prius in oculos prosiliat, quam innocentium lacryma. Quisquis in alto constituatur, vt videat mundialium bella, calumnię, oppressiones, quo tēdant, eo videt vniuersa hæc tendere, vt innocentem in fletum mittant, & lacrymas.

August.

Eccles. 4.

§. VIII.

Minus nocent externa prælia, vbi pax interna, & domestica florct. Vbi de fortissimis internæ pacis armis.

QVID magnum est, quod audiātur prę lia esse? Sed magnum, & prorsus timēdum, quod prælijs addantur seditiones; hoc est, quod externis addantur interna prælia. Quisquis prælior, venis caue internas seditiones, caue internas turbationes, floreat in te pax, & non erit, cur timeas hostilia prælia. Apud. 2. Reg. 11. vt adulterium occultaret suum Dauid fecit Vriam à bello in regiam reuerti. *Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuitque Dauid, quam rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum.* Tunc temporis Ioab aduersus Ammonitas ingentem eduxerat exercitum: Dauid autem, vt solicitudinem de suis militibus ostenderet, ex Vria quærit omnia bona, quæ suo exoptabat exercitui; quærit enim, quā rectè ageret dux Ioab, quam fortiter se gererent milites, quam firmarentur in rebus bellicis spes felicium euētuum. Sed, vt de his omnibus certior fieret Dauid explicatius dicitur quæ fisse iuxta Hebræū Caietani his verbis. *Et interrogauit Dauid de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli.* In bellum erat missus Ioab, & nihil apud illum non bellicum volebat Rex esse, & nihilominus, vt bonum nuntium accipiat de bellatoribus suis, quærit de pace Ioab, de pace militum, & quod mirere magis, de pace ipsius belli. Quid pax cum milite? Quid pax cum bello? Equidem ille facilè superat hostiles exercitus, quem pax tenet interna: qui in se, & in suis, & in ipsis bellicis apparatibus omnia pacifica seruat, is maximum præbet felicitatis venturæ fundamentum. Cur prę lia mille, cur hostiles incursus metuat ille, in quo nulla seditio, nulla turbatio, sed intima pax floret? Hinc Psalm. 147. ait: *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem.* Et cur æstimaret ciuitas, quod in finibus eius esset posita pax? Cur non felicius ciuitati foret si pax in medio tullio constitueretur? Sanè in medio tullio habet pacem Ierusalem: à qua omnis turbatio abest, sed pax, quæ intima est ciuitati, hoc etiam habet, vt in finibus circumquaque instar muri prorsus inexpugnabilis appareat. Inde Diu. Cæsar. Arelat. hom. 11. ait. *Ergo, vt ipsi videtis, Ierusalem illa cælestis muros de pace constructos habet.* Tota fortitudo murorū cœlestis Ierusalem, quibus inexpugnabilis est, quibus prælia externa ridet, de intima pace venit. Hæc sola inexpugnabilem reddit, quēcumque possidet, & ibi omnem Dei potestatem facit assistere, qua facilè superantur omnes exercitus hostiles. Ecclesiastici 24. dicebat Dominus: *Et in Ierusalem potestas mea.* Ecce tibi, vbi tota Dei potestas firmatur aduersus omnes aduersarias potestates, non in valle Achor, hoc est, in turbationis valle; de hoc enim ait Oseas cap. 2. *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem*, vel vt ex Hebræo multi transferunt: *Ad filum spei*, quia vbi turbatio est intrinsica, nulla potestas radicatur, omnia velut à tenuissimo filo pendent. Est igitur cōfirmata potestas non in valle Achor, sed in Ierusalem, quæ sonat visionem pacis, quasi in vno pacis internæ asylo possit omnis potestas confirmari. Ad hæc verba Anselm. fatur. *In superna Ierusalem, qua non frustra dicitur visio pacis, quia semper ibi vera pax cernitur, est potestas redemptoris nostri.* Simul in eodem loco sunt, & pax, & potestas Iesu; sed & pax, quasi fundamentum est potestatis, qua omnia aduersa

2. Reg. 11.

Caiet.

Psal. 147.

Cæsar.

Eccles. 24

Oseas. 2.

Anselm.

uersa facili negotio superantur. Nec te moueat, quod cœlestis Ierusalem pacem asserò fundamẽtum potestatis, quasi velim inde infirmos iudicare, qui longe inferiori pace gaudent. Absit hoc: non enim cœlestis Ierosolimę pax sola potens est, & inexpugnabilis, sed & minor pax, quæ cordibus nostris in seminatur, validissima, & potentissima est ad bellicos terrores exsibilandos. Ascensurus Iesus
Ioann. 14 ad Patrem sic suos consolatur Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quibus verbis illud in primis venit ponderandũ, quod ait: *Pacem relinquo*, quasi reliquiarum instar communicaret discipulis pacem. Bone, Discipulis in mundo manentibus, ad tot prælia paratis, cum tot Tyrannis conflicturis, tot tela repulsuris non integram pacem, sed reliquias pacis tantum communicas? Qualiter aduersus tot hostes confirmari poterunt de solis reliquijs diuinæ pacis? Equidem tanta vis, & potestas est pacis ad contraria omnia extrinseca debellanda, vt vel si reliquiæ cœlestis pacis nostris seruentur in animis, nil vltrà timendum maneat. Anselm. in cap. 5. Matth. fatur: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, in cœlo do, hic relinqua, qui illa pax* (nimirũ plena) *non potest haberi, nisi in futuro: sed tamẽ aliqua reliquiæ dantur in præsenti, quod potest videri in illis, qui ita habent sedatos illicitos motus corporis, quod nullum cuule bellum patiuntur in se, sed habet anima requiem suam in hac vita, nec etiam conturbari posset quolibet modo, vel quantumcumque verberentur, sed etiam quieti sunt.* Felix est, qui in corde suo habet has pacis reliquias, quibus internum abscedat bellũ, is inter prælia, inter furentes milites, inter flãmantia tela omnino inexpugnabilis existet.

Anſel.

§. IX.

Iesus nulla potentia potest expelli a corde diligentium.

HOC curat enixe Dominus, quod sui expellant spiritum seruitutis, cui anexi sunt vanissimi terrores, vbi enim non vt seruus terroribus agaris, sed vt ingenuus filiorũ imbibas spiritum; nulli exercitus, nulli milites, nullæ potestatum tenebrarum phalanges tibi Iesum eripient. Pulchrè sapientia incarnata loquitur de se Ecclesiastici 24. inquiens.
Eccles. 24. *Et radicaui in populo honorificato.* Quod est in populo honorificato? In populo minimè seruili, qui seruorum, mancipiorumque terrores, non semel à se exclusit; & spiritum adeò ingenuum induit, vt patrem vereatur offendere prout decet amatorẽ filium. In hoc ingenuo populo Iesus eas mittit radices, quibus omni resistat incursui, inde exturbari difficilis. Anselmus ibi ait. *Radix sapientiæ est timere Deum. Radicauit ergo sapientia, quæ Christus est in hoc populo, quia Dei timorem credentibus dedit, per quem peccare desistant, quia timor Domini expellit peccatum.* Timor, inquam, ingenuus, seu timor filialis, qui charitas est in Patrem Deum, is Iesum facit nostris in animis radicari adeò, vt per nullam potentiam possit exturbari. Et per quam potentiam exturbaretur Iesus à nostris animis, nisi per peccatum? Sed timor filialis, qui charitas est, prorsus excludit peccatum: immò pene reddit hominem impeccabilem. Aiebat illa Cant. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore lãgueo.* Infirma spõsa, & languore possessa petit floribus redimiri, floribus coronari; sanè flores dantur valentibus, dãtur victoribus, cur spõsa languens petit flores, qui fortibus, & validis debentur? Languor hic non est infirmitatis, sed potestatis, est amoris languor, qui vires adimit peccandi. Ita Apon. lib. 3. in Cant. fatur. *De amore Christi nascitur gloriosus sanitatis animæ languor, qui ei omnes vires subtrahat ad peccandũ. In tantum enim anima in omnibus mandatis legis meditãdo semper, aut quomodo possit, vel quibus operibus Christo coniungi, nunquam membra sui corporis diabolo arma parauit: nec vires in se tribuit factorum ad æternum interitum.* Et quidem vbi filialis Dei timor est, omnes pene subtrahuntur vires ad peccandum, nil enim volumus militare in membris nostris diabolo, sed & omnes affectus, & actus Deo ordinantur. Vnde monebat Paul. ad Rom. 3. *Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum.* Itaque vnũ Iesu Christi indumentum, quale per charitatem fit, opponit vniuersis vitijs, & peccatis: quasi enim, qui Christum per charitatem induerit, nullis viribus externis ad vitia trahẽtibus queat à Christo separari? Ita Græcus
Græc. auctor lib. 6. de gratia in Christo fatur. *Christi indumentum indutis plusquam ipsæ compages, ipsa ossa coagmentatur, & coalescit. Nam hæc vel nolentibus quis amputauerit: Christum autem semel indutos nemo neque homo, neque dæmon inuitos, ac nolentes exuerit. Nõ instantia, inquit Paul. non futura, neque mors, neque vita, neque fortitudo, &c.* Sic radicatur Iesus in cordibus habẽtibus spiritum filiorum, vt nullis inde exturbetur dæmonum, siue hominum potestatibus. Cõponite modo Petrum, & Petrum vel ab ancilla pulsatũ, vel à Christo. Accedit ancilla Matth. 27. dicens: *Et tu cum Iesu Galilæo*
Matth. 27. *erat*

eras. At ille negauit coram omnibus. Verum apud Ioan. 21. ait Iesus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine.* Ab ancilla pulsatus, vt infirmus negat, à Iesu autem requisitus fortis amat; vnde hoc discrimen, nisi quia ab ancilla pulsatur timor seruilis, à Iesu ingenuus, & filialis, qui est amor? Ita D. Augustinus tract. 92. in Ioan. ait. *Ante passionem Domini seruilis timor Petri interrogatus est à famina seruitutis: post resurrectionem verò Domini, liberalis eius amor ab ipso principe libertatis: & ideò ibi turbatur, hîc tranquillabatur: ibi quem dilexerat negabat, hîc quem negauerat, diligebat:* Fugiat seruilem timorem, qui negationem fugit; & ingenuum filij spiritum induat, quo pene inseparabiliter Iesus radicabitur.

Augustin.

§. X.

Solum extremum iudicium timendum.

INTER furentia prælia, inter durissimas pugnas iubentur Christi discipuli terrores ponere, quia etsi furiant creaturæ, non tamen finis statim est, non instat vltimi iudicij pugna. Et quidem, vbi extremus non reuelatur iudex, nil timendum relinquitur in omnibus alijs mundi pressuris. Quid præter extremum iudicem timeas? Psalm. 52. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Sed vbi non est timor in mundo? Chaldæus explicat: *Ibi timuerunt timore inter idola sua, in quibus non est causa cur timeatur.* Sane idola pro se habent in gentes promissiones delitiarum; habent crudelissimos tyrannos, habent durissima exilia, bonorum spoliationes, tormenta mille. Sed quid hæc? Non ne trahunt? Bene ergo, *in illis non est causa cur timeantur.* Vnus solus timendus est, qui vltimo iudicabit, pro quo vniuersæ in fine creaturæ pugnabunt contra insensatos. Ad hæc monebat Ecclesiastic. cap 7. *Fili memorare nouissima tua.* Sanè etiam à primordio vitæ innumera in nos bella excitantur, mille dolores, persecutiones quam plurimæ, frequentes tentationes, fames, pestes, mortes quotidianæ, quas omnes præterit, & sola nouissima mala nobis proponit, quæ sola timere debeamus. D. Bernar. ser. de primordijs, medijs, & nouissimis, ait. *Time quod in terribili iudicio ei præsentandus es, in cuius manus horrendum est incidere; & eo examinante, quem nihil latet, si quidem inuenta fuerit in te iniquitas alienandus ab vniuersitate quietis, & gloriæ. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis, & immensis exponendus es, in sorte diaboli, & Angelorum eius, in igne æterno, qui præparatus est eis: Hic ergo timor, initium sapientiæ dicitur. Vnde est, quod non dicitur memorare primordia, aut media, sed nouissima.* Hæc sola ob oculos ponenda sunt Christiano, hæc sola meditanda, & maximè timenda. Quamuis enim in primordio, & medio durissimi insurgant incursus, ardentissima tela iaciantur ab hostibus nostris, quæ sunt hæc ad nouissima? Dum ad nouissimum damnum non venitur, nunquã deest consolatio; sola est inconsolabilis ruina, quæ extrema est. Sapienter Tertul. lib. de anima ait. *Cum sit, quod iudiciũ animas manet, grauius debeat credi in discretione vitæ, quã in administratione, quia nil plenius, quã quod extremus, quam quod diuinus, Deus itaque iudicabit plenius, quia extremus per sententiam æternam supplicij.* Hoc habemus solatium in plagis primis si euadere possumus liberi à nouissimis, in nouissima plagã nullum solatium manet, sed perditio. Vna est plaga, quæ est extrema, primæ curabiles sunt. Vndè Ezechiel c. 7. *Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio vna, afflictio ecce venit. Finis venit, venit finis: Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te, &c.* Expende illud, nimirum. *Afflictio vna*, & statim, *finis venit, venit finis.* Quasi sola sit afflictio illa, quam sequitur finis, quam sequitur finale iudicium, in cuius comparatione antecedentes omnes non censentur afflictiones, nec timeri debent. Fallor si Christianum pectus capere possit timorem alium, præter timorem futuri iudicij. Paul. 2. ad Chorinth. 7. ait. *Cum venissemus in Macedoniam: nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugnæ, intus timores.* Et qualis timor Paulum vrgebat inter pugnas, inter prælia constitutum? An terror erat de pugnarum externarum terribilitate? An de persequentium rabie? Absit: non capit vanissimos illos terrores Pauli animus; vnum tamen capiebat timorem de futuro iudice, Diu. Thom. ibi: *Foris extra me ipsum pugnæ persecutionum: sed tamen intus in corde est timor de malo, timens persecutionem de futuro.* Non tyrannorum iras, non hostium fremẽtium rabies timebat Paulus, quibus in carceres, in vincula, & in mortem rapiebatur, sed inter has externas pugnas, vnico solũ timore solicitabatur, qui erat de futuris malis, de futura ira Dei iudicantis. Hic solus timor permittitur â Deo in corde suorum fidelium. Quem timorem omnibus suggerere volebat Psalm. 33. aiens. *Venite fili, audite me, timorem Domini docebo vos.* Promittit docere timorem, quem in suis vult Dominus; quem solum debent fideles habere. Et qui timor est iste? Chrysostom. in Cat. Græc. fatur.

Psal. 52.

Eccles. 7.

Bernard.

Tertul.

Exech. 7.

2. ad Cor. 7.

D. Thom.

psal. 33.

tūr. *Cogita mihi horrendum illud, & non ferendum Christi iudicium, in quo præsidet quidem iudex in excelso, & elato solio. Adducuntur autem singuli ad quæstionem, & exàmen vitæ: horribiles quidem, & tristes Angeli astabunt, igneam faciem præseferentes, ignem efflantes ex propositi acerbitate. Deinde profundum barathrum, & tenebræ impenetrabilis, & ignis luce carens, mox virulentum, & carniuorum vermium genus, in explebiliter comedēs, intolerabiles cruciatus corrodendo inferens, postremo supplicium omnium grauissimum opprobrium illud, & confusio æterna. Hæc timeas.* Non aliud timendum est, nisi hoc, vbi extrema sententia fertur, & irremediabiliter potest homo perire. Quicumque alius timor vanissimus est, & periculosissimus, à fideliumque corde prorsus ablegandus: ille solum perseueret, qui Dei iudicaturi est timor, vt qui solus vera damna vereatur. Id quod monebat Ecclesiastes cap. 12. vbi ex lectione Veneta ait. *Deum ergo time, & præcepta eius custodi: siquidem hoc omnis homo facere debeat. Nam omne opus adducet Deus in iudiciū.* Quando extrema hominis sententia à Deo erit, quis alium timeat præter Deū? D. Ephr. tom. 3. de Iuliano Anachor. ait. *Quæ enim accidunt vnicuique nostrum in hoc sæculo, siue tristia, ac grauia, siue bona, ac læta finem habent: quapropter etiam à tempore consumuntur: at quæ post vitæ huius exitum remanent, æterna sunt, & immortalia. Diem ergo iudicij, & retributionis in mente habeamus.* Solum finale iudicium cū tremore meditandum, in quo de æternitate lis est.

Eccles. 12.

D. Ephræ.

§. XI.

Exardescentem iram suam Deus interrumpere solet, vt misericordiæ det locum.

PRAECLARE post mundi flagella, post supplicium Ierosolimitanum inceptum, ait, *non statim finis.* Equidem is est Deus noster, cuius ira moretur crebris interruptionibus factis, vt possint peccatores resipiscere, & vt miseratio diuina locum habeat. Similiter irascebatur Dominus in populum suum Isaię 1. vbi hæc fatur. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus?* Et post pauca: *Ne afferatis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri.* Insuper addit: *Et cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Quid seuerius dici potuit? Quando Deus magis iratus aduersus Israelem, quem Sodomã, & Gomorrham vocat, cuius sacrificia abominatur, cuius orationes repellit? Sed ecce tibi inter has iras diuinas immediatè subiungit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere, &c. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Vbi est illa Dei ira? Vbi illa orationum repulsa? Sapienter Diu. Hilarius in Psalm. 2. ait. *Sequitur terrorem benignitas, & quibus tam vltio criminis debita est, vs adhuc superest pœnitentiæ conscientia beata confessio. Non enim statim Deus in ira sua perimit, sed loquitur, & dissimulata pœna tantum in indignatione perturbat.* Non vbi irasci incipit, statim finis, statim in ira sua perimit Deus, sed paulisper moratur, & extremam pœnam iam debitam differt, vt peccatores quærant effugia, & discant fugere à vēntura ira. Quem Dei spiritum ebibit Moyses cum primum factus fuit Deus Pharaonis: quippé dum rebellem tyrannum castigaturus virgam exerit Exodi 7. *versa est in colubrum.* Cur non potius in leonem, aut vrsum? Nempè quia ira Dei non adeò est cita in perdendis peccatoribus, sed tardé, & morosè procedit, vt serpens solet. Ita Diu. Augustin. quæst. 8. ex veteri testam. aiens. *Vtique serpentem fecit, qui, & terrorem incuteret, non tamen obesset, per id, quod stupore quodam ad nocendum tardior sit. Si enim leonē fecisset, aut vrsum, quomodo euaderēt, qui aderant?* Non sic pœnas sumere de Ægyptijs volebat Deus, vt omnia illis euadendi occluderet effugia, ideò serpentē tardū obijcit in primis, deinde plagas decem per tot temporum interruptas immittit. Quod si quæras, cur nō magis sine interruptione castigat? Cur diebus plagarum dies quietis immiscet? Statim eleganter Diu. Basil. Seleu. orat. 9. inquit. *Pœnitentiæ spe supplicium differt, procrastinatque punctionem, vt sensum notitiamque sui daret AEgyptijs.* Expende illud: *procrastinat*, quandoquidem Deus soleat supplicia procrastinare, nec vbi irasci incipit, irascitur vsque in finem, sed finis procrastinationem inducit. Nō equidem à Deo venit hominibus statim finis, sed cum magna procrastinatione. Id quod patet ex 6. Genes. vbi ait: Cumque vidisset Dominus terram esse corruptam, dixit ad Noe. *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* Quid tunc? Immisit statim vniuersæ carni peccatrici finem? Absit, non enim à Deo statim venit finis; immò moras nectit, quam plurimas, arcæ fabricationem instituit, & post arcam fabricatam, post punitionem iam dispositam: insuper ait Genes. 7. *Adhuc enim, &*

Isai. 1.

Hilar.

Exod. 7.

Aug.

Basil. Sel.

Genes. 6.

Gen. 7.

post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Vidisti procrastinationem finis immittendi? Et quor sum per tot dies diluuium? Vt inter inceptionē supplicij, & finem detur spacium effugiendi, ne instantaneus finis viam euadendi concludat. Chrysost. ibi. *Quid? Non erat ei possibile, vt vno die totam pluuiam induceret? Vno momento posset, sed hoc dedita opera facit, volens simul, & timorem incutere, & occasionem præstare, qua possint pœnam, quæ in foribus, effugere.* Sic Dominus misericors solet, & post incepta supplicia, dilatare finem.

Chrysost

Luc. 21. Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt.

§. XII.

In populum exlegem vniuersa audent, & præualent mala.

MORS, fames, pestilentiæ, & vniuersa mala insurrexerunt in populū Iudęorum, sed quando populus à ceruicibus suis diuinæ legis reiecerat iugum. Prius Iudæi Mosaicæ legis vitam Iesum peremerunt, & tunc reiecto legis spiritu, & vita, nullum est malū, quod non insurgat aduersus adeò exlegem Rempublicam. Apud epist. Canonicam Diu. Iudæ dicitur. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore: non est ausus iudicium inferre Blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus.* In quibus maximè ponderanda est diaboli impudentia, quæ audet insurgere aduersus Michaelem Archangelum Iudæorum protectorem, & propugnatorem. Ecce vobis inter Archangelum, & diabolum altercatio, & hinc inde reluctatio; & quod mirere magis Michael non audet iudicium inferre blasphemo, & diabolus audet reluctari Angelo. Rem prudentissime expendit Diu. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 85. aiens. *Existimo dæmonem, nec probo quidem, ac sancto viro reluctari posse. Idque tunc ex eo constat, quod Apostoli dæmones in fugam agebant; tūc ex eo, quod Paulus Pythonem gentilium cultū sursum, deorsumque miscentem sermone prosliganit, ac depulit. Quin in martyrum quoque templis gratia ea, quæ sanctorum corporibus insidet, eos excruciat. Si igitur hæc ita se habent, quonam pacto dæmon Angelo reluctari potuisset?* Adde ad maiorem diabolicæ audaciæ ponderationem, quod Michael ille erat, qui facto impetu omnes dæmonū exercitus à cœlo præcipitauit in abyssum. Quare ergo modo Michael protector Iudæorum factus sic nō audet in prostratos suos? Aut quare diabolus sic audet reluctari vastatori suo? Equidem lis erat de Moysi corpore, seu cadauere: & vbi Moyses tantus legislator iacet exanimis, quid audeat Iudæorum protector Angelus? Quid non audeat diabolus, & vniuersæ calamitates? In populo illo, in quo lex diuina exanimis est, in quo vita legū ablata turpe iacet, & fœdum librorum cadauer: insurgent pugnæ, insurgent calamitates, nullum erat malum, quod non audeat, & prę ualeat aduersus Rempublicam talem. Apud Michęam cap. 1. sic habes: *Ecce Dominus egreditur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eū, & valles scindentur, sicut cera à facie ignis, sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. In celere Iacob omne istud.* Ex pende verba, *omne istud*, quasi parum sit, quod vbi scelus est, vnum sit malū, aut alterum, sed necessum est, vt omne malū inueniatur ibi. Ea est iniquitas in corde hominis posita, quæ vniuersis malis vires tribuat, vt audeant, & præualeant aduersus robustissima quæque, aduersus celsissimos mōtes, aduersus valles frutiferas. Quod vt magis ponderetur, recole id, quod dicitur Iudic. cap. 1. vbi sic *Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Ecce tibi Iuda à Domino confirmatus potuit quidem aduersus montana præualescere, non aduersus valles. Verum apud Michæam, calcatio, & vastitas, & contritio, & omnia mala, nō solum aduersus montes, sed aduersus valles præualent, quod si quæras, vndè, & tot mala, & adeò valentia vires sumant? Ipse respondet: *In scelere Iacob omne istud.* Solum peccatum, sola iniqua, & exlex vita sic roborat vniuersas calamitates, vt audeant, & præualeant, aduersus quoscumque. Huc referendus est Isaias cap. 30. sic inquiens. *Filij mendaces, filij nolentes audire legem Domini, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.* Quæ vita magis exlex? Sed ecce, quæ pariat mala. *Propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut irruptio cadens, & requisita in muro excelso.* Et quidem non vnum malum exlex iniquitas trahit, sed tot mala

Iuda.

Isid. Pelus.

Michæ. 1.

Iudic. 1.

Isai. 30.

oppri-

opprimunt iniqûûm, qûot lapides rupto altissimo muro solent cadere. Ad quod respiciens Forerius sic Isaiam cum Michæa componit.

Forer. *Quis quæso peccator tantam in esse vim peccatis, in quibus sibi complacet, aduersus se metipsum vnquam putasset? Hoc certè illud est, quod apud Michæam dicitur, in scelere Iacob omne istud. Ergo iniquitas murum subruit, regna perturbat, atque euertit.* Murorum casus, populares turbationes, mortes, fames, regnorum vastitas, & omne istud aduersus sceleratos venit. Sæpe mecum mirari solebam, qui fieri potuit, vt super Iesum Dominum tot mala tam breui spacio venirent. Passionis tempus per breue fuit, tempus vnius diei cum nocte; verum mala, oppobria, irrisiones, alapas spinas, verbera, crucem, ferrum quis memorando percenseat? Nõ fuit dolor, qui in eum non veniret, non fuit vilis homuntio, qui non auderet, & præualeret, nunc aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius. Quod si huius rei causam quæro, ecce Michæas ait: in scelere Iacob omne istud; ecce Isaias cap. 5. *Propter scelus populi mei*

Isai. 5. *percussi eum:* ecce Paul. ad Rom. 8. ait, quod

ad Rom. 8. venit Dominus, *in similitudinem carnis peccati.* Et eo vbi similitudo, vel vmbra nostræ peccatricis carnis erat, omnes calamitates, velociores quam aquilæ ad cadauer deuenerũt.

Drog. Hinc Drogo lib. de sacram. Pas. ait ex Ps. 31. *Augentur flagella, plagæ multiplicantur; multa enim flagella peccatorum.* Nullum est flagellũ, quod non audeat in eum, in quo est, vel peccati vmbra: quasi nesciat malum, nisi coniunctum cum alijs venire in peccatores: adeò vt

Isai. 40. dicat Isaias c. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, quod dicerent Hispani: *Vimeronle al pecador los males à pares.* Nullum malum est, quod non audeat cõcurrere ad peccatorem perdendum, nulla creatura, quæ non velit esse crudelis in hac causa, vndè licet hic dicere, quod aliò dicebat Paul. ad Rom. 2. *Qui sine lege vixerunt, sine lege peri-*

Ad Rom. 2 *bunt.* Quia nullã respicis Dei legem, vt viuas, sic nulla naturæ lex respicietur à creaturis, vt

Alcim. pereas. Id quod notabat D. Alcimus lib. 4. de diluu. vbi expendens, quod mare exiet fines suos ad homines perdendos, ait:

Nisi pater Occeanus mundũ indignatus in ipsum
Exiret, rumpensq; fidem perfunderet arua.
Ergo, vt peruersi vindex crudelior orbis
Dissipat æternas leges, & sede relicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.

Sic leges omnes pietatis rumpuntur aduersus homines, qui sine lege viuunt.

§. XIII.

Dei manus omnium grauissima ad vexandum.

TOT malorum causæ, nimirum prælia, pestis, fames, terrores panici ponuntur, vt aperte cognoscatur Iudęorum perditionem diuinæ esse iræ. A qua sententia stat Euthimius, & merito, quandoquidem tam crudelis hominum vexatio nequiret fieri, nisi â manu diuina. Sola diuina manus potens est omnium grauissimas strages causare: quod nouerat ille hominum rabidissimus carnifex cũ circa tentationes Iobi sic ad Deum cap. 1. fatur. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.* Non proprijs fidit manibus ad affligendum Iobum, sed à Deo petit, vt sua manu flagellet hominem, quasi etiam dæmonum manus nouerit esse infirmas ad flagellandum præ diuinis. Ita ibi Didymus in Didym. Cat. Græca ait. *Vide quam veteratorie, quamq; simulate non dicat, mihi permitte, sed tu facito. Imbecilitatis enim suæ probè sibi conscius est.* Vbi magni Dei potentissima vis non adest, imbecillia sunt omnia; sagittæ parulorum factę sunt plagæ eorum, non est ira creata magna. Ideò Deus non manui suæ, sed dæmonũ manibus committit iusti viri probationem, quãdo ad diabolum, ait Iob. 1. *Ecce vniuersa, quæ* Iob 1. *habet in manu tua sunt.* Quid est in manu tua sunt? Chrysost. in Cat. *In manu, inquit, tua pusilla.* Grauior est Dei manus ad affligendum, quam probatio patiatur, ideò diaboli manui permittitur iustus, vtpote, quę pusilla est, quę infirma est, ne possit inferre extremã cladem. Apud Ioel c. 1. memorãs Dñs suæ gẽtis clades Ioel. 1. per Nabuchodonosor, per Antiochum, & per Romanos vẽturas, ait. *Residuũ eruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuũ bruchi comedit rubigo.* Ecce tibi, quibus cõparet carnificinas Iudæorũ, dũ à Nabucho donosor misere captiuantur, ab Antiocho laniãtur, à Romanis perdũtur. Locustæ ne sunt Babylonicę fornaces? Bruchus ne est crudelissimus Antiochus? Rubigo est exercitus ferreus Romanorũ? Cur nõ potius vocentur ferocissimi leones, vrsi, pardi, tigrides, & alia crudelissima, & fortissima animalia? Pulchrè Rup. Rupert. ibi: *Etenim cõtra hominẽ maximè Iudæorũ imbecillitatẽ, regna illa, quasi bestiæ fortes, atq; feroces extiterũ; sed coram omnipotẽtia diuinitatis infirma, & fragilia, sine etiam exigua tanquã locusta, velut eruca, quasi bruchus, & seu rubigo reputata sunt.* Crede mihi quæuis creata ira etsi rabidissima appareat, in cõparatione iræ diuinæ pusilla est, & exigua, quantũ potest mũdus, eiusq; tyrãni, imò & diabolus ipse sæuire in homines, nõ excedit parui, & vilissimi vermis

mor-

morsum. Solâ manus diuinâ ingentes nouit inferre clades. Id bene calebat nobilis athleta ille Iob, qui omnibus orbatus bonis, inter incredibilia mala, ingẽteſq; dolores cõſtitutus, adhuc dicebat c. 13. *Duo tantũ ne faciat mihi:* ſiue vt apud Lxx. *Duo mihi præbeas, & tunc à facie tua nõ abſcõdar. Manũ tuã longe fac à me, & formido tua non me terreat.* Quaſi tolerabilia habeat vniuerſa ſuſcepta mala, & diaboli tela, dũ non accedat punitura diuina manus, terroreſq; de cœlo ſuperueniãt. Hæc duo ſi abſint, parui duco cæteras calamitates, tyrannos rideo, diabolos expuo. Nihil mihi à Deo timeã; à creaturis enim parua, & exigua erũt quæcũq; timebo. Merito ſocrus Ruth non aliũde ſuã calamitatem exaggerabat, aiens c. 1. *Egreſſa eſt manus Domini contra me.*

Iob 13. Lxx. Ruth. 1.

§. XIIII.

Acerbiſsimum ſupplicij genus, quod plagas tuas cogaris videre.

NON pauci ſunt auctores, qui putent prælia in præſenti à Ieſu prædicta, non eſſe vltima illa, quibus Romani Iudæos vaſtabũt, ſed eſſe prælia exorta in confinibus Iudęorũ, quibus vicinę gentes ſeſe mutuo petent, & cõfodient. Et quid hæc ad Iudęorum calamitatem? Quid quod vicinæ gentes inſurgant aduerſus gentes, vt inde Iudæi affligantur? Multum per omnẽ modum, quandoquidẽ in vicinorum ſtragibus, & calamitatibus cogentur miſeri Iudæi videre ſuas proprias ſtrages, & calamitates, quod ingẽtis ſupplicij genus eſt. Audiſti Abſalonẽ in Dauidem rebellem, ſed & audi parricidæ ſuppliciũ. 2. Reg. c. 18. *Et cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu Dauid, factaq; eſt plaga magna in die illâ viginti millium. Accidit autem, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo, &c.* Ecce tibi in parricidę parte fit magna plaga, ibi mors, ibi gladius deſæuit, ibi paſsim milites cadunt, & totus pene exercitus interemptus eſt, & adhuc parricida manet ſuperſtes mulo ſedens. Cur non potius ipſe prius perijt? Cur ante illum exercitus miſere cadit? Vt indè eius ſupplicium creſceret, dũ videt in ſuis interfectis ſuam interfectionem, & miſeriam. Chryſoſt. hom. de Abſal. ait. *Igitur commiſſo bello proſternuntur hoſtes, aduerſarij Dauidis cadunt, inimici vincuntur, nudatur hoſtis, deſeritur parricida: iam ſuã in ſuis conſpicit pœnam: iam ſupplicium debitum ſibi ſuorum interitu recognoſcit. Iam timet, iam formidat, iam proprium meditatur interitum.* Solent reorum oculi claudi, ne videant inſtrumenta lanienæ, ne videánt ſocios ſupplicij animam agentes: non enim dubium eſt, quin pertineat ad maximum ſupplicij incrementum, quod miſer in ſocijs ſuis ſuam conſpiciat pœnam, ſuum videat tormentum. Quæ vires non franguntur tali ſpectaculo? Hoc ſciebat tyrannus ille Antiochus lib. 2. Machab. capite 2. de quo ibi dicitur: *Iratus itaque Rex inſſit ſartagines, & ollas æneas ſuccendi. Quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat loquutus amputari linguam, & cute capitis abſtracta ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus, & matre inſpicientibus.* Et ſanè crudeliſsimus homo cogebat fratres inſpicere, vt in laniena fratris inſpiciens quiſque ſuam magis torqueretur, vehementiuſque ſentiret ſupplicium. Sic in ſingulis vehementiſsimè torti fratres cum fuiſſent: *Nouiſsimè autem poſt filios mater conſumpta eſt.* Cur nouiſsima mater, an vt fœmineo generi parceretur? Immò vt ex crebra repreſentatione interitus inſuis viſi magis eius conſtantia concuteretur, & doloris ſenſus exacueretur. Ad hæc Chryſoſtom. hom. de ſeptem Machab. *Immundi dæmonis maligna calliditas non primum eam traxit in agonem, ſed poſt filios eam duxit in prælium. Qua cauſa hoc? Ob hoc vtique, vt prænenientibus ſeptem filiorum ſupplicijs deijceret ſenſum eius, cum virtutem mentis in matre fregiſſet varia crudelitate, propoſitis eiſpectaculis orbitatis ſuæ.* Quaſi malignus dæmon nullum crudelius telum ad conterendam inclytam fœminam inueniſſet, quam ſi orbitatis ſuæ ſpectaculum ante eius oculos poneret. Non ſic ollæ accenſæ, non ſic cruciatus immenſi, non ſic dolores lanienæ, quam viſio ſupplicij confringunt mentem patientis. Vndè calamitatem ſuam exaggerabat Ierem. Thren. 3. aiens. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Ac ſi diceret: ego inter omnes meos infeliciſsimus, quandoquidem aliqui eorum, nimirum Prophetæ præuiderunt ſuorum calamitates, nõ tamen ſuſtinuere; alij ſuſtinuere, ſed non præuiderunt, ego magis miſer omnem calamitatem video, & ſuſtineo, quam antea aſpexi, patior; ſimul, & oculis, & dorſo flagra fero. Quid infelicius? Iob 21. de impio dicit. *Videbunt oculi eius interfectionem ſuam.* Vbi Philippus ait. *Duplex tormentum eſt, videre pœnas, quas ſuſtineas.*

2. Reg. 18. Chryſoſt. Thren. 3. Iob. 21.

Luc. 21. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus ſuas, & perſequentur tradentes in Synagogas

gogas, & cuſtodias, &c. Trademini autem à parentibus, & cognatis, & morte afficient ex vobis.

VIDE ſupra cap. 3. vbi plura habes circa ea, quæ in præſenti dicuntur.

§. XV.

Dei magno beneficio ducat, qui mundi malis præripitur.

ANTE hæc omnia, nimirum, ante prælia, ante peſtes, ante fames, ante terræmotus, cœlique terrores afficientur morte quam plurimi ex diſcipulis Chriſti. Quis non putet hoc illis pro magno beneficio accidiſſe? An non beneficium eſt, calamitatibus ſubſtrahi, à certaminibus abduci, & adhuc hoſtibus ſęuientibus rapi ad triumphum? Componite vobis fortiſsimos veteris teſtamẽti iuuenes, ſeptem Machabæos, & tres Danielis ſocios, omnes calamitoſam obtinuerunt rempublicam, omnes ad tyrannum ducũtur religionis cauſa, omnes ſententiam damnationis incurrunt, & excipiunt. Illi ab Antiocho iubentur ardenti ſartagine torreri, hi à Nabuchodonoſor mittuntur in flammantem fornacem. Ecce prælium hinc carnifices, hinc Dei athletæ, omnes dantur pueri ignibus, ſed quam alter fuit eorum euentus? Machabæi crudeliter cruciati inter ardentes ſartagines occumbunt: tres pueri in fornace vinculis ſoluuntur, & viuidiores apparent, indeque longos in annos educuntur victuri. Quos ergo feliciores putes? quos maiori à Deo donatos beneficio? an qui occubuerũt in igne, an illi qui viui, & incolumes eripiuntur? Rem explicat Auguſt. ſerm. 110. de diuerſis, cap. 3. vbi ſic habet. *Quare illi ab ignibus cõſumũtur? Ergo illis Deus aderat, hos deſeruerat? Abſit: Immo vtriſque affuit. Illis in aperto, iſtis in occulto: illos viſibiliter liberabat: iſtos inuiſibiliter coronabat. Illi quidẽ de morte liberati ſunt: ſed in huius vitæ tentatione manſerunt. Ab igne liberati, ad pericula reſeruati. Vno tyranno victo; adhuc certaturi cum diabolo. Fratres mei ſicut Chriſtiani intelligite. Machabæi melius, & tutius liberati ſunt. Ab illis tribus viris, cæteris remanẽtibus illa vna tentatio ſuperata eſt: ab iſtis iſta vita finita, quæ tota tentatio eſt.* O quam felicior ille, qui primo in congreſſu omnia certamina abſoluit, inamiſsibilemque coronam aſſumit! Quid magnum, quod morti eripiaris reſeruãdus innumeris perditionis periculis? Viciſti ſemel mortem dum viuis, ſed reſtant prælia mille, reſtant incurſus hoſtiles, reſtant incendia, reſtant pugnæ, reſtant calamitates, reſtãt mortes mille. Nos Chriſtiani putemus, & melius, & felicius liberari, qui abripiũtur certaminibus gloria donati, quam qui in ſtadio relinquuntur. Sãctiſsimo Ioſiæ dicitur, 4. Reg. 22. *Colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Pacifica illi à Deo promittitur mors ante calamitates Ieroſolymitanas, & tamen moritur Ioſias in bello percuſſus à Nechao rege Ægypti, vt habetur ſupra cap. 23, & in Paralyp. c. 35. Qualiter ergo verã eſt Dei promiſsio, quod Ioſias moriturus erat in pace, ſiquidem hoſtiliter percuſſus occubuit? Vbi eſt beneficium pacificæ mortis promiſſum? An benefica, & pacifica mors eſt in bello cadere? Equidem vbi duriora prælia reſtabant, & grauiora excidia, templi incendia, vrbis ruina, populi perditio, pacifica & plena gratiarum erat mors, qua rex tot conflictibus eripiebatur, etiam ſi inter hoſtiles incurſus occumberet. Sic putat Abul. ibi, q. 20. inquiens: *Quia mala, quæ euentura erant ſuper Hebræos, valde maiora erant, & quanta nunquam euenerant, ita vt fierent in ſtuporem, & maledictum, ideo Ioſias quamquã moreretur in bello, dicebatur mori in pace, quia per hoc excuſabatur videre mala maxima.* Ille donata pace fruitur, quem triũphantem nulla duriora certamina ſpectant, nulli vocant conflictus: ille ingenti beneficio quieſcit, quacumque morte occumbat, qui ad coronam abit eo tempore, quo adhuc ſæuiunt hoſtes in arena, adhuc inſtauranda prælia ſunt, & nocẽtiores inſtant perditiones, & ruinæ.

4. Reg. 22.

Abulenſ.

Aug.

CAPVT QVINTVM.

De obſidione Ieroſolymitana.

DVM turbæ effuſę lætis cantibus celebrant Saluatorem, & ramis palmarum exhibitis ouantem comitantur Regem manſuetiſsimum: ipſe pacis rex Ieſus oculis excipit Ieroſolymam florentiſsimam vrbem. Quid tunc? Simul oculi diuini vrbem regiam excipiunt, & ſimulſe ſe in lacrymas fundunt. Infelix vrbs aquas de oculis Saluatoris expellis, vt ſolus inibi tibi maneat ignis. Non vnum vt malus coluber, Apocalyp. 12. ab ore flumen; ſed duo ab oculis mittit bonus Saluator flumina in Ieroſolymam, vt eam faceret trahi à flumine. Terre-

Apoc. 12.

na autem Iudæorum mens tanta lacrymarum absorbuit flumina, & parui ducens præsaga sui Saluatoris suspiria prætendit in se iam suã deploratam salutem.

Luc. 19. Et vt appropinquauit Iesus videns ciuitatem fleuit super illam dicens.

§. I.

Tunc maximè lugendus peccator cum non Dei iram, sed teneritudinem, sed indulgentiam prætendit non emendatus.

QVIS non miretur Christum Dominum flentem super Ierusalem, eo tẽpore, quo ouationem illam, & triumphum mansuetudinis, & pietatis facit, de quo Matth. 21. dicitur. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mãsuetus, &c.* Mansuetus venis Ierosolymis, ô Iesu, & eius vicem defles? Cur lacrymas fundis super ciuitatem, cui mansuetissima, & pientissima viscera pandis? Equidem nunquam magis lugenda rebellis, & peccatrix vrbs, quã vbi in sceleribus non iram vindicis, sed mansuetudinem, non duritiem supplicij, sed teneritudinem compatientis in Deo sentit. Nonne lamentandus est impius, de quo apud Isaiam, cap. 26. ait Dominus: *Misereamur impio, & nõ discet iustitiam facere?* Immò nunquam magis lamentandus impius est, quàm vbi nimis misericordem sentit iudicem, quem magis deberet sentire vltorem iniquitatum. Non enim tantam perditionem traheret Ierosolyma à vibratis in illam telis Iesu manu, quantam traxit à mãsuetudine, à teneritudine, à lacrymis. Vidimus sæpe Dauidem Absalonis miseram lugentem cladem: 2. Reg. 18. *Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, & flenit. Et sic loquebatur vadens, Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* Quid tenerius? Quid affectuosius? Quis non amabit hanc Dauidis teneritudinem, & compassionem in filium? Quis timeret cladẽ Absaloni ab hac teneritudine patris? Sed, vt obstupescas, sunt, qui prudentissimè putent adeò noxiam fuisse Absaloni patris teneram affectionem, & dissimulationem, vt ab illa totũ suum exitium miser iuuenis traheret. Sic ait Chrysostom. hom. de Absalone. *Offendit enim Dauid filium, quia fratris in eum noluit vlcisci parricidium, semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt, & in augmenta facinorum profilitur, quoties securæ impunitate peccatur.* Quò maior fuit Dauidis in Absalonem teneritudo, & indulgentia, eò minus Absalon leuatur, eo magis offenditur, eo maius incidit in excidium. Adeò vt dicere posset, id quod vulgo dicunt nocentes ad indulgentissimos parentes: *Patris indulgentia, & teneritudo me offendit, me perdidit, me dissipauit.* Quibus simili a dicunt Iudæi miseri Isaiæ 63. ad Deum fantes. *Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Sed Deus neminem indurat, neminẽ in errorem trahit, verum quia errantibus parcit, & largam indulgentiam ostendit, abstinens à flagellis: inde nostrâ malitiâ nascitur in peccatoribus perditio maior. Sic data verba explicat Orig. lib. 2. Periarch. c. 1. aiens: *Vt quid in tantum pepercisti nobis, nec requisisti nos cum peccaremus, sed reliquisti nos, vt per hoc increscceret malum, & propagaretur, licentia peccandi animaduersione cessante? Sic equus, si non assidui sessoris patitur calcem, & frænis ora ferratis obteritur, indurescit. Sic puerilitas, si nulla plagæ assiduitate curuetur, insolentem simul, & ad vitia præcipitem iuuenem reddit.* Eu quoties peccatores ex indulgentia diuina, sibi æterna præcipitia trahunt! Eu quoties à compassione, & teneritudine paterna homines nequam æternũ luctũ, & excidium venantur! Ipse Isaias paulò ante dicebat: *In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi. Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sanctũ eius, & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos.* Ecce diuina dilectio, diuina indulgentia, diuina teneritudo, quot mala, quot bella improbis hominibus propter ipsorum malitiã pariat. Prudentissime ad hęc respiciens Philo lib. quod deterior insidietur potiori, ait. *Arbitror eos, qui non omnino sunt inexpiabiles, optare puniri, potius quã dimitti. Nã hæc dimissio facile subuerteret eos.* Inde non inexpiabilis, & prorsus deploratus ostenditur homo, si correctionem supplicij amet, si flagellum pœnæ pro culpis experiatur; dissimulatio enim & indulgentia in omnibus, & timenda, & cauenda est: vt monet D. Greg. lib. 17. in Iob cap. 3. fatus. *Necessum est, vt cum nos diu expectari conspicimus, ipsa prærogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia iudicis crescat supplicium peccatoris, & vnde quisque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat.* Ex quibus illud maximè ponderãdum est, quod prærogatæ pietatis, & indulgẽtiæ diuinæ tempora, quasi damnationis argumenta cauere iubeat, & timeri. Quippe indulgentia paterna pessimis exhibita filijs, maiorẽ sæpe sæpius in illis damnationẽ arguit. A qua fugiebat Dauid Ps. 50. aiens: *Miserere mei Domine*

Matth. 21.

Isai. 26.

2. Reg. 18.

Chrysosto.

Isai. 63.

Origen.

Phil.

D. Gregor.

Psalm. 50.

mina, secundum magnam misericordiam tuam. Notanter petit misericordiam magnam, vtpote qui sciebat posse aliam misericordiam venire à Deo, quæ non esset misericordia magna, sed adeò parua, vt in illa possent peccatores suam ruinam, & excidium autummari. Ad
D. Bernar. hæc D. Bernard. serm. de triplici misericordia, fatur. *Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere, paruam nominauit, quia hæc siquidem sola fuerit nullatenus sufficit ad salutem, immò verò in dicium dānationis accumulat: vt dicatur Psalm. 49. Hæc feci sti, & tacui.* Caueat peccator huiusmodi misericordiam, in qua ipse ostendat deploratam magis salutem.

§. II.

Nihil à perfecta rerum humanarum cognitione citius emanat, quam lacrymæ.

CVR non fleret super Ierusalem, qui illã, & fines eius perfectissimè videret, vt Iesus vidit? Neminem puto sic lapidascere posse, qui si res viderit, apprimeque cognouerit, quæ circa se sunt, aliud vellet, quam ingentes lacrymas profundere. Ex quo explicarim cohærentiam verborum satis difficilem. Cant.
Cant. 1. 1. vbi sic sponsa fatur: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Huic petitioni, & humilitatis, & amoris plenę sic Dominus respondet. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum egredere, & abi, &c.* Concors est patrum sententia, quæ hęc verba de defectu propriæ cognitionis intelligit, vt bene notat Gillerius in præsenti. Sed vnde Dominus suspicatus est defectum propriæ cognitionis in sponsa? Quibus verbis, aut signis ostendit sponsa, quod se suaque non optimè callebat? Sanè ex eo, quod totum eius desiderium versatur circa quietem, & pascuam; qui enim verè cognoscit, & callet humanam conditionē, rerū humanarū casus, precipitia, pericula, & ipsos lapsus fallor si aliud meditatur, quã luctū, quàm lacrymas. Meditaris gaudia? Meditaris quietē? Perspicua est mētis cęcitas, & ignorantia, quæ si abesset, solum amares ploratus. Hinc est quod Saluator videns Ierusalem flebat, & flens aiebat. *Si cognouisses, & tu:* quasi ideò fletus socios non haberet, quia nec cognitionis; quotquot enim cognitionis socij fuerint, proculdubio simul extitissent, & fle-
Vrban. 4. tuum. Sapienter Vrbanus IIII. Põt. Max. in Psalm. 50. aiebat ad hæc. *Et vere si cognouissem, sicut & tu, peterem à te vt aperirentur catharactæ capitis mei, & diluuium lacrymarum mearum facgres abūdare, ita vt anima mea tota esset lacrymis liquefacta, & iniquitas mea in hoc diluuio deleretur.* Eius qui se, suaque cognoscit, & mundialia pericula callet, hoc esset vnicum votum, hoc vnicum desiderium perpetuis sese fletibus dare. Quo non pauci referunt illud Eccleſiastæ. 1. *Qui addit scientiam, addit, & dolorem:* quasi nesciant lacrymæ à rerum humanarum cognitione, & propria cuiusque sui notitia separari. Pro quo D. Salonius ait. *Quanto*
Eccles. 1.
D. Salon. *quisque plus in sapientia proficit, tanto magis sibi irascitur de malis operibus, quæ gessit, & contristatur, & dolet super peccatis suis, ideoque addit & laborem, quia quanto amplius cœlestia, & æterna cognoscit, tanto magis dolendo, & flendo laborat, vt errorum laqueos euadere possit, & liberari valeat de huius sæculi molestia.* Nihil nō lugendum videt, quicumque videt; mundialia omnia si cognoscantur, & quot in se laqueos mortis habeant, nihil prius elicient ab oculis quam lacrymas. Felix illa peccatrix Luc. 7. *Vt*
Luc. 7. *cognouit*, statim conuiuia, & mundiales põpas præteriens, *Lacrymis cœpit rigare pedes Iesu*; cę pit, inquã, & fallar si dū vixit luctum finierit. Nec otiosę inditæ sunt oculis lacrymarū fontes, sed vt ostendatur, quã sociū habeat visio humana lamentū, & quod idē sit apertos oculos habere, & copiam dare maximã flectibus. Quo etiam crediderim spectasse Isai. dum ait,
Isai. 33. c. 33. *Videntes clamabunt foris; Angeli pacis amare flebunt.* Siue homo sis, siue Angelus, siue hostibus cinctus agas, siue pace floreas, dū tamen obcæcatos non habeas oculos, sed clare videas, proculdubio clamabis, flebis. Hinc me
Laur. Iust. rito colligit D. Laur. Iust. lib. de triūphali Christi agone, c. 19. ingētē Christi Domini luctū, & amarissimas lacrymas, vt quæ nascebantur ab eo, in quo perspicacissima erat Dei visio. Etenim ait. *Vno Iesus tēpore Dei fruebatur visione, & intolerabili passione gemebat, vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnā. Nam quemadmodum omnes cognitiones antecessit, ita etiam & mœrore. Apposita est illi scientia, appositus est dolor.* Sic sem per visionem secuntur flectus, secuntur mœrores.

§. III.

Christi lacrymæ triumphum perfectissimæ ostendunt charitatis.

SIMVL videbat Iesus dolores, & passiones suas instare, & persecutorum suorum excidia, & calamitates, nec super se plorat, sed super illos. Sua præterit mala, hostiū vero suorū ruinas prosequitur lacrymis. Iesus equidem est, qui primus triumphum erexit charitatis dum inter orationem, qua Ierosolymam intrat, suorum hostium intime dolet, & deflet

Iob 19. calamitates. Sanctissimus ille Iob, cap. 19. de se mira, & inaudita loquitur aiens: *Ecce rideo in opprobrijs, & non loquar, neque respondebo.* Huc potuit peruenire nobilis triumphator Iob, vt inter calumnias hostium rideret, sed cur non addidit, & lacrymas propter hostium calamitates? Hic maximus erat triumphus charitatis vni Iesu reseruatus. Pulchrè Amb. D. Amb. lib. 3. de interpel. cap. 2. ait: *Iob ergo ridebat, quia nondum venerat Christus, cui soli seruabatur magnarum prærogatiua virtutum.* Sanè in solis Iesu lacrymis, & passione hoc inuenitur triumphantis charitatis argumentum, quod pium exhibeant suis persecutoribus, & inimicis officium. Vnde ille ipse, qui hostes suos Pharisæos sæpe acriter pungebat, vt cum ait Matth. 3. Matth. 3. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.* Vbi ad Salomonium ferculum, nimirum triumphalem crucis currū peruenit, in quo medius ibat eius amor, sic orat cum clamore Ad Heb. 5 valido, immò vt ait Paulus ad Hebr. 5. cum lacrymis dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quasi & lacrymæ passionis Christi hunc in inimicos halarent triumphum charitatis. Id quod eleganter innuit Aug. Aug. serm. 29. de diuersis, aiens. *Dominus amare, & acerbe arguit Iudæos, sed amando. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ. Quando dicebat ista: quis non diceret, quia oderat illos? Venit ad crucem, & ait: Pater ignosce illis.* Aliàs potuisset Dominus inimicos mordere, eorum impia facta acerbe pungere, & sub aculeis reprehensionis suam dilectionem occultare; verum vbi dolor, vbi passio, vbi crux, vbi lacrymæ sunt, non potest non ostendi triumphus charitatis hostes etiam amplexātis. *Venit enim ad crucem, & ait: Pater ignosce illis:* hæc resonat vox inter lacrymas, inter passiones, qua Iesus vel ipsis dolorum lacrymarumque auctoribus parcit, eosque amat. Quam alia est nostra consuetudo inter dolendum, tunc enim tūm abest, vt hostes amemus, vt etiam charis- Ion. 1. simos mordeamus. Apud Ionam c. 1. inter sæuissimæ tempestatis discrimina inuenerunt nautæ doloris, periculique sui auctorem Ionā esse ob scelus cōmissum in Deū. Quid tunc? *Et dixerūt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis?* In quibus verbis nautarum hūmanitatem, & nostram stultiam ponderat Theophyl. Theophylact. illi inter tot mala, tot afflictiones deprehendunt auctorem suorum malorum, & nihil ei male locuntur sed humaniter tractant, & ab eo amanter remedium sciscitantur: nos quouis dolore sic amarescimus, vt etiā in amicos irascamur. Itaque ait: *Vel sic etiam imitandi sunt nautæ isti, vbi sapenumero vos in calamitates incidentes plane efferamur, ne dum aduersum calamitatū auctores solos, verum, & contra ipsos familiarissimos nostros in calamitatibus consolatores.* Pudeat Christianum inter dolendum in familiares suos irasci, quando nautæ inter tot mala illorum auctorem adeò humaniter tractant. Quando Iesus in lacrymis, in doloribus in passionibus suis, nihil aliud ostendit, quam charitatem pertingētem, vsque ad aduersarios, & auctores suarum calamitatum.

§. IIII.

Supplicia quæ cum lacrymis, & dolore Dei veniunt interminabilem pacem pariunt.

QVID in Iesu lachrymis euidentius monstratur, quam scelerate vrbis excidium sed excidium, quod tantis fœcundum lacrymis interminabilem postea in cōuersione. Iudæorum pacem parturiat. Nunquam enim Dei lacrymæ, & dolores noūerunt aliud excidium inferre mundo, nisi quod æterna postea indulgentia sit restaurandum. Delyrus ille Valentinus aiebat, quod sapientia à cœlis interram dilapsa multos fletus, & lacrymas profunderet, quæ lacrymę diabolum genuissent. Inquem D. Cyril. Ier. of. cathec. 16. insurgens Cyr. Ier. ait. *Vides impietatem Valentini? Quomodo enim ex lacryma diabolus generaretur?* Et quidē impossibile est, quod diabolus, quod irremediabilis perditio oriretur à lacrymis sapientiæ de cœlo venientis. Nunquam cœlestes lacrymæ possent omnimodam perditionem mundo parturire. Isais. 1. *Heu consolabor super hostibus* Isai. 1. *meis, & vindicabor de inimicis meis.* Ecce tibi in his verbis inimicorum durissima vltio simul cum Dei lacrymis proponitur. Perdam, inquit, hostes, vastabo, sed cum hæc dicit, simul præmittit illud Heu, quasi inter perdendos inimicos lacrymas fūdat, vt notat Cloſsa, inquiens: *eos plangit, & percutit:* Et qualis est hæc vindicta, & perditio, quæ cum lacrymis Dei venit? An perditio irreparabilis est? Absit: immō immediatē, ait: *Et convertam manum meam ad te, & excoquā ad purum scoriam tuā, & auferam omne stannum tuum. Et restituā iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Sic restaurantur ruinæ, quæ veniunt lacrymis cū diuinis; sic vbi Deus plangens præmittitur, nescit irreparabiliter perdere, quin potius perditio, quæ à lacrymis Dei proficiscitur, etsi extrema videatur, tandem inexterminabilem pacem gignit. Genes. 6. Gen. 6. de Deo in mundum irascente, dicit: *Tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominē, quē creaui à facie terræ.* Ecce Dei ira aduersus omnē carnem, sed quæ nascatur simul cū intrinseco dolore Dei, & lacrymis totius.

Quid

Quid tũc? Effunditur ira, ſit ſceleratorum hominum perditio, & poſt hæc Dominus, cap. 8 ait. *Nequaquam vltra maledicam terram propter homines.* Similiter, cap. 9. *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro, &c.* Vix ſub aquis homines perierant, & iam Deus firmat fœdus amicitiæ, & promittit pacem perpetuam cũ vniuerſitate hominum. Et quidem vbi perditio cum lacrymis Dei, doloreque cordis venit, non potuit reparationem mali non inferre. Potuit aqua fluens perdere terras, ſed quia manauit illa ex corde diuino condolente, ſimul & traxit in Deo excidij pœnitentiam, & pacem parturiuit perpetuã. Rem canebat D. Alcimus lib. 4. de diluuio ſic ex ore diuino locutus. *Alcim.*

Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat tranaſſe neſas, mundata lauando
Perpetuo maneat tellus: haud amplius vllis,
Perturbata malis moles humana fatiſcat.

Sufficiat gygantes ſub aquis gemuiſſe; ſufficiat à Ieſu oculis manaſſe lacrymarum diluuia, quibus Iudæorum neſas lamentabili excidio deletum eſt. Vbi ſub talium aquarum diluuio populus ille perijt, mundata labando perpetuo maneat tellus, & inſtaurata gens Iudæorum in Chriſtiano ouili recepta nullis amplius malis fatiſcat. Non ſic Nylus fœcundat, quam inundat Ægyptum, medijſque fluctibus ſemina refert, quibus arua replet; vt in lacrymarum Ieſu fluentibus, *relictũ eſt ſemen*, quo gens Iudæorum regerminet, & meliori cõditione, quam Sodoma refloreſcat. Qui fieri poterit, vt pereat filius tantæ matris lacry- *Baruch 4.* mis comparatus? Baruch 4. dum dabantur Iſraelitæ Babylonijs, aiebat mater Siõ. *Ego ſperaui in æternum ſalutem veſtram, & venit mihi gaudium à ſancto ſuper miſericordia, quæ veniet vobis ab æterno ſalutari noſtro. Emiſi enim vos cum luctu, & ploratu.* Ideo bona mater miſericordiam futuram in filios ſuos præſentit, quia emiſit illos in captiuitatem cum luctu. Cur ergo non ſperabimus miſericordiam futuram in Iudæos, quando illos Ieſus cum luctu, & ploratu emiſit?

Luc. 19. Quia ſi cognouiſſes, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: Nunc autẽ abſcondita ſunt ab oculis tuis.

§. V.

Summa miſeria hominis peccatoris, quod ip ſe ſolus non præſentiat imminentem ruinam.

MERITO plangit Dominus Ieroſolymi tanorum inſenſibilitatem, qui præſentiũ bonorum guſtu poſſeſsi nihil nouerũt metuere, nullum imminens excidium nouerunt præſentire. Vtinam non præſentibus raperentur, ſed & futura præſagirent, præcognoſcerent, ſed ea eſt hominis peccatoris ſtoliditas, quæ nihil in ſe præſentiat imminentis excidij futuri. Cum illud imminebat orbis excidium per diluuium, Geneſ. 7. *De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noe.* Quod ſi quæras, quis adduxit omnia animantia ad Noe? crediderim illa adducta Dei nutu, qui illis quendam terrorem præſagum futuri excidij impreſsit, quo ſimul diuino inſtinctu petebant illud arcæ confugium. Ecce tibi dum adhuc dies ſerena eſſet, cœlum ſudum, & terra tota in flores, fructuſque abiret; inter hæc imminentis excidij ſolicitat pauor vniuerſa terræ animãtia, vniuerſas volucres aeris, ſolus homo peccator ſe curus omni metu, omni ſolicitudine poſita nihil mali præſagit. Id quod pulchrẽ notat D. *Geneſ. 7.* *Alcim.* Alcimus lib. 4. de diluuio, fatus.

Tunc iuſſa accurrũt volucres, tũc beſtia quaq́,
Depoſita feritate venit, ſeſeque tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relicta,
Occludi gaudet; tantum decreta futuri,
Vis valet; occultus brutis in ſenſibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mẽtem.
Aſt homines, quos ſors certi diſcriminis vrget,
Vicina nec morte pauent. Sic vindice cælo,
Securos lætoſque reos tellure Gomorrhæ,
Iam prope ſub flammis ſentẽtia dicta videbat.

Superat peccatoris inſenſibilitas cœli volucres, ſuperat campi beſtias. Inuenies volucres, quæ tempeſtates præſagiant, & effugia quærant; inuenies animalia, & ſi viliſsima quæ vẽturos caſus præſentiant, & caueãt, ſolus peccator brutis inſenſibilior, dum voluptatibus incumbere licet, nullum malum futurum memi nit, & pene ſub ipſo ſupplitio, nihil metuit. Superbiſsimus ille Philiſtæus vt vidit ad ſe Dauidem cum funda venire, duellum ridens aiebat. 1. Reg. 17. *Quaſi ad canem exiſti tu mihi lapi-* 1. Reg. 17. *dibus, & virga.* Sic cauſabatur, quod velut canis haberetur; ſed miſer ille cane longe inferior, & ſtolidior erat; canis enim ſolet præſagire excidia imminentia, ille vero pene iam ſub gladio conſtitutus nihil nouit metuere. Vnde. D. Chryſoſt. hom. de Dauide, & Goliath, *Chryſoſt.* fatur. *Si canis fuiſſes nunquam dimicantem contra te Dominum prouocaſſes, ſed vt canis interitum futurum, & dignum ſupplitium metuiſſes. Peiores cane, qui nec virgã metuis, nec lapidem quo moriturus es, extimeſcis.* Magis inſenſibilis eſt peccator, quam canis, ſiquidem ſæpiſsime coram habet lapidem quo claudendus eſt, coram habet mortẽ imminẽtẽ, & nihil metuendũ

præsentit, totus possessus præsentis pacis voluptate. In quo non solum peior est cane, sed
Luc. 8. & dæmonibus peior. Hi apud Lucam cap. 8. videntes Iesum accedentem statim clamant: *Venisti ante tempus perdere nos.* Nondum eius audiunt imperium, nõdum verbum asperum vllum percipiunt, & nihilominus clamant ob metum. Etenim sciebant aliquando mittẽ dos esse à Deo in Tartareos carceres, & quãuis in præsenti libertate potiebantur, qua possent hac in luce esse, & hominum corpora affligere, tamen in hac pace non possunt imminentis supplicij obliuiscí, sed sic sunt soliciti de pœna, vt vel ad aspectum Iesu præsagiant
Basil. Sele. ruinam. De quo eleganter ait D. Basil. Seleu. orat. 23. *Norunt ex his quæ perpetiuntur se tormentis obnoxios. Neque tantum apud eos morum potuit improbitas, vt illatæ ob flagitia pœnæ obliuionem inducat.* Ecce tibi non tanta est dæmonum improbitas, quæ etiam dum pace fruuntur, imminentis pœnæ obliuiuionem inducat. De quo peccatore homine id dici potuisset? Non tanta est dæmonum improbitas, sed tanta est Iudæorum, siue cuiusuis peccatoris hominis improbitas, qua si tantilla pace frũatur, etiam si Iesum videant, si Iesum præ manibus habeant, nihil sciant timere, nihil immi nentis supplicij meminisse: nihil de his, quæ post hæc erunt meditari. Pia fuit, & regio homine digna illa Nabuchodonosoris meditatio, de qua Dan. 2. *Tu rex cogitare cœpisti in*
Dan. 2. *stratu tuo, quid esset futurum post hæc.* Theodoretus ait: *Cogitabas an esses victurus semper, an vero humanæ naturæ lege moriturus?* Pia equidem, & regio homine digna ista cogitatio: ne totus præsentibus hæreat, sed aliquando meminerit malorum futurorum, quę poterunt peccatoribus euenire. O quam saperet, qui sic meminit mala ventura!

§. VI.

Infelicitas vitæ humanæ ex ignorantia futurorum.

FLENDA, & dolenda, immò abominanda est nostra conditio, quod nescimus, id quod nobis imminet venturum. Et quis non oderit vitã, in qua nihil est securum, & prorsus nescitur, quid debeat post hunc diem eue-
3. Reg. 18. nire? Apud 3. Reg. 18. dicitur: *Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.* Scio Abdiam Dei timore permotum fuisse, vt prophetas asconderet, & paueret; sed nunquid in hoc spectauit simul ad aliquod commodum suum? Equidem Theodoretus putat *Theodor.* prudentissimum virum, eo etiam spectasse, vt vitæ humanæ miseram conditionem aliquomodo leuaret, quæ minime sustineri potest, cum omimoda futurorum ignorãtia. Etenim ait ille, serm. 8. de Prouid. *Prophetis sufficienter cibum offerebat Abdias, illorum salutem propriæ securitati præferens, & vitam quæ sine illis transigenda esset mortis loco ducens.* Contemnit vir nobilis periculum vitæ suæ, & contra tyrannidem Iezabelis prophetas abscondit, & alit; non æstimans vitam, sed mortem eam, cui nulla futurorum euentuũ notitia adest. Vbi defuissent prophetæ, vbi nullus esset, qui posset nunciare, quæ imminent mala, vel quæ bona manent, non vult viuere homo sapiens, quasi pro summa miseria, & calamitate habeat incertitudinem, & ignorantiam humanorum casuum. Eccles. cap. 9. hanc vitæ nostræ *Eccles. 9.* miseriam perpendit aiens: *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurũ seruãtur incerta.* Nihil certum est homini in hac vita, quidquid à futuro pendet, prorsus est ab oculis hominum alienum. Misera vita est, cui nulla notitia futuri est adiũcta; sic Chaldæus *Cald.* Complutens. *Nõ est propheta Domini, qui sciat, quod futurum est in homine.* Et vita sine prophe ta, cui sapienter non reputabitur omnium miseriarum miserrima? Seneca epist. 102. subscribit: *Nihil est miserius dubitatione venientium,* *Senec.* *quorsum euadant? Quãtum sit illud, quod restat, aut quale mens collecta inexplicabili formidine agitatur.* Quando omnes alię miseriæ abessent à vita humana, hanc ego incertitudinem, & dubitationem venientium, quorsum tendant, semper æstimaui omnium maximam miseriã. Hoc vnum in me omnia vitæ huius commoda perdit, quod passim mihi, Prouerb. 27. sug *Prou. 27.* gerit: *Ignoras quid super ventura pariat dies,* immò vt Chaldæus habet, *quid hodierna pa-* *Chald.* *riat dies.* Inter mundiales omnes felicitates miser sum, & quasi prægnans laboro, nescíens an abortus erit, an partus? an qui modo felix, cras ero miser? Ideo Dauid inter immensa munera, quæ Deo refert accepta, hoc ponit præstantissimum, & sibi iucundissimum, quod & futurorum donorum præacceperit notitiam. Sic 2. Reg. 7. *Propter verbum tuum, & se-* *2. Reg. 7.* *cũdum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo.* Beneficia æstimat, quasi à Deo profecta, & quod cum illis frueretur, nec cœcus esset, & ignarus venturi, nec ignorans ad illa perueniret. Vbi Caietan. *Caiet.* *Prius gratias egit de beneficio affirmato, modo gratias agit de notificatione tanti beneficij:* quod scilicet, nũquam esset illi dubia vita, sed quidquid venturum erat, semper ipse ex Dei reuelatio-

latione præſentiret, quo feliciſsimam agebat vitam.

§. VII.

Qui tempus præſens lucrari nouit, nullo alio indiget.

NON plures annos prædicat neceſſarios Saluator, vt ingens ciuitas ſibi poſsit conſulere, hoc vnum dicit; *ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua*: vnius diei curſus petitur, vt tota ſalutis ſapiẽtia acquiratur. Et quidem qui ſciuerit temporis inſtantias lucrari, in quolibet memẽto acquiret, quidquid opus habet. Non iniucundum erit hanc excogitationem ex prophano auctore (quod facio raro) prælibare. Is eſt Seneca epiſt. 103. fatus. *Qui quotidie ſuæ vitæ ſummam manũ impoſuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor naſcitur, & cupiditas futuri exedens animum. Ille enim ex futuro ſuſpenditur, cui irritũ eſt præſens. Ideo mi Lucili propera viuere, & ſingulos dies, ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe viuentibus proximum quoque tempus elabitur.* Horum nec verbum innotatum relinquas ſi velis moralem doctrinam præſtantiſsimam ebibere. Equidem inde naſcitur tanta indigentia temporis, quanta mundiales viuunt, vt poſſint viuere, quod illis præſens tempus irritũ ſemper eſt. Cui enim præſens irritum eſt, totum futurum non ſufficit; at cui cordi eſt tẽporis vſura, & ſic vnam diem exegit, quaſi ſolam illam haberet, hic non eget tempore, hic vel vna hora plenus dierum efficitur. Iam dicit Iob cap. 7. *Sic ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero dicam: Quando conſurgã, & rurſus expectabo veſperam.* Hanc vnam menſiũ, & annorum perditionem enumerat nempe ſpem ſemper iactã ad futura; nihil de præſenti fatur, ſed totus occupatur in expectatione futuri, & hinc menſes, & anni, & ſæcula vacua euolant: quando *in ſpe viuentibus proximum quoque tempus elabitur*, cum enim proximum, & præſens nunquam ſolum eſſe ſibi reputant, ſemper appellant ad futurum. D. Thomas ibi: *Quomodo habuerit menſes vacuos oſtendit ſubdens: ſi dormiero dicam; quando ſurgam? Rurſus expectabo veſperam: ſic ſemper in futurum per deſiderium tendens.* Vacuum eſt, & innane ſæculum illis, quibus vel præſens dies eſt irrita; felix ille eſt, qui ſingulos dies, ſingulas vitas putat, intra præſens ſuam componit vitam; is nullius temporis indiget; huic ad beate viuendum ſatis ſunt momenta ſingula. Huc ſpectabat Dauid 1. Reg. 24. vbi ad perſecutorem Saulem, ſic inquit. *Ecce hodie viderũt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manum meam.* Alias etiã pepercerat Dauid Sauli, ſed quod ſolum proponit videndum, erat illud præſens, ecce hodie: quippe apud rectum iudicium non eget alterius teſtimonio qui præſens habet opus, qui præſentis temporis inſtantias nouit ſtrenue adimplere. Ita D. Chryſoſtom. hom. de Dauide, & Saule, ait: *Non ſumit excuſationem, niſi ab his, quæ hodie acciderunt. Nam hoc innuit, cum ait: cognoſce, & vide hodie. Nihil enim loquor de anteactis mihi ad probationem ſatis eſt hic dies.* Non eget multorum temporum labore, cui præſentis adeſt vſura; hoc vnũ cura, ne tibi irritum præſens ſit, & nullius alterius temporis egebis, ad probationem, & ſecuritatem, & felicitatem præſens tibi dies ſufficit.

Luc. 19. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternẽt te, & filios tuos, qui in te ſunt, & nõ relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.

§. VIII.

Non ſollicitetur futurorum curis, qui in ſe habet, & ſuſcipit Ieſum.

OPTABAT Dominus quod Ieroſolymã in die ſuæ felicitatis tangeretur ſolicitudine imminentium malorum, & cognoſceret aliquid de bellis, quæ poſt præſentem pacem erant ventura. Ait enim: *Si cognouiſſes & tu, quæ ad pacem tibi; quia venient dies*, &c. Deinde tantorum malorum cauſam proponens, ait: *quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Non ideo afflicta, & perdita, quod non habuit præcognitionem illam optatam malorum futurorum, ſed quod non habuit cognitionem Ieſu in ſe exiſtentis. Quia enim non cognouit Ieſum, ideo mala illa ventura erant, ideo optabatur illi, vt tangeretur aliqua cura, & ſolicitudine prænoſcendi, quæ mala ſibi imminerent futura. Is ſolus, qui Ieſum habet, qui Ieſum perfecto ſuſcipit corde, non neceſſe habet ſolicitari curis futurorum. Apud Ioſue

Iosue 5. cap. 5. ait Dominus: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* Sed expendendum est, quod sit illud opprobrium Ægypti, quo liberantur Israelitæ Iesum ducem sequentes. Et inter alia in primis se se nobis offert opprobium, quo Ægyptij præomnibus nationibus, augurijs, & sortilegijs dediti erant; adeò vt illorum Principes, & duces prorsus pẽderent ab ore augurum, & maleficorum soliciti semper de malis imminentibus. Vtinam vanus hic error non serperet vsque in nostra tempora; in quibus non deficiunt principes viri, qui vt non à Deo regnant, sic solicitantur singulis momentis de futurorum cognitione, à stellarum interpretibus, siue ab auguribus tempora felicitatis, aut nubili quærentes. Hoc opprobrium ablegant à se, qui Iesum totis visceribus amplectũtur, secuntur: cui se committentes nulla futu-

Origen. rorum cura torquentur. Pulchrè Orig. hom. 5. in Iosue dicens. *Est & illud opprobrium Ægypti, obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex his futurorum rimari. seruare somnia, cæteriſque huiusmodi superstitionibus implicari. Sed si quando te talis curiositas interpellat, & de corde tuo huiusmodi hostis erumpit, dic ei. Quia Iesum ducem sequor, in cuius potestate sunt, quæ futura sunt. Quid mihi scire, quæ futura sunt? Quacumque ille vult, hæc futura sunt.* Cui Iesus est in corde, nullam necessitatem habet futuros sibi euentus cognoscendi, horum enim desiderium, & cura non vexat animos eorum, qui ad Iesum pertinet, sed eorum qui longè à Iesu abscedunt. Pro quo stant duo inclyti Reges, alter Iesu hostis, alter Iesu pater; ille Nabuchodonosor, hic Dauid rex. Ambo victorijs partis celebres, ambo in domo sua sedent, sed diuersa illos solicitudo tenet. De Na-

Dan. 2. buchodonosor, ait Daniel cap. 2. *Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc.* Quæ explicans Theodoretus, ait: *Cogitabas an semper victurus esses, an vero humanæ lege moriturus, cupiebasque ea, quæ nondum acciderant, cognoscere.* Hæc est solicitudo eius, qui Iesum ignorat, ideo Aruspices, Ariolos, Magos, Astrologos consulit frequenter, & eorum prædictiones vanas auide haurit. Non sic qui Iesum habet, non sic Dauid, cui promissus erat Iesus. Immò cum sederet in domo vnum hoc animo voluebat, nimirum, templum Deo ædificare, de futuris autẽ prorsus immemor. Sed dum Nabuchodonosor futura sua meditatur, scrutatur, incidit in perditionẽ regnorum, cum autem Dauid, nihil de futuris meminit, sed totus occupatur in Dei templo ædificãdo, accipit à Deo promissum regni duraturi in perpetuum. Pro quo ipse, ait, 2. Reg.

2. Reg. 7. cap. 7. *Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: Ista enim est lex Adam Domine Deus.* Quasi diceret: ego prorsus alienus à meditatione regiæ posteritatis accepi à te Deo meo regnum, insuper accepi promissionem, quod Dauidis regia in longinquum post me duratura erat, hęc est lex Adam, hoc pactum inter Deum, & hominem constitutũ; vt quo homo magis Deo se dedat, eò minus necesse habeat curare de futuris euentibus, omnia enim illius prosperabũntur à Deo, & futura, & præsentia. Ita Abbul. ibi ait: *Ista est lex, quam dicitur homo tenere cum Deo, scilicet, quod homo humiliet se coram Deo, & colat Deum quantum potuerit, & Deus erit solicitus pro eo.* Abulens. Hæc vna sit solicitudo hominis, qua Deum colat, qua Iesum intimis affigat visceribus, futura enim omnia, quæ euenient, nihil curat, in manu Dei omnia sunt, nec aliter poterunt euenire, nisi moderatore Deo. De Magis dicitur Matth. 2. *Vbi est qui natus est rex Iudæorũ? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus.* Matth. 2. Verum vbi Iesum inuenerunt, & receperunt, nõ amplius ad stellam aspiciunt, vt reuertantur ad patriam, & euadant eminentes metus Herodis. Cur iam non ad stellam aspiciunt? Cur Herodis thecnas non inde speculantur, vt securius redeant? Tertull. lib. de Idololatria, ait: *Silentia ista, vsque ad Euangelium concessa, vt Christo edito nemo ex inde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur.* Tertullian. Postquam enim Deus terris aduenit, postquam Iesus datus est nobis, vanissimus, qui ab stellis, & auguribus, & pronosticis querit, quę erunt, vnum curet Iesum sibi retinere, illum corde perfecto colore, in cuius manu sola sunt omnes futuri euentus, & à tali manu, quid mali proueniet Iesum sequentibus?

§. IX.

Iesus est bellorum princeps, & vnicus moderator.

NON putes Iesum merum prophetam agere in præsenti dum obsidionem Ierosolymitanam prædicit, sed potius principem se bellorum, & Dominum demonstrat exercituum, obsidionem simul, & Romanorum phalanges in Ierosolymitanos disponens ipse. De quo apud Isaiam 29. *Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo. Et iaciam cõtra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris.* Isai. 29. Iesus est, qui exercitus disponit, Iesus est qui ius bellorũ tribuit, Iesus est, cui omnis militat orbis, & à quo regnorum bella diriguntur. Iosue c. 5. apparuit vir strictum gladium tenens, & interrogatus, quis esset, ait: *Sum princeps exercitus Domini, & nunc* Iosue 5.

& nunc venio. Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans, ait: Quid Dominus meus luquitur ad ſeruum. Cur Ioſue adoraret principem militiæ, & vacaret Dominum, niſi putaret illum Dei filium eſſe Ieſum Saluatorem mundi? Sanè Angelum audio vocari principem Perſarum, vel alterius prouinciæ, quia prouinciarum commoda dantur Angelis adminiſtranda. Verum bellorum res Ieſus curat mũdi ſaluator, vere princeps exercitus Domini, & Dominus exercituum. Origen. hom. 6. in præſenti: *Non adoraſſet Ioſue, niſi agnouiſſet Deũ. Quis enim alius eſt princeps militiæ virtutum Domini, niſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus? Omnis namque cœli militia, & omnia hæc, quæ per ipſum facta ſunt, ſub ipſo principe militant, qui eſt principum princeps, & qui largitur principibus principatum, Ipſe eſt, qui dicit in Euangelio. Eſto poteſtatem habens ſupra decem ciuitates; & ali, eſto tu poteſtatem habens ſupra quinque ciuitates.* A Ieſu venit bellorum adminiſtratio, ab ipſo habent mundiales principes virtutem, & poteſtatem, qua dominentur regnorum, & ciuitatũ. Ipſe ſolus eſt omnis militiæ princeps, & vt talis agnoſcitur ab vniuerſa creatura. Hinc recẽs nato aſtat Luc. 2. *multitudo militiæ cœleſtis*, & Matth. 26. dicit ipſe poſſe ex patre habere *pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Sic etiam Matth. 8. cum Dominus Ieſus in nauicu Iam aſcenderet, & vela ventis daret; ecce tibi ingens tempeſtas ſuborit ur, venti furunt, fluctus fremunt, & iaciuntur in nauim. Sed miraris, quod ſic audeat mare ſæuire in creatorẽ ſuum? An non cognoſcit aqua Ieſum? Abſit: cognoſcit mare Ieſum, & tempeſtate excitata non furit, ſed lætatur, militarẽque principatum præſentiens in Ieſu, dum illum excipit, facit etiam lætitias militares. Quippe cum militiæ princeps excipitur, non alijs lætioribus excipitur cantibus, quam æreis machinis tonãtibus, ſulphur, ignemque ſpirãtibus, terraque â machinarum tronitribus trepidãte. Sic princeps militiæ pro ingenti lętitia à mari excipitur militaribus frementium fluctuum terroribus datis. Hæc aiebat Sedul. lib. 3. Paſchali, cap. 7. ſatus. *Vt cuncta Chriſti virtutibus humili deuotione ſubiecta, potius cenſeamus, omne creditur fretum dominica nauigatione lætiſsimũ, quod venerit obſequens, ac præcurrens eximis vndarum ſedibus æſtu candidiore feruеſcens. Sic etiã leuiũ præpes natura ventorũ puppim qua Chriſtus inſederat, alis volucri iocunditate diffuſis, tanquam regia ducis caſtra cœtu famulante vallauerat.* Nihil triſte, nihil audax mediteris in illa tẽpeſtate, ſed omnia gaudiorũ plena; quando enim principes militię excipiebatur; nulla aptiora iocunditatis ſigna danda erant, quã illa, quæ ſimul furorẽs bellicos repreſentaret.

Orig.

Luc. 2.

Matth. 8.

Sedul.

§. X.

Quodlibet punitionis tempus, & nobis, & Deo longum, & moleſtum apparet.

FELICITATIS Ieroſolymitanæ tempus diem vocat Dominus, aiens: *Et quidem in hac die tua*: vbi verò ad tempus vltionis accedit, iam non diem, ſed dies numerat: etenim ait: *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui.* Nullum enim tempus pœnæ eſt, quod non longiſsimum appareat. Geneſ. 49. dicitur: vocauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis. *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſsimis*; hoc eſt, quæ ventura ſunt per omne tempus, vſque ad nouiſsimos dies. Quid tunc? Rubeno dicit: *Effuſus es, ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui.* Expende modo, quam larga ſit vltio ſceleris Rubeni, quam rapida, & velox ſceleris iocunditas: hæc ſic præterijt, vt aqua cum effunditur: illa durauit, vſque ad nouiſsimos dies. Semel effuſus eſt Rubem ſicut aqua, hoc eſt, feſtinatiſsima effuſione, ſed tam feſtinata effuſio peperit longos, & multos vltionis dies. Breuiſsimę, feſtinatiſsimæ ſũt omnes impiorum effuſiones, ſicut aquæ, quæ in præceps ruunt: at pœnæ, vindictæ tardiſsimæ, moroſiſsimæ. Quo refero pulchra D. Alcimi carmina alio, ſed non multum abſimili ſcripta. Is enim vt notauit citiſsimam aquarum effuſionem in diluuio, & tardam reparationem, quãdoquidem intra quadraginta dies tot aquæ effuſæ ſunt, quæ nec poſt ſeptem menſes ſunt exſiccatæ, ait lib. 4. de diluuio.

Geneſ. 49.

D. Alcim.

Nec tamẽ, vt breuiter cõcreuerat vnda receſsit.
Siccant non pauci longo ſub tempore menſes,
Quod pauci fudere dies.

Dixiſſem ſimiliter, quod non tam, vt breuiter concreſcit, culpa recedit; nec pauci menſes, immò nec pauci anni vindictæ ſiccant, quod pauci fudere dies. In breui effuſus eſt, quis in voluptates. Vndè Dominus, vt excuſaret adulteram. Ioann. 8. ſcribebat in puluere. De quo Ambroſ. epiſt. 76. *Scribebat in terra. Quid? Feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui, vides. Libido enim velut feſtuca eſt, cito accenditur, propere conſumitur.* Sed largos fuſtinet vltionis menſes. Ruit dies voluptatum; & tardat immẽ ſum vindictæ dies, ſiue annus. Ioſue 10. fecit Solem ſtare, vt percuteret hoſtes Dei: & ait textus: *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: Non fuit antea, & poſtea tam longa dies.* Sed ad quid moratur dies? Ad quid Sol feſtinatiſsimos curſus ſuos obliuiſcitur? Iam dicebat ipſe textus: *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur*

D. Ambr.

Ioſue 10.

ſegens

segens de inimicis suis. Vnum tempus vltionis sciuit morari, & tardare, gaudiorum enim, & voluptatum dies instar puncti euanent, dis-
Rupert. parent. Ad hæc Rup. ibi, cap. 22. de ventura generali vindicta peccatorum, sic infert. *Quid in omnibus his, nisi futuri vniuersalis iudicij figura est; quando is qui in multitudine misericordiæ iudicandus aduenit, in fortitudine iustitiæ gladium euaginatum tenens iudicaturus aduenit: Tunc profecto solestante, & non festinante occumbere longus dies erit, donec vlciscatur segens de inimicis suis.* Eu quam longa erit dies illa, quam tardabit Sol, quam plumbeos pedes habebit tem-
1. ad Cor. 15. pus! Sed adest Paul. 1. ad Corinth. 15. asserēs futurum iudicium, *In momento, in ictu oculi.* Papæ nullum momentum vltionis reperitur, quod non sit instar annorum plurium misero qui patitur vindictam. Immò is est Deus, cui etiam longissimum sit tempus, quo peccato-
Ezech. 4. res punit. Apud Ezech. c. 4. ait Dominus. *Ego autem dedi tibi annos iniquitatis Iudæorum, numero dierum trecentos, & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel. Et cum compleueris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus diem pro anno.* His verbis explicat Deus, & punitionem Iudæorum, & Dei expectationem, & sustinentiam. De expectatione locutus, dicit illam esse quadraginta diebus, diem pro anno, quia post mortē Iesu expectauit Dominus quadraginta annos ante supplicium inferēdum, quæ expectatio Dei, & impunitas Iudæorum, adeò breuis visa erat Deo, vt annus pro die esset. Non sic dies vindictæ, dies obsidionis, de quibus, ait; *Dedi tibi annos iniquitatis numero dierum trecentos, & nonaginta dies:* & quidem trecenti & nonaginta dies non faciunt annos, sed annum, & paucos dies, at quia dies punitionis erant, à Deo instar annorum habebantur, cui quodlibet pūnitionis tempus longissimum accidit. Hinc
Isai. 40. Isaias cap. 40. locutus de supplicio peccatoris, ait: *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Et qualis iustitia, quod supplicia duplo maiora sint, quam commissa? Nō duplo maiora erant supplicia, sed ea erat Dei misericordia in peccatores, vt quodlibet supplicium, & si parum, & si mensuram debicti non excederet, à Deo æstimaretur duplo
Theodor. maius. Sic Theodoretus apud Leonem à Castro ait: *Cum Deus bonus sit, & bonitatis pelagus, cum valde minorem pœnam, quam pro grauitate scelerum infligat, propter summam humanitatem duplo maiorem peccato appellat.* Hæc ille.

CAPVT SEXTVM.

De templi Ierosolymitani prophanatione.

DEI erat illa vox ad vastatores ministros, Ezech. 9. *A Sanctuario meo incipite:* ne nouū aliquādo sit, quod à Dei sanctuario cla-
Ezech. 9. reant excidiorum initia. Et quā do sanctuarij maculæ extremis perditionibus non sunt vicinæ? Iunctæ sunt, & catenatæ abominationes sanctuarij, & desolatio, & perditio: ne mireris, quod proximū vastationis Ierosolymitanæ signum tangat locum sanctum, tangat venerabile templum, quandoquidem à sanctuario initium habent excidia. Immō sic instat iam vltima perditio, cum sancta tanguntur, vt qui saluari cupiat, omnes moras contemnat necesse est, vt vel nudus possit effugere. Sic monebat electos suos Iesus, quorum salus in eo erat posita, quod vīsis templi frequentibus, & ruinis, & contemptibus, & prophanationibus, siue ab hostibus, siue à ciuibus, omnes moras rumpentes fugam arriperent.

Matth. 24. Cum videritis abominationem desolationis, quę dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

§. I.

Maiores in primis à vastatione inueniuntur.

QVÆ magis notę fulminibus, quam turres? Etsi intempesta nocte, etsi inter nigra nubila iaciantur fulmina, nunquam errant à turribus, semper altissimæ turres primæ vident rigorem fulminum. Sic desolatio, & perditio sacratiores, & nobiliores abominationes primum attingunt. Ecce tibi abominatio in primis desolanda, & perdenda in loco sacro stat, in templo illo Dei Opt. & Max. primogenito. Nec miror, quia maiores, & primiores notissimi sunt vastatoribus Furijs.
Idem. Apud Ezech. cap. 9. misit Dominus furentes suos ministros, qui vniuersos Ierosolymitanos perderēt à minori, vsque ad maiorem, exceptis quibusdam quos Tau designaret, ait enim;

enim: *Super quem videritis Thau ne occidatis.* Verum vbi Exodi 12. mittitur vastator in Ægyptũ, vt primogenitos vniuersos perimat, relinquẽdi Ægyptij nullum signum accipiũt, præcipue cum nocturnis tenebris mors peragenda esset: quippe dicit: *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum.* Cur ergo Ægyptijs saluandis non datur signum, quod percussor videat, & prætereat, & Israelitis saluãdis signum datur? An oculatior erat vastator Ægyptiorum? Absit: sed perimendi Ægyptij notiores erant vastotori, vt vel cœcis oculis illos in primis inueniret. Quippe in Israele omnes maiores, & minores perimendi erant, & vbi simul minimi perimũtur, necessarium fuit signum eis, qui saluandi erant. Verum in Ægypto soli maiores dantur morti, & perditioni; perditio autem sic notos habet omnes maiores, vt nullo signo, nulla luce egeat, ad hoc, vt ab illis non aberret, sed vel medijs tenebris illos in primis agnoscet. Pulchrè D. Alcimus lib. 5. de Translitu maris rubri ait. *D. Alcim.*

Non hic luce opus est, clare longèque videtur,
Quem petit in tenebris præfixi funeris ordo,
Maiores natu pereunt.

Quò illustriores, & maiores quique sunt, eò notiores morti, & perditioni. Ex quo lucem capit locus Iobi 28. semper mihi, vsque in hãc horam difficilis. Miratur enim nobilis vir sapientum hominum præexcellentiam, & altitudinem tantam, quantam oculi creati nequeant pertingere. Quippe ait. *Sapientia vbi inuenitur? Et quis est locus intelligẽtiæ?* Haud dubium quin sapientis locus altissimus, & sanctissimus sit, etenim: *Excelsa, & eminentia non memorabuntur in conspectu eius.* Quidquid excelsum, & eminens, & eleuatum excedit locus sapientiæ. Et cui notus est adeò excelsus, & eminens locus? Vni perditioni, & morti inueniturnotus. *Abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum. Abscondita est ab oculis omniũ viuentiũ, volucres quoque cœli latet. Perditio, & mors dixerũt. Auribus nostris audiuimus famã eius.* Equidẽ potest aliqua loci altitudo, & præstantia tãta esse, vt ignoretur prorsus ab oculis creatis, vt volucres cœli lateat, sed non poterit non cognosci à morte, & perditione. *Perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famã eius*: nõ potest perditio nõ scire alta, & sublimia loca: quo respiciebat Prou. 17. *Qui altã facit domũ suã, quærit ruinã*: quo enim locus remotior, & eleuatior ab alijs est, eo & notior, & vicinior ruinæ: adeò vt nullibi tãcõspicuus. & notus, & familiaris casus appareat, quã in illustribus domibus, vt dicat Ps. 81. *Si cut vnus ex principibus cadetis.* Quasi principes sic familiares habeant casus, vt ab illis sumi possit similitudo cadendi.

Iob 28.

Prou. 17.

Psalm. 81.

§. II.

Periit citius peccator dum inter virtute conspicuos perseuerat.

MERITO dicitur abominatio desolationis, hoc est, abominatio desolanda, quæ stat in loco sancto, cur enim desolationem, & ruinã nõ speret, quæ in sanctitatem halãtibus locis adhuc abominabilis perseuerat? Mihi credat peccator, & caueat inter sanctos peccator esse, nisi velit maiorem, sibi conciliare ruinã. Psalm. 3. sic ait titulus: *Psalmus Dauid, quãdo fugiebat à facie Absalon.* Hanc Dauidis fugam meditatus D. Chrysost. non desinit mirari, cur tantus dux fugã arripiat. An Dauid infirmior Iuda Machabæo? Is à suis derelictus, fortissimũ in se exercitũ irruere videns, ait Machab. 1. c. 9. *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropinquauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Machabæus eligit mortem antequam fugam, & Dauid vult potius fugam? Vndè Dauid adeò infirmus, vt sic timeat mori? Non infirmus Dauid, sed fortis, non timet ipse mori, sed timet ne forte filius parricida in tanti patris præsentia occumbat: fugit sanctissimus vir ne tantarum virtutum præsentia perniciem afferat scelesto, & abominabili filio. Ita Chrysost. ait: *Fugiebat Dauid non vt qui timeret, sed vt qui filium caueret occidere.* Non equidem poterat nefarissimus Absalon, & si magno exercitu cinctus iuxta sanctissimum Dauidem esse, quin magnum sibi à Deo compararet excidium. Hanc inter multas alias ruinæ causam impijs hominibus proponit Sophar Naamithides, Iob. 20. vbi post multa, & horrenda mala illis annuntiata sic ait: *Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua.* Hoc est, illis aderit gladius è vagina eductus, & quod aliud fulgũrans, quod vltimam inducat amaritudinem, Pro his Septuag. reddunt. *Per transeat os eius iaculum; stellæ in tabernaculis eius ambulẽt.* Sed quod malum impij hominis, quod excidium illi est, quod stellæ in tabernaculo eius ambulent? Nonne lucidæ stellæ potius ad lætitiam & claritatem pertinebunt? Quæ stellæ non lætitiam sed amaritudinem impijs conciliabũt? Græcus Scholiastes, ait. *Stellas iustos nominat, qui tanquam luminaria sunt in mundo.* Et quidem quot socij, & laterones iusti ad sunt scelesto, & impio homini, tot illi sunt infælices stellæ, nihil aliud quam ruinam, quam excidium, quam extremam condemnationem illi conciliantes. Nullus erit Astrologus, qui sub his stellis te videat penitus immersum operibus

Psalm. 3.

Chrysost.

1. Mach. 9.

Chrysost.

Iob 20.

Lxx.

Græc.

bus tenebrārūm, qui simul ex illis tuam non præsagiat calamitatem. Felices illi Magi Matth. 2. th. 2. ait: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum, vidimus stellam eius in oriente, & venimus, &c.* Felices isti Magi ab stella visa, & gaudium sibi magnum pariunt, & ingentem Iudæis annuntiant felicitatem. Non sic Iudæi, quin potius: *Turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Magi gaudia, Iudæi ab eadem stella turbationem habent; cur stella, quæ tot gaudia peperit Magis, Iudæis timorem incussit, & turbationē maximam? Nōne potius nata erat Iudæis? Nonne in tabernaculis Iudæorum visebatur, cur illis sic videbatur exitialis? Veniebat stella cum iusto, & sancto in terrā Iudæorum, & ex tanti iusti consortio extremæ desolationis timore concutitur impietas Chrysost. Iudaica. Chrysost. hom. 2. in Matth. *Ecce, & Iudaicus populus turbabatur, quia magis de auditu isto gaudere debuerat: quia rex Iudæus surgere dicebatur, designatus à Deo. Sed turbabantur, quia de aduentu iusti nō poterant iniqui gaudere.* Non poterant non timere furcam, qui sub talibus stellis furabantur; qui iuxta hoc lumen amabant opera tenebrarum. De hoc supra lib. 6. c. 6. §. 27. & lib. 5. cap. 1. §. 16.

§. III.

Vbi peccata vulgo ob oculos versantur, non tardabit supplicium.

CVM videritis, ait, abominationem desolationis: ne miremur, quod abominatio talis, & impietas iam iam desolanda, & euertenda sit, quandoquidem adeò erit publica, vt ob oculos omnium ambulet. Et quidem Dominus, quæ occulto latent peccata, solet aliquandiu dissimulare, verum vbi in publicum prodeunt, non tardat illa horribiliter castigare. Iniquus erat villicus, & cœlestium bonorum dissipator, & tamen nunquam pœnas dedit iniquitatum suarum: verum vbi eius iniquitates publicantur, tunc ecce tibi suppliciū Luc. 16. ineuitabile. Apud Luc. cap. 16. *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius: Et vocauit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Ecce tibi à Deo, quæ castigātur confestim, nimirum, quæ publicabat fama; etiam ante famam viderat occultatissimus Deus iniqui villici opera, sed tacitus velabat, & dissimulabat, quæ nondum publica erant. Verum vbi nouit hominis iniquitates per omnium ora volitare, iam non dissimulat, sed statim supplicia parat. Ita Chrysolog. serm. 125. ait: *Ergo Deus famæ credidit? Fama nunciante cognouit? Absit: Sed quia illa quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra. Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Expende ab illis: *quærere tunc cœpit*: & quidem nondum vulgo nota erant delicta, & Deus misericors, & patiens dissimulabat, velabat: vbi primum audiri cœpit delictum, immò & videri, tunc statim diuina inquisitio, diuinum iudicium adest, & pœna intimatur, dum ait: *iam non poteris villicare.* Nunquam fama scelera loquitur, quæ non simul referat pœnam illatam. Isaias 3. *Peccatum* Isai. 3. *suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: Væ animæ eorum, quia reddita sunt eis mala.* Apud Forerium aliter dicitur. *Peccatum suum sicut Sodoma annuntiauerunt, non absconderunt: væ animæ ipsorum, quia retribuerunt sibi mala:* quasi simul cum publicatione scelerum, iuncta sit retributio pœnarum; ab eodemque nascatur, & fama, & supplicium. Vnam publicationem solet diuina ira expectare; vt de Sodomitis ait. Genes. 18. *Descendam, & videbo.* Quæ hæc Dei visio? An ipse non viderat iam, & cognita habebat Sodomorum peccata? Viderat equidem Deus diuinis oculis, sed detinet iram, donec peccatores sic impudentes, & effrontes fiunt, vt nec oculos humanos vereantur. Tunc cum sic visibilia apparent peccata, non moranda pœna est, sed statim ruptis etiam forensibus terminis intimanda. Populares Israelitæ Moabitarum illecebris capti peccarunt; tunc iubet Deus reos inquiri, & castigari, Numer. 25. *Dixitque Moy* Numer. 25. *ses ad iudices Israel: occidat vnusquisque proximos suos.* Iubentur occidi rei, sed per iudices, & seruato iudiciali ordine, vt prius inquirantur, deinde audiantur, tunc conuincantur; tandem damnentur. Interea: *Ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in Iupanar, & perfodit ambos, &c.* Certum est hoc à Phinee perpetratum fuisse impulsu, & motu diuino, nec enim priuatus homo sic in Principem totius tribus Simeonis auderet, nisi indutus esset fortitudinem ex alto. Sed cur Deus reliquis scortatoribus iudices opponit, qui forēsibus moris causam agāt, & inferant supplicium; huic autē Principi prorsus in audito etiā citam, & præcipitē mortem inspi-

inspirat? Sanè in publicis peccatoribus nescit tardare supplicium. Procopius citatus in Glos
Glos. sa ait: *Hic scortator impudicicia sua atrocitate ad iustam iram prouocauit Phinees. Quod videlicet in conspectu Moysis, & Principum libidinē exercuit. Quapropter animis Phinees æstuauit, adeò vt nec interrogaret Principem, nec consiliū expectaret.* Euolat diuinus furor in vindictam eorum, qui in abominationibus suis non verentur oculos humanos. Aptius ad tempora
Philo. nostra rem proponit Philo lib. 1. de vita Moysis aiens. *Conspicatus Phinees quemdam suæ gētis hominem post prophana sacra ad meretricem ingredi non furtim, vt mos est verecundis scortatoribus, sed propalam erecta ceruice, quasi ostentantem impudenter multitudini suam turpitudinem, nec minus sibi placentem, quam in aliquo præclaro facinore, admodum exasperatus, & ira iusta repletus inuasit iacentem in complexu adamatæ meretricis, & vtrumque peremit.* Quot sunt nostrates iuuenes non absimilis impudentiæ, qui ceruice erecta ostentant passim suam turpitudinem, nec minus sibi complacent, & gloriantur in turpissimis actibus, quam in aliquo præclaro facinore? Vereor quod in illos diuina vindicta non tardabit.

§. IIII.

Non diutius patitur Deus peccatores iuxta se.

CITISSIMAM desolationem crede vēturam abominationibus illis, quæ in sacris locis iuxta Deum ipsum peraguntur; nō enim is est Deus, qui diu patitur peccatores sibi approximare. Quo circa aduertendenda est sententiarum extremarum structura; & singula earum verba sunt nobis maximè pōderanda. Nimirum Matth. 25. loquutus di-
Matth. 25. uinus Iudex ad iustos ait: *Venite benedicti patris mei, &c.* Verum ad reprobos ita fatur: *Discedite à me maledicti, &c.* Non ait ite, vt dixerat ad iustos venite, sed discedite, insuper addidit, discedite à me. Cur tot verba reiectionis addit? Vt iustos voces, tantum dicis venite, non addis accedite, nec accedite ad me, quod magis explicaret tuum beneuolum erga illos animum: & vt impios repellas, nullo verbo repulsæ contentus es: sed ea multiplicas, & ingeminas, quæ te in illos magis seuerum ostendunt? Non ne suffecisset dicere, discedite maledicti, cur mauis addere, discedite à me? Sanè vt ostendat quanta sui violentia patiatur esse impios iuxta se, vel breuissimo tēpore, vel instāti illo, in quo sententiam dā-
Chryso. nationis audiūt. Sapiēter, & acutè D. Chrysost. ho. 54. in Mat. *Peccatrices animas, quasi grauatus non suffert. Tanquā si dicat eis: quasi putredo, & spurcitia estis, nec tandiu vos sustineo, quandiu statis in iudicio meo.* Sūme grauatur Deus, vel ad breue tēpus iuxta se habere impios, sicut deficit puluis à facie venti, sic peccatores à Dei conspectu expellūtur. Ps. 5. *Neq; habitauit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Chaldæus similiter loquitur: *Non cōmorabitur tecū malus. Non permanebunt irrisores corā oculis tuis.* Nō equidē is est Deus qui longas moras permittat impijs apud se facere, qui velit simul cū peccatoribus aliquandiu cōmorari. Increduli Iudæi videntes Iesu miracula dicūt mirabundi Mat. 13. *Nō ne mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius non ne omnes apud nos sunt?* Et Iesu Matrem, & fratres, & propinquos proprijs nominibus vocant, & fatentur apud se esse: patris autem Iesu non meminerunt, nec dicunt, qui vocetur, nec quod apud se moretur. Et quidē in hac re sapiunt: Deus enim Iesu Pater non commorabatur cum illis, nec tam pessimos homines poterat apud se sustinere. Ita acutus Chrysol.
Chrysol. ser. 48. inquit. *Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater vbi est? Vobiscū non est; quia Deus odit fictos, inuidos deserit, declinat ingratos, sibi non sinit crudeles, & impios cōmorari.* Tantum apud Deū cōmoraberis, dū iustus es, dū pietatē colis; verū vbi à iustitia declinaueris, peccatis, sceleribusque deditus fueris, non longas facies moras apud Deum. Ierem. 22. *Viuo*
Ier. 22. *ego, dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu dextera mea inde euellam eum.* Nil proximius homini, quā annulus, qui indigito est, qui ob oculos Domini semper versatur: sed & nil citius reijci potest, si displiceat Domino, quam annulus. Sic omnes, qui Deo appropinquant, annuli sunt, & pretiosi, & chari, sed etiam eam annuli cōditionem habent, quod vbi displicuerint, absque mora à Deo reijciantur.

Matth. 24. Tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes.

§. V.

In peccatorum vindicta, maxime caueant, & timeant iusti.

VBI Templi desolatio inceperit, vbi ferrāti milites cæperint sacra occupare, insimulatum Dei imperium portantes, vt omnia repleant morte: tunc Christiani innocentes

non morentur, fugam arripiant, altissima mõtium cacumina scandant. Cur innocẽtes Christiani in montes fugient? Nonne soli reuelles Iudęi petuntur ad necem, cur ad montes Christiani? Nihil magis innocentium proprium, quam in peccatorem vindicta, & cautelam, & timorem monstrare maximum. Recole seuerissimam peccatorum stragem per diluuium factam; tunc submersis peccatoribus; dum
Gen. 8. Noeme iusti familia saluatur in arca, Gen. 8. *Requieuit arca mense septimo vicesimo primo die mensis super montes Armenia.* Cur diluuio facto, pereuntibus peccatoribus, qui saluantur iusti super montes apparent? Sanè dum arca salutis non alio, quam super montes apparet, ostẽdit, & terrorẽ, & cautelam suam, qua iusti cauent sibi, & timent ab ira diuina, dum in peccatores ardet, quandoquidem nisi à longe non audẽt vel illius vestigia spectare. Sapien-
Basil. Sele. ter D. Basil. Sel. orat. 6. ait. *Sed ecclesiastes dilubij terrorem metitur, veteris supplicij monimentum recentes minas conseruans.* Quam timent, & cauent fluctus, quibus submergebantur impij, qui vel transacta tempestate non audent nisi ab altis apparere montium cacuminibus! Quam cauent sibi, qui vel raptos à fluctibus peccatores nolũt aspicere, nisi super altissimos montes constituti! Quanto maiori timore afficerentur si furentibus vndis iuxta ipsos scele-
Ion. 1. ratos se vidissent? Apud Ionam, c. 1. dum ipse à facie Dei fugeret, & illum vindicta diuina sequeretur excitata vehementi maris tempestate; & rursus ipse tantorum fluctuum causa deprehenderetur, & requisitus quis esset, dixisset se veri Dei esse culrorem, à cuius imperio fugiebat. Tũc: *Et timuerunt viri timore magno, &c.* Ecce vobis, qui aliquanto timebãt antea nautæ tempestatem, cũ norũt illam excitatam fuisse, vt Ionas Dei fugitiuus puniretur, timore magno timent. Cur non potius à timore desistunt, cum noscunt causam tempestatis, quã facile ipsi possent interimere? Cur tunc magis timent, maiori pauore anguntur? Vident se iuxta reum diuinæ maiestatis, & timent, ne si vel paulisper cum illo maneant, si-
Theophyl. mul absorueantur à tempestate cũ illo. Theophylactus, ibi, ait: *Terrefacti sunt igitur, quandoquidem arbitrarentur potentem illum Deum esse, è cuius manibus quisquã euadere non posset; iuxtaque metuentes, ne vna cũ transfuga isto intereant.* Merito crescit pauor, & timor eorum, qui circa peccatores sunt, vbi Dei vindicta se se ostendere incipit. In montes fugiant iusti, hoc est, longissimè stent à peccatoribus, alioquin
Genes. 19. peribunt cum illis. Ideo vbi Sodoma cõburenda erat, dicũt Angeli ad Loth, Gen. 19. *Nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Ibi Chrysost. *Festina, & lõge fias, vt effugere queas panam eis infligendam.* Quasi eo ipso, quod iuxta reos inueniatur, simul diuinæ irę subiaceat, quæ dũ exardescere incipit, quos simul inuenit, simul perdit. Quo spectauit illud Ezech. 21. *Occidã in te iustum, & impium. Pro eo autem quod occidi in te iustum, & impium, id circo egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro, vsque ad Aquilonem: vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem.* Is est diuinus gladius, qui semel districtus, & in necem datus à nemine velit reuocari; sed vniuersos quos simul inuenit ex æquo trucidat, nullius respectu habito. Solet ante gladij strictionem separatio dari inter iustos, & reos, inter hædos, & agnos; verum vbi non separãtur, vbi iusti à reis, quam longissimè non absunt, timeant simul ab ira diuina deuorari.

Chrysost.

Ezech. 21.

Matth. 24. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

§. VI.

Qui securius ad salutem contendit ire, hoc vnum curet in omni mundialium rerum euentu, ne quid mundi intra cordis affectus recipiat.

NON vetatur quis à tecto descendere, nec ab agro regredi, vt euadat hostium periculum; sed vetatur, & descendere, & regredi, vt tollat aliquid sibi, quandoquidem multi periculis occurrentibus pereunt potenti affectu bonorum, quæ saluare cupiunt. Hos igitur affectus caueat, qui ad salutem aspirat, & hoc vno poterit rerum mundialium superare pericula, in quouis illorum successu, si nequid illorum intra cordis arcana recipiat. Sũt equidem rerum mundialium status volubiles, hodie triumphus, cras misera visitur captiuitas, hodie vsque ad astra tollimur; continuo ad abyssum deijcimur: modo amici adsunt chori, & statim nihil præter hostiles facies vides. Sed quid mutabilius, quam fluxus maris? Quid ipso mari iniquius? Et tamen lignea nauis hoc vno portum attingit, si cedens impellentibus fluctibus, nihil amaricantis aquæ intra se recipiat. Sic quisquis sapit nihil mundiale intra cordis affectus recipere, proculdubio ab omnibus euadet mutationibus liber. Propone modo tibi ob oculos sæuientem illã tẽpestatem, quæ vniuersum perdidit mundum, & in illa supernatantem arculam

vitæ

vitæ ſemina ſeruãntem, quæ tunc ſpecies rerum erat? Qui arcæ ſucceſſus? Sanè nihil aliud faciebat arca, quam fluctibus non reſiſtere, prout impetus erat fluctuum, gradiebatur arca, modo ſublimis viſebatur, modo nimis demiſſa, & interea tota arcæ incolumitas in eo ſita erat, quod nihil aquarũ recipiebat intrinſecus. Rem pulchrè attigit, & ad humanos mores trahit D. Alcimus lib. 4. de diluuio, inquiens: *Alcim.*

Quoq́ vocant vndæ, ſequitur iam mobile pondus.
Sic nos ſeruati meliora in tempora, mundo
Cedere diſcamus, dum ducimur; omne reſiſtens
ſi flecti neſciat, metuat vel pondere frangi:
Sed ſic cedamus, fluxum ne ſentiat intus
Peccatumve trahat mens impenetrabilis vllum.

Felix qui ſic mundialibus rebus ineſt, vt facilè mundo cedat, & quò vocent vndæ, ſiue in ſublime, ſiue in profundum æquo ſequatur animo: huic ſalutem dabit hoc vnum ſtudiũ, quod nimirum, vel dum extollitur, vel dum deprimitur, vel dũ proſperatur, vel dũ afligitur, nil intra cordis affectus mũdi perituri, nequid fluxũ, & ruiturum ſentiat intus. Sic monebat Ioſue milites ſuos, ne de ſpolijs Ierico *Ioſue 6.* aliquid ſumerẽt, c. 6. *Vos autẽ cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis prauaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atq́ turbentur.* Cauendũ eſt ei, qui nolit perire, ne quiſpiam etiam minimum de rebus perditioni deſtinatis contingat, ſeu, vt Hebraice legitur, *ne tollat*, vel vt Orig. legit. *ne concupiſcat, & tollat*, quaſi affectus animi velit eſſe in primis immunes. Sed quæ ſunt, quæ vel tacta, vel concupita adeò celerem afferunt *Origen.* perditionem? Explicat Orig. ho. 6. inquiens. *Tale eſt, quod indicatur his verbis. Videte nequid in vobis ſæculare habeatis.* Nihil equidẽ magis cũrandũ eſt properanti ad vitã, quã ne quippiã ſæculare, fluxum, perituru intus recipiat. Siue per cacumina montiũ volandũ ſit, ſiue per terræ ima repẽdum; hoc curandũ, nequid in nobis ſæculare ſit, nequid fluxũ, & perituru intus afficiat animũ. Hinc eſt, quod Paulus in hoc maximè incumbit, vt quidquid ſæcu- *ad Rom. 12* lare, & fluxũ eſt in nobis reſecet, quaſi hoc facto ſecura reſtet animæ via. Ideò ad Rom. 12. ait. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuã, &c.* Quæ verba pẽſans Chryſol. valde miratur, quod Paulus, vbi nos Deo vult ſacrare, corporũ tantum meminerit, & non magis animarum. Non ne, *Pſalm. 50.* vbi de hoſtijs Deo exhibẽdis agit Pſ. 50. dicit. *Sacrificiũ Deo ſpiritus cõtribulatus?* Si ergo *Paul.* placẽs Deo hoſtia ſpiritus eſt, cur Paulus nõ meminit ſpiritus, ſed ſolũ ait: *Exhibete corpora veſtra hoſtiã viuã?* An quia minus æſtimat ſpiritus hoſtiã? Abſit; ſed in corpore ſiſtit, quia in illo totũ periculũ eſt, niſi prorſus à fluxis, & terrenis abſtrahatur, & puro iũgatur ſpiritui, ne quãdo anima deſcẽdat corporis ad ſeruitiũ, & dũ condeſcendit corpori, interitũ incurrat. Ita Chryſol. ſer. 109. *Fratres hic Apoſtolus honorat corpus, nõ minorat animã. Nã corpus, quod capiũt peccata, quod vitia corrũpũt, quod deiſciũt paſsiones: hoc Apoſtolus cupit ſoluere, liberare ſtudet, laborat attollere, vt corpus ad originẽ animæ conſcendat, non anima deſcendat corporis ad naturã; & corpus animã comitetur ad cœlũ, non anima corpus ſequatur ad terrã.* Quid ſapiẽtius? Quaſi hæc debeat eſſe cura Chriſtiani hominis, qui velit habere vitã, ſic corpus attollere ab his caducis, & morticinijs, & illud ſpiritui cõformare, vt animæ affectus nunquã habeat neceſſe deſcẽdere ad ea, quæ corporis ſunt, ſed magis corpus animam ſequatur, ad ſublimia. *Chryſol.*

Matth. 24. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

§. VII.

Mundialia bona potius in mentis conceptu, quam in re exiſtunt.

SVBSCRIBO illis expoſitoribus, qui hęc nõ ad fœminas prægnantes referũt; miſerabiliores enim his ſunt in fuga claudi, & infirmi: vndè potius diceret, væ claudis in diebus illis. Intelligũtur ergo prægnantiũ nomine homines delicioſi, & mundi diuites, qui bonis acquirẽdis inhiãt, & voluptatibus indulgent. Et quidẽ aptiſsimè huiuſmodi homines prægnantes dicũtur, quandoquidẽ mundialia omnia bona magis ſunt in mentis conceptu, quã re vera exiſtũt. Hãc mihi excogitationẽ iniecit dives ille, cuius ager feraciſsimus dicitur à D. Luc. c. 12. de hoc enim ait. *Cogitabat intra* *Luc. 12.* *ſe dicens. Quid faciam? Quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicam animæ meæ: anima habes multa bona poſita in annos multos, manduca, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus: ſtulte, hac nocte repetent animam tuam, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Ecce tibi ditiſsimus homo vitæ eripitur, miſere perdit omnia bona ſua, & fructus omnes agri ſui amittit, ſed vbi erãt hęc diuitis bona, & fructus an erãt horreis iã clauſa? Minimè, quia ipſe ſa

tetur se nõ habere, quo illá possit colligere; sed erãt in eius possessione? Abnuo, quãdoquidẽ, nec verbũ audies, quo significentur bona possideri ab illo, solum dicitur: *Cogitabat intra se, &c.* Tota illa bonorum congeries, totus ille fructuum cumulus non in possessione, sed in cogitatione solum existebant, & iam miser diues ab illis eripitur. Pulchrè Chrysol. ser. 104. ait. *Vndè diues sic præuentus est, vt magis cogitata perderet, quã parata.* Hæc est mundialiũ bonorum conditio, quæ magis in cogitatione, quã in re existunt, quæ nunquã extra cõceptum mentis à suis Dñis visuntur. Quo respicit illud Sap. 9. *Et terrena inhabitatio deprimit mentẽ multa cogitantem.* In quibus notandum est illud, *multa cogitantem*, hoc est, vt ait Hugo, *bona temporalia cogitantem*; & non dicit, quod terrena habitatio deprimat mentẽ multa bona temporalia possidentem, sed multa cogitantem: quasi hoc sit terrenorũ hominũ propriũ, quod non grauentur possessis bonis, sed cogitatis. Quæ cum in re parua, & exilia sint; at in cogitatione ibi multa sunt, vt vanissime dominos suos grauent. Fallar nisi huc respexit D. Basil. hom. in ditescentes relatus apud Damasc. lib. 2. Parallelor. ca. 17. vbi ait. *Quiduis aurum cernis, quidnis aurum tibi animo fingis. Hoc dormiens somnias, hoc vigilans cogitas. Vt enim hi, quibus furor rationis vsum ademit, non res ipsas cernunt, sed ea, quæ morbus obijcit, imaginantur, sic animus tuus auaritia correptus, quidlibet aurum, quidlibet argentum intuetur.* Non enim re ipsa sunt mundiales diuitiæ, sed in imaginatione, & cogitatione diuitum versantur, siue vt cũ Logicis loquar, ad illa entia pertinent diuitiæ, quæ non tã à parte rei inueniuntur, quã obiectiue in intellectũ representantur. Ex quo lucem capit Ecclesiastici c. 14. vbi sic. *Qui acerbat ex animo suo iniuste, alijs congregat.* Expende illud: *acerbat ex animo suo*, quasi non ex rebus ipsis acerbus diuitiarum existat, sed ex imaginatione, & cogitatione animi: id quod expressiùs reddit Damasc. lib. 2. Parallel. c. 17. *Est qui ab attentatione, & cordis cõpressione diuitias colligit*: nõ quia sic verè sunt diuitiæ in rebus, sed tota earum substantia, & abundantia apparet ex attẽtione, & compressione cordis, hoc est, ex modo tendendi, & attendendi cogitationis humanæ. Exempla notissima sunt, siue apud Logicos, siue apud Philosophos, nimirum in cœlis color pulcherrimus visitur, & tamen cœli colorẽ nõ habent: in aqua apparet virga curuata, quæ in se recta omnino est. Quod si quæras, vnde nascitur illa virgę curuitas, & cœlorum color? Rursus nascitur non è rebus, sed ex modo tẽdendi, & attendẽdi visionis humanæ: sic similiter accidit diuitibus, quibus diuitiæ cõgerũtur non in re, sed ex attẽtione cordis. Ionæ 3. *Præparauit Dñs Deus hederã, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbraculũ super caput eius.* De quo Tilmamnus in allegorijs ait. *Hedera est virorum temporalium, & ascendit super caput eius vmbra, non verũ corpus.* Quippè tẽporalia bona potius pertinent ad adũbratas capitis imagines, quã ad res verè existentes. Vnde sapienter Iob c. 21. ait. *Veruntamẽ, quia nõ sunt in manu eorũ bona sua, consiliũ impiorum longè sit à me.* Absit à nobis desiderium illarũ diuitiarũ, quæ veræ non sunt, quæ in manu nõ sunt, sed in cogitatione, & mentis attentione, vt inde fallant: qua propter non immerito fallaces vocantur.

§. VIII.

Diuitum cupiditates instar fœminarum prægnantium.

APTISSIME item mundi diuites vocãtur similes prægnantibus, vt qui saniora, & meliora fastidientes, luteis, & vilibus ferantur cupiditatibus. Pulchrè ad illos dicebat D. Basil. apud Damascenum lib. 2. Parallel. ca. 17. *Non te pudet lapides præfastidio appetere, quemadmodum mulieres, quæ vterum gerunt? Vt enim illæ lapillos vorant, eodem modo tu quoque lapides maiorem in modum appetis, sardonyches, nimirum, & iaspides, atque amethystos requirens.* Sanè prægnantium fœminarum notissima sunt fastidia, notissimæ cupiditates, fastidiunt pretiosas escas; terram, luctum, carbones, lateres auide mandunt. Sic misere homines huius mundi diuites; ad cœleste prandiũ vocati fastidiunt, quidquid cœleste est, & nauseant supra beatorum Angelorũ cibo; at auidissime conquirunt sibi tẽporalium bonorum vilitates, immundicias, lutũ, cinerẽ. Merito dicitur væ his prægnantibus, quos absq; dubio diabolus implet, vt alibi notauimus. Horum vicem deplorat Ierem. Thren. 4. aiẽs. *Qui nutriebãtur in croceis, amplexati sunt stercora.* Et cur non ploret tantam hominis calamitatem? Ille ipse homo, qui immortali stola fulgebat, qui de paradisi regno radiabat, cui vitalia poma à Deo ipso parabantur; ille inquã, ipse amplexatus est stercora, nõ ad sterco ra deiectus, id quod initium fuit calamitatis nõ paruæ in Iobo, sed ipse auide stercora mũdialiũ bonorũ amplexatur, mandit. D. Bern. ser. de Obed. pãtien. Sapien. ait. *Hoc maximè Propheta deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantã dissimulare miseriã: nec modo nõ reputare, quod tolerãt, sed tanquã bona magna cõplecti, quæ paulo minus extrema sunt mala.* Sic stultissimi affecti sunt ventris causa, vt quæ à sapientibus, vt stercora repu-

Ionæ. 3.

Tilman.

Chrysol.

Sap. 9.

Basil.

Eccles. 14.

Damasc.

Iob. 21.

Basil.

Thren. 4.

Bernard.

reputántur, abijciuntur, ipſi vt ſumma bona
Prouer. 30. perquirant, & amplectantur. De his Prouerb. 30. dicitur: *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cum regnauerit; per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo, &c.* Ecce vobis inter vrbium excidia, hoc numeratur ſecundum, nimirum ſtultus ſaturatus cibo: & quis eſt ſtultus iſte? Ille, qui ſic affectus eſt vē tris cauſa, vt nihil æſtimet niſi caduca, & tem poralia bona. Ita Galfrid. citatus in adagialibus Delrij ait. *Stultus ſatiatus cibo, & ſuppetentibus ſibi ſubſidijs temporalibus intentus pariter, & contentus. Huiuſmodi improperat ſtultis Apoſtolus dicens: Iam ſatiati eſtis, iam diuites facti eſtis.* Sic erga ſtercora mundialium bonorum ſunt affecti, vt præterea nihil aliud meminerint; his hominibus, cur non moueatur terra, vt glutiat illos? Non longè ab hac mente aberat Abacuc c. 2. dum. ait. *Va ei, qui multiplicat non ſua, vſq; quo aggrauat contra ſe denſum lutum?* Ad hæc D. Greg. lib. 34. moral. c. 8. *Denſo luto ſe aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicat.* Et cur venter non perdat eū, qui ventris cauſa denſum lutum, lateres ipſos manducat?

Galfr.

Habac. 2.

Greger.

§. IX.

Eccleſiaſtici delicioſi peribunt.

CREDIDERIM, cùm ve prægnantibus, væ nutrientibus, dicitur, non in genere tangi viros opulentos, & delicioſos, ſed ſpecialiter ibi agi de opulentis, & delicioſis templi miniſtris, à quibus in Domino pariuntur fideles, & nutriuntur, iuxta Apoſtolum dicentem: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Et ſanè inter omnes opulentos & delicioſos, maximè Dei iram incendunt delicioſi Eccleſiæ miniſtri, qui in miniſterio regenerationis vnū ſpectant, vt potiantur prægnantium, & nutrientium non faſtidia, non ſarcinas, ſed delicias.
Amos. 4. His ipſis dicebat Amos c. 4. *Audite hoc verbum vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis veſtris, afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos incontis, &c.* Ecce ſub vaccarum nomine reprehenduntur Sacerdotes, & extremum illis denuntiatur excidium, ſed eæ vaccæ dicuntur, quæ regeneratorum fidelium onera minime curantes, delicias nutritiorum ſectantur, vt in otio pingueſcant, & opulenti fiant. Ruper. ibi: *Non parum ponderis habet, quod dicit: audite hoc verbū vaccæ pingues. Simul nāq; vehementer aſtruit turpē ventris impenſionē, quā in otio fouebant affluētibus decumbentes populo diuitijs, veraciter incraſſati, impinguati, dilatati, & exinde recalcitrantes, vt vaccæ pingues,* Metuant Eccleſiaſtici viri, dū vitā ſuā ſic animaduertūt depingi: ſe ſe matres, & nutrices populorum prædicant, & miniſteriū parturientium fideles Chriſto aſſumunt, ſed qui partu comitantur dolores, curæ, ſollicitudines de filijs prorſus à ſe depellunt, ſolum amplexantes delicias, otia, munera, quibus à cuncto populo ſuſceptis ipſi diteſcant in dies. Metuo, ne qui ſic viuunt, potius ad macellum, & victimam, quam ad regenerationem fidelium ſeruentur à diuina ira. Micheas c. 2. *Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum.* Quorum verborum ſenſū explicatius Lxx pertingunt; *Duces populi mei proijciētur de domibus deliciarum ſuarum.* Itaque idem dux populi, & mulier; ſed qui populi dux vocatur mulier? Hic eſt vir Eccleſiaſticus ad id miniſterium vocatus, vt pariat, & nutriat, & foueat fideles, illoſque brachijs ſuis portet tanquam mater, is in tantum ſtat in Dei conſpectu, in quantum de Eccleſiaſtico munere non ſibi delicias parat, proijciendus à Deo de Domibus deliciarum. Accipite Hieronym. ſic ſantem: *Eccleſiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque laſciuias pudicitiam ſeruare ſe credunt, propheticus ſermo deſcribit, quod ejciendi ſunt de ſpacioſis domibus, lautiſq; conuiuijs, & multo labore epulis conquiſitis. Et ſi vis ſcire, quo ejciendi ſunt, Euangelium lege. In tenebras ſcilicet exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium. An non confuſio, & ignominia eſt Ieſum crucifixum, magiſtrum pauperem, atq; eſurientem farſis prædicare corporibus; ieiunioruṁq; doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; era proferre?* Equidem indigniſſimum eſt, & horrore plenum, à Chriſti crucifixi, & ieiuniorum prædicatione ad lautiſſimas menſas proſilire: & de crucifixi, & pauperis miniſterio deliciarum domus conſtruere, adeò, vt qui munus habet euangelicā paupertatem ſuadēdi, defendendi vſq; ad ſanguinem, nihil non diues, & opulentum in domo ſua velit reſpicere. Luc. 13. venient multi nimirum Eccleſiaſtici, & dicent: *Manducauimus coram te, & bibimus.* Quid tunc Dominus? *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et merito repelluntur, vt operarij iniquitatis, qui Eccleſiæ bonis abutuntur ad delicias. D. Baſ. reg. 282. *Cur enim non rite operarij iniquitatis appellantur, qui donis Dei ad mercaturam voluptatum ſuarum abutantur? Cuiuſmodi erant illi, de quibus eſt apud Apoſtol. Non enim ſumus, ſicut multi adulterantes verbum Dei.* Hoc viderint Eccleſiaſtici viri, & notent, an ita viuant Eccleſiaſticis diuitijs, vt aptiores videantur ob pinguedinem ad macellum, & victimam, quā ad parturitionem regeneratorum in Chriſto.

Ruperti.

Hieron.

Luc. 13.

Baſil.

Matth. 24. Orate autem, vt non fit fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis nō fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.

§. X.

A solo Deo cita, et præpropera salus potest venire.

QVI velocem cursum ad salutem consulit, non ait cauete, ne fuga vestra in hyeme, aut Sabbato fiat; sed orate, quasi à solo Deo obtinendum sit, quod quis nullum impedimentum, nullam moram sentiat, quando ad salutem sit illi confugiendum. Non humanæ diligentiæ est, sed solius muneris diuini, quod cita, & festinata salus nobis paretur. Ideò Paulus non alio, quam orationibus ad Deum celerem restitutionem suam petit tractari. *Hebræ.* 13. Quippè ad Hebræ. 13. ait. *Orate pro nobis: Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.* Celeritatem enim salutis solus Deus causat. Prudenter Iacob Gene. 27. de cibo festinatissimè inuento, & parato *Genes.* 27. dicit patri suo. *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam.* Cur non magis expeditionem suam, & venatoriam artem commendat? Cur impigritiæ animi sui scietis omnes moras, omnia impedimenta rumpere, nō tribuit; sed omnem celeritatis causam in Deū refundit? Nouerat vir sapiens festinatam benedictionem, & salutem, à nullo alio obuenire posse nisi à Deo. *Ambros.* Ambr. lib. de Fuga sæculi, cap. 8. ait. *Iacob, & cito inuenit, & inuentorum suorum auctorem testificatus est Deum, in quo, & diligentiæ palma, & ingenij significatur vbertas. Quod inuenitur, quæritur: & quod quæritur, temporis est, quod temporis est, vtique diligentiæ est, quod autem præuenit vsum temporis Deus infundit, Deus dat.* Vbi necessum sit salutem breuissimo tempore, summa celeritate operari, non id ab aliqua creatura speres, non id cōmittas humanæ diligentiæ, solus Deus dat, solus Deus infundit, quod præuenit vsum tem- *Baruc.* 4. poris. Dicebat Baruch cap. 4. *Sicut viderūt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo; sic videbunt, & in celeritate salutem vestram à Deo.* Expende in quo videndam promittat salutē à Deo venturam, & non ab alio, nimirum, *in celeritate*; habet enim salus, quæ à Deo venit, celeritatem sibi propriam, adeò vt vel inde cognoscatur Deus, nimirum ex celeritate, quam præstat. Propterea Dauid Psalm. 17. *Psalm.* 17. *Quoniam quis Deus præter Dominum? Aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatā viam meā. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Hebraice: *Coæquans pedes meos ceruis.* Ille sanè Deus, & non alius, qui solus nouit celeritatem ad salutem infundere; nulla creatura est, quæ temporibus non impendat seruitutem, moraſque faciat, & impedimenta experiatur: vnus Deus dat, quod præueniat tempora, & celerrimam salutem afferat. Similiter Abac. *Abac.* 3. capit. 3. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos tanquam ceruorum.* Fatetur Dominum esse fortitudinem suam vnicam, & solam, sic enim explicat Hieronym. quasi dicat. *Hieron.* *Nullam aliam, nisi in Christo habeo virtutem,* cuius rei signum illud euidens est, nimirum, *& ponet pedes meos tanquam ceruorum.* Chaldæus Isai. 35. explicatius ait. *More ceruorum velocissimorum, itavt non detineantur.* Et quidem non ab alio, nisi à Deo possunt humani pedes sic ad salutem festinare, vt nec moras temporis, nec viarum difficultates, nec abrupta montium experiantur, sed & moris, & difficultatibus ruptis festinatam obtineant incolumitatem. Hinc Isaias capit. 35. fatur: *Di-* *Isai.* 35. *cite pusillanimis.* Chaldæus verum aliter: *Dicite* *Chal.* *festinis corde.* Et quidem, qui tot obstricti erāt difficultatibus, & calamitatibus, vt nil videre iam possent nisi mortem vndequaque imminentem, molestissimè ferebant quamlibet etiam minimam moram suæ liberationis, & vltra quam credi potest, festinabant desiderijs suis in libertatem. His ergo nimis festinis nuntium mittitur, & quale nuntium? *Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus.* Quippè festinis corde nullum lætius nuntium mitti potuit, quā illud: *Deus ipse veniet, & saluabit vos*, quia nullus alius nouisset adeo festinam illis infundere salutem, quæ posset æquari festinationi illam desiderantium. Vnus Deus dat, quod præueniet vsum temporis; dante enim Deo, tunc saliet sicut ceruus claudus, nullum erit impedimētum, quod detineat nos, quo minus velocissimè ad salutem prosiliamus.

CAP.

CAPVT SEPTIMVM.

De Iesu morte prædicta.

POSTQVAM Iesu diuinitas Apostolis innotuerat per Petri cõfessionem, iam palam de morte sua Iesus loquitur. De morte, inquam, loquitur Ierosolymis subeunda, à Principibus, & Sacerdotibus populi procuranda, quam ipse animo suscipiet libenti. Sed qui Deũ prædicarat Petrus, non patitur audire mortalem, & vt fidelis originem confessus est diuinum, sic amator à suo Iesu mortem nititur ablegare. Repellitur à magistro Petri suadela, in qua, etsi nesciens, tamen vt ait Theophylactus, Satanæ subscribebat placitis. Eu conditionem humanam! Modo Petrus beatus, iam dicitur Satana: Beatus qui Iesum Deum prædicat; Satana qui nequit illum esse mortalem.

Matt. 16. Ex inde cæpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymã, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

§. I.

Diuinitas in homine clarescit de subiecto puluere humilitatis.

EX inde mortem, & ignominiam suam Iesus ostendit, & publicat, ex quo? Ex Petri confessione, qua prædicatus est Dei filius, & sic ab Apostolis creditus, & adoratus. Et quidem diuinissimè ex quo filius Dei innotescit, incipit passionis ignominiã reuellare, non vt obnubilet Deitatis suæ splendorem, sed vt euidentiorem faciat: nullo enim magis apparet diuinitas, quam ex subiecto puluere humilitatis. Sapien. 7. de Dei filio carnem humanam induto dicitur: *Candor est enim lucis æternæ, & speculũ Dei maiestatis.* Cur speculũ Dei maiestatis? Speculũ imagines rerũ reddit clarissimas, sed de stanno, plumbo, vel alio denso corpore sibi adiuncto. In Christallo enim solo lucem vides, imaginem rerum vides nullam, verum vbi puluerem chalybis, seu stanni supposueris chrystallo, de adiuncto puluere imagines reddit euidentissimas. Sic diuinitatis maiestas per se solam lucem habitat inaccessibilem, verum de adiuncto humilitatis, & fragilitatis humanæ puluere redditur prorsus conspicua, & euidentissima. Ad hæc eleganter Franconius de gratia Dei tom. 2. ait. *Franc.* *Diuinitas in luto tanquam imago in speculo refulget, & lutum in Deum solidatum est.* Facit humilitatis, vilitatisque humanæ puluis, vt diuinæ maiestatis imago euidentius appareat. Quò quis vilitatem suam ob oculos proponit, eò euidentius, & clarius, siqua in eo est, diuinitatis species manifestatur. Genes. 1. ait Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* *Gen. 1.* Rursus cap. 2. post hominem factum subditur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Expende modo quid intenderit Deus facere, & quid fecerit: intendit in homine Dei imaginem conspicuã reddere, & hominem ex limo terræ facit. Nõne terræ limus magis fuscabit, obscurabit Dei imaginem? Immò limus terræ additur operi humano, vt de humilitatis humanæ puluere, sicut de stanno adiuncto in speculo euidentius Dei imago conspiciatur. Pulchrè Diu. Leo serm. 4. de Nat. ait. *Homo carnis substantiam accepit à terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem sui creatoris virens, formam Dei, bonitatis, ac iustitiæ in splendore imitationis tanquam in speculi nitore seruaret.* Ecce tibi rationali spiritui additur puluis, vt ab illo, tanquam ab speculo diuinitatis imago manifestius in conspectum saliat. Quò spectabat S. Isaac presbyter lib. de mundi contemptu, cap. 13. inquiens. *Vilipende te ipsum, & videbis gloriam Dei in te metipso. Nam vbicumque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei. Quod si habes humilitatem in corde tuo, ostendet sibi Deus gloriam in corde tuo.* Ita que humilitatis puluis suppositus animis nostris, is facit, quod Dei glorioſa imago appareat in nobis; de humilitatis puluere venit, quod Deus se se medio cordis nostri prospectet. Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Modo erat Deus in alto regalis maiestatis accubitu, sublimis, & eleuatus regio vi- sebatur in throno, & subito medio sponsæ in pectore, vt fasciculus apparet, quis tam subitam, & præproperam Dei apparitionem inter sponsæ vbera causauit? Ipsa explicabat dicens: *Nardus mea dedit odorem suum*; nardus

D. Leo. *S. Isaac.* *Cant. 1.*

sap. 7.

est D.Bernárdo,& alijs Pátribus humilis affectus sponsæ,quæ humilitas vbi nostris animis applicatur,inibi Deum apparere facit. Pulchre Bern.ser.43. in Cant. *Ante in accubitu regio, modo inter Sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus,cui etiam Deitatis maiestas tam facile se inclinat.* Adde humilitatem,& non poterit in te nõ videri diuinitas. *Bernar.*

§. II.

Glorioſius homini eſt intra fragilitatis ſuæ terminos prædicari, & turpius vltra dignitatis menſuram honorari.

EX quo Ieſus Petri prædicatione adeo extollebatur, vt filius Dei viui diceretur, mortis paſsioniſque ſuæ conditionem auidius ipſe publicat: quo reuocatur vaniſsimorum hominum audacia,qui Ieſum Deum ſolum dicebat,maior enim Ieſu gloria eſt, ſi de humana paſsibilitate etiam intra hominis cõditionem laudetur. Romanis Imperatoribus triũphantibus ſiſtebatur ſeruus,qui clamaret: *Memento te hominem eſſe.* Ex quo non mediocris quæſtio apud Sapientes viros eſſe poteſt, vtra glorioſior eſſet Imperatoribus,an huius ſerui vox,an vox Senatus illos inter Deos ſtatuentis? Quæſtionem dirimit Tert. Apol. aduerſus gentes aſſerens glorioſiorem longe fuiſſe Triũphatoribus hominibus vocem ſerui: his verbis. *Suggeritur ei à tergo: Reſpice poſt te, hominẽ memento te. Etiam hoc magis gaudet tanta ſe gloria coruſcare, vt illi admonitio conditionis ſuæ ſit neceſſaria. Minor erat, ſi tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior eſt, qui reuocatur ne ſe Deum exiſtimet.* Et quidem minoraretur Ieſus,ſi ſolus Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior eius gloria, qui carnis paſsibilitate reuocatur,ne ſolus Deus credatur; turpe enim cuiuis eſt vltra veritatem laudari, & etiam creaturis inſenſibilibus valde moleſtũm eſt,quod ſuperent honore accepto dignitatẽ ſuam. Hier. 2. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, &c.* Apud Eucherium non ſolum lego, quod cœli obſtupeſcere iubeantur à Deo, ſed & quod ipſi iam verè obſtupuerint, ſic enim legitur: *Expauit cælum in iſtud, & terra commota eſt, &c.* Et non deſino mirari cur cœlum expaueat, & contremiſcat Iſraelitarum videns Idololatriam, & non magis inde lætetur, & gaudeat, quandoquidem ipſis cœlis datur diuinus cultus, vero Deo negatus. Ierem. 7. *Vt faciant placentas Reginæ cæli,* & cap. 29. *Sacrificauerunt enim militiæ cæli.* Cur ergo cœli ſtupeant, contremiſcant, & non potius lætentur, gaudeant, quod diuino honore digni cenſeantur à creatura rationali? Cæterum turpiſsimũ eſt, & moleſtiſsimum etiam inſenſibilibus vltra dignitatis ſuæ terminos honorari. Vndé dicebat Eucher. lib. 4. in lib. Reg. *Turbata ergo erant elementa, turbata non officio, ſed affectu, quod vnicum, vt dixi nomen Deitatis hominum eis error imponeret, famulatumque debitum conditori cæca deuotione præueret.* Hoc potens eſt etiam inſenſibilia turbare, ſi vltra dignitatis menſuram maioribus honoribus afficiantur: quam labem, & turpitudinem maxime ab amico ſuo Moyſe ablegare Dominus procurauit. Etenim habes Deuteron. 34. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, in terra Moab iuxtẽ te Domino: & ſepelierunt eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Quod ſi quæras, cur voluit Deus, vt Moyſis cadauer ſic lateret omnes Iſraelitas? Rem attigit Petr. Dam. ſer. de tranſlatione ſanctæ Hildeg. ſatis. *Moyſis corpus ipſe per ſe Dominus ſepeliuit, & tamen ſepulchrum eius innoteſcere hominibus noluit, vt tollatur occaſio, ne qui tàm Deo charus extitiſſe cognoſcitur, diuinus honor illi ab Iſraelitica plebis perfidia præbeatur.* Quibus poſitis velim quærere cur Deus tàm ſolicitus in occultando Moyſi ne diuinus à populo haberetur & non ſic ſolicitus fuit in occultandis vitulis? Equidem maior occaſio Idololatriæ vitulus erat, vt qui apud Ægyptum, & in heremo honores diuinos ſibi à populo Iſraelitis præripuerat; & non curat Deus vitulos à populo ablegare, imò duodecim vitulos fuſiles ſuppo nit mari æneo in templo ſuo exiſtenti. Cur ergo qui occaſiones adeo vehementes vituli adorandi non cauet, minores occaſiones Moyſis adorandi tàm ſedulo cauit? Iam ipſe prædictus author indigitabat cauſam illis verbis: *Ne qui tàm Deo charus extitiſſe cognoſcitur, diuinus honor illi præbeatur.* Magna Dei in amicum ſuum Moyſem charitas id effecit, quæ non patiebatur, vt adeo ſibi charus, & amicus homo tantá turparetur infamia, vt vltra id quod erat, poſſet celebrari. Ideo cauit Dominus, ne ſciretur Moyſis cadauer, vt occaſiones amputet, ne homine maioribus plauſibus potius turpitudinẽ quam gloriam reportaret. Iunior ille filius, & prodigus, hoc eſt gentilis populus dicebat apud Lucam 15. *Pater peccaui in cælum.* Sed quomodo in cœlum peccabat, quandoquidẽ adeo cœlum colebat, vt Soli, & ſtellis diuinos daret honores? Ideo peccabat, in cœlum, & cœlum prorſus concutiebat, quia illi indebitos dabat honores. Chryſol. ſer. 5. *Peccauit in cælũ, dum*

Tertullian. *Hierem. 2.* *Ierem. 7.* *Eucher.* *Deuter. 34.* *Petr. Dam.* *Luc. 15.* *Chryſol.*

dum in cœlo, Solem, Lunam, sydera, deos esse blasphemat, & hæc eadem prophanat adorando.

§. III.

Diuina virtus est, gloriæ conspectu non cæcutire ad fragilitatis casus.

ET suam diuinitatis gloriam à Petro prædicari audit Iesus, & simul rediuiui sui corporis immortales triumphos aspicit, dùm ait, *& tertia die resurgam*, & tot gloriarum splẽdoribus affectus non cæcutit ad mortem vidẽdam, sed clarissimis illam oculis spectat, & eius singillatim recenset iniurias. Id potuit diuina Iesu virtus, qui enim creaturarum sunt oculi sic bonorum splendore afficiuntur, vt inter splendentia bona obscurum casum mini
Isaias, c. 14 mẽ videant. Isaias cap. 14. dicitur ad refugam Angelum: *Dicebas in corde tuo: in cœlum conscẽdam, super astra Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris.* Nunquam ego mirari desiui, quomodo Angelus acutissimus, perspicacissimus in delicijs paradisi creatus inter tot culmina, inter tot ascensiones cogitatas, nec ruinam, nec casum vicinum expauerit, imo nec meminerit? Cur Angele ascensus vides? Cur vt meditaris principatuum solia, non simul prospicis vicinum casum? Iam dudum splendentia culmina sic creatos oculos nouerunt obcæcare, vt minime latens ibi casus videatur. Sic Ber. tract. de gradi-
Bern. bus humilitatis in 1. gradu ait: *Viso principatu, statim in oculo trabes superbiæ excreuit, qua interposita casum videre non potuit.* Ab splendenti principatus solio, a perspectis bonis nil citius acquirunt oculi creati quam cæcitatẽ, ne vicinam ruinam possent aspectare. Fortior Angelo sit, diuinus sit qui inter bona, & culmina non cæcutiat ad videndum vicinum casum. Maximus ille virtutum athleta Ioseph sic
Genes. 37. somniabat. Gen. 37. *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me:* Sic sanctus vir celsitudinem solij sui inter soles, & astra meditabatur; sed qui tot lumina gloriæ suę vidit, & narrat, nec minimam suspicionem habet seruitutis, & carceris, quo illà erant comparanda: semper enim splendentia
Bernard. bona malorum inferunt cęcitatem. Vndè Ber. vbi supra aiebat: *Sic Ioseph cum præuidisset exaltationem suam, non tamen præsciuit sui venditionem, quamuis propior esset venditio, quam exaltatio.* Nihil citius faciunt prosperitatum soles, quam obcæcare oculos, ne videant casus: vt solis materialis claritas sic solet occupare oculos, vt si subito ad subobscurà locà conuertantur, nihil prorsus videant: ita prosperitatum soles occupant mentes creatas, vt ad obscuros casus videndos minime valeant. Psal. 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* *Eraſm. 29*
Id quod expendens Nicephorus incat, Græc. *Niceph.* ait: *In prosperitate mea non putaui me iterum agitari, & stabilitate dimoueri.* Nullius enim motus, & casus suspicioni relinquunt locum prosperitates. Vndè monebat. *Sap. c. 18. Memento* *Sap. 8.* *paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuiciarum.* Quacumque prosperitate fruaris, & si vndequaque bonis circumseptus sis, semper cura ob oculos habere, quæ solet prosperitates comitari, paupertatem; nec sic rapiaris culminum splẽdore, quod non simul videas inde præcipitià, & cunctos casus. Quod dicebat D. Ephræm de Humilit. *D. Ephræm* comparan. cap. 97. *Dum gaudium aduenerit; angustias spectemus: ne ob nimium gaudium obliuiscamur luctus.*

Matt. 16. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit a te Domine, non erit tibi hoc.

§. IIII.

Ille solus dolor censendus, qui ab amore perfectæ salutis procedit.

NON putes Petrum Iesu reprehensorem, sed amatorem: amabat plus omnibus Petrus Iesum, & non tolerat audire, quod tantus magister interficiatur; imò sic exacerbatur audita Iesu morte, vt maximi amatores exacerbari solẽt, cum dilecti sese periculis tradũt. Non equidem hæc increpatio fuit reprehendentis, sed dolentis proardenti Iesu amore, vt Beda, & Euthymius cum Chrysost. & Hier. notarunt. Sed scire cupis, cur dolor hic, & amaritudo Petri profectus à tanto amore in Iesum, debuerit potius vocari ab Euangelista increpatio, quæ vox, nescio quid indignum in Petro facit suspicari? Dolebat Petrus propter temporariam salutem Iesu, & ideo nec censetur dolor, nec amaritudo illa, quæ nõ proficiscitur ab amore perfectæ salutis spiritualis. Equidem alibi ingenue proponit nobis Euangelista Petrum dolentem, ingentique amaritudine plenum: quippe Luc. 22. vbi victi Iesu *Luc. 22.* oculis connenitur, negationis perpetratæ recordatus. *Egressus foras fleuit amare.* Ecce tibi,

& hic

& hic, & illic amaricatur Petrus, & vtrobique propter Iesu amorem: & nihilominus illi nō dicitur doluisse, sed increpasse; hic totus dolore, & amarore plenus pronuntiatur. Quę discriminis causa? Primus amor Petri adhuc sapiebat carnem, & sanguinem; erat enim solū circa salutem corporalem; & ideo non censetur dolor, qui ab illo procedebat: modo dolet ex perfectissimo amore salutis spiritualis, & inde est, quòd hic dolor, & amaritudo censetur, explicetur, publicetur: pulchrè D. Aug. serm. 121. de tempore, ait. *Flere cœpit amarè, quia Dominum suum cœpit amare.* Non dolebat Petrus, quando sola corporalia, & temporalia amat; tunc vidēs Iesum traditū hostibus flere cępit amare, quia cœpit spiritualiter amare; & sic dolere etiam cœpit, amaricari cœpit pro salute spirituali: nullus enim alius dolor, nulla amaritudo censetur, nisi quam saluti impendis spirituali. Hinc Genes. 49. accedens Iacob ad benedictionem Rubem sic ait. *Rubem primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Cur Rubem principium doloris Iacob? An Iacob nullus antea dolor? Nulla amaritudo? Equidem ille est Iacob, qui tam acerbam pertulit persequutionē à fratre, vt exulare à domo fraterna fuerit coactus; is plurimis annis Labam seruiuit vigilijs multis, laboribus multis, insuper ipsius Labani mille dolores pertulit, & hæc omnia, & alia plurima, ante ortum Rubem, cur ergo Rubē dicitur principium doloris? Rem ponderat, & explicat Rup. in Genes. lib. 9. cap. 26. *Vnde principium doloris mei? Ex eo, quia effusus es, sicut aqua, ascendendo cubile patris tui. Hoc enim principium doloris eius extitit, non quod in nullo antea doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo eius de isto accidit.* Expē de illa verba, *verus dolor de plaga peccati*: nullus alius dolor censetur, nisi dolor hic, qui de amore salutis spiritualis nascitur. Etsi vehementissimi tibi dolores fuerunt pro re temporaria, pro corporis plaga, pro charorum amissione; hi in cēsu diuino non inuenientur, immō crebrius apud Deum male audiūnt. Non ne male audit præsens Petri dolor? Quippè dolebat Petrus mortem Iesu audiens, & dum ob amatoris animi dolorem Iesum à morte reuocat, tantum abest, vt dicatur doluisse, quod dicitur increpasse. Quid contrarius? Dolor de damno alterius pius est, acceptus est illi, pro quo dolemus: increpatio autem nulli non molesta est, & cum in superiorem fit, audax, & temeraria solet reputari; in Deū, blasphema. Cur ergo dolor Petri, non dolor, sed increpatio in Deum vocatur, nisi quia nimis temporarius amor, & dolor frequenter apud Deum male audit. Accipite exemplum non in iucundum ex Æster 7. vbi post manifestatam à Regina Amanis malitiam, cū Rex ira exardescens in hortum se reciperet: *Amā quoque surrexit, vt rogaret Æster Reginā pro anima sua; intellexit enim à rege sibi paratum malum. Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Amā super lectulum corruisse, in quo incebat Æster, & ait. Etiam reginam vult opprimere, me præsente in domo mea.* Ecce tibi cum Aman miserè dolens rogabat reginā, habetur à rege, quasi reginam opprimeret: sic dolentis, & rogantis pro anima sua dolor, & postulatio putatur oppressio: sic & apud Deum dolor, & affectus pro re temporali, & caduca reputabitur oppressio, & quicumque stratum suum lacrymis rigarit, nihilque aliud respexerit in petitionibus suis, in doloribus suis, in affectibus suis, quam temporale, & carnale, is non miretur, si male audiat apud regem, qui tales affectus velut oppressiones æstimat.

Æster. 7.

Matth. 16. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

§. V.

Nulli sanctitatis culmini securitas est in hac miseriarum valle.

QVIS non exhorreat hanc hominum etiam sanctissimorum vitam ob mutabilitatem? Quis vellet hic morari, etsi se videat virtutum aggeribus communitum, sanctitatis culmina tenere? Ecce Petrus paulo ante beatus à Deo publicatur, & modo Satanas dicitur; eu humanæ vitæ incertitudo, quis sciat etiam è sanctissimis viris, si post modum erit diabolus, quando Petrus tam breui interuallo, & beatus est, & Satana,? Nullus, mihi crede, sanctitatis gradus est, à quo non possis decidere; nūquam sic sanctus eris, qui nō possis continuo fieri diabolus. Hinc est, quod diabolus nunquam è sanctissimo viro desperat se posse facere Satanam. Non ne Iesu Domini sanctitas ab ipsis incunabulis tanta apparuit, quæ omnes dæmonum vires enerueret? Quomodo posset superbissimus spiritus intueri humilitatem illam, qua Iesus inter peccatores accessit baptizandus Ioanni? Quomodo triumphator hominum per gulam non perde-

August.

Genes. 49.

Rupert.

perderet suâ arma, cum videret Iesum in deserto ieiunantem quadraginta dierum? Et nihilominus immediatè post hæc virtutum culmina ait Matth. c. 4. *Et accedens tentator*: quãdo accedit? Pulchrè Diu. Leo ser. 3. de Quadrag. *Viderat suam superbiam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis exclusam.* Quid tunc? Non ne omnem amittit spem victoriæ? Non ne putat se operam, & oleum perdere in tali conflictu? Non ne desperatus prorsus abijt? *Et tamen non desperauit de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas, tãtumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, vt quem verũ experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem.* Nulla virtus est, nulla sanctitatis culmina visuntur in homine, dũ in hac viuit valle, quæ non possint mutari in barathra peccati. Quisquis homo hic viuis, & si sanctissimus hodie sis, etsi sãmis virtutũ fastigijs eleuatus, non est cur non possis timere, quod cras, â tua fragilitate fias ipso peior diabolo. Propterea non miror, quod summæ sanctitatis culmina, dum hic sunt, nõ adeò videantur æstimari à summo rerum æstimatore Iesu, qui loquutus de præcursore suo Mat th. 11. ait. *Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autẽ minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Quomodo, qui minimus est in regno cœlorum est maior Ioanne Baptista? In regno cœlorũ sunt infantes, qui nullo suo merito, sed propter Iesu merita coronam reportarunt; at Ioannes innumeris virtutum facinoribus adornatus fulgebat, adeò vt meritorum, virtutumq; splendore etiam sanctissimos Patriarchas, qui obierant, longe superaret. Quomodo ergo horum minimus est maior Ioanne? Sanè est tãta hominis infirmitas, vt quæcumque sanctitatum culmina, qua parte subiecta sunt mutationi, & casui minora videantur, quam sunt minimi etiam infantes iam æterna securitate donati. Huc respexit D. Hieronym. hic aiens. *Nos autem simpliciter intelligamus, quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc est in prælio. Aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud in acie pugnare.* Cur enim non maxime minoretur quæuis felicitas, quæ potest mutari? Cur non infimi ordinis sit virtus, quæ potest cedere peccato: & sanctus, qui potest esse diabolus? Sapienter monebat Ecclesiasticus cap. 11. *Ante mortem, ne laudes hominem quemquam.* Cur ante mortem nemo laudandus? Hugo ibi: *Quia adhuc est in pugna.* Et quæ varijs belli euẽtibus subiecta sunt, non prorsus laudabilia, cum habeant vndè vituperationem timere possent.

D. Leo. Matth. 11. Hieron. Eccles. 11.

§. VI.

In decora, & detrimentosa venit corona nusquam pugnanti, laboranti.

VOCATVR Petrus Satanã, & scandalũ Iesu positum, quia passionis pugnas eripere tentat ad triumphos, & immortales coronas properanti. Rationalis creaturæ regnum spirituale vt adipiscatur Iesus se se mortis pulueri, crucis stadio tradit, & Petrus contra suadet, vt sine puluere triumphet, sine labore coronam rapiat: quid magis indecorum, quid magis detrimentosum nobili imperatori, quam sine pugna triumphare, sine facinorum meritis coronari? Hanc maculam, & ruinam Iesu inurere curabat Satana cum iuxta Luc. cap. 4. Secundo accedit tentare: sic enim ibi dicitur. *Duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis: & ait illi: tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Ecce tibi totum humanæ creaturæ regnũ, quod diabolus tyrannice vsurparat, factus mundi rector, iuxta Apostolum, & Princeps tenebrarum harum, id quam gratis offerat Iesu, quã sine certamine, & puluere, propter semel exhibitam adorationem. Et quidem totum inter Iesum, & diabolum duellũ de regno humanæ creaturæ erat, hoc solum intendebant vniuersæ Iesu pugnæ, & sudores, vt spoliarẽt diaboli principatus, ab eiusque tyrannide eductum hominem sibi assererent. Ergo quod Iesus totis passionis suæ pugnis intendit regnũ diabolo eripere, hoc Iesu gratis sine vlla pugna diabolus offert. Quæ hæc tentatio? Equidem multum indecora, & detrimentosa Iesu, cui indecorum esset regnum illum gratis, & sine sudore acceptum. Rem expendit Origen. hom. 30. in Lucam, vbi ait. *Dicit ergo ad Dominum diabolus; ideo veni, vt aduersus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc subiectos habeo. Nolo contendas, nolo mutaris, ne habeas vllam in certando molestiam. Vnum est, quod precor procidens adora me, & accipe regnũ omne, quod teneo.* Hoc diabolus petit, hoc offert, huius gratiosi regni cupiditate tentat. *Verum Dominus noster, atque Saluator vult quidem regnare, & omnes gentes subiectas esse iustitiæ, veritati, cæterisque virtutibus: sed vult regnare iustitia, vt nihil faciat indecorum, & non vult absque labore subiectus diabolo coronari.* Huc conueniant, qui viliſsimarum subiectionum cõpendio, absque digno labore ambiunt honores,

Luc. 4. Origen.

res,

res,& prẽmi, quæ ſolis ſtrenue pugnantibus debent parari. Indecorum eſt, & turpe nobili athletæ, quod tali compendio ſibi velit honores. Id quod elegãti ſtylo docebat D. Ennodius orat. in Epiſcop. incipientem ait. *Illa ſunt vera præconia, quæ longus ſudor elicuit, blandimentum eſt non iudicium, quoties laborem gloria ingeſta præceſſerit; inter maculas numerat, quoſcumq; triumphos ante diſcuſſionem campi miles acquirit.* Itaque non honor, ſed macula eſt, qui ante laboris, operũmque commendationem obtinetur. Nec ſolum honor obtentus ante pugnam maculat poſſeſſores, ſed & illis eſt maxime detrimentoſus: adeò vt inde putet ortam generis humani ruinam. D. Leo. ſer. de Natiuit. 4. quippè de Adamo verba faciẽs, ait. *Quia repoſitum honoris aumentum occupare maluit, quam mereri, non ſolum ille homo, ſed vniuerſa poſteritas eius audiuit; terra es, & in terram ibis.* Sic ex notiſsima ruina hominis, metuant omnes ſibi cauere à bonis obtinendis abſque vllius puluere prælij.

D. Ennod.

Leo.

§. VII.

Ignorantia humana nihil ſibi glorioſum ſciuit parare.

SAEPE vides in Petro, quãm in gloria ſint, quæ nouit parare ignorantia humana. Eo tendit in Tabor, vt vltra tria tabernacula in deſerto peracta nihil amplius requireret; modo dum fugam à morte ſuadeat, nil æſtimat mundi remedium, cœleſtium reparationem nihili facit. Sic ſic deſipiunt, qui ad diuina obcæcantur, cæciſq; ignorantiæ humanæ oculis omnia volunt trutinare: nihil vnquam ſplendidum, nihil verè glorioſum meditantur. Stet pro mille vnus Samſon, qui Iudic. 13. ex ore leonis fauum mellis elicuit, verum c. 15. poſt mille trucidatos hoſtes ex aſini maxilla aquã Dei virtute acquiſiuit. Equidem leonis os dulciſsimas eſcas parturit; ſed ab aſini ore, hoc eſt ab humana ſapientia, ſiue ſtultitia, quid aliud præter aquam expectes? Eleganter cõcinebat Prudentius in Enchyridio:

Prudẽtius.

Ab ore leonis
Mella fluunt; maxilla aſini fontem vomit vltro.
Stultitia exundat lymphis: dulcedine virtus.

Si quæ virtutis ſunt, ſapias, dulciſsimos colliges fructus, ſplendenti gloria ornaberis; ſi terrenam mentem habueris, & inſtar mundi ſapientũ ſtulteſcas, nil præter aquas, id eſt, viliſsima, & vltro oblata bona meditaberis. Nõ multum abeſt Prouerb. 14. vbi ſic: *Poſſidebunt paruuli ſtultitiam: & expectabunt aſtuti ſcientiam.* Vel ex Hebræo: *Coronabunt ſe ſcientia.* Coronæ ſplendorem, & gloriam vnus nouit expectare, qui ſapit ea, quæ Dei ſunt: verũ paruuli ſenſu, hoc eſt, qui præter vilia, & vltro oblata nihil norunt, hi coronas, & glorias neſciunt, ſola ſua ſtultitia contenti, qua præſentia bona æſtimant præ futuris. Accipe modo quid de his paruulis, & mundi ſtultis ſentiat Hugo in hæc verba. *Sapientes huius mũdi, ideo paruuli appellãtur à ſanctis, quia quaſi parnuli pueri abecedarij, ſeu elementarij in libro vniuerſi pulchritudinem creaturarum, quæ ſunt litera huius libri, admirantur, & ſtupent: ſenſum autem earum ſcilicet Dei potentiam, ſapientiam bonitatem, & alia attributa omnino non capiunt.* Quæ ſe ſe vltro offerunt oculis bona hæc tẽporalia, & viſibilia literæ ſunt, & caracteres, qui enarrant Dei glorias immortales: ſapientia ſiue ſtultitia mundi nil glorioſum meditatur, nil ſublime percipit, ſed inſtar paruuli pictis literis hæret, & vltra hæc viſibilia neſcit gradum facere. Vndè loquens ſpiritus diuinus Sapient. 7. de ſapientia mundiali prudentiſsimè illam inter vilitates arenarum cõſtituit, vt quæ nihil ſapiat non terrenum. Ait enim: *Omne aurum in comparatione illius arenæ eſt exiguã, & tanquam lutum æſtimatur argẽtum.* Quem locum tractat Orig. tom. 19. in Ioannem ſumens aurum pro ſapientia huius mundi, argentum pro eloquentia; quarum vtraque lutum, & arenam non excedit, ſed ſemper ibi ſepulta iacet, nec quid glorioſum, aut ſplendidum pertingere valet. Id quod ipſe Origen. confirmat in epiſt. ad Rom. lib. 4. capit. 5. aiens. *Humana verò ſapientia non poteſt ſcire, & intelligere Dominum, neque agnoſcere iudicia, & miſericordiam, & iuſtitiam eius, quã fecit ſuper terram.* Vbi aliquid diuinum tractatur, vel pertinens ad ſolicitandam Dei miſericordiam, vel iuſtitiam, ſtultiſsimum eſt ſuffragium carnalis ſapientiæ.

Hugo.

Sap. 7.

Orig.

§. VIII.

Væ qui auertunt homines à virtutum ſequela, celeri vindicta afficientur.

PETRVS ille Deo chariſsimus, familiariſſimus, primus diuinitatis Ieſu præco, qui beati agnomen ab ipſo Dei ore accepit, mox vbi licet ignorãter curanit Ieſum ab ſtadio paſſionis reuocare: vt Sathanas à conſpectu Ieſu repellitur. Quis iam audeat aliquẽ licet bono prætextu ab ſtadio virtutis auertere? Sanè falſor ſi ob aliud ſcelus citius Dei ira exardeſcat, & ad vindictam procedat. Tandẽ dimiſsi Iſraelitæ à Pharaone, vt irent ſacrificaturi Deo

vero

vero perrexerunt, vsque ad mare rubrum; ibi illos nititur reuocare Pharao; sed Deus seruis suis mare siccauit, vt viam inceptam sequerentur. Nec Pharao tanto miraculo terretur, sed intrantes per siccum mare Israelitas ipse insequitur, vt ad Ægyptum reuocet. Quid tunc? Exod. 14. Sic res narratur Exod. 14. *Reuersaque sunt aqua, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerãt mare, nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, &c.* Ecce tibi adhuc Israelitæ erant intra maris alueum, & iam atergo sentiunt Ægyptios reuertentibus aquis submergi. Cur Deus non expectauit, quod Israelitę ad littus peruenissent, vt reduceret aquas maris super Ægyptios? Quia Ægyptij nitebantur Israelitas à Dei via reuocare, & ea solum ratione, eò vsque perue nerant, sic Dei ira exarsit in illos, vt amplius morari renuerit, sed statim ante quam Israelitæ extra mare essent, ad vindictam procedere. August. August. serm. 89. de tempore, ait. *Confestim iussu diuino, impetu facto Ægyptij rapiuntur, & ruina aquarum oppressi fluctu voluente in littore proijciuntur, ante mortui Ægyptij, quam incolumes peruenirent Hebræi. Hac vindicta debebatur, vt citius periret, qui consequi denegauit salutem.* Cuperem hæc legi ab innumeris, qui nescio quibus prætextibus à Dei via curant reuocare fideles: eos præcipue fideles, quibus Deus mundiales aquas siccauit, vt ab Ægypto fugiant, & in portu religionis se recipiant. Me tuo ne eiusmodi hominibus hæc debeatur vindicta, *vt citius pereant, qui consequi denegarunt salutem*: & antequã vel filij sui, vel propinqui, vel amici incolumes in salutis portum perueniant, illi celeri præripiantur interitu, à Iesuque cum Sathana ablegentur. Id quod horrẽdo amplificat exemplo D. Hieronym. epist. ad D. Hieron. Lætam, vbi cum virgo Eustochium se se Deo vouerat, sacraratque, indigne id ferens patruus eius Hymetius, iubet vxori, vt virgunculam Christi sæculari ornatu vestiat: facit illa nihil verita. Quid tunc? Ecce Angelus Domini apparens sic minatur: *Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus ausa es, quæ iam nunc aresces, vt sentias excruciata, quid feceris: & finito mense quinto, ad inferna duceris. Sin autẽ perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui.* Sic velox designat interitus eos, qui à virtutum sequela reuocant Christi alumnos. Vn Matth. 18. dè aiebat Dominus Matth. 18. *Qui autem scãdalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quibus verbis nõ aliũd mãgis crediderim significari, quam summam ruinæ, & interitus velocitatem scandalizantibus imminentem, quę velocitas ruinæ tanta est, vt nõ sic rapiatur in præcipitium homo asinaria mola raptus, quã rapitur ille, qui à Dei seruitio retrahit alios. Et si vtriusque oneris daretur optio, eligibilior esset mola asinaria ei, qui morosum præcipitium desiderat, quàm vel minima petra scandali posita alijs. Hinc est, quod ostendens textus sacer festinatissimam ruinam familiæ Eli, hanc vnam in illa peccatorum circunstantiam exaggerat, 1. Reg. 1. vbi ait. *Erat ergo peccatum* 1. Reg. 2. *puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Ne mireris cum domum Eli videas festinatissima adeò volui ruina, vt vnius diei spatio, & Eli, & filij eius, & nurus rapiantur è vita, 1. Reg. cap. 1. Reg. 2. 4. erat enim peccatum eorum grande, quia retrahebant homines à sacrificio; & similia peccata velocissimus interitus designat. Sic ruũt, qui tanto se onere volunt opprimere.

§. IX.

Diuina indutus virtute facili negotio scandala à se repellit.

QVAM facili negotio Dominus sa ab scãdalo expedit, scandalique auctorem à se pellit. *Vade post me Sathana, scandalum mihi es.* Et sane scandalum erat ipse Petrus, Petrus, inquam, Ecclesiæ Christianæ fundamentum: & quando à talibus scandala proueniunt, mirum est, si omnia non peruertant. Cupis scire, quam nociua sunt Prælatorum scandala? Apo Apocal. 3. calyps. 3. ad Angelum Ecclesię Sardis dicitur, quod mortuus prorsus sit, hoc est, quod peccatis, & vitijs concupiscentiæ deditus, vt maRuperti. uult Rupert. Quid tunc? Vnum tamen in hoc Prælato gratum habet Dominus, nimirum: *Sed habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinauerunt vestimenta sua.* Ecce tibi, quid æstimet Dominus in Prælato scandaloso, quod vnus, aut alter non contaminati sunt scandalo eius; & certe mirum est, & valde æstimãdum, quod vbi Prælatus scandalo est, aliqui etsi pauciss imi non simul rapiantur. Et si ergo tanta sit vis scandali à magnatibus positi, nihilominus pauca nomina, hoc est, illi qui de paruo numero, & raritate comendantur, perfecti viri, diuina virtute induti facili negotio se ab scandalis expediunt. Cum de scandalo filiorum Eli textus loquitur, 1. Reg. 1. Reg. 2. 2. ait. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant*

Ecc homi-

homines à sacrificio Expende, qui rapiebantur scandalo, qui retrahebantur à sacrificio, nimirum, *homines*, hoc est infirmi, & nihil diuini roboris in se præferentes; quos enim Dei robur confirmat, facile à se scandala dimittunt,

D. Gregor. D. Greg. ibi, lib. 2. ait. *Detrahebant quippe à sacrificio homines: quia ad confessionem rectæ fidei progredi infirmorum corda prohibebant. Et notandum, quia qui retrahuntur à sacrificio, homines dicuntur: quia si in vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret.* Equidem qui diuinitatis robur in se prę habent, non sic rapiuntur pessimis aliorum, siue persuasionibus, siue exemplis: infirmi homines, & pusilli sunt, quos scandala perdunt.

Matth. 18. Matth. 18. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis:* quasi solis pusillis debeant scan-

Origen. dala timeri. Vndè Orig. tract. 5. In omni credentium multitudine sunt quidam nuper cõuersi, vt fiant sicut paruuli: non autem sunt facti: *hi pusilli habentur in Christo, & sunt scandali receptores.* Itaque scandali vis aduersus solos infirmos, & pusillos potest, non aduersus illos, qui dij dicũtur, & filij excelsi. Vide mo-

Psalm. 49. do discrimen, Psalm. 49. assignatum: *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Aliter aduersus fratrem, & aliter aduersus filium matris suæ, huic scandalum ponit; illi non audet, sed verbis illũ corrodit. Quippe frater est iã virili ætate perfectus secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi, aduersus hunc nihil valent scandala: filius matris est adeò paruulus, vt nondum ab vberibus sit matris separatus, huic ponuntur scandala, & aduersus hũc præualent scandala. Id quod late differens Au-

Augustin. gust. sic finit. *Sedebant, & aduersus fratrem suũ detrahebant, & aduersus lactandum illum filiũ matris suæ ponebant scandalis:* quasi scandala solum noceant lactentibus, illaque facile depellant, qui diuini patris vigore concreuerint.

CAPT OCTAVVM.

De Iesu morte, & filiorum Zebedæi.

SÆPE alias Iesus passionis suæ circunstantias discipulis prænumerat, sed cũ iam tempus instaret, & vltimum Pascha propinquum fieret, dum Ierosolymam petit, quæ ibi passurus est singillatim prædicit. Quid tunc discipuli? Sanè vt Marcus notat, omnes timebant sibi ab imminentibus magistri mortis periculis, & eo magis illi timebant, quo Iesus alacrior, & lætior Ierosolymam ibat. Sed & duo discipuli Ioannes, & Iacobus interea Christiani regni primas, sibi meditantur acquirere. Minus verè dixi, quod id discipuli meditarentur, verius credideram maternæ solius curæ pro filijs fuisse, quod tunc Iesum conueniret. Equidem mater negotiatur pro filijs, filij autem animose pretium sanguinis spondent, dum Christiani throni compartici pes fiant. Hæc illi animose spondent, Iesus autem innuit cõcedens, quod mortem subeant; remunerationem autem regni Patri datum remittit.

Matt. 20. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

§. I.

Summa Iesu laus in amplectenda morte sibi manifestissima.

IEROSOLYMAM ibat Iesus ibi moritũrus, & crudelissima morte damnandus, & nihilominus sic alacer, & festinus ibat, vt iuxta Marci notatum præiret omnibus discipulis suis. Vndè tanta alacritas, & festinatio in viâ, cuius finis cruentissimus erat interitus? An funestissimæ mortis amaritudo latebat illum? Absit: immò ab ipso cõceptionis momẽto ob oculos habebat vniuersa dolorum suorum, & momenta, & fomenta, quæ nullatenus eius alacritatem minuere potuerunt, nec retardare cursum. De Sole id canebat Psalm. 103. *Sol cognouit occasum suum*: Solent equidẽ *Psalm. 103* fortissimi, & constantissimi quique imminentis interitus conspectu affici, immutari: non sic Sol, sed eadem luminũ coma rutilans, eodem aureo vultu nitens ad interitum currit, cùm nihil prius ab ipso ortu suo, quam suum occasum videat. Vt dicat D. Ambros. lib. *Ambr.* 4. Examer. c. 2. *Cum enim dies horas suas complere cæperit, Sol debitum sibi cognoscit occasum.* Nè putes Solis pulchritudinem, & alacritatem in cursu inde oriri, quia nesciat finem, quin potius sic pulcher est, sic alacer currit cum

cùm ab ipso primo lucis ortu, occasum, & interitum prospiciat. Id quod pulchrè notabat D. Zeno, serm. de Resurrect. vbi inquit: *Sol quotidie nascitur, eadem die qua nascitur moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, suos vt repigret cursus, vt horas, aut momenta producat, vt saltem paulò diutius diei sui demoretur in vita: sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit.* Quis etsi fortissimus instantis finis sorte visa non pigritaret, vt iret? Quis, si posset finem aliquādiu remouere, non produceret horas, non diei terminos longiores efficeret? Et minime id Sol facit, sed intrepidus currit ad notum sibi finem, in quo non solis materialis, sed veri solis iustitiæ grandis laudatio exprimitur. Equidem vidit diuinus hic sol occasum suum, vidit horribilissimũ interitum, quem etiam diuina caro expauescere, & non terretur, suos vt repigret cursus, vt horas, aut momenta producat, sed alacer, & festinus Ierosolymam ascendit, ascensurus ibi crucem. Pugnaturus Saul cum Philistæis, 1. Reg. cap. 28. cupiens euentum belli scire Phythonissam consuluit, & hoc responsum accepit siue à Samuele, siue à Samuelis spectro; *Cras autem tu & filij tui mecum eritis, sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistim.* Quid tunc Saul, an certæ mortis responso accepto, pugnam distulit? pigritauit conflictus? inducias petijt? Nihil horum fecit, sed ab oraculo certus de interitu certamen inijt: ex quo suum regem maximè extollit Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 15. inquiens. *Quid magni est communem Martis aleam subire inter spem, ac metum fluctuando, si fortuna affulserit, fauore eius vti? Contra nihil lætum sperantem, & præscium, quod necessum sit in pugna cadere, intrepide tamen, & imperculso animo, fato minanti occurrere, id verò generosi, & fortis viri facinus esse credo. Hæc est Sauli nostri laus.* Sed longè sapientius Iudæus homo veri regis sui Iesu inde laudem, & summam gloriam perquireret: quod ad passionis duellum præscius veniret: quod prægnoscens, immò prædicens vniuersa suorum tormentorum momenta, nihilominus illis intrepide, & imperculso animo occurrerit.

D. Zen.

1. Reg. 28.

Ioseph.

§. II.

Qui nusquam deiectiones, sed ascensiones meditetur in corde suo, ad se faciet vltro descendere cœli altissima.

AVDIO Iesum ascendentem Ierosolymam, & alibi audio Ierosolymam descendentem: *Ecce, ait, ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur:* sed & in Apocalyps. cap. 21. dicitur: *Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo, &c.* Quorsum ille ascensus, & hic descensus? Ad quid ascendamus Ierosolymam, quando Ierosolyma ea est, quæ magis ad nos descendet? Sed non descendet ad nos, nisi prius viderit ascendentes: qui enim in hac lacrymarum valle, nihil non humile, deiectum, & humi serpens meditari nouit, non ad se videbit Ierosolymam descendentem; at vbi quis inter has miseriarum, & tribulationum valles ad superiora ascenderit, fallar nisi ad se occisissime faciat totam cœlestem Ierosolymam descendere. Ideo sapienter monet Ambros. lib. 3. de virginit. aiens. *Ascendamus ergo spiritu, quia caro ascendere ad eam non potest. Ascendamus nos interim ad cælum, vt ad nos postea de cœlo illa descendat:* Ascendendum nobis in primis est, & ab humi deiectis rebus leuare mentem debemus ad superiora; & exinde quidquid altum, quidquid sublime est, occisissime ad nos descendere festinabit. Ecce tibi 1. Reg. 14. Ionathas, cum post occisos hostes pene defecisset; *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manũ suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* In fauo venit illi virtus ex alto, sed non venit, nisi prius summitas virgę fuerit applicata; sic vbi ad altiora te erexeris, venturi boni dulcedinem præuenientem gustabis. Quò respiciebat Cellens. Abb. lib. 3. epist. 2. aiens: *Inueni, qui in agone fideliter, viriliterque decertat, in virgæ videlicet iustitiæ summitate futuram dulcedinem prægustare.* Pugnæ sufficiunt ad coronam obtinendam, sed vt coronæ gustus præueniat nos, & festinet ad nos descendere, non sufficit, quod pugnes, sed necessum est præterea aliquam prætendere sublimitatem, vt offensa in te sublimitate, te dulcedines, & virtutes præueniant ex alto. Felix Zachæus miro desiderio afficiebatur videndi Iesum Luc. 19. *Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum.* Vbi ascendit ille arborem, sic celeres ad illum descenderũt oculi diuini, vt priùs ipse videretur, quam videret. Id notans Theophyl. ait: *Cum ascendisset in arborem, priusquã videret, prius ipse spectatur à Iesu. Sic igitur omnibus locis præuenit nos Dominus, tantum vt nos alacres, & promptos videat.* Vnum hoc expectant diuina bona, vt profusè ad nos descendãt, nimirũ, vt ascẽsus meditemur ab humi deiectis rebus. Sic de se ipso testatur Ion. c. 2. *Clamaui de tribulatione mea ad Dñm, & exaudiuit me, de vẽtre inferi clamaui, & exaudisti vocẽ meã.* In Ceti erat vẽtre, & se iã exauditũ à Deo miratur, immò ibi eius dulcedine præuentus: *Proiecisti me in profundũ*

Apoc. 21.

D. Ambr.

1. Reg. 14.

Cellens.

Luc. 19.

Theoph.

Ion. 2.

in corde maris, & flumẽ circũdedit me. Quid eſt illud, & flumen circũdedit me? Id explicabat Iſaias, cap. 66. vbi ſic: *Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis.* Itaque à Deo deſcendit, & declinatus eſt ſuper Ionam fluuius pacis; ſed ſcire cupis, quid fecerit fluuium, & affluentiam bonorum declinare ſuper Ionam, nonne ipſe tunc per mare per terras fugitiuus erat? Vndè ergo fugitiuus homo, ſic potuit placere Deo, vt ad illum profuſiſsime cœleſtia dona deſcenderent? D. Ambroſ. in hac Ionæ fuga meditatur fugam à ſeculo, qua virtutum ſtudioſi humi repentibus rebus ſe eripiunt, & ad cœleſtia aſcendũt; in quo autem hic aſcenſus oſtenditur, non mirum, quod ſtatim profuſiſsime ad illum cœleſtia dona deſcendant. Sic Ambroſ. lib. de Fuga ſæcul. cap. 4. ait: *Audeo dicere: ſic fugit Ionas in Tharſis, non corporis fuga, ſed mentis aſcenſione, qui vſque ad Chriſti aſcendit ſimilitudinem. Nam ſi ſic non fugiſſet, nũquam de ventre Ceti fuiſſet auditus.* Reſpice in illa Ionæ fuga exteriori, & culpabili vmbrã fugæ, qua ſe ſe filij Dei rebus terrenis educũt, & mentis aſcenſione Chriſto ſe ſe cõformãt, vbi hic aſcenſus Ieſu, vel eius ſimilitudo, vel vmbra cernitur, fluuij pacis declinãtur à Deo, hoc eſt, largiſsime, & profuſiſsime cœleſtia dona deſcendunt. Exod. 17. dicitur: *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*; quaſi hoc vno illice trahatur cœleſtis victoria, ſi nos deiectis rebus eripiamus; & ſublimibus applicemus. Vndè Auguſtin. ſerm. 93 de tẽpor. monet. *Si ergo talia ſint opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Dei leuare, potes etiam & tu in te ipſo aduerſarios tuos extinguere.* Non dubites de cœleſti auxilio, qui aſcenſiones meditaris in corde tuo.

Iſai. 66. D. Ambr. Exod. 17. Aug.

§. III.

Qui à mundialibus, vel paululum aſcendit, facili negotio aſpera quæque amplectitur.

ASCENDIT Ieſus Ieroſolymãm, vbi trãdetur, & crucifigetur; nec exhorret paſſionis aſpera, ſed magis labores, lacrymas, pœnas amplectitur, qui ab his mũdialibus nouit vel paulum aſcendere. Pſalm. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxiliũ abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. In valle lacrymarum, in loco quem poſuit.* Ecce tibi vbi aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, quid deinde arripiat, nimirum lacrymas, luctus, dolores, ait enim, *in valle lacrymarum*; quaſi aſcendentes ab his mũdialibus, nihil lubentius accipiant quam lacrymas; in nullo gratius ſint, quam in dolore. Pulchrè Theodoretus, ait: *Qui aſcenſiones in corde ſuo admiſit: non riſui, delicijſque, ſed luctui, & lacrymis ſe ipſum dat, ex hoc corpore liberari cupiens.* Et quidem qui ad altiora aſcendit, non miror ſi hæc infima deſpiciat bona, & nõ multum exhorreat, immò magis amplexatur aduerſa. Etenim quæ apparent minima bona, facile contemnuntur à viris; & vtilia mala, quæ etiam minima apparent, auide procurari ſolent: qui autem ab his mundialibus aſcendit, ſi pauliſper in altis conſiſtit, neceſſe eſt, vt terrena, & infima minima reputet, ſiue proſpera, ſi bi aduerſa, vnde illa contemnet, hæc libenter tenebit. Iſaias cap. 33. *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Expende illud: *cernent terram de longè*, quibus & contemptus terrenarum proſperitatum, & aduerſitatum innuitur: quippe vtraque minima videbuntur homini parum eleuato à terrenis, proinde neceſſum eſt, quod minimæ proſperitates abijciantur ab illo, & quod minimas aduerſitates ſibi vtiles amplecti velit. Ad hæc D. Bernard. de Aſcenſ. Dom. ſerm. 4. inquit. *Non ſolum ſuper te, ſed ſuper omnem mundum faſtigio mentis colloceris, vniuerſa, quæ in terris ſunt deorſum aſpiciens, ſicut ſcriptum eſt, Cernent terram de longè. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ aduerſitates deijciant. Abſit tibi gloriari, niſi in cruce Domini: vt quæ mundus appetit, crucem reputes, & illis, quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.* Sic reſpicit res mundiales, qui ſe ſe leuat, & alto mentis faſtigio ſublimatur, vt nullas delicias non abijciat; nullis aſperitatibus non inhæreat. Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Ecce tibi, vt bene notat Gillebert. ſerm. 15. in Cant. ex quo ſponſa aſcendit, ex quo mentis faſtigio ſeſe ſupra mundialia erigit, mundum deſertum reputat, nihil videt in illo iocunditatis, voluptatis: in ſe autem ſolum oſtendit fumi virgulam, hoc eſt diſciplinam lacrymarum, myrrhę & pigmentarij pulueris odorem, hoc eſt, mortificationem, & crebram cordis contritionem. Hæc ſolum amat, hæc amplectitur, qui nouit aſcenſiones in corde ſuo meditari: Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioãnẽ fratrẽ eius, & ducit illos in mõtẽ excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Sed ſcire cupis, quæ fuerint Ieſu ſupra hunc mõtẽ poſito familiaria? Quid ibi adduxit Dñs de rebus omnibus mũdialibus? Luc. 9. rẽ attigit ſatis:

Pſalm. 83. Theodor. Iſai. 33. D. Bernar. Cant. 3. Gillebert. Matth. 17.

dice-

dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Et quidem qui sic prius super mortem ascenderat, nihil aliud sibi proponi siuit ex rebus mundialibus, nisi passionis suæ stadium. Vndè dicebat Bernard. serm. 4. de Bernard. Ascens. *Vt quid enim ascendit, vt transfiguraretur, nisi vt doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Felix, cuius meditatio in conspectu Domini est semper. Quid enim graue illi poterit videri, qui mente tractat, quod non sunt condigna passionis huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in hoc sæculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terra viuentium?* Fallar si mundialia bona non respuat, si lacrymas, mortem, crucem, & tormenta non amplexatur, quisquis hunc mentis verticem ascenderit, quisquis illa non in his imis, sed in altis habitans respexerit. Mihi credat, quisquis sapere cupit, & quidquid mundiale est, non in mundo intueatur, sed supra mundum, & nihil inueniet sibi vtilius quam fletus, quam lacrymæ, quam tormenta. Dò similе in Tobiæ Tobiæ 6. cap. 6. vbi dum Tobias iunior cum Angelo pergeret, & in littore fluminis subsideret: *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine, adiuuame. Et dixit ei Angelus: Apprehende brachium eius, & trahe eum ad te quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cepit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: Exenterа hunc piscem, & cor eius, & fel, & tecum repone tibi.* Sic prorsus mundi aduersa, quæ extimescimus, extrahenda sunt in siccũ, hoc est, extra mundiales fluxus considerанda, in superiori statu; quod si ita feceris, & illa extraxeris ad littus, & euisceraueris, fallar si de omnibus mundi bonis, siue malis aliud tibi reposueris, quam fel, quam amarorem lacrymarum. Quid reponit sibi Tobias de illo pisce, nonne fel? Ita similiter, qui in superiori statu mundialia siue prospera, siue aduersa cõsideras, amaritudines solas, vt tibi vtiliores asPsalm. 136 seruabis. Quò respiciebat Psalm. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus;* quasi necessum sit, quod vbi quis paulum super mũdiales fluxus ascendat, nihil citius dum hic sedet, eligat, quam flere, lacrymari.

§. IIII.

Christi Domini sectatores semper in altis sint.

ILLE sibi potest persuadere, quòd sit verus discipulus Iesu, quod Iesu spiritu viuat, qui nouerit nunquam non ascendere, non in altis considere. Non enim otiosè dicebat Iesus: *Ecce ascendimus Ierosolymam*, sed vt ostenderet suos sequaces non inter deiectos esse, sed in altis habitare, & excelsis, Ioann. 6. post montis Ioann. 6. ascensum dicitur: *Cum sublenasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eũ dicit, &c.* Quibus illud valde notandum est, quod supra mõtem positus Dominus adhuc dicatur sublenasse oculos, vt videat ad se venientes. Sanè oculi leuantur, vt quæ in altis sunt, videantur, qualiter ergo ad videndos venientes ad se Iesus sublenaret oculos, nisi vt ostenderet, quam sint in altis, & excelsis, qui Iesum secuntur. Orig. in Ioann. tom. 28. *Nunc* Orig. *autem cum sustulisset oculos suos sursum, dixit: à primo nempe didicimus discipulos suos inferne nõ esse, quam ab eo sæpe eleuantur magistri oculi in eos.* Quis non in altis habitet vbi cæperit ire post Iesum? Immò crediderim hoc esse ire post Iesum, nimirum infima hæc & virulenta transire, calcare; & in excelsis verticibus gressus figere, inhabitare. fideli enim homini celsissima ad inhabitandum debentur culmina, Psalm. 17. *Qui perfecit pedes meos, tanquã* Psalm. 17. *cernorum, & super excelsa statuens me.* Duo hæc signa inuenienda sunt in eis, qui Christiano feruntur spiritu, primum quod habeant pedes perfectos, quasi ceruorũ, hoc est, quod humi serpentia, & virulenta facile, & celeriter calcent; deinde quod in excelsis gressus figãt; in huius mundi amænis, & planis habeat Christianus ceruorum pedes, quibus pertranseat velocissimus, verum in excelsis cœlorum ibi sedem figat, quasi in proprio domicilio. Sed scire cupis, cur pedes dantur ceruorum in mundi planis, at in excelsis non ceruorum pedes, sed status fixus, immobilis sedes offertur, ait enim: *& super excelsa statuens me?* Sanè habet hoc per Christum fidelis anima, vt excelsa cœlorum sibi vt propria asserat domicilia, in quibus solis appareat subsistens. Ita Euseb. in Caten. Græca, fa- Euseb. tur. *Etsi alij nos trahere, & in abrupta, & profunda vitiorum deprimere, obuenire quærant; Deus tamen noster, certaminis præses, docet nos ad cursum celeres esse, & illius gratia ad summa, & excelsa nobis consentanea impellit. Consentanea dico: quoniam anima secundum naturam cælestе domicilium, & excelsa, quæ illic sunt, non vt à se aliena, sed vt propria habet.* Itaque anima quæuis tracta, & impulsa à Christo Iesu non sinitur morari in infimis, sed hæc velocissimo cursu cogitur calcare, & pertransire coactu quodam voluntario; at in excelsis, & sublimibus verticibus cœlorum, ibi tanquam in proprijs, & consentaneis sibi locis moratur, & cõsistit. Inde mulier illa felix, quæ habebat in vtero, & clamabat parturiens Apoc. 12. non Apoc. 12.

in terris, sed in summis cœlorum visa est, ait enim: *Signum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, &c.* Vbi namque Christum in se conceperat gens fidelis, alibi quam in cœlorũ summis non poterat consistere. Quo respicit Tertull. Tertull. in Apolog. cap. 1. inquiens. *Nihil gens Christiana de causa deprecatur, quia neque de conditione miratur: scit se peregrinam in terris agere: inter extraneos facile inimicos inuenire. Cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere.* Quidquid infimum est, quidquid infra cœlum est, extraneum est, alienum est gẽti, quæ de Christi conceptu gaudet, ideo ab his velocissima se eripit fuga, quasi qui inter inimica versetur: verum super excelsa, & sublimia, & cœlestia ibi statuitur, & sedem figit, quasi in consentaneo domicilio. Propterea apud Isaiam, cap. 3. dicit Dominus. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, & gentium congregatarum.* Quibus verbis D. Basil. agnoscit vocationem gentium ad fidem Christi, vt barbara, & immanis gens verbi gladio trucidans mundiales voluptates, fieret gens sancta, regale sacerdotiũ, populus acquisitionis. Sed expende modo verba: Deus mandatum suum, siue fidei Christianę vocationem mittit, & quid tunc? *Vox multitudinis in montibus, &c.* vix Christianam vocationem accipiunt, & ecce vniuersi apparent in montibus, in excelsis verticibus constituti, Christi enim gratia nunquam in alta, & excelsa impellit suos, tanquam in propria domicilia.

Isai. 13. Basil.

§. V.

Iudex extraneus seuerior esse solet in subditos.

MIRABERIS, quod principes Iudæorũ penes quos erat etiam ius gladij in suos ciues, maluerint Iesu causam à se ablegare, & illum externo iudici tradere, nimirum, Pilato gentili. An id fecerunt, ne viderentur ipsi condemnare Iesum? Minime: quandoquidem, vt ait præsens textus, principes Iudæorum condẽnarunt Iesum morte, & post mortis sententiam à se latam, illum tradunt extraneo iudici. Cur ergo Iesum tradunt extraneo iudici? Sanè crudelissimi homines metuebant in se ipsis naturę vim, ne in ciuem suum, & fratrem suum cogerentur esse leniores, & ideo illum iudici gentili, & extraneo tradunt, vt qui rarò sciant non crudeliores existere in sibi subditos. Sapienter D. Leo, serm. 3. de Pass. ait. *Tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini; vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis, vt clamoribus improbis, trepido cognitore superato interfectorem hominem eligeretis ad veniam, & Saluatorem mundi peteretis ad pœnam.* Supponit sanctus vir habuisse Iudæos etiam de gente sua iudices, qui causis mortis præsiderent, vt similiter habebant sub Babylonio, Dan. 13. Verum in Iesu causa nõ expectant naturalis iudicis sententiam, sed ad extraneum confugiunt; existimantes quod etiam in rabidissimis Iudæorum cordibus posset natura lenitudinem aliquam inspirare erga conciuem suum. Metuunt ab eiusdem gentis iudice posse frangi, & extenuari conceptũ furorem, & ideo naturali relicto ad extraneũ confugiunt, à quo nihil non feritatis in subditum posset sperari. Equidem extraneos iudices non infrequenter solent comitari Reipub. extrema excidia. Luc. ca. 2. aiebat: *Fuit in diebus Herodis regis Iuda sacerdos, &c.* Ad quæ verba miserũ sub illo rege Iudæorũ statũ notans Chrysol. ser. 86. sic pergit. *Vsque ad Herodem Iudaicæ gentis sacerdotalis sanctitas, semum grauitas præsidebat: ius erat lex diuina. Sed Herodes veniens ex gente aliena inuasit regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, tribus miscuit, deleuit ſtemata, corrupit genus, tulit, quidquid erat diuinæ, & humanæ fanditus disciplinæ.* Hæc solent facere alieniginæ, & extranei iudices, cum clauum tenent: propter quod pulcherrimo exemplo monebat D. Synesius, lib. de Regno, principẽ suum, ne permitteret, vt in sua ciuitate extranei, & alienigenæ rerum potirentur. *Neque à Pastore, inquit, inter canes lupi collocandi sunt, & si catuli olim sublati cicurati esse videantur, alioquin male illis gregem crediderit: vbi enim in canibus aliquam imbecillitatem, aut ignauiam esse senserint, statim in illos, & gregem, & pastorem desaeuient. Neque à legislatore danda arma sunt his, qui in ipsius legibus nati, aut instituti nõ fuerint. Non enim ab eiusdem hominibus vllum habent beneuolentiæ pignus.* Equidem quando secure liceat pastoribus inter canes constituere lupos, etsi cicures, & canum lacte nutritos; tunc licebit principibus, absque timore inter suos iudices ponere extraneum, & alienigenã. Ausim dicere: ex humanis rebus sola natura est, quæ docet manſuete, & tranquille imperare in subditos. Ex quo lucem accipit quæstio à me aliquãdiu exagitata, nimirum, cur Moyses ante legẽ scriptam, præposuerit Genesim, quo omnium rerum auctor Deus introducitur? Sanè id factum est, vt legis imperium nõ ab alieno, & extraneo crederetur, sed ab ipsissimo naturæ auctore, & gubernatore. Id quod

Leo. Daniel. 13. Luc. 2. D. Syneſ.

doce-

D. Seuer. docebat D. Seuerianus in Cat. Græc. inquiẽs: *Duo sibi præcipua Moyses proposuit, & fabricam mundi exponere, & legem promulgare: ac primũ quidem Deum voluit ostendere totius naturæ conditorem, & Dominum, vt suis legem ferre, non alienis iure videretur.* Sic cauebatur ne ipse Deus alienigena, & extraneus, sed naturalis Dominus videretur eorum, quibus volebat legem dare. Quo circa dicebat Tertull. lib. de Resurr. car. *Interim talis est noster merito iudex, quia Dominus: merito Dominus quia author.* Felices homines, quorum author, & naturalis Dominus simul, & iudex illorum est. Inde nõ cessat Bern. gratias Deo agere, eò quod Angelus non acceperit hominum principatum. Quippe multorum fuit Patrum sententia hominum principatum ambitum fuisse ab Angelo ex illis Isaiæ. 14. *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis,* Sed non tulit Deus homines subdere superbissimo huic alienigenæ, sed maluit ipse naturalis Dominus creaturarum suarum regnum accipere. Pro quo Bernard. serm. 17. in Cant. *Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis: quo altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam: ita & ipse altus sederet, regeretque genus humanum. Absit: iniquitatẽ meditatus est in cubili suo. Mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus iudicem, quam auctorem.* Quasi inde Bernard. excluserit, & abiurauerit omnem alienigenam, & extraneum iudicem: & tunc solum cum hominibus bene actum esset putarit, cum sub naturali gubernantur iudice.

Tertull.

Isai. 14.

Bernar.

§. VI.

Cui sese perfectissime conformat Christi passioni celerrima debetur resurrectio.

ECCE tibi innumera pene lacrymarum, & dolorum Christi semina, quam cita consequatur resurrectionis seges: etenim ait, *& tertia die resurget.* Post tot Christi vulnera, & passiones non potuit non citissima venire resurrectionis gloria. Et quidem vbicumque apparuerint exantlati Christi labores, fallar nisi etiam resurgentis gloria ibi festinarit. Vnum enim est quod in nobis Christi glorias retardat, & facit morose appropinquare, nimirũ, quod passioni eius non penitus conformamur. Sed age videamus quam se conformauit patienti Iesu expresissima eius figura Isaac. Pleni sunt sanctorum libri hac Isaaci figura; quod vt Dei filius fiat à patre hostia, quod humeris suis sacrificij portet ligna, quod montem onustus ligno ascendat, quod super lignorum struem sistatur sacrificandus, quod sese paterno ictui aptet. Quid plura? Non permisit Deus vt Isaac feriretur, & interimeretur, vt Iesus interẽptus est; sed cur nõ permisit Deus, vt Isaac feriretur, & interimeretur, vt Iesus interemptus est? sed cur non permisit Deus Isaac interfici, an ne teneretur etiam eius resurrectionem accelerare? Equidem adeò exprimebat in se passionem Iesu Isaac, vt nisi mors illi abfuisset, & festinatissima illi resurrectio deberet immitti, sed qui festinatam resurrectionem filio suo reseruabat Deus, Isaacum non sinit in mortem cadere. Accipite D. Prosperum. 1. parte de Promis. cap. 27. fantem: *Diem passionis filij Dei in suo filio figuratum vidit Abraham, quod velut ad aram crucis triduo conuolauit, quod patiens, ac siue voce coram tondente se filius patri, vt percuteret, colla præbuit, quod se ligno, quod portauerat ipse, suspendi Isaac non reluctatus est: quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei reseruata est.* Sic festinat resurrectionis gloria ad eos, qui perfectissime sese dedunt passioni Christi subeundæ, vt quasi nullo alio posset retardari resurrectio, nisi mors posset impediri: adeò vt non impedita morte, nec resurrectione quiret impediri. Similiter de Dauid loquitur Aug. Prosperi magister; Dauid enim passionis Dominicæ expressa fuit figura in laboribus, & persecutionibus suis, & nihilominus iã iam pene perimendus ab hoste, à mortis periculo sæpe eripitur: cur â mortis eripitur periculo? Augustin. in Psalm. 51. enarratione, ait: *Non est autem occisus, sicut neque Isaac, cum & ipse passionẽ Domini figuraret. Nec enim occidi oportuit eos, quos tũc resurgere nõ oportebat, sed eorũ vitã à mortis periculo liberari. Quia verò Dño seruabatur resurrectio.* Adeò assueta venit resurrectionis gloria Christianę perfectæ passioni, vt nisi mors suspendatur, videatur non posse suspendi, & illa gloria. Hinc est quod Sol in die resurrectionis plus solito oriri festinauerit, iuxta D. Chrysol. notissimum assertum. Quia enim cũ Christo occubuit, nulla lege potuit teneri quominus properatissimam etiam Christi resurgentis gloriam exciperet. Id quod asserit D. Anast. Synaita lib. 4. Exam. inquiens: *Sol tanquam verus Christi typus, simul cum Christo eius miscerescens, est passus; & cum defecisset impolluta eius anima ex corpore; simul etiam defecit Sol ex cælesti suo corpore; & cum Christus subijsset inferos, simul etiam cum eo Sol subijt nocte aduentante. Vnde etiam Christo exoriente, & surgente à mortuis mane vna Sabbatorum, vnà cũ eo oritur, etiam Sol à terra faciens diem.* Non

D. Prosp.

Psalm. 51.

Anast. Sy.

amplius morabuntur Christi gloriæ ad te venire, quam tu moratus fueris ad eius passionē perfectissimam, & exactissimam imitationem ire. Quo refero D. Francisci in corruptiuilitatem, & immarcescibilitatem à Pontifice maximo, & alijs visam vt refert noster Riuadeneiro in eius vita. Sicut enim sanctissimus hic vir omnium perfectissime, passionem in se Christi expressit, sic omnium primus immarcescibilis regni in se perhibet signa, vt de illo, & de Iesu cadauere dicatur illud Psalm. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

D. Franc.

Matt. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo.

§. VII.

Tunc grati parentes Deo cum filios religionis, & obsequij habent comites.

SAPIENS fœmina vbi adoratura, & precatura Deum accedit, non ipsa sola accedit, sed adhibito filiorum comitatu, sciens ex eo parentes bene apud Deum audire, quod religionis, & obsequij filios ferant comites suos. Inclytam illam Machabæorum matrem ex gratia apud Deum per filiorum certamina comparata commendans Iosephus; ait. *Nō ita Luna in cœlo venusta stat cum astris, quemadmodum tu, quæ stellas septem filios ad pietatem illuminasti, gloriosa coram Deo stas.* Tunc enim parentes confidentius, & gloriosius coram Deo astant, cum filios suos vel præmittunt, vel secum afferunt. Hanc sibi gloriam, & confidentiam restitui suspirabat Iob dum orbus in sterquilinio degens, cap. 26. ait. *Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.* Septuag. in Cat. Græc. *circum autem me erant filij mei.* Fuit equidem tēpus in quo Iob omnipotentem Deum sibi familiarissimum, præsentissimū experiebatur, sed eos Dei fauores solus ibi colligebat vir sanctus? Absit, immō ait. *circum autem me erant filij mei.* Quomodo apud omnipotentem acceptus esset pater, nisi de filiorum comitatu in virtutum opere? Pulchre Nicet. ibi: *Res meas Deus visitatione sua dignabatur; multa mihi materies diuitiarum suppetebat; ipsius vero diuitias, ac nobilem sobolem virtutis materiem mihi ego met statuebam, cum, & diuitias in egentes conferrem, & liberos Dei arbitrio, ac voluntate educarem.* Prudentissime totam materiem negociandi cum Deo refert eō Iob, quod filios virtutum suarum comites curaret habere, quod numquam Deo sine filijs accederet. Nullo enim magis parentum sacrificium exornatur, quam filiorum consortio: vnde Psalm. 127. *Filij tui quasi nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ:* quasi cœlestis, viuificique sacrificij mensa non adeò gratē capiat parentes, qui sine filijs suis accedūt. Quis neget parentibus dulciores esse dapes in mundialibus conuiuijs, cum epularum consortes habent filios in circuitu? Quis parens non putet sibi fęlicissimū diē, quo vna cū filijs adest conuiuijs? Id sciens Psaltes parentes monet, in quo sit eorum felicitas, non in eo quod in conuiuio mundiali habeant filios in circuitu suo sed in mēsa, in qua pauulum ministratur diuinum, ibi summa est patris felicitas, quod habeat filios in circuitu suo Ad hæc D. Hilarius ibi inquit. *Non in conuiuij circuitu futuros ait esse filios, sed mensæ. Mensa enim Domini ex qua cibum sumimus, panis scilicet viui est, & mensa lectionū, in qua spiritualis doctrinæ cibo alimur.* In circuitu harum mensarum habeat pater filios suos, si velit placere in illis: fædum enim est patrem frequentem esse cœlesti mensæ, & filios permittere interdum comessationibus, & ebrietati, & scœnis seruire. Samuelis mater. 1. Reg. 1. rogata vt in templum adoratura iret, respondit: *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat in conspectu Domini.* Cur renuit sine filio corā Domino comparere? Chrysost. hom in præsenti hanc reddit rationem. *Non existimabat esse tutum, relicta domo ascendere in templum, quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere.* Pręclarissime dictum hoc est, quia cum certum sit, patres ex Dei dono filios habere, nūquam satis illis tutum est sine filijs in Dei conspectum venire: hoc est nunquam est tutum parentibus, non sic filios instituere, vt illos possint habere comites religionis suæ. Nec miror male audire apud Deum patres, qui cū ipsi virtutis studiosi sint, filios relinquunt in vias desideriorum suorum abire, Ezech. c. 23. hoc scelus obijcit Israelitis. *Filios suos quos genuerunt mihi obtulerunt eis* (nempe idolis) *ad deuorandum. Cumque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, vt polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.* Scelus erat maximum, & vindicta dignum, quod parentes auderent accedere ad domum Domini, & in conspectu Dei apparere nullis filijs religionem suam comitantibus, immò relictis filijs idolorum seruituti addictis. Cur modo non timeant parentes Dei templis adesse, cœlesti interesse mensæ: & filios interim relinquere, vt post idola sua abeant, Veneri, Bachoque indulgeant, ludisque

Iob. 26.

Lxx.

Nicet.

Psalm. 127

D. Hilar.

1. Reg. 1.

Chrysosto.

Ezech. 23

disque indefessam operam incumbant? Eli sacerdos erat, in Deum ipse pijssimus, & indignationem incurrit diuinam propter filios, vt inde caueant omnes, precipue qui Dei altaribus frequentiores sunt, filios non æque obstrictos habere Dei seruituti. Cum enim filij sint parentum pars maxima, reus macule apparebit in diuino conspectu parens, qui maculatos vitijs ferat filios. Quo circa aiebat D. Hier. epist. ad Letam. *Qui claudam, aut mutilã, & qualibet sorde maculatam obtulerit hostiã, reus est sacrilegij, ex Deut. 15. quanto magis qui partem corporis sui (puta filium) & illibatæ animæ puritatem regis amplexibus parat, si negligens fuerit, punietur?* Hæc est parentum cura, vt se, & dimidium animæ suæ, & partem corporis sui nimirum filios cœlestis regis amplexibus parent; cur non puniatur, qui partem maximã sui sordescere liquerit, nec diuino intuitu fecerit dignam? D. Hieron.

§. VIII.

Parentes filiis spiritualia bona prouideant, si velint à filiis in temporalibus subleuari.

NOTANTER dicitur mulier hæc petere aliquid à Iesu, vt significetur spirituale quid postulare, vt placet Chrysost. & Imperf. Chrysosto. sola enim spiritualia bona aliquid sunt, temporalia quasi nihil habentur. Ex quo discant parentes quæ bona prouidere debent filijs suis, non equidem hæc bona temporalia, quæ naturalem affectum solent perdere, & filios aduersus patres concitare: Sed spiritualia, quæ dum à parentibus procurantur filijs, & hoc lucrantur parentes, quod in temporalibus à filijs suis leuamen accipiant. Quis erga parentes suos gratior, & liberalior quam Tobias iunior? Is longum iter suscipit, in summa parentum paupertate pecuniam perquirit, & interim in cognatæ nuptias deueniens ingentes acquirit diuitias. Diues, & opulentus factus non obliuiscitur pauperrimorum parentum, & si absentium, immo vix summis socerj precibus detineri potuit paucos dies, & statim cum omni substantia properat, parentesque, & lumine, & diuitijs ditat. Sed scire cupis quibus officijs, quibus muneribus hi parentes adeo sibi deuinxerunt filium? Lege totum Tobiæ librũ & nihil datum inuenies à parentibus filio, nisi salutaria consilia, & monita, quibus spirituales thesauros posset acquirere. Hæc erant præstantissima munera, quibus pater sibi deninciebat filium cap. 4 Tobiæ 4. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cauere aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, &c.* Sic pater cœlestia, & spiritualia bona procurabat, vnde factum est, quod filius patrem ditaret terrenis. Pulchre D. August. ser. 18, de verbis Domini secũdum Matth. ait. *Filius patri porrigebat manum, vt ambularet per terrum, & pater filio, vt ambularet in cœlo.* Hoc sibi persuadeãt patres, quod nullo magis sibi deuincient filios, vt senectutis baculi existant quam si eis ad bona spiritualia per virtutum opera docuerint respicere. Non si filius à parente ditatus sit temporalibus bonis, sed si virtutis studium acceperit, parentibus infirmis, & senibus prospiciet. Noui filios, qui integram substantiam à parente viuo susceperunt; qui parenti exierunt ingratissimi, dumque ab illius ferula fugiunt, nec de eius infirmitate, nec senectute, nec indigentia nouerunt meminisse. Feliciores sane lætissent parentes, & filijs chariores si non tam inconquirendis diuicijs, quam in cõquirẽdis virtutibus, & bonis cœlestibus, pignoribus suis tẽpus insumerẽt. De coniugata femina aiebat, Paul. 1. ad Tim. c. 2. *Saluabitur autem per filiorũ generationẽ; si per manserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quod si quæras, quæ sit hæc salus ad quam mater perueniet, per filiorum generationem? D. Thom. ibi putat etiam ibi intelligi debere temporalem salutem quã filij parentibus infirmis, senibus, egentibus subministrant, sed tunc parentes hæc temporalia commoda à filijs accipiunt, quando eos filios facere, & instituere curant, qui permaneant in fide, & sanctificatione cum sobrietate. Quam sancta, & spiritualia bona sanctissimus Iacob filijs suis procurabat, inde claret, quia in eius delicijs erat Ioseph, qui fratres vbi criminibus pessimis irretitos videbat, coram parente accusabat. Et hoc extitit vanum Iacobo? Absit: immò hic ipse filius, qui talem educationem à patre acceperat, qui patrijs virtutibus splendescebat, hic ipse, inquam, à Deo asseruatus, vt extremam paternæ familiæ penuriam tritici leuaret, patrisque senectutem sustentaret. Sed de hoc accipite verbum, Genes. cap. 46. vbi postquam Iacob in penuria frumenti, & senectute audit Iosephum viuere opulentum apud Ægyptum, ab illoque vocari, pergit lætus ad filium diuitem pater senex: interea Deus illi apparet, & ait: *Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Qui timor solicitabat sanctissimũ virum, quem Deus tollit, insuper, & addit promissionem temporalis gaudij, & leuaminis à Ioseph præstandi tanto patri? Nonne filius viuebat? Nonne filius immensis, & regalibus 1. ad Tim. 2. Augusto. Genes. 46.

diuitijs

diuitijs plenus erat? Quid ergo timet pater? Cur ad huc de filio solicitabatur? Solicitabatur bonus vir non pro bonis temporalibus filij sui, sed pro bonis spiritualibus illius ne inter Ægyptios errores fidem amisisset, ne inter splendores palatinos charitatem perdidisset, & gratiam, ne tot diuitijs onustus oblitus esset bona immortalia, inde est quod patri sic curanti pro bonis filij spiritualibus Deus apparet, & metum iubet deponere, & insuper promittit tanto parenti inferendum extremũ
Phil. à filio leuamen. Philo Iudæus lib. de Ioseph, ait. *Metu solicitabatur Iacob, ne deserer ẽtur mores patrij, notat enim iuuentutis lubricum, & apud exteros peccandi licentiam, præsertim Ægyptijs circa Deum cacutientibus; sciebat etiam honores, diuitiasque insidiari parum cautis mentibus, ideo metuebat filio, quod solus semotus à paterna familia videbatur egere castigatore, qui ad virtutem reuocans non sineret eum corrumpi tot prosperitatibus. Hæc cogitantem videns Deus miseratus apparet. Nedubites, inquit, descendere in Ægyptum, ipse itineris dux ero, restituam tibi desideratissimum filium, &c.* Et sane parenti infirmo, & seni, & egenti non potuit non adesse filius, pro cuius bonis spiritualibus sic pater solicitabatur.

§. IX.

Palatini, & curiales, vt in hominibus confidunt, sic proximi sunt Idololatriæ.

IAM me vocant plures expositorum, qui in præsenti nullum rei spiritualis saporem inueniunt, immò tam in matre, quam in filijs Zebedæi terrenam mentem, terrenumque affectum meditantur. Equidem temporale Iesu regnum statim â resurrectione credebant futurum, ideo anxie properant, per matrem obtinere supremas in regno potestates. Sed vide quam illos afficiebat temporalis regni excogitatio, quando mater eorum ad Iesum non quasi ad Deum, sed quasi ad hominem accedit, *adorans, & petens aliquid ab eo*: adorationem præmittit postulatis, vt pateat, quam vicina sit idolatria nimiæ terrenorum bonorum cupiditati. Sic vniuersi palatini, & curiales non multum distant ab adoratione creaturarum dum pro terrenis bonis hominum patrocinia sectantur. Iudæi illi pristini terrenis penitus dediti sic Moysi confidebant, cuius ducatu in terram promissam deuenirent, vt paululum cum abesset Moyses, statim currerent ad idola adoranda. Etenim ait Exod. 32. *Videns autem populus, quod morã faceret descẽdẽdi de mõte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Vide quam facile ruit populus hic in idololatriam,
Exod. 32. vnde tanta facilitas idololatrandi? Sanè nihil diuinum eorum mens respiciebat, sed tota fidens Moysi pro terris obtinendis, nihil mirum quod post idola abeat. Accipite D. Aug. tract. 3. in Ioannem sic fantem. *Cum Moyses homo Dei recessisset ab oculis eorum, idolum petierunt, & dixerunt: Fac nobis Deos qui nos præcedãt, quia ille homo dimisit nos. Tota spes eorum in homine posita erat, non in Deo.* Facile in adorationem creaturarum deueniunt, qui pro terrenis hominibus fidunt, homines colunt. An tu putas multũ ab idololatria distare palatinorũ, & curialium obsequia, officia, genuflexiones, adorationes, quæ à minoribus exhibẽtur maioribus pro obtinendis tẽporalibus bonis? Sanè prudentissimus Mardocheus principi Amano, regis amico, & rerũ moderatori negauit politicã illã vsu receptã adorationẽ, quã talibus potẽtatibus vulgo exihebãt. Sed cur vsu receptam, & solũ politicã illã denegaret homo prudẽs adorationẽ, nisi intimã palatinorũ, & curialiũ cultus, & idololatriæ cõiunctionem prænosceret? Ita ipse fatetur
Ester 13. Ester. 13. aiens. *Scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem.) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Sic palatinorum, & curialium cultus, & adorationes exhibitæ principibus, & amicis regum pro temporalibus bonis facilem immò præcipitem faciunt viam ad idololatriam, vt merito pijssimus vir sibi timere posset, ne ab illis ad hanc transiret, & à cultu, & adoratione quæ videbatur politica, deueniret eo, vt creaturis exhiberet diuinum honorem. Sapienter timet, ne dum adorat Amanum, ad cuiusquam non Dei adorationem deueniat. Eæ enim sunt adorationes, & cultus curialium, quibus patrocinium principum vænantur, vt idololatriæ coniunctissimæ videantur. Adeò vt nisi
Zachar. 11 fallar Zachar. 11. principum mundialium patrocinia taxans asserat. *O pastor & idolum.* Tanta enim vis est temporalis pascuæ, vt illa illectæ mentes humanæ dum pastorem colunt, non multum distent vt post idola abeant.
Abacuc. 1 Quo respiciebat Abacuch cap. 1. *Totum in hamo sublenauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc lætabitur, & exultauit: propterea immolauit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Per sagenam, & rete intelligit D. Hieron. potentissimum exercitum,
Hieron. quo tyrannus Babylonius innumera acquisiuit imperia; ego etiam per analogiam quandam intelligerem potentem quemquam principem, & amicum regum, cuius fauore nitun-

tur mi-

tur minores alij, vt prouincias, & honores, & bona alia nanciscantur, & fallor si multum distet, quominus his sagenis, & retibus palatini omnes, & curiales immolent hostias, & sacrificent.

Matth. 20. Qui dixit ei: Quid vis? Ait, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, vnus ad sinistram.

§. X.

Parentes studeant, vt filii perseverent in diuino seruitio.

DVM piam, & religiosam fœminæ mentem cum Chrysost. Ambros. & Beda contemplor, eius animaduerto sapientiam, quã non offert filios Deo nisi vt sedeant, hoc est persistant immobiles coram ipso. Id enim est quod maxime parentes curare debẽt, & quod à parentibus exquiritur, nimirũ vt eorũ filij immobiles perseuerent in via diuini seruitij sese mel arrepta. De parente sic aiebat Paulus. 1. ad Timot. cap. 2. *Saluabitur autem per filiorum generationem: si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quibus id expendendum est, nimirum quæ filiorum virtus ad parentum conducat salutem; non equidem ea, quæ vna cum prætexta, & toga deponitur, sed in qua ipsi permanent, & perseuerãt in diuino seruitio. Ad hæc aiebat D. Anselm. *Tunc ergo saluabitur mulier, si filios religione nutriat, & instruat, vt teneant fidem, vt non deserant charitatem, vt sanctificationem, quam in baptismo perceperunt, seruent cum omni castitate mentis, & corporis.* Vix putãtur parentes satisfeciſſe officio suo, nisi cum ita filios instruunt, vt in virtutum semitis permaneant, & nesciãt vllis illicibus reuocari. Hinc est quod Samuelis mater vbi filium à Deo accepit. 1. Reg. 1. noluit etiam rogata ascendere in templum, vt sisteret filium Domino, sed ait. *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Ante quã puer ablactaretur, & si Deo offerretur, necessum erat à parentibus reuocari iterum in domum suam, ideò prudens femina nihili æstimat filium offerre Deo tunc temporis, quando necessario reuocandus erat ad domum, sed expectat tempus quo puer ablactatus, & recte institutus sic possit Deo sisti, vt maneat ibi iugiter. Non enim aliter videretur satisfeciſſe officio suo parẽs, nisi curaret vt filius immobiliter permaneret in Dei seruitio. Ad hæc præclarè D. Chrysost. ait. *Non existimabat esse tutum relicta domo ascendere in templum, quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. Rursus adducto illo, & mox recepto, descendere verebatur.* Et merito verebatur teneri reuocare à Dei seruitio infantem, etiam prætextu tenerrimæ ætatis, & ideo vt postea firmius remitteretur Deo. Sunt enim hi prætextus forsam pij, antequam puer in Dei via cæperit ambulare sed post arreptam virtutis semitam etiam ab infante; vereantur parentes illum ad se recipere, & descendere cũ illo. Imo optent, vt filius æternum in Dei seruitio consideat, vt mater filiorum Zebedæi optabat: de qua Ambros. lib. 5. de fide cap. 3. ait. *Mater ætate longæua, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum.*

1. ad Tim. 2.

Anselm.

1. Reg. 1.

Chrysosto.

Ambr.

§. XI.

Humana origo in lapsibus manifeste apparet.

SEDES à Domino petit mulier filijs suis aiens: *Dic vt sedeãt hi duo filij mei;* & sanè vt sorores Lazari non dixerunt Iesu; ecce fratrẽ nostrum, sed *ecce quem amas.* Ioan. 11. & ipse Ioannes de se locutus dicit cap. 21. *Discipulus ille quem diligebat Iesus.* Sic mulier hæc posset dicere, Dic vt hi duo à te dilecti, & tibi propinquitate coniuncti, & qui communiter tui vocantur fratres, sedeant, &c. Sed maluit illis omissis suos tantum filios vocare. Cur ergo non potius, vt Iesu fratres, & dilecti proponũtur, quam huius mulieris filij? Vbi proponebantur in ambitionem lapsi, & à Christianæ perfectionis culmine deficientes, merito non dicuntur fratres Iesu, nec ab illo dilecti, sed mulieris filij, sola enim humana origo in deffectibus claret. De peccato filiorum Eli locutus textus sacer. 1. Reg. 2. sic ait. *Erat ergo peccatum grande nimis, quia detrahebant homines à sacrificio.* Expende, qui dicantur detrahi à sacrificio, nimirum homines; tunc enim humana origo maximè claret cum deffectioni aliqualis panditur aditus. Quod ponderans D. Greg. in præsenti lib. 2. inquit. *Notandum, quia qui detrahuntur à sacrificio, homines dicuntur, quia nimirũ si in fidei vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorũ Dei appellatione signaret. Quibus Psalmista dicit: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autẽ sicut homines moriemini, & sicut vnus ex principibus cadetis.* Humanam originem notat casus, frater Christi est, & excelsi

Ioann. 11.

Ioann. 21.

1. Reg. 2.

D. Gregor.

celsi filius, quisquis in virtutum semitis perseuerat; vbi autem à recta via declinas, nihil aliud ostendis, quam humanam originem. Tē tator ille perfidus diuinissimas Christi virtutes minime sustinēs, nihil magis procurabat, quam in eo monstrare, quod homo sit: inde
Matth. 4. accedens, ait Matth. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Ad quæ verba acute D. Chrysolog.
Chrysolo. serm. 12. ait. *Itaque diabolus aperit, quid conetur. Satis hominem probare vult, cui non ascensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascensum difficilis, facilis inuenitur ad lapsum.* Nō filium Dei, non diuinam conabatur diabolus experiri originem, sed humanam; ideo lapsum suadet, vt dum laberetur Iesus, nō Deus, sed homo probaretur, quod diabolus maxime exoptabat. Tota conditio hominis ibi apparet, vbi apparet, & lapsus. Ille solus stare nouit, immo ascendere semper valet, qui nouerit in se humanam totam originem immolare. In præsenti aiebat Iesus: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Quibus expressum habes, quid faciendum sit de filio hominis, vt ascendat Ierosolymam, secure usque reddatur à lapsibus. Quippe tūc securæ ascensiones parantur in cordibus humanis, cum ibi origo interit humana, cum filius hominis, & cruci, & morti traditur. Id quod ibi docebat
Isaac Ab. Isaac Abbas apud Tylmamni allegorias aiens. *Itaque ad pacis visionem properantibus (hoc est enim Ierusalem) tradendus est filius hominis, homo exterior ab interiore gentibus alienis, abstinētia, vigiliis, cineri, & cilicio, laboribus, & alieno imperio, vt ab his affligatur, & cruci affigatur, donec funditus à proprio sensu, & veteris vitæ cō suetudine moriatur.* Tunc solum firmaberis in Dei pace, tunc in huius vitæ conflictu minime deficies, minime cades, cum in te filius hominis iugi mortificationi, & cruci fuerit traditus. Sed proh dolor! crebri lapsus, frequentes defectus à virtutum curriculis manifestē ostendunt, quam in nobis filius hominis viuat, quam vigeat origo humana, & quam à diuina filiatione distamus.

§. XII.

Concordia, & vnitas fratrum potentissima virtus ad trahendum Deum.

NOTA structuram fœmineæ orationis: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram.* Non ait: vnus ad dexteram, & alius ad sinistram, sed vnus, & vnus, vt vel intenta vnitate fratrum Iesus non posset non medius stare. O bona, hoc curā, vt sint duo filij tui vnus, & vnus, hoc est, concordi fulgeant vnitate, & Iesum regem regum in medio habent. Matth. 18. ait Dominus: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sic amat Deus duorum fratrum vnitatem, vt medius illorū esse amet.
Matth. 18. D. Hieron. hic fatur: *Se dicit inter duos, vel tres medium fore; iuxta illud tyranni, qui duos amicos captos, cum vnus ad visendam matrem reuertisset, & amicum pro se vadem dedisset, sic probare voluit, vt vno tento, alterum dimitteret. Cumq; reuertisset ad conditā diem, admirans amborū fidem rogauit, vt se haberent tertiū.* Sic Deus vbi fratres sancta vnitate, & concordia fulgere videt, non solum non negat, vt sibi assideant, sed potius se tertium habere velint, cōtendit. Nescit abesse Deus ab his, qui sunt fraterna vnitate cōnexi. Iacob descēdens ad Ægyptū, vt filiū videret, Gen. 46. *Venit ad puteū iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eū per visionem nocte vocātem se, & dicētē, sibi, Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce ad sum: At illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere, sed descende in Ægyptū, quia in gentem magnā faciā te ibi: Ego descendā tecū illuc, & cā* Ecce tibi, quam facile Deus se viro sancto manifestat, atque se illi lateronē offert, ingēteq; exprimit benedictiones. Sed quæres cur ibi potius Deus se lateronem Iacobo offert? Cur nō id potius in illius domo factū est, antequā viam arriperet? Causam indigitat locus, nimirū, puteus iuramenti, habes enim ex Gen. 26. quod ibi æternam sibi pacē, & cōcordiā iurarunt duo potentissimi principes, & Abimelec, & Isaac; vbi ergo tanta concordiæ, & pacis signa inter duos potentissimos homines claret, meritò se Deus alterius filio lateronem offert: milleq; benedictionibus illū replet. Ait Glos-
Gloss. sa interlinealis: *Merito in loco pacis, & cōcordiæ videtur Deus, quia ibi mandauit Deus benedictionem.* Vbi concordiæ, & pacis effulgent signa facili negotio Deū lateronē habebis. Vnitas est, quæ Deū allicit, & qua Deus in consortiū, & societatē ascisitur. Sic Matth. 27. di-
Matth. 27. citur: *Erunt duo in agro, vnus assumetur.* Quid est, vnus assumetur? An quia relinquendus sit alter è duobus? Absit: sed quia cum è duobus fiat vnus, hic à Deo in societatē assumitur. Ita
D. Paulin. S. Paulin. ep. 5. ad Seuer. inquit. *Non simus ingrati Deo, qui non vnū ex nobis, sed vnū assumpsit in nobis.* Ille solum relinquitur, qui ab vnitate discedit, qui concordi mentis affectu fratribus vniris, ad Deum assumeris, qui solū gaudet esse inter vnitos. Adeō, vt nec tunicam suam inconsutilem velit portari, nisi ab vno. Cæteris enim vestibus distributis, super inconsutilem tunicam missæ sunt sortes, cur

cur tunicâ hæc sortibus subijcitur? Sors designare solet, quid ferat vnus é multis, ideo Christi tunica sortibus subijcitur, vt pateat nihil Christi habere posse, nisi qui fuerit vnus. Acpite S. Prosperum lib. de Promission. part. 1. cap. 26. fantem. *Tunicam etiam milites diuidere noluerunt, vnitatem Ecclesiæ firmantes, à cuius sorte excludũtur hæretici, quoniam sorte prouenit, vt eam vnus, id est, vnitus possideret.* Nihil Christi Domini intenies, nisi in vera vnitate: de quo passim dicimus.

S. Prosp.

§. XIII.

Fœminea impatientia est, suos velle paruulos, in summis dignitatibus constituere.

TOTA hæc petitio matris erat, vt filij sui in Christi disciplina infantes, & prorsus rudes, cæterisque iuniores suprema iam dignitatum tenerent culmina. Fœminea sane est illa impatientia, quæ paruulis suis non prætextas, & togas, sed ampliſsimas dignitatum insulas, palliaque meditatur purpurea. Pulchrè in præsentem matrem dicebat Ambros. lib. 5. de Fide, cap. 3. *Nesciunt materna viscera patientiam.* Impatientia est matris nihil filiorum ætati dare, nec sorti, quem amant filium, nõ sustinent matres in paruis videre, sed statim illi vellent congerere omnia culmina dignitatum. Apud Isaiam, cap. 3. aiebat Dominus: *Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Expende, vndè credibile faciat, quod pueri teneant supremas dignitates, nimirum, inde quod effœminati dominabuntur. Vix enim fieri posset, vt dignitates supremæ pueris darentur, nisi ab impatientia fœminarum: virilis virtus annos spectat, grandiorem semper reueretur ætatem, non sic fœminea virtus. Id quod patet in promotione Iacob: cum enim Deus vellet iuniorem hunc Isaaci filium, ad primogenij dignitatem, maiori filio contempto sublimare, totum promotionis negotium inspirat Rebeccæ matri, eiusque ingenio vtitur, vt Iacob præripiat dignitatem. Et cur non magis vtitur Patris voluntate? Cur non potius rem tractat cum Isaac; nisi quia fœmineum ingenium aptius est, vt pueri, & iuniores supremas præripiant dignitates, quando virilis virtus semper spectat maturiorem ætatem? Rem illustro ex D. Bernard. qui Theobaldo comiti petenti ab Eugenio Papa dignitatem quandam Ecclesiæ, quam susciperet puerulus filius, sic rescripsit epist. 271. *Honores, & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne, ac secundum Deum administrare, & velint, & possint. Porro eas acquiri paruulo filio vestro precibus meis, vel vestris, non vobis iustũ: nec mihi tutum esse nouerunis. Sane Vuillelmulo nostro cupio bene per omnia: sed ante omnia Deũ. Vbi verò emerserit, quod secundum Deum habere possit: probabo me amicum. Apud amatorem iustitiæ in excusando eo, quod pro iustitia est, non multum mihi laborandum. Vos autem apud comitissam per ea, quæ vobis rescripsi: habete me excusatum.* In quibus non solum velim aduertas, quam refugiat pijssimus vir paruulos rudes ad dignitates obtinendas iuuare, sed etiam quod hoc persuadere curet, non tam comiti Theobaldo, quam comitissæ vxori: vtique nouerat impatientiam fœminarũ in filijs nobilitandis. Hinc merito virilis animus Annæ à Patribus comendatur: hæc enim filium Samuelem in templo, Domino seruiturum statuit, 1. Reg. 2. *Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, &c.* Prorsus virilis mater, quæ paruulo filio in templo existenti non magna dignitatum pallia, sed paruam tunicam infanti aptam parabat. Ex quo D. Greg. lib. 2. in 1. Reg. sic monet matres. *Paruam itaque paruo filio tunicam mater defferat, & pro modo corporis mensura indumenti tendatur: quatenus per temperatæ conuersationis mensura dimicat, hunc hostis inæquali armorum sarcina non substernat.* Fortior, & felicior extitit puer Dauid inermis, quam existeret sub ingenti Saulis armorum sarcina: sic felicius consulent parentes filijs, quibus paruulis non procurant supremas dignitates. Excipiendi ab hac regula sunt hi Principũ filij, in quibus augendis, regnorum bonum, & Catholicæ politiæ augmentum, siue conseruatio spectatur.

Ambr.

Isai. 3.

1. Reg. 2.

D. Greg.

§. XIIII.

Deipara Virgo matris affectum erga Iesum quomodo dissimulat, vt nobis prospiciat.

DVM video duorũ Apostolorum ãxiam matrem, vt filios suos conspicuos faciat, illosque ad dexteram virtutis Dei confidentes ostentet: simul & matrum omnium incredibilem affectum in filios noto; & Deiparæ Virginis admiror charitatem in vniuersos Christianos? Quid magis cordi matribus est, quam filiorum throni? Mortem elegit Neronis mater, dum filius imperaret: quid non eligat Ioannis, & Iacobi mater, vt filij ad Dei dexterã cosidẽtes videãtur? Sed Deipara virgo

filium ſedentem ad dexteram virtutis Dei diſ ſimulat, imperatorem creaturarum tacet, vt poſsit pro fidelibus trucidari. Debes hoc Chriſtiane Mariæ, quod maternum in filium affectum cohibeat, vt habeant homines vndè redimantur. Non ne Maria ſciebat filij gloriam? Non ne illum nouerat imperātem Angelis, à Regibus adoratū? Cur id non publicat? Cur clariore voce, quam Stephanus non intonat: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei?* Cur de Iſaiæ oraculo non clamat in templo: *Ecce virgo concepi, & peperi filium, & vocatur nomen eius admirabilis, Deus fortis?* An Simeone, vel Stephano infirmior timebat ſibi, Ieſu thronos celebrare? Abſit: timebat autem fidelibus, ne notus in Iudæa Deus, morti eriperetur, & Redemptioni Chriſtianę. Accipite D. Amb. ſer. de Purificatione, in eius operibus excuſsis Pariſijs, anno 1586. ſantem. *Cur abſcondit Maria cōceptionis, & natiuitatis filij Sacramentum, quæ nouit immenſum? Quia vt ſpiritu prophetiæ repleta redemptionem mundi impijs non aperiret. Sciebat enim iam tunc gratia plena, quia ſi hunc huius ſæculi Principes agnouiſſent, nunquam pro ſalute noſtra crucifixiſſent.* Diſsimulat, & cohibet Maria affectum matris, quo ferebatur, vt filij notas glorias publicaret; quia nequit eripere redemptionem Chriſtianis: vt vel hinc Chriſtiani cognoſcant, quantum debeant Dei Matri, & timeat ſe eſſe indignum Chriſtiani nominis, qui ſe Mariæ non præbet gratum.

Ambroſ.

Matth. 20. Reſpondens autem Ieſus dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.

§. XV.

Ambitionis animoſitas, vt charitatis potentiæ comparata.

QVID non patiatur ambitio, vt optatos poſsideat honores? Nullo periculo, nulla moleſtia, nullo ſumptu terretur ambitioſus, ſed omnia ſe facere, & pati pollicetur, vt ſuæ cupiditati ſatisfaciat. De maxima virtutum charitate aiebat Paul. 1. Corinth. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt:* & paucis interiectis ſic de eadem pergit: *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* His ſe ſe exaltat charitas ſuper omnes alias virtutes: charitas, inquam, illa, quæ ſcit etiam animam ponere pro amicis ſuis. Sed ecce vobis ambitio eò ſe extendit, vt omnipotentiæ charitatis videatur æquari: quando quidquid Dei charitas pro hominibus bibit, ſe ſe bibituram ſpondere audet. Pulchrè Petrus Bleſenſis epiſt. 14. ad Sacellanos aulicos Regis Anglorum ſic cum charitatis potentia componit ambitionis animoſitatem. *Nihil ambitioſo difficile: ideoque ambitio eſt quædam ſimia charitatis. Charitas enim patiens eſt pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna eſt pauperibus: ambitio diuitibus. Charitas omnia ſuffert pro veritate: ambitio pro vanitate. Vtraque omnia credit, omnia ſperat, ſed longe diſſimili modo, hæc ad gloriam huius vitæ, illa ad gloriam ſine fine.* Sanè nihil refugit ambitio, nulli ſe labori ſubtrahit, ad omnia audet, & quidquid charitas poteſt, ambitio ſe etiam poſſe iactabit: adeò, vt ſicut tormenta ipſa pro delicijs haberi, & reputari conſuerunt ab ſtrenuis dilectoribus Dei, vt nos alibi, probauimus: ſic & ambitioſus pro delicijs, & glorijs ſuis habet ipſos inferni cruciatus, ſi ſub vmbra regni, & dominatus ſibi proponantur. Ambitionis pater Lucifer, dum adhuc inter cœleſtes Principes inueniretur in hæc prorrupit verba Iſaia cap. 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Sed quod cœlum, & quæ aſtra hic vocat? Ipſe in cœlo tunc erat, & ſuper aſtra Dei gratia locatus, in quod igitur cœlum ſe aſcenſurum pollicetur? Crediderim ibi ab ambitioſo Angelo infernum cœlum vocari, & cruciatus pro cœleſtibus delicijs reputari. Rem explico ex D. Ber. ſententia: quippè: Angelicis ſpiritibus in Dei gratia recenter creatis data fuit optio, an mallent Dei filio ſubijci, illumque in præſepe licet adorare, quam inter cruciatus inferorum cruciandis præeſſe? Quid tūc Angelus refuga? vidit vtrumq; & ſe vel inter Ieſu ſubditos ſtare; vel ſuper infernorum mancipia ſedere, ibiq; Principem agere tenebrarum harum, & ſic deceptus fuit dominandi affectu, vt ſedem inferni totis viſceribus amplecteretur, illamq; ſibi inſtar cœleſtium deliciarum haberet. Sic prorſus D. Aelredus ſerm. 17. in Iſaiam inquit. *Tentati ſunt Angeli virtū mallent ſubdi Deo in humilitate, quam reprobis præeſſe in poteſtate. Vnde ille nequiſsimus omnīū iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, in cœlum inquiens, aſcendā. Sicut ſocietatē illam ſanctam, in qua regnaturus erat Deus, cœlū vidit nominādum, ita ipſos, in quibus ipſe dominari affectat, ſuum*

Petr. Bleſ.

Iſaiæ 14.

Aelr.

1. Cor. 13.

suum cœlum arroganter appellat. Quid miserius quam quod sic afficiat ambitio suos asseclas, vt propter speciem dominandi pro cœlestibus delitijs, & diuitijs habeat ipsos cruciatus inferni? Eu crudelissimum ambitionis virus! Hi sunt ambitiosi, vt pro cœlestibus delitijs habeant æternos cruciatus, totũq; infernum paradisum putent in causa dominãdi. Huc tẽdebat Pauli perfectissima charitas, vt damnatorum pœnas amplecteretur pro fratribus suis.

Ad Rom. 6 Sic habet ad Rom. 9. *Optabam enim ipse ego anathema fieri à Christo pro fratribus meis.* Et credo quod & in delitijs essent æternæ flãmæ Paulinæ charitati, dum fratrum multitudo saluaretur. Quem charitatis excessum cõmendant, & stupent multi Patres apud nostrum Cornelium à lapide. Sed & ambitio eò tendere nouit, vt sub dominatus specie pro cœlestibus delitijs habeat ipsa inferni tormenta.

§. XVI.

Iesus omnium etiam bonorum iactura emendus est.

IN Iesu calice intellige totius sanctissimę eius vitæ pauperiem, ieiunia, fames, opprobria, tormenta, & sanguinis effusionem. Omnia hæc proponit Iesus Apostolis subeunda pro accipiendo Iesu latere dextro, nec miror: pretiosissimus thesaurus est Iesus, vel omnium bonorum iactura emendus. Sed quam pretiosus est, qui à Iuda venditur, & à Iudæis emitur triginta argenteis? Domine Iesu, pretium tuũ, pretium, inquam, appretiati, quem appretiauerunt Iudæi non excedit argenteos triginta, cur ergo apud pauperes Apostolos tanti te æstimas, vt nec latus tuum concedas, nisi pro iactura omnium bonorum, cum apud diuites Iudæos sustineas emi triginta argenteis? Equidem triginta illi argentei à Iudæis exhibiti indicant Iesum pretiosissimum esse, & dignum, qui à sapientissimis mercatoribus omnium bonorum ematur dispendio. Accipite Guarricum Abbat. serm. 1. in Ramis, apud quem sic loquitur Iesus de immenso suo valore. *Vile quidem mancipium video, sed, & si noctu, & clanculo distrahar quasi res furtiua: & si ab auarissimis Iudæorum Sacerdotibus emar: attamen triginta argenteos appretiari potero.* Vniuersæ concurrerunt circunstantię, quibus res etiam pretiosæ solent adeò vilescere, vt nec floci æstimentur. Nempe venditio clanculo tractatabatur, & properanter, & inter tenebras noctis, & mercatores auarissimi erant apud quos aurum pro Deo colebatur, & inter hæc nihilominus Iesus habuit aliquale pretium, & triginta argenteis emitur ab his, quibus singulæ dractmæ Deus erant. O bone Iesu quantus est valor tuus! Cur non omnia patiar pro Iesu illo habendo, pro quo auarissimi homines, quibus nummus Deus erat, sustinuerunt perdere triginta argenteos, totidem sui cordis Deos? Et hoc fecerunt Iudæi nocte, & clanculo ementes; verum Iudæus ille, quem in via circumfulsit lux è cœlo, omnia mundi bona merito arbitratus est vt stercora, vt Christi lucrum faciat. De quo accipite locum ad Roman. 9. vbi ait, *Ad Rom. 9* *Optabam & ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ad hæc adiungenda sunt verba cap. 8. ab ipso prolata nimirum: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo.* Si ergo tot hæc bona, siue mala non poterunt Paulum separare à Iesu, quomodo fieri poterit, vt amor fratrum illum à Iesu separaret? An cum optat separari à Christo pro fratribus, tantum tribuit fratrum amori, vt pro illis substinuerit à Iesu abesse? Non longè à verò abest, qui negat in Paulo tam potentem amorem pro fratribus, sed pro ipso Iesu: quandoquidem qui bene fratres suos Iudæos nouerat in Iesum murmuratores, in Deum blasphemos, putabat fore, vt Iudæi insurgerent maledictis in Iesum, eo quod ab illo se excluſos viderent. Propter quod sic afficiebatur Paulus, vt vel omnium bonorum cœlestium, & mundialium iactura, immò malorum omnium, etiam æternorum sustinentia emeret, quod Iesus nullo in casu à maledicis Iudæis possit vilipendi. Ita Sanct. Theodulus in epistol. ad *Theodor.* Roman. ait. *Optarim anathema fieri, id est, cuperem à gloria Christi segregari, vt Dominus meus non vituperaretur. Propterea quod audiret multos tali Christum maledicentia petere: Res ipsæ factæ sunt irritæ, nam alijs promisit, alijs vero præstitit. Lubens autem nihil non periculorum sustinuissem, ne ita obloquerentur, & male sentirent de eo, qui est desiderabilis præ filijs hominum.* Prudentissimus mercator, qui inuenta vna pretiosa margarita omnia bona sua vendit, vt emat eam, qui pretiosissimum Iesum noscens omnia bona perderet, omnia mala etiam sustineret, dum illi Iesu suus integer extaret honos, & à nemine maledicerẽtur. Pauli æmulator erat parens meus D.

Ignatius, qui dum viuens ad inferni tormenta descendebat, vnum ibi sibi molestissimum præ omnibus cruciatibus afferebat, nimirum in Deum blasphemiæ. Sanè hi non calicem, sed tormentorum calicem biberent, vt Iesum acquirerent, vt Iesus apud omnes in summo precio haberetur.

§. XVII.

Iesu assecla soli potentissimi.

NOTATE piscatorum hominum nobilissimam vocem, nimirum, *possumus*, & quidem id soli habent sectatores Iesu, quod sint viri potentissimi. Exod. 17. *Dixit Moyses ad Iosue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech.* D. Augustl. legit: *Elige tibi viros potentes.* Sed cur Moyses virorum potentium electionem remittit Iesu Naue? Cur non magis eligit ipse, & duci tradit? Pulchrè D. Augustl. ser. 93. de tempore, ait. *Non poterat Moyses eligere viros potentes; Iesus solus est, qui potest viros potentes eligere.* Infirmitas est, & imbecillitas, quæ in Iesu non stat, & per Iesum non venit: ille verè, & solide potens est, qui Iesu afflatur spiritu. Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum.* Aliter Theodoretus legit aiens: *Adiurauí vos, filiæ Ierusalem, per potentias, & fortitudines agri.* Sed miraberis, quod à diuino spiritu proponantur potentiæ, & fortitudines agri, vt verbis suis reuerentiam conciliaret: non ne potentiæ, & fortitudines agri, potentiæ, & fortitudines mundi sunt? Quales ergo sunt mundi potentiæ, & fortitudines, quas posit diuinus spiritus recordari? An mundi potentia est bellicus ardor, strenui duces, qui innumera sibi imperia subiugarunt? Minimè: nulla est in toto mundi agro fortitudo, nullus potest, nisi Iesu verbo afflatus nouerit in primis sui cordis tyrannos debellare. Eò respiciebat Pfellus apud Teodor. dum ait. *Ager tibi sit mundus: huius fortitudo, potestas Domini, verbi, ac ponsi.* Quippè, vbi diuinus naturæ humanæ sponsus Iesus non aspirat, nulla est potentia, nulla fortitudo. An potentes erant illi orbis expugnatores, qui fœdissimis animi affectibus rapiebantur? An potens erat Alexander, orbis domitor, sed subiectus crapulæ? An Nabuchodonosor potens erat, qui cadens in terra seruum Danielem adorarat? Et quod mirere magis, nominatissimus ille in Dauidis prælij Ioab, qui tot victorias reportauit, tot perdidit exercitus hostiles, tot ciuitates expugnauit, qui vnica spes, & fortitudo Dauidis videbatur; inter ipsius Dauidis fortes non inuenitur numeratus. Lege fortissimorum virorum catalogum. 2. reg. 23. vbi post Danielem, ponitur Eleazar, Semma. Abisai quoque frater Ioab, & alij plurimi; Ioab autem prorsus siletur. Cuius rationem minimè silet Rup. lib. 2. capite 37. aiens. *Porro Ioab interfecerat duos viros iustos, melioresque se, Abner filium Ner Principem militiæ Israel, & Amasa Principem exercitus Iudæ, & effuderat sanguinem belli in pace, id est, in dolo, vel pacis simulatione. Recte ergo in numero fortium Dauid conscriptus non est.* Quæ enim vitiorum secum admittit dominatum, imbecillitas est, fortitudo nõ est. Vera fortitudo, & potentia, quæ vincit regna, quæ repellit omnes potestates, quæ retundit ipsos mortis aculeos, non nisi à Iesu habetur. Hanc ostendebat Diu. Ambros. lib. 1. offic. capit. 16. aiens. *Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi athleta; qui nisi legitimè certauerit, nõ coronabitur. Quod præceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Iesu; cuius caro requiem non habebat, afflictio vndique, foris pugnæ, intus timores. Et quamuis in periculis in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus: animo tamen non frangebatur, sed præliabatur, adeò vt potentior suis fieret infirmitatibus.* Non aliunde fortitudinem, & potentiam quæras, nisi à Iesu, in quo solo potes dicere cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Nec vlla est potentia, quæ comparari posit, cum eo, quem Iesu virtus comendat. Iudic. 5. aiebat Debora. *Clypeus, & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel. Cor meum diligit Principes Israel.* Quæ verba sic legit, & expendit Theodoretus, quæst. 11. *Si videro hastatorum quadraginta millia, tamen cor meum propensum est in acies Israel. Hæc autem firmauit lex diuina.* Vnus enim homo sanctitate, & iustitia conspicuus, & potentior, & fortior est, quam hastatorum myriades. Vndè dicebat Ioann. epist. 1. capit. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum,* quasi tota fortitudo, & potentia in eo solo sit, qui cum Christo, & propter Christum descendit in arenam.

Exod. 17. — Augustl. — Aug. — Cant. 2. — Theodor. — Ambros. — Iudic. 5. — Theod. — Ioan. 1.

Matth. 20. Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.

§. XVIII.

§. XVIII.

Non nisi ex Dei vocatione, & designatione particulari dantur vires ad munera virtutum obeunda.

AVDENTER dixerãt Apostoli se posse bibere Domini calicem, quam potestatem ortum habuisse à Dei electione, & designatione, vt ostendat Dominus, ait: *Calicem quidem meum bibetis.* Bibetis, inquit, calicem meum, hoc est, ex hoc vos designo, & eligo euidenter meæ passionis commensales, qua designatione, & electione facta, verũ est quod poteritis bibere calicem; aliter enim minime poteratis. Non enim sufficit quęuis sanctitas, & virtus, vt muneri alicui particulari, siue Doctoris, siue Martyris, siue Prædicatoris, siue Virginis satisfacias, nisi Dei vocatio, & electio adsit. Quis sanctior Stephano? De illo sic habes Actor. 6. *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Nicanorem, &c.* & post pauca electionis huius verba sic finit. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Ecce tibi ante electionem Stephanus plenus erat fide, & Spiritu sancto, non tamen robur habebat, quo posit in stadium prosilire, & se se in munere administrando opponere ipsis tyrannis; verum post electionem, & designationem, iam non solum dicitur fidelis, & sanctus, sed & plenus gratia, & fortitudine, & potens mira efficere, & pati. OEcumenius ibi ait. *Qui ante electionem prodigia non faciebat, vt qui nec satis cognitus erat, vbi per electionem cognitus effectus est, tunc etiam donum, quod electionem consequutum erat, demonstrabatur. Vt manifestum fiat, quod non sufficiat gratia, sed opus est quoque addi electionem.* Nõ equidem sufficit ingens cumulus gratiæ, & virtutum, vt cuiuis muneri satisfacias, nisi adsit vocatio, & Dei electio: vnde nascitur, quod sanctissimi alioquin viri in actiua vitã, nihil proficiunt, immò quouis turbine labant, & etiã cadunt; cum eam viam alij imperfectiores, & fructuose, & inoffense percurrant. Et similiter alij in mundi stadio, mediaque in arena inclyti duces, qui valent mira efficere, & maiora pati, in domestico otio, & pace magnam experiuntur imbecillitatem. Non enim gratiæ cumulus sufficit, nisi adsit Dei electio, & vocatio; cum hac venit robur, & fortitudo, & facilitas, & dexteritas, quibus muneri satisfacias. Matth. 26. Matth. 26. Tradendus Dominus in tenebrarum potestatem, sic ad suos fatur: *Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus.* Expende, quam contraria simul mandet Dominus: quippe, & dormire iubet eos, & simul surgere. Nonne contrarium est dormire, quiescere, & surgere ad stadij pugnam? Minime: nulla enim in his est contrarietas, si Dei vocatio, & electio adsit, qua designeris ad certamina. Caue tibi ne in arenam descendas non vocatus, at si vocatus fueris, arena tibi lectum erit, & stadium pro quiete reputabis, sic facile omnia ministrabis. Hanc excogitationem, & ponit, & finit D. Laurent. Iustin. de Triumphali Christi agone, cap. 7. aiens. *Facile enim quisque, quod acquisiuit, amittet, si non vocatus se inconsulte exponat. Nullus itaque inaniter Dominum in passionibus imitari præsumat, nisi impellente spiritu, aut vocatus quiescat.* Expende illud: *vocatus quiescat*: hoc enim signum sui semper affert Dei vocatio, & electio, quod quietem etiam medijs periculis instillet. Qui enim à Deo vocatur, & eligitur, sic omnia facile superat, vt inter ipsos bellicos tumultus, & mortis turbationes, quietem, & somnium inueniat. Quò spectat illud Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, &c. Plane apud armatos validosque pugnatores, quo Deus ad prælia docet, & vocat cum mundi potestatibus, lectulus est illis pro stadio, & arena; sic æstimãt prælia, quasi quietem placidam cernant.

Actor. 6.

OEcumen.

Matth. 26.

Laur. Iust.

Cant. 3.

§. XIX.

Prompta hominis voluntas pro facto habetur apud Deum.

SED qualiter verum est, quod hi duo Apostoli, calicem Domini bibent, quando alter illorum nempe Ioanes in pace, & quiete defunctus est? Sanè illius prompta, & ardens voluntas, qua se se, & gladio, & cruci, & feruẽtis olei baptismo pro Christo obtulit, apud Deum habetur pro opere exhibito. Solet enim, & cœlestibus mẽtibus voluntas pro opere accidere gratissima. Vterque Tobias conferentes beneficia accepta ab itineris socio, decernunt illi dare dimidiam partem substantię, quo consilio, cap. 12. *Rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerat, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deũ cœli, & coram omnibus viuentibus cõfitemini ei, quia fecit vobiscũ misericordiã suã. Etenim sacramentũ regis abscondere bonum est: opera autẽ Dei reuelare, & cõfiteri, honorificũ est.* Sic pergit Angelus sese manifestare, & ostendere pro quo expendendũ est tẽpus, quando

Tob. 12.

se,& totum rei secretum manifestat, nimirũ, quando Tobia offert illi dimidiam substantię partem. Cur non magis ante? Cur non rẽ explicat, vbi probatio Tobiæ finẽ accepit? Cur expectat oblationem muneris? An res oblata illi grata erat? Minimé: sed offerentium voluntas, illi omni munere exhibito gratissima erat. Vnde Diu. August. serm. 226. ait: *Continuo Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatem.* Non munus exhibitum, non merces proposita, sed cogitata merces, sed gratum animi propositum Angelum gaudio affecit: & hoc est, quod cœlestes mentes afficit, immò & ipsum Deũ. Post templum maximum Deo â se ædificatum sic Salomoni inspirat Deus, vt oret ad Dominũ Psalm. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculũ domus meæ. Si ascendero in lectulum strati mei. Si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis. Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Sanè Dauid non ædificauit templum, nec permissus à Deo est, vt lapidem poneret: Salomon ædificauit, ornauit, ditauit. Et totum Salomonis opus tacetur, in mediumque producitur Dauidis votum, & animi propositũ, vt hinc videas, quã Deus æstimet bonas suorum voluntates. Id quod notabat Diu. Chrysostom. ibi aiens. *Eum quidem, qui est ædificaturus, præterit; eum autem, qui est pollicitus, in medium adducit, vt scias, quantum bonum sit rectus animus, & quomodo Deus semper consueuerit recto animi instituto, & bonæ voluntati mercedem constituere, & ideo eius potius meminit, quoniam ipse est potius, qui ædificauit, quam filius. Hic enim pollicitus est: ille verò iussus est.* Merito Deus voluntatum nostrarum scrutator, voluntatis affectus, & animi propositum intuetur, quo maximé obligatur, & illi mercedem parat. Vndè dicebant Angeli Luc. 2. *Gloria in excelsis Deo, & in terra, pax hominibus bonæ voluntatis.* Quasi & ab æterna, & à temporali natiuitate habeat Dominus humanas acceptare, & munerare voluntates. Vt dicat Diu. Cæsar. Arel. hom 19. *Quis potest omnibus hominibus benefacere? Potest tamen omnibus hominibus bene velle. Potest dicere aliquis: facultatem non habeo: numquid potest dicere, bonam voluntatem habere nõ possum?* Inexcusabilis est iam homo, qui Deo obsequium acceptabile non præstiterit, quando is est Deus, qui nouit voluntates promtas pro effectibus acceptare.

August. Psal. 131. Chrysos. Luc. 2. Cæs. Arel.

§. XX.

A iudicibus nunquam respiciendæ personæ sunt, si velint illas honorare.

NEGAT Dominus suum esse dare thronum regni Ioanni, & Iacobo; sed illis, quibus à patre paratum est, se eum posse dare affirmat. Etenim ait: *Sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Sed statim suboritur quæstio, cur non possit Iesus dare regnum Ioanni, & Iacobo, cum possit illud dare, quibus paratum erat à patre? An Ioannes, & Iacobus non erant inter eos, quibus pater regnũ parauerat? Erant sanè, siquidem & ipsi erant in libro vitæ scripti, & ad gloriam electi: proprium ergo erat Iesu illis dare regnum, imò & debebat ipsis Iesus dare regnum, vt quibus paratum erat à patre. Cur igitur negat Iesus suum esse Ioanni & Iacobo regnum dare? An ignorat illos inter regnaturos annumerari? Planè integerrimus iudex sic ad sola merita respicit, vt in muneris distributione videatur prorsus particulares personas ignorare, ne si sciret, elargitio aliquam suspitionem habeat. Non enim parum gloriæ minuit in præmij acceptione, quod illud à tibi notissimo habeas. Vbi ex filijs Isai eligendus erat Rex Israel, mittitur Samuel à Deo in Bethlem; dicit enim. 1. Reg. 16. *Imple cornu oleo, & veni: mittam te in Bethlem ad Isai: prouidi enim in filijs eius mihi regem, &c.* Ecce tibi electurus vnum filium Isai in regem, mittitur ad omnes filios, nec dicitur ei qualis sit eligendus, vt vadat, & vocet omnes, & despiciat singulos, & inquirat, qui desit inspiciendus: cur non magis dicitur ei nominatim, qui eligendus est, qui à Deo tanta dignitate donandus? Pulchram huius rationem reddit Diu. Basil. Seleu. orat. 14. aiens. *Communi filiorum appellatione tegit istum filium Deus, & ad populum mittit vnctorem Samuelem. Ibi, ô Propheta, expecta vnctionem gratiæ, ne ex tẽporalis regis proclamatioen dignitatis euadat imminutio, ne vè gloriam adulteret regnantis notitia.* Prospiciebat Dominus electi sui gloriæ, & ornamento, dum personam celat, & occultat electori; si enim Samuel nosceret Dauidem eligendum, statim nulla inspectione aliorum facta, Dauidem vocasset, & regẽ proclamasset, quod non tam liberum esset ab affectus humani suspicione; ideo rectè à Deo prouisum est, quod eligendum ignoret Samuel, *ne gloriam adulteret regnantis notitia.* Cum huc peruenio non possum non dolere electiones in aliquibus Collegijs Academicis à nescio, quibus

1. Reg. 16. Basil. Sel.

quibus male veræ gloriæ æstimatoribus introductas, qui nisi notis, & compatriotis suis aditum collegij pene occludunt. Adeo insipientissimum, & in glorium vitium serpit, vt ex eo ipso die, quo quis collegij stemmate, seu fascia donatus iam sciat ex patria, & fere ex nomine, quibus sit præsturus per totum tẽpus suffragia. Quo nõ videt quam adulterent, & infament sui ordinis gloriam; quæ enim erant decora, & insulæ dignitatum candidatorum, iam factæ sunt signa nationum, & tabellæ pro diuersorijs gentium variarum. Qua fascia te sublimem designat, & gloriosum puluis literarius, per electorum inconsideratum affectum erga notos, & compatriotas solum noscens Cantaber, siue Bæticus, siue Castellanus. Sic regnantis notitia adulterat gloriam: quæ proculdubio exaltatur in eo, qui nullo alio, nisi ex meritis notus thronum scandit. Quis non miretur pulchritudinis Æsteris magnitudinem? Ipsa inter innumeras alias virgines ob speciem electas, pulchritudinis præmium regnum rapuit. Magnum hoc: sed accipe aliquid maius & longè glorioſius, & præstantius: ipsa Æster sola erat, cuius genus, & patria penitus ignorabatur; & virgo adeo ignota nihilominus in pulchritudinis certamine ad coronam rapitur, quo maximè eius pulchritudinis gloria exaltatur. Etenim cap. 2. vbi inter cæteras omnes ministro regio traditur Æster, sic habes: *Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem: Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suã.* Vbi noster ponit, *placuit, & inuenit gratiam*, ex Hebræo legit Caietanus: *Et placuit puella in oculis eius, & eleuauit gratiam in conspectu eius.* Expende illud: *Eleuauit gratiam.* Cur non sufficiebat dixisse, quod placuit, quod regni suffragia sibi statim captauit? Cur maluit dicere, quod gratiam eleuauit, vel vnde eleuauit gratiam? Pro eius eleuatæ gratiæ causa putarim illud aditum, nimirum: *Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suam:* equidem facit ad summam gratiæ eius exaltationem, & gloriã, quod ignota ex genere, & patria suffragia regni captaret. Et merito Caietanus, non solum Æsteris sed & Regis Assueri gloriam in eo putat maximè exaltatam, quod vbi regnũ proposituin erat pulchritudinis præmium, illud detulerit non notiori, & propinquiori, sed prorsus ignotæ, quia hæc pulchritudine præstabat. Hæc est integra gloria iudicis, qui neminem noscat, nisi meritum; non absimilis Pharao ad regni clauum eleuans Iosephum ignotum penitus hominem, hoc solum respiciebat Genes. 41. *Numquid sapientiorem, & cõsimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam.* Vbi sapientia requirebatur, illam solũ spectat bonus Rex, cætera omnia patriæ, generis prorsus reliquit ignota. Ridiculum, & stultę iuuentutis placulum est, quod sapientior requiratur vir, & suffragia dentur, non quia sapientior es, sed quia familiaris Cantaber, vel Beticus notus. Præter quam quod nescio cur non ex lex velit iuris læsi esse reũ, vt de sui reatus vtilitate alij viuant. Hac vna ratione volebat Moyses à se depellere suspitionem, quod in dando sacerdotio respexerit sibi familiares, & propinquiores. Sic enim habet apud Iosephum lib. 4. *Nisi enim ius, & fas præoculis habuissem, nequaquam oblitus mei, dedissem alteri: cum nemo sit mihi me ipso propinquior: & alioqui qualis erat prudentia, me violati iuris reum facere, & huius facinoris præmium alteri cedere?* Sanè stultissimum est propter aliorum vtilitates me iuris violatorem statuere. Ioseph 4.

§. XXI.

Qualem se quisque Deo exhibet, talem erga se Deum inuenet.

REMITTIT Iesus Ioannem, & Iacobum ad id, quod paratum est à patre, dum ait: *Sed quibus paratum est à patre meo.* Quid mirum, quod ad patrem remittantur, quando ipsi non aliter accedunt ad Iesum, nisi per matrem; & is est Dominus, qui talem se exhibet hominibus, quales inuenit homines erga se. Felicissimi Magi postquam recens natum Iesum adorauerunt, Matt. 2. *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.* Postquam verò hi recesserunt furente iam Herode aduersus puerũ: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et Magi, & Ioseph in somnis admonentur: Ioseph per Angelum, Magi non per Angelum, sed per ipsum Dominum inmediatè responsum accipiunt. Sed cur Deus, qui per Angelum admonuit Ioseph, maluit per se ipsum Magos admonere? Sanè Magi per se ipsos venerunt recens natũ regem adorare: & cum regum, principũque mundialium mos sit, alios reges non per se ipsos, sed per ministros, & legatos suos salutare, nobiles hi reges, non per legatos, sed per se regem regum salutare maluerunt: quo factum est, vt Deus talem se illis exhibens non per Angelos, sed per se illos etiam admonere curarit. Ex quo dicebat Diu. Hieronym. lib. 1. in cap. 2. Matth. *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per* Matt. 2. Hieron.

Angelum, sed per ipsum Dominum. Expende illud, *consequenter*: quasi enim necessario consequitur, quod Deus talem se tibi præbeat, qualem tu te præbueris ipsi Deo. Hoc dicebat etiam Psalm. 17. loquutus ad Dominum. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Nunquam aliter se Deus præbet hominibus, quam homines se præbēt Deo; id quod exemplis notat Chaldæus prædicta Psalmi verba explanans. *Cū Abraham, qui repertus est pius ante te, multiplicasti facere pietatem; & cū semine eius Isaac, qui fuit perfectus in timore tuo, perfecisti verbum voluntatis tuæ cum eo. Cum Iacob, qui ambulauit in puritate coram te, elegisti filios eius de cunctis populis, se gregastique stirpem eius ab omni falsitate: & cum Pharaone, & Ægyptijs, qui cogitauerant cogitationes malas aduersus populum tuum, conturbatos reddidisti eos in cogitationibus suis.* Sic se se attemperat Deus hominibus, vt illis reddat siue bona, siue mala; vt illis illo, vel alio modo appareat. Qualis tu fueris cum Deo, talis proculdubio Deus tibi aderit. Pro quo Bern. serm. 70. in Cant. ait. *Igitur qualem te paraueris Deo, talis, oportet, appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit, & cum viro innocente innocens erit. Quid ni æque, & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intententus, & solicitus cum solicito.* Hanc inter te, & Deum puta correspondentiam futuram; tu examina, qualem Deum tibi adesse velles; finge eum Deum, qui tibi magis arrideat; talem te præbe, & talem habebis Deum. Fallor si aliud dicebat sponsa Cant. 2. cum ait. *Dilectus meus mihi, & ego illi*: Sic monstrabat, quam paria, quam similia essent omnia inter se, & Deum, qualis Deus, talis illa, & qualis illa, talis Deus; non talis futurus, tunc solum quando illa non inueniatur talis. Do etiam Bern. serm. 70. in Cant. fantem. *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus, & misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi; ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi, & non alteri, quoniam vna sum columba eius; ego illi, & non alteri. Nec enim audio vocem alienorum.* Sic sibi in omnibus correspondent homo, & Deus; nec Deus alius erit, nisi quando alium inuenerit hominem.

Psalm. 17.

Chaldæus.

Bernard.

Cant. 2.

Bern.

CAPVT NONVM.

Sepultura Iesu prædicitur.

AQVILA nobilissima, diuinissimaque magni Dei proles Iesus inter Romana signa apparere gaudens adulteros, de generesque pullos Israelitas abijcit. Et cur non abijciat vt adulteros eos, quos tot Iesu lumina condemnant? Ad Ionæ facem viderunt Niniuitæ; & Regina Austri longam arripuit viam splendenti Salominis doctrina tracta. In quibus condēnationis suæ dantur signa Iudæis, quando ipsi doctiorem Salomonem nacti, nec pedem mouent: & adhuc cæcutiunt aspicientes verum Ionam, qui non solum in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus egit, sed & in corde terræ iacens tantum consumpsit temporis spacium.

Matt. 12. Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis, magister volumus à te signum videre.

§. I.

Vbi voluntas propria dominatur: Ibi perditio.

ECCE quo ductore accedunt miseri Iudæi, vt cœlestia exposcant signa; respuunt signa sanitatum in præsentiarum facta, & abeunt petituri tronitruum mugitus, fulgurum gyrationes, imbrium nimbos petrosos, mille alias meteororū horrendas figuras. Non ne potiora, & euidentiora erant sanitatum signa? Cur signa metuenda malunt, quam signa salutum? Ipsi explicant, dū aiūt; *volumus*: & quidem vbi voluntas propria dominatur; nunquam ibi salus, sed perditio. Ad Tyrium Regem dicitur Ezech. 28. *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* An tam nociuus est decor, qui perditionem sapientiæ inferat? Non dicitur sapientiæ perditio venisse absolute à decore, sed notanter additum est illud, *à decore tuo*, vbi non decor, sed propriæ volūtatis

Ezech. 2.

tatis dominatûs pro perditionis ponitur causa. Id notabat Diu. Bernard. 74. in Cant. aiẽs.

Bernard. *Si aduertisti, non in decore, sed in suo decore dictus est ille perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia, quod non secundum veritatem ambulauit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatẽ: istud est, cur eam perdidit, immò istud est, quod eam perdidit.* Patentissima est perditionis causa, vbi cernitur voluntas propria dominari: nescit enim voluntas propria, nisi, & nocentiora, & damnabiliora sibi eligere. Nota fuit illa popularis seditio in Samuelem, & filios eius: quippè Samuelis filij in iudicando populo non fideles, non iusti erant: sed auaritiam sectabantur; accipiebant munera. Quid tunc populus? An Deum consulit? An iudicum iniustitias corã Deo proponit, ab illo spectat audire, quid faciant? Minimé, sed ipsi ex proprio marte, ex propria voluntate regem petunt, & regẽ prorsus similem gentium tyrannis. Aiunt enim. 1. Reg. 8. *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut, & vniuersæ habent nationes.* Acutè notat Caietanus qualem regẽ eligat voluntas propria, nimirum regem petit, qualem habent nationes; non qualem lex diuina constituit, non qualem Deus antiquis patribus Abrahamo, Isaaco, & Iacobo promisit, sed qualem tyrãnides apud gentes effixerunt. Sic petitum regem depingit Samuel ibi: *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.* Sic se præcipitat voluntas propria; sic cæca est, vt semper ad durius aliquod impingat. Sed præstat in præsenti audire Diu. Gregor. lib. 4. expositionis suæ: vbi ponderat, & mãlum, quod fugiunt Israelitæ, & quid petant. *De filijs Samuelis dicitur: acceperunt munera, & peruerterunt iudicia. De eo autem Rege, quem filij Israel petunt, terribiles valde minæ proferuntur: quia dicitur: Agros vestros tollet, & oliueta, & dabit seruis suis. Et quis sapiens non attendat, quia nequius sit, publica violentia agros, & vineas tollere, quam vt acciperent munera?* Sed nunquam melius sibi prouidere norunt, qui propria voluntate gubernantur. Quo enim ducet cæca voluntas, nisi in foueã? Vndè non illepide Diu. Ephræm in Ascetico faciens voluntatem nostram cordis agricolam, monet illam, quod sacras literas consiliarios habeat, nisi velit in præcipitia cadere. *Caterum si contumacia, atque arrogantia ductus agricola ille noster, magistrum, atque consiliarium suũ relinquere voluerit, diuinas dico scripturas: errabit vagus, & in cogitationes malas, & affectiones noxias incidet.*

Caietan.

Gregor.

D. Ephræ.

§. II.

Voluntatis errores ex eo nascuntur, quod nolis ad Deum respicere.

CVR non se præcipitabit voluntas horũ, qui nihil Dei meditantur, sed toti ad ludrica creaturarum spectacula feruntur? Sic enim aiunt, *volumus à te signum videre*: non in te, non in tuis manibus signum quærimus, qui nihil de Deo volumus suspicere; sed à te exeant signa, & longe à te fiant, vt nos videamus illa. Hæc est impiorum mens oculos cõijcere ad ea, quæ à Deo producuntur, nihil diuinum, sed creata solum velle suscipere, ex quo omnes voluntatum suarum errores nascuntur. Vtinam eorũ oculi ad Deum essent, & non exorbitaret voluntas à diuinis curriculis. Cum Israelitæ peterent regem à Samuele. 1. Reg. 8. dicit textus: *Displicuitque sermo in oculis Samuelis.* Et sanè displicentia in corde est, non in oculis, cur ergo dicitur displicentia illa in Samuelis oculis fuisse? Fuit illa Samuelis displicentia non exorbitans, sed prorsus cõformis voluntati diuinæ; vnde meritò tribuitur oculis, quandoquidem ex oculis ad Deum positis nascitur omnis cõformitas, & compositio voluntatis humanæ cum diuina. Quo respiciebat Paul. 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*: ex eo enim, quod quis sic nouerit mente, & cogitatione Deo approximari, vt solum Deum sciat, vt solum Deum spectet, in illoque mentis oculos fixos habeat, vnus spiritus fiet cum illo, adeò vt sicut vna mens, & vna in duobus esse voluntas videatur. Sic Diu. Gregor. lib. 4. in lib. 1. Reg. ait. *Vnus spiritus cum eo fit, qua ex diuturna deuotione diuini operis, in tantam gratiam diuinæ cognitionis assumitur, vt ab interni eius æquitate iudicij per errorem mundani spiritus dissentire vltra non possit.* Et sanè quo crescit in te gratia diuinæ cognitionis, vt Deum videas, vt Deum spectes, eo crescit voluntatis tuæ cum diuina conformitas, nè voluntas tua erret, ne à Deo, & virtute dissentiat, ne exorbitet. Ideò anxiè monebat Dauid Ps. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper.* Inde firmitudinem, & robur humanæ voluntatis proponit, si Deum ob oculos habeamus; iungere mente Deo, & non erras, non exorbitas, sed firmus es, & immobilis. Apud Ioan. 1. non magis tardat terrenus homo in solitudinẽ petræ transire, quã tardat accedere ad Dominum, eiusque virtutes alta mente reponere. Is fuit Petrus de quo sic: *Et adduxit eum ad Iesum. Intuitusque autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu*

1. Reg. 8.

1. Cor. 6.

Gregor.

Eraſm. 104

Ioann. 1.

tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Vndè Petro tanta firmitudo? Vndè homini venit immobilitas petræ? Pulchrè Nyssen. hom. 15. in Ecclesiastem ait. *Simul & fratrem audit, & agno credidit, & per fidem est consumatus, & petræ agglutinatus Petrus factus est.* Vbi ad Iesum adducitur, sic ad illum afficitur, sic Deo mente, & corde fideli adhæret, vt à visione tanti boni, pene firmus, & immobilis perseueret, ex coniunctione ad petram factus Petus.

Nyssen.

§. III.

In creaturarum contuitu fieri vix nequit, quod affectus voluntatis non erret.

MIRABERIS imperiosam illam, & fastu plenam Pharisæorum volũtatem, qua dicunt: volumus à te signum videre? Sic labitur voluntas humana, ex eo, quod non Deum sed id, quod à Deo creatum venit, spectet. Quando voluntas circa res creatas versatur, etsi strenue se gerat, & non errat? Et non claudicat? Sanè Iacob ille validissimus, & robustissimus vir post vnius noctis pugnã, immò post victoriam reportatam Genes. 33. *Claudicabat pede*; quod mihi maximum argumentum est, Iacobum ibi non cum Deo creatore, sed cum creatura aliqua conseruisse manus, quandoquidem à creaturarum congressu sine affectus aliquali vulnere, nec victoria venit. Numer. 31. ad Israelitas victores loquutus Moyses ait: *Lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.* Cur victores post prostratos hostes, post triũphos cantatos iubentur purificari antequam in castris recipiantur? Dabantur ibi simul in lege perfectæ vitæ documenta, ne qui cũ rebus sensibilibus congressus, etsi strenuè pugnauerit earum lenocinia à corde fugare, putet se omnino illæsum manere; fieri enim vix nequit, vt à congressu creaturarum affectuum humanorum pedes non easordes contrahant; quæ egerunt lauacris. Origen. hom. 25. *Ergo hi qui pugnant, pro eo ipsa, quod contigerunt hostes immundos, & quod ingressi sunt contra eos, pollũti sunt. Et ego etiamsi vincere potuero diabolum, etiamsi cogitationes immundas, & males quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perueniant, quiuero; etsi calcare potuero caput draconis: hoc ipso tamen pollui me, & inquinari necesse est, quo eum, qui pollutus, & inquinatus est, contigi: & ero quidem beatus, quòd eum superare potui: immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum cõtigi, & ob hoc purificatione egeo.* Sic res creatæ, nec hostiliter à me respici possunt, quin ex earum conspectu, vel vulnus, vel aliquam maculam recipiam! Sic afficitur voluntas humana ex creaturis? Id cauebat sponsa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Non enim ad creaturarũ greges audet respicere sine vagationis periculo: quasi eo ipso, quod incipiat ire post creaturas, iam saltem vagationis ream se accuset; nũquam non gignit in ordinationem affectibus congressus cum creaturis. Vndè pro innocentia sua illud adducit Ierem. cap. 17. *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui.* Tota innocentiæ probatio in eo consistit, quod Deũ intuitus est, quod à Dei ducatu non declinauerit, quod diem hominis fugerit: quibus enim oculis dies hic materialis cum omnium creaturarum specie ellu xerit, vix fieri posset, quod inde affectus aliquos voluntatis inordinatos non rapiat. Ad hæc Gillibett. serm. 1. in Cant. fatur. *Malus dies, qui vitiorum denudauit semitas, illicientes species demonstrauit, solicitantem ingessit materiam. Heu quomodo me circumfulsit dies ista, quomodo affectum meum ad se abripuit. Vbique erumpunt in cogitatum cuncta, quæ spiritum turbent, vel deturpent. Licet enim animus castigatiori repellat proposito; solo tamen irruentium cogitationum sordidatur attactu.* Nequeunt creaturarum decora in conspectum venire, quin voluntatis affectum aliquali puluere non maculent. Pugnes licet viriliter, vt creaturarum lenocinia extinguas, dum cum illarum aspectu manus conserueris, saltem de congressu puluis exurget, quo etsi victor maculatus existas. Cant. 5. de laudabilibus cogitationibus sponsæ dicitur; *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi cornus.* Inter tot palmas, cur non potius aurum rutilet? Cur ibi negredo, aut vndè potuit venire? Sanè victrix cogitatio sponsæ creaturarum splendores representabat, quos dum debellat anima, dum de triumphat, de conflictu vincentis, & fuga victorum puluis aliqualis exurgit, qui palmas nigredine fuscat. Vt dicat Diu. Paulin. epist. 4. *Nigræ vero, de interioris exercitationis, quasi bellico puluere vel puluerulento sudore migrantes.* Vbi conflictus est inter humanam mentem, & exercitum creaturarum, non potest non esse puluis, non esse macula, qua affectus cospurcentur humani. Quod si mens humana non sibi caueat, iam non puluerem, sed lethalia vulnera contrahet, quibus misere pereat, in deuia, & præcipitia voluntatum suarum abiens. Quo spectat Diu Paul. ad Rom. 1. notans quid cõtraxerint terreni homines de aspectu creaturarum.

Num. 32.

Orig.

Cant. 1.

Ier. 17.

Gillib.

Cant. 5.

Paulin.

ad Rom. 1.

rārum. *Mutauerunt gloriam in corruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Inde nascitur, quod in homine non regnet ratio, sed cæca voluntas, nimirum ex eo, quod homo non Deum, sed creaturas suspiciat, in illisque cor suum ponat.

Matt. 12. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit.

§. IIII.

Maxima peccata præteritorum omnium memoriam in Deo renouant, vt castigentur.

GENERATIO mala, & adultera vocantur impudentissimi hi Pharisæi à Deo sic notante, & proferente antiquata illorum ab vtero, imò ab auis, & atauis peccata. Maximum enim scelus id solet facere, vt præteritorum omnium criminum memoria in Deo ad maiorem vindictam renouetur. Sic. 1. Reg. 7. vbi Israelitæ petebant sibi Regem dari, Dei regnum fastidientes, ait Dominus ad Samuelem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos à terra Ægypti.* Ecce tibi, vbi ad præsens crimen inspiciendum accedit Dominus, simul memorat omnia alia peccata per gē tem illam perpetrata à primo die egressionis ab AEgypto; ex quo educit D. Greg. lib. 4. expositionis, grauitatem peccati Israelitarum in petendo rege. Ait enim: *Summum namque crimen agnoscitur, ad cuius discussionem in Dei memoriam præterita cuncta peccata reducuntur.* Solet Deus sic cum peccatoribus se gerere, vt videatur vel non aspexisse illorum scelera, vel illorum penitus esse oblitus, sic peccatoris auget diuitias, sic beneficia cumulat in domo eiusdem; verum quod post hæc venit grande scelus omnia dissimulata peccata ob oculos ponit diuinos, vt quasi nouiter apparentia, & rememorata Deum faciant exurgere in vindictam. Oseas c. 8. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: facta sunt ei aræ ad delictum. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. Hostias offerēt, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitauit peccata eorum.* Aliquando dicitur Deus iniquitatū eorū recordari, sed quando? Theophilactus id ad Ephraim putat dictum cū vitulis immolabat: Rupertus ad totum Iudæorū populum cum obcæcatus Iesum morti tradidit. Sed in vtroq; siue idololatria, siue Iesu persecutio fecerunt, vt omnia anteacta crimina simul in Dei memoriā reuocarentur, quibus memoratis, & ob oculos habitis, non vlterius parceret. Ait Theophylact. ibi: *Postquam enim, quæ immolant super altaribus suis multis, idolis immolant, non suscipiet, & Dominus: quin potius per ea, & alias ipsorū iniquitates recordabitur, & ad vindictam prouocabitur.* Ex pende illud: *Et per ea alias iniquitates recordabitur, &c.* Solēt enim noua crimina etiā in prē tissimis mentibus aliorū omniū criminū memoriā renouare, & sic misericordiā abiegare. Similiter Rup. aiebat præmēs illud: *Nunc recordabitur. Nūc enim, id est, in hoc ipso, quod nolūt intelligere leges Dei* (quæ sunt de Christo) *recordatus Dñs iniquitatis eorū, & ex cæcatio hæc, visitatio est peccatorū eorū, quæ fecerūt à die, quo primū in deserto vitulū formauerunt, vsq; ad illū diem, quo Christi sanguinem fuderunt.* Itaq; Iudæorum ob cæcatio in Iesum non sola apparuit in oculis diuinis, sed secum traxit memoriā omniū etiā vetustissimorū criminū, & idololatriæ: quibus memoratis se Deus in vindictā infalibiliter inferendā parauit. Quo etiā respiciebat Dñs Ps. 49. aiens. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionē tuā ponebas; os tuū abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedēs aduersum fratre tuū loquebaris: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui.* Ecce tibi inter tot scelera Dei dissimulatio, & quasi obliuio, quid tunc? *Existimasti inique, quod ero tui similis: arguā te, & statuā contra faciē tuā.* Pro illo verbo, *statuā*, posuit Theodotiō, *stipabo*, quasi innueret iuxta Apollinaris interpretationem, confertissimū omniū peccatorū cumulū ob oculos proponendū. Et quidē vbi tāta peccatoris impudētia extitit, sic Deū excitauit, vt vetustissima omnia dissimulata, & pene obliterata peccata recordaretur, ob oculosq; poneret, ne amplius parceret. Vndē Eusebius in Cat. Græc. ait. *Statuā verò ad arguendū te, ante oculos tuos peccata, quæ vnquam feciſti, quæ tu quidē existimasti non amplius esse, nec in alicuius memoriā esse ventura. Verū ego tanquā Deus illa traducam, &c.* Caue tibi homo à peccatis, ne noua addas veteribus; illud enim, quod modo impudens cupis perpetrare, illa vetustissima pene obliterata, quæ tu putas non esse, in Dei memoriam reuocauit, & grande supplicium trahet. Similiter apud Oseam cap. 7. Ephraimi idololatriā taxans Dominus sic fatur iuxta Lxx versionē. *Omnia scelera eorum recorda-*

1. Reg. 17.

Greg.

Oseas. 8.

Psalm. 49.

Euseb.

Oseas. 7.

tus sum nũc: circũdederunt eos cogitationes suæ. Vide malum recentis idololatriæ, non solum ipsa oculis diuinis apparuit, sed & cum illa, quæ Deus, quasi non videns præterierat, dissimularat, vniuersa peccata rememorata appareant, adeò vt nec occultissimæ, & remotissimæ cogitationes, ibi absint. Theophylactus sic: *Quandiu, inquit Dominus, connixissem, nec longanimitate mea indicatus fini cernere ab ipsis ausa, nunc tandem apertè ea conteor, vt quæ in conspectu meo fuerint consilinta. Siquidem omnia simul collecta sunt, & in circuitu eorum steterunt, ne dum opera, sed & cogitationes, quæ demonstrant eos esse dignos, quibus irrogetur pœna.* Quis non metuat noua veteribus addere peccata?

Theoph.

§. V.

Castus, & legitimus a Deo affectus nihil præter Deum spectat.

MERITO dicitur adultera generatio, qũæ cæcutiens ad Deũ tota est in signis medio aere videndis, ea solum æstimat, quæ oculis spectare possit, & cum voluptate admirari. Hæc inquam, merito generatio adultera dicitur, quandoquidẽ qui legitimus à Deo affectus venit, nil primario, & per se nouit spectare, & inquirere, quam ipsum Deum. Præterea Theologorum scholas, quorum alij hoc diuino filio innatum putant, quod ex cognitione solius paternæ substantiæ procedat: alij saltem hoc illi esse naturale dicunt, quod primario, & per se ex vi generationis suæ essentiam diuinitatis spectet. Quippè nulli dubium est ex prospectu Dei verbũ diuinum, legitimũq; diuinitatis partũ censeri, adeò vt non sit si alio spectet. Iam inde censendus est quicumq; â Deo legitimus venit affectus, si Deum spectet, vel si relicto Deo ad alia creaturarum decora inclinetur. Eccleſiastici c. 2. Sic diuina sapientia legitimas suas proles explicat: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* In quibus expendendum est, cum quibus fratribus, imò gemellis nascatur castus, & legitimus à Deo affectus; huius primus frater ponitur timor filialis; tũc agnitio, hoc est, iuxta D. Anſel. ibi, cognitio paternæ diuinitatis; insuper sancta spes, videlicet iuxta Hugon. *Quæ nihil sperat, nisi sanctum.* Qui hos gemellos fratres non habet, qui nescit Deum spectare, Deique bona sperare, is adulter, & degener affectus est: ille solus castus, & legitimus à Deo venit affectus, qui nihil spectat præter Deum. Hinc monebat Diu. Auguſt. hom. 9. *Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre non cœlum, & terram, non campos liquidos marit, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum, sed desideres videre Deum tuum, amare Deum tuum.* Vane se legitimam Dei prolem reputat, qui auide fertur in nugatoria spectacula, qui rapitur pulchris creaturarum splendoribus, siue spectris. Ille regenerationis suæ legitimum thalamum exhibet, qui non creaturarum ludrica, sed verum, & solidum bonum nempè Deum suum toto virium conatu spectat. Sapienter dicebat Diu. Cyprian. lib. de spectaculis circa finem. *Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognouerit filium Dei. Deijcit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Proculdubio est degener oculus, vel affectus, qui aliud nouit respicere præter Deum; vt cuius ouis sit filius agnellus ostẽditur ex sequela, quod mille alias lactantibus vberibus etiam graues præterit, & despicit, vnique soli adhæret, quam vel à longinquo prospicit: sic filius Dei legitimus noscitur, qui solum sciuit currere ad Deum. Apud Ierem. cap. 3. ait Dominus: *Ego autem dixi: quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram, exercitum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Expende medium, quod offert Deus hominibus peccatoribus, vt possint numerari inter legitimos Dei filios, nimirum ait: *Post me ingredi non cessabis:* in tantum filius legitimus habeberis, in quantum vni adhæseris Deo, Deumque in omnibus spectaueris. Non sic, qui suæ se committunt voluntati, qui oculos suos, & spes suas ad creaturas habent. De his apud Isaiam cap. 57. *Accedite huc filij auguratricis; semen adulteri, & fornicariæ super quem lusistis?* Vel vt ex Hebræo Forerius reddit: *Super quem habuistis voluntatem?* Equidem super Deum habere volebant voluntatem, cum aiunt: volumus à te signum videre; & cum Deo ludere volebant, cum signa petunt facienda medio aere: sanè vt illis non ex Deo diuinent suas felicitates more augurum, in quo ostendunt, quam longè sint ab spiritu adoptiuorum, vtpote spurij, & degeneres, qui totas suas spes in creaturis fixas habẽt.

Eccleſ. 2.

Anſel.

Auguſt.

Cypr.

Ier. 3.

Isai. 57.

§. VI.

Petitio de rebus paruis insinuat animum degenerem a prosapia diuina.

ADVLTERA proculdubio erat generatio, quæ ad sanitatum corporum, & animarum miracula cæcutiẽs meteororũ inania signa petebat, quę sanè minima sũt, & nullius momen-

mōmenti inter supernæ virtutis signa. Vnde
Chrysolo. dicebat Chrysol.serm.132. *Qui vilia, & indigna precatur, præstantis potestatem, & potentiam degener petitor ignorat.* Non legitimus est, sed adulterinus, & degener, qui sic ignorat diuinarū diuitiarū altitudinem, vt non petat nisi vilia, & parua. Sanè ex magnarum rerum petitione censebat legitimos Dei filios Paul.
Rom. 8. ad Rom.8.aiens: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei: in quo clamamus Abba Pater.* In spiritu filiorum accepto clamamus ad Patrem, sed quid est clamare? An externos clamores edere? Absit: clamor in præsenti vocatur à D. Anselm. petitio de rebus cœlestibus, de iustitiæ, virtutisque magnalibus. Exod.14. meti-
Exod. 14. culosum populum Ægypti exercitu perterritum sic Moyses affatur. *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie; Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me?* Expende quæso, quod nondum Moyses fecerat verbum ad Dominum, nondum labia mouerat, & iam censetur clamare. Qui clamor erat in Moyse? Non cum Domino, sed cum populo agebat de sperandis à Deo magnalibus dum ait: *videte magnalia Domini, &c.* & merito in meditata petitione de magnalibus iam Deus filiorū suorum clamorem reputabat. Ad hęc
D. Ambr. D. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 19. ait. *Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cœlo, miraculis petens digna cœlestibus vt mundi elementa mutaret.* Non parua à magno sciuit petere filialis clamor, similiter, & nos, qui filiorum adoptionem accepimus, nō seruorum musitationem, sed audētē clamorem edamus, non vilia, sed magnalia à Deo magno petentes, & sperantes. Nos filios ostēdat clamor hic, non adulteros, de genereque promat de vilibus, & paruis postulatio. His de signabat filium Sol pater dum ait. *Magna petis Phaeton,* & quidem adulterinus esset, & indignus magno parente, qui minimis, & paruis posset delectari. Qua propter monebat supra
Ambr. Amb. *Et tu cum oras, magna ora: id est, ea ora, quæ æterna sunt, non quæ caduca. Ora quæ diuina sunt atque cœlestia, vt sis sicut Angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est; noli pro auro, quia metallum est; noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit. Non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit beneficijs.* Iude quis domesticus, & filius Dei censetur, si nouerit ea magnalia petere, quæ non sit indignum à Deo præstari. Vide lib.10. cap. 9. §. 1. & lib.11. cap.1. §.18. & alibi.

§. VII.

Pene de testabilior Deo est adulter quam Idololatra.

NO N semel Dominus vocat Iudæos adulteros, quia post deos falsos abierūt: Isaiæ
Isai. 57. 57. *Accedite huc filij augur atricis; semen adulteri, & fornicariæ.* Et statim: *Qui consolamini in dijs super omnem lignum frondosum.* Cur non potius vocat idōlolatras, quā adulteros? Nonne detestabiliores illos ostenderet obiectum crimen idōlolatriæ, quam adulterij? Non possum negare idōlolatriæ crimen grauissimum esse, & longe grauius adulterio; verū sic Deus adulteros detestatur, vt quandoquidem velit videri minoris facere idōlolatriæ abominationem, quam adulterij. Facile hoc mihi persuadunt voces frequentissimæ apud prophetas, quæ populi sui idōlolatrias sub vnico adulterij nomine exaggerant, vt patet legentibus sacram paginam. Rursus vbi, & matrimonia indissolubiliter seruanda, & repudia permittenda statuit: non vult vxorem à viro idōlolatra separari: verum ab adultero, & scortatore illam separari permittit. Sic enim habes
1.ad Cor.7 1.Chorinth. cap.7. *Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa non dimittat virum.* Ecce tibi non permittit Dominus repudiari idōlolatram à coniuge fideli Sed de adulteris habes Matth.5. *Si quis dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mechari.* Non criminis alicuius magni, non idōlolatriæ, sed adulterij causa repudium coniugis impunitum est apud Deum. Ex quibus sic ait D. Basil. Sel. orat.41. *Tam*
Basil. Sele. *enim facinus adulterij Deo videtur detestabile: vt si vxor ab idōlolatra, illo inuito, distrahatur, puniat eam Deus: non si ab scortatore.* Dei lege obligatur coniux communionem habere tori cum idōlolatra, minime autem cum adultero, propter quod solum crimen licita est per Deum inter coniuges separatio. Fieri enim potest, quod idōlolatra bene audiat apud Deum propter consortem fidelem, non sic adulter, sed semper detestabilis Deo accidit. Ad Co-
1.ad Cor.7. rinth.1.cap.7. ea assignatur ratio, cur mulier nupta maneat etiam sub idōlolatra viro: *Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Potest idōlolatra vir aliquomodo viuere de fide vxoris; adulter omnem spem, & vitæ, & sanctitatis excludit. Id quod expendit
Basil. Sele. D. Basil. Sel supra dicens. *Ex his colligo quantum hoc malum alia excedat: quæ enim cum infideli habitat, nō est immunda:* Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelē. *De meretrice autem nō ita res habet: quid enim ait?* Tollens

igitur membrum Christi faciam illud membrum meretricis? *Ibi enim sanctimonia manet; neque ob contubernium, mutuāq; consuetudinem excidit; hic autem recidit. Dirum proinde execrā dumque malum est.* Et cur non execrandum est malum quod Deus adeo detestatur? Quod sic opponitur sanctitati, quandoquidem apud idololatras propter fidelem comparem potest manere aliqualis sanctitas, quæ nec eius vmbra apud adulteros manet? Paul. ad Roman. 7. vt explicaret extremam ruinam naturæ humanæ dicebat: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Vnde scimus carnales homines venundatos esse sub peccato; redemptos à Christo Iesu per preciosum sanguinem suū sed nescimus per quid eos diabolus emerit: qua mercede, qua pecunia venundati sunt homines, vt misera sint dæmonis mancipia? Pro quo Orig. hom. 15. in Gen. ait. *Recte quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri sanguinem suum dedit: quid tale autem, vt nos mercaretur diabolus dedit? Ergo si videtur, ausculta. Adulterium pecunia diaboli est. Diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma.* Quale malum est adulterium ex quo diabolus pecuniam sibi thesaurizat, qua liberas mentes cōuertat in misera mācipia? Nec miror quod dicat in adulteris imaginē, & superscriptionem diaboli esse, sicut in proprio numismate; quādoquidē cum adulterio pene coniūcta est Dei exclusio, & atheismus. Vbi Matthæus cap. 6. incipit triumphalem Ioannis mortem edicere ait: *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem.* Quasi indigetet adulterium tanti criminis causam: id quod notans D. Basil. Seleu. orat. 18. ait. *Herodiadis tripudium nouis hodie inuulgat Euangeliorum vox, & atheam mulierum illarum publicitus pandit insaniā.* Pulchre adulterarum rabiem vocat atheam insaniam: quasi adulteris propinquus sit, & maxime proximus atheismus, quo prorsus sine Deo sunt.

Orig. Matth. 6. Basil. Sele.

§. VIII.

Peccatum semper in aliud grauius impellit.

NOTATE verba: *Generatio mala, & adultera:* prius mala, sed cum malitia nesciat quiescere, quim potius semper impellit in grauius malum, ideò statim additur adultera. Quod id omnes persuasum habeamus nimirū à semel recepto malo impellendos esse ad aliud grauius. Crudele illud crimen erat quod Dominus Israelitis obijcit Psalm. 105. *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.* Quid crudelius? quid magis impium quam quod pater iugulet filium dæmonibus? Cum eò malitia peruenit, nonne stetit ibi? Minime: sed adhuc impulit eos ad aliud grauius, quando nunquam sciat malitia cessare. D. Hieronym. in cap. 57. Isaię, ait. *A parricidio liberorum, ad prophetarum sanguinem peruenerunt.* Omnis malitia non terminus, sed via est ad aliam: eo ipso quod in corde sit, nescit quiescere, nescit non impellere nos in quid grauius. Matth. 6. *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem.* Expende initium criminis in Herode, prius fratris vxorem duxit, nec ibi malū quieuit, sed inde ad sacrilegium properauit, vt Ioannem trucidaret. Non enim in tantum facinus auderet, nisi prius recepta in animo nefandi concubitus malitia, de cuius impulsu venit, quod & in sacrilegij recideret barathrum. Etenim ait, D. Basil. Sel. orat. 18. *Mihi vide diaboli artem, vt ad impietatem ex leuioribus erratis extrahat. Primum fraterni cubilis perfossorem fecit, & subsessorem, vt ex adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat. Malum vero tempore altum crescit in quamuis libertatem.* Non equidem obscurum signum est abolitæ malitiæ, quod quis aliquandiu abstineat ab sceleribus perpetrandis; quandoquidem vbi malitia adest, non quiescit, sed semper impellit in aliquid grauius.

D. Hieron. Matth. 6. Basil. Sele.

Matt. 12. Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

§. IX.

Adulteri extremam Dei derelictionem, & expulsionem metuant.

QVOD Ionæ signū minatur Dominus Iudæis, nō est aliquod particulare Ionæ factum, sed vniuersa nimirū actio, quæ in Iona à Deo repræsentata est; ea autem erat derelictio, & repulsa populi Iudaici, & gentiū vocatio. Hanc ergo derelictionem Iudæorum in Iona præsignatam minatur modo Iesus eisdē quasi præsentē, & iā iā instārē. Nec vacat mysterio, quod adultera vocetur generatio, cui Deus extremā derelictionē minatur, quin potius crediderim in eo ostēdi, derelictionē extremā suppliciū propriū adulterorū esse. Quo expectat illud Ezech. 16. *Et iudicabo te iudicijs adulterarū, et effundētiū sanguinē, et dabo te in sanguinē furoris, et zeli.* Et post nōnulla supplicia

Ezech. 16.

tia in particulari designata, subdit immediate. *Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te: & quiescam, nec irascar amplius.* Ecce tibi adulterorum iudicium à Deo statutum, nimirum, tale repudium, quo penitus à Deo pro derelictis habeantur, nec quid illis præstet, quod veniæ efficaciter impetrandæ seruire possit, sed omnia illis in malum conuertantur. Solet enim indigatio Dei, & zelus dilectis filijs monstrare salutis callem; quę omnia ab adulteris Deus aufert, relinquens eos ire post desideria sua, quibus obcæcati misere perdantur. Quo respiciebat Prouerb. 6. *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam peraet animam suam. Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi: & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* Expende adulterorum pœna vnde ostendat grauitatem suam, quia nimirum, *zelus, & furor viri*, hoc est, iuxta Hugonem, *Christi, non parcet in die vindictæ*; quasi vnicus solum, & extremus dies sumatur à Deo pro vindicandis adulteris, quod summæ iræ argumentum est: quos enim Deus amat, castigat frequenter, & crebris punitionibus agit in viam salutis: non sic in adulteris, sed illos relinquit in desiderijs suis, vt congregent, & thesaurizent iram, in diem iræ. Ad hæc D. Chrysost. hom. 3. in verba Isai 1, ait: *Quemadmodum gubernator in portu faciens naufragiũ, haud quaquam vllam impetraret veniam: sic neque is, cui cum perconiegium concessum sit, quo lapsum effugiat: tamen aliena perfodit matrimonia, habere quicquam posset, quo semetipsum excusset, nec apud homines, nec apud Deum.* Et quidẽ pulchro exemplo explicat extremam adulteri derelictionem: dum enim gubernator vastissimum mare tranat, & cum ventis, fluctibusque obluctatur, vt ad portum perueniat, omnes aspicientes in miserationem flectit, & trahit in auxilia, quibus modis possint: verum vbi quietissimo, tranquillissimoque iam portu vtitur, ab omnibus auxiliatoribus deseritur, nec est vllus qui illius solicitetur periculo, in quod tunc, absq; vlla aliorum miseratione incurret: Sic prorsus accidit in salutis via; in qua à Deo, & auxilia, & subsidia mille parantur his; qui cupiditatibus obluctantes gradiuntur; verum a coniugatis, quibus concessum est, quo concupiscentias sedent, & ducant in tranquillum, si tamen adhuc instent alienis, omnem curam, & sollicitudinem, & efficacem prouidẽtiam merito auferat Deus, & prorsus illos destitutos relinquat. Quin etiam ab illis caueat gregem suum, tanquam à pestilentibus viris. Ierem. 3. *Si reliquerit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta, et contaminata erit mulier illa?* Septuaginta posuere: *Nunquid non polluta erit terra illa?* Quasi nõ solum adultera, sed & vniuersa terra, quam calcat contaminetur, & polluatur cõtagio adulterij, propter quod adulteri, & arcendi sunt, & repellendi ab hominum fidelium conuictu. Id quod cauebat D. Basil. Seleuc. orat. 41. inquiens. *Quare hortor vos hoc adulterij morbo liberetis. Si id minus vultis, templorum adyta ne ineatis. Nam & cooperta scabie oues non sunt cum sanis congregabiles: sed à grege abigendæ, dum morbum deponant: Christi enim membra sumus, ne igitur membra meretricis simus. Non est hic locus lupanar, sed Ecclesia. Quod si meretricis membra habeas, in Ecclesia ne steteris, ne locum ipsum contaminaueris.* Adeò pernicioſum est adulterium, vt adulteros Deus quasi pestilentia laborantes viros à suorum fidelium grege, & communione separet, & separatos relinquat. Solent contagiosæ febres eam derelictionem, & separationem causare; qua filij, & separẽtur, & derelinquantur ab ipsis parentibus; sic Deus omnium parens adulteros detestatur.

Prou. 6.

Chrysosto.

Ierem. 3.

LXX.

Basil. Sel.

§. X.

Peccatori proteruo nihil in Iesu restat, nisi iudicium.

MERITO obduratissimis Iudæis vnum Ionæ signum relinquitur; à Iona enim peccator, nihil posset sperare, nisi ruinam, & perditionem; quandoquidem vnus hic propheta inuenitur doluisse, quod venia peccatoribus daretur, qui mallet, vt omnes perirẽt. Igitur quam immisericordiam Ionas volebat peccatoribus conuersis, inueniunt obdurati peccatores in Iesu; dum enim peccatis hærere malunt, nullum illis relinquit Iesus benignitatis signum. Talis erat etiam ille qui Matth. 19. ait: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Huic statim seueriſsimus Iesus respondit: *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Ecce vobis Iesus nihil boni patitur spectari in se à iuuene isto, an quia ipse bonus non erat? Absit: sed quia iuuenis hic obduratus erat in cupiditatibus suis; illis autem qui sic hærent obstinate vitijs, totum quod in Iesu relinquitur, non bonitatis est, sed seueritatis, & iudicij. Ita D. Hilar. canon. 19. in Matth. inquit: *Cum necesse sit impia, & iniqua punire, nomine bonitatis abstinuit, soli hoc nomen Deo patri reseruans; non quod bonus ipse non esset, sed quod congrua in eum seueritate index esset futurus.* Miseri illi sunt, quibus tantum bonitatis, &

Matth. 19.

D. Hilar.

clementiæ pelagus omnino occcluditur; & solum quod seueriſsimi iudicis est, relinquitur. A nomine bonitatis, à benignitatis signis abstinet Iesus, & solum sese ostendit iudicem his qui obstinato animo volũt suis desiderijs seruire. Ezech.9. Apud Ezech. cap. 9. post ostensas Hierosolymitanorũm abominationes, & scelera quibus omnes pertinaciter adhærebant, dum ad vltores Angelos locuturus est Dominus dicitur: *Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus.* Quibus expendendum est, quod, vt ministros suos loquatur Dominus relinquat Cherubinorũ sedes, relinquat arcæ propitiatoriũ, immò à toto templo suo egrediatur; & sese constituat in limine ostij. Cur non magis de interiori templi, de super Cherub, & propitiatorio loquitur? Et templum, & Cherub, & propitiatorium signa erant hominibus salutaria, quæ salutem hominum præsignabant, merito ergo Dominus abstinet ab vniuersis his signis dum ministros suos mittit ad peccatricem, & obstinatissimam ciuitatem. Theod. Pulchre Theodoret. ait. *Cum enim sit contra ciuitatem laturus sententiam, extra sancta loca id facit, quæ non supplicia, sed salutem suppeditant.* Nihil prius facit Deus, quam omnia salutis signa dimittere, & ablegare cum ad obstinatos peccatores exit, vt solum ipsi seueritatis iudicium videant. Impudentissimi sunt illi qui scientes, & volentes se se vitijs immergunt, & dum nolunt à peccatorum laqueis expediri, nihilominus quærunt in Iesu salutis signa, quibus sese totos credũt: non his manent in Iesu signa salutis. sed seuerum Iudicium, sed horrenda repulsio. Peccaturo Petro dicebat Iesus Matth. 26. Matth.26. *Ante quam gallus cantet, ter me negabis.* Ecce vobis Galli cantus datur Petro pro signo cessationis negationum, immo pro signo obtinendæ salutis post peccatum; vbi enim Gallus cantauit, expergefactus Petrus egreditur foras, & flet amare, & reunitur vitali Iesu arbori. Sed cur Galli cãtus ponitur pro salutis signo, & non magis cæterarum auium cantus? Cur non dicit, antequam passerculi cantent, sed maluit exprimere Galli cantum? Solus Gallus canit ante lucem; cæteri passerculi post ortum solis canunt: & peccator ille merito habet signa salutis, qui intra tenebras infirmitatis humanæ, & ignorantiæ indulget peccatis: qui autem post ortum solem iustitiæ, post eius frequentes radios, noscens pericula inferni adhuc pertinaciter, & obdurate sese suis tradit desiderijs: is impudẽtissimus est, si tunc signa salutis vane sperat, cui nulla prorsus sunt, sed solum Iudicium, & repulsa manet. Accipite Orig. tract. 35. in Matth. santem. Origen. *Forsitam autem, & omnes homines quando denegant Iesum, ita, vt peccatum de negationis eorum recipiat medicinam, ante Galli cantum denegare eum videntur nondum eis nato sole iustitiæ, nec appropinquante eis ortu ipsius. Si autem post ortum huiusmodi solis ad animam, volentes peccauerimus, post quam accepimus scientiam veritatis, iam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile iudicium, & zelus ignis, qui comesturus est inimicos.* Hæc legant, qui dum se se obstinate, & pertinaciter post Iesum cognitum tradunt vitijs, supra dorsum eius ea signa salutis ædificantes, quibus prolongent iniquitates suas: insuper hæc legant, qui post multam scientiam de Iesu magnaljis, de merito, de prædestinatione, de malitiæ infinitudine, de inferni pœna minori culpis, adhuc se volunt cõmittere voluptatibus, in illisque inhærere, metuo ne hi sint, quibus in Iesu non reliquitur signum salutis, non relinquitur sacrificium pro peccato, sed terribile Iudicium, & zelus ignis.

§. XI.

Periculosè immò exitialiter, non correspondes illis auxiliis diuinis, cum quibus alij maxime proficerent.

NON solum Ionas sed, & multi alij prophetæ Iudæorum excidia, & gentium vocationem præsignarunt, cur ergo solus Ionas relictis alijs in medium adducitur? Ionas non solum verbis, sed & factis ipsis ostendit trãsmigrationẽ diuinæ gratiæ ad gẽtes. Quippe is propheta cũ esset apud Israelẽ, populũque de peccatis admoneret, viãque salutis aperiret, nihil proficit; iubetur à Deo ire in Niniue, quæ ciuitas prædicatione Ionæ acceptâ pœnitentiã egit, & inuenit salutis viam. Merito enim Iudæis nihil agentibus, sed impedientibus, & occupantibus otiosè prophetã, eripitur Ionas, vt tradatur Niniuitis eius prædicatione egentibus, vt salui fiant. Sæpe enim periculosè cõtemnis diuina auxilia alijs necessaria ad salutẽ; eripientur enim tibi, & dabuntur illis. Apud Luc. 13. proponitur huius rei similitudo in hominẽ habentẽ ficulneã sterilẽ plãtatã in vinea sua *Dixit autẽ ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructũ in ficulnea hac, & nõ inuenio. Succide ergo illã: vt quid etiam terram occupat? At ille respõdens, dicit illi: Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem in futurum succides eam.* Hæc dicta sunt de ficulnea hac, vt extirpetur, & eradicetur à vinea Domini, non tamen dicitur, nec explica- Luc.13.

tur

tur an Dominus annuerit cultoris precibus, & illam ibi reliquerit! Et cur hoc non explicatum est, sed prorsus incertum relictũ? Rationem huius incertitudinis crediderim fundari illis verbis: *Vt quid terram occupat:* Quippe ægre non eripit omnia Deus infructuose occupati auxilia diuina, & vocationis statum, quibus alij egent, vt possint multiplices fructus dare. Sapienter enim aiebat ad hæc Nazianzenus orat. in sanctum Baptisma fatus. Nazianz. *At incertum est, cò ne adduci poterit Deus, vt illi parcat, vt pote etiam locum occupanti, cum interim alius misericordia egeat.* Et cur non male audiat apud Deum ille, qui, & locum, & auxilia, & media salutis otiosa tenet, & occupat; quando illis egent alij, qui magnos inde fructus compararent? Innumeri proculdubio hodie sunt extra Ecclesiam, extra ordinem egentes magna Dei misericordia; egentes magnis auxilijs, siue externæ, siue internæ disciplinæ; quæ habemus omnes qui sumus in Ecclesia, vel in hoc ordine vocationis; habemus, in quam, illa prorsus vacua fructus, & inaniter occupata. Quis credat Deum permissurum quod tantorũ bonorum merita sint inaniter occupata, quim potius illa auferet, & tradet egentibus: vt fructum capiant? Cum huc per venio, non possum, non proferre, quæ sæpe animo voluo de reprouatione Iudæorum, & translatione gratiæ Dei ad gentes. Sanè grãdia erant Iudæorum peccata; sed gentium peccata erant multo minora? Apud gentes abominationes erant, idôlolatriæ, præposteræ libidines, homicidia, immò & deicidia, & vniuersa scelerum genera, cur ergo Iudæorum peccatum sic Deum offendit, vt cõniuere Deum faceret ad gentium abominationes, adeô vt gentes præ iudæis vocaret? Inter alias hæc se se mihi obtulit ratio, quod Iudæi peccatis suis tantam Dei gratiam habebãt occupatam, & vacuam, quæ posset ditare fructibus orbem terrarũ. Paul. ad Rom. 11. aiebat: Ad Ro. 11. *Amissio eorum reconciliatio est mundi.* Expende, quid apud Iudæos amittebatur gratiæ, nimirum, quod sufficiens erat totum mundũ Deo recõciliare, & copulare. Anselm. ibi: Anselm. *Tãta fuit in hac gente gratia, quæ sublata ab ea mũdum vniuersum Deo reconciliare sufficeret.* Inde maiorem offensionẽ, certiorem repulsam Iudæorum prætendebant peccata, quod vacuam facerent gratiam, cuius rore vniuersus orbis posset fœcundari. Hinc metuant multi similem expulsionem, in quibus gratia vacua & otiosa est, quæ plurimos alios ditaret. Apud Iudic. 6. habes Gedeonis vellus cœlesti rore madidum, sed statim vellere sicco manente exiens inde ros, totam vicinam aream fœcundat. Sed cur sic exsiccatur vellus? Erat in vellere obscurus, & ignotus ros, qui posset spatiosam aream, & latissimam fœcundare, vnde merito a vellere in aream trasfertur roris gratia. Hinc in rem præsentem aiebat D. August. serm. 2. de verbis Apostoli. *Repete tempus veteris testamenti, gratia occulta est in nube, tanquam imber in vellere. Attende modo tempus noui testamenti, discute gentem Iudæorum, quasi vellus siccum inuenies: orbis vero totus, tanquam illa area plenus est gratia non occulta, sed manifesta.* Et cur à vellere occultantem, & obscurantem gratiam tantam, non auferatur ros sufficturus orbi terrarum? Sanè quilibet Christianus tantam in se gratiarum copiam recipit, quanta si daretur infidelibus, multi eorum cõuerterentur, & operarentur in fide. Caueat ergo ne vellus sit, ne in se obscuret, & abscondat talentum gratiarum, quando circa est area sicca, hoc est, multi alij, qui possent illo ditari. Id quod in religiosis viris magis timendũ est, quia nullus illorum est, qui non habeat in se occupatos in gentes fontes gratiarum, qui possent replere orbem terrarum. Iud. 6.

Matth. 12. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

§. XII.

Luxuria semper sæuit in Christum.

NON ocsitãter Dominus Iesus paulo ante notabat generationẽ adulterã dicturus modo mortẽ, & sepulturã suam, sed vt ostẽderet, à quibus in sepulchrũ deiectus est, nimirũ ab adulteris. Et quidẽ inter omnia vitia carnalis voluptas acerrime cõtrariatur Dei virginisque filio, illũque mandauit quondã. & quotidie nũc quãtũ est ex se, mãdat sepulturę. Quò spectabat Iacob Gen. 49. aiens. *Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In cõsiliũ eorũ non veniat anima mea, & in cœtu illorũ nõ sit gloria mea: quia in furore suo occiderũt virũ, & in voluntate sua suffoderũt murũ.* Genes. 49. Ecce tibi totã Iesu tragædiam à Leuitis, & Simeonitis actã; hi coegerunt cõciliũ, vt Iesum morti, & terræ traderent: horum furori, & prauæ voluntati tribuitur Iesu mors, & sepulturæ clausurũ. Sed scire cupis vnde hi venerint in tã exsecrandũ facinus; quod manifestat clare lectio Tert. lib. aduersus Iudæos, inquiens: *Simeõ, & Leui perfecerunt iniquitatem ex sua secta, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium ne veniat anima mea; & in stationem eorum ne incu-* Tertullian.

buerint viscera mea: quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, id est, prophetas, in concupiscentia sua subneruauerunt taurum, id est, Christum. Expende quod à Leuitarum indignatione dicatur orta interfectio prophetarum; verum occilio Christi à concupiscentijs eorum habet ortum. Quippe carnalis concupiscentia est, quæ maxime in Iesum desæuit. Nullibi apparet vel vmbra concupiscentiæ carnalis, vel fœmineæ mollitudinis halitus, qui aliquid non nitatur detrahere Christo. Is Petrum Christianorum primatem occulatissimum Iesu discipulum fecit aliquando in Christi cognitione cæcutire. Nota est hist. Ioann. 21. ria Ioan. cap. 21. vbi rediuiuus Iesus piscantibus discipulis apparet, iubet retia in dexteram nauigij mitti: piscibus replet: tunc. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus dicit Petro, Dominus est: Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, &c.* Quibus valde miranda est Petri tarditas in cognoscendo Iesu, Petrus, inquam, qui & diuinam Iesu generationem cognouit, cum adhuc ille esset mortalis, & inde accepit Ecclesiæ primatum, modo tardus, & Ioanne tardior in cognoscendo Iesu? Vndè hæc hebetudo circa Iesum in Petro? Nihil in illo video Iesu contrarium, nisi forte recurram ad ancillulæ in domo Cayphæ colloquium, quandoquidem, vel fœmineæ mollitudinis habitus Christianis semper solet esse lethalis. Acci Chrysolò. pite Chrysolog. serm 78. fantem. *Petrus vt audiuit. Quæ res illam Petri sic tardauerat mentẽ, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nuntiare? Vbi est illud ipsius singulare: tu es Christus filius Dei viui, vbi est? In domo aufugerat Cayphæ principis Iudæorum, tardius sunum Dominum videbat, qui vocem facile ancillæ susurrantis audiuit.* Et quidem raro fœminea mollitudo non infert nocumentum rebus Christianis. Audisti diabolum ausum fuisse per se ipsum semel, & ter Iesu in deserto prælia inferre, sed quoties per se accedit, victus abit, nec vllum damnum potuit rebus Christianis comparare. Quid tunc? Lasciuientium hominum ingreditur animos, & inde tãquam exarmata bellua de Christi exercitu morti tradit antesignanum, nimirum, præcursorem Basil. Sel. Ioannem. D. Basil. Seleuc. orat. 18. *Primum cum abluto Christo confligit; vbi cum victoriam desperasset, in Ioãnem vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis vsus, viam aperit ad Baptistæ mortem.* Imbecillis est diabolus aduersus milites Christianos, dum carnalibus concupiscentijs non vtitur pro armis; has si assummat nunquam non parat excidia Christo, rebusque Christianis. De hoc etiam lib. 1. cap. 7. §. 5. & alibi.

§. XIII.

Iusti in morte maximè protecti, & muniti.

FVIT Iesus in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, vt Ionas in ventre Ceti; sed Ionas vt in ventre Ceti totidem dies perseueraslet, quanta ad id ope, & protectione diuina indiguit? Astitit equidem diuina omnipotentia Ionæ, qua vallatus, & munitus potuit in ventre Ceti tandiu perseuerare viuus. Discce ex hoc Christiane, quam protecti sunt, & muniti iusti, etiam inter mortis fauces, inter ipsas tenebras sepulchri. Iob de morte sua fatur, cap. 3. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificãt sibi solitudines.* Pulchrè mortem suam comparat iustus vir, non morti regum, sed eorum somno; in morte enim principes terræ accessibiles sunt, & patentissimi omnibus, fores palatiorum tunc patent, nulla custodia domus, pene omnibus licet intrare illuc, & quanta tunc licent seruis, & domesticis? Quis est qui non furetur aliquid propter custodiarum incuriam? At in somno, vt principes dormiant, quam se protegunt? quam se muniunt? tota familia vigilat, ne vel strepitus fiat, qui dormienti damnum inferat. Huic ergo regio somno similima est iustorum mors, in qua sic iusti proteguntur, sic muniuntur à Dei exercitibus, vt videantur reges, & terræ principes esse, qui somno & quieti indulgent. De Pharisæis circa sepulturam Christi dicitur Matth. 27. *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrũ, signãtes lapidem cũ custodibus.* Dum miseri putant suo furori seruire, seruiunt magis Iesu, cuius sepulchrum muniunt armata militum custodia, vt ostendant non mortem, sed regium somnum ibi custodiri. De hoc præclarè D. Damascen. homil. de sepultura Christi, inquiens. *Iacet ergo mortuus in sepulchro, excubitoribus, signaculisque obseratus, qui abyssum creauit, obsignauitque, qui posuit mare arenam pro termino, sicut Leo requieuit: vt catulus leonis obdormiuit, vt rex dum somnum capit custodibus septus.* Ecce tibi, qualis est in sepulchro mortuus diuinus, non vt homo interfectus patens elementorum ruinis, & hostium incursibus, sed vt princeps, vt rex quieti, & somno indulgens, armatis custodibus vndeq; aque munitus. Sic iusti omnes in morte custodiuntur, muniuntur pluſquam reges, cum viuunt, Luc. 16 de purpurati, & mendici mor- Luc. 16. te, ait. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinũ Habrahæ.*

Dines

Diues autem mortuus est, & sepultus in inferno.
Chrysol. De vtroque Chrysolog serm. 121. ait. *Pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus. En fratres mors pauperis totam vitam diuitis vicit, & elatio sola pauperis totam diuitis pompam transcendit, & gloriam.* Nulla est regum maiestas, quæ non sordeat, si comparetur iusti sepulturæ.

Matth. 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.

§. XIIII.

Qui peccatores sunt ex fidelibus, innumeros habent vindices, & carnifices.

NOTA quot carnifices exurgant in miserum Iudæum; & vniuersi viri Niniuitæ, & Regina austri surgent in Iudicio vt Iudæũ perdant; qui enim ex populo Dei perditioni dantur, innumeros semper experiuntur carnifices. Ezech. 9. Apud Ezech. cap. 9. vbi Iudæorum paratur interitus: *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonẽ, & vnusquisque vas interitus in manu eius.* Nonne sufficeret vnus Angelus ad Iudæorum perniciem, cur sex mittuntur? Vt perirent primogenita Ægyptij, immò vt perirent Assyriorum exercitus, vnus Angelus mittitur, ait enim Isaias. Isai. 39. 39. *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Cur ad Iudæorum perniciem non vnus, sed multi mittuntur? Ethnicorum peccata sufficienter puniuntur per vnum Angelum; verum fidelium peccata adeò immania sunt, vt non vnum solum, sed multos vltores solicitent. Ita aiebat Theodoretus Theodor. ibi: *Et profecto Assyriorũ multa millia vnus Angelus iaculis confecit; & Ægyptiorum primogenitos Angelus vnus iussus est interficere. Hic vero propter impietatis exsuperantiam sex Angelis Iudæorum puniendorum munus est impositum.* Habent hoc scientium Deum peccata, quod ad vltionem sui solicitent pene vniuersas creaturas: nunquam non conuenit multitudo accusatorum, & carnificum, vt puniant eum, qui Dei lege nutritus neglexit obtinere salutem. Iuxta hoc dicebat D. Paul. ad Hebr. 10. Ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quãto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Quibus verbis explicat Paulus deteriorem conditionem Christiani peccatoris: quæ deterior conditio consistit in duobus, nimirum, in quantitate pœnæ, & numero accusatorum, & vltorum: veteris legis peccator habet pro pœna mortem; mortem, inquam, quam recipiat duobus, vel tribus accusantibus, condemnantibus; verum Christianus peccator grauius punietur, non duos, vel tres, sed vniuersam multitudinem Angelorũ aduersus se accusatricem, & condemnatricem conuocans. Pulchrè Anselm. ait: *Ille conuictus duobus, aut tribus testibus interficiebatur, propter legis transgessionem, in qua non recipiebant obseruatores diuinam gratiam. Ergo quanto magis putare debetis deteriora, & acerbiora mereri supplicia eum, contra quem in iudicio perhibebunt testimonium Angeli sancti, & propria conscientia, quod filium Dei conculcauerit? In lege enim duo, vel tres adhibentur testes, sed hic erit testis multitudo Angelorum, atque sanctorum, & ipse peccator contra se.* A quo non accusabitur homo ille, qui post veritatis scientiã, post Saluatoris beneficia nota, post præmia ventura credita, adhuc vitijs se se credit? Quis non condemnet hominem fidelem, qui sciens diuitiarum cœlestiũ altitudinem, Dei veri magnalia, inferni pericula, nihil æstimat hæc incurrere, & illa perdere, dum liceat paulisper voluptatibus indulgere? Hunc nõ duo, non tres, sed vniuersi Angelorum exercitus, sed cunctæ creaturæ cœlestium, & terrestriũ accusare, & condemnare non cessant. Huiusmodi erat ille iniquitatis villicus, de quo Luc. 16. dicitur, quod *diffamatus est apud Deũ, quod dissipasset substãtiã eius.* Luc. 16. Sed quomodo diffamatus est? Sanè vbi eius peccatũ aduersus Deum bonorum tantorũ authorem innotuit: & cælum, & terra, & omnes sæculi creaturæ clamantes accusabant eum. Sic Chrysol. serm. 125. *Clamabat terra, clamabat cœlum; dolebant Angeli, quãdo iam tota sæculi fama loquebatur.* Chrysolo. Vniuersæ creaturę clamant, & condemnant peccatum hominis, qui accepit à Deo fidem Christianam.

§. XV.

Summa sanctorum omnium altitudo, quod se Christo Domino inferiores recognoscant.

IESVS non derogat sanctitati Ionæ, nec sapientiæ Salomonis, eo quod se illis maiorem, & præstantiorem prædicat, quandoquidem summa omnium sanctorum altitudo inde manifestius claret, quod se Iesu inferiores recognoscant. Dum fortissimorum Israelitarum facinora recoluntur 1. Reg. 7. dicitur. 1. Reg. 7. *Egressique viri Israel de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, vsque ad locum qui erat subter Bethchar.* D. Gregorius putat Bethchar significare, *domum agni*: vnde expendendum est, quo perueniant grandia fortissimorum ducum facinora, nimirum vsque ad locum qui erat subter domum agni: ibi eorum virtus conspicitur, ibi eorum victoriæ clarent, quia in eo summma sanctitatis altitudo consistit, quod quis se immaculato agno redemptori nostro subditum, & inferiorē D. Gregor. declarauit. Ad hæc D. Greg. lib. 3. expositionis ait. *Locus subter Bethcar communem sanctorum summam exprimit sanctitatem. Qui eidem redemptori se obediendo humiliant, & eius gloriæ per studium vitæ innocentis appropinquant.* Tunc equidem glorioſiores sancti apparent cū redemptori agno Iesu sese humiliter summittunt. Vnde non parum ad gloriam cœlestium principum conduxit illud Apocalyp. 5. Apocal. 7. vbi sic: *Viginti quator seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas, &c.* Quid est ceciderunt coram agno? Anselm. *Ceciderunt coram agno nihil de se præsumendo, sed humiliando coram agno.* Quasi in eò se, & reges, & principes, & thronis dignos ostentarent; nullus enim est apud Deum conspicuus thronus, qui sessores suos nō summittat tanto agno, vt inde illustriores reddantur. Sanè Moyses cum descendit de monte post acExod. 34. ceptam legem Exodi. 34. lucidam, & glorioſam præferebat faciem: etenim ait: *Videntes Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem,* siue vt legit Origen. *vidit Aaron, & omnes filij Origen. Israel Moysem, & erat glorificata facies eius;* Illustris, & glorioſus è facie tunc videbatur Moyses: verum vbi post sæcula in Thabor monte obsequium Iesu præstans apparuit, non solum eius facies, sed totus ipse glorioſus Luc. 6. & illustris visebatur. Sic habet Luc. 9. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erāt autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Quo enim Iesu propinquiores, & obsequentiores, eò de Iesu gloria, & maiestate illustriores reddebantur vt dicat Orig. hom. 1 4. in Exod. *Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius sed quia totus apparuit in gloria.* Quippe nunquam illustrior, & glorioſior Moyses, quam vbi seruiens, & ministrans Iesu apparuit. Orig.

§. XVI.

Principes pœnitentes Deus curat particulari honore afficere, & decorare.

NON semel in Euangelio audio Salomonem à Iesu nominari, nec inde paruum argumentum pro eius pœnitentia desumo: solet enim Deus particularem rationem habere principum pœnitentiū, & occasiones quærere, quibus illos honore afficiat. Id quod in ipsius Salomonis parentibus manifeste perspicitur: de quibus Matth. 1. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Multi fuerunt Dauidi filij, & quidem eorum species digna imperio, id que aliquis natiuitatis iure procurabat; sed voluit Deus, vt domus regia Dauidis non fundaretur nisi in filijs natis ex Bersabeth vxore Vriæ. Sed cur maluit Deus honorare regio splendore nuptias illas, quæ ab adulterio sumserunt originem? Sane, vt ostenderet in peccatoribus pœnitentibus se rationem habere personarum, & quas videt potentia sæculari florentes, & nihilominus sub luctu esse, eas semper honoribus implere. Ita D. Iustin. martyr quæst. 87. *Ergo Dauid, qui pœnitentia delicta sua correxit, propterea inuentus est ex animi Dei sententia, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Ac benigne potentiam honorans Deus in vxoris Vriæ progenie collocauit genus Dauidis, eademque de causa fecit, vt ex ea genus Christus duceret.* Expendè illa: *potentiam honorans Deus:* quippe humana potestas, & thronus iūctus cum pœnitentia maxime sollicitat Deum, ab illoque in gentes honorum cumulos metit. Sic de Henrico. II. Anglorum rege, cui imputata fuit mors S. Thomæ Cantuariensis, dicit Petrus Blessensis epist. 66. *Eadem siquidem die, qua primum tumulum Martyris visitauit, Regem Scotiæ persecutorem, & impugnatorem fortissimum captum vinculis carceribus mancipauit. Continuato deinceps fauore successuū ope Martyris de vniuersis hostibus gloriosissime triumphauit.* Non solum humilitate, & pœnitentia veniam obtinuit bonus rex, sed & maiori regni amplitudine, & illustrioribus triumphis continuato ordine fuit illustratus. Id quod euidenter patet in Manasse impiissimo rege, qui ob scelera sua, & propheta- Matth. 1. D. Iustin. S. Thom.

rum

rum mortes à Babylonio expugnatus, nigrisque carceribus occlusus, vbi cæpit delictorũ pœnitere, non solum veniam scelerum impetrauit, quod summum esset bonum peccatori, sed, & ingentes glorias, & regno restitutionem obtinuit. Sic enim habes. 2. Paralyp. 33. *Cæperuntque Manassen: & catenis vinctum, atque cõpedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecrauit intente, & exaudiuit orationem eius. Reduxitque eum Ierusalem in regnum suum.* Adeò potens est regum pœnitentia, & humiliatio, quæ ingentes glorias, & honores semper acquirat ex Deo.

Hæc selegi Christi Domini facinora, vt pro modulo meditarer; nec inter tot Iesu facinora minus putabit, qui me norit, quod ego possim de illis verba facere. Sed qui sciuit mutorum linguas soluere, posuit in mente mea rudis hominis, quæ dedi hactenus, & vt spero ponet, quæ dabo sequenti tomo de sermonibus Iesu, & parabolis, alijsque diuini oris miraculis.

Laus Deo, VIRGINIQVE MATRI, *meoque parenti* IGNATIO.



INDEX



INDEX SACRÆ SCRIPTVRÆ

A PATRIBVS ILLVSTRATÆ.

Vetus Testamentum.

Ex Genes.

CAP. 1. *In principio creauit Deus cœlum, et terram.* 26. 43. 190. *Et vidit lucem, quod esset bona.* 301.

Spiritus domini ferebatur super aquas. 107.

Dixitque Deus fiat lux, et facta est lux. 422. et 446.

Fiant luminaria. 67.

Factum est vespere, & mane dies vnus. 527.

Germinet terra herbam virentem. 67.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 595. 147. 388. *Et præsit piscibus, &c.* 390.

Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei; luminare minus, vt præesset nocti. 215. 544.

Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli. 291.

Dixit Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in vnum locum, & appareat arida, & factũ est ita, & vocauit Deus aridã terrã. 412.

Cap. 2. *de omni ligno paradisi comede.* 292.

Plantauerat dominus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. 83.

Tulit eum dominus, & posuit in paradiso voluptatis. 53. 54. 342. 101. 495.

Nomen vni Phison, ipse est qui circuit terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum. 31.

Fluuius autem quartus ipse est Euphrates. 238.

Hæc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. 223.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli adduxit ea ad Adam, vt videret, qui vocaret ea. 145.

Formauit igitur Dominus Deus hominem. 317. 224.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, &c. 505.

Fons ascendebat, &c. 79.

Cap. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus.* 55. 495.

Adam vbi es? 490.

Cum audissent vocem Domini Dei de ambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni. 156.

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? 182.

Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. 402.

Vidit ergo mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum. 458.

Serpens decepit me. 456.

Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viã ligni vitæ. 418.

Cap. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* 561.

Ecce vox sanguinis fratris tui de terra clamat ad me. 194. 356.

Nescio: Nunquid custos fratris mei sum? 362

Posuitque dominus in Ca in signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum. 250.

Peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 217.

Cap. 5. *Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & vocauit nomen eius Noe, dicens: Hic nos quiescere faciet.* 171.

Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus. 225.

Cap. 6. *Noe inuenit gratiam coram domino.* 152. 554.

Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt vxores sibi. 353. 531.

Finis

Finis vniuersæ carnis venit coram me. 573.
Cap.7.*De animalibus quoq; mũdis, & immũdis, et de volucribus,et ex omni,quod mouetur super terrã duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam.*155.581.
*Arca ferebatur super aquas.*159.
*In articulo diei illius ingressus est Noe,et Sem, et,Cham,et Iapheth filij eius,et vxor illius, et vxores filiorum eius.*222.
*In anno sexcentesimo vitæ Noe mense secũdo septimo die mẽsis rupti sunt omnes fontes.*477.
*Adhuc enim,& post dies septem ego diluuium inducam.*363.
Cap.8.*Ait Dominus ad Noe:Nunquam vltra maledicam terræ propter homines,sensus enim, et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*223.
Dimisit coruum,qui egrediebatur,& non reuertebatur.Emisit quoque columbam post eum vt videret,si iam cessassent aquæ super faciem terræ,quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. 88.
Expectans autem septem diebus alijs rursus dimisit columbam. 98.
*Egredere de arca tu,& vxor tua filij tui, & vxores filiorum tuorum.*225.
Odoratus est dominus odorem suauitatis,& ait ad eum:nequaquam vltra maledicam terræ propter homines,sensus enim,& cogitatio humani cordis prona sunt in malum. 228.
*Ædificauit altare domino,& tollens de cunctis pecoribus,ac volucribus mundis obtulit holocausta super altare.*336.
Aquæ ibant,& decrescebãt,vsque ad decimũ mensem.Decimo autem mẽse prima die mensis apparuerunt cacumina montium. 402.
*Recordatus autẽ dominus Noe,cunctorũq; animantiũ,& omniũ iumentorum,quæ erãt cum illo in arca adduxit spiritum.*347.
At illa venit ad eum ad vesperam portans ramũ oliuæ virentibus folijs ore suo. 347.
*Requieuit arca mense septimo vicesimo primo die mensis super montes.*590.
Cap.9.*maledictus Chanaam seruus seruorum erit fratribus suis.*31.
Cap.10. *Nemroth robustissimus venator coram domino.*102,417.
Cap.11.*confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* 141.
*Venite descendamus confundamus ibi linguã, &c.*266.
*Ecce vnus est populus,et vnũ est labium omnibus,cæperũtque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis,donec eas opere cõpleant.*293.
Cap.12.*tulit vniuersam substãtiam suam,et animas quas fecerat in Aram.*83.
*Egredere de terra tua, & de cognatione tua, et de domo patris tui.*23.377.136.
*Veni in terram,quam monstrauero tibi.*24.
Cap.13.*Omnẽ terrã,quã circunspicis tibi dabo, et semini tuo,vsque in sempiternum,*472.
Ecce vniuersa terra corã te est, recede à me obsecro,si ad sinistram ieris, ego dexterã tenebo. 474. *Dixit dns ad Abrahã postquã diuisus est ab eo Loth.Leua oculus tuos, et vide à loco in quo nũc es ad Aquilonẽ,et meridiẽ ad orientem omnem terrã,quã cõspicis tibi dabo.*474.
Cap.15.*tollens vniuersa hæc,diuisit ea per mediũ et vtrasque partes contra se,&c.*49.
*Merces tua magna nimis.*107.
Suspice cælum,& numera si stellas si potes: et dixit ei,sic erit semẽ tuum. 52. *Scito præscies, quod peregrinũ futurũ est semen tuũ in terra nõ sua,et subijcient eos,et affligent quadringẽtis annis.Verumtamẽ gẽtẽ, cui seruituri sunt, ego iudicabo,et post hæc egredientur cũ magna substantia.*138. *Qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.*219.
*Tria animalia arietem trimũ,vaccã trimã,capram trimã, et turturem,et columbam.*286.
*Sume tibi vaccã trienem,et caprã trienẽ.*329
Cap.16.*affligente eam Sarai fugam iniit.*171.
Cumque inuenisset eam Angelus domini. 505
Cap.17.*Et ponã te in Gẽtibus,regesque à te egredientur.*386.
Cap.18.*Clamor Sodomorum, et Gomorrhæ multiplicatus est,et peccata corũ magna valde.Descendam igitur,et videbo.*100.532.
*Descendam,et videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*157.315.
*Loquar ad dominũ cũ simpuluis,et cinis.*128
*Appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cum impio?*138.
*Cucurrit in occursum eorum.*142.
*Scio,quod præcepturus sit filijs suis, vt timeant nomen meum.*262.
*Ipse ad armentum cucurrit,et tulit inde vitulum tenerrimũ, tulit quoque butyrum, et lac, et vitulum,quem coxerat,et posuit corã eis,ipse vero stabat iuxta eos sub arbore.*363.
Cap.19.*Dissimulante illo apprehenderũt manum eius,et manũ vxoris,ac duarum filiarũ eius, eo quod parceret dominus illi.*82.
*Noli respicere post tergum.*4.
Salua animam tuam noli respicere post tergũ. 87.
Cũque esset mane cogebãt eũ Angeli, &c. 25.
*Tolle vxorem tuam,et duas filias tuas,quæ inuentæ sunt fideles tecum.*221.
Egressus est Loth, et locutus est ad generos suos,qui accepturi erãt filias eius,et dixit:Surgite,et egredimini de loco isto,quia delebit dns ciuitatẽ hãc,et visus est eis quasi ludens. 390.
*Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrhã sulphur,et ignẽ à dño de cælo,& subuertit ciuitates has, et omne circa regionem.*299.106.

Est ciuitas hæc parua ad quam possum fugere, & saluabor in ea. 499. 439.
Ascēditq; Loth de Segor, et mānsit in mōte. 521
Nec stes in omni circa regionē, sed in mōte saluum te fac, ne & tu simul pereas. 590.
Ca. 21. *omnia quecunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* 390. 443.
Cūm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo. 171.
Risum fecit mihi Deus. 13.
Tollens panē, & vtrē aquæ imposuit scapulæ eius, traditūq; puerū, & dimisit eam. 254.
Mater abiecit puerū subter vnā arborē, quæ ibi erat, & abijt, sedítq; è regione procul quātū potest arcus iacere. Dixi enim non videbo puerū moriēntē: exaudiuit autē Deus vocem pueri. 372.
Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo. 34. 289.
Ca. 22. *tentauit Deus Abrahā.* 235. 270.
Tolle filiū tuū vnigenitū, quē diligis Isaac, & vade in terrā visionis, atq; ibi offeres eū in holocaustū. 226. *Surrexit Abraham mane.* 5.
Dixit Isaac patri suo: pater mi, at ille respōdit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem, &c. 53.
Abrahā de nocte consurgēs strauit asinū suū. 81. *Ecce Angelus de cœlo clamauit.* 9. 304.
Dns prouidebit sibi victimā holocausti fili. 386
Multiplicabo semen tuū, sicut stellas cœli, & velut arenā, quæ est in littore maris. 507.
C. 23. *intercedite pro me apud Ephrō filiū Seor, vt det mihi spelūcā duplicē, quā habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eā mihi cor ā vobis in possessionē sepulchri.* 249. 350
C. 24. *pone manū tuā subfemore meo, et iurа.* 56.
puella cui ego dixero inclina hidriā tuā, et illa respōderit bibe, quin et camellis tuis potū dabo, ipsa est. 42. *et* 157. *Introduxit eā in tabernaculū Sarę matris suæ, & accepit eā vxorē.* 390. *Abijt Rebecca interrogare dnm.* 360.
C. 25. *maior seruiet minori.* 51. *Factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola; Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis: Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur; Rebeca diligebat Iacob.* 233
Deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaq; ætatis, & plenus dierum. 294.
C. 26. *profectus inde fodit aliū puteū, pro quo nō contenderūt, itaq; vocauit nomē eius latitudo dicens; nunc dilatauit nos dominus, & fecit crescere super terram.* 370.
Ca. 27. *affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedā, et benedicam tibi coram dño.* 98.
Affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escā patri tuo, quibus libēter vescitur. 94.
Quomodo tā cito innenire potuisti fili mi? Qui respōdit: voluntas Dei fuit. 186. 594. *Det tibi Deus de rore cœli* 30. 543. *Affer, vt comedā, et benedicat tibi anima mea, antequā moriar.* 372. *Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno, et cōsternatus ait: benedic etiā et mihi pater mi.* 254. 298. *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixit ei pater: dixitq; in corde suo: veniēt luctus patris mei, et occidam Iacob.* 393.
C. 28. *Tulit de lapidibus, qui iacebāt, et supponōs capiti suo dormiuit.* 106. *Tulit lapidē, quem supposuerat capiti suo.* 6. 284. *Ego sum Deus Abrahā patris tui.* 118. 457. *Vidit scalā stāte super terrā.* 151. 198. *Terrā in qua tu dormis tibi dabo, et semini tuo, erit semē tuū, quasi pulnis terræ. Dilataberis ad occidētē, et oriētē, et septētrionē, et meridiē benedicētur in te omnes gētes.* 322. *Si fueris dns mecū, et dederit mihi panē ad vescēdū, et vestimentū ad induēdū erit mihi dns in Deū.* 322. 451. *Cūq; euigilasset Iacob de sōno ait: verē dns est in loco isto, et ego nesciebā. Pauēnsq; quam terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.* 404.
C. 29. *quarto cōcepit, & peperit filiū, & ait, modo confitebor dño, & ob hoc vocabit eum Iudam: cessauitque parere.* 485.
Ca. 30. *Cernens autem Rachel, quod in fœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: da mihi liberos alioquin moriar.* 442.
C. 31. *cur ignorāte me fugere voluistis? go sū Deus Bethel, vbi vnxisti lapidē, & votū vouisti mihi, nū ergo surge.* 284. 289. *Oues tuæ, & capræ steriles nō fuerūt, arietes gregis tui non comedi, nec capitū à bestia vstēdi tibi, &c.* 334.
C. 32. *qui cū videret, quod eū superare nō posset, tetigit nerūfemoris eius, et statim emarcuit.*
Dixitq; ad eū dimitte me iā enim ascēdit aurora. Respōdit nō dimittā te. 533. *Dimitte me iā enim ascēdit aurora.* 535. *Nō dimittā te, nisi benedixeris mihi.* 380. *Cur quæris nomen meum.* 101. *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* 71. 212.
C. 34. *egressa est autē Dina filia Liæ, vt videret.* 83
C. 35. *erexit titulū super sepulchrum eius.* 261.
C. 37. *putabā nos ligare manipulos in agro, et quasi cōsurgere manipulū meū, et stare: vestrosq; manipulos circūstātes adorare manipulū meū.* 206. *Vidi per sōniū, quasi Solē, et Lunā adorare me.* 597. *Cōgregatis autē cūctis liberis eius vt leniret dolorē patris, noluit cōsolationē accipere.* 227. *Tulerūt autē tunicā eius, et in sanguinē hædi, quem occiderunt, tinxerūt, mittētes, qui ferret ad patrem.* 413.
C. 38. *cognosce cuius sit baculus, & armilla, & annulus.* 117. *Iste egredietur prior.* 124. *Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus.* 140.
C. 39. *in argumētū ergo fidei retētū pallū ostēdit marito reuertenti domū, et ait ingressus est ad me, etc. his auditis dns, & nimis credulus.* 56.

Nec quicquã eſt, quod nõ tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es. 67. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* 187.

Acidit quadam die, vt intraret Ioſeph domũ, & operis quicquã abſq; arbitris faceret, & illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret: Dormi mecũ. 305. *Nec quicquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur. Melius eſt, vt venundetur Ioſeph, &c.* 530.

C.40. *nũquid non eſt Dei interpretatio? Referte mihi quid videritis* 392. 562.

Tantũ memento mei cũ bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni. 309.

C.41. *putabã me ſtare ſuper ripã fluminis, & ſeptẽ boues, &c.* 88. *Sequentur ſeptem alij anni tãtæ ſterilitatis, &c. Nũc ergo prouideat rex virũ ſapientẽ, & induſtriũ.* 367. *Tu eris ſuper domũ meã, & ad tui oris imperiũ cunctus populus obediet, vno tantũ regni ſolio te præcedam.* 391. *Numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domũ meam.* 618.

Ca.42. *Tollenſq; Simeon, & ligans illis præſentibus.* 434. *Audiens Iacob, quod alimenta vẽderentur in Ægypto dixit filijs ſuis. Quare negligitis? Audiui, quod triticũ venundetur in Ægypto, deſcendite, & emite nobis neceſſaria.* 464. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.* 526.

Ca.45. *venerunt fratres Ioſeph, & gauiſus eſt & Pharao, & omnis familia.* 33. *Sufficit mihi ſi Ioſeph filius meus viuit.* 480.

Cap.47. *quintam partẽ Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis, &c.* 541

C.49. *Rubẽ primogenitus meus non creſcas.* 17. 585. *Principium doloris mei.* 598.

Adiuuet te Deus meus, & benedicat te benedictione cœli â ſummo, benedictione terræ habentis omnia propter benedictiones patris tui, & matris tuæ. 368.

Catulus leonis Iuda, &c. 519. *In voluntate ſua ſuffoderunt taurum.* 624.

Ex Exodo.

CAp.1. *non ſunt Hebreæ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricãdi habent ſciẽtiã, & priuſquã veniamus ad eas pariũt.* 95. 438. *Timuerunt autẽ obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis.* 461.

Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, ſi maſculus fuerit, interficite. 354.

Cap.2. *Pallea non dabũtur vobis, & reddetis cõſuetum numerum laterum.* 514.

Quis te conſtituit iudicem ſuper nos, num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptum? Timuit Moyſes, &c. 533.

Cur velocius venisti ſolito? 221. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* 136.

Capit. 3. *apparuit autem illi Angelus domini in flamma ignis de rubo.* 196.

Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum. 373.

C.4. *proijce eam in terrã, proiecit, & verſa eſt in colubrũ.* 83. *Poſtulabit mulier à vicina ſua vaſſa argẽtea, & aurea, ac veſtes, ponetiſq; eas ſuper filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.* 91. *Obſecro dñe non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad ſeruũ tuũ, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* 107. *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptũ, vt videã, ſi adhuc viuãt.* 126

Ca. 5. *dñs præcepit nobis, vt eamus viã trium dierũ in ſolitudinem, & ſacrificemus.* 295.

Hæc dicit dñs Deus Iſrael: dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. 524.

Cap.7. *verſa eſt in colubrum.* 572.

Cap.8. *Ego dimittam vobis, vt ſacrificetis in deſerto: veruntamen longe, ne abeatis.* 295.

Cap.9. *peccaui etiã nunc: dñs iuſtus, ego & populus meus impij.* 204. *Idcirco autẽ poſui te, vt oſtendã in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* 204.

C.10. *facta ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti: tribus diebus nemo vidit fratrẽ ſuũ, nec mouit ſe de loco, in quo erat.* 355.

C.12. *ſim autẽ minor ſit numerus, vt ſufficere poſſit, aſſumet vicinũ ſuũ, qui iũctus eſt domui ſuæ* 133. 142. *Fuerunt filij Iſrael, ſicut præceperat dñs Moyſi, & petierunt ab Ægyptijs vaſſa argentea, & aurea, veſtẽq; plurimã.* 177. *Erit autẽ agnus abſq; macula maſculus anniculus.* 270. *Tollat vnuſquiſq; agnũ per familias, & domos ſuas.* 363. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.* 490. *Menſis iſte vobis principium menſiũ.* 483. *Factũ eſt autẽ in noctis medio percuſſit dominus omne primogenitum.* 550.

C.13. *Tulit quoq; Moyſes oſſa Ioſeph ſecũ.* 372. 270. *In conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare: dicturusq; eſt Pharao ſuper filijs Iſrael. Coarctati ſunt in terra, cõcluſit eos deſertum. Et indurabo cor eius, ac perſequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, &c.* 454. *Nunquã defuit colũna nubis per diẽ, & colũna ignis per noctem.* 450.

Cum emiſiſſet Pharao populum, nõ eduxit eos dominus per viã terræ Philiſthini, &c. 516.

C.14. *& ingreſſi ſũt filij Iſrael per mediũ ſicci maris; erat enim aqua, quaſi murus à dextera eorũ, & leua: perſequẽteſq; Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos.* 255. *Cum extendiſſet Moyſes manũ ſuper mare.* 398. 420.

Filii autem Israel perrexerunt per mediũ sicci maris. 507. 602.

Tunc cecinit Moyses, et filij Israel carmen hoc domino, et dixerunt: Cantemus domino. 336.

C. 16. *colligat vnusquisq; ex eo quantũ sufficit ad vescendũ gomor, per singula capita iuxta numerum animarum vestrarum.* 151. 348.

Cap. 17. *elige viros, et egressus pugna contra Amalech.* 108. 64. 616.

Cumque eleuaret Moyses manus vincebat Israel, etc. 26. 208. 604.

Sumentes lapidem posuerunt super eum, in quo sedit. 208.

En ego stabo corã te tibi supra petram Horeb, percuties q; petram, et exiuit ex ea aqua. 401.

Cap. 18. *Prouide autẽ de omni plebe viros prudentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint auaritiam.* 416.

Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ illi suggesserat. 461.

Cap. 19. *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset dominus in igne.* 216.

Cap. 20. *Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur.* 376.

C. 24. *ascẽde ad me in montẽ, et esto ibi, daboq; tibi tabulas, et legẽ, ac mãdata, quæ scripsi: vt doceas eos: surrexerũtq; Moyses, et Iosue minister eius.* 370. *Melius fuerat nos mori in Ægypto, quando sedebamus, etc.* 587.

Si quis habeat aurum hyacinthum, coccumq; bis tinctum. 500.

Cap. 28. *pones autem in rationali iudicij doctrinam, et veritatem.* 365.

Cap. 31. *dedit q; dñs Moysi completis sermonibus in monte Sinai duas tabulas.* 25.

Cap. 32. *videns autem populus, quod moram faceret descendẽdi de monte Moyses, cõgregatus aduersus Aaron dixit: Fac nobis, etc.* 610.

Fac nobis deos. 25. 187.

Quibus ego dixi: Quis vestrũ habet aurũ? Tulerunt, et dederunt mihi, proieci illud in ignẽ, et egressus esi vitulus. 177.

Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerũt, etc. 308

Comederũt, et biberũt, et surrexerunt ludere. 436. *Percussit dñs populũ pro errore vituli, etc.* 260. *Aut dimitte eis hanc noxam, etc.* 323. 481. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum istũ, et faciã te in gentẽ magnã.* 499. *Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortatiũ ad pugnã, etc.* 432.

Proiecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis. 538.

Cap. 33. *ecce est locus apud me, et stabis supra petrã, cũq; transiuit gloria mea, ponã te in foramine petræ, et protegã te dextera mea, donec trãseam, tollamque manũ meam, et videbis posteriora, etc.* 108. *Ostendam tibi omne bonum: ponã te in foramine petræ, etc.* 380. 455.

Quibus ego dixi: quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem egressusque est hic vitulus. 543.

Cap. 34. *tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies.* 29.

Ex Leuitico.

Cap. 10. *imposuerunt ignẽ, & incensum desuper, offerẽtes corã dño ignẽ alienũ, quod eis præceptũ nõ erat, egressus q; ignis à dño deuorauit eos.* 179.

Ex Numeris.

Cap. 2. *homo secundum ordinẽ suum, & secundum signa sua, & secundum domus familiarũ castra collocet.* 495.

Cap. 11. *nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt possint sufficere, &c.* 316.

Cap. 12. *si pater eius spuisset in faciẽ illius, nonne debuerat saltẽ septẽ diebus rubore suffundi? &c.* 398.

C. 16. *stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & flamma cessauit.* 251.

Cap. 20. *loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* 44. 316.

Audite increduli nũquid ex hac petra aquã elicere poterimus? 169. 421.

C. 21. *Deest panis, nõ sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quãobrẽ misit dñs in populum ignitos serpentes.* 549.

C. 22. *obsecro, vt hic maneatis etiã hac nocte, vt scire queã, quid rursus mihi respõdeat dñs.* 81

Cernens asina Angelũ stantẽ in via euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrũ. 185. *Moriatur anima mea morte iustorũ.* 250. *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* 558.

Cap. 23. *orietur stella ex Iacób.* 15.

Veni mecũ in alterũ locũ, vndè partẽ Israel videas, & totũ videre nõ possis, inde maledicito ei. 120. *At ille, sumpta parabola sua ait: sta Balac, & ausculta; audi fili Sephor. Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec, vt filius hominis, &c.* 559.

C. 24. *quã pulchra tabernacula tua, ô Iacob, & tẽtoria tua, ô Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, quasi cedri iuxta aquas.* 163.

Pergens ad populum meum dabo consilium, &c. 458. 466.

C. 25. *Erat nomẽ viri, qui occisus est cũ Madianiti Zãbri filius Salai dux de cognatione, &c.* 103. *Ecce do eis pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij, &c.* 175.

Phinees filius Eleazari filij Aarõ sacerdotis auertit iram meam. 259.

Dixitque Moyses ad iudices Israel: occidat vnusquisque proximos suos. 588.

Cap.26.murmurauit autem omnis multitudo filiorũ Iſrael ſequenti die cõtra Moyſem,& Aaron dicens:vos interfeciſtis populum,481.
Cap.31.lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis. 622.

Ex Deuteronomio.

CAp.2.cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis:aquam emptam haurietis,& bibetis: dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum.463.
Cap.5.ego enim ſũ dñs Deus tuus,Deus æmulator reddẽs iniquitatẽ patrũ ſuper filios,&c.369.
Vade dic eis reuertimini in tentoria veſtra,tu verò hîc ſta mecum,&c.471.
Cap.7.cũ introduxerit te dñs Deus tuus in terrã, quam poſſeſſurus ingredieris,& deleuerit gentes multas coram te, tradideritque eas dominus Deus tibi; aras eorũ ſubuertite,&c;533.
Cap.10.ipſe es laus tua,et Deus tuus. 337.
Cap.11.omnis locus,quam calcauerit pes veſter. 10.46.334.
Cap.21.ſi genuerit homo filiũ contumacẽ, & proteruũ,qui non audierit patris, ac matris imperiũ,et coercitus obedire contempſerit,apprehẽdent eum,et ducent ad ſeniores.368.
Filius iſte noſter proteruus,et cõtumax eſt, monita noſtra audire cõtẽnit, comeſſationibus vacat,et luxuriæ,atque conuiuijs, lapidibus eum obruet populus,434.
Cap.22.ſi duxerit vir vxorem,et poſtea odio habuerit eã,quæſieritq; occaſiones, quibus dimittat eam obijciens ei nomen peſſimũ,&c. 107.
Cũ ædificaueris domũ nouã,facies murũ tecti per circuitum,ne effundatur ſanguis in domo tua.145.
Tollent eã pater,et mater eius, et deferent ſecũ ſigna virginitatis eius ad ſeniores.252.
Cap.23.non facies cum eis pacem,nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ. 68.
Ca.25.nõ ligabis os bobis terẽtis in area tua.143
Cap,32.ſicut aquila prouocans ad volandum. 8.
Cõſtituet eũ ſuper excelſã terrã, vt comederet fructus agrorũ,vt ſuggeret mel de petra,&c. incraſſatus eſt dilectus,& recalcitrauit.309
Fel draconum vinum eorum,et venenum aſpidum inſanabile.433.437.
Iungeris populis tuis,ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, et appoſitus populis ſuis,quia præuaricati eſtis coram me.472.
Cap.33.viuat Rubem, nec pereat.17.
Qui dixit Patri ſuo,et matri ſuæ:neſcio vos, &c.23.
Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.45.
Inundationẽ maris quaſi lac ſugent,et theſauros abſconditos arenarum.306.
Cap.34.ſepeliuit eum dominus in vallem terræ Moab contra domum Phegor,438.
Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus dñi in terra Moab iubente dño,et ſepelierũt eũ :.: et nõ cognouit homo ſepulchrum,&c.596.

Ex Ioſue.

CAp.1.ſicut obediuimus in cũctis Moyſi,ita obediemus,et tibi:tãtũ ſit dñs tecũ, ſicut fuit cũ Moyſi.Qui cõtradixerit ori tuo,moriatur.488
Ca.2.innoxij erimus à iuramẽto hoc,quo adiuraſti nos,ſi ingredientibus nobis terrã ſignũ fuerit funiculus iſte coccineus,et ligaueris eum in feneſtra per quam dimiſiſti nos. 369.
Cap.3.Egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt trãſiret Iordanem et ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebãt.111.Quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis(quod nunc vocatur mortuum)deſcenderunt.562.
Cap.5.cecidit pronus in terram,et adorans ait. Quid dñs meus loquitur ad ſeruum ſuũ? 315.
Hodie abſtuli opprobriũ Ægypti à vobis.584.
Sũ princeps exercitus dñi, et nũc venio.Cecidit Ioſue pronus in terram,et adorans, ait. 585.
Cap.6.cũq; ſonuerit vox tubæ longior,atque concitior,et in auribus veſtris increpuerit,cõclamabit omnis populus vociferatione maxima,et muri funditus corruent.315.
Vos autẽ cauete ne de his, quæ præcepta ſunt, quidpiam contingatis,&c.591.
Cap.7.igitur omni populo vociferante,et clangentibus tubis, poſtquã in auribus multitudinis vox ſonituſque increpuit, muri illico corruerunt.354.Non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos,eoſque fugiet,quia pollutus eſt. 20.
Cap.8.Ponite inſidias poſt ciuitatem,&. tradetq; eã dominus deus veſter in manus veſtras.145.
Cap.9.cur nos decipere fraude voluiſtis, vt diceretis procul valde habitamus? 31.
En panes quando egreſſi ſumus de domibus noſtris,vt veniremus ad vos, calidos ſumpſimus, nunc ſiccifacti ſunt,&c.173.
Cap.10.ſol ne mouearis cõtra Gabaon: ſteterũtq; ſol,et luna,donec vlciſceretur ſe gens de immicis ſuis.523.585.Ite et ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.555.556.
Cap.11.in illo tempore venit Ioſue, et interfecit Enacim de montanis.84.
Cap.24.nunc ergo timete dominum, et ſeruite ei perfecto corde,et auferte deos,&c.28.

Ex lib. Iudicum.

Cap.1.Fuit dñs cũ Iuda,et mõtana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis,&c.574.
Cap.3.Et clamauerunt ad dñm, qui ſuſcitauit eis Saluatorẽ,et liberauit eos Othoniel videlicet filium Cenez,fuitque in eo ſpiritus domini,et iudicauit Iſrael.413.
Cap.5.Vlulabat mater eius,& de cœnaculo loquebatur:cur moratur egredi currus eius, quare tardantur pedes quadrigarum illius? Vna ſapientior cæteris vxoribus hæc ſocrui verba reſpondit:forſitan nunc diuidit ſpolia,390.442.
Clypeus,& haſta ſi apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael,616.

Cap.6.dixitque Gedeon si saluum facis per manũ meam,18.
Ædificauit ergo Gedeon altare domino vocauitque illud pax domini,131.
Cap.7.videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordaceo volui, & in castra Madiam descendere cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, &c.471.
Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proijciente aquã lãbuerunt, trecenti viri,491.
Cap.8.cum reuersus fuero victor in pace conterã carnes vestras,489.
Cum reuersus fuero in pace destruam turrem hanc,132.
Omnia quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis reprehensio, nunc ergo ora pro nobis, quia mulier sancta es,76.
Dixit Iether primogenito suo: surge & interfice eos. Qui non eduxit gladium, timebat enim quia adhuc puer erat,556.
Fratres mei fuerũt, filij matris meæ, &c.557.
Cap.9. Iuerunt ligna syluæ, & vnxerunt sibi regem,70.21.
Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt eum,162.
Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?329.
Inclinauerunt cor eorum post Abimelec dicentes: Frater noster est. Dederuntque illi septuagintu pondera argenti, de Baai, &c.541.
Ecce vna mulier fracmen molæ desuper iacies illisit capiti Abimelech, &c.560.
Cap.11. Quicumque fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi occurrerit,42.
Dimitte me, vt duobus mensibus circum eam montes, & plãgã virginitatem meã, &c.392.
Ca.13. Morte morirmur, quia vidimus Dñm,406
Cõcipies, & paries filiũ. Caue ergo, ne bibas visũ, ac sicerã, nec immundũ quicquam comedas 441.471.
Cap.16, qui ascenderunt assumpta peccania, quã promisserant,87.
Videns illa, quod confessus esset ei omnem animum suum, misit ad Principes Philistinorum, ac mandauit ascendere, &c.399.
Ferrum nũquã ascendit super caput meũ, quia Nazareus, id est, consecratus deorsum de vtero matris meæ si rasum fuerit caput meum, recedet â me fortitudo,340.406.
Iam capilli eius renasci cæperant,131.
Cap.17. quod implenit manum Leuitæ,394.
Cap.19. Recedentibus tenebris venit ad ostiũ domus, vbi manebat Dominus suus, & ibi corruit.62.
Cap.20. septingenti erãt viri sortissimi ita sinistra, ac dextra præliantes, & funda lapides ad certum iacentes vt capillũ possent percutere.114

Ex Ruth.

CAp.1. quæ eleuata voce flere cæperunt, & dixerũt tecũ pergemus ad populũ tuum.230.
Cap.2. etiam si vobiscum metere voluerit, nõ prohibeatis eã, & de vestris quoq; manipulis proijcite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, &c.475.

Ex lib. Reg. 1.

CAp.1. erat vir vnus de Ramath.166.
VSquequo ebria eris? digere pauliſper vinum 503.
Cum esset Anna amaro animo, orauit ad dñm flens largiter, & votum vouit dicens: Dñe exercituum si respiciens videris afflictionem,505.
Vultusq; nõ sũt amplius in diuersa mutati,303
Cap.2. Non est sanctus, vt est dominus, & non est iustus sicut Deus noster.310.
Si autem in Deum peccauit vir, quis orabit pro eo?481.
Ego sum illa mulier, quæ steti hîc orans dominum pro puero isto; orani, & dedit mihi dominus petitionem meam.336.
Lætata sum in salutari tuo.551.
Erat ergo peccatũ puerorum grãde nimis coram dño, quia retrahebãt homines à sacrificio.601, 611.
Nec vadam donec ablactetur infans, & ducã eum, vt appareat ante conspectum domini, & maneat ibi.611.608.
Cap.3. dominus est, quod bonum est in oculis eius faciat,23.
Eli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam,548.
C.4. Inito autẽ certamine terga vertit Israel,141
Cap.5. ecce Dagõ ceciderat in faciem suã coram arca, caputq; Dagon, & duæ palmæ manuũ eius abscissæ erãt ad limen: porro Dagon solus truncus remanserat.310.
Aggrauata est manus dñi super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte, &c.398.
Cum surrexissent diluculo Azotij altera die: Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcã domini: & tulerunt Dagon, &c.527.
Cap.6. Si dimittitis arcã Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam.44.
Ibant autem in directũ vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames.282.
Cap.7. cõuenerunt in Maspha, hauserũtq; aquam & effuderunt in conspectu domini, & ieiunauerunt in die illa.213.
Cap.8. hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis filios vestros tollet, ponetque in curribus suis, facietq; sibi equites, &c. & aratores agrorũ suorum.144.
Ecce tu senuisti, & filij tui nõ ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.621.

Diſplicuitque ſermõ in oculis Samuel. 621.
Egreſſique ſunt filij Iſrael de Maphath percuſſerunt Philiſtæos vſque ad locum, qui erat ſub ter Bethchar. 630.
Cap. 13. *duobus annis regnauit ſuper Iſrael.* 294
Cap. 14. *maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis, & non manducauit vniuerſus populus.* 214.
Extendit ſumitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius. 603.
Cap. 15. *pro eo autem, quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* 179.
Pepercit populus mulieribus, ouibus, & armẽtis, vt immolarent Dñe. 53.
Peccaui, qui præuaricatus ſum ſermonem Domini; ſed nunc porta, &c. 546.
Cap. 16. *quandocumque ſpiritus Dñi malus arripiebat Saulem, Dauid tolebat citharam, &c.* 189.
Tulit Samuel cornu Olei, & vnxit eum. 401.
Imple cornu oleo, & veni, & mittam te in Bethlehem ad Iſai. Prouidi enim in filij, eius mihi regem. 317. 617.
Miſit Saul ad Iſai dicens: ſtet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiã in oculis meis. Igitur quandocumque ſpiritus malus, &c. 167.
Cumque ingreſſi eſſent vidit Eliab, & ait: Nũ coram D. o eſt Chriſtus eius? Dixit Dominus ad Samuelem, ne reſpicias vultum eius. 508.
Cap. 17. *hic eſt vir bellator ab adoleſcẽtia.* 519.
Eligite ex vobis virum, & veniat ad ſingulare certamen. 544.
Cap. 17. *Erat autem adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu.* 343. 359.
Ego venio ad te in nomine domini exercituum Dei agminum Iſrael, & dabit te dominus in manu mea. 334. 375. 162.
Cumque gladium nõ haberet in manu Dauid, cucurrit, & ſtetit ſupra Philiſthæum, & tulit gladium eius. 356.
Et cæpit tẽtare, ſi armatus poſſit incedere. 71
Quaſi ad canem exiſti cum lapidibus. 147.
Eo tempore quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner Principem militiæ: de qua ſtirpe deſcendit adoleſcens hic? 167.
Quaſi ad canem exiſti cum lapidibus, & virga. 581.
Cap. 18. *Saul percuſſit mille, Dauid decẽ millia.* 382. 264.
Tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans, quod configere poſſet Dauid cum pariete. 555. 310. 80.
Cap. 19. *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarũ poſuit ad caput eius, & operuit veſtimentis.* 275.
Niſus eſt configere Dauid lancea in pariete.
Cap. 20. *non morieris, nec enim faciet pater meus quicquam grande, vel paruum, niſi indicauerit mihi.* 141.
Quare morietur Dauid? Quid fecit? 199.
Fleuerunt pariter, ſed Dauid amplius. 244.
Viuit dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego, & mors diuidimur. 250. 487.
Cap. 23. *tu quidem eris Rex, ego autem ſecundus poſt te.* 244.
Cap. 24. *viuit dominus: quia niſi dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut deſcendens in prælium perierit, propitius ſit mihi Dominus, vt non mittam manum in Chriſtum domini. Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus.* 467.
Ecce dies de qua loquutus eſt dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis. 308.
Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te dominus in manum meam. 1. *Reg.* 24.
Cap. 25. *inuenit Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput eius.* 527.
Cap. 28. *quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* 258.
Ingreſſa eſt itaque mulier illa ad Saul, dixitque ad eũ: ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea, & audiui ſermones tuos, quos loquutus es ad me: nunc igitur audi, &c. 275.
Cras autem tu, & filij tui mecum eritis, ſed & caſtra Iſrael tradet dominus 603.

Ex lib. Reg. 2.

Cap. 1. *apprehendens Dauid veſtimenta ſua ſcidit; omneſque viri, qui cum eo erant, & planxerunt, & fleuerunt.* 232.
Stans ſuper eum occidi illum; ſciebam enim, quod viuere non poſſet poſt ruinam, & tuli diadema, &c. 525.
Cap. 2. *cum Eliſeus tranſiret iuxta Bethel pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei, &c. egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex illis quadraginta duos pueros.* 206.
Cap. 6. *viuit dominus, quia ludam ante dominũ, qui elegit me, &c. ludam & vilior fiam, &c.* 357.
Cap. 7. *quis ſum ego domine Deus, & qua domus mea? &c.* 357. 361. 498.
Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo domine, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum. Iſta eſt lex Adam. 584.

Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum, ante faciem tuam. 515.551.
Propter hoc verbum, & secundum sermonem tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt votum faceres seruo tuo. 582.
Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac. 374.
Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo domine, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum. Ista est enim lex Adam. 538.
Cap. 11. *cum deambularet in solario domus regiæ vidit mulierem se lauantem.* 285.
Et venit Vrias ad Dauid, quæsiuitque Dauid, quam recte ageret Ioab, & populus, & quo administraretur bellum? 570.
Cap. 12. *irritasti inimicos Domini.* 184.
Et dixit Dauid ad Natham peccaui. Dixitq; Natham ad Dauid. Dominus quoq; transtulit peccatum tuum. 280.
Ego vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedit tibi domum domini tui, &c. etsi parua sunt ista, adjciam tibi multo maiora. 351.
Quia blasphemare fecisti inimicos nomen domini, filius qui ex te natus est, morietur. 369.
Cum ergo Dauid audisset seruos suos musitantes intellexit, quod mortuus esset infantulus. 387.
Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me. 550.
Misit eum in manu Natham Prophetæ, & vocauit nomen eius amabilis Domino. 387.
Cap. 14. *ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersus se in agro, &c.* 313.
Ponderabat capillos capiti sui ducentis siclis pondere publico. 330.
Cap. 15. *Nuntiatum est Dauid, quod Achitopel esset in coniuratione, &c.* 466.
Cap. 16. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso populo.* 104.
Dimittite illum, vt maledicat, quoniam dominus dixit illi: vt videat humilitatem meam, & retribuet mihi dominus bona pro maledictione. 176.197.
Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? 554.
Cap. 17. *consurgens persequar Dauid,* 569.
Cap. 18. *Absalon fili mihi, fili mi Absalon quis mihi det, vt moriar pro te.* 249.578.
Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid, factaque est plaga magna in die illa viginti millium. Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo. 576.
Cap. 23. *Libauit eam domino.* 44.
Erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo. 48.

Cap. 3. *Apparuit autem Deus Salomoni per somnium nocte dicens postula quodnis, vt dem tibi.* 332.
Obsecro, date huic infantem viuum. 238.
Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur. 11. 79.
Audiuit omnis Israel iudicium, quod iudicasset Rex, & timuerunt. 91.
Cap. 4. *dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, quasi arenam, quæ est in littore, &c.* 506.
Cap. 7. *misit Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro.* 23.
Cap. 9. *si autem auersione auersi fueritis vos, & filij vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea: auferam Israel de superficie terræ, &c.* 564.565.
Cap. 12. *pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* 139.
Cap. 13. *altare que scissum est.* 539.
Fefellit eum, & reduxit secum, comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam. 149.
Inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, & leo stabat iuxta cadauer. 319.
Quicumque volebat implebat manum suam, & fiebat sacerdos. 394.
Cap. 17. *Corui quoque deferebant panem, & carnes mane.* 100.
Etiam ne viduam afflixisti, vt interficeres filium eius? 100.241.
Hidria farinæ non deficiet, &c. 468. 161 163.
Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, &c. 567.
Sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Corui quoque deferebant ei panem, &c. 313.
Viuit dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba. 316.459.228.260.
Viuit dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ. 69.75.
Vade, & fac, sicut dixisti, veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula. 259.
Cap. 19. *reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu.* 54.
Profectus inde Elias reperit Elisæum arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum vnus erat. 61.
Proiecitque se Elias, & obdormiuit in vmbra Iuniperi. 245.
Obdormiuit in vmbra Iuniperi, & ecce Angelus domini tetigit eum, &c. 344.
Cap. 21. *loquutus est ergo Achab ad Naboth dicens: da mihi vineam tuam, &c.* 285.429.
Cap. 22. *Miehæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare?* 467.

Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit dominus: decipies, & prævalebis. 558.

Cap. 23. *turbatus eſt ſpiritus eius, & dormiuit in lecto ſuo, & velauit faciem ſuam, & non māducauit panem.* 355.

Ex lib. Reg. 4.

Cap. 1. *da mihi puſillum aquæ in vaſe, vt bibam, & buccellam panis.* 52.

Si videris me, quando tollar à te, &c. 207.

Cap. 2. *Tulitque Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, &c.* 59.

Fiat in me duplex ſpiritus, &c. 70. 78. 266.

Pater mi, Pater mi currus Iſrael, & auriga eius. 160. 242. 375.

Habitatio optima eſt, ſicut tu ipſe domine perſpicis: ſed aquæ peſsimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille dixit: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: hæc dicit dominus: ſanaui fontes, &c. 537.

Cap. 3. *petijt mutuo à vicinis ſuis vaſa vacua, nō pauca.* 133.

Cap. 4. *numquid habes negotium, & vis, vt loquar regi?* 60.

Poſuit os ſuper os eius, & oculos, &c. 16.

Et dixit, vbi eſt Deus Eliæ? etiam nunc percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt. 193.

Cap. 5. *vade, & lauare ſepties.* 46.

Cap. 6. *orauit Eliſæus, & dixit: Percute iam gentem hanc cæcitate, & percuſſit eos, &c.* 512.

Cap. 18. *præcamur, vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriace, &c.* 506.

Deditque Ezechias omne argentum, quod repetum fuerat in domo domini, & in theſauris regijs. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi domini, & 541.

Cap. 20. *omnia quæcumque ſunt in domo viderūt, &c.* 458.

Inuocauit itaque Iſaias propheta dominum, & reduxit vmbram per lineas, &c. 426.

Sit pax, & veritas in diebus meis. 132.

Conuerſus ad parietem fleuit. 156.

Cap. 22. *ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti, & ego audiui, ait dominus, id circo colligam te, &c.* 116.

Colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, &c. 577.

Cap. 23. *regemque cōſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius, vertitque nomen eius.* 263.

Fecit malum coram domino iuxta omnia, quæ fecerant patres eius. 320.

Cap. 25. *populo, qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiſerat Nabuchodonoſor Rex Babylonis præfecit Godoliam.* 316.

Ex Paralip. 1.

Cap. 14. *domine non eſt apud te vlla diſtantia vtrum in paucis auxilieris, an in multis, adiuua nos domine Deus noſter, &c.* 220.

Cap. 21. *vidit Dauid ferientem Angelum.* 34.

Sufficit iam, ceſſet manus tua. 51.

Melius mihi, vt incidam in manus domini, quoniam multæ ſunt miſerationes eius, &c. 97. 307.

Ex Paralip. 2.

Cap. 9. *fecitque Rex Salomon ſolium eburneū grande, & veſtiuit illud auro mundiſsimo ſex quoque gradus, &c.* 91. 533.

Cap. 11. *ſed & de cunctis tribubus Iſrael, quicumque dederant, vt quærerent dominum, &c.* 99.

AEſdras. 1.

Cap. 7. *& dedit ei Rex, ſecundum manum domini Dei eius, &c.* 473.

AEſdras. 3.

Cap. 4. *omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipſam benedicit.* 367.

AEſdras. 4.

Cap. 4. *poſt hæc vidi ipſum hominem deſcendentem de monte, & vocantem ad ſe multitudinem aliam pacificam, & accedebant ad eum vultus hominum, &c. aliqui vero alligati.* 269.

Qualis ager talia, & ſemina; quales flores tales, & tinctura, &c. 377.

Ex Tobia.

Cap. 2. *non eſt contriſtatus contra Deū, quod plaga cæcitatis eueniret ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* 294.

Cap. 3. *hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius ſi in probatione fuerit coronabitur, etc.* 371.

Cap. 4. *panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* 265.

Indico etiam tibi fili mi dediſſe me decem talenta, &c. 146.

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, &c. 609.

Cap. 6. *ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandū eum*

eum. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine adiuua me. Et dixit et Angelus apprehende brachiam eius, & trahe eum ad te, &c. 605.

Cap. 10. monentes eam honorare socer os, diligere maritum, &c. 390.

Cap. 12. bona est oratio cum ieiunio. Quia acceptus eras Deo necesse fuit, vt tentatio, &c. 294.

Tace, & noli turbari, sanus est filius noster, &c. 387.

Rogare cæperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerat, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: benedicite, &c. 617.

Cap. 14. Quacumque die sepelieritis matrem vestram circa in vno sepulchro ex eo dirigite, &c. 269.

Et completis annis nonaginta nouem in timore domini cum gaudio sepelierunt, &c. 258.

Ex Iudith.

CAp. 4. clamauerunt ad Deum Israel vnanimiter. 332.

Cap. 5. imposuit Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, &c. 103.

Cap. 7. Erant autem non longe à muris fontes ex quibus furtim videbãtur haurire aquas, &c. 64.

Cap. 8. Quod est hoc verbum, in quod consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs si intra quinque dies, &c. 75.

In superioribus domus suæ fecit sibi secretum, in quo cum pueris suis clausa morabatur. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum. 167.

Cap. 9. subueni quæso te domine Deus mihi viduæ; tu enim fecisti priora, & illa post illa. 59.

Et dedisti mulieres eorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem. 103.

Domine Deus Patri mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fœmur virginis, &c. 104.

Capiatur laqueo oculorum suorũ in me. 109. 353.

Cap. 10. Lauit corpus suum, & vnxit se. 36. 264.

Factum est autem cum cessasset clamare ad dominum surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata vocauit Abram suam, &c. 340.

Cui dominus contulit splendorem, quia omnis compositio non ex libidine. 559.

Cap. 11. denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, vt bibant sanguinem, &c. 143.

Ego enim ancilla tua Deum colo etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua, &c. 371.

Cap. 2. iussit illic manere eam, & constituit, quid daretur illi de conuiuio suo. Cui respondit Iudith, &c. 432.

Cap. 13. Et pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit: cumque euaginasset illum. 400.

Confirma me Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt sicut promisisti, &c. 118. 219.

Cap. 14. audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros. 396.

Ex Aester.

CAp. 1. Vasthi quoque regina fecit conuiuiũ fœminis in palatio. 62.

Nec erat, qui nolentes cogeret adhibendum. 431.

Itaque die septimo cum Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit septem Eunuchis, qui inconspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi, &c. 433.

Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant. 450.

Cap. 2. quæ placuit ei, et inuenit gratiam in conspectu illius, et præcepit Eunucho, vt accelararet ei mundum muliebrẽ. Quæ noluit indicare ei populum, et patriam. 618.

Cap. 3. missa est sors in vrnam coram Aman, quo mense gens Iudæorum deberet interfici, dixitque Aman Regi Assuero: est populus, etc. 354.

Cap. 4. vade, et congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, et orate pro me: non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus: et ego cum ancillis meis ieiunabo. 345. 389.

Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, et tu, et domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum, idcirco ad regnum veneris, etc. 323.

Cap. 5. Quid vis Æster Regina? 32.

Cap. 6. quid pro hac fide honoris, et præmij Mardochæus consequutus est? 50.

Cap. 7. nec dum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem eius. 366.

Etiam reginam vult opprimere me præsenti. 599.

Cap. 8. egressique sunt veredarij celeres nuntia perferentes. 364.

Cap. 13. Scis, quia non pro superbia, et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Amam superbissimum. 351. 610.

Cap. 14. Ne tradas domine sceptrum his, qui nõ sunt. 84.

Tribue sermonem compositum, in ore meo in conspectu leonis. 272. 556.

Da mihi fidutiam domine Rex deorum, & vniuersæ potestatis: tribue sermonem compositũ, &c. 558.

Cap. 15. *Ipsa roseo colore vultum perfusa, & gratis, ac nitentibus oculis.* 36.

Vidi te domine, quasi Angelum Dei, & turbatum est cor meum. 62.

Conuertit Deus spiritum regis in mansuetudinem, ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam, &c. 141.

Ex Iob.

Circuiui terram, & per ambulaui eam. 512.

Cap. 1. *Qui mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, &c.* 434.

Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos, dicebat enim: ne forte peccauerint. 229. 146.

Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruẽs oppressit liberos. 147. 243.

Nuntius venit ad Iob, qui diceret. Boues arabant, & asina pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabei. 181. 182.

Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, &c. 436.

Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit, &c. 194.

Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poss. &c. 575.

Ecce vniuersa, quæ habet in manu tua sunt. 575.

Cap. 2. *testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* 126. 330.

Quousque sustinebis dicens ecce expecto tempus. adhuc pusillum præstolans. 140.

Factum est autem cum quadam die venissent filij Dei, & starent corã domino, venisset quoque Sathan inter eos. 165.

Percussit Iob vlcere pessimo. 170.

Alioquin mitte manum tuam, & tãge os eius. 256. 533.

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima. 489.

Tu autem commouisti me aduersus eum. 425.

Cap. 3. *dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, &c.* 355.

Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit dies suos, & loquutus est. Pereat dies, &c. 483.

Post hæc aperuit Iob os suum. 558.

Maledicant ei, qui maledicũt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. 488.

Capit. 7. *memento, quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona, neque aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, & non subsistam.* 86.

Quid est homo, quia magnificas eum? 35.

Peccaui: quid faciam tibi, ô custos hominum! Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? 181.

Sic ego, & habui menses vacuos. 295. 583.

Ca. 8. *manus tuæ fecerunt me, & plasmauerũt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Memento quaso quod sicut luum, etc.* 90.

Audite sermonem meum, & enigmata percipite auribus vestris, si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar. 224.

Capit. 13. *contra folium, quod vento rapitur ostendere vis potentiam tuam.* 205.

Duo tantum ne faceres mihi, &c. 576.

Capit. 19. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei, quis mihi det, vt exarentur, &c.* 216.

Miseremini mei vos saltem amici mei. 242.

Manus domini tetigit me. 533.

Fugite à facie gladij. 341.

Manus domini tetigit me. 533.

Vsque quo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? Ecce clamabo vim patiens, & nemo audit, vociferabor, & non est, qui iudicet. 503.

Ecce rideo in opprobrijs, & non loquar. 580.

Capit. 20. *Ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* 526.

Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua. 587.

Capit. 21. *Qui dixerunt Deo recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* 186.

Quid prodest nobis, si orauerimus illum. 207.

Videbunt oculi eius interfectionem suam. 576.

Quia non sunt in manu eorum bona, consilium impiorum longe sit à me. 592.

Cap. 22. *suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in ore tuo, si reuersus fueris ad omnipotentem ædificaueris.* 495.

Cap. 23. *vias eius custodiui, et non declinem à mãdatis eius, et non transgrediar. Si autem, et ipse iudicauerit me quis est, quis cõtradicat ei? Ipse enim voluit, et fecit.* 325.

A facie eius turbatus sum, et considerans eum timore solicitor. 303.

Cap. 26. *gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis.* 487.

Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. 608.

Cap. 28. *locus saphiri lapides eius, & glebæ illius aurum: semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis, non calcauerunt eam filij institorum, &c.* 210.

Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? &c. Perditio, & mors dixerũt auribus nostris audiuimus famam eius. 587.

Capit. 29. *Rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum, ego ipse, &c.* 295.

Capit. 31. *Si supra me aliquando terra gemuit.* 44.

Si sequutus est oculus meus cor meum. 178.

Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium. 197.

Si vidi Solem cum fulgeret, &c. 307.

Cap. 35. *indicare coram domino, & spectta eum.* 385.

Cap. 38. *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* 422.

Cap. 40. *respondens autem dominus Iob de turbine dixit.* 51.

Cap. 41. *Feruescere facit, quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt.* 77.

Omne sublime videt. 180.

Reputabit quasi palleam ferrum, & quasi lignum putridum æs: quasi stipulam æstimabit malleum. 181.

Cap. 42. *non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob.* 36.

Et addidit dominus omnia quæcumque possederat Iob duplicia. 140.

Nunc autem sumite septem vitulos, et ite ad seruum meum Iob, et faciet sacrificium pro vobis. 146.

Iob autem seruus meus orabit pro vobis faciẽ eius suscipiam, etc. 244.

Abierunt ergo Eliphas Themanites, et Baldad Suithes, et Sophar Naamahites, et fecerunt sicut loquutus fuerat dominus ad eos, et suscepit dominus faciem Iob. 232.

Dominus autem conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis, etc. 478.

Ex Psalmis.

BEatus vir, *qui non abijt in consilio impiorum, etc.* 551.

Psal. 1. *in cathedra pestilentiæ non sedit.* 161.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, etc. 346. 350. 412. 419. 258.

Quod fructum suũ dabit in tẽpore suo. 411.

Psal. 2. *quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: astiterũt reges terræ, et Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum.* 293. 424. 194.

Erudimini, qui iudicatis terram. 492.

Tanquam vas figuli confringes eos. 258.

Psalm. 3. *ego dormiui, & soporatus sum.* 246.

Psalmus Dauid, quando fugiebat à facie Absalon. 587.

Psal. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui, dedisti lætitiam in corde meo.* 373.

Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. 49.

Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? 234.

Psal. 5. *domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* 195.

Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis.* 280.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiẽ omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo. 311.

Laboraui in gemitu meo. 340.

Conuertere domine, & eripe animã meã. 41.

Domine ne in furore tuo arguas me. 246.

Psal. 7. *ne quando rapiat, vt leo animam meam, dum non est, qui redimat.* 193.

Dominus iustus iudex fortis, & patiens numquid irascitur per singulos dies? 205.

Psal. 8. *ego enim sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.* 348.

Psal. 10. *pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* 299.

Peccatores intenderunt arcum, vt sagittent in obscuro. 191.

Psal. 11. *descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia, &c.* 49.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus. 376.

Psal. 13. *non est, qui faciat bonum non est vsque ad vnum.* 49.

Dominus de cælo prospexit, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, &c. 253.

Psal. 14. *circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me: tribulationẽ, & dolorem inueni, & nomen domini inuocabo.* 337.

Psal. 15. *sicut nobacula acuta feciſti dolũ.* 455.

Psal. 16. *exquisiuit te facies mea, faciem tuã domine requiram.* 510.

Custodiui vias duras. 516.

Psal. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* 307.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocẽte innocens eris, &c. 619.

Perfecit pedes meos tanquã ceruorũ, &c. 605.

Pſal. 20. *preueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* 239.

Pſal. 21. *foderunt manus meas, & pedes meos dinumerauerunt omnia oſſa mea, ipſi vero conſiderauerunt, & inſpexerunt me.* 326.

Pſal. 22. *paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* 432.

Dominus regit me, nihil mihi deerit. 465.

Super aquas refectionis educauit me. 499.

Pſal. 23. *Attollite portas Prineipes veſtras, & eleuamini, &c.* 133.

Pſalm. 24. *Anima eius in bonis demorabitur.* 288.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. 523.

Pſal. 26. *viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, & ſuſtine dominum.* 40. 563.

Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hoſtiam iubilationis. 362.

Pſal. 28. *afferte domino filij Dei, afferto domino filios arietum.* 389.

Vox domini confringentis cedros, & confringet dominus cedros Libani: comminuet eas tanquam vitulum Libani. 418.

Vox domini præparantis ceruos. 25.

Comminuet eas tanquam vitulum. 45.

Pſal. 29. *pater meus, & mater mea derelinquerunt me dominus autem aſſumpſit me.* 372.

Ego dixi in abundantia mea, non mobebor in æternum. 148.

Pſal. 30. *abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* 403.

Pſal. 31. *quoniam tacui inueterauerũt oſſa mea, dum clamarem tota die.* 194.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo, &c. 89.

Quoniam apud te eſt fons vitæ. 559.

Pſal. 32. *de cœlo reſpexit dominus, vidit omnes filios hominum.* 100.

Pſal. 33. *diuites egnerunt, & eſurierunt.* 429.

Pſal. 34. *Apprehende arma, & ſcutum.* 514.

Pſalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 497.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine ne tuo videbimus lumen. Pratende miſericordiam tuam ſcientibus te: & iuſtitia tua his, qui recto ſunt corde. Non mihi veniat pes ſuperbiæ. 403.

Pſal. 36. *vidi impium ſuperexaltatum.* 84.

Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione erit. 474.

adhuc puſillum, & non erit peccator, quares locum eius, & non inuenies. 255.

Pſalm. 37. *putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* 393.

Pſal. 38. *mutuabitur peccator, & non ſoluet iuſtus autem miſeretur, & tribuet.* 463.

Dixi cuſtodiã vias meas, vt non delinquã in lingua mea. 423.

Nox illuminatio mea in delicijs meis. 67.

Pſal. 40. *beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberauit eum dominus.* 367.

Pſal. 43. *nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, &c.* 57.

Pſalm. 44. *lingua mea cãlamus ſcribæ velociter ſcribentis.* 348.

Eructauit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi. 399.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. 23.

Specie tua, & pulchritudine tua intende. 43. 358.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbris aureis, &c. 112.

Obliuiſcere populum tuum. 17.

Deducet te mirabiliter dextera tua ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent. 217.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliniſcere populum tuum, & domum patris tui. 221.

Pſal. 46. *dominus excelſus, terribilis Deus magnus.* 32.

Pſalm. 47. *in ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* 393.

Secundum nomen tuum, ita & laus tua. 568.

Pſalm. 48. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem, quique terrigiuæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues, & pauper.* 379.

Et ſepulchra eorum domus illerum in perpetuum. 261.

Pſal. 49. *ſacrificium laudis honorificauit me, & illic iter, &c.* 485.

Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. 602.

Pſalm. 50. *benigne fac domine in bona voluntatis tuæ Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem. fol.* 515.

Secundum multitudinem miſerationum tuarum. 419.

Dele iniquitatem meam, amplius lana me ab iniquitate mea, &c. 121.

Pſalm. 52. *Deus diſipauit omnia oſſa eorum, qui hominibus placent. Confuſi ſunt, quia Deus ſprcuit eos.* 281.

Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum. 203.

Non ſcient omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis. 570.

Illic tripidauerunt, vbi non erat timor. 572.

Pſalm. 54. *quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ?* 8.

Psalm.57. Quo non exaudit vocem incantantiũ, venefici incantantis sapienter.209.
Psalm.58. Conuertentur ad vesperam.3.
Psalm.59. Deus repulisti nos, & destruxisti nos iratus es, & misertus es nobis. Commouisti terram, & sanasti eam, &c.260.
Psalm.61. Quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceria depulsæ.197.
Psalm. 63. Protege me à conuentu malignantium à multitudine operantium iniquitatem, quia exacuerunt vt gladium linguas suas. 421.
Psalm.65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea.504.
Psalm.66. Pauper, & dolens, ego sum.120.
Psalm.67. Rex virtutum dilecti.44.
Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora eius in pallore auri.288.
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.212.
Psalm.68. Neque vrgeat super me puteus os suũ. 184.
Psalm.69. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina: confundantur, & reuereãtur, qui quærunt animam meam.218.
Psalm.70. Quia non cognouit literaturam introibo in potentias Domini.465.
Psalm.71. Deus iudicium tuum regi da. 33.
Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.476.
Psalm.72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me, quid enim mihi est in cœlo, & à te, quid voluit super terram? 412.
Psalm.73. Posuerunt signa sua signa.27.
Psalm.76. Hæc mutatio dexteræ excelsi.279.
Psalm.77. Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera, vt ponam in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, &c. 385.
Immissiones per Angelo malos.424.
De post fœtantes accepit eum. 14.
Percusit inimicos suos retrorsum. 44.
Psalm.78. Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum.269. 347.
Secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum.270.
Psalm.81. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines, &c. 148. 197.
Deus stetit in Synagoga deorum: in medio autem eos diiudicat. Vsquequò iudicacis iniquitatem? 532.
Psalm.82. Imple facies eorũ igneminia, & quærent nomen tuum Domine, 398.
Psalm.83. Beatus vir, cuius est auxilium abste, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.604.
Psalm.86. Memor esto Raab, & Babylonis scientium me.118.
Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.480.
Et Tyrus, & populus Ætiopum hi fuerunt illic.284.
Psalm. 88. Quis similis erit Deo in filijs Dei? 286.
Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, &c.221.
Psalm.89. Et exultauimus, & iocundati sumus in omnibus diebus nostris.297. 483.
Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. 202.
Psalm. 90. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, lõgitudine dierum replebo eum.295.
Qui habitat in adiutorio altissimi.424.
Psalm. 92. Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.226.92.
Psalm.95. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius.60.359.
Psalm.99. Intrate in conspectu eius in exultatione.90.
Psalm.101. Dies mei sicut vmbra declinauerunt, 289.
Cinerem tanquam panem manducabam.94.
Psalm.103. Respicit terram, & facit eam tremere.307.
Qui emittis fontes in conuallibus, inter mediũ montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.419.
Sol cognouit occasum suum. 603.
Extendens cœlum sicut pellem.42.
Rigans montes de superioribus suis. 77.
Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus: illic naues pertransibunt.490.
Inter medium montium pertransibunt aquæ. 501.
Psalm. 104. Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. 322.
Quærite faciem eius semper.124.
Eduxit eos in argento, & auro. 258.
Vt erudiret principes eius, sicut semetipsum. 491.
Psalm.105. Infecta est terra in sanguinibus, &c. 315.

Pſal.106.qui deſcendunt mare in nauibus,&c. 500.
Pſal.107.fiant filij eius Orphani. 88.
Pſal.108. circuierunt me ſicut apes, & exarcerunt ſicut ignis, & in nomine domini, quia vltus ſum in eos. 562.
Pſal.109. tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. 397.
Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion. 480.
Pſal.111.diſperſit,dedit pauperibus,iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 496.314.
Pſal.113.quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis,quia conuerſus es retrorſum? 111.
Pſal.117. non moriar,ſed viuam, & narrabo opera domini,caſtigans caſtigauit me dominus. &c. 250.
Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. 279.
Pſal. 118. fiat miſericordia tua, vt conſoletur me. 75.
Præueni in maturitate, & clamaui. 95.
Pſal.119.ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs. 503.
Pſal.120.niſi dominus cuſtodierit ciuitatem frustra vigilat,qui cuſtodit eam. 288.
Pſal.27.filij tui ſicut nouellæ oliuarum,in circuitu menſæ tuæ. 608.
Pſal. 128.ſæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,etenim non potuerunt mihi. 424.
Pſal.131.ſicut iurauit domino,votum vouit Deo Iacob, ſi introiero in tabernaculum domus meæ,&c. 617.
Pſal.136.obliuioni detur dextera mea. 408.
Super flumina Babylonis. 10.
Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. 114.
Pſal.138. quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugam? 300. 13.
Et non illuminatio mea in delicijs meis. 169.
Ecce domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua,tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. 256.
Pſalm.140.Abſorti ſunt iuncti petræ iudices eorum. 379.
Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis,&c. 423.
Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. 223.
Pſal. 141. audient verba mea, quoniam potuerunt.
Pſalm. 144. oculi omnium in te ſperant domine. 416.
Pſal.147.qui poſuit fines tuos pacem. 570.

Ex Prouerbijs Salomonis.

Cap.3.viæ eius, viæ publicæ, & ſemitæ eius pacificæ. 326.
Si dormieris,nihil timebis. 504.
Cap.6.ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam,&c. 519.
Vade ad apem ô piger. 281.
Filiſi ſpoponderis pro amico tuo,defixiſti apud extraneam manum tuam,&c. 519.
Cap.7.non eſt enim vir in domo ſua,abijt via longiſſima. 159.
Cap.8. accipite diſciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magiſquam aurum eligite, melior eſt ſapientia cunctis opibus, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. 466.
Per me reges regnant. 317.
Miſit ancillas, vt vocarent ad arcem. 76. 127.
Sapientia ædificauit ſibi domum,ſcidit columnas,ſeptem miſcuit vinum. 272.
Cap.10.memoria iuſti cum laudibus. 337.
Cap.11.ſalus autem, vbi multa conſilia.
Cap.13.ſubſtantia feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu multiplicabitur. 52.
Cap.14.poſſidebunt paruuli ſtultitiam, & expectabunt ſtulti ſcientiam. 600.
Cap.15.diſciplina innocentis cognoſcitur à prætereuntibus.
Cap.16. in hilaritate vultus regis vita, & clementia eius,quaſi imber ſerotinus. 115.
Cap.17.qui altam facit domum ſuam,quærit ruinam. 587.
Cap.18.Mors, & vita in manibus linguæ. 161.
Cap.20.luxurioſa res vinum. 105.
Cap.23.audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas cum ſenuerit mater. 368.
Cap.24.ſepties in die cadit iuſtus. 240.
Cap.27. ignorads quid ſuperuentura pariat dies. 582.
Cap.30.per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtineri: per ſeruum cum regnauerit, per ſtultum cum ſaturatus. 593.
Infernus, & os vuluæ. 223.
Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit,non ſum operata malum. 107.
Cap.3. mulierem fortem, quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius, confidit in ea cor viri ſui. 236.400.
Digiti eius apprehenderunt fuſum. 68. 127.
Conſiderauit agrum, & emit illum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum, guſtauit, & vidit, quia bona eſt negotiatio eius. 371.
Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, facta eſt, quaſi nauis, &c. 328.
Deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria, &c. 10.124.127.150.
Veſtiti ſunt duplicibus. 140.

Eccleſiaſtes.

Cap.1.*ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael.fol.490.*
Qui addit ſcientiam, addit, & dolorem. 579.
Capit.2.*riſum reputaui errorem gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?* 444.
Cap.3.*omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs trã-ſeunt vniuerſa ſub cælo.* 95. 1.
Tempus tacendi, & tempus loquendi. 423.
Cap.4.*conſiderans reperi aliam vanitatem ſub Sole; vnus eſt: ſecundum non habet, non filium non fratrem; & tamen laborare non ceſſat.* 257.
Melior eſt puer pauper, & ſapiens rege ſene, & ſtulto, qui neſcit prævidere in poſterum. 312.
Melior eſt ira riſu, &c. 554.
*Omnes labores hominum, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi.*408.
Verti me ad alia, & vidi calumnias. 570.
Cap.5.*cor ſapientum in domo luctus.* 248.
Cap.7.*melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* 432.
Cap.8.*etenim, quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* 179.
*Sermo regis poteſtate plenus eſt; nec dicere ei quiſquam poteſt quare ita facis?*467.
Cap.9.*ſuper dolentium arma ambulabis.*233.
Cap.10.*muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.*262.
Labia inſipientis præcipitabunt eum. 422. 555.
Cap.11.*qui obſeruat ventum non ſeminat.* 117.

Ex Canticis.

Cap.1.*meliora ſunt vbera tua vino.* 64.
Trahe me poſt te, & curremus. 13. & 154.
Si ignoras te, ô pulcherrima. 22. & 199.
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 560.
Cum eſſet Rex in accubitu ſuo. 39.
Lectulus noſter floridus. 43.
Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem 66. & 402. 517.
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. 75. 595.
Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloraui me Sol. 97.
Oleum effuſum nomen tuum. 106. 1. & 120. & 349.
Oſculetur me oſculo oris ſui. 124. 2. & 374. & 444.
Indica mihi, vbi paſcas? vbi cubes in meridie? 172. & 352.
Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 273.
Botrus cypri dilectus meus in vineis engaddi. 291.
Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum: introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te. 302.
Introduxit me Rex in cellaria ſua, &c. 323. 484.
Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noſter floridus, ſigna domorum noſtrarum cedrina. 360.
Memores vberum tuorum ſuper vinum. fol. 484.
Cap.2.*en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* 20. & 22. & 89. & 326. & 33.
Ecce iſte venit ſaliens in montibus. 26.
Similis eſt dilectus meus capreæ. 28.
En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, &c. Iã enim hyems tranſiit. 82.
Ordinauit in me charitatem. 191.
Dilectus meus mihi & ego illi. 619.
Fulcite me, floribus ſtipate me malis, quia amore langueo. 125. 1.
Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 201. 2.
Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. 245. & 252. 502. 616.
Reuertere, reuertere; ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.fol. 513.
Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. 187. 1. 514.
Cap.3.*ferculum fecit ſibi Rex Salomon.* 12. 1.
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum? 31. 2. & 85. 1. & 360. 2.
Numquid quem diligit anima mea vidiſtis? 34. 1. & 114. 1. & 362. 2. & 380. 1.
Egredimini filiæ Sion, & videte. 35. 1.
In lectulo meo per noctes quæſiui. 43. 2. & 85. & 297. & 333. & 352. & 445. 483.
Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. 67. 1. & 116. & 154. 482.
Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: numquid quem diligit anima mea vidiſtis? 76. 2. & 92. 2. & 131. 1.
Aſcenſum purpureum. 75. 1.
Filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis dilectam. 150. 1.
Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. 232. 2.
Pone me, vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt, vt mors dilectio. 399.
Paululum cum per tranſiſſem ego inueni, quẽ diligit anima mea. 388. 2.

Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quærã, quę diligit anima mea. f. 482.
In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. f. 483.
Cap. 4. *dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* 339. 1.
Surge aquilo, & veni Auster, & fluant aromata. fol. 496.
Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea. 64. 2.
Cap. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorũ.* 101. 1.
Labia illius distillantia myrrham primam. 138. 1.
Paululum cum per transissem eos, inueni quẽ diligit anima mea. 154. 2.
Dilectus meus misit manum suam per foramen, &c. 218. & 416. 510.
Qualis dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? 240. 2.
Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa! 406. 2.
Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. 378. 2.
Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacintis. 395. 1.
Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. 443. 1.
Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactũ eius. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat. fol. 510. *Sicut clatæ palmarum nigræ quasi coruus.* 622.
Cap. 6. *Auerte à me oculos tuos.* 16.
Cap. 6. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis?* 55. 2.
Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora! 82. 1.
Dilectus meus descendit in hortum suum ad Areolam aromatum, vt pascat in hortis, & lilia colligat. 106. 1.
Terribilis vt castrorũ acies ordinata. 182. 2.
Comæ capitis tui, sicut purpura Regis. 386. 2.
Cap. 7. *Capite nobis vulpeculas paruas.* 63. 2.
Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. 160. 1.
Posuerunt me custodem in vineis; vineã meã non custodiui. 519.
Comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. 303. 2 & 404. 2.
Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs. 438. 1. & 446. 2.
Cap. 8. *pone me, vt signaculum supra cor tuum, vt signaculum supra brachium tuũ.* 127. 1.
Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. 127. 2.
Ego murus, & vbera mea turres. 235. 2.

Sapientia.

Cap. 2. *nullum sit pratum, quod non per trãseat luxuria nostra.* 286. 1.
Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ. 318. 1
Cap. 4. *Placita erat Deo anima illius propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* 250. 1.
Consumatus in breui expleuit tempora multa. 295. 1.
Quam præclara est casta generatio cum claritate? 395. 1.
Cap. 5. *transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius velociter percurrens, & tanquam nauis, &c. fol.* 490.
Cap. 6. *si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô Reges populi diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* 312. 2.
Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, assidentem enim foribus inueniet. 427. 1.
Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines. 462. 1.
Candor est enim lucis æternæ, & speculum. 595.
Cap. 7. *sum quidem, & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius hominis, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.* 361.
Cap. 9. *& terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem.* 592.
Cap. 11. *quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisit in illis multitudinem mutorum animalium in vindictam.* 195. 1.
Cap. 12. *tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* 318. 2.
Cap. 13. *species enim generaliter hæc omnia constituit.* 353. 1.
Cap. 16 *paratũ panẽ de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentũ in se habentẽ, & omnis saporis suauitatẽ. Substãtia enim tua dulcedinẽ tuã, quã in filios habes ostendebat, & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quodquisq; volebat conuertebatur.* 405. 1.
Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat: ipsi ergo sibi graniores erant tenebris. 355. 1.
Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti. 355. 2.

Ex Ecclesiastico.

Cap. 1. *initium sapiẽtiæ timor domini, & cũ fidelibus in vulua concreatus est, & cum ele-*

electis fœminis gradietur. 405. 2. & 406. 1.
Cap. 3. beatus dives, qui inuentus eſt ſine macula & qui poſt auru non abijt. 286. 2. & 293. 1
Capit. 6. conſiliarius vnus è mille. 464. 2.
Cap. 7. fili memorare nouiſsima tua. 572.
Mortuo non prohibeas gratiam, non deſis plorantibus in conſolatione: & cum lugentibus ambula. 248.
Cap. 9. ne deſornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam: noli circunſpicere in vicis ciuitatis, nec obſeruaueris in plateis illius. 184.
Cap. 10. ſi mordeat ſerpens in ſilẽtio, nihil minus habet, qui occultè detrahit. 421.
Cap. 11. fili, ne in multis ſint actus tui, etſi dives fueris, non eris immunis à delicto: ſi enim ſequutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcucurreris. 288. & 292.
Cap. 13. venatio leonis Onager in eremo, ſic paſcua ſunt diuitum pauperes. 231.
Cap. 14. hoc eſt teſtamentum mundi, morte morietur. 54.
Beatus vir, qui non eſt lapſus in lingua ſua. 421.
Qui acerbat ex animo ſuo iniuſtè, alijs congregat. 592.
Cap. 22. ſupra mortuum plora, defecit enim lux eius. 248.
Et radiabat in populo honorificato. 571.
Cap. 24. poſuit Dauid puero ſuo excitare regem ex ipſo fortiſsimum, & in throno honoris ſedentem in ſempiternum. 143.
Et in Ieruſalem poteſtas mea. 570.
Et quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas. 346.
Cap. 25. beatus, qui lingua ſua non eſt lapſus. 559.
Cap. 27. ſtultus vt Luna mutatur. 312.
Capit. 31. beatus vir, qui poſt aurum non abiit. 288.
Cap. 32. ante grandinem præibit coruſcatio, & ante verecundiam præibit gratia. 117.
Cap. 35. et dominus non elongabit, ſed vindicabit iuſtos, & facit iudicium, & fortiſsimus non habebit in illis patientiam. 239.
Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. 531.
Cap. 37. A conſiliario ſerua animã tuã. 464. 2. & 465. 2.
Prius ſcito, quæ ſit illius neceſsitas, & ipſe enim animo ſuo cogitauit, ne forte mittat ſudẽ in terram. 465. 2.
Cap. 38. fili produc lacrymas in mortuo, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & non deſpicias ſepulturam illius. 248. 1.
Cap. 47. inclinaſti femora tua mulieribus. Poteſtatem habuiſti in corpore tuo: dediſti maculam in gloria tua. 263. 1.
Cap. 48. Elias, qui in turbine tectus eſt. 314. 2.

Iſaiæ.

CAp. 1. ſimul prædabũtur filios Oriẽtis Idumea, & Moab. 21. 1.
Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam; vinum tuũ miſtum eſt aqua. 142. 2. & 324. 2.
Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia, et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, et qui dereliquerunt dominum conſumentur. 185. 2.
Erubeſcent ſuper hortis ſuis, quos concupierunt. 286. 1.
Neomeniam, et Sabbatum, et feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: Kalendas veſtras, et ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. 305. 1.
Reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, et Conſiliarios tuos, ſicut antiquitus: poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis. 461. 2.
Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis. 580.
Cap. 2. ingredimini in petras, et abſcondimini in terram â facie timoris domini, et à gloria fortitudinis eius, quando ſurrexerit frangere terram, nam oculi domini ſublimes. 460. 531
Dixit dominus exercituum ſuper omnem ſuperbum, et excelſum, et ſuper omnem arrogãtem, et humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, et ſuper omnes naues Tharſis, et ſuper omne, quod viſu pulchrũ eſt. 489
Capit. 3. nolite conſtituere me Principem populi: ruit enim Ieruſalem, et Iuda concidit. 317.
Peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerũt væ, etc. 588.
Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui dicens: Veſtimentum tibi eſt princeps eſto noſter: ruina autem hæc ſub manu tua: reſpondebit in illa die dicens: Nõ ſum medicus, in domo mea non eſt panis. 397. 1.
Cap. 4. omnes reges gentium dormierunt in gloria. 323. 1.
Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in illa die, dicentes panem noſtrum comedemus, etc. 568.
Cap. 5. væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, et potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cythara enim, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conuiuijs veſtris, et opus domini non reſpicitis. 253. 2. et 437. 2.
Væ qui coniungitis domum ad domum, et agrũ agro copulatis vſq; ad terminũ loci: nũquid habitabitis vos ſoli in medio terræ. 429. 1.
Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinũ in conuiuijs veſtris, et opus domini non reſpicitis, nec opera manuũ eius cõſideratis. 432. 1
Cap. 6. Seraphim ſtabant ſuper illud. 110. 2.
In terra ſua duplicia poſſidebunt. 140. 168.
Vir pollutus labijs ego ſum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito. 161. 1.

Væ mihi, qui tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem dominum exercituum vidi oculis meis. 344.2. & 435.1.

Audiui vocem domini dicentis: quem mittã? & quis ibit nobis? & dixi: ecce ego, mitte me. 345.1.

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem. 303.fol.508.

Quem mittam? & quis ibit nobis? 456.514.

Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. 468.2.

Cap. 7. *volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari.* 84.2.

Et adiecit dominus ad Achaz dicens: Pete tibi ſignum à domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. 139.1.

Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens: pete ſibi ſignum à domino Deo tuo. Non petam, & non tentabo. 417.1. & 467.

Cap. 8. *ſume tibi librum grandem, & ſcribe in illo ſtylo hominis.* 27.1.

Antequam ſciat puer vocare patrem, aut matrẽ, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. 91.2.

Cap. 9. *paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* 147.1.

Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt. 290.1.

Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principatum ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis Pater futuri ſæculi. 339.2.

Cap. 11. *egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* 266.2.

Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit. 272.2.

Cap. 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 271.2.

Confitemini domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.

Cap. 13. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* 120.1.

Ecce dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius cõterendos de ea. 384.

Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium, vox ſonitus regum & gentium congregatarum. 386.

Cap. 14. *ſedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero.* 47.

In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti. 168.597.

Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris! 190.

Cap. 16. *et erit ſicut auis fugiens.* 454.2.

Cap. 19. *& tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium.* 135.

Cap. 21. *cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos, venit mane, & mox.* 502.

Cap. 22. *comedamus, & bibamus, & cras moriemur.* 437.

Cap. 23. *erubeſce Sidon; ait enim mare: fortitudo maris dicens: non parturi, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* 135. & 598.

Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 482.

Cap. 24. *ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* 344.

Cap. 25. *bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque ſurgatis.* 437.

Cap. 26. *viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent; expergiſcimini.* 59. & 349.1.

Vrbs fortitudinis noſtræ, Saluator ponetur murus, &c. 500.

Cum feceris iudicia tua in terra iuſtitiã diſcent habitatores orbis. 388.

Cap. 27. *In die illa vinea mea cantabit ei.* 128.

Cap. 28. *manda; remanda: expecta, reexpecta.* 39.

Cap. 28. *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidẽ probatũ, angularem, pretioſum in fundamento fundatum. Qui crediderit non feſtinet. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſuram.* 484.

Cap. 29. *vrbs fortitudinis noſtræ Saluator ponetur murus, & antemurale.* 300.2.

Cap. 30. *propterea expectat dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* 266. & 39.

Cap. 31. *& erit ibi ſemita, & via, & hæc via, ſancta vocabitur, non tranſibit pollutus per eam.* 96.

Cap. 32. *non vocabitur vltra inſipiens Princeps.* 312.1.

Cap. 33. *Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam.* 37.

Repletus eſt Sion iudicio, & iuſtitia in lege tradentur in theſauris Salus noſtra. 224.

Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam, & calumniam, & excutit manus ſuas ab omni munere. Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & clau-

claudit oculos ſuos, ne videat malum, iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius. 515.

Cap. 35. *ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* 270.

Cap. 38. *hæc dicit dominus: diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: & conuertit Ezechias, &c.* 86.

Cap. 40. *qui autem ſperant in domino mutabunt fortitudinem.* 173.

Suſcepit de manu domini duplicia pro peccatis. 575.

Cap. 42. *lignum fumigans non extinguet.* 460.

Capit. 43. *cum tranſieris per aquas, tecum ero.* 282.

Cap. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* 203.

Labor Ægypti, & mercatus Æthiopum, & Sabaim viri excelſi ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui, & poſt te ſequentur alligati vinculis. 269. 1.

Cap. 47. *ego ſum, & non eſt præter me amplius non ſedebo vidua, & ignorabo ſterelitatem. Venient tibi duo hæc ſubito in die vna, ſterilitas, & viduitas, vniuerſa venerãt, &c.* 84. 1

Cap. 48. *vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet, ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua, ſicut gurgites maris, & fuiſſet, quaſi arena ſemen tuum, & ſtirpes vteri tui, vt capilli eius.* 232. 1.

Cap. 49. *parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitãdas tribus Iacob.* 169. 1.

Numquid obliuiſci poteſt mulier infantẽ ſuũ, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit; ego tamẽ non obliuiſcar tui. 459. 1.

Cap. 50. *dominus dat mihi linguam diſciplinæ, vt ſciam quãdo poſsim loqui verbũ.* 420. 2

Cap. 51. *prope eſt iuſtus meus, brachia mea populos iudicabunt.* 259. 1.

In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion: populus meus es tu. 267. 2.

Cap. 52. *excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.* 229. 1.

Cap. 53. *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbis ſemen longæuum.* 468. 1.

Cap. 54. *noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces; non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcẽtiæ tuæ obliuiſceris, et opprobrij viduitatis tuæ nõ recordaberis amplius.* 282. 2

Lætare ſterilis, quæ non paris, decãta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniã multi filij deſertæ magis, quam eius, quæ habebat filium dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne pareas longos fac funiculos tuos, clauos tuos conſolida: ad dexteram enim, & ad lxuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit. 322. 1.

Vniuerſos filios tuos doctos à domino. 370. 2.

Cap. 56. *non dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum! Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint Sabbata mea, &c.* 188. 1.

Cap. 57. *erit in pace ſepultura eius.* 38. 1.

Cap. 58. *quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? Ecce in die ieiunij veſtri.* 81. 1.

Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. 101. 1.

Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem tibi dominus dabit ſemper, &c. 161. 2.

Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſq; induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam, ne deſpexeris, tum erumpet, quaſi mane, &c. 270. 1. & 461. 1.

Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. 410. 2.

Cap. 59. *manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: labia veſtra loquuntur mendacium, & lingua veſtra iniquitatẽ fatur; non eſt, qui inuocet iuſtitiam, nec eſt, qui iudicet verè, ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates.* 234. 1.

Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis, attrectauimus, impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. 381. 1.

Ca. 60. *tunc videbis, & affluues.* 401. 2. & 404. 1.

Cap. 62. *& terra tua inhabitata, quia complacuit domino in te, & terra tua inhabitabitur.* 477. 2.

Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. 365. 1.

Iurauit dominus in dextera ſua, in brachio fortitudinis ſuæ, ſi dedero triticum vltra cibum inimicis tuis, etſi biberint filij alieni vinum, in quo laborauiſti, quia qui congregabunt illud comedent, & laudabunt dominũ. 484.

Cap. 62. *propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* 128.

Cap. 63. *quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra! Iſte formoſus in ſtola ſua gradiẽs in multitudine fortitudinis ſuæ.* 246.

Videntes clamabant foris: angeli pacis amare flebunt. 579.

Cap. 63. *miſerationum domini recordabor: laudem domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Deus, & ſuper bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis, ſecundum indulgentiam ſuam,*

& secundum multitudinem misericordiarũ suarum.414.
Cap.63.calcaui eos in furore meo.469.
Quare errare nos fecisti domine de vijs tuis indurasti cor nostrum, ne timeremus te.578.
Cap.64.cum fecerit mirabilia non sustinebimus, descendisti â facie tua.39.
Nunc domine pater noster es tu; nos vero lutum, & fictor noster tu, & opera manuũ tuarum nos omnes; ne irascaris domine.90.
C.64. Vtinã dirũperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent.373.
Cap.65.Obliuiscentur tribulationis suæ primæ, & non ascendit super cor eorum: erit enim cælum nouum, & terra noua, & non recordabuntur priorum, nec venient super cor eorũ, sed gaudium, & exultationem inuenient in ea 282.
Cap.66.et adducẽt omnes fratres vestros de cũctis gentibus donum domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem. 153.
Cap.66.ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt congregem.73.
Quis audiuit vnquã tale, & quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturit, & peperit Sion filios.495.
Cap.68. et ædificabuntur in te deserta sæculorũ, fundamenta generationis, & generationis suscitabis.163.2.

Ieremias.

CAp.1.priusquam te formarem in vtero noui te.157.1.
Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.77.
Cap.2. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Et non dixerunt, vbi est dominus, qui ascẽdere nos fecit de terra Ægypti.253.
Diem hominis non desideraui.622.
Cap.2.si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata est iniquitate tua dicit dominus.326.
Obstupescite cæli super hoc, & porta eius desolamini vehemẽter, dicit dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, &c.596.
Cap.3. tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit dominus. 107.
Frõs mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ergo saltem à modo voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es.107.
Poluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis. Quam obrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. 398.
Ego autem dixi: quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercitum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me: & post me ingredi nõ cessabis.624.
Cap.6. extendit dominus manum suam ad me, & tetigit os meum.326.
Cap.7. numquid spelunca latronum facta est domus mea? 532.
Cap.15.ve mihi mater mea, quia genuisti me virum rixæ.121.
Cap.31.Ideo attraxi te miserãs, rursus ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel, adhuc ornaberis, &c.379.
Quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis. 504.
Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum, obstupuerunt.95.
C.52. Euertit muros Ierusalẽ per circuitũ princeps coquorum Babylonis.471.

Threnorum.

CAp.1.recordata est Ierusalem prauaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat in diebus antiquis, cum caderet populus eius.137.
O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.246.
Cap.2. Quomodo obtexit caligine in furore suo dominus filiam suam, proiecit de cœlo in terram inclitam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum.106.
Sederunt in terra, conticuerunt senes. 194.
Magna est velut mare contritio tua.175.
Cap.3.ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem, tantum in me vertit, & conuertit manũ suam tota die.566.
Cap.3.oculus meus depræda tus est animam meã. 113.
Cap.4.spiritus oris nostri Christus dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus in gentibus sub vmbra tua viuemus.54.& 157.
Filia populi mei crudelis, sicut struthio.135.
Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.592.

Barũch.

CAp.4.sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo: sic videbunt, & in celeritate salutem vestram à Deo, quæ superueniet vobis cum honore magno, & splẽdore æterno.364.594.
Ego speraui in æternum salutem vestram, & veni

venit mihi gaudium à sancto, super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu, & ploratu. 581.

Ezechiel.

Cap. 1. *alumbis eius vsque deorsum vidi, quasi species ignis.* 468.
Et manus hominis sub pennis eius. 468.
Cap. 2. *hæc visio similitudinis gloriæ domini: & vidi, & cecidi in faciem meam.* 374.
Cap. 3. *comede volumen istud.* 25.
Species quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus. 129.
Cap. 4. *ego autem dedi tibi annos iniquitatis Iudæorum numero dierum trecentos, & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel. Et cum compleueris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundò, & assumes iniquitatem Iuda quadraginta diebus diem pro anno.* 586.
Cap. 7. *Et post omnes abominationes tuas, & fornicationes tuas, non es recordata adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.* 358.
Hæc dicit dominus: afflictio vna: afflictio ecce venit. Finis venit, venit finis, &c. 572.
Cap. 9. *Ecce sex viri veniebant de viæ portæ superioris, &c. Et vniuscuiusque vas interitus.* 631.
Cap. 9. *leo factus est, & didicit capere prædam hominemque comedere, & audierũt de etegẽtes.* 263.
A sanctuario incipite. 586.
Cap. 16. *iustificatæ sunt enim à te.* 280.
Cap. 23. *cum immollarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, &c.* 561.
Cap. 24. *ecce ego requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suam in die, quando fuit in medio ouium suarum dissipatarum, &c.* 553.
Cap. 27. *dixisti perfecti decoris ego sum, in medio maris sita.* 359.
Cap. 28. *omnis lapis pretiosus operimentum tuũ sardius, topatius, & iaspis, chrysolitus, & onix, & berillus.* 93.
In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: eieci te de monte Dei. 526.
Cap. 31. *cui assimilatus es, ô inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis ad terram vltimam in medio circumcisorum, dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, & omnis multitudo eius.* 488.
Cap. 34. *cum asperitate imperabatis eis, & cum potentia.* 319.
Cap. 37. *dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me per ea in gyrum. Erant autem multa valde superfaciem campi siccaque vehementer, & dixit ad me: fili hominis.* 251.
Cap. 43. *et vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent; septem diebus expiabant altare, & mundabunt illud, & implebunt manum eius.* 394.

Daniel.

Cap. 1. *timeo ego dominum meum regem, qui cõstituit vobis cibum, & potum, qui si viderit vultus vestros macilẽtiores, &c.* 150. *et* 473.
Cap. 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* 216.
Quo audito, Rex in furore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes. 226.
Tu Rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc. 582. 584.
Cap. 3. *Deus noster, quem colimus, potest nos eripere.* 21.
Abscissus è de monte lapis sine manibus. 39.
Peccauimus, inique egimus. 130.
Tunc iubente rege, indutus est Daniel purpura, & circundata torques. 75.
Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deus. Stans autem Azarias, orauit sic, aperiensque os suum, in medio ignis, ait. 125. & 336.
Confestim viri illi vincti cũ bracchis suis, & tyaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, nam iussio regis vrgebat. 153.
Peccauimus enim, et inique egimus recedentes à te. 177.
Erat cor eius fiduciam habens in Deũ. 184.
Et non tetigit eos omnino ignis, nec constristauit, nec quidquam molestiæ intulit. 201.
Benedictus est domine Deus patrum nostrorum. 206.
Quæ erecta est supra fornacem cubitis quadraginta nouem. 216.
Tunc cecidit Rex in faciem suam, et Danielem adorauit. 254.
Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, ô Rex liberare. quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. 277. *et* 325.
Flãma erupit, et incendit, quos repexit iuxtà fornacem de Chaldæis. Angelus autem domini descendit cum Azaria. 300.
Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur. Signa et mirabi-

lia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius.445.

Capit.4.*tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum transibit à te, & ab hominibus, &c.72. & 318.& 281.*

Ecce arbor in medio terræ, erat altitudo eius nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum. 102.

Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus reditus est mihi.203.& 285.

Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit: clamauit fortiter; & sic ait: succidite arborem, & præcidite ramos eius.249.

Ecce arbor, & folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea; subter ea habitabant animalia, & bestiæ. 272.

Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulauit: respondensque Rex ait: non ne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regis, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum sermo adhuc esset in ore regis, vox cœlo ruit, &c. 281.

Peccata tua eleemosynis redime, & forsitam propitiabitur Deus delictis tuis. 291. & 327.

Tu ergo Balthasar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem posses, quia spiritus Deorum sanctorum in te est. Tunc Daniel, cuius nomen Balthasar, cæpit intra se met ipsum tacitus cogitare, quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant eum. 468.

Cap.5.*liberauit dominus regnum tuum. 45. & 72.*

Est vir in regno tuo, qui spiritus Deorum sanctorum habet in se; & in diebus patris tui scientia, & sapientia inuentæ sunt in eo. Nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus, &c. 199.

Rex Nabuchodonosor pater tuus Principem magnum constituit eum; quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque, & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inuentæ sunt in eo: cui Rex posuit nomen Baltasar. Nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. 235.

In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis. 266.

Munera tibi sint, & dona domus tuæ alterida; scripturam tuam legam tibi Rex. 311.

Tunc iubente rege, indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex. 32L.

Viri ergo illi curiosius inquirentes inuenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suũ, & accedentes loquuti sunt regi super edicto.407.

Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille; & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem: præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vassa. 452.

Capit. 7. *Adspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum, &c.28.*

Videbam in visione mea nocte. Et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi scæna, bestia alia similis; alia quasi pardus: bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis. 303.

Capit. 10. *ego remansi ibi cum Rege Persarum. 289.*

Capit. 13. *postquam autẽ senes loquuti, erubescunt serui vehementer, quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susana. 220.*

Qui videbantur iudicare Israel.416.

& interfecerunt eos, & saluatus est sanguis inoxius in illa die, Helcias autem, & vxor eius laudauerunt eum.181.

Capit. 32. *Restititit mihi Princeps Persarum. 48.*

Oseas.

Cap.1. *vota nomen eius non populus meus, quia vos non populus meus.275.*

Cap.2. *vadam post amatores meos, qui dant mihi panes.27.*

Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem. 570.

Cap.4. *sicut vacca lasciuiens declinauit Israel: nunc pascet eos dominus, quasi agnum in latitudin. 179.& 282.*

Cap. 5. *& vidit Ephrain languorem suum, & Iudas vinculum suum, & abijt Ephrain ad Assur, & misit ad regem vltorem, & ipse non poterit sanare eos.292.*

Nunc deuorauit eos mensis cum partibus suis. 297.

Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminum; super eos effundam, quasi aquam iram meam.309.& 327.

Cap.6. *Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra, quasi nubis matutina, & quasi ros mane per transiens.172.*

Cap. 11. *pendebit populus meus ad redditũ meũ. 154.*

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.269.

Cap.12.

Cap. 12. Chanaam in manu eius statera dolosa calumniam dilexit. 31.
In manu prophetarum assimilatus sum. 387.
Cap. 13. colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius; dolores parturientis venient ei. 204.

Ioel.

Cap. 1. plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ. Periit sacrificium, & libatio domus domini: depopulata est regio; luxit humus, quoniã deuastatum est triticum, confusum est vinum. 477.
Residuum eruca comedit locusta, & residuũ locustæ comedit bruchus, &c. 575.
Cap. 2. effundam de spiritu meo in omnem carnem. 532.
Super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. 59.
Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. 399. & 419.
Nunc ergo dicit dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. 419.
Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ; senes vestri visiones videbunt. 486.
Reddam vobis annos, quos commedit locusta. 492.

Amos.

Cap. 3. Numquid cadet auis in laqueum de terra absque aucupe. 331.
Cap. 4. audite hoc verbum vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, &c. 593.
Cap. 5. qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert. 175.
Ve desiderantibus diem domini, ad quid eam vobis? Dies domini ista tenebræ, & non lux, quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus. 384.
Cap. 6. numquid currere queunt impetris equi? 257.
Qui lætamini in nihili, qui dicitis, numquid non in fortitudine nostra assumdisimus nobis cornua? 352.
Cap. 7. hæc ostendit mihi dominus, & ecce dominus stans supra murum litum, & in manu eius trulla cementarij. 143. & 357.

Ionas.

Cap. 1. cognouerunt viri, quod à facie domini fugeret, quia indicauerat eis. 110.
Timuerunt, qui nauigabant, & clamauerunt vnusquisque ad Deũ suum, & iactum fecerunt vasorum nauis in mare. 200.
Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis, quod est opus tuum? 371.
Vade Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eorum coram me. 419.
Facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et Ionas descendit ad inferiora nauis, & dormiebat sopore graui. 504.
Quid faciemus tibi, & cessabit mare? 580.
Cap. 2. erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. 54.
Et præparauit dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. 192.
Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me. 192. & 239.
Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine, quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus. 275.
Clamaui de tribulatione mea ad dominum, & exaudiuit me. 364.
Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus, & orauit Ionas ad Deum suum de vtero piscis, & dixit clamaui de tribulatione mea. 511.
Cap. 3. adhuc quadraginta dies sunt, & Niniue subuertetur. 229. & 274. & 364. & 385.
Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum vigintimillia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram, & sinistram suam? 277.
Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium. 300. & 507.
Homines, & iumenta, & arbores, & pecora non gustent quidquam, neque pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta. 409. & 471. & 473. & 495.
Præparauit dominus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbraculum. 592.
Cap. 4. tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti, vt creseeret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perit, & ego non parcam Niniuæ? 182.
Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. 419.

Michæas.

Cap. 1. Ecce dominus egreditur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis, sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. In scelere

lere Iacob omne istud. 574.
Cap. 2. mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum. 593.
Cap. 3. audite hæc Principes domus Iacob, qui ædificatis Sion in sanguinibus, &c. 463.
Verumtamen ego repletus sum fortitudine Spiritus domini, iudicio, & veritate, vt annunciem Iacob scelus, etc. 467.
Veruntamen ego repletus sum fortitudine Spiritus domini, iudicio, et veritate, vt annuntiẽ Iacob scelus suum, et Israel peccatum suum, audite hæc Principes. 467.
Cap. 7. reuertetur, et miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, et proijciet in profundum maris. 121.

Nahùm.

Cap. 1. consummentur quasi stipulæ ariditate plenæ. 85.
Deus emulator, et vlciscens dominus, et habens furorem, vlciscens dominus in hostes suos et irascens ipse inimicis suis; dominus patiens, et magnus fortitudine. 205.
Cap. 2. quoniam auertit dominus contumeliam Iacob. 29.
Diripiebant argentum, diripiebant aurum, et non erat finis ornamenti eius.
Cap. 3. Sol ortus est, et auolauerunt, et non est cognitus locus earum, vbi fuerint. 255.
Aquam propter obsidionem hauri tibi: extrue munitiones tuas: intra in lutum, et calca subbigens, tene laterem. 258.

Habacùc.

Cap. 1. immolauit sagenæ suæ, et sacrificauit reti suo. 20.
Cap. 2. Qui adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur, si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. 510.
Vsque quo aggrauat contra se densum lutum? 593.
Cap. 3. egredietur diabolus ante pedes eius. 192.
Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors. 226.
Qui ascẽdis super equos tuos, et quadrigæ tuæ saluatio. 439.
Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. 448.
Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. 456.

Sophonias.

Cap. 3. in diebus illis dicetur Ierusalem, noli timere: Sion, non dissoluentur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipse saluabit. 315.

Zacharias.

Cap. 1. ira magna ego dominus irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum.
Ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi.
Cap. 9. quid enim bonũ eius est, & pulchrũ eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? 105.
Et saluabit eos dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui: quia lapides sancti elebabuntur super terram eius. 243.
Conuertimini ad munitionem vincti spei. 269.
Noli timere filia Sion. 405.
Cap. 11. hæc dicit dñs Deus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possiderant, occidebãt & non dolebant, & vendebant ea dicentes: benedictus dominus, diuites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis: & ego non parcam vltra. 334.
Et assummam mihi duas virgas, vnam vocaui decorẽ alteram vocaui funiculum. 339.
Vlulate quercus Bassam. 409.
Cap. 14. et erit dies vna, quæ nota est domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux. 297.

Malachias.

Cap. 1. A bortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit dominus exercituum. 365.
Cap. 2. & hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare domini fletu, & mugitu, ita vt non respiciam vltra ad sacrificium, neque accipiã placabile quid de manu vestra, & dixistis; quam ob causam? Quid dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis suæ, quam tu despexisti? 250. & 299.
Cap. 3. & sedebit conflans, & emundans argentũ, & purgabit filios leui. 250.
Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ; sanitas in pennis eius. 301.

Ex lib. 1. Machabæorum.

Cap. 2. Et accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram: & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salonic. Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate dicens

cens omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum exeat post me.408.

Cap. 3. *ædificauit Simon super sepulchrum patris sui, & patrum suorum ædificium altum visu lapide polito retro, & ante: & statuit septem pyramidas vnã contra vnam, patri, & matri, & quatuor fratribus, & his circũposuit colũnas, & super columnas arma ad memoriam æternam.261.*

Et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium, & vt orarent, & peterent misericordiam.332.

Ex libro secundo.

Cap. 1. *benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod loquutus est ad Abraham, Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volente, & exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis.371.*

Cap. 2. *iratus itaq; Rex iussit sartagines, & ollas æneas succendi. Quibus statim succensis, iussit ei, qui prior loquutus fuerat, amputari linguã, & cute capitis abstracta, sũmas quoq; manus, & pedes ei præcindi, cæteris eius fratribus, & matre inspicientibus.576.*

Cap. 8. *prædas diuiserunt, æquam portionem debilibus, populis, &c.432.*

Sabbatum agenbant benedicentes Dñm, qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initiũ stillans in eos.50. & 58.

C. 9. *Tẽplũ etiã sanctũ, quod prius spoliauerãt optimis donis ornatum, & sancta vassa. 19. 68.*

EX NOVO TESTAMENTO.

Mathæus.

Mat. 1. Iacob autẽ genuit Iudam, & fratres eius. 168.2.

Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. 240.1.

Ecce stella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos.506.

Cap. 2. *accepto responso in somnis, ne redirent. 6. 1.618.*

Vidimus stellam eius in Oriente.15.1.

Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? 32.2.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam. Vox in Roma audita est, ploratus, & volulatus multus. Rachel plorans filios suos.134.2.

Vbi est, qui natus es Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.172.2. & 279.1. & 290.1.584.

Et procidentes adorauerunt eum.176.1.

Rachel plorat filios suos.287.1.

Cap. 3. *baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cœli, & vidit spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus. 420.1.*

Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cæperitis dicere. Patrem habemus Abraham.441.

Cap. 4. *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.88.*

Si filius Dei es, dic, vt lapides icti panes fiant. 122. 30.

Et accedens tentator dicit ei.156.

Vade retro Sathana, scriptum est enim. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, tunc neliquit eum diabolus.210.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Esurijt, & accedens tentator.213.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.288.1.

Ductus est Iesus â spiritu, vt tentaretur à diabolo.343.

C. 5. *Populus hic labijs me honorat.15.1. & 290. 290.1. & 335.1.*

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo.175.

Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis.328.2.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.456.543.

Qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. 475.

Cap. 7. *multi dicent mihi in illa die: domine, domine non ne in nomine tuo Prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, quia nunquam noui eos.365.*

Cap. 8. *Puer meus iacet in domo paraliticus. 23. 136.190.*

Dic verbo, & sanabitur puer meus, nam & ego homo sum.27.322.

Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum.49.

Venisti ante tempus torquere nos.95.

Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum ego autem dico vobis. 131.

Sequar te quocumque ieris.188.

Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti ante tem-

tempus torquere nos. 189.
Fiat tibi secundum fidem. 209.
Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & ali veni, & venit. 426.
Panem nostrum quotidianum. 472.
Quæcumque legaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo. 494.
Sit tibi tanquã ethnicus, & publicanus. 529.
Occurrerunt Iesu duo dæmonia habentes de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam. 554.
Cap. 9. *cum transiret Iesus, vidit hominem, sedentem in templo.* 102. 333.
Et cum ejecta esset turba intrauit, & tenuit manum eius. 154.
Dicebat intra se, si tetigero tantum vestimentum eius salua ero. 192.
Cum transiret inde Iesus. 224.
Confide filia, fides tua te saluam fecit. 444.
Accesserunt discipuli Ioannis dicentes, quare nos, & Pharisæi ieiunamus? 449.
Cap. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* 2. 6.
Capilli capitis vestri numerati sunt. 7.
Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in 15.
Excutite puluerem de pedibus vestris. 162.
Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. Amen dico vobis non perdet mercedem suam. 238.
Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 420.
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo baptizor, baptizari? 376
Cap. 11. *venite ad me omnes, qui laboratis, & honerati estis.* 21. 139.
Hic est, de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum. 319.
Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. 357.
Qui autem minor est in regno cælorum maior est illo. 599.
Cap. 12. *dico autem vobis, quia templo maior est hic.* 350.
Cap. 13. *Alij Ioannem Baptistam. Alij autem Eliam.* 28.
Quod inimicus homo super seminabit zizania, & abijt. 136.
Fulgebunt iusti, sicut Sol in regno Patris eorum. 382.
Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simeon, & Iudas, & sorores eius non ne omnes sunt apud nos? 589.
Cap. 14. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* 185.
Volens occidere eum timuit populum. 201.
Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 438.
Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis. 536.
Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens, domine saluum me fac. 493.
Cap. 15. *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, etiam domine, & catelli edunt demicis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* 347.
Dimitte illam, quia clamat post nos. 403.
Miserere mei domine, filia mea male à dæmonio torquetur. 481.
Cap. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est, & ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* 320.
Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiã, aut vnũ ex Prophætis. 383.
Tibi dabo claues regni cælorum. 494.
Iugum meũ suaue est, & onus meũ leue. 516.
Quẽ dicunt homines esse filium hominis. 542.
Cap. 17. *Bonum est nos hic esse faciamus.* 9. 1. 2.
Et ceciderunt in faciem suam, & descendentes à monte. 29.
Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te. 462.
Væ mundo à scandalis. 219.
In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. 366.
Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioãnem fratrem eius, & ducit illos in montem, &c. 604.
Cap. 18. *Væ mundo à scandalis.* 219.
In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. 366.
Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. 418.
Qui autem scandalizauerit vnum ex his pusillis. 602.
Cap. 19. *Abijt tristis.* 160.
Cap. 20. *dic, vt sedeant hi duo filij mei.* 39.
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo. 59.
Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam. 493.
Qui portauimus pondus diei, & æstus. 493.
Cap. 21. *Tunc accesserunt cæci, & claudi.* 20.
Dicite filiæ Sion. Ecce Rex tuus tibi venit mãsuetus. 480.

Capit. 22. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* 10.123.393.
Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. 313. 356.
Capit. 23. *veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* 80.
Tunc Fulgebunt insti, sicut sol. 159.
Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. 433.
Ca. 24. *vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ.* 8.
Ab arbore fici deducite parabolam, cum ramus eius tener fuerit. 77.
Væ autem prægnantibus, & nutrientibus. 262.
Tunc duo erunt in agro. Vnus assumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna reliquetur. 137.
Cap. 25. *Esurui, & non dedistis mihi manducare; sitiui.* 11.421.203.273.
Statuet oues à dextris, hados autem. 13.
Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. 163.
Venite benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum. 189.451.
Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes. 323.
Quando te vidimus esurientem, & cibauimus? Aut sitientem, & potabimus? aut nudum, & vestiuimus? aut peregrinum, & collegimus? 354.
Te autem faciente eleemosyna nesciat sinistra tua, quod faciat dextera tua.
Quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis. Quod non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis. 415.
Non licet mittere panem filiorum canibus, etiam domine, nam & catelli comedant. 447.
Non sumpserunt oleum secum. 464.
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina. 516.
Venite benedicti, &c. discedite maledicti. 589
Cap. 26. *volumus à te signum videre.* 18.
Conuerte gladium tuum in locum suum. 98.
Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 155.
Quid ad nos? Tu videris. 204.
Dormite iam, & requiescite. 245.
Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venũdari multum, & dari pauperibus. 274.
Accipiens enim calicem gratias egit, & dedit illis. 346.
Vigilate, & orate, ne intretis in tentationẽ. 510
Surgite eamus. 620.
Cap. 27. *hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* 93.
Tacebat, ita, vt miraretur præses. 170.
Posuit illud in monumento suo nouo, quod excederat in petra. 310.
Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerũt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. 314.
Sanguis eius super nos, & super filios nostros. 354.
Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes, va qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua te metipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter, & Principes. 422.
Proiectis argenteis in templo recessit, & abiẽs laqueo se suspendit. 530.
Et tu cum Iesu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus. 572.
Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. 630.
Cap. 28. *Reuoluit lapidem, & sedebat.* 35.
Exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. 86.

Marcus.

Cap. 2. *& cum non possent offerre cum illi præturba.* 154.
Cap. 4. *dimittentes turbam assumunt eum, ita, vt erat in naui.* 341.
Et fluctus mittebat in nauim. 508.
Erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitauit eum, & dicunt ei: Magister, &c. 449.
Cap. 5. *mitte nos in porcos.* 47.
Cap. 6. *& præcepit eis, ne quid tollerent in via, ne si virgam tantum.* 45.
Obseruabant Pharisæi, si Sabbatis curaret. 46.
Ioannes, quem ego decollaui, ipse est. 235.
Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. 381.
Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Non ne hic est faber filius &c. 548.
Capit. 7. *Apprehendens cum seorsum à turba.* 154.
Cap. 8. *Video homines, vt arbores ambulantes.* 83.
Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego. 116.435.
Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem, & crescentem; & afferebat vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. 439.

Cap.10.baptismo,quo ego baptizor,baptizabimini. 327.
Cap.16.ite,dicite discipulis eius,& Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. 151.156.

Lucas.

Cap.1.dominus tecum.106.
Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen erat Nazareth ad virginem.119.
Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem,quo hæc fiant, pro eo,quod non credidisti verbis meis.160.& 448.
Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.400.
Cap.2.quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo. 21.
Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas domini circumfulsit illos.92.
Exijt edictum, vt describeretur vniuersus orbis, & ibant omnes, vt profiterentur singuli in ciuitatem suam. 139.
Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. 253. 300.
Inuenientis infantem panis inuolutum, & positum in præsepio.157.
Iesus autem proficiebat sapientia, & ætate. 296.
Et erat subditus illis.319.
Inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum. 341.
Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.364.
Erant ambo iusti.377.
Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his,quæ patris mei sunt, oportet me esse?Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth.Et erat subditus illis.449.
Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, & remissionem peccatorum.450.
Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.509.
Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ Sacerdos, &c. 606.
Cap.3.& ipse erat incipiens, quasi annorum triginta,vt putabat filius Ioseph.50.
Factum est verbum domini super Ioannem. 21.2.
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.254.
Et descendit Spiritus sanctus corporali specie columbæ.477.
Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne: cuius ventilabrum in manu.546.
Cap.4.& ostendi ei omnia regna mundi.282.594.
Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.392.
Multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Prophæta,& nemo eorum mundatus est,nisi Naaman Syrus.445.
Cap.6.estote misericordes, sicut pater vester misericors est.475.
Et erat pernoctans in oratione. 511.
Cap.7.Ingressus domum Pharisæi discubuit, & ecce.39.
Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites. 148.
Hic,si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier. 415.
Adolescens tibi dico surge.267.
Cap.8.semen est verbum Dei.70.
Non est mortua puella,sed dormit.126.
Quid mihi,& tibi Iesu fili Dauid? 177.
Quod tibi nomen? At ille dixit:legio, quia multi sumus.502.
Venisti ante tempus perdere nos.582.
Cap. 9.sequar te domine, sed permitte mihi primum,renunciare his,quæ domi sunt.262.
Cap. 10. homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho,& incidit in latrones, qui despoliauerunt eum.124.403.
Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.188.218.
Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlo. 333.
Ite,ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 402.
Cap.11.Quis vestrum habet amicum? &c. 70. 360.536.
Propter improbitatem tamen surget, & dabit illi.146.195.535.536.
Cap.12.baptismo habeo baptizari, quomodo. 38.
Quid faciam, quod non habeo, quod congregem fructus meos? Et dixit. Hoc faciam, destruam horrea mea. 87.100.297. 335.425.
Ignem veni mittere in terram; quid volo, nisi vt ardeat? 169.
Si vadis cum aduersario tuo ad Principem, da operã in via liberari ab illo, ne forte tradat te Principi,& Princeps ministro, & mittaris in carcerem; vnde non exies, donec soluas nouissimum quadrantem.175.
Habes multa bona posita in annos plurimos. 179.
Beati serui illi,quos cum venerit dominus,inuenerit vigilantes.Amen dico vobis, quod præcinget se, & transiens ministrabit illis: Et si venerit in secunda vigilia, etsi in tertia vigilia venerit,beati sunt serui illi.360.475.
Lucernæ ardentes in manibus vestris. 362.
Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ.382.404.406.

Ambu-

Ambulate, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.
Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 544. 569.
Cogitabat intra se dicens: quid faciam? &c. 591.
Cap. 13. *tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti: & dicet vobis: nescio vos.* 95. 593.
Simile est regnum cœlorum grano sinapis. 428.
Cap. 14. *domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* 340.
Compelle intrare, vt impleatur domus. 505.
Cap. 15. *Et cum inuenerit eam, imponet super humeros suos gaudens.* 37.
Pater peccaui in cœlum, & coram te. 60. 596
Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei. 61. 66. 67. 69. 115. 217.
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Et ego. 78. 173. 457.
Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum; & murmurabãt Pharisei, & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recepit. 96.
Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, etsi per viderit ex eis vnam. Non ne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illã, quæ perierat, donec inueniat illam? 167.
Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. 229.
Profectus est in regionem longinquam. 278. 393. 412. 416. 421.
Cecidit super collum eius, & osculatus est eũ. 414.
Fili tu semper mecum es. Omnia mea tua sunt. 383.
Cum autem longe adhuc esset, vidit illum Pater suus, & misericordia motus est, & accurrit. 459.
Surgam, & ibo ad patrem meum: dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te, &c. 482.
Cito proferte ei stollam primam. 550.
Cap. 16. *Pater Abraham miserere mei.* 142.
Canes veniebant, & lingebant vlcera eius. 144.
Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam. 256. 412. 416. 421. 469.
Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt eum defeceritis, excipiant vos in æterna tabernacula. 323.
Conuocatisque debitoribus domini sui dicebat primo. Quantum debes domino meo? At ille dixit. Centum cados olei: dixitque illi, accipe cautionem tuam, & sede cito: scribe quinquaginta. 429.
Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. 446.
Rogo te pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum Patris mei: habeo quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum. 488. 511.
Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi, &c. 588. 631.
Cap. 17. *& factum est, dũ irent, mũdati sunt.* 192.
Regressus est cum magna voce magnificãs Deũ, & cecidit in faciẽ ante pedes eius gratias agẽs. 265.
Ite, ostendite vos sacerdotibus. 267.
Regnum Dei intra vos est. 366.
C. 18. *nõ sum, sicut cæteri homines.* 79. 178. 338
Propitius esto mihi peccatori? 80. 280.
Ieiuno bis in Sabbato, decimas do. 93. 109.
Cum audiret turbam prætereuntẽ, &c. & increpabant eum, vt taceret. 154.
Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum, & flagellabitur, & conspuetur. 180.
Cap. 19. *soluentibus autem illis pullum, dixerũt domino eius.* 61.
Præcurrens ascendit arborem sycomorum, &c. 108. 329. 401.
Festinans descende, &c. 188. 401.
Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, quia si cognouisses, & tu, &c. 258
Ecce vir nomine Zaqueus quærebat videre Iesum, quis esset, &c. 380.
Et cum viderent omnes, murmurabant, dicẽtes, quod ad hominem peccatorem diuertisset. 455.
Cap. 20. *in resurrectione non nubent, neq; nubentur, sed erunt quasi Angeli Dei.* 225.
Cap. 21. *vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit.* 117.
Cap. 22. *respexit dominus Petrum, & egressus foras fleuit.* 47. 367. 597.
Iuda osculo filium hominis traditis? 60.
Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum, ego autem rogaui. 73. 116. 246. 425.
Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 325.
Factus in agonia prolixius orabat. 384.
Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. 453. 242.
Cap. 23. *nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.* 61.
Blasphemabat eum dicens, si filius Dei es, saluum fac te metipsum. 85.
Hodie mecum eris in paradiso. 91.
Neque tu times Deum. 99.
Et cum ducerent eum apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenæum Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. 108.

Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, est super filios vestros. 134.

Cap. 24. *una Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum mulieres portantes, quæ paraverant aromata.* 428.

Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erãt, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramenta, & non crediderunt illis. 485.

Ioannes.

Cap. 1. *ecce agnus Dei. Ecce qui tolit peccata mundi.* 121. 293.

Ego vox clamantis in deserto. 64.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credũt in nomine eius, qui non ex sanguinibus. 50.

Cum esses sub ficu, vidi te, tu es filius Dei, tu es vox Israel. 144. 460.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. 370.

Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis. 516.

Capit. 4. *reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: venite, & videte.* 250.

Vide regiones, quia albæ sunt ad messem. 273.

Cum subleuasset oculos Iesus, & vidisset, &c. 605.

Capit. 5. *Neque enim pater iudicat quemquam.* 66.

Et dedit illi potestatem, iudicium facere, quia filius hominis est. 491.

Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei 196. *Iesus est, qui me sanum fecit.* 267.

Cap. 6. *quot panes habetis?* 7.

Fugit iterum in montem ipse solus. 52.

Cum accepisset Iesus panes. 57.

Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit, &c. 113.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit. 264.

Omnis, qui audiuit à patre meo, & didicit, venit ad me. 370.

Capit. 7. *Ego non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, mansit in Galilea, vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* 305.

Cap. 8. *qui sine peccato est vestrum, primus mittat lapidem in illam.* 96.

Ego principium, qui & loquor vobis. 26. 37.

Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terram. 90.

Vnus post vnum exibat. 444.

Cap. 10. *& cognoscunt me meæ.* 2.

Insufflauit eis dicens, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. 97.

Iesus autem ambulabat in templo in porticu Salomonis. 159.

Mercenarius autem, cuius non sunt oues propriæ. 281.

Cap. 11. *Lazarus amicus noster dormit: & ego vado, vt suscitem eum.* 126.

Infirmitas hæc non est ad mortem. 205.

Lazare veni foras. 514.

Cap. 12. *pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt illi, non* 301.

Nunc iudicium est mundo. 414.

Fur erat, & loculos habens, & quæ mittebantur, portabat. 462.

Cap. 13. *cum ergo accepisset buccellam.* 4.

Misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum. Et tergere linteo, quo erat præcintus: venit ergo ad Simonem. 109.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. 382.

Et post buccellam tunc introiuit in eum Sathanas. 512.

Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet. 537.

Cap. 14. *ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* 465.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 571.

Cap. 15. *vos amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.* 241.

Cap. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* 132.

Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit præsuræ propter gaudium. 283.

Modicum, & videbitis me, & iterum, modicum, & non videbitis me. 510.

Cap. 17. *qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem erant accepturi credentes in eum, non dum enim erat spiritus datus.* 417.

Cap. 18. *vt ergo dixit eis. Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* 373.

Iudas ergo, cum accepisset cohortes, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros. Venit illuc cum lanternis, & facibus, & armis. 450.

Cap. 19. *Exiuit sanguis, & aqua.* 3.

Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ. 301.

Cap. 20. *currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro. Et venit primus ad monumentũ, & cum se inclinasset vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introi-*

introiuit.
Erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum. 339.
Maria autem ſtabat ad monumentum foris. 362.
Mulier, quæ ploras? 513.
Capit. 21. Templum non vidi in ea. 65.
Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas, cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis. 294.
Tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. 379.

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap. 1. viri Galilæi quid ſtatis? 12.
Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. 160.
Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet. 242.
Viri fratres opportet impleri ſcripturam, quã prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos dominus Ieſus incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem, quo aſſumptus eſt nobis teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Statuerunt autem duos. 461.
Capit. 2. apparuerunt diſpertitæ linguæ. 25. 49. 194. 196. 558.
Factus eſt de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis, &c. 139.
Capit. 3. iniecerunt eis manus, & poſuerunt in cuſtodiam. 41.
Tunc Petrus, & Ioannes aſcendebant circa horam orationis nonam, & quidam vir, qui erat claudus. 51.
Reſpice in nos. 168.
Intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. 187.
Aurum, & argentum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Ieſu, &c. 496. 542.
Cap. 4. conuenerunt enim in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. 479.
Cap. 5. Fraudauit de pretio agri. 30.
Cur tentauit Sathanas cor tuum? 425.
Ante os enim dies extitit Theodas dicens ſe aliquem. 85.
Quid faciemus hominibus iſtis? 183.
Ita, vt in plateas eiecerent infirmos, & ponerent in letulis, & grauatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius, &c. 267.
Concurrebat, & multitudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes.
Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Saducæorum, repleti ſunt zelo, &c. 408.
Cap. 6. Viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli. 36. 225. 559.
Elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, &c. 620.
Cap. 7. cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, & ait, ecce video cœlos, &c. 344. 531.
Ne ſtatuas illis hoc peccatum, & cum dixiſſet, obdormiuit in domino. 503.
Cur ſtans horat. 482.
Cap. 8. Orate pro me ad dominum, vt nihil horũ fiat. 43.
Dixit autem ſpiritus Philippo accede, & adiunge te ad currum iſtum, &c. Locus autem Scripturæ, quam legebat erat hic. Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt. 152.
Ibat autem per viam ſuam gaudens. 277.
Cap. 9. Vir pius, ac timens dominum cum omni domo ſua. 389.
Adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos. 129.
Acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas, quas præferret Damaſcum. 137.
Subito circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit vocem dicentium ſibi: Saule, Saule, &c. 203. 290.
Cap. 10. nunquam manducaui commune, & immundum. 61. 202.
Et vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, &c. 94.
Cap. 11. Tunc non parua turbatio inter milites, quid nam factum eſſet de Petro? 392.
Cap. 12. ſtatuto autem die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem clamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus, &c. 281.
Ecce Angelus domini aſtitit, & lumen reſulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens: ſurge velociter, &c. 289. 294.
Annuntiate Iacobo & fratribus hæc. 281.
Capit. 15. & qui nouit corda Deus teſtimonium perhibuit dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, &c. 342.
Cap. 16. media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum. Et audiebant eos, qui in cuſtodia erant: ſubito vero terræmotus factus eſt, &c. 511.

Cap.17. nouorum damoniorum videtur annuntiator.383.
Cap.20. ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, &c.268.
Caput.23. facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, neque manducaturos, &c.355.

Ad Romanos.

CAp.1. mutauerunt gloriam immortalis Dei in similitudinem, &c.28.2.
Cæcitas ex parte contigit Israel donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.232.2.
Iustus autem ex fide viui.416.2.
Cap.2. secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iudicy Dei.297.2. 566.
Qui sine lege vixerunt, sine lege peribunt.574.
Cap.3. qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?210.2.
Sicut in die honeste ambulemus, &c. induimini dominum nostrum Iesum Christum.571.
Cap.4. credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.270.2.
Cap.6. an ignoratis, quod quicumque baptizati sunt in Christo Iesu in morte ipsius.24.2.
Cap.7. sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Infelix ego homo quis me liberabit, &c.210.2.
Capit.8. quis nos separabit à charitate Christi. Tribulatio, an angustia, &c. certus sum, &c 109.2. & 110.2.
Misit è Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, & à peccato damnauit peccatum.111.2. & 415.2.
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, & obediatis concupiscentijs.112.2.
Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.128.1.
Quos præscisit, & prædestinauit, &c. si Deus pro nobis, quis contra nos?195.1.
Spe enim salui facti sumus, spes autem, quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus speramus, per patientiam expectamus; similiter autem, & spiritus adiuuat infirmitatem nostram.219.1.
Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.226.2.
Cap.9. optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.79.2.615.
Cap.10. qui diues est in omnibus, qui inuocant eũ.212.2.
Cap.11. quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.409.1.
Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant.546.
Cap.12. obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequiũ vestrum.344.2.
Capit.13. omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.318.1.
Redite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem.463.1.
Cap.14. omne quod non est ex fide peccatum est.209.1.
Cap.16. Salutate Andronicum, & Iuliam cognatos, & concaptiuos meos.339.1.

Corinth. prima.

CAp.1. qui autem iudicat me dominus est.90.2.
Paulus seruus Iesu Christi per voluntatem Dei?
Cap.2. non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum.369.2.
Cap.3. cum enim dicitis, ego sum Pauli, ego Apollo non ne homines estis?49.1.
Cap.5. nam & in hoc ingemiscimus habitationẽ nostram, quæ de cælo est superindui cupientes, si tamen vestiti non nudi inueniamur, nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestire?102.2.
Auditur in vobis fornicatio, & tales fornicatio, qualis nec inter gentes.105.1.
Eum, qui sic operatus est in nomine Domini Iesu Christi congregatis vobis in vno spiritu cum virtute domini Iesu traddere huiuscemodi Sathanæ.105.1.
Itaque nos in hoc nominem nouimus, secundum carnem.153.2.
Cap.6. ne desideres inquit scriptura cibos diutũ, ij enim vitæ non veræ, & turpi sunt coniuncti.432.2.
Cap.7. bonum est homini mulierem non tangere.117.2.
Innupta cogitat, quæ Dei sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu, quæ autem nupta est cogitat, quæ sunt huius mundi, quomodo placeat viro.292.2 & 447.1.
Vnusquisque proprium donum habet ex Deo alius quidem sic, alius autem sic.405.2.
Ad vitandas scortationes quisque vxorem suam habeat.439.2.
Etsi nupserit virgo non peccauerit, tribulationem

nem autem carnis habebũt huiusmodi. 443.2
Qui cum vxore est solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. 444.1. & 447.1.
Puto autem, quod & ego spiritum Dei habeã. 488.
Cap. 8. *si cibus offendit patrem meum non comedam carnes.* 435.2.
Cap. 9. *sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus, &c.* 72.1.
Nescitis quoniam hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis. 330. 1.
Ego igitur sic curro non quasi in incertum. 330.2.
Cap. 10. *nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c. Petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorũ beneplacitum est Deo.* 181.2.
Cap. 11. *conuenientibus vobis in vnum iam nõ est Dominicam cœnam manducare, &c. Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, quoniam dominus Iesus, &c.* 431.1.
Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis. 470.2.
Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid, &c. 446.
Cap. 13. *nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum: nunc autem manent fides, spes, & charitas.* 373.1.
Charitas patiens est, &c. 614.
Cap. 15. *Christus mortuus est pro peccatis nostris.* 26.1.
Tunc & ipse filius subiectus erit ei. 29.2.
Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti. 260.2.
Quotidie morior. 287.2.
Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum. 404.1.
Nouissime omnium tanquam abortiuo visus est, & mihi. 536.

Ex secunda ad Corinth.

Cap. 1. *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis est, qui per nos prædicatus est, non fuit in illo.* 328.1.
Et scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 343.2.
Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. 459.1.
Cap. 2. *non enim sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* 324.2.
Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt. 548.
Cap. 3. *nos vero omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* 89.1. & 172.2.
Cap. 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis.* 250.2.
Cap. 7. *id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 296.2.
Foris pugnæ, intus timores. 572.
Cap. 8. *consilium in hoc do.* 465.1.
Cap. 11. *despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 105.1.
Cap. 12. *ne magnitudo reuelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me collaphizet.* 506.2.
Ego autem lubentissime impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris. 333. 2.
Cap. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christi.* 165.1.

Ad Galatas.

Cap. 1. *si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis.* 6.1.
Cap. 4. *Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.* 171.2.
Cap. 5. *qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* 500.
Cap. 6. *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 211.1.
Cap. 9. *Misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, &c.* 41.

Ad Ephesios.

Cap. 2. *secundum Principem potestatis aeris huius spiritus, qui nunc operatur.* 354.2.
Cap. 3. *propterea flecto genua mea ad Patrem domini nostri Iesu Christi, vnde omnis paternitas.* 65.1.
Cap. 4. *obsecro itaq; vos vinctus in domino.* 17.1.
Studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. 49.1.
Vnus dominus, vna fides, vnũ baptisma. 150.2
Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. 220.2.
Cap. 5. *nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum.* 356. 1.
Aduersus spiritualia nequitiæ. 425.1.
Cap. 6. *non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harum*

harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. 165.2.

Induite vos armaturam Dei, vt positis stare aduersus insidias diaboli. 191.1.

Cap. 9. *Gladium spiritus assumite.* 22.1.

Ad Philippenses.

Cap. 1. *cupio dissolui, & esse cum Christo. Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo omni prætorio, vt plures confidentes vinculis meis, &c.* 557.

Cap. 2. *Stigmata Iesu porto in corpore meo.* 109.1. *Spero autem in domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit, omnes enim quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* 253.2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus.* 365.1.

Cap. 4. *Euodiam rogo, & Synthycem deprecor, & te germane compar adiuna illas, quæ mecum laborauerunt.* 236.2. *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se metipsum exinaniuit.* 378.1. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* 382.1. *Ego autem didici, in quibus sum sufficiens esse.* 465.1.

Ad Colossenses.

Cap. 3. *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua, & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* 345.2.

Cap. 4. *Adorationem incumbite vigilantes in ea gratiarum actione simul pro me orate.* 52.1.

Ad Thessalonicenses prima.

Cap. 1. *nos qui viuimus, qui residij sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus.* 154.1. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent; si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* 250.2. *Quoniam ipse dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgẽt primi, &c. inde nos, qui viuimus, qui residui sumus.* 260.2. & 279.2. *De fraternitate autem charitatis non opus habetis vos scribi, nam ipsi vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem etenim facitis illud in omnes fratres.* 371.1.

Ex secunda ad Thes.

Cap. 2. *mysterium iam operatur iniquitas, &c.* 567.

Cap. 3. *Si quis non vult operari non manducet.* 408.2.

Ad Thimotheum prima.

Cap. 1. *qui primus blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consequutus sum.* 361.2.

Cap. 2. *similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate orantes se, &c. sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* 115.1. *Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, ex dilectione, & sanctificatione cum omni sobrietate.* 446.1. 609. 611. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prauaricatione fuit.* 464.2. *Mulieres docere non permitto.* 785.

Cap. 3. *Qui Episcopatum desiderat.* 102.

Cap. 5. *si quis autem suorum maxime domesticorum curam non habet fidem negauit.* 475.2.

Secunda.

Cap. 2. *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 22.2.

Cap. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die.* 296.2.

Ad Philemonem.

Cap. 1. *cum sit talis, vt Paulus senex, nunc autẽ, & vinctus Christi.* 294.2.

Ad Titum.

Cap. 1. *non vinolentum, non percussorem, sed modestum.* 183.1.

Ad Hebræos.

Cap. 3. *quæ domus sumus nos si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* 219.2.

Cap. 4. *non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* 278.2.

Cap. 5. *non præsumit sibi honorem, nisi à Deo vocatus, vt Aaron.* 345.1.

Cap. 7. *sine patre, & sine matre, & sine genealogia.* 397.1.

Cap. 10. *irritam quis faciens legem Moysis sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis, &c.* 631.

Cap. 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non receptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, &c. Ideo non erubescitur Deus vocari Deus eorum.* 136.2.

Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. 277.1.

Cap. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* 314.2. & 227.2.

Sustinuit crucem confusione contẽpta. 117.2.

Epistola Iacobi.

Cap. 1. *vultum natiuitatis suæ in speculo.* 18.1.

Cap. 3. *quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem, non enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* 407.2. 447.

Cap. 4. *vnde bella, & lites in vobis, nonne ex cõcupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris.* 167.1.

Cap. 5. *Sufferentiam Iob audistis, finem domini vidistis.* 381.2.

Thesaurizastis vobis vltimo in nouissimis diebus. 384.1.

Epistola Ioannis.

Cap. 1. *filioli custodite vos à simulachris.* 177. 2.

Cap. 2. *scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, &c.* 616.

Cap. 3. *scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus.* 287.

Prima Petri.

Cap. 1. *quasi modo geniti infantes lac, &c.* 7.1. 34.1.

In quem desiderant Angeli prospicere. 90.1.

Prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est. 286.2.

Etsi patrem inuocatis eum, qui sine exceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini. 313.2.

Quem cum non videritis diligitis, in quem nũc quoque non videntes creditis. Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili. 342.1.

Cap. 5. *inimicus noster diabolus tanquam leo rugiens, &c.* 136.2.

Ex secunda.

Cap. 2. *aspectu enim, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus excruciabant.* 218.2.

Ex epist. Iudæ.

Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moyse corpore: non est ausus iudicium inferre blasfemiæ, sed dixit: imperet tibi Deus. 574.

Ex Apocalypsi.

Capit. 1. *habebat in dextera sua stellas septem.* 357.

Cap. 2. *Vincenti dabo manna.* 15.

Scio opera tua, & laborem, & patientiã, &c. Sed habeo aduersum te pauca: Quod charitatem tuam primam reliquisti. 124.

Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ. 501.

Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. 171.

Cap. 3. *Scribam super eum nomen.* 15.

Memento vnde excideris. 47.

Seruasti verbum patientiæ meæ. 127.

Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulauerunt mecum in albis. 223.

Ecce dabo Synagogæ Sathanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient, quia dilexi te. 375.

Cap. 4. *sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* 127.

Requiem non habebant die, & nocte dicentia: sanctus, &c. 146.

Ca. 5. *& omnem creaturam, quæ in cœlo est, &c. Omnes audiui dicentes: sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria.* 2.

Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum. 202.

Et audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicẽtium voce magna: dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem. 378.

Capit. 6. *vidi subtus altare animas interfectorum.* 65.236.

Et audiui vocem in medio quatuor animalium dicentium bilibris tritici denario, &c. 46.

Niger tanquam saccus cilicinus. 32.

Vinum, & oleum, ne læseris. 70.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, &c. 140.

Ecce terremotus magnus factus est: & sol factus est niger tanquam cilicinus, & Luna tota facta

facta est sicut sanguis. 155.
Vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum. 247.
Cap. 7. *hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna.* 392.
Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari dicens: nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus quousq; signemus, &c. 239.
Ex tribu Iuda duodecim millia signati, ex tribu, &c. 122.
Cap. 9. *Aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus.* 32.
Cap. 12. *& in utero habens clamabat, &c.* 424.
Signum apparuit in cœlo, mulier, &c. 606.
Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, &c. 41. 357.
Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. 170.
Accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei, &c. 366.
Cap. 14. *hi sequuntur agnum, quocunque ierit, virgines enim sunt.* 107.
Beati mortui, qui in domino moriuntur à modo iam dicit spiritus, quod requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. 238. 287. 393.
Cap. 17. *habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* 56.
Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ. 103.
Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri, & argenti, &c. 125.
Cap. 18. *quia in corde suo dicit: sedeo regina vidua non sum, & luctum non videbo, ideo in una die, &c.* 84.
Væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora, venit iudicium tuum. 566.
Cap. 19. *vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna dicens, omnibus avibus, quæ volabant, &c.* 3.
Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatum est nomen eius verbum Dei, &c. 246.
Cap. 21. *civitas non eget Sole, neq; Luna, ut luceãt in ea, &c.* 3.
Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & absterget Deus omnem lacrymam, &c. 230.
Cap. 22. *utinam calidus esses, aut frigidus, &c.* 48.



INDEX RERVM SELECTIORVM.

A.

ABstinentia vitiorum regna deuastat, fol. 471.

Abundantia donorum auctorem Deum designat. 478.

Acceptio personarum omnibus fugienda maxime Principi, Regi, &c. fol. 150, col. 2.

Academiarum Collegæ notantur. 617. 618.

Actio gratiarum.

Multiplicat diuina beneficia, fol. 264. col. 2. minus placet Deo vbi non ab omnibus simul exhibetur, qui beneficia receperunt, fol. 336. col. 1. & 2. actio gratiarum in Eucharistia, fol. 345. col. 2.

Adam.

Creatus extra paradisum, vt gratuitæ Dei munificentiæ naturæ donum adscriberet. 353. 1.

Adolescens.

Adolescentum ad virtutis progressum multum interest, inter quos incipiat, fol. 14. col. 1.

Adolescētibus salutaris disciplina matris, 233 1. & 2.

Aduersitas.

Vnitatem, & concordiam parit, prosperitas diuisiones, fol. 338. col. 2. aduersitas, & prosperitas non longe distant, se se inuicē comitantur, fol. 243. col. 1.

Adulter pęnę detestabilior est, quam idôlolatra. 625. extremam Dei derelictionem meruat. 626.

Affectus.

Affectus virtutis cordialis maxime Deo gratus, fol. 99. col. 1. & 2. castus solum Deum quærit. 624.

Affectus gratitudinis adeò nos cùm nostro benefactore coniungit, vt difficulter separatio fiat, fol. 187. col. 1. & 2.

Affectus adulter, qui à Deo ad creaturas descendit. 624.

Affines relinquere, primus gradus perfectionis, 22. 2.

Afflictio.

Afflictio qua peccatum tollitur non est afflictio, sed qua peccatum introducitur, fol. 171. col. 1. & 2.

Afflictiones corporis post Christum efficacissimæ ad impetrandum, fol. 108. col. 1. & 2. ducunt ad Christum, fol. 216. col. 2.

Ad afflictos promptissima Dei misericordia prosilit, fol. 228. col. 1. & 2.

Altare.

Altari Christi abutitur qui sola victus temporalis causa seruit altari, fol. 95. col. 2.

Ambitionis animositas, vt charitati comparatur. 614.

Amicitia, amicus.

Amicitia cum impijs non est ineunda pijs, & religiosis viris, fol. 177. col. 1. & 2.

Amicitia vera, quæ? fol. 244. col. 1. quæ est ex ratione validissima, fol. 244. col. 1. quę ex Deo est, à principio perfectissima est, fol. 245. col. 1. & 2.

Amicus vel regno præferendus, fol. 244. col. 1. nos excitet à somno peccati, ibidem, col. 2. amicus fidus Angelus, ibidem.

Amicorum in morte debemus parare nos ad eandem viam, fol. 350. col. 1.

Amicus fidus qui nos excitat à somno peccati fol, 244. col. 2. quia custos ieiunium ministrat, fol. 213. col. 2.

Amor.

Amor Dei omnibus patentissimus non sic rigor iustitiæ, fol. 3. col. 1. & 2. is est qui vel dormiētibus obrepat, si vigilantibus non possit, ibidem. Quātumuis festinas in nos calamitates præuenit. Amorem Dei adauget humilitas. 127. 2.

Amor Dei tortor suæ benignitatis thesauros manifestat. Amor diuinus vt eget natura humana, fol. 470.

Amor verus charitatis minime pēdet à prȩsentia corporali dilecti, fol. 130. col. 2.

Amor Christi ostēdit sumptum suę passionis pro vna erratica ouicula velle accōmodare, fol. 151. col. 2.

Amor amorem conciliat. 138. col. 2. totas subditorum voluntates ad se rapit, ibidem.

Amori demus operā, dū in hac nocte sumus, qui nobis Iesum reuelabit, fol. 169. col. 1.

Amãt vere Deũm qui ab ãmoris operibus ceſſare neſcit, fol. 124. col. 2.
Ab amore in Deum inſignia virtutis operá proficiſcuntur, fol. 126. col. 2.
Amor carnalis occidit, vbi Chriſtus naſcitur, fol. 104. col. 2.
Amor pecuniarum abſit à Chriſti ſchola, fol. 462.

Angelus.

Angelorũm viſio ſanctis viris promittitur, fol. 34. col. 1. illorum auxilium ſanctis preſentiſsimum ibidem, col. 2. eorum miniſterio natura humana honoratur, & ſeruatur â Deo, fol. 289. col. 1. & 2. ſingularis eorũ tutela circa pueros. ibidem.
Angelorum curſus, etſi velociſsimos, & ipſos Angelos tranſilit Deus, adeò ſuis creaturis adeſſe feſtinat, fol. 517. col. 2. Angelorum gentilitia humilitas, & exinanitio, fol. 157. col. 2.

Anima.

Animæ ſteriles Chriſti paſsione fœcundantur, fol. 38. col. 2. Animarum negotium periculoſum, fol. 519. col. 2. earum paſtores ſic debent affici vel vnius amiſsione, ac ſi omnes amittant, fol. 312. col. 2.
Animabus proximorum, qui benefacit lucrũ habet maximum, fol. 477.

Animus.

Animũm gratum nulla potentia ſeparare poteſt à benefactore ſuo, fol. 187. col. 1. & 2.
Animo tuo quod verſas id facili negotio in alijs præcognoſces, fol. 180. col. 1. & 2.

Annus.

Anni mũlti docent miſericordiam in peccatores, fol. 96. col. 1. & 2.
Anni multi breuis ſpatij pœnitentia compenſantur, fol. 492.

Anus.

Aniculæ feruentiores in ſpiritu dedecus inferunt Eccleſiaſticis tepidis, fol. 396.

Appetitor.

Appetitores, qui ſolas amant ſedes, vt caput reclinent, fures, fol. 10. col. 2

Ariditas.

Arditas tollitur per eleemoſynam, fol. 412.

Aſcenſio.

Aſcenſiones in corde meo parandæ ſemper ad altiora ſcandendum, fol. 172. col. 1. & 2.

Aſpectus.

Aſpectus Chriſti D. ſalutaris. fol. 380. col. 1.
Ex aſpectu Dei maximus honor rebus creatis accreſcat. fol. 16. col. 1. & 2.

Auaritia, auarus.

Securiſsima catena eſt auaritia ad tenendos homines, fol. 87. col. 2. auaritia, & impudentia aulicorum, fol. 429. auaritia omnes humanitates expelit. 530. col. 1. homines conuertit in feras, ibidem.
Auari homines fuſtibus agendi non enim benignitatem nouerunt fol. 530. col. 1.

Aurum.

Vbi aurũm ibi dolus. 31. abſit longe ab Eccleſiaſticorum corde. 542. auri ſitis inextinguibilis. 56. 428.
Auorum nobilitas maxime gubernatores facit, fol. 33. col. 1. & 2.

Auxilium.

Auxilium diuinum ante nobis eſt quam hoſtium impetus, fol. 190. col. 1. & 2.
Auxilium diuinum expectet qui vult cooperari, fol. 145. col. 1.
Auxilium ſanctorum humilitate acquiritur, fol. 140. col. 2.
Auxilij diuini, prætextu nemo ſe ab operibus excuſet, fol. 145. col. 1.
Auxilia aliena non requirit eleemoſyna, fol. 42.
Auxilia diuina alijs vtilia, ne inte vacua, & inania detineas. 628.

B.

Bacchanalia.

Fugantur à Ieſuitis, fol. 432.

Baptiſmus.

Baptiſmi Chriſtiani præſtantia. fol. 290. 2.

Benefactor.

Benefactori tuo ſemper adhærere præclarus eſt

est gratitudinis affectus, fol. 187. col. 1. & 2. Benefactori nostro stricte nos iungit affectus gratitudinis, fol. 187. col. 1. & 2. in benefactore suo gratus animus id solum attendit, quod beneficium fecit, fol. 369. col. 2. à benefactore nulla potentia animum gratum separare potest 187. 1. & 2.

Beneficentia.

Magnitudini Dei adeò respõdet, vt quo plus quis habeat de Deo, eò beneficentior inueniatur, fol. 266. col. 2. Deũ magnificat, seueritas quasi minuit, ibidem, col. 1. beneficentia Dei tam lõgè abest, vt queat exhauriri, vt ab vno dono, ad alia plura, & maiora exurgat fol. 351. col. 1. beneficentia duplicem Dei spiritum designat, seueritas simplicem, fol. 266. col. 1.

Beneficentia in homines diuinitatem prædicat, fol. 307. col. 2.

Beneficium, benefacere.

Beneficia Dei in homines ipso sole clariora, fol. 3. col. 1. & 2. ea solet assequi labor dolor, & ærumna, fol. 306. col. 1. vitam vndequaque inferunt, fol. 54. col. 1. & 2. non finiuntur in prima beatitudinis visione, fol. 373. col. 2. excitant nos ad alia, & alia petenda, fol. 49. col. 2.

Beneficia manus diuina vbi cæpit effundere, cessare nescit, fol. 521. col. 1.

Beneficia diuina multiplicat gratiarum actio fol. 264. col. 2.

Beneficium Deus differt, vt ipsum duplicet, fol. 140. col. 1.

Beneficia diuina carnales fratres, ac consanguinei nobis promptius, quam aliquid aliud impediunt, fol. 261. col. 1.

Beneficiorum Dei recordatio grata, fol. 484. Cui semel benefecit Deus iam, quasi ex consuetudine semper benefacit, fol. 113. col. 2.

In beneficijs acceptis, qui Deum authorem non videt, cœcus est, fol. 355. col. 1. & 2.

Beneficia Iesu in seruos, adeò magna sunt, vt egeant nouis nominibus, quibus explicentur, fol. 15. col. 2. tanta sunt, vt à nulla creatura valeant sustineri, fol. 29. col. 1. & 2.

Beneficia hominis è mortis vena profiliunt, fol. 54. col. 1. & 2.

Beneficia vltro oblata suspecta sunt, & ideò examinanda ne sub illis lateat damnum, fol. 55. col. 2.

Beneficia sine vllius iniuria facienda, fol. 231. col. 1. & 2. quæ aliorum officiant saluti spirituali bonus vir nolit 232.

Beneficium qui accepit in benefactore suo, id solũ spectet quod sibi extitit salutare, fol. 369. col. 2.

Beneficij accepti memoria vim culpæ imminentis frangit, fol. 187. col. 2.

Benefacere proximorum animis non potes sine lucro, fol. 477.

Benignitas.

Benignitas, & dilectio Dei pátentissimá omnibus, non sic rigor iustitiæ, fol. 3. col. 1. 2. ea est, vt vel dormientibus obrepat, si aliter præsentiri non valeat, ibidem, benignitatem auari non agnoscunt. 530. 1.

Bona.

Bona diuina excitant nos ad aliá, & alia petenda, fol. 49. col. 2.

Bona diuina quanta, fol. 476. non finiuntur in prima beatudinis visione, fol. 373. col. 1.

Bona Iesu tãta sunt, vt à nulla creatura queãt sustineri, fol. 29. col. 1. & 2.

Bona creata disparent in conspectu diuinorum, fol. 468.

Bona huius mundi despiciat, & solis cælestibus viuat, qui perfectè Christum sequitur, fol. 499. col. 2.

Bona temporalia rapidissimo motù eũanent, non sic spiritualia, fol. 288. col. 1. & 2. mũdalia bona depereunt, ab eis autem obortę culpæ æternum manent, fol. 526. col. 1. & 2. bona creata solum noueruut à nobis abire, fol. 426. bona terrena à corde excludenda, fol. 489. bona etiam minutissima dimittant, qui sequuntur Christum, fol. 19. col. 1. & 2.

Bona mundialia impiorum mentibus hærẽt, cœlestia quantotius elabuntur, fol. 88. col. 1. & 2. bona temporalia crebris deffectibus, & ruinis mouent homines, vt caueant diuinam iram, folio 185. col. 1. & 2.

Bona caduca caducos, æterna æternos faciunt suos spectatores, 286. col. 1. bona secularia non sic efficacia ad trahendum homines, quam mala, fol. 287. col. 1. & 2. bona carnalia nesciunt comitari possessorem suum, fol. 57. col. 2. Quæcumque carnalia bona finẽ habent, sola diuini spiritus dona æterna reposunt, ibidem. Bona fugiunt malos possessores, fol. 454. bona duplicata longam sufferentiam, expectationemque requirunt, 140. 1. bona omnia dantur, & mala pelluntur, vbi Deus sanat, 195. 1. & 2.

Bona laudanda, ad mala cœcutiendum tibi est, fol. 273. col. 2. bona tibi ne sint in malũ aliorũ, fol. 454. bona, ac fauores occultandi

tandi ne inanis gloriæ iniurias patiantur, fol.281.col.1.& 2.Bona Ecclesiastica, vt possint seruire Regibus 541.
Bona mundialia sunt entia rationis ficta. 591.
Bonorum omnium authorē sciri amat Deus fol.402. bonorum nostrorum authorem ne cognoscamus felicitas temporalis obtenebrat,fol.308.col.2. bonorum mundalium post visam crebram ruinam nihil miserius,quam illis fidere,fol. 526. col. 1. &.2. eorum incauta receptio sæpe hominem desperatum iam, & deploratum designat,fol.454.col.2.
Bonis terrenis,& temporalibus inhiantes mūto aguntur spiritu,fol.194.col.2.noli illis incubere, vbi spirituale negotium agitur, fol.324.col. 1.& 2.eis non immorandum fol,490.
In bonis acceptis qui Deūm authorem non vidit cæcus est,fol.335.col.1, & 2.

Bonitas.

Bonitas summa Dei in trahendis indignis, fol.118.col.1.& 2.
Bonitatis diuiuinæ non est supplicium inferre ante peccatum,fol.353.col.2.
Bonitatem immensam Dei nō magnicat percussio hominis sed potius eximanit, fol. 266.col.2.

Bonus.

Cum bonis familiaritas, & consuetudo potens ad radicem vitiorum extirpandam, fol.119.col.1.& 2.

C.

Calamitas.

Calamitates habent Christum,fol.216.col.2 vide labores.
Citius inueniunt maiores, 566.

Canes.

Aūspicium victoriæ Christianæ.147.

Castitas.

Castitas dominari facit,fol.390.coniugia fæcundat ad filiorum procreationem ,438. castitas coniugalis continentiam vidualem inducit,fol.66.col.1.& 2.
Castitatis murus semper integer, & inexpugnabilis. fol.184.col.2.
Ex castitate dominatus, fol.390.

Cadere.

Cadere in virtutum culmine periculosius quam cadere in sentinis vitiorum,fol,47. col.2.

Cæcitas, cæcus, cæcutire.

Cœcitas duplex in se nullum videre malum, quod est, & in alijs videre, quod non est, fol.118.col.1.& 2.
Cæcus est qui in acceptis bonis Deūm authorem non videt,fol.335.col.1.& 2.
Cœcutiunt in via omnes ad omnia, mors reuelat,quod habuerit homo, fol.375.col. 1.& 2.
Cœcutiendum tibi est ad mala, laudanda bona,fol.273.col.2.

Cælum,cæleste.

Cœli porta non solum pauperes, & pedites capit sed etiam excelsos Principum currus fol.152.col.2.
Cœlestis muneris adducendi potestas penes nos est,fol.207.col.1.& 2.
Cœlestis domus quisquis teris viam, cāue ne deflectas ad diuerticula, fol.282.col. 1.& 2. in cœlesti domo maximi huius vitæ labores exigui videbuntur aut nulli, fol. 282.col.2.
Cœlestia anxie cūrat dæmon nobis odiosa,& inuisa facere,fol.203.col.1. ad cœlestia,& suprema ex imis perueniendum, fol. 290. col.2.cœlestia contemplans,& impiorum glorias emortuas,immò penitus non esse iudicabit,fol.84.col.2.
Cœlestia bona quantotius impiorum mentibus elabuntur, mundalia hærent, fol.88. col.1&.2.cęlestia bona quanta,426.Quā gratis acquirantur,93.
Cœlestia qui meditatur,trahit illa. 603.
Cœlestium rerum cognitio acuit oculos, ne fallantur,fol.84.col.2.

Charitas.

Breuissimo compendio nos Deo vnit, & ibi confirmat.fol.110.col.1.& 2.
Charitas vera non pendet à præsentia dilecti corporali,fol.130.col.2.
Charitas Christianæ fidei fundamentum,fol. 16.col.2.
Charitas Christi adeò patientissima,vt imam nesciat contemnere ouem, immò se totum pro illa impendat,fol.151.col.2.
Charitatis ingenium, & acumen maximum in iuuandis proximis , folio 275.col.2. illius perfecta vnio signum est electorum in

in Christo, fol. 48. col. 2. Eius triumphus in Christi lacrymis. 570.
A charitate in Deum insignia virtutis opera proficiscuntur, fol. 126. col. 2.

Christus.

Vbi nascitur, occidit carnalis amor, fol. 104. col. 2. nobis est pro vniuersis armis aduersus dæmonem. fol. 141. col. 1. & 2. ab omnibus bona sua exigit cum fœnore, fol. 120 col. 1. fol. 121. col. 1. parem gratiam intulit antiquæ seuaritati, fol. 483. adeo rigorosus exactor est, vt iudicaturus nō tā debita requirat, quam fœnora, fol. 121. col. 1. fol. 120. col. 2. in suis bonis elargiendis pro mercede nullam inæqualitatem facit, fol. 122. col. 1. & 2. omnia singulis proponit volens æquales habere filios in honore, & dignitate, fol. 122. col. 1. & 2. in Moyse, & Prophetis patentissimus est, fol. 26. col. 2. nihil à nobis non pretio emptum accipit, fol. 45. col. 1. & 2. pro vno solo homine impenderet, quod pro omnibus, fol. 151. col. 2. velocior ad nos venit, quam quoduis malum. fol. 441. ad vnius hominis perditionem sic aduitur, ac si omnes amittat, fol. 312. col. 2. longè superat laudatores suos in laudum retributione, fol. 319. col. 2. Christus, & lucri amor se mutuo excludunt, fol. 496. col. 2.
Christi sectatores intra auitæ humilitatis fines se continere curent, fol. 17. col. 2. etiam minutissima bona dimittant, fol. 19. col. 1. & 2. dimittant prius retia, fol. 20. col. 1. Christi munus nescit sterilescere semper proprio gaudet augmento, fol. 38. col. 2. Christi D. passi exemplum maximè suorum leuat labores, fol. 25. col. 1. & 2. Christi D. mors potens, vt suorum animas excitet in vitam, fol. 85. col. 2. Christi altaribus adesse sola victus temporalis causa periculosum est, fol. 95. col. 2. ad Christi comparationem vilescunt vniuersi Patriarchæ, fol. 56. col. 2. Christi viuentis ex mortuis humilis fides arguit filios immò primogenitos in Dei populo, fol. 149. col. 2. Christi charitas, adeò patiens, vt imam nesciat contemnere ouem, sed & pro illa se totum impendat, fol. 151. col. 2. Christi facinorum veritatem ipsi inimici testantur, fol. 165. col. 1. vel illius halitus sufficisset ad omnium hominum vitam reparandam, fol. 265. col. 1. & 2. Christi verbi suauitas, & beneficentia congregat, & cicurat efferatissimos quosque, vbi de ornatu sermonis, fol. 271. col. 2. Christi humilis vbi fides, & reuerentia præcesserit, sola venit victoria voce, fol. 316. col. 1. Christi virtus euertit peccātorūm adunationem difficulter expugnabilem, fol. 293. col. 1. Christi conspectus in peccatore, nihil prius elicit, quam lacrymas, fol. 115. col. 2. influit in respectos, id quo egent, in peccatores veniam, in mortuos vitam, ibidem, col. 1. Christi D. summa mundities expenditur, fol. 325. col. 1. de Christi rore omnia vegeta virtute florent, & arentia hominum ossa conuertuntur in ligna paradisi, fol. 349. col. 2. Christi perfectus assecla, nihil magis optat, quam videre Christum, fol. 379. col. 2. illius sequela, & oculorum illuminatio connexæ sunt. fol. 388. col. 2. Christi aduentus post mortem maxime metuendus, & cauendus, fol. 384. col. 2. Christi mensa fugat comessationes, & ebrietates, fol. 430. & 431. Christi D. gustus in fidei veritatem omnibus communem trahit, fol. 79. col. 1. & 2. eius spiritus amat latebras. 568. Christi gratia ad nos festinat, fol. 566. col. 2. Christi corpori impressæ, quantum ac quale cœleste gaudium manifestant, 283. 1.
Christo qui appropinquant, & ab eo recipiuntur, licet peccatores fuerint iam peccatores esse desinunt, fol. 96. col. 1. & fol. 97 col. 1. christo non immoritur, qui adhuc studet corporis ornatui, fol. 114. col. 2. christo, vel leuissima obsequia accepta, fol. 6. col. 2. christo D. quotquot appropinquant coronas accipiunt, & sub regio splendore refulgent, fol. 382. col. 2. christo D. nouatorū leuitas adiosa valde est, fol. 383. col. 2.
Christum qui sequitur in primis parentes relinquat fol. 22. col. 2. omnia huius mundi bona despiciat, cœlestibus viuat, fol. 499. col. 2. christum calamitates halāt, fol. 216. col. 2. vbi illum in mortem ire vident vniuersæ creaturæ se se etiam in mortem præcipitant, fol. 246. col. 1.
A christo D. ad altiora semper transire discimus, fol. 360. col. 2. illo affulgente concupiscentia carnalis euanescit, fol. 104. col. 2. in eo solo sequendo necessitatem consultationis mundiales ponunt, quasi solum illū suspectum habeant, fol. 92. col. 2. A Christo, qui magna velis comparare, egredere à tuis, fol. 136. col. 2. quæuis se paratio à christo suspecta est, fol. 83. col. 1.

Christianus, christianum.

Christiani legitimi signum est, quod alios christo acquirat, fol. 13. col. 2. illius solum propriū est, quod sit discipulus Dei: in quo

ſignum veræ Eccleſiæ, fol. 370. col. 1. ille habetur, qui nominis virtutes implet. 567
Chriſtiani ſupra legum præſcripta operari debent, fol. 4. col. 2.
Chriſtianis valde ſalutare eſt non reſpondere conuitijs, fol. 196. col. 2 interna, & externa mortificatio illis neceſſaria, fol. 500. col. 1.
Chriſtianæ vitæ incumbens quæ ſunt illius communia perficere contendat non curans præ illis ſingularia, fol. 333. col. 1. & 2.
Chriſtianum eſt minima, & abiecta amplexari, fol. 498. col. 2.

Ciuitas.

Ciuitas in continentium ſola eſt, & hoſtibus patet, fol. 184. col. 1. & 2.
Ciuitas tota nobilis perſonę luxuria inficitur fol. 105. col. 1.
Ciuitatis ſuſtentacula ſtudeant ruinis agricolarum, & operiarorum reparandis, fol. 143. col. 2.
Ciuitates cuſtodit pudicitia, fol. 184. col. 1. & 2.

Clementia.

Clementia nihil magis regium, fol. 33. col. 2.

Clericus.

Clericus, & iudex ſecularium non bene conueniunt, fol. 219. col. 1.

Cogitatio.

De cogitationibus hominum etiam minimis Deus triumphat, fol. 114. col. 1. & 2.

Cognatio.

Cognatio naturæ humanæ facit Ieſum hominibus propitium, fol. 89. col. 2.
Cognationem relinquere primus eſt perfectionis gradus, fol. 22. col. 2.
Cognatorum affectus emortuus Dei beneficio. 561.

Cognitio.

Cognitio rerum cœleſtium oculos acuit ne fallantur, fol. 84. col. 2. Cognitio rerum humanarum nihil prius, quam lacrymas edducit. 570.

Cognomen.

Cognominibus Sanctorum inſigniri vtile, & religioſum eſt viro, fol. 234. col. 1.
Collegæ Academiarum in electionibus ſuis notantur. 617. 618.

Colloquium.

Colloquium cum fœminis rigidum, & auſtę rum maxime ſi à pudicis, & religioſis viris prodeat, fol. 67. col. 2.

Communitas.

A communitate non diſcedendum, fol. 346. col. 1.

Compoſitio.

Compoſitio hominis exterioris, fol. 427.

Conceptio.

Conceptionis Marianæ in primo ingreſſu nulla fœditas, fol. 573. col. 2.

Concionator.

Concionatores non verborum ſtrepitu, ſed exemplo tanquam hamo homines capient fol. 21. col. 1.

Concordia.

Concordia inter ſocrus, & nurus fol. 389. & 390. concordia in precibus plurium efficaciſsima ad impetrandum fol. 332. col. 2. concordia Dei victrix ipſam quaſi veritus & exoſculatus Deus, ibidem, protentiſsima ad trahendum Deum. 612.

Concupiſcentia.

Euaneſcit Chriſto Ieſu affulgente, fol. 104. col. 2.

Confeſsio.

Salutaris, fol. 393. confeſsio humilis efficaciſsimum remedium ad expugnanda peccata, fol. 61. col. 2.

Conformis.

Conformes debemus fieri Ieſu in omnibus, fol. 22. col. 1. & Dei voluntati, non impatientes, fol. 188. col. 1. & 2.

Coniugium, coniugati, coniugalis.

Coniugia fæcundat caſtitas ad filiorum procreationem, fol. 438.
Coniugatæ fœminæ præter mariti vultus, alios, vel angelicos formident, fol. 61. col. 2.
Coniugalis caſtitas continentiam vidualem inducit, fol. 62. col. 1. & 2.

Creator.

Creatoris placitis, qui obſecundat ab omni creatura adiuuatur, fol. 159. col. 2. illius manus in nobis occultari non poteſt, fol. 217. col. 2.

Creatura.

Creatura inſenſibilis nos docet ſatisfacere

Deo pro commiſsis, fol. 155. col. 2. non tam ſaluat, quam condemnat peccatores, fol. 80. col. 1. Creaturæ adiuuant Deo obſecundantes, fol. 159. col. 2. dolent nō prodeſſe homini, fol. 426. dire peccatores tractant, fol. 255. col. 1. & 2. hominis ingenia venerantur vniuerſæ creaturæ, vel ipſa gehenna, fol. 318. col. 2. creaturæ viſa morte creatoris mori feſtinant, fol. 246. col. 1.
Creaturarum ruinæ à Deo factæ efficaciſsimæ ſunt, vt hominum corda conuertantur, fol. 538. col. 2. earum placita ne expectes, vt Deum ſequaris, fol. 5. col. 2. earum anguſtiæ profuſiſsimam Dei miſericordiā coarctant, fol. 348. col. 2. earum veſtigia ne ſequaris dum Deum ducem habes, fol. 6. col. 2. Creaturas quibus fidant non ſinit Deus dilectis ſuis, fol. 300. col. 1. & 2. otioſas eſſe nō patitur, fol. 342. col. 2. vniuerſæ pro crumena ſunt Chriſti pauperibus, 543.

Credulitas.

Illius robur præſtantius à rebus proprijs, fol. 505. col. 2. Credulitatem firmius adhibemus ijs, quę penes nos ſunt, quam quæ in alijs videmus, ibidem.

Culpa.

Vbi non eſt, vel leuis diuinæ mānūs attactus ſufficit, fol. 326. col. 2. A bonis temporalibus obortæ culpæ æternum manent, bona autem cito depereunt, fol. 526. col. 1. & 2. maiores culpas maior ſequatur humilitas, fol. 176. col. 1. & 2. culpas eorum, qui ſub tua non ſunt poteſtate, nullo zeli prætextu velis caſtigare, fol. 532. col. 2. culpæ immi nentis vim frangit beneficij accepi memoria, 182. 2.
Cultus exterior ſine interiori Deo abominabilis, 564.

Cura.

Curam habeant Domini virtutis famulorum fol. 388. & 389. curis ſæcularibus, qui ſe immiſcent ſanctitatem non adipiſcuntur, fol. 292. col. 2.

Curiales.

Curiales myſtæ ſint principibus neceſſarij, ab eiſque independentes, fol. 102. col. 2.
Curiales idōlolatriæ proximi, fol. 610.

Curioſitas.

Principum in raptis videndis carpitur, fol. 448.

Conſanguineus, Conſanguinitas.

Conſanguinei nihil promptius faciūt, quam impedire nobis diuina beneficia, fol. 262. col. 1. & 2. eorum affectum emortuum eſſe Dei beneficium eſt, fol. 561. Vide propin qui.
Conſanguinitatis vis ne valeat in muneribus Eccleſiæ partiendis, fol. 396. & 397.

Conſcientia.

Conſcientiæ nimia ſecuritas, quām fallax, fol. 166. col. 1.

Conſilium, conſiliarius.

Conſilio proprio non hærendum, fol. 449.
Conſilia aliorum ſpectanda à gubernatore, & iudice, fol. 461. impiorum non ſumenda, fol. 464.
Conſiliarij vitioſi caūendi, fol. 464. ab auāritia alieni ſumendi, fol. 465.
Conſiliarij regij tentantur in Principis poſtū latis, fol. 467.

Conſolatio.

Conſolationem, & lætitiam in malis ſolus Deus affert, fol. 229. col. 2.

Conſuetudo.

Conſuetūdinis bonæ ea eſt virtūs vt etiam in rebus inimicorum ſplendeat, fol. 147. col. 1.

Conſultatio.

Conſultatio de Deo ſeqūendo ſuſpecta hominibus non debet eſſe, fol. 92. col. 2.
Conſultationis neceſsitatem in ſolo Chriſto ſequendo mundiales ponunt, fol. 92. col. 2.

Contumelia.

Contūmeliæ ſunt fœlicitatis calcaria, quæ illam faciunt feſtinanter venire, fol. 197. col. 2. patienter auditæ maximam quietem cauſant: fol. 502. col. 2.

Conuerſio.

Conuerſio peccatorum à ſolo Deo, fol. 417. præſtantius opus quam miracula, fol. 279.

Conuitia.

Patienter audita maximam quietem inducunt, fol. 502. col. 2. illis non reſpondere quam ſalutare, fol. 156. col. 2.

Conuiuium.

Conuiuia, vt contraria ſanctitati, fol. 432. paruos errores vehementer mordent, fol. 433. habeant ſapientem virum cuius præ-

sentia componantur, fol. 434. conuiuijs non celebranda, sanctorum festa, fol. 432.433.

Cor.

Cordis intima virtus Deo gratissima, fol. 99. col. 1. & 2. cordis benefici vis, fol. 377. cordis secreta soli Deo creatori patentissima fol. 2. 78. col. 1. & 2. quæ in corde tractas in alijs, vel ab vmbra cognosces, fol. 180. col. 1. &. 2. in corde meo ascensiones parandæ semper ad altiora scandendum. 172. 1. &. 2. à corde excludenda bona terrena. 489.

Corona.

Coronâ, & brabium omnibus currentibus, nec desistentibus certa, fol. 130. col. 1. & 2. illam ne alter accipiat cauendum, fol. 123. col. 2. in coronis elargiendis æqualis Deus, fol. 122. col. 2. Corona sine labore indecora, 599.

Corpus.

Corporis castigatio efficacissima ad impetrandum, fol. 108. col. 1. &. 2.

Corporis ornatui qui studet Christo non immoritur, fol. 114. col. 2.

D.

Damnatus.

Damnatorum pœna tota simul miseros diuexat, fol. 297. col. 2.

Damnatis locus de putatus, quam ex se horribilis. 183. col. 2.

Degener est, qui paruâ à Deo petit. 624.

Defunctus.

Defunctorum onera possumus tollere qui adhuc viuimus. 263. col. 2.

Defunctorum fidelium animæ aliquando apud sui cadaueris sepulchra degunt, fol. 265. col. 1. & 2.

Dementia.

Extremâ dementia est post rerum mundalium ruinam illis fidere, fol. 517. col. 1.

Desperatio.

Desperatio non concipienda de vitiorum victoria si adsit deligentia. 274. col. 1. & 2.

Deus.

Deus tibi qualis tu Deo. 618.

Honorabilibus titulis nominandus, fol. 168. col. 2. 169. 1. ab hominibus exigit bona sua cum fœnore 120. 2. hominum labores viribus ipsorum commensurat. 72. 1. & 2. punit trutina librans vltionem, ibidem. Si punitatio mensuram debet excedere, peccatori remittit, vt sibi illam imponat, ibidem, in mercedibus, & coronis elargiendis nullam ex se in æqualitatem facit. 122. 1. & 2. solus Deus prædicatores suos in exteras prouincias agit. 136. 2. differt, vt duplicet, beneficium. 140. 1. Ita est auxiliator, vt nolit esse totius rei effector. 145. 1. est inter beneficia visibilis secus inter flagella. 4. 1. vel leuissima obsequia accipit. 6. 2. se deijcit, & aptat, vt ab hominibus capi possit 7. 1. & 2. nulli rei tam assidet; quam peccatori expectando. 39. 2. nihil à nobis nisi pretio emptum accipit. 45. &. 2. quæ petit à nobis immò, & potiora eadem se se obligat præstare. 50. 2. cui semel beneficit, quasi ex consuetudine semper benefacit. 53. 2. adeò benefacere assueuit, vt ad virgam ire nesciat. 54. 1. & 2. Deus demonio exitialis. 189. 1. & ante vitium, & morbum, parat remedium. 190. 1. & 2. vbi sanat omnia pelluntur mala, veniunt bona. 195. 1. & 2. se exaltat parcens, se humiliat vindicans. 266. 1. nihil exigit præcepto generali quod in se, vel in suis non prouauerit. 227. 1. & 2. solus ille veram lætitiam, & consolationẽ in malis affert. 229. 2. magni æstimat, quidquid sibi à veris iustis offertur. 237. 2. quasi medicus teporalis ægro, multa permittit peccatori deploratæ salutis. 254. 2. tollit ærumnas ab ijs qui earum lucra capere nesciunt. 293. 2. in temporalibus pœnis æterni suplicij speciẽ immittit. 299. & 2. non sinit dilectis creaturas, quibus fidant. 299. col. 2. 300. 1. & 2. tenetur peculiari iure prouidere ibi homo non adest. 302. 2. vt à se ipso nõ potest descisscere, sic non cessat ab hominum charitate. 308. 1. & 2. non dedignatur de minimis hominum cogitationibus triumphare. 114. 1. & 2. se ipsum negaret, si homines sua charitate non amplecteretur, ibidem.

Deus solus peccatores cernere, inter illos agere, eorum infirmitates sustinere sciuit, 315. 2. solus Deus potest homini imperium parare. 717. 2. petentis desiderio subuenit, antequam petat, 367. 2. humanorum bonorum auctorem se sciri amat, 401. non æstimat munera sua, nisi magna. 416. 417.

Deus solus ad nos venire nouit. 426. ab indigentibus trahitur. 444. præstantissima largitur munera. 451. Deus quasi non possit non misereri videtur. 459. tunc regnat in nobis, quando solus per se quæritur. 480. est facilis erga multitudinem. 481.

Deus etsi iratus in hominem misericordem illapsus omnium miseretur, 376.2. fidelibus adest, vt Dominus speciali prouidentia, 495.1.& 2. vigilat in suorum custodiã etiam dormiens, etiam verberans, 502.1. mira pietate ad hominum salutem condescendit, 506.1. nescit cessare in donando, 521.1. sic operatur nostram salutem, vt videatur hominibus indigere, 535.1. citius adest illi, qui inter pugnandum victus est, 520.1. eo vehementius acuit dolores, quo salus vicinior, 513.2.

Dei præsentia præstat, vt dolos, fraudes, iniurias facere dediscamus, 30.1. illius consortiũ timorem incutit, 403. Dei quidquid est misericordiam docet, 99.2. eius amorem adauget humilitas, 127.2. Dei spiritus, nihil prius ob oculos proponit, quam rerum mundalium casum, 83.2. Dei facinus præstantius conuersis peccatorum, quam miracula, 279.1. Vna eius voluntas in omnibus adoranda, & spectanda, 215.1. & 2.

Dei viam, qui currunt & non desistunt, brabium comprehendent, 330.1.& 2. Dei manus non sinit otiosas esse creaturas, 342 2. eius magnalia in se peracta non omnibus licet prædicare, 343.2. in Dei donis semper est augmentum, 350.2. Dei sit bonitas in trahendis indignis, 118.1.& 2.

Dei amor calamitatem præuenit, quamuis festinam, 239.1.& 2. Dei amasij erumnis exercentur, laboribus ditãtur, 235.2. Dei manus grauissima ad vexandum, 575. sine Dei licentia, & permissione, nullum malum accidere potest, 243.2. Dei dilectio omnibus nota non sic rigor iustitiæ, 3.1. & 2. Dei sequela, & oculorum illuminatio connexa sunt, 38.2.

Deo maxime gratus affectus cordialiter virtutis, 199.1.& 2.

Deo soli humani cordis secreta patentissima, 278.1 & 2. vel lapis oblatus manet alta mẽte diuina repostus, 284. festissimum est Deo, quidquid hominum saluti conducit, 305.1. si Deo sis curæ, nihil æstimes à creaturis derelinqui, 372.1. Deo seruire debes in lætitia, si illi placere cupis. 161.1. & 2.

Deum videre cupiens, semper videre sitit, 380.

Deum bonorum auctorem designat abundãtia, 478.

Deum ne tibi quasi obligatum expectes, sed eius gratiam inquirere festina, 331.1. illũ substinere debemus eius voluntati conformes, 188.1.& 2. qui sibi Deum cupit deuincere, duret in actibus humanitatis, 254 1. Ad Deum labores trahunt, 137.1.& 2. Ad illum citius peruenitur illis virtutibus incumbendo.

Deũ qui vobis expectare nouit, etiam duplicare lucrũ, 140. Deũ, vt alliciamus multũ prodest locus, vbi ingens aliquod accepimus beneficiũ, 158.1. eum quasi torquet dilectio, 3.1.& 2. Deum ducem habens creaturarum vestigia ne sequaris, 6.2. qui deum auctorem non videt in bonis acceptis cœcus est, 335.1.& 2. qui deum sequi voluerit, ne expectet creaturarum placita, 5.2. ad deum nulla securiori via, quam per descensum itur, 517.2. qui Deo impletur neminem fraudare sciuit, aut lædere, 29.2. A deo vno qui deficit in multitudinem incidit tyrannorum, 61.1.& 2. A deo discedentibus, quid eueniat, 83.1. A deo non respici, nostra desidia est, 156.2. 157.1. A deo alienus valde hominis interitus, 380.1. ab eo nobis promissa, quasi possessa habentur, 322.1. in eo colendo tota vis felicitatis humanæ, 371.1. & 2. in solo deo sequendo necessitatem cõsultationis mundiales ponunt, 92.2. ab illo solo conuersio peccatorum, 417.1.

Diabolus.

Veritatis osor, 63.1. Totus in aũrandis peccatis ne appareant, 77.1.& 2. peccatores suos qui ignorat, 167.1.& 2. nullis iustorũ conuentibus non se ingerit nullibi ab illo eris securus, 165.2. vt sanctos expugnet de sanctitatis castris arma mutuatur, 182.2. anxie curat nobis odiosa, & inuisa facere cœlestia, 202.2. 203.1. Est causa præcipua malorum omnium, 424. facit homines terrenis deditos, 425.

Diaboli impudentia est, vt inter Angelos medius consistat, 165.2. eius manus homini acerbissima, 170.2. eius cruciatus est vbi virtus floret, 181.2. irreuocabiliter abire cogitur à Iesu, 209.2. nimis auidi in hominibus perdendis dæmones, in hoc alteri cedit nullus, 174.1.2.

Diabolo exitialis Iesus, 189.1.& 2. ab illo habent ortum atrociora tormenta hominis, 139.2.

Dies.

Dies ærũmnarum integri, & completi apud Deum, 294.2.

Dies hominis censentur ex ærumnis, 483.

Difficultas.

Difficultates maiores proponendæ sunt euangelicis

gelicis Heroibus in principio virtutum, 23.2.

Dignitas.

In dignitate constituti non debent honorem & emolumentum sibi appetere, alijs laborem, & opera relinquere, 10.2.
Dignitates Ecclesiasticæ ne dentur iure cõsanguinitatis, 396.

Dilectio.

Dilectio vera in Deum, ab amoris operibus cessare nescire, 124.2.
Dilectio Dei omnibus patentissima non sic rigor iustitiæ, 3.1.2.
Dilectio quasi Deum torquet, 3.1.2.
Dilectio in Christum, illum tenet pene inseparabiliter, 571.

Discipulus, Disciplina.

Discipulum esse Christi proprium est solius Christiani, 370.1.& 2.
Disciplina matris salutaris adolescentibus, 233.1.& 2.
Disciplina magistrorum superat parentum in filios operam, 202.1.& 2.

Diuinitas.

Diuinitas pauperes ad se trahit, 378.2.
Diuinitatis notitiam, non potest infirmitas humana sustinere, 375.2.

Diuisio.

Diuisio, & multitudo Deo contraria, 167.1
In diuisione summa inuenitur perditio, 197.2.
Diuisione quæcumque machinâ quantumuis concors dissoluitur, 293.2.

Diuitiæ, diues.

Diuitiæ sęculares motu rapidissimo euanęt, 288.1.& 2.
Diuitiæ mundiales impiorum mentibus hęrent, at cœlestia bona quantotius elabuntur, 88.1.& 2.
Diuitiarum contemptu totum peccati regnum corruit, 91.1.& 2.
Diuitiæ, & paupertas famulantur virtuti, 152.2.
Diuitiarum sitis inextinguibilis.
Diues nunquam solus perijt, 487.
Diuites etiam regnum cœlorum possunt intrare, 152.2.
Diuitum cupiditates instar fęminarum prægnantium, 592.

Doctrina.

Doctrina Iesu, 63.2. Doctrina hæreticorum ex quo falsitatis conuincatur? 63.2.

Dolor.

Dolor perfectus de peccatis nullum sibi terminum præscribit in satisfactione peragenda, 125.1.& 2.
Dolores huius vitæ paulatim, & diuisim non sic præmia illorum, 296.1.& 2.
Dolor verus solus qui ex amore perfectæ salutis procedit. 597.
Dolores tunc Deus acuit quando appropinquat salus, 513.2.

Dominus.

Domini famulorum curam habeant, 388. 389.
Domini sic tractent subditos, vt sibi superiores putent, 319.1.
Domini sic puniant subditos, vt immediatè, post punitionem ab ipsis subditi honorętur, 319.1.
Dominorum vanissimus titulus, vbi mortales subditi, 316.2.
Dominos præstantes decet æqualitas circa subditos, 150.1.
Dominatus ex castitate, 390.

Domus.

Domus religiosæ erectio opus Deo gratissimum, 84.1.& 2.
Domus cęlestis, qui teris viã, caue ne ad diuerticula deflectas, 282.1.& 2. in domo cęlesti maximi huius vitæ labores exigui, aut nulli videbuntur, 282.2. domus Dei componit affectus mundanos, 8.2. illius habitatio adeò dulcis, vt Angeli ab ea nõ nisi missi discedant, 9.2. in illa laborandum, 10.2. sancte, & deuote agendum, 20.1. domus Dei gloria absoruet omnium pristinorum laborum recordationem, 283.1.

Donum.

Donum crescit incomparabiliter ex Deo dante, 310.2.
Donum duplicatum sequitur nostram expectationem. 140.1.
Dona diuina requirũt accipientium laborem, & cooperationem, 145.1.

Dona quæ posteriora à Deo veniunt prioribus illustriora sunt, 350.2.
Dona diuina non finiuntur in prima beatitudinis visione, 373.1.
Dona donis cumulando Deus continuat, 521.1.
Dona diuina auctorẽ halant, 478. id timendum in illis, quod amitti possunt, 564.
Dona turpant fœminas, fol. 55. col. 1.
Dona à Iesu profecta in suos adeò magna, vt nouis nominibus egeant, quibus explicentur, fol. 15. col. 2. dona nostra parua perennem affluentiam bonorum in Deo adquirunt, fol. 52. col. 1. & 2. dona Dei sola vitã, vndequaque inferunt, hominum autem profiliunt è mortis vena, fol. 54. col. 1. & 2.
Dona vltro oblata sint tibi suspecta, fol. 55. col. 1. sola dona diuini spiritus æternari sciunt, fol. 57. col. per Christum exhibita, cum manentibus manent, cum euntibus eunt, fol. 57. col. 1.
In donis Dei semper est augmentum, fol. 350 col. 2.
Duratio ostendit qualitatem operum, 551.

E.

Ebrietas.

Ebrietatis malum insanabile, 436.
Ebrietates ab Eucharistia fugantur, 431.

Ecclesia, Ecclesiasticus.

Ecclesia Christi à mansuetudine, & simplicitate ducit originem, 3.2.
Ecclesia, & locus sacer, nihil inordinatum erũpi patitur, 8.2.
Ecclesiæ Principes, & superiores simplicitatẽ vnde nata est præseferant.
Ecclesiæ bona, vt possint regibus seruire, 541
Ecclesiæ septa sint tibi præfinita, vt Christũ inuenias, 341.2.
Ecclesiæ suæ Deus speciali adest prouidentia. 495.2. Eius persecutores exleges, 560. intra illam sit, qui vult mederi peccatis, 566.
Ecclesiæ munera publicæque præfecturæ officia vendentes, & ementes Dei iram incurrunt, 525.1. & 2.
Ecclesiæ vniuersæ Petro Apostolo subdantur. 494.1.
Ecclesiæ, & templa fidelium eleemosynis erigantur, 284.1. & 2.
In Ecclesijs sancte, & deuote agendum, 10.1.
Ecclesiastici otium fugiant, pluribus se virtutum operibus dedant, 394.
Ecclesiastici vitent iuuencularum famulatus magis imperia. 395.
Ecclesiastici iuuenculis seruientes more prophanorum iuuenum notantur, 395.
Ecclesiastici Principes ne tempus insumant in sumenda ratione pecuniarum, 464.
Ecclesiasticorum dedecus ab aniculis vinci in feruore virtutum, 395. 396.
Ecclesiasticorum affectus in ditandis consanguineis succenseturr, 396. 397.
Ecclesiasticos sola victus temporalis causa adesse altaribus periculosum, 95.2.
Ecclesiastici delitiosi peribunt, 593.
In Ecclesiasticis muneribus, qui dant operũ lucris caueant Dei iram, 525.1. 2.

Electus.

Electorum in Christo signum in perfecta charitatis vnione consistit. 48.2.

Eleemosyna.

Eleemosyna Christi sponsa pulcherrima, & ornatissima, 43. 2. ariditatem tollit, 412. Dei iram sedat, 401. danda egentiori, 460. alienum auxilium non requirit, 412. perennem facit bonorum abundantiam, 474 facienda occultis pauperibus, 475. mundat peccata, sed non quælibet eleemosyna, 327.2. sic fiat, vt cœlo sit nota, non terræ, 288.2. post latam sententiam adhuc aditũ saluti animæ inuenit, 275.1. illius prouentus multiplex, 161.2. quantumuis parua perennem bonorum affluentiam ex Deo comparat, 52.1. & 2. peccata iudici operit, & facilem salutem causat, 162.2.

Episcopus.

Episcopus, & iudex non beneconueniunt, 215.1.
Episcopus de oũiculis subditorum, debet esse solicitus, 143.1.
Episcopi, & animarum pastores, etiam ad temporalia debent descendere, 142.2. Episcopi optima politia agricolarum, & operatiorum ruinis reparandis studere, 143.2.

Æqualitas.

Æqualitas circa subditos decet præstantes dominos, 150.1.
Error humanæ linguæ comes. 559.

Ætas.

Ætas infantilis, nihil sibi scit attribuere, sed omnia

omnia parentibus, siue bona, siue mala, fol. 206. col. 1. & 2.

Eua.

Eua mater, quàm mortua mundo post ruinam mansit, 115. 1.

Eucharistia.

Fugat ebrietates, 431. sola vena est, quæ maciem nescit, 58. 2. flagitia abstergit, incendia carnis extinguit, ibidem. Symbolum noui exortus in Christiana disciplina, 173 1. & 2.

Eucharistiæ præparatio, 528. 2. Eucharistiæ sacrificium existentibus in purgatorio cõmunicandum, 233. 1. 2. complet nostras preces, ibidem.

Eucharistiæ assimilantur ossa, & reliquiæ sanctorum, 37. 1. In Eucharistia gratiarum actio, 348. 2. In Eucharistia quotidie se Deus sanguinis effusione commendat.

Excellentia.

Excellentiæ communes sunt, noli in illis esse singularis, fol. 166. col. 1. & 2.

Exemplum.

Exemplum operum habemus, quo capiendi homines, 21. 1. 2. Exemplum D. pasi maxime suorum leuat labores, 75. 1. & 2. exempla virtutum arguunt nos, & in nos acuũt diuinam iram, 123. 1. & 2. Inter exempla virtutis adhuc non esse eius, studiosum periculosum est, 123. 1. & 2.

Exlex.

Exleges sunt veræ Ecclesiæ impugnatores, 560. In exleges homines vniuersa mala audent nulla etiam lege seruata, 574.

F.

Familiaritas.

Familiaritas cũm peccatoribus habentibus speciem virtutis, cauenda magis, 47. 1. & 48. 1. cum mulieribus etiam cauenda. 117. 2. iustis fugienda cum impijs familiaritas. 177. 1. & 2. cum bonis autem potens est ad radicem vitiorum extirpãdum. 129. 1. & 2.

Famuli, famulatus.

Famuli indices sunt morum filiorum. 387.

Famuli à Dominis erudiantur ad virtutes, 388.

Famulorum secreta cum filijs suspecta, 387.

Famulatus iuuencularum dedecent Ecclesiasticum, 395.

Fauor.

Fauores humani breuissimi, 493. 1.

Fauoribus vicina sunt pericula, ibidem.

Fauores occultandi, ne inanis gloria iniurias patiantur, 281. 1. & 2.

Festum.

Festum Dei hominum salus. 305. 1.

Festa diaboli vitiorum fomenta. 305. 1.

Festa Sanctorum male celebrantur conuiuijs, & compotationibus. 433.

Festa carnis sine ingenti fastidio extendi nequeunt. 523. 1.

Fides, fideles.

Fides instaurat homines regiũ decorem, 386. Illa sola potest pœnitentiæ opera carneis cordibus persuadere, 129. 1. & 2. fides humiles Christi viuentis ex mortuis arguit filios, immò primogenitos in populo, 149. 2. mala propellit. 315. 2.

Fides Iesu de lacrymarum laborumque societate omnia potest, 208. 1. & 2. Fides firma in Deum non fallitur. 229. 1. & 2. Fides, quæ operibus charitatis visibilis exhibetur, digna Dei est, 276. 1. & 2.

Fidei vltra debitũ plura beneficia à Deo exhibentur, 276. 2.

Fides viatorum in cœlesti domo parit Dei visiones, 342. 1.

Fidei mysteria facile suadentur, cum peccata expurgata fuerint, 66. 2.

In fidei veritatem omnibus cõmunem Christi D. gustus trahit, 79. 1. & 2.

A fide diuina scaturiunt pœnitentiæ fontes, 130. 1.

In fide stare vbi multitudo cadit solũ Dei est. 218. 1. & 2.

Fidem & credulitatem firmius adhibemus ijs, quæ penes nos videmus, quã quæ alijs. 505. 6.

Fideliũ animæ aliquando apud sepulchra sui cadaueris degunt, 265. 1. & 2. Illarum oratio vbicumque sibi templum efficit, vt Deus adoretur. 65. 1.

Fidelibus interna, & externa mortificatio necessaria, 495. 1. 2. fidelibus adest Deus peculiari prouidentia, vt Dominus. 495. 1. 2.

Fiducia.

Fiducia in Deum nullis contrarijs euentibus nutet

autet. 105. 2. frustrari nequit. 334. 2.

Filius.

Filius quem vterque parens condemnat infelicissimus iustissime damnatur. 308. 1. genitoris ingenium sapit. 377. 2. Filius diuinus, & Spiritus sanctus de patre habent quod creaturis prospiciat. 65. 2. Filius Dei potius ex factis claret. 522. 1.

Filij vnigeniti gloria à Patre. 377. 2. Filium vnicum Deus à parentibus aufert, vt diuini Patris affectum habeant debitam æstimationem, qui vnicum filium pro nobis dedit. 226. 2.

Filij veri non tam in sanguinis propagine, quam in æmulatione virtutum paternarum. 163. 2. inter parentum impietates, & errores habent vnde possint in agnitionem veritatis venire, & sibi cauere parentes diu dicando. 199. 1. & 2. quod prius vitia fugat, quam pietatem ebibant in culpa sunt parentes. 206. 1. 2. à paternis oculis non remouendi etiam cum optimis tradūtur præceptoribus. 388. Filij dantur castis cōiugibus. 438.

Filiorum damnationes esse causam, graue est parentibus. 369. 1.

Filiorum labores fructuosi, secus seruorum. 138. 1.

Filiorum cum famulis secreta suspecta. 387.

Filiorum cura habenda præ alijs omnibus. 146. 2.

Filiorum incolumitas ex famulis. 382. Filiorum incolumitas consistit in eo, quod sperare in Deo doceuntur à parentibus. 385.

Filijs felicissimum est quod præstantissimos viros possint facere parentes suos. 321. 2.

Filijs multum prodest, quod ab strenuis parētibus gignantur. 377. 2. quod in filijs non potest nomen parentis id perficit bona magistri institutio. 202. 1. & 2.

Flagellum.

Flagellum per quod peccatum tollitur potius quies, & refrigerium appellandum. 171. 1. & 2.

Felix, felicitas, felicissimum.

Felix ille qui ex solo Dei imperio, quodcumque munus ingreditur, fol. 81. col. 1. & 2. Felix eris quisquis sic Iesu biberis conditionem, vt incumbas labori, & alijs dulcis maneas, fol. 329. col. 2.

Felix ille, qui salutis suæ negotium alteri non committit, fol. 363. col. 1.

Felicitas humana periculis vicina. 493. col. 2. mentem obtenebrat, ne bonorum nostrorum auctorem cognoscamus, fol. 308. col. 2. mater est discordiæ. 338. col. 2. tota illius vis posita in colendo Deo, fol. 371. col. 2.

Felicissimum est filijs, quod præstantissimos viros parentes possunt facere suos. 321. col. 2.

Felicissimum est quod tibi, & alijs vtilis sit ad salutem. fol. 323. col. 1.

Fœmina.

Præsentissimum virus ad perdendos homines fol. 222. col. 2. Fœmina nimio ornatui dedita non placet Christo, fol. 115. col. 1. vel mendacij suspicioni aditum occludat, fol. 220. col. 1. & 2.

Fœmina quæ virum habet subditum à Deo, fol. 236. col. 1. & 2. fœminæ obsequium hostem lenit, fol. 341. col 1. & 2. illo vtitur Deus vt homines trahat, fol. 241. col. 2. Fœminæ turpantur donis, fol. 55. col. 1. & 2. examinent dona vltro oblata. 55. earum familiaritas à viris cauēda, austeritatem inte videant, fol. 67. 2.

Fœminarum testimonia de diuinis in se peractis infirma, 485.

Fragilitas.

Fragilitas humana Deo præ oculis. 90. 1. & 2.

Franciscus.

Nihili fuit Francisco à parentibus deseri, quia Deo curæ erat. 372. 1. & 2. Eius corporis incorruptio diuina, ex plagis Iesu in corpore acceptis venit. 608.

Frater.

Fratres nihil promptius faciunt, quam impedire nobis diuina beneficia. 262. 1. & 2.

Fratres vniti Christianæ fidei fundamenta. 16. 2.

A fratrum congregatione discedere, graue damnum. 346. 1.

Fraus.

Fraus, & dolus inseparabilis comes bonis terrenis inhiantium. 30. 2. ab ingenuis viris longē abest. 30. 2.

Fraudem nescit, qui Deo impletur. 29. 2. Vt fraudes dediscamus Dei præsentia præstat. 30. 1.

Fructus.

Fructus virtutis si præcox semper tempestiuus: si serus raro non reijcitur. 535.2.
Funeris honos Deo gratus. 551.

Fur.

Fures sunt, qui solas sedes cupiunt, vt caput reclinent. 10. 2.

Futurum.

Futura mala non præsentire miserũ est peccatoribus. 581.
Futuri ignorantia miserum in vita humana. 582.
Futurorum curis non solicitetur, qui habet Iesum. 583.

G.

Gaudia mundana fastidium pariunt. 522.2.
Gaudium cœleste quale, & quantum cicatrices corpori Christi impressæ manifestant. 283.1.
Gaudendũ in ærumnis vtilibus saluti. 246.1.

Genealogia.

In Genealogijs Heroum non propagatio carnis, sed virtutum similitudo ostendenda. 320.1.

Gloria, glorioſus.

Gloria domus Dei absorbet omnem pristinorum laborum recordationem. 283.
Glorioſum valde est quod tibi, & alijs vtilis sis ad salutem. 323.1.
Gloriarum splendor occultat latentia mala. 597.

Gradus.

Gradus nouus semper faciendus est. 172. 1. & 2. primus gradus perfectionis affines relinquere. 22.2.

Gratia.

Gratia Spiritus sancti per Christum impellit terrena corpora in vitam æternam. 59. 1. & 2.
Gratia promptissime à Iesu venit in subiectum aptum. 401. æqualis antiquæ seueritati. 483.
Gratia Dei otiosos odit. 359.2.
Gratia diuina è pessimis moribus optimos facit. 94.1. & 2.
Gratiam Dei inquirere festina. 332.
Gratiam amittere nimis dolendum. 241.2. & 242.1.
Gratia Christi ad nos festinat. 566.2.
Gratiæ diuinæ adscribendum Iesum sequi. 93.1.
Gratiarum actio. 484. minus Deo placet vbi non communis beneficia recipientibus. 336.1. & 2.

Gratitudo, gratus.

Gratitudo vigilantissimus custos. 345.2. cum nostro benefactore nos stricte coniungit.
Gratitudinis virtus fœcũdissima. 264.2. pulcrum eius exemplum à benefactore non discedere. 187.1. & 2.
Gratus animus in benefactore suo id solum attendit quod beneficium fecit. 369.2. à benefactore suo nulla potentia separari valet. 187.1. & 2.

Gubernator.

Aliorum spectet consilia. 461. omnibus pateat. 2.1. si simplex atrahit subditos, est aptus gubernationi, ibidem, col. 2. ineptus si habeat præcordia sinuosa, ibidem, gubernatorem commendat nobilitas maiorum. 33.1. & 2. ne subditorum sanguinem sitiat. 54.2. gubernatores, & Sacerdotes non bene conueniunt. 25. col. 1.

Gustus.

Gustus Christi in fidei veritatem omnibus communem trahit. 79.1.2.

H.

Habitatio, cœlestis.

Habitatio cœlestis sola quærenda. 9. eius bona nequeunt verbis explicari. 12.
Habitatio domus Dei difficulter dimittitur. 9.

Hæresis, Hæreticus.

Hæreticorum ingenium quale. 63. eorum doctrina non excedit muliercularum captum. 63. supra Ecclesiæ nauim sese extollunt. 501.
Hæreditariam dignitatem sic teneas, vt videaris ad illam venisse per omnium suffragia. 378.
Heroes Euangelici in principio maiores vincant

eãnt difficultãtes. 23. Heroum familiarũ filij non tam sanguine, quam æmulatione virtutum censentur. 320.

Homo.

Homo in lapsibus manifestatur. 611.

Homo in homines nocentior diabolo. 554. glorioſus cum ſe intra ſuæ fragilitatis terminos prædicatur. 596.

Homo auidiſsime rapit, ſibi familiare, & notum. 506.

Homo ex proprio iudicio vix ſcit non errare, 500. velociſsime pertranſit. 490. terrenis immergitur ex diaboli aſtu. 425. vaniſsimus de paruis gloriatur. 351. fit Angelus per baptiſmum. 290. paulatim promoueri debet ad cœleſtia. 289, per Saluatoris fontes, & dapes, & tractus, & cicuratus fuit. 252. ſe ſe aſſueſcat bene facere, 53. 54. Inſpiciendus, vt area plena tritico tamen, cum palleis. 73. potius vult Deum ad ſuas commoditates trahere, quam ipſe ire ad diuinas. 102. Dum ſe ſe ad pedes Domini deijcit magnam inde gloriam acquirit. 106. Qui rapiat diuinos oculos, 157. Terreni & ſæculares Dei cauſam ſuſpectam habẽt. 186. pius nil impiorũ in ſe admittat. 177.

Hominis placita ne expectes, vt ſequaris Deũ 9. illius reſpectus nihili faciendi pro Deo. 9. eius viribus Deus labores commenſurat. 72. eiuſdem dona lethalia. 54. eius ſalus ſeſtum Deo agit. 305. eius deffectus peculiari iure Deus ſupplet. 302. eius vilitas, niſi redemptionis ſuæ pretio reſpondeat. 314. eius interitus â Deo maxime alienus. 308. eius remedium præſentiſsimum ad terrenam originem confugere. 357. eius certa via in ſequendo Deum. 455. eius dies ex ærumnis æſtimantur. 483. eius honor maximus ex Angelorum cuſtodia. 289.

Homini quæ non proſunt creaturæ dolent. 476. illi nunquam non habent creaturæ reuerentiam aliqualem. 318. eidem feliciſsimum eſt, quod præſtantiſsimos viros parentes poſsit facere ſuos. 321. illi Ieſus ſalutaris. 189. 267. illuſtriori, & fortiori tentationes Deus propinat. 497.

Homines ad bonam frugem trahunt creaturarum ruinæ. 538. eos vt cupit perdere diabolus. 174. 135. 170.

Hominum conditio lacrymas ciet. 570.

Hoſpitalitate officioſa qualiter Deus vtatur ad debellanda humana corda. 241.

Hoſtis ipſe Chriſti Domini facinora teſtatur. 165.

Hoſtium vires non reſpiciendæ, ſed eorũ infirmitates. 519.

Humilitas.

Humilitas proprium Dei facinus. 219. radices agat in corde eius, qui velit Deũm ſolicitare. 254. ipſa, & fides vbique regenerat, & parturit Abrahamides. 321. Omnia hominis decora confirmat. 357. ſecure peruenit ad regem diuinum. 517. In Dei conſpectum inclinat. 403. amorem Dei audanget 126. ſanctorum patrociniũ acquirit. 140. etiam leones frangit, ibidem. Aereas poteſtates detriumphat. 147. Neſcite eſſe, niſi cũ ingenti diaboli ruina. 148. animum firmat. 148. Eſt Angelorum gentilitiũ. 157.

Humilitas maior ſequatur maiora crimina. 176. Ab illa genus diuinum. 517.

Humilitatis puluis Dei imaginem repreſentat. fol. 595.

I.

Ieiunium virtutum cuſtos. 213.

Ieſus.

Ieſus peccatoribus proteruis ſola ſigna iræ oſtendit. 627.

Ieſus eſt bellorum princeps. 584. Mortem ſibi notam amplectitur intrepide. 602.

Ieſus facile mittit gratiam ſuam in ſubiectum aptum. 401. Non eſt ſine Maria matre. 440 Poſt ſe alia creaturarum ſequi veſtigia prohibet. 6. vel leuiſsima obſequia acceptat. 6. Fugat dolos, & diaboli artes perdit. 30. labores mea cauſa ſuſceptos pro quiete habet 37. Nihil à nobis accipit, niſi emptũ. 49. Nobis propitius ex cogitatione naturæ. 89 Pro vno homine impenderet, quod pro omnibus. 51. ſecularia negotia facit abiurare. 153. ſemper dæmonio exitialis, homini ſalutaris. 189. Pro vniuerſis armis aduerſus diabolum. 191. Vniuerſas fugat præſentias mali. 191. cum abeſt, væ illi qui incidit in manus diaboli. 192. in omnibus aſpiciendus. 208. Nullum reputat triumphum, niſi vbi munera largitur. 212. Homines cicurat, & mollefacit. 272. Vbique modeſtiſsimus, & vanæ gloriæ oſor. 281. Cui deeſt, omnia deſunt. 301. Vel vnius perditione ſic afficitur, ac ſi omnes perirent, 312. Peccatores ſecuros reddit. 314. ſuperat laudibus laudatores ſuos. 319. arbor vitæ, cũ frãgitur dulcior. 329. in Eccleſia in ventus ſalutaris. 341. Facit aquas parturire Dei filios. 343. Breuiſsime ſalutẽ operatur. 363. Nullis parcit impenſis pro hominum ſalute. 381. Rex noſter nos omnes reges facit. 382. ſiue in aſcenſu, ſiue in deſcẽſu, ſuis adeſt. 516. Feſtiniſsimus in benefaciẽdo. 522 A Iudæis nunquam Aidebantut, niſi lethalis. 534. Ab omnibus filius habendus. 542 Nequit expelli à corde diligentium. 571.

Iesu mundicies summã. 325. eius humanitas misericordiam persuadet. 339. eius nomen fœdas aufugit linguas. 364. eius nomen, qui præfert, & passiones imitatur, immortales obtinet palmas. 208. eius vel halitus sufficit ad hominum vitam reparandam. 267. Iesu bona importabilia, 29. eius doctrina qualis. 63. 64. eius vel minimus radius potest omnes ad se rapere. 91. eius nomen efficacissimus hamus ad trahendum. 93.

Iesus omnium bonorum iactura emendus. 615. eius assecla soli potentissimi. 616.

Iesum qui videt, nequit immorari nequitiæ. 153.

Iesum quod sequamur diuinæ gratiæ adscribendum. 93.

Iesum diabolus ipse cognoscit. 167. illum percipit, qui plus amori, quam scientiæ dat operam. 169. eum vt in mortem ire videt creaturæ, se morti tradunt. 246. eum qui secũ habet securus. 506. Ab illo nemo discedet vacuus. 301. difficile ab eodem separabitur. 509. à Iesu pericula suscepta amplectenda. 246. A Iesu venit, quæ vis nostra virtus, aut mediocris, aut sublimis. 445.

Ignorantia humana nihil glorioſum parat. 600. 2.

Illecebræ persequendæ in eminentioribus. 103.

Impius totus est in dissimulandis peccatis suis. 203. Impios possessores fugiunt bona. 454.

Impedimenta qui ponit Deum sequentibus cito peribit. 600.

Impedimenta dimittenda vt Deum sequamur. 20.

Impudentia auarorum quanta. 430.

Impunitas peccatorum timenda. 578.

Imitatio Passionis Iesu glorioſa. 208.

Immortalitas dos est virginitatis. 221.

Indigentia nostra, vt trahit Deum. 444.

Incertitudo summa vitæ humanæ non finit conuersionem tardare. 86.

In æqualitatem mercedis Deus non causat. 122.

Infamia comes peccati. 262.

Infantium singularis tutela ex Angelis. 289.

Infantilis ætas omnia parentibus attribuit. 206.

Infirmiores solent in rebus paruis superare fortiores. 428. Infirmitas humana non potest capere diuinitatem. 373.

Infernus quam terribilis. 183.

In humanitas etiam religioni iuncta Deo odibilis. 410.

Iniuriam facere cessat, qui Iesu impletur. 30.

Inimicorum mala dolere charitatis triumphus. 570. 571.

Innocentia.

Innocentia stabillit reges. 2. probatur Sanctorum societate. 118. 119. etiam reprehendenda est, ne labatur. 446. Innocentiæ status etiam inter escas cælum intuendum dabat. 285. Innocentia nunquã non patitur mundi iras. 569.

Institutio magistrorum superat parentis curam. 202.

Intercessorem apud Deum non habere miserrimum est, 256.

Inopia citius habet Iesum, quam copia. 442.

Inuocare Deum qui non potest miser. 193.

Inuidia.

Inuidiæ malum. 412. 413. inuidus nullas virtutes aliorum percipit. 547. per inuidiam aliorum bonis. 548.

Iosephi Christi patris laus. 320.

Ira.

Ira Dei sedatur operibus misericordiæ, 411. Ne scandescat in nos respicit humanam fragilitatem. 90. solet à Deo interrumpi, vt det misericordiæ locũ. 573. cohibetur ab eò, qui magna contempsit. 498. Exardescit in Ecclesiasticos auaros. 525. Ira Dei est omnia inferri simul supplicia. 565. 566.

Ira compotatorum ob res leuissimas. 433.

Iustitia.

Iustitia dat pecunias principibus, non exactiones. 462. Diuina in inferendis supplicijs solet ab externis incipere. 185. Amat occultari. 4. Fugietur ab his, qui prius peccata in se animaduerterint. 494.

Iustitiæ humanæ sine Iesu pro peccatis habentur. 209.

Iustus.

Iustus à virga liber. 457. Post mortem clarior. 376. Non erubescit innatam vilitatem. 361. celet iustitias suas. 352. se ab impiorum moribus maxime secernat. 177. A diabolo, & mundo bene noscitur. 177. Præfert vnitatem. 166.

Iusti bona expectatio, & sufferentia duplicia bona parturit. 140. Eius sepulchra instar hortorum geminantia. 349. Eius labores fructuosi. 138. Iusti timeant in peccatoris vindicta. 589.

Iustis viris omnia cooperantur in bonum, etiam peccata. 358. Illis vita hęc odiosa. 257. In morte securi, & protecti. 630.

Index.

Iudex beneficijs trahat subditos ad bonã frugem

gem,413.sit impeccabilis.415.non pretio,sed gratis faciendus.528.Iudex,& sacerdos simul,non beneconueniunt.215. Ante rigorem præmittat benignitatem. 40.sit nobilis.33.Non nimis hæreat literali legum sono.46.Iudex extraneus cauẽdus.606.Ne respiciat personas.617.

Iudicium.

Iudicium cum misericordi non fiet.411.
Iudicium nudam facti veritatem respiciat. 365.
Iudicium Dei præuenire tota peccatoris felicitas.494.extremum solum timendum. 572.
Iudæi perfidi ignibus dandi.450.In Iesu solum vident exitium suum.534.
Iuuenum excessus sæpissime diuitias præferunt maturioris ætatis.128. Iuuenibus expedit videre inter quos incipiant.14.
Iuuencularum famulatus dedecet Ecclesiasticum.395.

L.

Labores.

Labores,& ærumnæ nos in Deos transferunt. 392.Constituunt dies hominis.483.leuãtur Christi passi exemplo.75.misere,&seruiliter ad Deum ferunt.137. Fugiendi si fructum spiritualem non afferunt.137.amplectendi, vt insuperna prouehamur.138. ducunt ad Christum.216.Chari sint, qui vtilitatem afferunt.246.qui in hac vita maximi,in altera minimi visebuntur. 282. Vehementiores indices sunt vicinæ liberationis.513.Diuisim,& paulatim accedũt, illorum præmia non sic.296.secuntur diuina beneficia.306.
Labores nostra causa susceptos pro quiete habet Iesus.37.eos nostris viribus Deus cõmensurat.72.ad illos magnates Christianę displinæ trahuntur.497.eos auidius homines arripiunt, dum minus illos vident. 519.
Laborum lucra, qui nesciunt facere priuantur illis.293.laborum dies integri,& compleri apud Deum.294.eorum tolerantia efficacissima ad humana corda trahẽda.41
Laboribus ditantur Dei amasij.235.ex illis quidquid habes,id solum te habere puta. 295.Illis insudans,& confractus dulcis alijs sit.329.Vide tẽtationes, tribulationes.

Lacryme.

Lacrymæ Iesu supplicium leniunt.580.
Lacrymæ animarum depredatrices sunt.113. eæ à peccatore primum eluuntur ad cõspectum Christi. 115. prius nostras, deinde aliorum maculas abluant.116.in fœminis suspectæ inanitatis.230.peccatum prorsus obliterant,quasi non fuisset.240.religiosæ pro mortuis.248. propriæ tuæ valde apud Deum valent.256.roborant,& confirmant salutem.303.419.veram pulchritudinem efficiũt.358.impetrant veniam. 419.per se solas valent apud Deum. 482. illas solus Deus absterget. 230. reparant hominem in vitam.258.Lacrymæ ex rerum humanarum conditione.579. Lacrymæ Christi triumphant charitate.570.

Lætitia.

Lætitia famulantis maxime apud Deum commendat obsequia.160. mundialis vltra diẽ non potest sustineri. 523. in malis à solo Deo venit.229.
Lædere nescit,qui Deo impletur. 29.
Largitiones nostræ paruæ perennem ex Deo affluentiam acquirunt.52.
Largitiones hominum è mortis vena prosiliunt. 54.

Lasciuia.

Lasciuiæ maculâ multis indiget, vt tollatur. 112.Deo fœdissima est.105. in personis nobilibus acrius castiganda.103.in nobili persona inficit totam vrbem.104. quà patet hostilibus incursibus.184.Semper desæuit in Christum.629.

Laus.

Laus summa viri,quæ.378.Laũs vera in solis virtutum facinoribus.537.Laus fœminæ, cui Deus subdat virum. 236. Laus Dei ex obedientia creaturarum.422.
Laudabilia ne tibi soli ascribes.168.
Laudatores nostri in laudum retributione superandi.319.

Lex.

Lex Christi suos leuat.115
Legis obseruantia, nec minimâ prætermittenda prætextu vanæ gloriæ fugiendæ. 328.
Legis diuinæ adimpletio nõ dimidiãda.538.
Legum sono literali non nimis hærendum. 46. Vltra legum præscripta operetur Christianus.4.
Leuissima etiam obsequia Deo accepta. 6.
Liberalis,& facilis est Deus recte petentibus. 12.

Lingua.

Lingùa bona Dei fœtus eſt, 420. mala fæuior in Ieſum, quam cætera tormenta, 421. maximè obeſt ſaluti, 420. 421. Lingua bona ex ſilentio naſcitur, 423. eius labes plena contagio. 161. ſemel malæ nunquam credẽdum ſalutis negotium, 170.

Lingua inhabitantis Dei indicium, 196. A bona ſplendor, & lux oritur. 347. fœdum Ieſu nomen aufugit. 364. A lingua humana caueat, qui errare nolit. 559.

Locus.

Locus damnatis deputatus, quàm horribilis. 183.

Locus infimus in honoribus, & ignominijs eligandus, 108.

Locus in quo Deus ſemel accepit ingens aliquod ſeruitium, multum prodeſt ad ipſum aliciendum. 58.

Locus ipſe concipit ſanctitatem ex virtutibus ibi exercitis. 158.

Longanimitas euidens diuinæ omnipotentiæ ſignum. 205.

Luctus pro mortuis religioſus. 248.

Lucrum.

Lucrùm homines trahit ad Deum. 456.

Lucri amor, & Chriſtus non conueniunt, ſed ſe mutuo excludunt. 496.

Lucrum, & fraus ſimul. 31.

Lucris operam dantes Eccleſiaſtici Dei iram caueant. 525.

Lucris mundialibus hoc eſt flagellum, quod feſtinè è manibus elabantur. 526.

Lux diuina ad altioria impellit. 172.

Lux poſt tenebras, 290.

Luxuria vide laſciuiam.

M

Macùla luxùriæ multis indiget, vt tollatùr. 112.

Magiſter.

Magiſter prius in ſe exerceat, quòd docet. 453.

Magiſtrorum diſciplina parentùm in filios curas ſuperat. 202. A magiſtro diuino corporalia non petenda. 331. In multis magiſtris ſuſpecta auditio fidei. 6.

Magiſtratus ſæcularis, & ſacerdotium non beneconueniunt. 215.

Malitia peccati manifeſtata fugit. 392.

Malum.

Malùm quòd reparari poteſt non graue, 241. 242.

Malum non tam feſtinat ad nos, quòd non à Dei amore præuenatur. 239. non cẽſetur tale, quod cito repellitur. 240. nullum accidere poteſt, niſi ex Dei permiſsione. 242. Malum citius inuenit maiores. 588.

Mala quæ ſalutem afferunt chara nobis ſint. 246. Ob Chriſtum ſumpta efficaciora ad trahendum homines, quam bona ſæcularia. 287. aliqua ſolẽt præuenire peccatum. 354. ſeruis Dei opitulantur. 356. Quo citius finienda magis ingraueſcunt. 513. Imminentia non nimis conſideranda. 519. Maiora oriri ſolẽt à virtutũ exceſsibus. 47 Mala reproborum paruis rebus depelli potuiſſent. 6. Omnia pelluntur vbi Deus ſanat. 195. Mala vniuerſæ audent in exleges. 574.

Manus.

Manùs aſſuetę benefacere, quaſi non poſſunt non benefacere. 53. Manus creatoris in nobis non poteſt occultari. 217. diuina ſemel extenta neſcit contrahi, donec tutos nos faciat. 521. Vbi per ſe vulnera infligit, ſimul imprimit tolerantiam. 533. adeò eſt aſſueta benefacere, vt neſciat ad virgam ire, indeque iudicium tardat. 44. Manus diuina grauiſsima ad vexandum. 575.

Maria.

Maria Virgo quaſi obligat Deũ, ne ab hominis ſalute ſuperſedeat. 252. Benedicta arbor ab ipſo conceptu ſuo fructus attulit. 537. ſine originali defectu. 445. 446. Nõ ſufficienter honorata eſſet ſine Ieſu filio. 440. Mariæ pulchritudo. 35. Maria diſſimulat filij myſteria, vt nobis proſpiciat. 613.

Martyrum ſanguis fœcundiſsimus. 553. eorum virtutem manifeſtat patientia. 556.

Matris diſciplina ſalutaris adoleſcentibus. 233.

Matris impatientia in promouendis filijs. 613.

Matrimonium.

Matrimonium fœcundum ex caſtitate. 438. confert ſaluti. 439. illuſtratur ex virginitate. 439. Tribulationibus plenum. 443.

Meditatio adhibenda eſt, vt iuſtitiã obtineas. 388.

Meditatio mortis. 225. mortis meditatio fideliſsimus comes. 270.

Mensa Christi fugat ebrietates. 431.
Merita nostra à Deo obtinent. 207. meritis aliorum ita fidendum, vt & propria habeamus. 256.
Metus religiosus virtutes custodit. 200. Vide timor.
Mercedis in æqualitas non à Deo profluenit, sed à nobis. 122.
Minima, & abiecta amplexari Christianitanitatis signum maximum. 498.
Ministri Euangelici solicitudo digna de temporalibus Reipub. malis reparandis. 142.

Misericordia.

Misericordia diuina facilis erga sectatores suos. 482. erga multitudinem. 481. habet linceos oculos, ad videnda miserendi motiua. 459. qualis sit. 459. excedit in remedijs peccata. 418. solicitatur vnione proximorum. 407. coarctatur à creaturis. 348. effusa vicinos pertingit. 346. præparatur rigore. 259. præuenit rigorem. 259. prõptissime prosilit ad afflictos. 228. obtinetur à multitudine pœnitentium. 181. æque facilis ad plura, ac ad pauciora. 121. Tunc solet homines vocare, cum impedimenta nulla. 84. in ipsis verberibus agnoscitur. 33. Promptior ad illum, qui lapsus fuit suo muneri incumbens. 520.
Misericordiam docet quidquid Dei est. 99. illam etiam docent anni multi. 96.
Misericordiæ magnæ, & raræ facinus non publicandum populariter. 223. Illam etiam ex Deo seueriſsimo obtinet sola Iesu humanitas. 339.
Misericordia in pauperes Christi sponsa. 43.

Misericors.

Misericors vir prophetet necessum est, & diuinet necessitates, &c. 367. lenit Deum, etiam iratum. 377. 411. Christi sponsa. 43.
Miracula nulla maiora, quam conuersiones peccatorum. 279.
Modestia exterior. 426. 427.
Monasteriorum erectio Deo gratissimum opus. 284.

Mors.

Mors Dei beneficium. 577. Mors in Dei seruis facit lucere virtutes. 575. reuelat, quod habuerit homo in vita. 575. mors meditata fidelissimus comes, & dux, 269. leuatur memoria resurrectionis. 250. mors impij flenda. 249. mos nostra agnoscenda in aliorum interitu. 248. ante oculos obuersetur. 225. nec minimam patitur morulam. 86. In morte amicorum paremus nos ad eandem viam. 350. In mortis periculo prius ad Deum, quam ad bonorum dispositionem. 86. In mortem ire sine patronis sanctis, miserrimum. 256. Ad mortem accedere ante factam pœnitentiam periculosissimum est. 331. Mortem qui vincere cupit, vt mortuus viuat. 267. In mortis periculo stultissimum est de alio cogitare, quam de futuro iudicio. 384. in morte filiorum, æstimandus Dei patris dolor in Iesu morte. 226.
Mors Christi Domini efficax, vt nos excitet in vitam. 85.
Mors iustorum secura. 630.

Mortui.

Mortui vt lugendi. 248. De eorum exequijs, ibidem. Mortui seculo præclarum vitæ exhibent fundamentum. 211.
Mortuorum fidelium animæ apud sepulchra sui cadaueris aliquando degere solent. 565 eorum onera possumus tollere, eosque iuuare dum viuimus. 263.
Mortificatio duplex interna, & externa. 500.

Mos.

Mores impiorum fugiendi. 117. Mores degeneres depellunt sanctorum patrociniũ. 141. mores pristinæ non exuendi, dũ modo in bonum conuertantur. 111. mali mores à diuina gratia condiuntur, & saporantur. 94. mores alicuius regionis dum laudabiles sunt, seruandi. 383.

Multitudo.

Multitudo facile misericordiam obtinet. 481 populi nunquam non à Deo separat. 154. vbi est, ibi peccatum. 166.
Multitudo peccantium iuuat ad veniam, si adsit pœnitentia. 181.

Mulier.

Mulier præsentissimum virus. 222. tunc bene ornata, cum vel mendaci suspicioni aditum occludit. 220.
Mulieris officiosum obsequium, etiam hostes delinit. 241. Cum illis abstera verba fiant. 67. propter mulieribus exibenda donaria perduntur populi. 231.

Mundus.

Mundus, & diabolus suos ignorant. 167. mũ

do obdormire felicitas. 53. Nihil mundi intra cor recipias. 590.
Mundialibus bonis non immorandum. 490.
Mundus nescit irasci, nisi in innocentiam. 569.
Mundi malis prærripi ingens beneficium. 577.
Mundi bona in mentis conceptu sunt. 591. supra mundum, qui ascendit aspera quæque amplectitur. 604.

Munus.

Munus Christi semper augeri solet, 58. munus quodlibet ex Deo acceptum maximæ æstimationis est. 110. munera Dei præstantissima. 451. non publicanda. 445. non finiuntur in prima beatitudinis visione. 373.
Munera vltro oblata suspecta sint, & ideo examinanda. 55. Munera à Deo in nos profecta adeò magna sunt, vt egeant nouis nominibus. 15.
Munera diuina, & Ecclesiastica accipienda ex Dei vocatione. 81. Illa ementes æque diuinam incurrunt iram, ac vendentes. 527.
Munerum distributio æqualis. 473.
Munusculis nostris pauperi exhibitis Deus imprimit perennitatem. 52.
Mysteria diuina facile persuadentur post expurgationem peccati. 66.

N.

Natura.

Natura humana honoratur, & seruatur à Deo de Angelorum ministerio, fol. 289. col. 1.
Naturæ humanæ cognatio facit Iesum propitium. fol. 89. col. 2.
Natalia vilia non dedignantur iusti, etiã fauoribus diuinis euecti, fol. 361. col. vtraque.
Natura diuina vt non sufficiebat amori, fol. 470.
Nauis, pro vita humana, fol. 486.
Nec esitatibus corporalibus egestati, bene occurrit qui primum Deo seruiendo dat operam, fol. 69. col. 2.
Negotium animarum periculosum. fol. 519. col. 2.

Nobilitas.

Nobilitas Parentum, auorumque maxime gubernatorem facit. fol. 33. col. 1. & 2.
Nobilium lasciuia, seuerius vlciscenda, fol. 103. col. 1. & 2.
Nobilis personæ luxuria inficit totam ciuitatem, fol. 104. col. 1. & 2.
Nobilibus quibus dam vanissimis multa, immò nimia solet esse in aliorum meritis spes adeò fidentibus in aliorum orationibus, & vigilijs vt nihil horum ipsi efficiant. fol. 256. col. 1. & 2.
Nobilitatis, ille solus verus titulus, qui nec in morte exuendus, fol. 311. col. 2.
Nobilitari nequit, titulis dominatus qui miseris, & calamitosis hominibus præficitur fol. 317. col. 2.

Nomen.

Nomen Regum hominibus salutare, fol. 32. col. 1. & 2.
Nomen Dei tutatur athletas Christi. 562.
Nomen Christiani operibus implendum. 567. Nomen Iesu. Vide Iesum.
Nostrum tantum est, quod ex laboribus, & erumnis habemus, fol. 295. col. 2.
Nouitas adeò Christo odiosa, vt qui miracula flagitabant, quia per illa nouæ mutationes apparebant, displicerent, fol. 383. col. 2.
Nouitijs in principio virtutum maiores difficultates proponendæ sunt, fol 23. col. 2.
Nouitiatũ, & primum Religionis ingressum compara Baptismo Christiano, qui homines reddit Angelos, & quasi Angelos parturit, fol. 290. col. 2.
Nummi impiorum mentibus hærent, fol. 82. col. 1. & 2.

Nupta.

Nuptæ, præter vnius viri coniugis sui vultus alios, etiam Angelicos vereantur, fol. 62. col. 2.
Nuptæ fœminæ zelotipia mouentur, fol. 442.
Nuptarum voluptates plenæ tribulationibus fol. 443.
Nuptæ nimis maritis suis confidunt, fol. 447.

Nurus.

Nurus ex concordia cum socru Deum sibi acquirit, fol. 389.
Nurus sapiens, & prudens ex concordia cũ socru, fol. 390.

O.

Oblationes nostræ paruæ, & exiguæ, perennẽ bonorum affluentiam ex Deo acquirunt, fol. 52. col. 1. & 2.
Obligationes qui dimidiat solum, & non eas impleat

implet omnino perit, fol. 538. col. 1.
Obligat se se Deus eadē, immo potiora præstare, quæ à nobis petit, fol. 50. col. 2.

Obedientia.

Obedientiæ fructus multiplex, fol. 70. col. 2.
Obedientia docet imperare, fol. 491.
Obedientia nostra, fol. 304. col. 1. & 2.
Obedientia creaturarum Deum laudat, fol. 422.
Obseruantia nec minima fugiendā est prætextu vanæ gloriæ fugiendæ, fol. 328. col. 2.
Obsequijs diuinis periculose se quis non vocatus ingerit, fol. 344. col. 2.
Obsequium nullū Deo exhibebis pro quo tibi à Deo merces non veniat, fol. 45. col. 2.
Obsequia capiunt etiam diuinissimas mentes fol. 341. col. 1. & 2.
Occasio salutis nulla ex casu, sed omnes ex præscripto diuino, fol. 42. col. 1.
Occasione habita Deum sequendi, creaturarū placita minime expectanda, fol. 5. col. 2.
Occasum, & finem gignit in cordibus nostris tactus internus, & Christi Domini Spiritus, fol. 84. col. 1.

Oculi Dei, & nostri.

A Dei oculis maximus honos rebus creatis accrescet, fol. 16. col. 1. & 2.
Oculorum illuminatio, & Dei sequela connexa sunt, fol. 380. col. 2.
Oculi diuini dant homini, quod ipse referat Deum, ipsius imitator, fol. 88. col. 2.
Oculi custodiendi, fol. 458.
Oculi nostri sunt innati laquei latentes, & occulti, ita vt si obiectum turpe accedat, statim quasi sopiti laquei excitentur, & misere perimus, fol. 109. col. 2.
Oculi Dei miserentis, lincei, vt videant miserendi motiua, fol. 456.

Offerre.

Offerendum Deo optimum, fol. 43. col. 1.

Officia.

Officia publicæ præfecturæ, & munera Ecclesiæ emente diuinam incurrunt iram, fol. 529. col. 2.
Officia honorifica non ita appetenda, vt relicto labore, & operibus honos tantum appetatur, fol. 10. col. 2.
Officium quodcumque ex Dei imperio, & non ex proprio sensu debet adsummi, fol. 81. col. 1. & 2.
Officia debita non relinquenda prætextu perfectionis, fol. 391.
Officia, & obsequia capiunt etiam diuinas mentes. fol. 341.

Officiositas.

Officiositas hostem lenit, fol. 341. col. 1. & 2. Amorem conciliat, ibid. Meretur Regale conuiuium, ibidem.
Omnipotentiæ Dei est stare in fide, fol. 218. col. 1. & 2.

Opera.

Opera debita non relinquenda prætextu perfectionis, fol. 391.
Opera insignia virtutis à charitate in Deum perficiscuntur, fol. 126. col. 2.
Opera bona, salutis internæ indicium. fol. 393.
Opera nostra augētur, si cum aliorum operibuas dunemus, fol. 133 col. 2.
Opera plura virtutum in Ecclesiasticis, fol. 394.
Opera profecta à corde perfecto Deo placent, fol. 398.
Opera nostra respondere debent pretio pro nobis exhibito à Christo Domino, fol. 313. col. 2.
Opera virtutis non publicanda, fol. 399. 568
Opera virtutis occultanda, 340. col. 2.
Opera parua virtutum, nos ad magna præparant, fol. 400.
Opera bona, periculose reliquuntur, fol. 408.
Opera magna virtutum, ex humilitate illustrantur, fol. 357. col. 1.
Opera ostendentur qualia fuerint ex duratione, fol. 551.

Oratio.

Orationes nostræ, nunquam à Deo exeunt vacuæ, fol. 41. col. 1.
Oratio fidelium ipsa sibi templū efficit quo Deus adoretur, fol. 65. col. 1.
Oratio ad Deum semper pro magnis fiat. fol. 416.
Orationibus vacans omnem corporis ornatum fugiat, fol. 115. col. 1.
Oratio diuinitatem Christi commendat, & exaltat, fol. 145. col. 2.
Orationis vis, & efficacia, si operum meritis comparetur, fol. 207. col. 1. & 2.
Orationibus aliorum ita fidendum, vt & nos ipsi præstemus, quod alios pro nobis exequi velimus, fol. 256. col. 1. & 2.
Oratio multorum concors, efficax ad impetrandum, fol. 332. col. 1. & 2.

Orationi qui iam proximus est ad Deum faciendæ, non longe est à salute, fol. 374. col. 2.
Orationi, efficatiam tribuunt vigiliæ, fol. 510. col. 2.
Oratio securitatem affert in sustinendis tempestatibus, fol. 511. col. 2.
Orationes sanctorum hostium vulneratrices ibidem.
Orationis pium latrocinium in aperiendis cœlis, fol. 530. col. 2. & 531, col. 1.

Ordo.

Ordinis tui regulis si conformeris, rapies oculos diuinos. fol. 333. col. 2.

Ossa Sanctorum.

Ossa, & reliquiæ Sanctorum Ecclesiam fulciunt, fol. 36. col. 2. & 37. col. 1.
Ossa Sanctorum habent quodam in Eucharistia comercium, ibidem.
Otium ab Ecclesiasticis fugiendum, fol. 394.

P.

Palma non otiosis, & oscitantibus, sed his, qui se cum vitijs crucifixerunt, datur, fol. 208. col. 1. & 2.

Parentes.

Parentes curent, vt filij perseuerent in Dei seruitio. 611.
Parentes, & auunculi nihil promptius faciũt, quam impedire nobis diuina beneficia, fol. 262. column. 1. & 2.
Parentes viros præstantissimos facere omnibus facillimum est virtutum æmulatione, col. 321. col. 2.
Parentes filiorum peccantium pœnis affectos Christianum est eorum in columitatem pro clamare, fol. 134. col. 1. & 2.
Parentes in culpa sunt, quod filij prius fugant vitia quam ebibant pietatem, fol. 206. col. 1. & 2.
Parentes in primis reliquendi illi qui se Christo sequendo tradit, fol. 22. col. 2. vt filiorum in columitati consulant. 381.
Parentes Deo grati, qui in virtutibus habent filios comites. 908.
Parentes dent filijs bona spiritualia, si ab illis metere temporalia volunt. 609.
A parentibus is degenerat, qui parentum virtutes non æmulatur, fol 321. col. 2.
Parentibus graue est esse causam filijs suis eorum damnationis, fol. 369. col. 2.
A parentibus, & omnibus creaturis deseri nihil æstimes, vbi Deo curæ es, fol. 372. col. 2.
Parentibus filiorum cura habenda præ alijs omnibus, fol. 146. col. 2.
A parentibus aufert Deus vnicum filium, vt debitam diuini patris affectus æstimationem habeant, qui vnicum filium pro nobis dedit, fol. 226. col. 2.
Parentum humilium secundum carnem natalitia non erubescunt memorare iusti, & fauoribus diuinis nutriti, fol. 361. col. vtraque.
Parentum quilibet dolor pro filijs, & debitus, & religiosus, & solus miserandus, fol. 135. col. 1. & 2.
Inter parentum errores, impietates, insanias, idololatrias habent filij vnde possint in cognitiones veritatis venire, fol. 168. 199.
Parentum in filios operam superat magistrorum institutio, & disciplina, fol. 202. col. 1. & 1.
Parentum nobilitas maxime gubernatorem facit, fol. 33. col. 1. & 2. Vide Patres.

Parua.

In parvis, & abiectis sibi placere, magna vero contemnere Christianitatis signum maximum, fol. 498. col. 2.
Parua virtutum opera nos præparant ad magna, fol. 400.
Parua qui petit, degener est. 624.
Passio Christi Domini efficacissimum omnium remedium est, quo sterilies animæ secundentur, fol. 38. col. 2.

Pastor.

Pastores animarum sic debẽt affici, vel vnius perditione, ac si omnes amittant. fol. 319. col. 1.
Pastores animarum nulli periculo parcere debent pro hominibus saluandis. fol. 334. col. 1.
Pastores animarum etiam ad temporalia descendere debent, quãdo ila contempta multum obesse solent, fol. 142. col. 1.
Patientia euidens diuinæ omnipotentiæ signum, fol. 204. col. 2. dolorem temperat, aut abigit in malis 522. Patientia martyrum manifestat virtutem Christianorum, 556.
Patres familias filiarum adolescentularum norint omnes congressus, fol. 220. col. 1. & 2. Vide parentes.

Patria.

Patriã, & cognati, affines, & amici relinquẽda

dá, qui magna à Christo velit comparare, fol. 136. col. 2.
Patriarchæ vniuersi vilescunt ad Christi comparationem, fol. 56. col. 2.
Patronum illum eligere cui te vita, & moribus contrarium exhibes, periculosum, fol. 141. col. 2.
Patronos nullos habere apud Deum miserrimum est, fol. 256. col. 2.
Paulus Apostolus imediatè à Deo vocatur, fol. 77. col. 1.

Paupertas, pauperes.

Pauperes Christi vniuersis creaturis vtuntur pro crumena. 543. Illos atrahit diuinitas, vt magnes ferrũ fol. 378. col. 2. Illis subueniendum antequam petant, fol 367. col. 2. Illis munuscula nostra parua exhibita habent ineffabilem quandam perennitatem, & affluentiam à Deo, qua nunquam deficiant, fol. 52. col. 1. & 2. Eorum desideria, & voluntates, qui præsaga, qui solicitudine, & intelligentia diuinat beatus est, fol. 367. col. 2. pauperum cura maior sit quam animalium, fol. 409. Pauperes periculose ieiunant, vbi canes venatici, & equi ructẽt saturi, fol. 410. Pauperum substantia aluntur principes. 464.
Paupertas & diuitiæ famulantur virtuti. fol. 152. ad Christum ducit, fol. 443. paupertatis Christianæ valor. 542.

Pax.

Pax Christiana in pugna, & bello cũ vitijs cõstitit. 131. 2.
Pax interna vbi est, nihil nocent externę pugnæ. 570.

Peccator.

Solus caueat à ministris iustitiæ. 544. inter iustos periclitatur. 587. Dum conuertitur præstantius Dei facinus apparet, quam in alijs miraculis. 217. Non dimittat pœnitẽtiæ laborẽ dum est in via. 280. Nõ statim ad sublimia euolet, sed paulatim. 290. Adeò salutem negligit, vt nisi lethali morbo correptus ad illam non currat. 291. Eius infelicitas, quod solus nõ præsentiat imminẽtem ruinam. 581. eorũ aduñatio difficulter rumpitur, tamẽ à Iesu vincitur. 293 Peccatores cernere, & inter illos degere solius Dei est. 315. Præsentissimum remediũ habẽt si terrenæ originis meminerint. 357 felix est, qui sua præuenit sententiam iudicis. 494. Infelix, qui impune peccat. 576. Qui inter resistendum cecidit, misericordia dignus. 520. Habentes speciem virtutis magis cauendi. 48. Proterui in Iesu solã iræ signa vident. 627. sub multitudine dominorum premuntur. 61. illorum procrastinatio lethalis. 69. 168. Condemnantur à creaturis. 80. Vbi ad Christum accedunt iam desinunt esse peccatores. 96. durissimi in alios peccatores. 97. traxerunt Deum in terram. 100. qualiter respiciendi ne nos offendant. 73. Nihil prius emittunt à Iesu conspectu, quam lacrymas. 115. Quod peccator trahitur, summa Dei bonitas. 118. per ærumnas noscuntur, vt serui per notas inuitas. 137.
Peccatores diu iuxta se Deus non sustinet. 589. Non nisi sub flagello sapiunt. 623. Male torquentur, dum ex tortura nullum fructum recipiunt. 138. Caueant dum impie viuunt gloriari de sanctorum patrocinio. 141. A mundo, & diabolo ignorantur 167. Miseri qui in eos insurgunt, à quibus medela venit. 175. Intolerabiliter cæci, qui errores in se non vident, in alijs videt. 178 desperati qui à Dei patientia securitatem sumunt. 179. illorum multitudo cum pœnitentiam exhibet, trahit veniã. 181. Prius in externis bonis solent flagellari, vt caueãt 181. in virtutibus timent sibi ruinas bonorum. 186. Qui ex fidelibus sunt, habent plures carnifices. 631. Multi sunt indissimulandis peccatis. 203.
Peccator etiam gratiæ restitutus, adhuc de præstinæ mortis infectione iacet. 210. eius vita citius dilatatur à Deo, quam vita iusti 249. eius locus Deo incognitus, quia notioris. 255. ex alienis laboribus sibi cœlestia vane sperat. 256. durior lapide ad Dei vocem excipiendam. 260. virgæ subiacet. 457. Præfert multitudinem. 166. Peccatoribus indulgendum est aliquid, vt inde ad salutem trahantur. 98. illis Deus multa permistit, sed quæ deploratam illorum ostendãt salutem. 254. in illos diræ sunt creaturæ omnes. 255. Peccatori expectando assidet Deus. 39.

Peccatum.

Ad peccata, & scelera fratrum quisque coecũtiat, illa obruat, & pertranseat, virtutes ampliet, & prædicet. 273. 2.
Peccati diuturni comes infamia, 262. 2.
Peccatum in aliud grauius impellit. 626.
Peccatum nihil prius agit in homine, quam eius boni nominis æstimatores turpare, & vertere in vituperium. 262. 2.
Peccatum nullum incurabile, vbi diligentia adest. 274.
Peccato carere maximum est Dei beneficium 277.

Peccáti langũor, & infirmitás ferarum in morem hominis ceruicem curuabit, ne paſcatur in altis, 285.
Peccatorum medicina eſt, dum ſinum matris Eccleſiæ non relinquis. 566.
Peccata publica ſupplicium citius ſolicitant. 588.
Peccatum tollendi ab anima ſit laborantibus præcipua cuta, ni velint omnia remedia fruſtrari. 298.
Peccatorum fomenta diaboli feſta ſunt. 305.
Peccati labes ægre, difficulter, nunquam ſine igne tollitur, quæ verò peccati non eſt facili negotio tollitur. 326.
Peccata non qualibet eleemoſyna mũdantur. 327. Peccatum fere ſemper mala aliqua præueniunt, 354.
Peccatum nox eſt, & tenebræ, in quo nihil operaberis ſaluti æternę per ſe aptum. 355
Peccatum vbi adeſt, nullum opus eſſe poteſt, quod ad ſalutem æternam valeat. Omnia opera redduntur inutilia. 356.
Peccatum grauat, & deprimit nos. 512.
Peccata vbi familiaria ſunt præſtantioribus viris maxime fugienda. 523.
Peccata venialia, vt cauenda. 529. Peccata eorum qui ſub tuâ poteſtate non ſunt nullo zeli prætextu caſtigare velis. 532. Caſtigari debent tempore oportuno, quo maior vtilitas ſperetur. 550.
Peccatum in te regnans in primis debellandũ 556.
Peccatis expurgatis facile fidei myſteria perſuadentur. 66.
Peccatis carere omnino, nõ eſt huius temporis. 73.
Peccati regnum corruit diuitiarum contemptu. 91.
Peccata quæ voluptatem, & blãditias faciũt, minime ob oculos ponenda, ſed fugienda ſunt. 109.
Peccata maxima præteritorum memoriam renouant vt caſtigentur. 623.
Peccata maiora maior ſequatur humilitas, ſi vis Deo placere. 176.
Peccati expulſio maxime exitialis diabolo. 180.
Peccata, quæ pœnitens fructuoſe publicauerit penitus diſparent, nec næuus, nec cicatrix vlla manet. 204.
Peccatorum reparatio feſtina eſſe debet. 240.
Peccatum lacrymis reparatum à Deo oblitteratur, vt quaſi nunquam extitiſſet, ſic nihil noceat. 240.
Propter peccata eo deueniſſe, vt nullus cœlicum noſtras partes agere apud Deum, miſerrimum, 257.
Peccatum manifeſtatum fugit. 392.
Peccata proximorum tegenda. 414.

Pecunia.

Pecùniarum amor abſit à Chriſti ſchola. 462
Pecunias quærant Principes non ex tributis, ſed obſeruata iuſtitia.
Pecunijs ſaltem non comparare ſalutem æternam turpiſsimum. 463.

Perfectio.

Perfectionis culmina nõ expectanda, niſi primis rudimẽtis inſiſtatur. 8. eius gradus primus parentes relinquere. 262. Et acquirendæ omnis nitantur. 71.
A perfectione obtinenda, & Chriſto ſequendo, etiam minutiſsima retardant, & ideo remittenda. 19. Eius amarores, nihil prius quam retia dimittant. 20. eius in ſtatu, & ſchola deficientes ſceleſtiora audent. 531.
Perfectionis culmina, qui tenet, neſcit mediocriter errare, ſed ſe præcipitat in ſcelerũ barathrum. 532.
Perfectionis prætextùs nõ facit relinqui debita officia. 391.

Pericula.

Periculà vicina ſunt fauoribus. 493. Periculà, & diſcrimina ſunt certiſsima nuntia liberationis. 513. Pericula à Ieſu ſuſcepta, quã auide amplectenda ſunt. 246.
Perſecutiones ducunt ad Chriſtum. 216.
Perſecutio minime dicẽda eſt illa, quæ mores corrigit. 171.
Perſonarum acceptio fugienda maxime Principi, & regi. 150.

Petens, petitio.

Petentibus non ſolum ſubueniendum, ſed petentium deſiderijs antequam petant. 567.
Petentibus recte Deus facilis, & liberalis. 11.
Petitiones noſtræ, vt à Deo audiantur intra cuiuſque fortunas ſe contineant. 78.
Petitiones noſtræ, nunquam exeunt à Deo vacuæ, vbi de earum efficacia. 51. Quæ Deus petit à nobis eadem immò potiora præſtare ſe ſe obligat. 50. Non parce petat à Deo, qui ab eo exaudiri cupit. 78. Qualiter petendum à Deo, vt exaudiamur, ibidem.
Petri Apoſtoli ardens videndi Chriſtum deſiderium. 380.
Petrus Apoſtolus vniuerſis Eccleſijs præficitur. 494.
Neſcit Dei pietas, & benignitas occultari. fol. 3. & 4.

Placito cuiusque nõ fingendus Deus est. 207.
Plausus popularis, & verba iactantiæ fugienda. 126.

Pœna.

Pœnæ venturi æui tota simul miseros diuexat. 297.
Pœnis temporalibus aliquando Deus æterni supplicij speciem immittit, vt nos cautiores reddat. 299.
De pœna sibi illata iniuste quæritur, qui eandem alteri dat. 178.

Pœnitentia.

Pœnitẽtia breuis cõpẽsat multos annos. 492.
Pœnitentiã, qui agũt, postquã mortis perturbationem incurrunt, raro saluantur. 291.
Vera non eget aliorum patrocinio apud Deum. 481.
Pœnitentiæ labor non dimittendus peccatoribus, dum in via sunt. 280.
Pœnitentiæ opera roborant, firmamque reddunt salutem. 103.
Pœnitentiæ labor animæ salũtem consequatur. 306. Adæquet culpas. 546.
Pœnitẽtię opera oculos diuinos alliciunt. 31.
Pœnitẽtiæ opera sola fides potest carneis cordibus persuadere. 129.
Pœnitẽtiæ fontes scaturiũt â fide diuina, qui fontes ignea peccatorũ tela extinguãt. 130.
Pœnitẽtiã facere, vel ipse ceruus nos docet. 159
Per pœnitentiã humilẽ redintegratur virginitatis decus. 107.
A pœnitẽtię lacrymis, verã pulchritudo, quãtam ad exterius pulchritudinẽ pulchritudo interna. 388.
Postulata regnũ tentant consiliarios. 467.
Potẽtia Dei ea est, vt intra cuiusq; fortunam culmen nouerit perfectionis porrigere. 18.
Potatorum iræ ob res leuissimas. 433.
Potus temperatur ab Eucharistia. 421.
Præceptorem diuinum sortiti stultè corporalia meminerunt. 331.

Preces.

In precibus plurium concordia efficacissima ad implorandum. 332.
Preces quas vel tribulatio cogat Deo quidem acceptæ sunt. 505.
Preces, & orationes aliorũ multũ nobis prosunt, sed proprias etiã Deus requirit. 256.
Prædicatores suos in exteras prouincias solus Deus agit. 136.

Prælatus.

Prælati ingenuos subditos minimè instar famulorum tractare debent. 319.
Prælati sic subdito, castigent, vt post punitionẽ, quasi sanctissimis exhibeãt honorẽ. 319
Ad prælaturam maximè facit nobilitas parentum. 33.
Prelati strictus rigor benignitatẽ prẽmittat. 40
Prælati nõ nimis hereãt legũ sono literali. 46.
Prælatorũ correctio vni Deo reseruãda. 524.
Prælatus ne tempus insumat cum temporarijs œconomis. 464.
Prælati æquales in subditos. 473.
Prælatus nunquam solus perit. 487.
Prælatus inter subditos præstantior esse, vt æqualem gerat. 544. Cæcutiat ad aliqua subditorum peccata. 549.

Præmium.

Præmia virtutis citissima. fol. 75.
Præmium laborum totum simul. 296.
Præmium trahit mentes humanas. 456.
Præmium sine merito indecorum. 599.
Præsentia Dei efficit abiuria, & dolo cessare. 30.
Præsẽtia Iesu sola fugat incursiones malas. 119
Prætor amans solum sedem, vt caput reclinet non prætor, sed fur. 10.

Princeps.

Princeps sæcularium rerum, & clericus non bene conueniunt. 215.
Principes non habeant sinus, sed subditis detecti sint. 2.
Nihil sic trahit subditos, quã Principis simplex animus, ibidem.
Principes pœnitentes Deus peculiari honore prosequitur. 632.
Principum fauores, & metus despiciat, qui virtuti incumbit. 555.
Principibus nihil sic decorum, quam misericordia. 32.
Princeps nõ sitiat suorũ sanguinẽ. 441. Nõ cadeãt deuotas fœminas, vt raptus videãt. 445
Principũ currus accipit angusta cœli porta. 152. Aliorum spectent consilia. 461.
Princeps non tam ad crucẽ Christi ire, quam Christum ad se trahere vult. 102.
Princeps nõ tibi necessarius sit, sed tu illi. 102
Principum luxuria acrius castiganda. 103.
Principũ correctio vni Deo reseruanda. 524.
Princeps ametur, non timeatur. 138.
Princeps vel de ouiculis subditorũ debet esse solicitus. 143. Non solus perijt. 487.
Princeps agricolarũ ruinis reparãdis studeat. 143. æqualiter omnibus prospiciant. 150. Caueant ne inequales sint. 151.
Principum singula verba, præcepta sunt. 488

Promissio.

Promissio de futuro suspecta, vbi statim potest operari. 68.
Promissa à Deo, quasi possessa habentur. 322
Promissionibus futurorum minimè Deus gaudet, vbi potest operari. 522.

Propheta.

Prophetia de Christo facilè iter facit, vt nationũ fides intret. 75.

Propinqui.

Propinqui carnales impediũt beneficia diuina. 262.

Prosperitas.

Prosperitas diuisionem, aduersitas vnitatem parit. 338.

Prospera, & aduersa se inuicē comitātur. 243.

Prosperitas pericula habet vicina. 493.

Prosperitas gloriarum facit cæcutire ad vidēdum latentia mala. 597.

Proximus.

Proximorum virtutes videndę, nō vitia. 273. 414. 415.

Proximorum saluti, qui incumbit, solet ipse fædari. 529.

Proximis ne pares mala ex rebus, quæ tibi bona sunt. 454.

Prudentia.

Sine simplicitate cōcutit, & prodit, cum simplicitate cognoscit Deum. 2. Carnis male à Iesu timet bonis sēs temporalibus. 186.

Pudicitia.

Pudicitia custodit ciuitates. 184. Se possidētem reddit pene inexpugnabilem. 184.

Pudicitiæ Christianæ conspicuum testimonium nemini non probatur. 220.

Pudor, &.

Pudor animose vinendus. 116.

Pudor humilis index est Christi inhabitantis. 155.

Pudoris fundamenta subuerti nequeunt. 184

Pudoris boni efficacia. 398.

Pudendum peccatori sub Dei flagello. 397. 398.

Puer.

Puerorum ad virtutis progessum multum interest, inter quos incipiant. 14.

Puerorum singularis angelorum tutela. 289.

Pulchritudo.

Pulchritudo Mariana. 35.

Pulchritudinis hamus, qui faciat Christianos, non contemnendus. 36.

Pulchritudo hostes Dei nouit prosternere, & salutis spē aperire, imò & cœlos ipsos. 36

Pulchritudo, vt cauenda. 109.

Pulchritudo nō causat peccatū. 352. & 353.

Purgatorium.

In purgatorio existētibus subueniendū. 132.

Purgatorij pœnas luentes iuuandi eleemosynis. 264.

Purgatio peccatorum nunquam non necessaria in hac vita. 406.

R.

Raptus, & extasis prorsus abscondendi. 445.

Redemptoris remedium ante nobis erat, quā hostium impetus. 190.

Reprehensio etiam innocenti danda, ne cadat. 456.

Rex, regnum.

Regis nomen hominibus salutare. 32.

Rex Catholicus suorū sanguinē nō sitiat. 44.

Reges sæculi, non ad crucem Christi ire, sed Christum mensis suis trahere malūt. 102.

Regibus sæculi caue, ne indigeas, sed ipsi tua ope potuis egeant. 102.

In Regijs, vbi vitia grassantur, ibi regnorum perditio. 104.

Regibus cauendum, ne inequaliter honores distribuant. 151.

Reges amentur, & ne timeantur caueant. 138

Regium est singulis subditis prospicere. 15.

Rex Christianus de ouiculis subditorum debet esse sollicitus. 143.

Regale ingenium hominis, quam reuereantur creaturæ. 318.

Regum optima politia est agricolarum, & operariorum ruinis reparādis studere. 143.

Regnū Christi singuli possidebunt appropinquantes Christo. 382.

Regno aliorū indigens, indecēs Deo est. 479.

Reges creantur à solo Deo. 317.

Regnū, & sacerdotiū nō bene cōueniūt. 215.

Regnū cœlorū etiam diuitibus patet. 152.

Regularum obseruantia, nec minima prætermittenda etiam prætextu vanæ gloriæ fugiendæ. 328.

Reincidentia in peccata timenda. 309.

Religio.

Religiosi præscripta sui instituti operari debent. 4.

Religio, quæ ab inhumanitate venit Deo abominabilis. 4.

Qui religiosam vitam profiteri voluerit, hominum placita ne spectet. 5.

Religio Deo grata humanissima est. 410.

Factus iam religiosus aliorum confratrum, segnius placita ne expectet, ibidem.

Religioni, quia locus sacer est, ea inest maiestate, quæ prauos affectus frenet. 8.

In religione sancte, & deuote agendum. 10.

In religione vtpote domo Dei laborandū. 10.

In religione is perseuerat, qui Deo ducente introiuit. 12.

Religiosi legitimi est, quod alios Christo acquirat. 13.

Religiosos ad virtutis profectū multum interest, inter quos incipiant. 14.

Religio, virtusque maiorū facilē cuique persuadet, ibidem.

Religionis cuiusuis fundamentum, fratrum vnio. 17.

A religionis via, qui alios auertit timeat citā ruinam. 600.

Religiosi etiam minutissima mundi bona dimittant. 19.

Religiosi, qui Deum sequuntur nil priùs demittant, quam retia. 2.

Religiosi, alijs curent esse exēplum, est enim hamus, quo homines capiuntur. 21.

Religio quo vetustior, certior, & securior. 28.

Religioſi tepide magis cauendi ſunt cæteris confratribus. 48.
Religioſo viro non alienum eſt etiã in tẽporalibus iuuare familiares ſuos. 60.
Religioſus ſeparans ſe à mandatis ſuperioris in quid conuertatur? 83.
Religionum lapides fulciunt, ſtabilitũq; 558.
Religioſi viri ſemper ſuperius aſcendere debent. 172.
Religioſis minime veteraſcendum in Chriſtiana diſciplina, ſed nouiter in dies proficiẽdum. 173.
Religioſi vtpote cœleſtis domus viam tenentes, caueãt, ne deflectãt ad diuerticula. 282.
Religioſis, qui ſe ſæcularibus immergunt curis, raro ſanctitas continget. 292.
Religioſi, qui non animarum, ſed temporalium bonorum mercatum faciunt, iure de adulterio argui poſſunt. 324.
Religionis tuæ regulis ſi conformeris, diuinos oculos rapies. 333.
Reliquiæ ſanctorum, vide. Oſſa ſanctorũm.
Remedia peccatorũ plura, quã peccata. 418.
Remedium diuinum antea nobis eſt, quã hoſtis impetus. 190.
Renouatio ſpiritus 173.
Reprehendere alios non licet, niſi prius habeas ad id poteſtatem. 533.
Reſurrectio carnis, à limine diuinæ Deconomiæ fulget. 224.
Reſurrectio celerrima debetur, ei qui ſe ſe cõformat paſsioni Ieſu. 607.
Reſurrectionis memoria, maximum ſolatium eſt in morte. 259.
Reſurrectio, & vita ab vno Ieſu. 251.
Res ſecundę aduũctæ veniunt aduerſis, & è cõtra. 242. & 243.
Reſpectus humani, ne te morentur, ſi oraculis diuinis moueris. 5.
Rigor, & iuſtitia diuina noctem amat, diuinæ charitatis facinora lucem. 4.
Rigorem præuenit miſericordia. 259.
Rigoris aſperitas viam miſericordiæ aſtruit.
Ruina bonorũ tẽporalium viſa, adhuc illis fidere extremæ dementiæ eſt. 525.
Ruinæ creaturarum à Deo factæ, efficaciſsimæ ſunt, vt homines Deo cõuertãtur. 538.

S.

Sacerdos ſacerdotium ſacrificium.

A Sacerdotibus bonorum terrenorum cupiditas ableganda. 19. & 20.
Sacerdotium, & ſæculares magiſtratus nõ bene conueniunt. 215.
A Sacerdotibus tam longe ab eſſe debent tẽporales quæſtus, vti adulterium. 324.
Sacerdotes nulli periculo debent parcere pro hominibus ſaluandis. 333.
Sacerdotes, caueãt iram Dei, dũ in Eccleſiaſticis muneribus, lucris dant operam. 525.
Sacerdotium Chriſtianum non emendum, ſed merendum. 528.
Sacrificia Deo grata, quæ multa præparatione fiunt. 528.

Salus.

Salutis acquirendæ ſtudium, nunquam in tẽpeſtiuum. 95.
Salutis negotium non credendum linguæ ſemel malæ. 170.
Pro ſalute fratrum à diuinę contemplationis gaudijs abſtinendum. 251.
Salutis ſuæ negotia quiſque ſibi peragat, nec aliorũ fidat officijs. 256.
Salus animæ, nulla deſperata, ſi adſit diligentia. 274.
Saluantur rari ex ijs, qui agoniam mortis incurrunt, antequam pœnitentiam velint agere. 291.
Salus firma eſt, quæ per opera pœnitentiæ roboratur. 292.
Salus hominum feſtum agit Deo. 305.
Salutẽ animæ labor pœnitẽtiæ ſequatur. 306.
Ad ſalutem quidque conducat, à quouis accipiendum, ibidem.
Salutis brauium omnes obtinebunt qui Dei viam cnrrunt, ſi non deſiſtant. 330.
Salutis occaſio, nulla ex caſu, ſed ex diuino præſcripto. 42.
Felix, qui ſalutis ſuæ negotium nemini à ſe fidit. 363.
Salus, & commoda ſuorum faciunt, vt Ieſus nullis parcat impenſis, & laboribus. 381.
Salus pluribus communis facilè obtinetur à Deo. 507.
Salus, quo magis appropinquat, eo vehementius acuit dominus dolores. 513.
Saluti proximorum incumbentes, neceſſe eſt de puluere mundano ſordeſcere. 519.
Salutem noſtram ſic operatur Deus, vt videatur hominibus indigere.
Salus ſpiritualis à ſolo Deo. 417.
Salutaria tibi, ne vertas in aliorum dãna. 454.
Salus cita à ſolo Deo venit. 594.

Sancti.

Sanctis viris ſuſpecta ſemper conuiuia. 432.
Sãcti, & veri Dei ſerui in adimplenda lege diuina vim pati dicuntur, ſed non in ſeruitutem redigi. 5.
Sanctis viris Angelorũ viſio promittitur. 34.
Sãctorũ excellẽtia eſt, inferiores eſſe Ieſu. 632
Eiſdem præſtantiſsima Dei auxilia, ibidem.
Cum ſanctis familiaritas, potens, & ad bonã fãmã conſeruandã, & ad extirpãda vitia. 119.
Sãctorũ patrociniũ vmilitate acquiritur. 140
Sancti illos patrocinantur, qui eorum virtutes imitantur. 141.

Sanctitate diabolus summet colorem, quo fallax. 182.
Sanctitas cuiusque non leuiter suscipienda, & acclamanda. 233. & 234. Nulla est in præsenti secura. 598.
Sanctorum festa non sancte celebrantur compotationibus, & conuiuijs. 433.
Sanctorum cognominibus insigniri, vtile, & religiosum. 234.
Sanctitatem, quã rari adipiscantur ex ijs, qui se immergunt curis sæcularibus. 292.
Sanguis Martyrum fœcundissimus. 553.

Sapientia, sapiens.

Sapientia creata, quod non valet persuadere Deo seuerissimo, valet Iesu sola humanitas; nempè misericordiam. 339.
Sapientẽ virũ decet conuiuijs interresse. 434
Sapientis est consilio alterius cedere. 449.
Satisfactionem pro culpis præstare irrationalis creatura edocet. 155.
Satisfactionis opera adæquent culpis. 546.
Sæcularibus rebusque nouit obdormire, felix. 245.
Scandala, quæ contemnenda, 435. Illud paruuli incurrunt. 601.
Scientiam de Iesu remittamus in æternitatẽ, vbi animus Iesum comphendet. 169.
Scriptura, fidelis Christi custos. 26.
Sententiam contra nos ipsi feramus, qua euademus manus diuinæ iustitiæ. 494.
Secreta inter famulos, & filios suspecta, 387.
Sectatores Dei nihil prius, quam retia dimittant. 20.
Sequella Dei homini salutaris. 455.

Sermo.

Sermonis diuini efficatia facilè absummet, quidquid Deo resistit. 24.
Sermo, qui ad salutem conducat à quouis audiatur accipiendus est. 76.
Sermo cum fœminis rigidus, & austerus debet esse viris pudicis. 67.

Seruus, seruitus.

Seruorum proprium intra legis cancellos operari. 4.
Serui, qui intra præcepta se cohibent inutiles habentur, etsi pœnam euadant; gratiam tamen non merentur, ibidem seruitiũ Deo nullum præstabis pro quo tibi merces non veniat. 45.
Seruire Deo debes in lætitia, si cupis ei placere. 161.
Seruitia etiam paruula Deo exhibita, quam gloriosa. 53.
Seruus, qui vtilitate sua nõ adæquat prætiũ quo ẽtus est, multũ derogat ẽtori suo. 314.
Seruis Dei etiam aduersantia mala opitulantur. 356.
Serui Dei post mortẽ, clariores appart ẽ vel ipsis inimicis. 376.
Separatio quæuis à Christo suspecta est. 89.
Sepulchrum, & vana ambitio, & simul illorum vtilitas. 261.
In sepulchris sanctorum horti virentes vtpote Christi rore rigati. 349.
Seueritas antiqua, pari gratia in Christo, cõpensatur. 484.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus à Patre diuino habet, quod creaturis respiciat. 65.
Spiritus sancti gratia per Christum impellit terrena corpora in vitam æternam. 59.
Spiritus Christi nihil prius proponit ob oculos, qua mundialium rerum occasum. 83.
Spiritus Dei quamuis iratus sit, vbi visceribus misericordis hominis illabit non potest nõ leniri. 376.
Spirituale negotium, vbi agitur, noli temporalibus commodis incumbere. 324.
Spiritus sanctus misus est è cœlis vndè diabolus tanquam fulgur eiectus, vt vbi accusatorem habemus, illuc habeamus, & paracletum. 366.
Silentiũ bonam linguam creat. 423.
Silentium, turpe, in eo, qui debet vitia carpere. 434.
Simplicitas, & innocentia stabiliunt reges. 2.
Simplicitas sola cognoscit, & ostendit Deũ ibidem.
Simplicitas ignara latebrarum; ambagibus inimica, lucis amica. 2.
Singularia nil cures, sed quæ sunt status communia, ea amplectere. 333.
Singularis, & solus noli esse in laudabilibus, Sed excellentias reputa, computa communues. 168.
Sollicitudo dignissima est ministri Euangelici de temporalibus populi ruinis etiã minimis restaurandis. 142.
Somnus, qui mundalia depellit, ad Iesu bona nouit vigilare. 245.

Spes.

Spes nostra stet in Deo firma, & quasi acceptas reputa omnes promissiones. 219.
Spes lucri trahit homines. 456.
Spes ex timore Dei. 406.
Studium adhibendum ad iustitiam obtinendam. 388.

Subditi.

Subditi operari debent supra præscripta sui superioris. 4. Non videnda omnia eorum peccata à prælatis. 549.
Subditi non instar seruorum tractandi. 319. Qui præstantiores sunt, æqualiter tractentur. 544.
Subditis prospicere, quam regium est. 151.

Sta-

Status, ſtabile.

Status ſui metas ſeruet, qui magna à Deo requirit. 448.

Stabile nihil in vita humana, poſt aduerſa veniunt ſecundæ. 242.

Sterilis.

Steriles animæ Chriſti Domini paſsione fœcundantur. 88.

Superior.

Superior non habeat ſinus ſed totus ſit ſubditis patentiſsimus, fol. 2.

Nihil ſic trahit ſubditos quam ſuperioris patens animus ibidem.

Superior niſi præſeferat ſimplicitatem, ſubditos experietur oblatrantes, non obſequentes, ibidem.

Superioris ſtrictus rigor præmittat benignitatem neceſſe eſt. 40.

Superioribus, & rectoribus qui errare nolunt ſui inſtituti ſono literali non nimis hærendum. 46.

Superior curet ne timeatur, ſed ametur à ſubditis. 138.

Superiores neutiquam tractare debent ſubditos inſtar famulorum. 319.

Superiores ſic ſubditos caſtaſtigent vt immediate poſt punitionem quaſi ſanctiſsimis exhibeant honorem. 319.

Supplicium.

Supplicia ſimul omnia inferri à Deo, magnæ eius ira eſt. 565. 566. Supplicium acerbiſsimum, quod plagas cogaris videre. 576. Quod cum Dei lacrymis, & dolore venit interminabilem parit pacem. 580. Supplicij tempus, & nobis, & Deo moleſtum. 585.

T

Tharaſiæ Carmelitarum reſtauratricis ſumma laus, quod Deus illi ſubdat virum. fol. 236. *Templum.*

Templorum maieſtas, effrenes apetitus coercet. 8.

Templi ea eſt virtus aduerſus peccata, vt ſi tantum videantur, ea penitus expugnet, ibidem.

Templorum obſeruatio quam vtilis ſit, 10.

Templorum lapides, nos ſtabiliunt, & fulciũt 158.

Templorum ædificatio, opus Deo gratiſsimũ, & monaſteriorum erectio. 284.

Templorum erectio ipſorum ſtructores diuinis efficit coli honoribus. 285.

Temporalibus curis noli incumbere, vbi ſpirituale negotium agitur. 324.

In temporalibus iuuare familiares, ac debotos non alienum à viro religioſo, fol. 60.

Tempus ſalutis acquirendæ, nunquam in tempeſtiuũ eſt. 94. & 95.

A tenebris non ſecure, quis proſilit immediate ad lucem clariſsimam. 290.

Tentationes, & preſſuræ Deo ſuauiſsimæ ſtetere; quas ſtrenuis hominibus propinabit. 494.

In tentationibus qui labitur repugnans, prõptiori miſericordia diuina dignus eſt. 520.

Tentatio homini ſalutaris. 423. & 424.

Tentatio Deum trahit, ibidem vide labores, tribulationes.

Terrenis, & caducis rebus qui inhiant, muto aguntur ſpiritu. 194.

Terrena bona homines concutiunt. 425.

Terrena bona imperfectis dantur à Deo. 471.

Teſtimonia fœminarum de diuinis inſe peractis infirma, & ſuſpecta. 485.

Timor.

Timor Dei ſpecialiter. 406.

Timor religioſus in virtutum facinora, trahit virtuteſque cuſtodit, fol. 200.

Timoris filialis à ſeruili differentia. ibidem.

Timor ſeruilis tollendus tibi ſi vis cum Ieſu magnalia potiri. 496.

Timor nihil aliud generat quam odium. 138.

Timor humilis in Dei conſpectum inclinat. 402.

Timor Dei cum regio ſplendore iunctus. 404.

Timor Dei infanctiam virtutum alit. 405.

Tormenta atrociora hominũ à Dæmonibus habent ortum. 135.

Tormenta quibus peccatum pellitur, non tormenta, ſed quies appellanda. 171.

Tributa exigenda quanta fieri poterit benignitate, & humanitate, 540.

Tributa non dant pecunias principibus, ſed iuſtitia obſeruata, 462.

Tribulatio.

Tribulatio illa, quæ mores corrigit, & peccandi occaſionem tollit, nõ vocãda tribulatio. 177. ad tribulationes, & labores magnates, diſciplinæ Chriſtianæ trahuntur. 497. Tribulatio carnalis voluptatis comes. 443. pro Deo ſuſcepta halat verba ſapientiæ. 557. grauis quæ à propinquis, & notis venit. 560. Tribulationes à Dei manu grauiſsimæ. 575. Vide labores. Tentationes.

Trinitas Beatifica veritatis aduocata, vt in Sũ ſanna. 367.

Triſtitia multum lædit officia noſtra erga Deum. 161.

Triumphum nullũ reputat Ieſus, niſi vbi munera largitur. 212.

Tyrannorum in multitudinem incidit, qui à Deo deficit. 61.

V

Vanagloria. 281.

Vanitãs plures habet ſequẽtes, quam Chriſtus, fol. 255.1.2.

Verbum Dei.

Verbi Diuini efficacia abſumit facile quidquid Deo reſiſtit. 24.2.

Verbo Chriſti homines paſti reuocantur ad aream, & mœnia ciuitatis abiectiſque ſpeluncis ferarum vrbes ciuiliſsimæ ædificantur. 272.

Verba.

Verba iactãtiæ fugienda, & plauſus popularis. 126. Verba ſapientiæ dantur â tribulationibus. 557.

Verba ſingula perſonarum præcellentium præcepta ſunt. 488. Veniunt in nos à Deo coram præſidibus, in cauſa fidei. 558.

Verbis contumelioſis non reſpondere quam ſalutare ſit. 196.

Verecundia animoſe vincenda ab his qui cupiunt obtinere ſalutem. 116.

Verecundia index eſt Chriſti animo inhabitantis humano. 155. & 156. Vide Pudor.

Veritas.

Veritas facti nuda attendenda eſt in iudicio. 365.

Veritas ſemper aliquale inuenit patrocinium etiam inter peſsimos viros. 366. beatificam Trinitatem habet pro ſe ſtantem, ita vt nũ quam deficiat aliquod veritati ſuffragium ibidem. Eius oſſores plura miſcent, ab hoc in illum ſtatum tranſeunt, omnia imperfecta relinquunt ne cogãtur veritati aſſentire. 63.

Viam cœleſtis domus quiſquis teris, caue ne ad diuerticula deflectas. 282.

Vicinis vt debeamus accurrere, vbi vt animis in Purgatorio exiſtentibus ſubueniamus. 132.

Victoria.

Victoria, & palma non otioſis, & oſcitantibus datur, ſed his, qui cum ſe vitijs crucifixerunt. 208.

Victoria vera ea eſt, in quã ſic aduerſarius vincitur, vt de vincẽtibus nullus lædatur. 512.

Victoriam nullam reputat Ieſus niſi cum munera largitur. 212.

Viduas continenter viuere caſtitas nuptialis facit. 62.

Vigiliæ efficaciam tribuunt orationi. 510.

Vinum nihil veretur. 452.

Vir.

Viri pij maxime ſe ab impiorũm moribus ſecernant, ne vel minima illorum in ſe habere velint veſtigia. 177. Vir bonus non habet beneficia, quæ aliorum officiant ſaluti ſpirituali. 232. Viros magnos, & præſtantiſsimos conſueuit Dominus ad labores, & erumnas trahere, eorumque participes facere. 497.

Vires.

Vires immũditiæ quas fecimus ſeruire, eas dem Chriſto tradamus. 111.

Viribus hominum Deus omnes labores commenſurat. 72.

Viribus attemperanda ſunt negocia. 427.

Virgo.

Virgo cuius cura adhuc viret in torquẽdis ornandiſque capillis nondum mundo moritur, nec Chriſto adhæret. 115.

Virgo vna omnes nuptias illuſtrat. 439.

Virgini nihil eſt ornatius, quam omnem vel mendaci ſuſpicioni aditum occludere. 220.1.2.

Virginitatis dos eſt immortalitas. 221.

Virtus diuina eſt ſtare in fide, vbi cernitur multitudo cadens, 218.

Virtutis diuinæ eſt, & maximæ difficultatis mundo obdormiens nihil mundiales curare caſus. 503.

Virtus humana nulla eſt, quæ poſsit à Deo audire, ego ſum, quin cadãt in terram. 373.

Virtus, & religio fratrum, ac parentum ſuorum facile cuique perſuadetur. 14. 157. vbi floret, ibi habet diabolus ſuum cruciatum, & interitum. 181 ſola triumphare nouit adeò vt etiam diabolus cogatur vti virtutis armis dum vincere ſatagit. 182. ſufficit cõtra multam Dæmonũ gentem. 183. Qualis æſtimatur ab hominibus, talis ſit illis. 548. ſtabilis, & firma eſt, etiam ſuper aquas vel ſuper arenam fundata. 514. non acquiritur ſine meditatione, & ſtudio. 388.

Virtutis cultoris nouitij aliquo modo ad difficultates cœcutiãt. 518. Eius in ſchola deficientes ſceleſtiora audẽt. 531. Eius fructus vt præcox ſemper tempeſtiuus eſt, ſic ſerus fructus raro non reijcitur, vt intempeſtiuus. 535. Eius rudimenta dura, & aſpera non faſtidienda. 8. Eius culmina non expectanda, niſi initijs obtinendis inſiſtatur, ibidem. Ad eius progeſſum multum intereſt, inter quos inciſpias. 14. Eius primus gradus parentes relinquere. 22. Eius præmia certiſsima, citiſsima. 75. Eius in ſtudio, cum ſemper progredi debeamus, pernicioſe ſapiunt, qui in primo veritatis fulgore hærent. 172. In eius ſtudio non veteraſcendum, ſed quaſi exortu nouo in dies proficere debemus. 173.

Virtutis Chriſtianæ clariſsimum dabit experimentum, qui ſe ita componit, vt ab omnibus reputetur, huic ſæculo iam defunctus. 211.

Virtutis vincula vbi sunt, nullus est labor, nulla seruitus. 269. eius vincula, quasi calcaria, immò alæ, quibus curras, & euoles in via, ibid. in eius solis facinoribus vera laus. 337
Virtuti suæ gentis acquirendæ quisque dat operam. 157. 14. ab ea, & Christo sequendo, etiam minutissima bona mundi retardant, ideo dimittenda. 19.
Virtutes singulæ in singulis hominibus diuersitatem habent. 405.
Virtutes creatæ obscurantur in diuinarum conspectu. 468. factæ in loco, in quo semel Deus ingẽs acceptauit seruitium, gratiores solent esse Deo. 158.
Virtutes proximorũ ponderet Christianus, qui in defectibus cœcutiat, & taceat. 273.
animo insitæ hoc habent, vt licet extremis mundi oris, à terra, vel Syrte nascaris tibi Abrahamidum genus adscribant. 331.
Virtutes aliorum ediscendæ, vt similia adimpleas. 362. earum magnalia facinora ex humilitatis puluere illustrantur. 357. earum facinora occulanda. 340. 399. & 568.
Virtutũ thesauri occultandi sunt, nec alienorum oculi illis pascendi. 281. earum custos est ieiunium. 213. earum inter laqueos expediſsimum se quis experitur. 268. 2. earũ parua opera, & minima multum necessaria 400. earum incumbamus operosis studijs, & licet in medijs nefariſsimis viuamus hominibus, Deum alliciemus, vt nos videat. 157.

Visio.

Visio Angelorũ sanctis viris promittitur. 34
Visio Christi Dñi salutaris. 380. Visio Dei maximũ honorem rebus creatis affigit. 16.
Visio Dei terminata ad homines dat illis, quod ipsi inferè referãt Deum ipsius æmuli, & imitatores. 88.

Vita.

Vita hæc temporalis odiosa est iustis. 257.
Vitæ humanæ summa incertitudo, nullã moram admittit, qua tardes ire ad Deũ. 86. eius incõstantia. 436. Vitæ spiritualis fundamentum, quod velut mortuus agas. 211. Viure, vt mortuus debes, qui mortem vincere cupis. 267.

Vitium.

Vitiosi consiliarij cauendi. 464.
Vitium infirmum, & labile etiam super rupes fundatum. 515. nullum incurabile, vbi diligentia adest. 274. coloratur à diabolo. 77. Vitia, & defectus nemo, nisi habens potestatem calliget. 533.

Vnio.

Vnio fraterna fidei Christianæ fundamentũ 16. Vnio perfecta charitatis signũ electorũ in Christo. 48. Vnitas iustũ refert. 166
Vnitas Deum ostendit, ibid. Potentissima ad trahendum Deum. 613.

Vocatio Dei.

Vocatio Dei sæpissime non à pulpitis, non à cathedris, non à disertis hominibus, sed ab ore ancillulæ datur. 76. vocatio Dei firmat & stabilit gressus eius, qui vocatur. 514.
vocatio sola dat vires ad perticularia munera administranda. 620.

Voluntas.

Volũtas vna Dei in omnibus expectanda est. 325. voluntas nequit non errare dum creaturas solum respicit. 622. voluntas diuina saluti hominum studet, nec indiget aliquo ad præstandum. 328. voluntas pro facto apud Deum. 620. voluntas propria, & perditio simul 619. voluntas errat, vbi à Dei conspectu declinat. 621.
Voluptatis fœno inuolutus hostibus patet. 184. voluptates coniugij tribulationibus plenæ. 443.
Vota Deo promissa non euulganda. 349. vota etiam metus vi emissa, & obligant homines, & Deo placent. 54. vouendum Deo optimum. 43.
Vsuræ spes, vt homines afficit. 456. Vid Præmium.
Vulnera à Deo inflicta fortitudinem, & tolerantiam ad sustinendum afferunt. 533

Z.

Zelus mordens bonos operarios suspectos. 407.
Zelotypia familiarior nuptis. 442.

AD CONCIONATORVM VSVM.

Dominica I. Aduent.

Luc. c. 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* &c. Creaturæ insensibiles nos docent satisfacere Deo. 155. Dolent nõ produsse hominem. 426. Dirè peccatores fractant. 251. condẽnant peccatores. 80. Futura mala solus peccator non præsentit. 581.

Arescentibus hominibus præ timore. Solum extremum iudicium timendum. 572.

Tunc videbitis filiũ hominis. &c. Christi Aduentus adiudiciũ timendus, & cauẽdus. 384.

Tunc leuate capita vestra. &c. Peccator solus reueat sibi à ministris iustitiæ. 544.

Dominica II. Aduent.

Matth. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Laboribus ditantur Dei amasij. 235. Labores Christum halant. 26.

Tu es qui venturus es, an aliũ spectamus? Ex

pectatio,& ſufferentia iuſti duplicia bona parturit. 140.

Cæci vident, claudi ambulant, &c. Beneficentia Ieſu in homines eius diuinitatem prædicat. 307. Vide Beneficentia.

Cæpit dicere de Ioanne, &c. Ieſus longe ſuperat laudatores ſuos laudum retributione. 319 Virtutes proximi ponderet Chriſtianus, qui indefectibus cœcutiat. 273. Virtutes aliorum ediſcendæ, vt ſimilia adimpleas. 362.

Dominica. III. Aduent.

Ioann. 1. *Miſerũt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Lenitas ad Ioãnem*, &c. Salutis ſuæ negotia quiſque per ſe efficiat. 256. Nemini cõmittendum. 363.

Tu quis es? Mundus ſuos ignorat. 167. ſoli iuſti ab omnibus noti, ibid.

Quia non ſum ego Chriſtus, &c. Sãctorũ excellentia eſt, ſe prædicare inferiores Ieſu. 632

Quis es vt reſponſum demus, &c. Tot examina præmittunt, & quidem ſanctitas, cuiuſcũque non leuiter acclamanda. 233. 234.

Dominica. IIII. Aduent.

Luc. 3. *Procurante Pontio Pilato*, &c. Miſerũm Ieroſolymæ ſtatum oſtendit tot principibus externis numeratis, quandoquidem iudex alienigena ſuſpectus.

Factum eſt verbũ Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Ioannes puſio in deſerto erat, quia Chriſti aſſecla in primis parentibus renuntiat. 22. omnia mundi bona deſpicit, & cœleſtibus viuit. 499.

Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ. Baptiſmi Chriſtiani excellentia. 290. Pœnitentia, vt facienda. Vide in indice.

Parate viam Domini, &c. Præparatio, quam neceſſaria, vt Deum habeas. 528.

Omnis vallis implebitur, &c. Vide humilibus bonum, &c.

Feria IIII. Cinerum.

Memento homo, quia puluis es, &c. Mortis meditatio fideliſsimus comes, & dux ad vitã inuendam. 269. Mors qualis flenda. 297 oculos ponenda. 525. Inbemur illius recordari, quia periculũ eſt ad illam venire ante actã pœnitentiam. 331. Glorioſum homini preſſi intra terminos ſuæ fragilitatis. 596. Eius medium terrenam originem inſpicere. 357 onitur etiã ob oculos puluis noſter, vt humiliemur: Vide verbum humilitas. Ex humilitate illuſtrantur opera magna. 357. ideo cinis præmittitur cinis.

Item ex Matth. 9. *Cum ieiunatis nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes*, &c. Ieiuniũ virtutũ cuſtos. 213 Quam fugiẽdi labores, qui nullum fructum ſpiritualem afferunt. 137.

Vt appareant hominibus, &c. Chriſti ſpiritus amat latebras. 568. 399.

Faciem tuam lauans ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo. Si facies labanda, cur aſpergimur puluere? Poteſt ne facies puluere lauari? Equidẽ pulnis turpat faciẽ reſpectu hominum, ſed lauat reſpectu Dei, quandoquidem puluis humilitatis imaginem Dei, qua filij ſumus in nobis facit apparere. 595.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. Bona tẽporalia rapidiſsime euanent. 288 Non nouerunt nobiſcum eſſe, ſed à nobis abire. 426. &c. Feria V.

Matth. 8. *Cum introiſſet ad eum Centurio rogans*, &c. Vide lib. 9. c. 3. per totum.

Feria VI.

Matth. 5. *Ego autẽ dico vobis diligite inimicos veſtros*, &c. Ieſus eſt qui triũpum egit perfectiſsimæ charitatis dum inimicos docuit amare. 570. 571.

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quã mercedem habebitis? &c. Chriſtiani ſupra legum præſcripta operari debent. 4.

Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram, &c. Occultanda opera bona. 340. 181.

Te autem faciente eleemoſynam, &c. Vide eleemoſyna, pauper.

Sabbato.

Marci. 6. *Erat nauis in medio mari*, &c. De naui, & vita humana, & bonorum fugacitate. 486. 489. 490.

Laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius. Et circa quartam vigiliam venit ad eos ambulans ſuper, &c. Oratio quam firmet, & ſecuros nos reddat. 511. Peccatum grauat. 512. Virtus ſtabilis & firma, etiam ſuper aquas, non ſic vitium. 515.

Et conturbati ſunt. Quo citius finienda ſunt mala, magis ingraueſcunt. 513.

Dom. I. Quad.

Matth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.* Spiritus ſanctus Ieſum tentationibus offert, quia illas Deus ſine nuis hominibus propinat. 494. 423.

Accedens tẽtator, &c. Ter interpũpuntur tẽtationes Ieſu, vt oſtendat labores fidelibus diuiſim, & per partes accidere, præmia non ſic. 296. Poſt vocem Patris in Iordane accedit tẽtator, quia labor ſequitur diuina beneficia. 36

Dic vt lapides iſti, &c. Expẽde illud, *dic*, meliùs, & aptius poſuiſſet, *fac*, filius enim Dei potius ex factis claret. 522.

Nõ ſolum pane viuit homo, ſed de omni verbo, &c. Verbo Chriſti homines ad ciuilem vitam trahuntur. 272.

Mitte te deorſum. Deorſum nõ ſurſum aſpicere ſuggerit, quia cœleſtia nobis odioſa nititur facere. 23.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Idololatria proxima eſt illis, qui creatos ſauores ſpectant. 619.

Fe-

Feria II. à dom. 1.

Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, &c.* Solũ extremũ iudicium timẽdũ. 572. Felix, qui in se nouerit Dei iudicium præuenire. 494.

Venite benedicti: esurini enim, & dedistis mãducare. Iudiciũ eũ misericordi non fiet. 411. Eleemosyna peccata iudici operit, & facilem salutẽ causat. 162. Dei iram sedat. 40.

Ite maledicti: esurini enim, & nõ dedistis, &c. Nulla virtus, nulla religio placet Deo, quæ in humanitate, & misericordia fouetur. 410.

In supplicium æternum, &c. Pœna venturi æui tota simul miseros diuexat. 297.

Feria. III. à dom. 1.

Matth. 21. *Eyciebat omnes ementes, & vendẽtes.* De hac historia vide lib. 11. c. 7. per tot.

Feria. IIII. à dom. 1.

Mat. 12. *Volumus à te signum videre.* De hoc lib. 12. cap. 9. per totum.

Feria. V. à dom. 1.

Matth. 15. *Ecce mulier Chananæa, &c.* De hoc lib. 6. c. 7. per totum.

Feria VI. à dom. 1.

Ioan. 5. *Est autẽ Ierosolimis prouatica piscina.* De hoc lib. 9. c. 2. per tot.

Sabbatum.

Matth. 17. *Assumsit Iesus, Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius in montem excelsum, &c.* Heroes Euangelici maiores vincant difficultates, montes superent. 23. Nunc ad montem, deinde ad Iesu gloriam, sic paulatim promouendi homines ad cœlestia. 289. A Iesu difficultates susceptæ amplectendæ. 246.

Transfiguratus est ante eos. Gloriam transfigurationis suæ communicat Apostolis, quia nullum putat triũphum, nisi quando munera largitur. 212. Vide cœlestis gloria, & cœlestis habitatio.

Apparuerunt illis Moyses, & Elias, &c. Sanctorum excellentia ex eo, quod se summittant Iesu. 632.

Faciamus hic tria, &c. Salutis negotia ali non cõmittenda, sed quisq; sibi peragat. 256.

Tibi vnum, Moysi vnum, &c. Salus cõmunis pluribus, facilè obtinetur ex Deo. 507.

Hic est filius meus, &c. Iesus omniũ hominum filius habendus. 542.

Ceciderunt in faciem: &c. Iesu bona importabilia. 29.

Tetigit eos, & dixit eis: surgite. Vel Iesu halitus sufficit, ad hominum vitã reparandã. 267.

Neminẽ viderunt, nisi solũ Iesum, &c. Iesum, qui videt, nequit immorari nequitiæ. 153. Omniũ aliarum rerum iactura emendus. 615.

Et descendentibus illis de monte, &c. Siue in ascensu, siue in descensu suis adest. 516.

Dom. 2.

Repete Euangelium præcedentis Sabbati.

Feria. II. à dom. 2.

Ioan. 8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Nõ interrũpenda pœnitẽtia. 280. Pœnitẽtia sera. 291. Dũ non inuenitur Iesus, nõ exuimus peccatũ, quia sola fides potest pœnitentiam persuadere. 129.

Quo ego vado, vos nõ potestis venire, &c. Sic quasi omnes salutis vias illis occlusas ostẽdit, quia proterui in Iesu sola ire signa habẽt. 627. à Iudæis non videtur Iesus, nisi lethalis. 534.

Vos deorsũ estis: ego de supernis sum, &c. Terreni homines Dei causam suspectã habẽt. 186.

Vos de mundo, &c. Nil mundiale admittendũ intra cordis affectus. 590.

Principiũ, qui & loquor vobis. Et quidẽ is est Iesus, qui nõ dedignatur in colloquiũ admittere adeò indignos, quando quidẽ nullis parcit impensis pro hominum salute. 381.

Cũ exaltaueritis filiũ hominis, tunc credetis, &c. Passio Christi efficacissimum medium est, quo steriles animæ fœcundentur. 38.

Fer. III. à dom. 2.

Matth. 23. *Super cathedrã Moysi sederũt Scribæ, & Pharisæi.* Expende illud, *sederunt*, sunt enim, qui in officijs, & muneribus suã solam quietem, & honorem quærant, labores obligent. 10. Officium, quodlibet ex Deo debet assumi. 81.

Dicunt enim, & non faciunt. Magister prius in se exerceat, quod docet. 453.

Omnia opera sua faciunt, vt videantur, &c. Opera virtutis occultanda. 340. 399. 568.

Amãt autẽ primos recubitus, &c. Opera magna virtutum ex humilitate illustrantur. 357.

Feria. IIII. à dom. 2.

Matth. 20. *Ecce ascendimus Ierosolymã, &c.* De hoc vide lib. 12. c. 8. per totum.

Feria. 5. à dom. 2.

Luc. 16. *Homo quidam erat diues, &c.* Et purpura indueretur, vocatur solũ homo, non princeps, quia ille solus verus nobilitatis titulus, qui nec in morte exuendus. 311.

Erat quidã mendicus nomine Lazarus, &c. Erat pauper ad ianuã diuitis, & non dicitur, peteret, quia non expectanda est petitio pauperis. 368.

Sed, & canes veniebant, &c. Pauperes periculosè ieiunant, vbi canes venatici saturantur. 410. pauperum cura maior sit, quã animaliũ. 408. Pauperũ sanguine alũtur Principes. 464.

Vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, &c. Mors iustorum secura. 630.

Sepultus in inferno. Infernus quam terribilis. 183.

Vt intingat extremũ digiti sui, &c. Etsi hi, qui inferno cruciantur leuari nequeant, tamẽ qui igne purgatorio torrentur, vel pusillis operibus

bus viuentium leuantur. 264. 132.

Vt mittas in domū patris mei, habeo enim quinq; fratres, &c. Non charite in fratres, sed amore sui id petebat, quia diuites propinquorū accessu magis in inferno cruciantur. 487.

Feria. VI. à dom. 2.

Mat. 21. *Plantauit vineā, &c.* Vineā agricolis aptat dūs, quia hominū viribus omnes labores cōmensurat. 72. Et quidē viribus attēperanda sunt negotia. 427.

Sepē circūdedit, &c. Manus diuina, vbi incipit, benefacere nescit contrahi donec in tuto nos asserat. 521.

Cum autem tempus fructuum, &c. In tēpestiuus virtutis fructus raro non reijcitur. 535.

Verebuntur forsan, &c. Verecundia index est Christi animo inhabitantis. 155. 156. Pudoris boni efficacia. 398. pudoris fundamentum subuerti nequit. 184.

Eiecerunt extra vineā, & occiderunt. Iudæi lege nutriti filiū Dei occidūt, quia vbi quis in virtutis schola deficit, scelestiora audet. 531.

Cum venerit ergo, &c. Impunitas peccatorum timenda. 578.

Malos male perdet. Male perduntur, cūm ex mille ærūnis nullā vtilitatem percipiūt. 138.

Sabbatum à dom. 2.

Luc. 15. *Homo quidā habuit duos filios, &c.* liberū est tibi filium fieri cuiuslibet magni viri virtutum æmulatione. 321. Is degenerat à parentibus, qui parentum virtutibus non respondet. 321.

Et congregatis omnibus, &c. Dissipauit substātiam suam, &c. Impios possessores fugiunt bona. 454.

Adhæsit vni ciuium, &c. Crudelissimus tyrannus homo in homines. 554.

Peccauī in cælum, & corā te. Non explicat peccata, qualia fuerint, quia luxuriosa erant, & hæc minime ob oculos ponenda. 109.

Non sum dignus vocari filius, &c. Peccata maiora maior sequatur humilitas. 176.

Accurrens cecidit, &c. Peccatores traxerūt Deum à cœlo in terram. 100. Pœnitentia oculos diuinos allicit. 31.

Dixitq; ei filius, &c. Nullum patronū, nullū ad vocatum conuocat, quia vera pœnitentia non eget patrocinio apud Deum. 481.

Afferte stollam primam, &c. Peccatum lacrymis ablutum, quasi nunquam stetisset. 240.

Adducite vitulum saginatum, &c. Totū sacri vituli epulū adduci iubet paratus pro vno homine impendere, quod pro omnibus. 51.

Indignatus est autem, & noluit introire, &c. Vide verbum inuidia.

Dom. 3.

Luc. 1. *Erat Iesus ejiciens dæmonium, &c.* Vide de hac historia lib. 7. c. 3. per totum.

Feria. 2. à dom. 3.

Luc. 4. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, &c.* Facilē mittit dominus gratiā suam in subiectum aptum. 401.

Fac & hic in patria tua. Non ex arbitratū humano, sed ex se oculatissimus est Iesus, vt videat motiua miserendi. 456.

Nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam, &c. Israelitæ viduæ relinquuntur, & assumitur vidua gentilis, quia hæc humanior; & religio ipsa sine humanitate displicet Deo. 410.

Nemo eorum mundatus est, nisi Nahamā, &c. Quia solus Nahamā per se ipsum arripit viā, & quęrit salutē: et si haberet famulos, & amicos plurimos, nulli credit negotiū salutis, sed ipse perficit. 256. 363. Et quidem, vbi adsit diligentia, non desperatur salus. 174.

Et repleti sunt omnes ira, & surrexerunt, &c. Horū peccatorū summa miseria, qui in eos insurgūt, à quibus medelā possent sperare. 175.

Feria. III. à dom. 3.

Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Peccatis omnino carere nō est huius temporis. 73.

Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Proximorū peccata tegenda. 414. Et bene iubetur peccator corripi, quia virgæ subiacet, eo ipso, quod peccator est. 457.

Si autē nō te audierit: adhibe tecū adhuc vnū, &c. Sic iubemur fratres peccatores persequi? Sed nō est persecutio, quę mores corrigit. 171

Dic Ecclesiæ, Monere iuberis, sed vbi monita nō sufficiūt, & ad suppliciū veniēdū est, nō iuberis castigare, sed ad legitimū iudicē referre. Nullo enim zeli prætextu castigabis peccata eorū, quæ sub tua potestate nō sunt. 532.

Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Peccatorum consortium fugiendū, nec enim illos Deus secum patitur. 589.

Feria. IIII. à dom. 3.

Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediūtur traditiones, &c.* Proximorū virtutes videndæ, non vitia. 273. 415. Peccatori nemo durior, quam alius peccator. 97. zelus mordens bonos operarios, suspectus, 407.

Quare, & vos transgredimini, &c. Peccatorū intolerabilis error, peccata propria in se nō videre, in alijs videre, & carpere. 178. Dū hic peccāt in discipulos, peccata sua ob oculos diuinos ponūt; faciūt enim noua peccata, quod pristina in conspectu Dei renouentur. 623.

Munus quodcūq; est ex me, &c. Religio inhumana Deo odiosa. 410.

Cor autē eorum longe est à me, &c. Opera à corde perfecto, vt placent Deo. 398. Cordis intima virtus Deo gratissima. 99. Cultus exterior sine interiori Deo abominabilis. 564.

Omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus

meus eradicabitur. Operâ oſtenduntur qualia fuerint ex duratione. 551.

Feria. V. à dom. 3.

Luc. 4. *Introiuit in domum Simonis, &c.* De hiſtoria ſocrus Petri vide lib. 10. c. 6. per totum.

Feria. VI. à dom. 3.

Ioan. 4. *Venit Ieſus in ciuitatem Samaria, &c.* De hac vide lib. 6. c. 3. per totum.

Sabbatum à dom. 3.

Ioan. 8. *Et ſedens docebat eos, &c.* Magiſtrorum diſciplina parentum curas in filios ſuperat. 202.

Hæc mulier modo deprehẽſa eſt in adulterio. Laſciuiæ macula, quã pateat hoſtilibus incurſibus. 184.

Digito ſcribebat in terra. Ad homines peccatores nihil loquens, ſeſe in terrã inclinans, oſtẽdens, quod eius verba facilius excipiantur ab inſenſibili creatura, quam à peccatore. 260.

Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c. Iudex in peccabilis ſit. 415.

Et remãſit Ieſus ſolus, & mulier, &c. Ieſum, qui ſecum habet ſecurus. 506. Ieſus peccatores ſecuros reddit. 314.

Noli amplius peccare, etc. Reincidẽtia, timẽda. 309.

Dominica. 4.

Ioan. 6. *Abyit Ieſus trans mare Galilææ, &c.* De hoc vide lib. 11. c. 2. per totum.

Feria. 2. à dom. 4.

Ioan. 2. *Et inuenit in templo vendentes ones, &c.* Vide lib. 11. c. 7. per totum.

Feria. III. à dom. 4.

Ioan. 7. *Quomodo hic literas ſcit, &c.* Non nominant Ieſum peſsimi homines, quia Ieſu nomen fœdas aufugit linguas. 364.

Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, &c. Vbique modeſtiſsimus Ieſus, & vanę glorię oſor. 281.

Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet de doctrina, &c. Ieſum percipit, qui plus amori, quam ſcientiæ incũmbit. 169.

Non ne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Quia legem Moyſis non faciebant, ideò Ieſum perſequebantur, ſi enim legem facerent, Ieſum amarẽt, vt qui lege cuſtodiebatur. 26.

Nolite iudicare, ſecundum faciem. Iudicium nudam facti veritatem reſpiciat. 411.

Feriâ. IIII. à dom. 4.

Ioan. 9. *Vidit hominem cæcum à natiuitate.* De hoc vide lib. 10. cap. 3. per totum.

Feria. V. à dom. 4.

Luc. 7. *Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, &c.* De hoc vide lib. 8. c. 2. per totum.

Feria. VI. à dom. 4.

Ioan. 11. *Erat quidam languens Lazarus, &c.* De hoc vide lib. 8. c. 3. per totum.

Sabbatum à dom. 4.

Ioan. 8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, &c.* Sequela Dei homini ſalutaris. 455. Peccatum nox eſt, & tenebræ, &c. 355.

Ego non iudico quemquam, &c. Ieſu humanitas miſericordiam perſuadet. 339.

Iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me pater, &c. Trinitas diuina veritatis aduocata. 367.

Neque me ſcitis, neque patrem, &c. Cui deeſt Ieſus, omnia bona deſunt. 301.

Dominica. 5.

Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ieſu mundicies sũma. 325. Non aliud pro ſe adducit præconiũ, niſi quod careat peccato, quia vera laus in ſolis virtutis facinoribus conſiſtit. 337.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Merito arguit impios, quod veritati obnũtẽtur, quia veritas etiam inter peſsimos homines ſolet habere patrocinium. 366.

Samaritanus es, & dæmoniũ habes. Cõtumelioſis verbis nõ reſpõdere, quã ſalutare ſit. 196. 156. 502.

Ego dæmonium non habeo, &c. Imò Ieſus ſemper dæmonio exitialis. 189. & valet pro vniuerſis armis aduerſus diabolum. 191. & fugat vniuerſas præſentias mali. 191.

Nũquid maior es patre noſtro Abraham? Patriarchæ vniuerſi vileſcũt ad Chriſti cõparationẽ. 56. virtutes humanæ obſcurantur in diuinarum conſpectu. 468.

Abraham exultauit, vt videret diem meum, &c. Summa ſanctorum omniũ altitudo, quod ſe Chriſto domino inferiores recognoſcant. 632.

Feria. II. à dom. 5.

Ioan. 7. *Vt apprehenderent Ieſum, &c.* Innocentia nunquam non patitur mundi iras. 569.

Adhuc modicũ tẽpus vobiſcum ſum, &c. Breuiſsimũ eſt tẽpus à Deo nobis oblatũ, & incertum, nec morã admittit, qua tardemus ire ad Deũ. 86. Vnde periculoſa eſt procraſtinatio. 69. 168. Si tamẽ per te non ſtet, Ieſus in modico, & breui tempore ſalutem valet cauſare. 363.

Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Dominus nõ patitur ſecum peccatores. 589.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Nullus à Ieſu diſcedit vacuus. 301. Feſtiniſsimus eſt in benefaciẽdo. 522.

Feria. III. à dom. 5.

Ioan. 7. *Ambulabat Ieſus in Galilæam, &c.* Quã felices Galilæi, qui Ieſum ſecum habebant, qui enim illum ſecum habent ſecuri. 506.

Nec fratres eius credebant in eũ, &c. Quæ à propinquis, & notis venit deſpectio, & perſecutio grauiſsima eſt. 560.

Tẽpus veſtrũ sẽper eſt paratũ. Vt Saluti tuæ de operâ quodlibet tẽpus tibi tẽpeſtiuũ eſt. 94. *et* 95.

Me autem odit, &c. Mundani homines Dei cauſam ſuſpectam, & inuiſam habent. 186.

Non aſcendam ad diem feſtum iſtum: quia tempus meum non dum impletum eſt. Solos feſtos dies ſibi putat, in quibus hora patiẽdi pro hominibus eſt, quia labores mei cauſa ſuſceptos pro quiete habet. 37. Et hominis ſalus ei feſtum agit. 305.

Feria IIII. à dom. 5.

Ioan. 10. *Circũdederũt ergo eũ Iudæi, &c.* Vbi multitudo eſt, vix error, & peccatũ deficit. 165. Non quæ-

quæ vis multitudo, sed multitudo pœnitentium si adsit iuuat ad veniam. 181.

Si tu es Christus, dic nobis palã. In maliciosis suis verbis ostendũt perfectum Christi assecla, qui nil aliud optat, quam Christum videre. 379.

Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimoniũ, &c. Filius Dei ex factis claret. 522. Filij veri non tã in sanguine propagatione, quam in æmulatione paternæ virtutis. 163.

Ego cognosco eas, & sequuntur me. Quicnũque Iesum nouerit, post eum abibit. 380. Hominis certa via in sequendo Deo. 455.

Nõ rapiet eas quisquã de manu mea, &c. Christi dilecti nequeũt ab illo separari, & abduci. 571.

Multa bona opera ostendi vobis, &c. Beneficia Dei in homines ipso sole euidentiora. 3.

Fer. V. à dom. 5.

Luc. 7. *Rogabat Iesum quidam Pharisæus.* De hac historia vide lib. 6. c. 6. per totum.

Feria. VI. à dom. 5.

Ioan. 11. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, &c.* Consilia impiorum non sumẽda. 464. Consiliarij auaritia infecti cauendi. 465.

Hic homo multa signa facit, &c. Hominem vocant tantum benefactorẽ, prorsus cœci, qui Deũ in beneficijs non vident. 335.

Si dimittimus eum venient Romani, & tollent locũ nostrum. Signa beneficiorum, sanitates, & alia benignitatis opera contemnunt, metuentes amittere temporalia bona; sic auari homines opera benignitatis diuinæ minimè agnoscunt. 530. Christus, & lucri temporalis amor se mutuo expellũt. 496.

Vos nescitis quicquam, &c. Merito ignorantiam vocat, quæ solum spectabat conseruationem Ierosolymitanæ Reipub. quia ignorantia humana nihil magnum spectare nouit. 600.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, &c. Id verũ pronũtiabat Spiritus sanctus de Iesu morte, verũ si mentẽ Cayphæ spectemus falsissimũ dicit, quandoquidẽ nulli bono viro expedit beneficiũ cum damno alterius. 454. 231. 232.

Sabbatum. à dom 5.

Ioan. 11. *Cogitauerunt Principes Sacerdotes, vt Lazarum interficerent, &c.* Lazarum à Iesu suscitatum cogitant interficere hominum cõsilia, quæ vix sciunt non errare. 500.

Quia multi propter illum abibant, &c. Ideò interficere curãt Lazarum, quia in causa erat, quod Iesum plures sequerentur. In quo est ponderandũ inuidiæ malum. 412. 413.

Dominica in Ramis.

Matth. 21. *Dicite filiæ Sion ecce Rex tuus, &c.* Regis nomen hominibus salutaris. 32. Iesus Rex noster nos omnes Reges facit. 382.

Venit tibi. Dei benignitas singulis hominibus sese communicare nititur. 3.

Mansuetus, &c. Seueritas antiqua pari gratia in Christo compensatur. 484. Rigor nocte amat benignitatis opera lucem. 4.

Strauerunt vestimenta sua in via, &c. Iesus omnium bonorum iactura emendus. 615.

Benedictus qui venit in nomine Dñi, &c. Iesu beneficentia in homines, eius diuinitatẽ prædicat. 307.

Feria. II. Hebdom. Maioris.

Ioan. 12. *Maria ergo accepit libram, &c.* De hoc vide lib. 12. cap. 2. per totum.

Fer. III. Hebdom. Maioris.

De lacrymis Iesu super Ierusalem habes in lib. 12. cap. 5. per totum.

Feria. V. in cœna Dom.

Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, &c.* Merito horam passionis, horam suam vocat, quia id nostrũ habemus, quod laboribus acquirimus. 295. Sic labores, & horas, & dies hominum constituunt. 483.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c. Trãsitus ad patrẽ vocatur Christi mors, & non potius dirissima passio, quia non censetur passio, nec tormentum, per quod expellitur peccatum. 171.

In finem dilexit eos. Dilectionis diuinæ in nos triumphus tunc est, cum dona nobis Deus largitur. 212.

Sciens, quia à Deo exiuit, &c. Humilitas proprium Dei facinus. 219. Omnia hominis decora confirmat. 357. Et merito tanta humilitate vtitur Iesus cum aduersus diabolum certamen init, quia humilitas detriũphat aereas potestates. 147. Et nescit esse, nisi cum ingẽti diaboli ruina. 148.

Non tantum pedes, sed & manus, &c. Obseruantia legum non dimidianda. 536. In paruis paramur ad magna. 400.

Exemplum enim dedi vobis, &c. Vide in indice exemplum.

Feria. VI. in Parasceue.

Passio Christi Domini efficassimum omnium remediũ est, quo steriles animæ fæcundentur. 38.

Iesus pro vno solo homine impenderet, quod pro omnibus. 151. Eius passi exemplum maximè suorum leuat labores. 25. Nullis parcit impensis pro hominum salute. 381. Eum, vt in mortem ire vident creaturæ se morti tradunt 246 Cum frangitur dulcior. 329. Iesu mors potens, vt suorum animas excitet in vitam. 85.

Dominica Resurrect.

De Christi rore omnia florent, & arentia hominum ossa conuertuntur in ligna paradisi. 349. Resurrectio carnis à limine Christianæ œconomiæ. 224. Resurrectio celerrima debetur ei, qui se cõformat passioni Iesu. 607. Resurrectionis memoria maximum solatium est in morte. 259. Resurrectio ab vno Iesu. 251.

F I N I S.

Signat.ª Top.ª
Est. 20
Tab. 2ª
Núm. 7

BAEZA IN Evangelia .2.

566
2902